DOCTORIS ANGELICI

DIVI

THOMÆ AQUINATIS

SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM

OPUSCULA VARIA

PARIS. — IMPRIMERIE Vve P. LAROUSSE ET Cie
19, RUE MONTPARNASSE, 19

DOCTORIS ANGELICI
DIVI
THOMÆ AQUINATIS
SACRI ORDINIS F. F. PRÆDICATORUM
OPERA OMNIA

SIVE ANTEHAC EXCUSA,
SIVE ETIAM ANECDOTA; EX EDITIONIBUS VETUSTIS ET DECIMI TERTII SÆCULI CODICIBUS RELIGIOSE CASTIGATA;
PRO AUTHORITATIBUS AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE PATROLOGIÆ TEXTUUM,
NUNC PRIMUM REVOCATA;
NOTIS HISTORICIS, CRITICIS, PHILOSOPHICIS, THEOLOGICIS, CUNCTAS ILLUSTRANTIBUS CONTROVERSIAS
OCCASIONE DOGMATUM SANCTI AUTHORIS EXORTAS, SOLLICITE ORNATA,

STUDIO AC LABORE
STANISLAI EDUARDI FRETTÉ
Sacerdotis, Scholæque Thomisticæ Alumni.

VOLUMEN TRIGESIMUM-SECUNDUM

OPUSCULA VARIA JAM EDITA, VEL ANECDOTA

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXIX

PRÆFATIUNCULA

In hocce volumine ultimo textus D. Thomæ Aquinatis, quædam jam antehac edita, quædam vero omnino anecdota continentur.

Commentaria duo super Boetii libros de *Consolatione Philosophica* Doctori Angelico tribuuntur ab amanuensibus, unum quidem jamdiu evulgatum quod typis iterum mandari curavimus, sed alterum numquam arte impressoria exaratum. Illud in publicum libenter eduxissemus, ni nostrum cohibuisset animum prudentissimus Editor noster, L. Vives. Nam illa duo Commentaria pariter inter incerta D. Thomæ opera relegantur a criticis, et Editor noster nulla admittere voluit opera incerta, præter excusa jamdudum ab aliis. Huic consilio adhærendum erat.

Quod si quosdam Sermones de novo in lucem editos, curante illustrissimo Abbate Uccelli, non despeximus, horum tamen authenticitatem ac genuitatem nullo modo declarare voluimus. Ipsos Italiæ eruditi gratanter acceperunt; ipsos respuere non licebat. Fatemur nihilominus quædam in illis inveniri quæ modestiam nostri Doctoris non redolent, sed potius audaciam Prædicatorum decimi quinti vel decimi sexti sæculi, Michaelis Menot, Oliverii Maillard, Guillelmi Pepin, Gabrielis Barlette, et aliorum. Ista lector ipse notabit.

Mox labori nostro finem imponemus, Indices Generales scilicet edendo. Gratias decet nos agere omnibus viris inclytis, sive Bibliothecariis Regiæ, vel Mazarineæ, vel S. Genovefæ, sive aliis non indoctis, quorum nonnulli requiem, ut speramus, æternam, novissimis obtinuerunt annis, qui nostris favere conatibus non dedignati sunt. Deus det omnibus et nobis pacem.

Nulliaci supra Sequanam, in die festo sanctæ Catharinæ Virginis et Martyris, Philosophorum Patronæ.

S. E. FRETTÉ,

Asyli Dominæ Mathildis Eleemosynarius.

SANCTI THOMÆ AQUINATIS

SCRIPTUM

EXPOSITIO I. IN APOCALYPSIM

CAPUT XVI

Et audivi vocem magnam etc. Hæc est secunda pars quintæ visionis, in qua demonstratur damnatio reproborum, tempore Antichristi per prædicationem. Et introducuntur hic septem Angeli, per quos septem ordines prædicatorum in septem statibus Ecclesiæ prædicantium intelliguntur : et septem phialæ, per quas intelliguntur universæ comminationes pœnarum, et septem loca, per quæ universitas reproborum accipitur : et hoc secundum distinctionem septem capitalium vitiorum ; et septem effusiones, in quibus designantur reproborum damnationes. In prima effusione primæ phialæ *in terram*, demonstratur damnatio gulosorum. In secunda, *in mare*, damnatio luxuriosorum. In tertia, *In fontes*, damnatio iracundorum. In quarta *in Solem*, damnatio reproborum, superborum, sive vanægloriantium. In quinta *In flumen magnum Euphratem*, damnatio cupidorum et avarorum. In septima *In aere*, damnatio accidiosorum. Et satis est conveniens hæc distinctio quæ resolvit septem capitalia peccata ad tres primas concupiscientias, quæ sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Nam ex concupiscentia carnis fluunt gula et luxuria. Gula secundum inordinationem nutritivæ. Luxuria secundum inordinationem generativæ. Ira vero et invidia et vana gloria, fluunt ex superbia vitæ. Ex concupiscentia oculorum, fluunt avaritia et accidia. Dividitur autem istud capitulum in octo partes : In prima præcipitur Angelis ut phialas effundant. In septem aliis partibus agitur de septem effusionibus secundum ordinem quem prædiximus. Dicit ergo, *Et audivi*, auditu interiori. *Vocem magnam* idest inspirationem divinam, vel admonitionem angelicam. *De cœlo*, idest de occulto. Vel *De cœlo*, idest a Christo, vel ab Angelo habente sensum relatum, *Dicentem septem Angelis*, idest prædicatoribus universis, *Ite :* in quo duo notantur. Primo, quod nullus debet se ingerere ad prædicandum nisi missus. Rom. x, *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Secundo, quod debent pedites esse, et non equites. Non enim dicit : equitate, sed : ite. Joan. xv, *Posui vos, ut eatis*. Psal. *Euntes ibant et flebant*. Act. v, *Ibant Apostoli gaudentes*. Job xxx, *Numquid mittes fulgura, et ibunt?* Isa. xviii, *Ite Angeli veloces. Effundite septem phialas iræ Dei*, quas accepistis, in terram ; idest annunciate peccatoribus, qui terræ adhærent, pœnas sibi debitas, juxta numerum et mensuram suorum peccatorum.

Et abiit primus Angelus etc. Hæc est secunda pars cap. in qua agitur de septem effusionibus phialarum, quæ dividuntur in septem partes, secundum numerum septem Angelorum, effundentium phialas super septem gentes, quas septem gentes possumus intelligere allegorice, secundum septem persecutiones

Ecclesiæ. Vel moraliter secundum septem genera peccatorum. Primo autem exponemus hoc totum allegorice, quia magis convenit cum præcedentibus hæc expositio, quam moraliter; et postea exponemus totum moraliter, quod magis ad nostram instructionem pertinet. Dicit ergo: *Et abiit*, idest præcepto obedivit, *Primus Angelus*, idest Primus ordo prædicatorum. *Et effudit phialam suam in terram*, idest pœnam futuram comminando annuntiavit in Judæam, vel prædicationem suam in Judææ terram. Sed Judæi noluerunt recipere doctrinam Angelorum, qui fuerunt primus Angelus. Ideo puniti sunt, et temporaliter et æternaliter. Unde sequitur, *Et factum est vulnus sævum*, quo ad temporalem persecutionem factam per Romanos. *Et pessimum*, quo ad æternam damnationem, quæ dicitur mala propter peccatorum enormitatem, pejor propter pœnarum diversitatem, pessima propter pœnarum æternitatem. Unde Psal.: *Mors peccatorum pessima*. Sed quia aliqui in Judæa crediderunt ad prædicationem Apostolorum, qui participes non fuerunt hujus pœnæ, ideo ostendit in quos factum fuit istud vulnus pessimum, dicens: *In homines, qui habebant characterem bestiæ*, idest fidem, et opera diaboli, similitudinem Antichristi, in resistendo et expugnando veritatem Christi, *Et in eos, qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus*, idest qui obedierunt diabolo, et Antichristo, et prædicatoribus ejus. Licet enim Antichristus nondum esset quando Apostoli prædicaverunt in Judæa, tamen Judæi persequendo Apostolos Christi, et expugnando veritatem, ostendebant se ministros diaboli et Antichristi. Juxta quod dicit Apostolus II Thess. II: *Et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore: nam mysterium jam operatur iniquitatis*. *Et secundus Angelus*, idest secundus ordo prædicatorum qui fuit post Apostolos, *Effudit phialam suam in mare*, idest in gentes amaras sine sapore fidei. Unde Isa. LVII: *Impii, quasi mare fervens*. *Et factus est sanguis tamquam mortui, et omnis anima vivens mortua est in mari*, idest prædicatores viventes in Christo sunt ab eis interfecti. Et tangit Joannes, quod secundo ordine prædicante, Gentilium quidam sunt conversi et mortui peccato, et quidam in sua malitia permanentes occiderunt sanctos sibi prædicantes. *Et tertius Angelus effudit phialam suam*, idest tertius ordo prædicatorum, scilicet confessores et doctores, qui successerunt martyribus, qui fuerunt in secundo ordine. *Effudit phialam suam super flumina*, scilicet super hæreticos et instabiles, et fluentes de errore in errorem, et secum alios rapientes. *Et super fontes aquarum*, idest super Philosophos, a quibus sunt ortæ insipidæ doctrinæ et variæ. Unde hæretici originem duxerunt. *Et factus est sanguis*, idest occisio sanctorum, vel doctrina hæreticorum et philosophorum facta est sanguis, idest ostensa est esse mortifera et crudelis. *Et audivi Angelum aquarum*, idest Angelum custodem Scripturarum, vel animarum, *Dicentem, justus es Domine*, idest justum facis judicium, puniendo malos et servando bonos, *Qui es, et qui eras sanctus*, licet non appareat, sed tandem apparebit, *Qui hæc judicasti*, illos puniendo, et merito, *Quia sanguinem sanctorum et prophetarum*, idest majorum, *Effuderunt*, idest fundi fecerunt, per principes. *Et sanguinem eis dedisti bibere*, idest pœnam debitam pro effusione sanguinis sanctorum eis reddidisti. *Digni enim sunt*, idest sicut meruerunt. Non solum unum Angelum audivit congratulantem de justa retributione Dei, immo multos. Unde sequitur, *Et audivi alterum Angelum*, scilicet ad confortationem bonorum, dicentem, *etiam*, idest certe, vel vere, *Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua*, idest in malis et bonis. *Quartus Angelus* idest quartus ordo prædicatorum, *Effudit phialam suam in solem*, idest contra hypocritas prædicavit, qui ostendunt se exterius quasi solem, et dicunt se habere veram doctrinam, *Et datum est illi Angelo*, idest quarto ordini prædicatorum, *Æstu affligere homines et igne*, idest hypocritas humum sapientes puniendos fore igne inferni ostendere, *Et æstuaverunt homines*, idest hypocritæ, *Æstu magno*, idest magna cupiditate, vel ira, vel invidia magna contra prædicatores, *Et*

blasphemaverunt, idest exasperati sunt *nomen Dei*. Dum in pace sunt, hypocritæ boni videntur; sed quando exasperantur, tunc apparet quales sunt. Unde Matth. VI, *A fructibus eorum cognoscetis eos*. *Dei* dico habentis potestatem super has plagas infligendas, quibus et quando voluerit. *Neque egerunt illi pœnitentiam, ut darent illi gloriam*, Quia et quando de hypocrisi pauci pœnitent, et pauci recognoscunt se fuisse hypocritas. Quia cum semper apparuerint boni, nimis confunduntur apparere mali; et ideo in die judicii maxime confundentur, quia omnibus apparebit quales fuerunt. *Et quintus Angelus*, idest quintus ordo prædicatorum, *Effudit phialam suam super sedem bestiæ*, idest prædicavit contra præcursores Antichristi, in quibus quasi in sede sua quiescet et dominabitur. *Et factum est regnum ejus*, idest iniqui, in quibus regnabit Antichristus et diabolus, *Tenebrosus*, tenebris infidelitatis et crudelitatis. *Et manducaverunt linguas suas*, idest stridentibus dentibus mordentes linguas suas præ nimio dolore. Quia non potuerunt convincere, immo nec resistere rationabiliter prædicatoribus illius quinti status. Juxta illud quod dixit Dominus discipulis suis. Ego dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri, *Et blasphemaverunt Deum cœli*, idest Christum, dicentes, ipsum non esse Deum, *Præ doloribus vulnerum suorum*, idest sibi illatis a prædicatoribus, *Et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis*, ad monitionem prædicatorum. *Et sextus Angelus*, idest ordo prædicatorum, *Effudit phialam suam in flumen magnum Euphraten*, idest contra Antichristum divitem et potentem, *Et siccavit aquam ejus*, idest doctrinam Antichristi sine humore gratiæ esse monstravit. Vel divitiarum affluentiam, quam habebit Antichristus, et dabit siccandam, idest definiendam esse monstravit, *Ut præpararetur via regibus*, idest fidelibus in tribulatione illa se bene regentibus, *Ab ortu solis*, idest a Christo sole justitiæ, qui natus est de Virgine temporaliter, et de Patre æternaliter, et quotidie oritur in cordibus pœnitentium per gratiam, Malach. in fine : *Vobis timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ*. *Et vidi*, facta prædicatione septimi Angeli, *De ore bestiæ*, idest Antichristi, *Et de ore pseudoprophetæ*, idest prophetarum, sive prædicatorum ejus, *Tres spiritus immundos* exire, supple, *In modum ranarum*, idest sequaces multos, fidem sanctæ Trinitatis impugnantes, loquaces, et turpem vitam habentes. Vel tres ranas dicit tria genera hominum, per quos Antichristus persequetur Ecclesiam : scilicet principes sæculi, per quos affliget sanctos; sapientes mundi, per quos seducet multos. Hæc duo genera hominum, exeunt de consilio suo. Tertii minores satellites, per quos fiet executio malitiæ in occisione sanctorum. Et bene dico, Ad *modum ranarum*, quæ in paludibus semper manent in loquacitate, seu garrulitate, sine ratione loquentes, *Sunt enim spiritus dæmoniorum*, idest per dæmonum inspirationem sive suggestionem operabuntur multa maleficia, *Facientes signa*, *Glossa*, idest miracula, *Et procedunt ad reges totius terræ*, idest totius mundi, *Congregare illos in prælium*, contra sanctos, qui tunc erunt. Sed hæc congregatio erit ad malum eorum. Quia erit eis *Ad diem magnum Dei omnipotentis*, idest ad diem judicii, ubi apparebit magna potestas Dei, ad quem cito ducentur illi. Sed ne quis putaret illam de longe esse, Sequitur, *Et ecce venit sicut fur*, idest subito, et nullo sciente : et quia ita venit, *Beatus, qui vigilat*, et qui sollicitus est de salute sua, bene operando, *Et custodit vestimenta sua*, idest corpora sua, quibus animæ vestiuntur, mundæ a peccato declinando, *Ne nudus*, a virtutibus, *Ambulet*, ad judicium, *Et videant omnes*, qui erunt in judicio, *turpitudinem suam*, idest peccata ipsius. *Et congregabit* : quasi dicat, quod procedent ad reges terræ, *Congregare illos in prælium*, contra bonos, *Et congregabit illos*, scilicet, qui in omnibus illis operabitur, *In locum, qui vocatur hebraice Armageddon*, idest illos congregabit diabolus, cum aliis, qui Antichristo adhærent, et Ecclesiam persequuntur. Armageddon interpretatur mons Furum, vel mons Globosus : quasi dicat : ad An-

fidelium congregabuntur in unum illos, qui animas lucrantur Christo. *Et septimus Angelus*, idest septimus ordo prædicatorum, *Effudit phialam suam in aerem*, idest prædicavit illis qui sunt principes aeris hujus, contra Antichristum. *Et exivit vox magna de templo*, idest de cœlo, *Et a throno*, idest a Christo judicaturo, *Dicens*, id est ..., *Factum est*, idest permissio Apocalypsis consummata, et ibi ... *Et facta sunt fulgura*, idest miracula, *Et voces*, idest blasphemiæ, *Et tonitrua*, idest comminationes. *Et terræmotus magnus*, idest terrenorum commotio contra sanctos. *Qualis nunquam fuit ex quo homines fuerunt super terram*, idest a tempore Abel, qui fuit justus occisus. Et hoc debet referri ad tempus Antichristi. Sed hic loquitur de septimo Angelo, qui in septimo statu Ecclesiæ prædicabit. Quia illi duo status propinqui sunt, ideo conjunctim loquitur de illis. *Talis terræmotus sic magnus*, idest tam gravis tribulatio, *Nunquam fuit*, sicut erit tempore Antichristi. *Et facta est civitas magna*, idest congregatio magna malorum, qui ad Antichristum congregabuntur, *In tres partes*. Quæ tres erunt principes sæculi, sapientes mundi, et eorum milites, ut dictum est supra. *Et civitates gentium ceciderunt*, idest omnes congregationes malorum et congregationes gentium perierunt. *Et Babylon magna*, idest confusio, vel omnium malorum collectio, quia multi et magni erunt, *Venit in memoriam ante Deum*, idest commemoratur ... malorum, quæ prius oblita videbatur. *Dare*, idest ut daretur ei, scilicet Babyloni, *Calicem vini*, indignationis, *Et iræ ejus*, idest pœnam æternam, quæ procedit ab ipsa indignatione irrevocabili. Et dicitur pœna ..., quia ... secundum culpam. Unde Matth. vii: *Eadem mensura qua mensi fueritis*, etc. *Et omnis insula*, idest illi, qui semper manent in aquis deliciarum, *Fugit*, a facie Dei, ne ipsum videat, quia *tollitur impius, ne videat gloriam Dei*. Isa. xxvi. Secundum aliam translationem *Et montes*, idest principes et superbi omnes, *Non sunt inventi*, inter homines. Unde Psal.: *Inimici Domini, mox ut honorificati fuerint et exaltati*, etc. *Vidi impium*, idest Antichristum, *superexaltatum* etc. *Et grando magna*, idest ultio divina, *Sicut talentum*, idest ponderosa, et gravis secundum aliam editionem, quod magnitudinis, *Descendit de cœlo*, idest a Christo judice, *In homines*, idest in peccatores homines sapientes et diligentes terram plusquam cœlum. *Et blasphemaverunt homines*, idest damnati in infernum positi, *Deum propter plagam grandinis*, idest divinæ ultionis, *Quoniam magna facta est vehementer*. Ista blasphemia malorum, in inferno nil aliud est, nisi murmuratio et dolor reproborum, qui dolebant et murmurabant de Deo, quod Deus tantam potentiam habet, quod tales plagas potuit eis inferre. *Et abiit*. Adhuc exponemus totum hoc allegorice: et aliquando tangemus allegoriam, quæ parvo modo tangitur in *Glossa*. Dicit ergo, *Et abiit primus Angelus*, per quem significatur primus ordo prædicatorum, idest Apostolorum, qui contra Judæos prædicaverunt, *Et effudit phialam suam in terram*, idest iracundiam Dei terrenis Judæis imminentem nuntiavit, *Et factum est vulnus sævum ac pessimum in hominibus*, idest in Judæis, *qui habebant characterem bestiæ*, qui erant Antichristo conformes in sanctorum persecutione: et ideo miseri Judæi earum eum habebant, quia diabolus, qui docebit Antichristum, illos inhabitabat, *Et eos, qui adorabant bestiam et imaginem ejus*. Imago ejus fuit Simon Magus, Arianus, Sabellius, Nero, Constantinus, Photinus, Julianus et alii hujusmodi, quos Judæi et alii sui temporis adoraverunt. Imaginem Antichristi Judæi adhuc venerantur, quia adhuc Messiam futurum præstolantur: tamen cum venerit Antichristus recipient eum, ut magnum prophetam in lege promissum, Deut. xviii. Unde Dominus dicit Joan. v, *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me; si alius venerit in nomine suo illum accipietis*. Ille alius erit Antichristus, ut dicit Glossa; quem plurimi recipient, non solum de Judæis, sed etiam de Christianis. Unde Eccles. iv, *Vidi cunctos juvenes, qui ambulant sub sole, cum adolescente*, secundum *Glossam*, idest Antichristo, qui consur-

get pro eo, idest pro Christo : infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum : et qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo. In his *Sævum factum est vulnus*, quia dispersi sunt per Romanos, et venditi pro uno denario triginta, sub Valeriano, *Et pessimum*, quod nunquam sanabitur, quia sunt a Domino abjecti et reprobati. De quo dicit Dominus, Joan. xv, *Si non venissem, et locutus eis non fuissem etc.* Sed numquid Christus eos vulneravit? absit. Sed Christo prædicante per se et per Apostolos, et ipsis nolentibus audire, diabolus vulneravit eos, et excæcavit. Et *secundus*. Secunda pars est de secundo Angelo, et secunda plaga. Est autem secundus Angelus secundus ordo prædicatorum, qui scilicet post expulsionem Apostolorum de Judæa gentibus prædicaverunt. Mare, dicitur Gentilitas, propter fervorem impietatis, quæ regnavit tunc in eis, quando fuit secunda persecutio Ecclesiæ, sicut supradictum est octavo capitulo, ibi, *Secundus Angelus tuba cecinit, et tamqaam mons magnus ardens missus est in mare.* Tunc facta est phiala secunda, idest secundi Angeli effusio, idest divinæ ultionis comminatio. Sed cum supra jam sufficienter actum sit de his septem Angelis, per quos significantur septem ordines prædicatorum, qui in septem statibus Ecclesiæ et septem persecutionibus ejus prædicaverunt, et consolati sunt eam, quare hic iterum repetitur de illis? Ad hoc solum, nostra *Glossa* dicit, quod supra actum est de Angelis, inquantum consolabantur Ecclesiam in tribulationibus, quæ ei inferebantur a malis : hic autem agitur de eisdem inquantum comminantur pœnam inferendam malis, quod iterum facit ad consolationem beatorum : et si ibi supra erat aliquod verbum de damnatione malorum, hoc ponebatur incidenter ad consolationem sanctorum. Ibi ergo agitur de pœnis illatis sanctis a malis, hic autem de pœnis inferendis malis a sanctis. Dicit ergo, *Et secundus Angelus effudit phialam suam*, idest secundus ordo prædicantium, idest discipuli expulsi a Judæis divinam ultionem venturam super Gentiles nuntiaverunt. Et *factus est sanguis tamquam mortui*, idest illa ultio divina, quam illi nuntiabant, erit irrevocabilis, sicut non est regressus a morte in vitam. Unde Job xv, *Non credit frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit. Omnis anima vivens, mortua est in mari*, idest omnes illi qui consentiebant tyrannis persequentibus discipulos, qui videbantur vivere, eo quod non persequebantur per se discipulos, damnabuntur cum illis qui per seipsos persequebantur, quia consentiunt. Quia facientes et consentientes pari pœna constringit. Unde Rom. I, *Qui talia agunt digni sunt morte : non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Et supra VIII, *Mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari*, idest qui consentiebant sanctorum persecutionibus.

Et tertius Angelus effudit etc. Hæc est tertia pars, ubi agitur de tertio Angelo, et de tertia plaga : et significat tertium ordinem prædicatorum, qui scilicet pœnam futuram hæreticis nunciant, sicut primus Judæis, secundus Gentibus. Hæretici enim tertio loco impugnaverunt Ecclesiam : et ponit hic ideo congratulationem sanctorum de pœna hæreticorum. Sed cum non posuit hoc ipsum in prima plaga, quæ fuit plaga Judæorum, nec in secunda quæ fuit Gentilium, quare ponit hic in plaga hæreticorum? Solutio : Hoc ideo facit, ad innuendum, quod persecutio hæreticorum gravis et magis nociva est quam aliorum ; et est hæc contra fidem quæ est fundamentum omnium bonorum. Qua perdita nil retinetur, ut dicit Seneca. Et ideo de plaga erit majus gaudium sanctorum. Dicit ergo, *Et tertius Angelus*, idest tertius ordo prædicatorum ; *Effudit phialam suam super flumina*, idest divinam ultionem super hæreticos damnantes Scripturam annuntiavit. Et *Super fontes aquarum*, idest super magistros hæreticorum qui dicuntur hæresiarchæ a quibus oritur prava doctrina eorum. De quibus II Pet. II, *Hi sunt fontes nebulæ turbinum agitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur.* De hoc supra VIII, *Stella magna ardens tamquam facula cecidit in tertiam partem fluminis et fontes aquarum.* Quid autem sit stella illa ad hoc patuit. Sed forte illa stella est aliquis

homicidæ, et magnus in Ecclesia qui contendebat cum principe Ecclesiam persequendo. Et factus est sanguis, per quem intelligitur pœna hæreticorum detestabilis et crudelis. Sanguis enim horribilis est pœna hæreticorum, quæ erit horribilis, quia horribilis fuit culpa. Quod significatum est Exod. vii, ubi Moyses vertit aquas in sanguinem. Et hoc est quasi mortui populi, id est doctrinam hæreticorum, ostenderunt esse horribilem et detestabilem; et hanc pœnam eorum crudelem. Et audivi, idest per ipsos prædicatores intellexi, Angelum aquarum, idest horum doctorum qui evolvebant sacræ Scripturæ et exponunt. Unde maculas lavant auditorum, collaudando divinam justitiam. Dicentem : Justus es Domine, idest æquitatem tenendo, omnibus providendo. Qui es, immutabiliter et æternaliter. Qui eras, sine principio æternaliter. Sanctus, ab omni labe liber et alienus. Qui hæc judicasti, idest ea, quæ nuntiavimus vera et firma demonstrasti, et malos, sicut prædiximus, condemnasti. Sed quare non dixit, qui venturus es, more solito? Ad hoc dicit Glossa, « Venturum non imposuit, quia in proximo intelligitur. » Unde patet quod hic loquitur de pœna hæreticorum futura tempore Antichristi, quæ cito erit, ut credo. Et vere juste eos puniendo illos Qui sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, vel procuraverunt, ut patet in tempore Constantini et Juliani. Et sanguinem eis dedisti bibere, idest pœnam æternam eis reddidisti pro sanctorum occisione seu persecutione. Digni sunt, idest sic justum est, ut qui sanguinem effuderunt, sanguine puniantur. Ad litteram, multi hæretici hodie comburuntur. Sap. xi, Per quæ peccat quis etc. Sicut legitur in historiis romanis, quod Parthi in dolo multum aurum promiserunt Crasso, obsidenti civitatem eorum, et postea receperunt eum in civitate cum paucis quasi vellent ei solvere aurum promissum, et ipsum aurum liquidum infuderunt in os ejus, dicentes : Aurum sitisti, aurum bibe. Et de hoc dicitur Deuteronom. xxxii, *Inebriabo sagittas meas sanguine etc.*, idest carnalis sapientes. Thren. iv, *Gaude Edom ad te perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis.* Edom interpretatur sanguineus et hæreticos significat. *Et audivi alterum Angelum*, scilicet minores sanctos magistrorum suorum sententias confirmantes, et hoc dicentes etiam verum esse, quod dixerunt : *Domine*, per justitiam. *Deus*, per clementiam. *Omnipotens*, per potestatem. *Vera et justa judicia tua. Vera*, quia reddunt quod promittunt. *Justa*, quia secundum meritum retribuuntur. Unde Psalm. *Quia justus es Domine, et rectum judicium tuum.*

Et quartus Angelus etc. Quarta pars capituli et quarta plaga est. Hic Angelus est quartus ordo prædicatorum qui est contra hypocritas et contra Antichristum qui dicit se solem totum mundum illuminantem comminabit prædicando. Dicit ergo, Et *quartus Angelus*, idest quartus ordo prædicatorum, *Effudit phialam suam*, idest prædicavit ultionem divinam futuram, *In solem*, idest in hypocritas et Antichristum qui se solem mundi affirmabit. Et *datum est illi*, idest Antichristo, idest permissum est, *Æstu affligere homines et igne*, idest minori et majori tribulatione. *Et æstuaverunt homines fideles*, ratione utentes, *Æstu magno*, idest gravi tribulatione afflicti et angustiati. Ita quod multi ita deficient, ut dicit Glossa Jonæ iv, *Percussit sol super caput Jonæ et æstuavit, et petiit animæ suæ ut moreretur* : similiter erit tunc. Et *blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas*, inferendi cui vult et quando vult. Ipse enim habet claves mortis et inferni, ut dicitur supra i. *Deus cui vult miseretur* : similiter erit nunc. Et *blasphemaverunt nomen Dei habentis etc. Et non egerunt pœnitentiam*, quæ prædicabitur eis. Ut *darent illi gloriam*. Hoc dicit forte, quia aliqui interius pœnitebunt et dolebunt de peccatis suis. Sed ore non audebunt Christum confiteri præ timore, et hoc non sufficit, secundum quod dicitur Rom. x, *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum Christum, et in corde tuo credideris, quod Dominus Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur* etc. De his enim qui cadent in illa persecutione et qui non audebunt publice confiteri Chris-

tum, dicit Nahum ad Jerusalem sub typo Ecclesiæ : *filii tui*, idest infirmi catholici, *sicut locustæ locustarum qui confidunt in sepibus in die frigoris*, idest tenent fidem in tempore pacis ; *ortus est sol*, idest Antichristus graviter affligens sanctos, et avolaverunt, idest a fide recesserunt. Sap. IV, *Et si in ramis germinaverint, infirmiter posita a vento commovebuntur*. Luc. VIII, *Ad tempus credunt etc.* Sequitur.

Et quintus Angelus etc. Hæc est quinta pars in qua agitur de quinto Angelo et effusione phialæ ipsius, quæ erit contra complices Antichristi, in quibus quasi in sede quiescit. *Factum est regnum ejus*, idest illi in quibus regnabit, idem est quod sedes. *Tenebrosum*, idest perfidia excæcatum. Isa. VI, *Excæca cor populi hujus et aures ejus aggrava*, idest excæcabis et aggravabis, quia tunc nec videre bonos, nec audire poterunt, ita odient eos. Et *commanducaverunt*, idest manducabunt, *Linguas suas*, idest mutuo se detrahendo vorabunt unus alium, sicut canis. De quibus dicit Salomon, Proverb. XXXIII, *Noli esse in conviviis potatorum, nec in mensa eorum, qui carnes ad vescendum conferunt ; quia vacantes potibus et dantes symbola consumentur*. Galat. III, *Si mordetis adinvicem, videte, ne adinvicem consumamini. Præ dolore*, invidiæ, quam contra sanctos habebunt dolentes de constantia eorum. Sicut legitur Act. VII, de Judæis contra Stephanum : audientes hæc dissecabantur cordibus suis. *Et blasphemaverunt Deum cœli*, dicendo, Christum fuisse magnum, *Præ doloribus suis*. De hoc quod non poterunt eos incorporare Antichristo et avertere a Christo: *Vulneribus suis* quæ faciebant sibi invicem detrahendo, vel quæ sancti fecerunt eos comminando, vel constanter resistendo, vel firmiter consistendo in fide Christi. Hæc enim erit magna plaga. *Et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis :* in quo notatur finalis impœnitentia quæ est peccatum in Spiritum sanctum.

Et sextus Angelus etc. Sexta pars hujus capituli : in qua agitur de sexto Angelo et sexta plaga, a sexto Angelo, super falsos christianos Antichristo adhærentes inferenda. De omni enim secta quamplurimæ adhærebunt Antichristo, et ipse omnes capiet ad expugnandam Ecclesiam sanctorum. Dicit ergo, *Et sextus Angelus*, idest sextus ordo prædicatorum. *Effudit phialam suam*, idest prædicavit iram Dei futuram. *In flumen magnum Euphratem*, idest in illos qui amore divitiarum a fide Christi apostatabunt et Antichristo adhærebunt. *Et siccavit aquam ejus*, idest mundi affluentiam cito esse siccandam, seu perituram prædicavit, I Corinth. VI, *Præterit figura hujus mundi*. I Joan. II, *Transit mundus et concupiscentia ejus*. Isa. XLIX, *Omnis caro fœnum*. Ideo dicit Psalm. *Divitiæ si affluant etc. Ut præparetur via regibus*, idest ut prædicatoribus daretur via veniendi ad corda hominum, quod impedit abundantia divitiarum. quia divites nolunt audire prædicationem quæ consulit divitias abjicere. Unde juveni qui quærebat a Domino *quid faciendo vitam æternam* posset habere? Respondit Dominus, ut *mandata* servaret. Et ille dixit, quod *a juventute sua omnia* servaverat. Et Dominus dicit : *Vade et vende omnia quæ habes et da pauperibus. Et contristatus est adolescens. Erat enim multas habens divitias. Glossa* dicit Matth. X, « Hic usque huc libens audivit sermonem Domini. Sed ubi cœpit dicere de divitiis abjiciendis, non potuit audire sine molestia. » Unde divites sunt sicut aspides surdæ, quæ unam aurem obstruunt cauda, aliam figunt in terram, ne audiant vocem incantantium etc. *Ab ortu solis venientibus*, idest a Christo, qui ortus est mundo, sicut sol illuminans a quo veniunt prædicatores. Alia editio habet, « Ut præparetur via regi, » idest Christo cui obstruit viam veniendi ad mentes hominum amor divitiarum. Et unde venit Christus? *Ab ortu solis*, idest a gratia orienti quæ illuminat mentem ad cognoscendum illum qui venit et utilitatem adventus ejus, quæ etiam purgat et præparat ei locum. Et *vidi de ore draconis*, idest de inspiratione diaboli. Et *de ore bestiæ*, idest de prædicatione Antichristi, Et *de ore pseudo prophetæ*, idest de prædicationibus Apostolorum Antichristi, quos ipse mittet per totum mundum, *Spiritus tres immundos procedere et*

ranæ, utpote viles, immundæ et falsam Trinitatis repræsentantes. Vel sic : Vidi de ore draconis, idest de suggestione dæmonis. Et de ore bestiæ, idest de præcepto Antichristi. Et de ore pseudo prophetæ, idest de consilio suorum sequacium. Tres spiritus immundos exire, idest tres prædicatores qui in ultimo tempore mittentur, quos quasi mittet in mundum de mortuo-tione illius, et in ranarum naturam habentes : et ranis proprie quæ possunt terrestres, qui dicuntur spiritus, propter subtilitatem et intelligentiam naturalem, et dicti pseudo, ad voluntatem prædicandi mandatum. Dicuntur etiam immundi, propter immunditiam vitæ et doctrinæ. Dicuntur etiam tres, quia fidem Trinitatis corrumpere intendunt. Ut autem magis exprimeretur, ideo similitudinem ranarum nuntiorum Antichristi adjunxit. *Ad modum ranarum*, qui semper manentes in paludibus peccatorum semper garriunt, sic illi garruli et immundi erunt. Unde Glossa : « Ranæ in luto morantur et moventur, et garrulæ sunt, et aliis inquietudinem faciunt, et indisciplinabiles sunt, sic et illi. » Et subdit causam : *Sunt enim spiritus dæmoniorum*, idest a dæmonibus docti et facti. *Facientes signa*, idest miracula per quæ habebunt efficaciam verborum. Ex hoc loco patet quod facere miracula non est indicium sanctitatis. Unde et quidam mali dicturi sunt in judicio, *Domine, nonne in nomine tuo ejecimus dæmonia?* etc. Et dicet Dominus : *Discedite a me, operarii iniquitatis*, Matth. vii. *Et procedunt*, idest immundi spiritus procedunt. Dicit in præsenti, quia forte jam sunt in januis. *Ad reges totius terræ*, idest ad principes totius mundi, quos primo subvertent et per eos alios inclinabunt ad se, aut violentia, aut fraudulentia. *Congregare illos in prælium*, contra Ecclesiam. Et quomodo congregantur? Dicit Isa. xxiv, *Et post congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum* etc. Unde sequitur : *Ad diem magnum*, idest ad diem judicii, qui dicitur magnus, quia justitia magna erit tunc. Et dicitur etiam specialiter, *Dei omnipotentis*, cum dies omnes sui sint, et quia ibi ostendet Deus suam potentiam, quam modo continet in terminis misericordiæ : et tunc *egredietur Dominus de loco sancto suo*, ut dicit Isa. xxvi. Et quia posset putari quia adhuc multum distaret dies ille, ideo dicit Joannes illum prope esse. Unde dicit, ecce, in brevi aperte venit dies Domini, vel Dominus in die illo, *Sicut fur*, omnibus ignorantibus, I Thess. v, *Dies Domini sicut fur*. *Et ideo beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua*, quibus christianus debet vestiri. *Ne nudus*, idest sine operibus virtutum, ambulet de hac vita ad aliam. Et in judicio, *Videant turpitudinem ejus*, idest peccata sua, quæ faciunt animam turpem. *Et congregabit*. Hoc refertur ad illud quod supra dixit Quod tres immundi spiritus congregati procederent in prælium ad reges totius terræ, contra sanctos : et ita fiet, quod omnes cum Antichristo erunt contra Ecclesiam, præter paucos : et hoc est quod dicit : *Congregabit*, idest congregabat, et jam congregare incepit diabolus sibi quos omnibus illis operabitur. *Illos* scilicet reges totius terræ. *In locum qui vocatur Hebraice Armagaddon*, quod interpretatur furum mons, vel mons gloriosus. Sicut enim mons furum dicitur, ubi fures habent refugium, sic ad Antichristum omnes fures, idest omnes mali, fugient et ipse omnes receptabit et defendet. Sicut dicitur liber I Reg. xxii, de David quod convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti et oppressi ære alieno et amaro animo, et factus est princeps, sic Antichristus malorum erit princeps, qui ad eum convenient ei consentiendo. Quod significatum est Genes. i, ubi dicitur, *Congregatæ sunt aquæ quæ sub cælo sunt, in unum locum*, idest omnes mali de peccato in peccatum fluentes venient ad Antichristum, qui erit alveus iniquitatis : *et factum est, ita ut appareat arida*, idest Ecclesia : *et appellavit Deus aridam terram*, idest pauperem Ecclesiam securam et firmam ; *congregationesque aquarum appellavit maria*, propter amaritudinem iræ, odii, invidiæ et totius malitiæ, quam habebit Antichristus et sui.

Et septimus Angelus etc. Septima pars in qua agitur de septimo Angelo et plaga illius quæ super homines futura prædicitur. Unde dicit, *Et septimus Angelus*,

idest septimus ordo prædicatorum, *Effudit phialam suam in aerem*, idest iram Dei futuram prædixit in dæmones, qui in hoc aere habitant usque in diem judicii, et tunc in inferno cum reprobis retrudentur. Et est effusio phialæ in aerem, idest prædicere dæmonum in inferno retrusionem. Et dicuntur etiam dæmones aer, propter levitatem, quia velociter huc et illuc discurrunt. Vel propter fluxibilitatem, quia aer est quodam modo corpus spirituale. Iste ergo septimus Angelus est septimus ordo prædicatorum qui post mortem Antichristi prædicabit instare diem judicii quod est dolor et angustia dæmonum, et tandem magis sæviet, ut dictum est supra XII, Et *exivit vox magna de cœlo*, idest de Ecclesia, vel de Christo, idest a prædicatoribus suis. *A throno dicens*, idest ab illis, qui cum Christo judicabunt. *Factum est*, quod faciendum erat : quasi dicat : prope est ut totum sit factum quod ibi erit. Primum judicium non erit in fieri, sed in esse stabili. Ut dicitur Deuteronom. XXII, *Adesse festinant tempora*. Eccles. *Finis venit et venit finis*. Bis dicit idem, sed non eodem ordine. Nam primo præponit finem. Secundo postponit. Ad significandum, quod quidam prius cogitant de fine, quam veniat, ut boni qui prævident sibi. Alii sunt quibus venit finis antequam cogitent de fine, ut mali. Unde Genes. VII, *Finis universæ carnis venit coram me qui nondum venerat coram eis*. Immo ipsis non cogitantibus diluvium inundavit et omnes involvit. I Thessa V, *Cum dixerint pax et securitas tunc etc*. Et *facta sunt*, idest fient *Fulgura*, ad litteram. Et *voces* clamantium. Matth. XXIII, *Sicut fuit in diebus Noe præ timore*. Et *tonitrua*, ad litteram. Et *terræmotus factus est*, idest fiet, *Qualis nunquam fuit, ex quo omnes homines fuerunt super terram*. Talis terræmotus sic magnus bis ponitur hic, ut per hoc innuat Joannes, quantitatem modum excedere. Excedet enim omnes qui ante fuerunt, quia universalis erit. Alii qui præcesserunt particulares. Unde Matth. XXIV, *Erunt terræmotus magni per loca*. Illius autem motus naturalis non erit causa naturalis, sed voluntaria. Non enim possibile est quod secundum naturam fiat motus terræ universalis, sed particularis. Sicut qui fit ex grosso fumo incluso in aliqua parte terræ, qui cum exire cogatur natura impellente non habens respiraculum facit terræmotus, sicut patet in castanea. Alia quæ sequuntur usque ad finem capituli, non recipiunt varias expositiones. Ideo revertamur ad totum moraliter, et totum ad nostram instructionem exponamus juxta hoc quod diximus. Per septem Angelos, prædicatores significantur, qui debent esse septem. Qui debent habere septem dona, septem virtutes, septem sacramenta, septem dotes, septem tribulationes, de quibus dicitur Job. V, *In sex tribulationibus liberavit te, et in septima non tanget te malum*. Iidem significantur, per septem mulieres, de quibus Isa. IV, *Apprehendent septem mulieres virum unum*. Et bene dicuntur mulieres, quia molliunt herum, idest animum superbum. Vel septem ordines, vel septem pœnarum notitiam ad eam detestandam. Hos septem septenarios omnes debent habere prædicatores ; et ideo sub numero tali designantur. Qui dicuntur Angeli. Primo per sanctimoniam cordis et corporis. Unde Matth. XXII, *In resurrectione, neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*. Unde in veteri lege sacerdotes balteo cingebantur circa pectus et femoralibus : per primum significatur castitas cordis. Per secundum sanctimonia corporis. Et hoc dicitur Exod. XXVIII, Sic etiam sacerdotes evangelici cinguntur uno quidem amictu qui descendens per collum in corpore cancellatum, et per humeros ductum, postea ante pectus reducitur, ut ibi ligetur : per quod ostenditur sanctimonia cordis, quam debent habere. Per amictum enim significatur fides, quam sub velamine vident. Sicut dicitur I Corinth. XIII, *Videmus nunc per speculum in ænigmate*. Per ligulas significantur duæ partes fidei. Quia de duobus tantum est fides ; scilicet de humanitate et divinitate, in corde, et ore per confessionem. Quod significatur, quod ligulæ per collum ducuntur, et supra pectus adinvicem conjunguntur. Quod autem ducuntur per humeros ligulæ illæ, et dependent super umbilicum, significa-

tur, quod fides operatur in illo quasi... Unde Isa. xi: Erit fides cinctorium renum ejus. Item alia cingendi... renum, quæ alia constringitur ne defluat ad terram: per hoc significatur castigatio corporis, quam facit perpetualis justitia, sicut dicit Isa. xi: Erit justitia cingulum lumborum ejus. Quæ etiam prohibet... ne defluat ad terram: per hoc significatur castitas, et colligat omnes partes... Secundo dicuntur Angeli, propter contemplationem, et administrationis officium, quod simul habent. Nam secundum quod vident in contemplatione vultum Patris, ... mittuntur in administrationem. ... Matth. xviii: Angeli semper vident faciem ejus. Glossa dicit: « Angeli quocumque mittantur, nunquam a Dei contemplatione recedunt. » Sic prædicatores debent implere in contemplando, quod postea doceant prædicando. Sic primo dictum est Moysi, Exod. xxv: *Inspice, et fac secundum exemplar, quod monstratum est tibi in monte.* Unde, et sacerdotes legales induebantur tunica hyacinthina, quæ cœlestem habet colorem, et Evangelii sacerdotes casula induuntur, quæ ex omni parte est rotunda, in medio medium habet apertum, per quod caput mittitur, unde significatur exterior contemplatio. Quod autem caput velatum egreditur amictu, et significatur, quod contemplatio fide regitur. Tertio, propter sedulam custodiam hominis commissi. Psal.: *Angelis suis mandavit de te.* Sic prædicatores sedulti debent esse in custodia Ecclesiæ sibi commissæ. Cant. iii: *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*. Isa. lxii: *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.* Quarto per officium nuntiandi. Angelus enim idem est, quod nuntius, sive missus. Hebr. i: *Omnes sunt administratorii spiritus* etc. Item de prædicatoribus dicitur in Psal.: *Qui facit Angelos suos spiritus.* Malach. ii: *Labia Sacerdotis* etc. Ideo dicitur Rom. x: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Septem ergo Angeli sunt prædicatores universi, septem habentes septenarium prædictum ad bene vivendum et prædicandum. Septem phialæ sunt prædicationes et doctrinæ eorum inferius ad terrena clausæ,

superius ad cœlestia apertæ. Septem loca, ubi effunduntur phialæ, sunt homines universi, secundum numerum septem dierum, septem virtutum ... et vitiorum debellandi. Johannes autem in persona Ecclesiæ, vel cujuslibet fidelis, vel etiam sua, loquens, dicit: *Audivi vocem magnam de templo*, idest inspiratione ... ab eo ... a Deo ... *Angelis*, idest prædicatoribus universis. *Ite* non tantum pedibus corporis, sed etiam pedibus mentis, qui sunt intellectus et affectus. De quibus Cant. vii: *Quam pulchri sunt pedes tui in calceamentis, filia principis!* idest sanctorum exemplis, scripturarum testimoniis, o anima fidelis. *Septem phialas iræ Dei, quas effudit in terram.* Idest prædicavit contra gulam, quæ dicitur terra, propter cibum et fimum continuum. Proverb. xxx: *Tria sunt insatiabilia: infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua*: idest voluptate vel gula. Num. xiii: *Terra quam lustravimus devorat habitatores.* Et *factum est vulnus sævum, ac pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus*, qui vivit ad similitudinem bestiarum, omni hora sine discretione potationi et bibitioni et comessationi vacando, ventri suo serviendo, ut Deo, immo plusquam Deo. Quia plus laborant ut faciant voluntatem ejus, quam Dei. Unde Rom. xvi, dicitur de hujusmodi: Christo Domino non serviunt, sed suo ventri. Philipp. iii: *Multi ambulant quos sæpe dicebam vobis, et nunc flens dico, inimicos crucis, quorum Deus venter est.* De his dicitur in canonica Judæ: *Hi sunt in epulis suis, male convivantes.* In hoc fit *Vulnus sævum, ac pessimum*, quando pro gulæ vitio, gehennæ supplicium pronuntiatur. Est autem vulnus continui divisio: et quanto partes continui magis sunt sibi consertæ, tanto divisio earum facit gravius vulnus. *Sævum* ergo *vulnus* est in separatione a deliciis, quibus per amorem nimium adhæserunt. Sed *pessimum* erit *vulnus*, quando non solum deliciis carebunt, sed etiam cruciatus perpetuos sustinebunt. Unde Isa. lxv: *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis* etc. Prima ef-

fusio phialæ, est contra peccatum gulæ ; et hoc est quasi fomes aliorum. Unde super Matth. IV, Ubi agitur de tentationibus Christi, dicit *Glossa*. In pugna Christi primum contra gulam agitur : quia nisi prius refrenetur, frustra contra alia vitia laboratur. Et alia *Glossa* dicit, quod diabolus victus de gula, non tentat de libidine. Committitur autem hoc vitium quinque modis, ut dicit *Glossa super* Gen. xxv, ubi Esau vendidit primogenita sua. Primo quando quis sine causa necessaria prævenit comedendo, sicut legitur de Jonatha I Reg. XIV. Horam debitam comedendi, credimus esse tertiam, quando non jejunatur ; propter illud Actuum II, *Non sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia :* quasi dicat Petrus, qui hoc dixit : Non est credibile, quod hi biberunt et comederunt, quia non transiit hora tertia Quando autem jejunatur, credimus, horam post sextam ; quia tunc transiit medietas diei, et tunc fuit Dominus noster Jesus Christus crucifixus, et tunc legitur sitisse. Omnes illi, qui hoc modo peccant, incurrunt in illam maledictionem, de qua dicitur Eccles. x, *Væ terræ cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt.* Terra, ut diximus, caro est, rex est ratio, quæ debet eam regere ; principes sunt quinque sensus, qui mane comedunt, quando horam præveniunt. E contrario vero illi, qui expectant horam, benedici merentur. Unde dicitur ibidem, *Beata terra, cujus rex nobilis*, etiam *cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, non ad luxuriandum.* Hoc dicit, quia multi, licet horam expectent, tamen nimis comedunt. Secundus modus est, quando nimis pretiosa, aut nimis deliciosa, quis affectat comedere vel bibere, ut dives epulo. De quo dicitur Luc. XVI, quod *epulabatur quotidie splendide :* et filii Israel in deserto æstuarunt desiderio carnium, ut legitur Num. XI. Contra quos dicit Joannes : « Non sit tibi curæ ex quibus deliciosis cibis stercora conficias. » Seneca ; « Palatum tuum fames excitet, non sapores. » Joel I, *Ululate, qui bibitis vinum in dulcedinem, periit de ore vestro.* Tertius modus est, quando quis in nimia quantitate comedit aut bibit, sicut Sodomitæ. De quibus dicitur Ezech. XV, *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia et otium.* De hoc dicit Eccl.: *Pluvia quæ sensim descendit optima est : subitus autem et nimius præceps imber, arva subvertit*, sicut nimius cibus nocet. Unde Dominus dicit Luc. XXI, *Attendite ne graventur corpora vestra crapula et ebrietate*, idest nimia cibi vel potus repletione. Quartus modus est studiositas præparandi laute. Hoc modo peccaverunt filii Eli, I Reg. II, Qui carnes crudas a populo accipiebant, ut lautius sibi facerent præparari, contra legis consuetudinem. De hoc dicit Isidorus, « tota die epulas ruminant ad explendam gulam, vespere delitias præparant.» Quintus modus est quando nimis ardenter et avide comedit et bibit, ut Esau, Genes. XXV. Contra quos dicitur Eccles. XXVIII, *Noli esse avidus in omni epulatione.* Augustinus ; « Melius est piscibus vesci more Domini, quam lenticula more jumenti. » Beatus Bernardus ; « Quanto ordinatius cibus ingreditur ad sanitatem corporis, tanto facilius digeritur. » Hi quinque modi notantur his versibus.

Est certum quod quinque modis gula damnat [edaces.
Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.
Mel Jonathæ, carnes populi, panis Sodomitæ.
Lens Esau, Phinees arguit olla gulam.

Hoc vitium in præsenti multa mala facit ubique. Primum est, quod luxuriam facit, vel gignit, et nutrit. Jerem. V, *Saturavi eos, et mœchati sunt.* Hieronymus : « Venter mero estuans, facile in luxuriam solvitur. Vicina enim sunt venter et genitalia, et pro vicinitate membrorum sequitur confœderatio vitiorum. » Secundum malum est, quod claustrum animæ, idest virtutes destruit. Unde Levit. IV dicitur, Quod Nabuzardan princeps Cocorum, destruxit muros in Jerusalem. Interpretatur autem Nabuzardan profanans paleas : hic est venter, qui cocus est omnium membrorum, et tota die et nocte profanat paleas, idest cibos carnales, qui cito consumentur, ut palea. Hieronymus : « Per luxum et abundan-

tam voluptatem sentit delectabiliter, et ejus pœnitentia constipatur? Tertium malum est, quod non solum est, sed etiam corpus inquinat. Unde Petrus loquens de gulosis, II Petr. II, *Hi velut irrationabilia pecora in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem etc.* [illegible] Quartum est, quia non solum inquinat, sed occidit animam et corpus simul. Ad litteram. Multi per gulam incurrunt infirmitatem, de qua moriuntur. Eccles. XXXVII, *Multi propter crapulam perierunt: qui autem abstinens est adjiciet vitam.* Job. I, *Filii et filiæ ejus comedentes et bibentes etc.* Psal. *Ecce in iniquitatibus etc.* Quintum malum est quod depauperat. Unde Proverb. XXI, *Qui diligit epulas in egestate erit.* Sextum est, quod omnia secreta revelat. Unde Prov. XXXI, *Nullum secretum, ubi regnat ebrietas.* Horatius: «Quid non ebrietas designat?» Noe per ebrietatem nudavit femora sua, quæ per centum annos per sobrietatem celaverat. Eccles. XXXI, *Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superborum arguet, in ebrietate potatum.* Unde Versus:

Luxuriam gignit, virtutum robora sternit,
Inquinat, et perdit, depauperat, omnia pandit.

Sequitur. *Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare*, idest secundus prædicavit contra luxuriam, quæ maris nomine designatur, propter fœtorem, propter fervorem, propter amaritudinem, propter multitudinem. De quo dicit Joel. I, *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Ubi Gregorius: «Jumenta putrescere in stercore suo est vitam in fœtore luxuriæ finire.» Psal. *Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ*; idest ferventes, et immundi. De quibus dicitur Osee VII, *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente*, idest a diabolo. Eccles. IX, *Multi speciem mulieris alienæ admirati, reprobi facti sunt: ex hac enim concupiscentia quasi ignis exardescit.* Hieronymus: «Flammigero igne pervolat femina conscientiam pariter habitantis.» Proverb. VI, *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo etc.* De tertio Proverb. V, *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara, quasi absynthium.* Eccles. VII, *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venantium est*, idest dæmonum. De quarto dicitur [illegible] *[illegible] et sagena ejus, quæ [illegible] magnos et parvos.* Abacuc I, *Facies homines, sicut pisces maris, et quasi non habens principem; in hamo sublevabit, et traxit illum in sagena, et congregavit in rete suo.* Augustinus: «Efficacissimum glutinum est mulier ad capiendas animas.» Hieronymus: «Si cum viris habitent feminæ, viscum non deerit diaboli etc.» Unde de hoc mari dicitur Gen. XIV, *Convenerunt in vallem silvestrem, quæ nunc est mare salis.* Hujus autem peccati, scilicet luxuriæ, quinque sunt species. Prima est simplex fornicatio. Secunda adulterium. Tertia stuprum, idest defloratio virginis. Quarta incestus, idest consanguinearum vel affinium abusus; sub qua specie comprehenditur luxuria claustralium sive hominum, sive mulierum. Quinta luxuria contra naturam, quæ fit multis modis, scilicet cum vir in virum, vel femina in feminam, vel aliquis vel aliqua in seipsum, vel cum bestiali modo vir accedit ad feminam. Vel cum mulier supergreditur virum, vel cum semen extra vas naturale effunditur, sicut fecit Her filius Judæ. Genes. XXXVIII, *Et idcirco percussit eum Dominus eo quod rem detestabilem faceret.* Hoc peccatum quinque mala facit. Primo inquinat, sicut gula, imo plusquam gula: propter quod dicitur Corinth. VI, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo etc.* Quia illud destruit et polluit. Eccles. IX, *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus conculcabitur.* Secundo irretit hominem ita ut vix possit reverti ad Deum per pœnitentiam. Prov. VII, *Considero vecordem juvenem qui transit per plateas, et ecce mulier occurrit ei ornatu meretricio præparata ad decipiendum animas, garrula et vaga, quietis impatiens, Apprehensumque juvenem deosculatur et procaci vultu blanditur et irretivit eum multis sermonibus, et quasi bos ductus etc.*

Oseæ III, *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationis est in medio eorum.* Ideo ille qui fuerat invitatus ad nuptias respondit, *uxorem duxi*. Luc. XII. Tertio facit contemnere prædicationem et omnem admonitionem. Unde Eccles. XXI, *Audiet luxuriosus et displicebit et projiciet illud post dorsum suum.* Quarto sapientem infatuat. Unde Eccles. x. *Ne zeles mulierem fratris tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam*, idest ne te infatuet, sic patet in Salomone, Jacob. Non est uxor ducenda sapienti : primum quidem impediuntur studia prophetiæ. Non potest quisquam libris et uxori pariter inservire, Eccles. XIX, *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Quinto homines facit similes bestiis. Psalm. *Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus etc.* Hieronymus : « Qui post carnis concupiscentias in desideriis ambulant, in ventrem et libidinem proni, quasi irrationabilia jumenta reputantur. » Propter quod dicit Psalm. *Nolite fieri etc.* Jerem. v, *Equi amatores in feminas et emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem suam inhiabat.* Unde Versus.

Inquinat, irretit, doctrinæ pabula spernit.
Doctos infatuat, homines animalibus æquat.

Sequitur. Et *factus est sanguis tamquam mortui.* Hoc dicit, quia sicut a morte nullus regreditur, nisi miraculose, ita et a peccato luxuriæ. Rom. VIII, *Prudentia carnis mors est*, Prov. XXIII, *Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus aliena.* Unde vix poterit aliquis exire, et tamen de facili potest quilibet cadere. Unde sequitur ibi : *quasi latro in via insidiatur, et quos incautos viderit interficiet.* Et *omnis anima vivens mortua est in mare.* I. Timoth. v, *Vidua in deliciis vivens mortua est.* Eccles. IX, *Propter speciem mulieris multi perierunt.* Et sequitur. *Et tertius Angelus effudit phialam suam super flumina et super fontes :* idest tertio loco contra iram prædicant. Per flumina enim et fontes aquarum iracundia designatur propter motum impetuositam. Nam sicut flumen decurrens si obstaculum inveniat, impetuosius currit et totum frangit, sic motus iræ. Unde Eccle, IV, *Noli resistere contra faciem potentis ne corruat contra incertum fluvii.* Dicitur autem motus iracundiæ fons, dum stat in corde : effluit in fluvium, dum exit in verbum vel in factum, propter quod dicitur Eccle. XXV, *Ne des animæ tuæ exitum, nec ad modicum, nec mulieri nequam* idest iræ, *veniam prodeundi.* Notandum est autem, quod est duplex ira. Una bona, et alia mala. Bona ira, qua homo irascitur vitiis et peccatis, tam suis quam alienis. Alia dicitur ira per zelum. De qua dicitur Eccle. VII, *Melior est ira risu.* Ira mala est qua homo irascitur homini : quæ quatuor habet species sive gradus. Primus gradus sive prima species subita, sive subitus motus. Vel ante consensum, et deliberationem rationis ; et est venialis. De qua potest intelligi uno modo illud Psal.: *Irascimini nolite peccare etc.* Ibi *Glossa* : « idest si motus animi surgit, quod non est in potestate nostra, non consentiat ratio. Venialis enim ira est, quæ non ducitur ad effectum. » Secunda species sive secundus gradus est, quando cum consensu et deliberatione tamen adhuc latens in corde, non exit foras ad verbum vel factum, et hæc est mortalis. De qua dicitur Matth. v, *Qui irascitur fratri suo etc.* Tertius gradus est quando ira deliberata procedit a corde usque ad verba contumeliosa, vel facta injuriosa ; et tunc majus peccatum est. Et de hac dicitur Matth. v, *Qui autem dixerit Racha etc.* Quartus gradus est ira inveterata, qui dicitur odium : quam prohibere videtur Apostolus Ephesior. IV, ubi dicit : *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Augustinus : « Ne ira crescat in odium etc. » I Joan. IV, *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et hæc ira quinque mala facit. Primum est, quod rationem obnubilat et pervertit. Unde Job. XVIII, *Caligavit ab indignatione oculus meus.* Psalm.: *Turbatus est a furore oculus meus.* Cato :

Impedit ira animum etc. Et sic infamat ira rationem. Unde Gregorius *super Job* I, « Virum stultum interficit iracundia. » Dum per iram mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitia-

tur. Proverb. xii, *Fatuus statim indicat iram suam.* Secundum est, quod decurtat vitam. Unde Eccli. xxx, *Zelus et iracundia minuunt dies.* Tertium est, quia jurgium et litem generat, et per hoc pax turbatur, et Spiritus sanctus contristatur. Unde Proverb. xxvi, *Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic vir iracundus suscitat rixas.* Eccli. xxviii, *Homo iracundus incendit litem etc.* Ephes. iv, *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Gregorius: « Dum ira animum pulsat, Spiritus sancti suam habitationem turbat. » Quartum est, quod non potest esse in societate, quia omnes fugiunt ejus societatem. Eccli. viii, *Cum iracundo non facias rixam, et cum audace non eas in desertum; quoniam quasi nihil est ante eum sanguis.* Prov. xxvii, *Ira non habet misericordiam.* Et infra, *impetum ejus quis ferre poterit?* Quasi dicat, *nullus.* Quintum malum est quod ira est via et janua ad omne malum. Unde Augustinus super *Leviticum* : « Ira est janua omnium vitiorum, qua clausa virtutibus patet ingressum, aperta vero in omne facinus armatur. » Proverb. xxix, *Vir iracundus provocat rixas etc.* Versus :

> Conturbat, vires enervat, gaudia pellit,
> Ira ligat mentem ne cernere possit.

Et factus est sanguis, idest pœna pro effusione sanguinis. Justum est enim, ut sicut ita effundit sanguinem in culpa, ita effundatur sanguis ejus in pœna. Nomine enim sanguinis, et culpa et pœna intelligitur. Unde Osee iv, *Sanguis sanguinem tetigit,* idest culpam pœna. Respondet Dominus Petro Matth. xxvi, *Omnis enim, qui gladium acceperit, gladio peribit.* Hoc etiam dicit *Glossa;* Similiter hic demonstratur pro sanguine, quem fuderunt corporaliter vel spiritualiter. Similiter dicit quod supra in effusione secundæ phialæ, ubi agitur contra luxuriam, similiter determinatur pœna ejus per sanguinem sicut hic pœna iræ : et satis convenienter fit hoc, quia in utroque peccato est commotio sanguinis, sed tamen differenti modo. Nam in peccato luxuriæ est commotio sanguinis delectabilis ; in peccato iræ est commotio sanguinis contristabilis. *Et audivi Angelum aquarum,* idest Angelum custodem populorum. Infra xvii, *Aquæ multæ populi multi.* Vel Angelum aquarum, id est expositorem seu revelatorem Scripturarum. Isa. lv, *Omnes sitientes, venite ad aquas.* Vel Angelum aquarum, idest motorem seu datorem lacrymarum. Joan. v, *Angelus Domini secundum tempus descendebat in piscinam etc.* Angelum aquarum, idest datorem et conservatorem gratiarum. Joan. vii, *Qui credit in me, flumina de ventre ejus etc. Dicentem,* collaudandum ostendendo justitiam divinam, quæ bonos sanat et salvat, et malos condemnat. *Justus es Domine,* ut nec prece, vel pretio flectaris a rectitudine æquitatis. Psal. : *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Psalm : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Qui es,* æternaliter, et ideo immutabiliter. Jacob. i, *Apud quem non est transmutatio etc.* Exod. iii, *Ego sum qui sum, Qui eras,* sine principio, et ideo æternaliter. Non dicit, Qui fuisti, ne esse ejus terminatum sive præteritum putaretur. Sed dicit, *Eras,* quod est præteritum imperfectum, ut per præteritum ostendatur fuisse, et per imperfectum ostendatur non præteriisse, nec finitus esse. Ideo dixit Joan. i, *In principio erat Verbum,* non, fuit Verbum. Similiter Prov. viii, *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram,* idest genita, et apud eum manens, ut proles apud concipientem, *sanctus,* ab omni sorde alienus. *Quia hoc judicasti,* tuos misericorditer liberans, et malos potenter condemnans : et merito : *Quoniam sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem dedisti eis bibere,* ut digni erant, idest pœnam æternam reddidisti eis, pro eo, quod sanguinem sanctorum effuderunt. Deut. xxxii, *Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum ulciscetur ; et vindictam retribuet etc. Et audivi alterum Angelum dicentem etc. Etiam Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua.* Hoc secundum testimonium introducitur ad majorem confirmationem justitiæ Dei : et possunt per hos duos Angelos perhibentes testimonium intelligi duo Testamenta, quæ sine aliqua dubitatione testificantur de ipso. *Et quar-*

tus Angelus effudit phialam suam in solem. In quarto loco prædicavit contra gloriam inanem sive contra inaniter gloriantes qui per solem designantur, propter claritatem et sublimitatem, quam tales appetunt in hoc mundo non in cœlo. Unde Job v, *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem recipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis? ego claritatem ab hominibus non accipio.* Luc. xii, *Nolite in sublime tolli. Hæc enim omnia gentes quærunt.* Job. xxxi, *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et lætatum est in abscondito cor meum : et osculatus sum manum meam ore meo : quod est iniquitatis maxima, et negatio contra Deum altissimum.* Ibi *Glossa.* « Sol in fulgore est opus manifestatione. » Solem igitur fulgentem Job non vidit, quia cum opus suum aliis luceret ad exemplum, hoc ad præsumptionis gloriam sibi erat absconditum. *Lunam clare incedentem*, Fama de bono opere veniens : nec hanc vidit Job, quia cum bonum diceretur de eo, non attendit; contra hoc manum osculatur, quando malum, quod provenit ex vana gloria sive ex superbia monstratur. Hoc autem est unum et summum malum, quod ex superbia provenit ; quod non omne quod invenit, perdit ; et quod non invenit, ne inveniat impedit. De primo dicit Beatus Bernardus : « Superbia, sive jam existens, sive non : semper causa est subtractæ gratiæ. » Gregorius : « Sicut humilitas omnia vitia enervat quasque virtutes colligit et roborat, sic superbia virtutes destruit et enervat. » Augustinus : « Cum cetera vitia in malis operibus exerceentur ut fiant, sola superbia in bonis operibus insidiatur ut pereant. » Zozimus ; « Cum bene pugnaris, cum cuncta subacta putaris quæ magis infestat vincenda superbia restat. » Et alius : « sit tibi gratia, sit sapientia, formaque detur. Sola superbia destruit omnia si comitetur. » De secundo dicitur illud : « tumor infusa repellit. » Unde quidam dixit Alexandro, qui valde superbus erat ; Deus præsto est tibi dare sapientiam, sed non habes ubi recipias eam. Secundum malum quod facit æque magnum est : quia origo omnis peccati. Sicut dicit Gregorius : « regina est omnium peccatorum : et ideo vix vadit sola, sed multis vitiis comitatur. » Unde Eccles. x, *Initium omnis peccati superbia : qui tenuerit illam adimplebitur maledictis; Glossa :* idest vitiis. Beatus Bernardus ; « initium omnis peccati et totius perditionis superbia est. » Propterea quisquis es qui salutem tuam operaris, studeas adversus hanc, super caput tuum cornu crucis habere memento, ut non eleveris in superbia. Tob. iv, *Superbiam nunquam in tuo sensu aut animo dominari permittas. In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* De his duobus malis generalibus superbiæ dicitur in Versu :

Crimina cuncta parit, virtutum germina perdit.

Præterea aliud malum facit spirituale, quia semper depauperat dominum suum. Unde Eccle. xxi, *Objurgatio et injuriæ annullabunt substantiam : et domus quæ nimis est locuples annullabitur superbia.* Præterea aliud malum facit, quod vix et raro sanatur vitium superbiæ, quia nescit se humiliare superbia, et sine humilitate non est salus. Unde Eccle. iii, *Synagogæ superborum non est sanitas.* Frutex enim peccati eradicabitur in illis. Præterea aliud malum facit, quia ubicumque sit, semper facit contentiones et rixas. Proverb. xvii, *Labia stulti miscent se rixis, os jurgia provocat.* Stultus dicitur quasi stans altus ; et hic superbus. Proverb. i. *Qui se jactat, et dilatat, jurgia gignit.* Propter hæc, et alia multa mala, quæ facit superbia, dicitur Eccle. x, *Odibilis coram Deo, et hominibus superbia.* Sequitur, *Et datum est illi*, Angelo malo scilicet *affligere homines :* superbos sive vana gloriosos, *Æstu* ambitionis, tempore prosperitatis, et *Igne* iracundiæ tempore adversitatis. Hoc enim est proprium superborum, ut tempore prosperitatis semper sint ambitiosi, et adversitatis tempore iracundi. Vel æstu, elationis cum laudatur. Igne confusionis cum vituperatur. Proverb. xvii, *Semper jurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum. Et æstuaverunt homines æstu magno.* Quidam : æstu ambitionis, cum bene succedit eis. De primis dicitur Nahum iii,

Comedunt per quam locustæ, et pungunt per quam locustæ locustarum, quæ consident in sepibus in die frigoris : sol ortus est, et avolaverunt, quam supplicuerunt. De secundo dicitur Jonæ iv, *Percussitque sol super caput Jonæ, et æstuabat, et petivit animæ suæ, ut moreretur. Et blasphemaverunt nomen Dei*, sibi appropriando quod solius Dei est. Vel correcti magis nocere, quod nimirum proprium est superborum contemptum. Psalm. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit*. Quia superbia non vult par esse sociis, sed semper præesse. Unde quidam expresse satis bene describit dicens : Homo superbus iracundus est, habitu superfluus, incessu pomposus, cervice erecta, facie torva, trucem oculis, de loco superiori incertans, omnibus se præferri affectat, sententias suas ex verbis et facto jactat, et reverentiam in obsequio suo observat. Sed ne putetur quod Deus peccatum superborum relinquat impunitum, ideo addit, *Habentis potestatem super has plagas* : ut quando voluerit irrogare possit superbis. Psalm. *Dissipa superborum fortitudinem*. Eccli. x, *Radices gentium superbarum arefecit Deus*. Isa. ii, *Incurvabitur omnis sublimitas. Neque egerunt pœnitentiam*. Quia vix pœnitet quis de peccato superbiæ, ut supra diximus. Unde Gregorius : « Difficile est valde vitare peccatum, quod etiam de victoria nascitur vitiorum. » *Ut darent illi gloriam*, quod faciunt pœnitentes. Josue vii, *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel*. Hanc gloriam auferunt superbi Domino, quia nolunt confiteri defectus suos. *Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ*, idest quinto loco prædicavit contra invidiam, quæ sedes est diaboli proprie. Unde Isa. xiv, *Sedebo in monte Testamenti*. Mons Testamenti est superbia scientiæ. Latera aquilonis sunt invidiæ dediti, frigidi, nil de igne vel calore charitatis habentes. Super sedem ergo bestiæ phialam effundere, est contra invidiæ vitium prædicare, et quantum noceat demonstrare. Ex hoc, quasi ex radice corrupta, nascitur fere omne vitium. Primo ipsa excæcat quantum in se est. Unde Job v, *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie*. Ubi dicit *Glossa* Gregorii : « Cum mens se alterius melioratione affligitur, quasi a solis radio obscuratur. » Item, « Invidi, debent perpendere quantæ sint cæcitatis, qui alieno profectu deficiunt, aliena lætitia tabescunt : quantæ etiam infelicitatis sint, qui meliorationes proximi deteriores fuerint. Qui igitur invidiæ peste carere desiderant, illam hæreditatem appetant quam hæredum numerus non angustat, quæ omnibus una est, et singulis tota. Debuerantque invidi in omni civitate oculos habere, ut felicitate omnium torquerentur. » Secundum malum est quod primo subjectum proprium cruciat quam alii noceat. Hoc est, primo sibi, quam alii nocet. Unde Hieronymus : « Invidia primum sui mordax est. » Suetonius : « Invidus omnino medullitus æstuans, a semetipso livoris proprii semper exigit pœnas. » Tullius : « Nunquam melius torquebis invidum, quam virtuti et gloriæ serviendo. » Socrates : « Quanta felicium gaudia sunt, tanti invidorum gemitus. Felicitas enim semper subjecta est invidiæ. Sola miseria caret invidia. » Tertium malum est, quod facit hominem imitatorem diaboli, Sap. ii, *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ex parte illius sunt*. Quartum malum est, quod non habet finem. Unde Cyprianus : « Zelus finem non habet, cum cetera finiantur : quanto quo ille cui invidetur successu meliore profecerit, tanto invidus successu, et ignibus incendii livoris exardescit. Huic vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, et tremor in labiis, stridor in dentibus, verba rapida, effrenata cervix, manus ad violentiam prompta ; quæ etsi interdum gladio vacet, odio tamen furibundæ mentis armata est. » Gregorius : « Cum per omne vitium antiqui hostis virus infundatur humano cordi, in peccato invidiæ tota viscera sua serpens concutit. Hæc dejicit in omnia vitia : hoc est, quod magis cruciat subjectum proprium. » Unde Horatius :

Invidia Siculi non invenere tyranni

Sap. xvii, *Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem*. Semper enim præsumit sæva perturbatio, et perturbata conscientia. Proverb.

xiv, *Putredo ossium invidia*. Multa alia mala facit invidia : sed hæc modo sufficiant. Sequitur : *Factum est regnum ejus tenebrosum*. Regnum diaboli invidi sunt, in quibus specialiter regnat : sicut dictum est : qui tenebrosi recte dicuntur, quia bona aliorum tenebræ eorum sunt, sicut satis dictum est. *Et commanducaverunt linguas suas* adinvicem, detrahendo. Detractio enim filia est invidiæ, ut dicit Gregorius, præ dolore, quod habet invidus de felicitate aliorum. Unde Horatius.

Invidus alterius marcescit rebus opimis.

Ideo per bufarios designantur invidi, qui moriuntur de odore florentium vinearum. Unde et Apostolus dicit II Cor. II, *Christi bonus odor sumus, aliis quidem odor mortis etc. Et blasphemaverunt nomen Dei cœli*, præ doloribus, et vulneribus suis, *Glossa*, « Quæ ipsi sibi ipsis fecerunt, commanducatione linguarum. Inter invidos enim pugna continua : unus alium detrahendo sagittat et vulnerat. » Hieronymus ; « Omnes adulteri sunt cœtus prævaricatorum, extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis, confortati sunt etc. » Unde serpenti comparatur detractor Eccle. x, ubi dicitur, *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui detrahit occulte*. Et satis convenienter comparatur serpenti detractor. Serpens enim semper portat venenum in lingua, et occulte mordet, et tortuose incedit. Unde venenosus est, et perniciosus, et tortuosus. Sic detractor perditor est, quia illos mordet retro, quibus in facie ridet, et blanditur etiam : tortuose incedit, quia a laude incipit, et in vituperium finit orationem, Isa. xxvii, *Visitabit nos Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum*. Et homines assueti detractioni, vix corriguntur : ideo subditur : *Et non egerunt pœnitentiam de operibus suis*. Unde Eccle. xxiii, *Homo assuetus verbis improperii, omnibus diebus vitæ suæ, non emendatur*. Beatus Bernardus : « Numquid vipera est lingua quæ tres inficit flatu uno : scilicet detrahentem, audientem, quando libenter audit et consentit, et eum de quo detrahitur, quando pervenit ad audientiam ejus. » Ideo beatus Bernardus dicit alibi : « Gladius triceps lingua detractoris : hujus linguam mucrone illo, quo dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere compellaris. Fodit enim corpus, non jam exanime, sed facit exanime. » Proverb. xxx, *Generatio quæ pro dentibus gladios habet*.

Unde significatur detractor, Dan. vii, per bestiam similem urso : et habebat tres ordines dentium, qui sunt tria genera detractionum. Primum est aperti boni minutio. Secundum aperti mali ampliatio. Tertium falsi criminis impositio. Prov. xxv, *Jaculum et gladius, et sagitta acuta ; homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphraten*. Sexto loco contra avaritiam prædicavit, Euphrates enim crescens vel frugifer seu pulverulentus interpretatur. Unde significat avaritiam, sive cupiditatem, quæ semper fructificare vult et crescere in pulveribus, idest in terrenis rebus : sed tamen fluunt semper, quia Euphrates flumen est. Psalm. : *Divitiæ si affluant etc.* Quia sicut aqua fluminis defluente non remanet nisi lutum, ita divitiis crescentibus, non remanet nisi peccatum. Unde Eccles xxvii, *Si in percussura cribri remanebit pulvis, sic opera hominis in cogitatu illius*. Ideo dicit Habacuc ii, *Væ ei qui multiplicat non sua usquequo et aggravat contra se densum lutum*. Est ergo phialam in flumen Euphratem effundere contra avaritiam prædicare : quæ tantum malum est, quod etiam lutum potest eam accusare. Unde dicit Hieronymus ; « Hanc maledicunt prophetæ. » Unde Habacuc ii, *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ*. Item Isa. v, *Domum ad domum*. Item Amos vi, *Væ qui opulenti estis in Sion*. Et non solum propheta, sed etiam prophetarum Dominus dicit, Luc. vi, *Væ vobis divitibus*. Jacob. v, *Agite nunc divites, plorate et ululate in miseriis vestris*. Apoc. viii, *Væ, væ, væ habitantibus in terra*. Augustinus : « Væ illis qui vivunt ut augeant res perituras, unde æternas amittent breviter. » Omnes maledicunt dispensatorem avarum, cujus dominus

dives et largus est : talis est omnis avarus ; et ideo in omnibus est maledictus. Ideo dicit Eccles. x, *Avaro nihil est scelestius*. Item, *Nihil iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua*. Unde et araneæ comparatur avarus. Isa. lix, *Confidunt in nihilo et loquuntur vanitatem ; conceperunt laborem et pepererunt iniquitatem, ova aspidum ruperunt et telas araneæ texuerunt, et telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis. Opera eorum opera inutilia*. Idem etiam dicit Isa. xxx, *Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium et non ex me, et ordiremini telam et non per spiritum meum*. Hoc autem commune malum avaritiæ est quod idololatria appellatur. Unde Apostolus Ephes. v, *Avaritia quæ est idolorum servitus*. Ibi *Glossa* : « Avaro Deus est nummus. » Matth. vi, *Non potestis Deo servire et mammonæ*. Ibi *Glossa* : « Divitiis servire est Deum negare. » Ut autem tanquam pestis mortifera fugiatur avaritia, phialam nostram plenam effundamus in eam, ostendentes quædam quæ ipsa facit omnibus habentibus et amantibus eam. Primum est, quod sollicitudinem generat, quia requiem tollit. Ut patet in divite illo, qui cum deberet dormire et quiescere, conquerebatur quod horrea sua nimis parva essent. Luc. xii. Et nesciebat miser, quod Dominus sibi multa horrea præparaverat magna et tuta, ubi posset reponere omnia sua, scilicet pauperes, qui cum multo incremento omnia redderent tempore opportuno. Ideo dicit Eccles. ii de divite : *quid proderit homini de universo labore suo et afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? cuncti dies ejus doloribus et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit*. Eccles. v, *Saturitas divitis non sinit eum dormire*. Secundum malum est turbatio cordis et totius domus. Unde Proverb. xv, *Conturbat domum suam qui sequitur avaritiam*. Tertium est perditio sui et suorum : Prov. xxi, *Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium*. Luc. xvi, *Mortuus est dives et sepultus est in inferno*. Ecce ipse Dominus immediate conjungit mortem divitis et sepulturam inferni. *Quod autem Deus conjunxit, homo non separet*. Quartum est quod gravat et deprimit. Unde Genes. ix, ubi nos habemus, *Abraham ascendit de Ægypto dives valde*, alia editio habet : « gravis vehementer. » Zach. v, *Impietas ejus super caput ejus*. Quintum est inquinatio, Osee. ix, *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Jacob. i, *Religio munda et immaculata etc*. Ibi *Glossa* : « Qui temporalia non diligit, immaculatum ab hoc sæculo se ostendit. » Sextum est inflatio superbiæ. Augustinus : « Extra plenus, intra vacuus : carne crepat, corde mendicat. » Job. xx, *Cum satiratus fuerit, arctabitur et æstuabit, et omnis dolor irruit super eum*. Isa. vii, *Requievit Syria super Ephraim*. Septimum malum est, quia facit hominem mutum. Isa. lvii, *Vitam manus tuæ invenisti propterea, non rogasti*. Gregorius : « Qui felicitatem quæsitam in terris invenit, auctorem qui tribuit non requirit. » Octavum est quod claudit introitum Paradisi. Luc. xvi, *Quam difficile est confidentes in pecuniis regnum Dei introire. Facilius enim etc*. Nonum est quia est origo et radix omnium malorum. I Timoth. vi, *Radix omnium etc*. Eccl. xi, *Si fueris dives, non eris immunis a peccato*. Decimum est, quod munitionem virtutum destruit. Habacuc i, *Super omnem munitionem ridebit, et comportabit aggerem et capiet eam*. Multa alia mala facit, sed hæc modo sufficiant. Unde Versus :

Sollicitat, turbat, perdit, gravat, inquinat, inflat,
Os mutum reddit, paradisi limina claudit,
Crimina quæque parit, virtutum mœnia frangit.

Sequitur. *Et siccavit aquam ejus*, idest temporalem abundantiam siccandam prædicando ostendit. I Joan. ii, *Transit mundus et concupiscentia ejus*, Jacob. i, *Exortus est sol cum ardore et arefecit fœnum et flos ejus etc*. *Ut præpararetur via regibus*, idest prædicatoribus ad corda eorum, siccata aqua quæ ipsos non sinebat prius transire. Isa. xix, *In die illa erit ibi via de Ægypto in Assyrios, qui interpretantur dirigentes*. Isa. xi, *Levabit Dominus manum suam super flumen in fortitudi-*

nem spiritus sui, et percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati : et erit via residua populi mei. Sed ne prædicatores hoc sibi attribuerent, Joannes ostendit, unde fiat hoc : *Ab ortu solis*, idest a Christo, qui de stella nasci voluit, idest Maria. Psalm. : *Ortus est sol* : et quotidie nasci dignatur in cordibus timentium se. Unde Malach. in fine, *Vobis timentibus nomen meum etc. Et vidi de ore draconis et de ore bestiæ et de ore pseudoprophetæ tres spiritus immundos in modum ranarum.* Draco, qui est animal sitibundum, significat cupiditatem quæ semper sitit, et nunquam potest satiari. Juxta illud Eccles. v, *Avarus non impletur pecunia.* Proverb. xxx, *Tria sunt insatiabilia : infernus et os vulvæ et terra quæ non satiatur aqua.* Tres spiritus immundi, qui de ore ejus exeunt, sunt sagacitas in acquirendo, tenacitas in conservando, providentia in dispensando. Hæ sunt tres dietæ quibus ambulatur per Ninivem, idest per mundum. Jonæ III, *Ninive erat civitas magna itinere trium dierum.* Frequenter autem contingit istud : quod divites qui sagaces sunt in acquirendo et tenaces in custodiendo, non habent providentiam in dispensando vel distribuendo, sed relinquunt illis qui male expendunt. Unde Eccles. v, *Est aliud malum quod vidi sub sole, et quod frequentius est apud homines. Vir cui Deus dedit divitias et substantiam et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit.* Et ibidem : *Est alia infirmitas pessima quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum Domini sui pereunt in afflictione pessima.* Per bestiam significatur superbia quæ omnia bona vastat. Unde Augustinus : « Omnis iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant : superbia vero bonis operibus insidiatur ut pereant. » De ore ejus exeunt tres spiritus immundi : scilicet irreverentia majorum, contemptus æqualium, oppressio minorum. Hæ sunt tres lanceæ, quibus Joab, idest inimicus, sic enim interpretatur, fodit Absalon, idest pacem patris, ut dicitur II Reg. XVII, *Superbia enim semper aufert, occidit pacem*; Proverb. XIII, *Inter superbos semper jurgia sunt.* Per pseudo-prophetam significatur caro, sive carnalis concupiscentia, cujus prophetia monstrosa. Rom. VIII. *Sapientia carnis mors est.* De ore ejus tres spiritus qui exeunt sunt lautities ciborum, mollities vestimentorum, segnities otiorum. Hæc sunt tres unciæ ferri in lancea Jesbidemob qui volebat occidere David, II Reg. XXI; ibi enim dicitur quod deficiente David, Jesbidemob qui fuit de genere Acafa, cujus ferrum hastæ tres uncias appendebat et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David. Jesbi interpretatur minæ : interpretatur etiam ablacerans; et significatur carnis concupiscentia quæ semper est nobis ablacerans rationem. Unde Rom. VII, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Tres unciæ hastæ sunt illa tria quæ prædiximus. Ensis est adinventio novitatis in saporibus, in vestibus, in lectis, et in aliis quæ sunt provocamenta malæ concupiscentiæ. Hæc tria etiam sunt tria canistra quæ portabat pistor Pharaonis, Genes. XL. Et omnes hi spiritus ranæ comparantur propter loquacitatem et immunditiam. Item tres spiritus immundi sunt tres species advocatorum, qui ut ranæ quietem et pacem Ecclesiæ turbant, qui in aquis divitiarum et luto delitiarum semper vivunt. Quidam enim falsas leges fingunt per quas veritatem impugnant. De quibus dicitur Isa. x, *Væ qui condunt leges iniquitatis etc.* Alii sunt qui veras leges male exponendo depravant, et sic decipiunt, ubi non est bonus judex. De quibus dicitur Isa. IX, *Disperdat Dominus ab Israel caput et caudam*, idest actorem et advocatum, incurvantem et depravantem. Incurvans dicitur actor qui muneribus leges male exponendo aut decurtando depravat. Tertii sunt, qui nec falsas allegant, nec veras depravant, sed per exceptiones dilatorias et appellationes frivolas causas multiplicant et dilatant et prorogant. Ita quod ante quam veniatur ad principale, præcedunt aliquando tres vel quatuor vel quinque causæ, quas ipsi per suam astutiam suscitaverunt, sine quibus poterat causa principalis bene terminari si advocati voluissent. Sed sicut medico magis

gitatione vel linguae labiorum quam loquuntur, quia tunc plus loquitur, ita adversariis loquacitas plus placet iis et contentio quam pax. De his dicitur in Psalm. *Linguae prava quia multa volunt*. Et de [illegible] hic potest intelligi illud quod dictum est supra: *Et manducabant linguas suas prae dolore*. Qui enim in lingua peccant, in lingua puniuntur atque torquebuntur, sicut dives epulo, Luc. XVI. Sap. XI, *Per quae peccavit quis, per haec et* [illegible]. Et exeunt de ore draconis, quando [illegible] peccant. Item *De ore bestiae exeunt*, quando causa laudis humanae, vel causa superbiae, quia nolunt aliquo modo vinci, causas injustas defendunt. Item *De ore pseudo-prophetae exeunt*, quando ex amore carnali haec faciunt, et ad haec facienda daemones eos incitant, quibus displicet pax et concordia. Unde sequitur, *Sunt enim spiritus daemoniorum*, tales advocati, idest daemonibus inspirati. Sicut enim Spiritus sanctus inspirat praedicatores bonos et in eis loquitur, ut dicitur Matth. X, sic spiritus malignus inspirat malos advocatos et per eos loquitur cum causas injustas defendunt. Unde minatur Dominus Isa. XIX, *Dirumpetur spiritus Aegypti in visceribus ejus, et consilium ejus praecipitabo*, [illegible] regem, quod [illegible] *et postea* [illegible] Unde Psalm. *Loquebantur pacem cum proximo suo etc.* Unde sequitur, *Et procedunt ad reges totius terrae*, [illegible], quam Ecclesiasticus, *Congregare illos in praelium*, unum contra alium. Hic seminarium aliquod proponendo [illegible] XXXVIII, [illegible]. Ex quo partes [illegible], bonum et malum, vita et mors; et [illegible] est [illegible]. De quo [illegible] autem [illegible] XXVII, [illegible] *multos* [illegible]. Tertia lingua multos commovit et dispersit illos de gente in gentem etc. *Qui respicit illam non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat.* Ex ista autem lite frequenter [illegible] et rancorem perpetuum, pars utraque adinvicem; et ex odio incurrunt damnationem aeternam. Unde sequitur, *Ad diem magnum Dei omnipotentis*, idest ad diem judicii, quoniam omnes illi, propter odium damnabuntur nisi poenituerint. Tunc adversarius qui seminavit litem non poterit eos juvare; immo et ipse nisi poenituerit, damnabitur cum illis. Jerem. XIV, *Congregabo eas sicut gentes ad carnem*. Job. XXI, *In diem perditionis malus servatur et in diem furoris ducetur*. Tempus judicii dicitur dies, quia omnia secreta erunt ibi manifesta. Dan. XII, *Consilium sedit et libri aperti sunt*, I Corinth. IV, *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus et illuminabit abscondita cordium.* Item dicitur *Magnus*, quia magna ibi fient. Quia bonis omnibus aeterna gaudia dabuntur quae magna sunt, et reprobis omnibus aeterna supplicia tradentur. Quae iterum magna sunt. Psalm. *Qui facis mirabilia magna*. Item dicitur dies, quia nihil judicem latebit. Hebr. X, *Omnia nuda et aperta sunt ante oculos judicis etc.* Item dicitur omnipotentis esse, quia nullus poterit effugere vel resistere. Psalm. *Quo ibo a spiritu tuo etc. Et ecce.* Hic ostenditur confirmatio poenae eorum: quasi dicat: Bene dico quod ad diem judicii ducentur qui cito erit. Unde sequitur, *Et ecce venit sicut fur*, idest cito et ex improviso, et ideo sequitur. *Beatus qui vigilat*, in sui custodia, ne cadat in diaboli reticula. *Et custodit vestimenta sua*, idest opera sua vel virtutes suas a macula peccati, vel perditione. *Ne nudus ambulet*, ad judicium sine veste nuptiali. *Et videant turpitudinem ejus*, idest peccata sua. Nahum III, *Revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam.* Et dicit, *custodit*, non dissipat, sicut ille prodigus *qui omnia bona sua dissipavit vivendo luxuriose* cum meretricibus. Luc. XV. Ideo dicit Eccles. IX, *Omni tempore vestimenta tua sint candida, et oleum de capite tuo non deficiat.* Osee II, *Auferat fornicationes suas a facie sua et adulteria sua de medio uberum suorum.* Et postea subdit: *nunc revelabo stultitiam ejus in oculis amatorum ejus.* Quid autem facturus sit diabolus, per illos qui procedunt ad reges totius terrae, Joannes ostendit dicens, *congregabit*, idest con-

gregabit illos, scilicet reges terræ, *In locum qui vocatur Hebraice Armageddon*, idest mons furum, per quem significatur Ecclesia. Quæ revera mons est propter continentiam virtutum in qua sita est. Sed fures plurimi habitant in ea, qui bona pauperum furantur et dant parentibus suis, vel sibi thesaurizant. Unde Isa. II. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis*, idest habitantes in ea. *Nunc autem homicidæ principes tui, infideles socii furum.* Item IX. *Vos depasti estis vineam meam, et rapina pauperum in domo vestra est.* Ibi *Glossa* Hieronymi : « Principes quoque nostri, cum pauperes peccantes publice arguant et confundant, divitibus pejora peccantibus nec nutum faciunt. » In quorum domo rapina pauperum est, dum opes Ecclesiæ sibi thesaurizant, et ea quæ dantur ad sustentationem pauperum sibi usurpant, vel suis propinquis distribuunt, et in delitiis abutuntur, et alienarum inopias suas vel suorum divitias faciunt. Ad hoc laborat diabolus, ut tales fures super montem Ecclesiæ statuat, qui res ejus quæ sunt pauperum, vel sibi retineant, vel parentibus distribuant : tales sunt omnes qui se ingerunt. Unde Joan. X : *Omnes quotquot veniunt fures sunt et latrones.* Sequitur *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem*, idest septimo loco contra accidiam prædicant : quæ ad modum aeris agitati huc et illuc circa illicita pervagatur : quia omnem creaturam reprehendendam ostendit quæ præceptum Domini sine intermissione continue peragit, licet modicam remunerationem expectet : ut patet in sole qui omni die de oriente venit in occidentem, et omni nocte redit ad orientem : et quantumcumque laborabit uno die, summo tamen mane sine murmuratione surgit alio die : et tamen non expectat talem remunerationem ex sua diligentia, vel talem pœnam ex sua negligentia, qualem homo. Et hoc respexit Augustinus quando dixit : « Indecens est christiano, si radius solis in lecto inveniat eum. » Ad hoc etiam respectum habuit Salomon, quando mittit hominem ad formicam erudiendum ab ea. Proverb. VI : *Vade*, inquit *ad formicam etc.* Et sunt quinque in hac auctoritate, quæ satis possunt confundere pigritiam hominum. Primum est parvitas formicæ quam Salomon ponit homini magistram, quod satis erubescibile est. Unde Versus :

Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores.

Secundum est quod considerat vias ejus, non viam. Vias enim vocat discursus quos facit pro uno grano colligendo : pro quo pluries vadit longe a domo. Unde satis possunt confundi quidam qui gravantur semel in septimana venire ad Ecclesiam, ad requirendum verum cibum animæ. Tertium est, quod dicitur formica non habere ducem cujus sequatur exemplum, nec præceptorem, cujus verbo erudiatur, nec principem qui remuneret benefacientem, vel puniat negligentem. Homo tamen hæc omnia habet, et adhuc pigrescit miser. Quartum est quod formica purum granum eligit quo pascatur : et homo miser pascitur spurcitia peccatorum alienorum. Proverb. XV : *Os stultorum pascitur imperitia.* Quintum est quod formica onus portat aliquando majus se : et homo modicam pœnitentiam non potest portare. Et licet hoc vitium non reputetur a paucis, tamen multa mala facit. Primo retrahit a bono. Unde Proverb. XV : *Iter pigrorum quasi sepes spinarum quæ claudit viam ad procedendum, sic pigritia* ad proficiendum. Seneca : « Turpissima jactura est quæ per negligentiam fit. » Secundo bona facta dissipat, Proverb. XVIII : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Tertio mala vitia nutrit. Proverb. XXIV : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ etc.* Quarto damnat hominem, idest est causa damnationis, sicut alia vitia, licet non videatur multis. Proverb. XI : *Manus in manum non erit innocens malis.* Luc. XIX : *Serve male et piger sciebas quod homo austerus sum etc.* Matth. XXV : Et additur in fine : *inutilem servum ejice.* Quintum malum est, quod occidit vivum. Proverb. XXI : *Desideria occidunt pigrum. Noluerunt enim quicquam operari manus ejus.* Eccles. XXII : *In lapide luteo lapidatus est piger.* Sextum malum est præsumptio ; quia cum nihil fa-

piat, tamen videtur sibi, quod melius faciat quam alii. Proverb. xxvi : *Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus sententias.* Septimum malum est quod facit egere. Proverb. x : *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat.* Item in eodem, xxi : *Cogitationes robusti, semper in abundantia.* Omnis autem piger semper in egestate erit. Octavum est quod facit varia, et quandoque contraria, velle. Proverb. xiii : *Vult et non vult piger ; anima autem operantium impinguabitur.* Nonum est, quod inducit soporem. Proverb. x : *Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet.* Et vi : *Usquequo piger dormies ? quando consurges e somno tuo ?* Decimum est, quia etiam mendicum facit. Proverb. xx : *Piger, propter frigus arare noluit etc.* Undecimum malum est, quia facit hominem luxuriosum. Unde :

> Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter ?
> In promptu causa est : desidiosus erat.

Exemplum habemus de David, II Reg. xi, qui quamdiu cum aliis se exercitavit in bello, non cecidit in peccatum luxuriæ ; quando vero mansit in palatio otiosus, cecidit in adulterium. Ezech. xvi : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ : superbia, et abundantia panis, et otium.* Duodecimum malum est torpor, sive tædium boni. Unde Proverb. xxvi : *Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lectulo suo.* Item in eodem : *Abscondit piger manum sub ascella sua, et laborat, si ad os suum converterit eam.* Tertiumdecimum malum est, quia reddit hominem timidum. Unde Proverb. xviii : *Pigrum dejicit timor ; animæ autem effeminatorum esurient.* Quartumdecimum malum est, quia facit hominem prophetare malum, et dubia interpretari in pejus. Unde Proverb. xxii : *Dicit piger : Leo est foris ; in medio platearum, occidendus sum.* Idem xxvi. Vulgo dicitur : « Servus piger est propheta. » Hieronymus : Malum est quia facit hominem maledictum a Deo et hominibus. Unde Jer. xlviii : *Maledictus, qui opus Dei facit negligenter.* Et hæc mala acediæ possunt his versibus contineri :

> Instabilem facit desipere, et facit vanum,
> Donat et somnis, pauperat, reddit egenum,
> Multivolum, sopitum, mendicum, luxuriosum,
> Torpentem, timidum, vana dicens, et maledictum.

Sequitur : *Et exivit vox magna de templo,* idest exhortatio et comminatio magna sanctorum contra septem prædicta vitia : Vox, dico, *exiens a throno,* idest a doctoribus, qui ex officio sedent in throno, idest cathedra magistrali : *Dicens : Factum est,* idest consummata est malitia mundi, ut veniat finis ejus. Gen. vi : *Finis universæ carnis venit coram me. Et facta sunt fulgura* miraculorum, *et voces* exhortationum. *Et tonitrua* comminationum. *Et terræmotus factus est magnus,* scilicet conversio peccatorum multorum. Psal. : *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ etc. Qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram.* Talis terræmotus sic magnus respicit hoc tempus præsens, in quo multi ad prædicationem modernorum prædicatorum sunt conversi ad fidem et pœnitentiam. Nam de solis Cumanis conversi sunt ad fidem, et baptizati in duobus vel tribus annis, et in modico tempore plusquam centum milia. Multi etiam de Georgianis, etiam de Barbaria, multi de Africa, multi hæretici, et quam plures de aliis partibus mundi. Nam per gratiam Dei fere ad omnes prædicatur modo Evangelium Domini nostri Jesu Christi. Potest etiam respicere hoc tempus competenter Antichristi, quando ad prædicationem Eliæ et Henoc multi de Judæis convertentur ad fidem Christi ut dicitur Malach. in fine. Sequitur : *Et facta est civitas magna in tres partes,* idest mundus divisus est in tres partes, scilicet in concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ. I Joan. ii : *Omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Vel, Tres partes dicit tria genera reproborum, qui sunt in mundo : scilicet Judæi, Gentiles et Hæretici : de quibus constat quod damnati sunt, si in illo statu decedunt. Joan. iii : *Qui non credit, jam judicatus est.* Item in tres partes, dicit, propter tres modos peccandi : per impotentiam, per malitiam, per

ignorantiam. Item Tres partes sunt relicti in agro, in lecto, et in mola. Sicut dicitur Matth. XXIV : *Duo in agro, unus assumetur, et alter relinquetur etc.* Item mali omnes dicuntur tres partes, quia peccant in Deum, in se et in proximum. Item peccant corde, ore et opere ; Zach. XIII : *Erunt in omni terra sicut domus duæ partes, et dispergentur et deficient, et tertia pars derelinquetur in ea, et ducam tertiam partem per ignem, et uram eos, sicut uritur argentum. Et civitates* gentium, idest congregationes malorum, *ceciderunt:* Primo in peccatum; Secundo in infernum. Psal.: *Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.* Psal.: *Civitates eorum destruxisti. Et Babylon magna venit in memoriam ante Dominum, dare ei calicem indignationis iræ ejus.* Babylon magna, est universitas malorum in confusione vitiorum versantium. Venit in memoria ante Deum, idest Deus recordatus est singula peccata eorum, quorum videbatur prius oblitus. In præsenti enim expectans ad pœnitentiam, dissimulare et oblivisci videbatur, quæ in fine mundi reducet ad memoriam, dum inferet vindictam. Deus enim omnibus malis, quorum peccatorum hic videtur oblitus esse, quia non punit, reddet pœnam juxta mensuram culpæ eorum ; et sic per effectum ostendet, quod non est oblitus peccatorum ipsorum. Unde Isa. XXVII, *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabit eam.* Item Isa. LI, *Bibisti de manu Domini calicem iræ ejus, usque ad fundum calicis bibisti, et potasti usque ad fæces.* Et pœnam reproborum nominat per calicem vini, ad notandum quod desperata est plaga eorum. Sicut signum est quod infirmitas sit desperata, quando vinum datur infirmo febre laboranti acuta. Vel nominat calicem pœnam reproborum, ad significandum quod dat malis pœnam mensuratam, pro delectationibus quas habuerunt in mundo. Et dicitur pœna, *Calix indignationis iræ ejus*, quasi quæ procedit ab illo indignante et irato, vel quod propinat indignans et iratus Deus. Et quia boni nequaquam damnationis impiorum erunt participes, subditur : *Et omnis insula*, idest Ecclesia sive congregatio sanctorum, et persecutionum fluctibus undique agitata, et persecutionum amaritudinum afflicta, sed non a loco suo mota, *Fugit*, hanc vindictam. Vel *Fugit*, de Babylone, idest malorum societate, ne cum eis involveretur in culpa et pœna. Isa. LII, *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*, scilicet Babylonis, *mundamini, qui fertis vasa Domini ; quia non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis.* Et *montes*, idest eminentes, in virtutibus, *Non sunt inventi*, in culpa, et non erunt in pœna. Juxta illud, *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit.* Vel *Non sunt inventi*, in consortio pereuntium, quia alieni inventi sunt a consensu malorum, vitantes consortia eorum : quorum pœnam describens ait : *Et grando.* Item *Montes*, vocat sanctos, propter vitæ altitudinem, et constantiæ stabilitatem. Et primo recipiunt lumen solis et postea diffundunt ad valles. Unde Psal. : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Item Psalm.: *Suscipiant montes pacem populo.* Quare autem non sunt inventi in culpa, subdit. Psal. : *Super montes stabunt aquæ*, tribulationum, vel lachrymarum, vel doctrinarum, vel gratiarum, quæ omnes inundant, et lavant maculam peccatorum. Et ideo, *Grando magna*, idest pœna æterna, quæ descendit, *Sicut talentum*, idest ponderosa et mensurata, *Descendit*, idest descendet *De cœlo*, idest a Christo, *In homines*, idest in omnes qui humum sapiunt. Et nota tria genera talentorum : magnum, medium, et minus. Magnum est centum et viginti librarum. Medium est octogintaduo librarum. Minus etc. Vel de medio loquitur hic Joannes, ut dicit *Glossa*, Quia peccatores in septuaginta duobus linguis, non effugient hanc vindictam. Et *blasphemaverunt homines* sic grandinati *Deum*, qui eos sic grandinat, *propter plagam grandinis*, idest quia tantam pœnam eis inflixit. In inferno enim positi, quamvis sciant se pro merito puniri, dolebunt tamen, quod Deus tantam potentiam habeat, quod eis plagas inferat : et hæc est blasphemia. Unde sequitur, *Quoniam magna facta est vehementer.* Magna quidem, quia æterna, quia acerba, quia varia. Jer. XXX, *Plaga*

nunquam permanet in, compassione caruit, propter multitudinem corporum suorum, et propter peccata sua dicit. Hic potest notari, quod mali in inferno possunt blasphemabunt, quamvis voluit se per mortis punire, sicut dictum est supra. Unde dicitur Ezech. xxxii, Descenderunt ad infernum cum armis suis. Illinc; idest cum supra substantibus : vel cum rebellione propter hoc, cujus pœna erit in æternum. Unde [illegible] Completi est [illegible], [illegible]. Hic Glossa : « Cum [illegible] facto judicio [illegible], et [illegible] Satan, amplius mitigatio [illegible]. » Ergo in inferno erit pœnitere? Solutio. — Dicendum, [illegible] blasphemia erunt in inferno, — sicut dicit Glossa. Sed non erunt meritoria sive demeritoria, sed tantum afflictiva. Unde inquantum pœnæ sunt, non inquantum peccata, erunt ibi.

CAPUT XVII

Et venit unus de septem Angelis etc. Hæc est secunda pars visionis, in qua ostendit causam damnationis malorum sub figura mulieris meretricis, cujus ponitur hic descriptio imaginaria, hoc ordine procedens. Primo ponitur ipsius mulieris descriptio. Secundo ponitur intellectualis expositio, ibi : *Et miratus sum.* In hac descriptione mulieris significat Angelus quinque : scilicet locum, sive sedem mulieris, habitum, officium, nomen, affectum. Ex prædictis jam patet divisio capituli, quia duas habet tantum partes. In prima ponitur descriptio mulieris imaginaria. In secunda intellectualis expositio, ibi, *Et miratus sum.* Vel aliter. Descriptis plagis, quas inferent prædicatores tempore Antichristi, et damnationis *æternæ*, qua inde patientur impii, monet homines attendere causas ipsius damnationis : quasi dicat : ostende mala, quæ in futuro fiet, modo caveatur in præsenti : quia idem diabolus, quod tunc aperte sicut leo decipiet, nunc occulte persequitur sicut draco, et ad eamdem mortem occulte ducit. Dicit ergo, *Et venit*, per inspirationem, per intelligentiam, *Unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas*, idest universitas prædicatorum, quorum officium est denuntiare plagas malorum : et dicuntur unus, quia unum fluvium habent, et unum prædicant veritatem, et ab uno mittuntur omnes. Ephes. iv : *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Et nota, quod Angelus hic habet partem docentis, idest docentis. *Et locutus est mecum.* Non solum mihi, sed mecum, quia Joannes loquebatur per desiderium, et Angelus per inspirationem, sive per revelationem. *Veni*, interius in corde, sine strepitu vocis exterioris. *Veni*, idest intellectum tuum applica, ad intelligendum. *Et ostendam tibi* desideranti, *Damnationem*, idest causam damnationis, *Meretricis magnæ*, idest vanitatis mundanæ, civitatis Romanæ, peccatricis animæ, vel antichristianæ fallaciæ. Unaquæque istarum dicitur meretrix, quia relicto vero sponso fornicatur cum diabolo, per peccatum, cum mundo, per amorem illicitum. Magna autem dicitur, propter multitudinem et magnitudinem fornicantium. Unde sequitur : *Quæ sedet, ut domina, Super aquas multas*, idest super populos multos, quos attrahit ad se cupiditate et luxuria. Unde Dominus ad Job, *Virtus ejus in lumbis ejus*, quando vires quorum seminarium in lumbis est, decipit, *et in umbilico*, dum mulieres quarum semen est in umbilico, decipit. Unde Ezech. xvi, ad Jerusalem, quasi meretricem, dicit : *In die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus* : idest hoc tempore sæculi, tuam luxuriam non refrenasti. Dicuntur autem populi aquæ, quia sicut aquæ continue et decursu defluunt, sic populi per mortem transeunt. Unde II Reg. xiv, *Omnes morimur, et quasi aqua dilabimur.* Unde Beatus Bernardus loquens ad diabolum, dicit : « O nequam, ubi est illa sententia, nequaquam moriemini? en omnes morimur. » Super has aquas sedet mundana vanitas, quia fere omnes subjecti sunt vanitati mundanæ. Eccles. *Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi, et nihil permanere sub sole.* Psal. *Universa vanitas omnis homo vivens.* Jerem. ii, *Ambulabunt post vanitatem, et vani facti sunt.* Ideo clamat propheta : *filii hominum, usquequo gravi corde, usquequo ignominiose diligitis vanitatem*

etc. Item *Super aquas* sedit olim, et adhuc pro parte sedet Romana civitas, quæ omnibus dominatur, quæ tamen meretrix appellatur. Isaiæ I, *Quomodo facta est meretrix filia.* Ezech. XVI, *Omnibus meretricibus dantur mercedes : tu autem dedisti mercedem amatoribus tuis, et donasti eis, ut intrarent ad te.* Item antichristiana fallacia, *Super aquas* sedebit, quia dominium universale fere super omnes gentes habebit : et ideo, Sedet super multos, in quibus jam comparatur et regnat. Unde II Thess. II, *Nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis.* Et I Joan. : *Filioli mei, novissima hora est ; et sicut audivistis, Antichristus venit, et nunc multi Antichristi facti sunt. Cum qua meretrice*, idest mundi vanitate, *Fornicati sunt reges terræ*, idest majores sæculi, plus amantes sæculi vanitatem, quam Deum. Unde Jerem. II, *quid invenerunt in me patres vestri iniquitatis, quia elongaverunt se a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt, et non dixerunt, ubi est Deus.* Si autem nomine meretricis Romana civitas accipiatur, tunc est sensus, *Cum qua*, idest ad exemplum ejus, *Fornicati sunt reges terræ*, laborem, et studium, et amorem suum totaliter circa temporalia expendendo, quem debent circa servitium et cultum Dei expendere, ad quod facti sunt. Eccles. *Nihil iniquius, quam amare pecuniam.* Hic enim, et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua. Si vero meretrix accipitur Antichristi fallacia, tunc est sensus, *Cum qua fornicati sunt reges terræ*, idest principes mundi, Deum relinquendo, et ipsi serviendo, et obediendo, et honorem quem Christo debent, ei impendendo. Joan. V, *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me : si alius venerit in nomine suo*, scilicet Antichristus, ut dicit *Glossa, illum accipietis.* Regibus autem fornicantibus, qui se et alios regere deberent, fit supra modum peccatum, quando illi, qui alios deberent regere, semetipsos sceleribus student fœdare. *Et inebriati sunt*, idest extra briam facti sunt. Nam sicut ebrius nihil timet, sic terrenis cupiditatibus excæcati nec Deum diligunt, nec futuras pœnas metuunt, *Qui scilicet inhabitant terram*, idest qui terrena plusquam cœlestia curant. *De vino prostitutionis ejus*, idest carnali delectatione seu terrenorum amore ; qui multos ita inebriat, ut sicut ebrii nihil timent nec sentiunt, ita ipsi, qui immoderato terrenis amore inhærent, nec pœnas timeant, nec flagella comminationis sentiant. Isa. XXVIII, *Hi pro vino nescierunt, præ ebrietate erraverunt, sacerdotes et prophetæ nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Prov. XXIII. *Ne intuearis vinum, quando flavescit : cum splenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande*, una præbenda post aliam ; *sed in novissimo mordet ut coluber, et sicut regulus venena diffundet : oculi tui videbunt extraneas et cor tuum loquetur perversa, et erit sicut dormiens in medio maris et quasi sopitus gubernator amisso clavo : et dices verberaverunt me et non dolui, traxerunt me et non sensi, quando cogitabo et rursus vitam reperiam.* Vel *De vino prostitutionis*, idest exemplo manifestæ fornicationis, ut dicit *Glossa.* In quo tangitur corruptela quæ provenit de exemplo majorum, quos minores imitari semper volunt, juxta illud : regis ad exemplum totus componitur orbis. Et ideo multi pereunt. Unde Seneca : « Nullum hodie malum est quam quod innuitur ad exemplum : » et *Glossa :* « Nequam velut sobrii pensant pondus mali, quod operatur. » *Et abstulit me*, idest sustulit Angelus, ad subliminora videndo. *In desertum*, idest reprobos a Deo desertos, vel ad contemplanda reproborum corda quæ sunt a Deo deserta. *In spiritu*, idest spirituali visione, hoc est illuminavit me spirituali luce. Ad videnda et cognoscenda corda reproborum, quos Deus deseruit quia ipsi prius deseruerunt. Unde Augustinus, vel Dionysius : « Benignissimus Jesus ultimus est in recessu, et primus in reditu. » *Et vidi*, sic ablatus a spiritu, quia talia corporeis oculis videri non possunt. *Mulierem*, idest omnium mundanorum universitatem quæ dicitur mulier, propter vitæ mollitiem et fallendi facilitatem. Isa. XIX, *In die illa erit Ægyptus*, idest mundus,

quasi mulier sedens. *Super bestiam*, idest antiquitatem et quietem, super Antichristum, vel diabolum. *Coccineam*, idest sanguineam, quod dicitur propter sanguinis effusionem nimiam, quam faciet Antichristus diabolo instigante. Fac, Ezech. vii, conclusionem, *quia terra plena est judicio sanguinum, et civitas plena iniquitate*. Vel *Super bestiam coccineam*, idest diabolum qui est sanguineus, et in se, et in suis, quia eos complevit sanguinem sanctorum fuderunt. Unde oculi eorum sanguine pleni sunt. *Super bestiam coccineam* sedebat, qui Scripturam male intelligunt et alios male intelligere faciunt. Unde qui nimis emungit elicit sanguinem. *Plenam nominibus blasphemiæ*. Hoc dicit Joannes, quia omnia quæ faciet Antichristus, et dicet, et similiter sui, blasphemiæ erunt; et tamen dicet illa non displicere Deo, sed placere, quæ est maxima blasphemia. Item hoc dicit, quia multa nomina habebit quæ prima facie innuent ipsum esse Christum, ut dictum est supra xiii capitulo. *Habentem capita septem*, vitia capitalia. Vel quinque sensus et postea errorem, et tandem Antichristum, per quæ septem diabolus adducet homines ad peccandum. *Et cornua decem*, idest decem regna, quæ erunt tempore Antichristi subjecta sibi. Item universa regna mundi, diabolum impugnantia. *Et mulier circumdata erat purpura*, idest omnium gloria decorata. Mulier, ut diximus, dicuntur omnes mali illius temporis, propter vitæ mollitiem et seducendi facilitatem, quia ipsi habiles erunt ad seducendum active et passive. Nahum ultimo: *Omnes munitiones tuæ, sicut ficus cum grossis suis, cum concussæ fuerint, cadent in os comedentis: ecce populus tuus mulieres in medio tui.* Vel *purpura*, idest regali veste, quia mali dicent se reges esse, et regale sacerdotium habere, et se student gloria divitiis et ornamentis hujus sæculi, ut bonos decipiant, decorare. De quibus, *Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Et coccino*, idest sanguine sanctorum, quos occident, sibi acquiescere non volentes. *Et inaurata auro*, sanctitatis et sapientiæ figmento. Fingent enim se sanctos et sapientes esse, ut videantur quasi divina illuminati sapientia, vel mundanis, quæ sæcularibus pretiosa et aurea apparebit. *Et lapide pretioso*, idest simulata virtutum soliditate. Vel *Lapide pretioso*, carbunculo scilicet, ex eo quod dicent se fidem Christi et charitatem habere. *Margaritis*, idest moribus pretiosis. Vel sicut *Glossa*: « Mulier erit circumdata purpura, quia utuntur regno, ut decipiat liberos. » Per coccinum vero significatur simulata compassio miserorum, quam fingent se habere, cum tamen sint interius lupi rapaces, propter quos dicit Dominus, Matth. vii: *Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium etc.* Per Aurum vero significatur sapientia, quam se habere mentiuntur. Per Lapidem pretiosum, sapientiam quam iterum prætendent exterius, cum tamen non habeant illam. Per Margaritas, diversæ significantur virtutes, quas se habere jactabunt mendaciter. Per hæc etiam signatur affluentia divitiarum, quam in virtute habebunt; et ideo plurimos seducent et pervertent. Unde Matth. xxiv: *Multi venient in nomine meo dicentes, quia ego sum Christus, et multos seducent*; habebunt auctoritates Scripturæ ad manum; et ideo facilius credetur eis. Unde sequitur, *Habens poculum aureum*, idest divinam Scripturam qua potantur fideles ad salutem, *In manu sua*, idest in potestate sua, quia exponent eam sicut voluerint, quia nullus contradicet eis, et si quis contra dicet morietur statim occisus. Vel in manu, idest in operatione manifesta, ut alios inebriet et ad culpam trahat, suæque damnationis participes faciat. *Plenum abominatione*, idest errore et falsitate secundum eorum expositionem. Vel Plenum abominatione, idest abominabili cultura et delectatione illicitæ voluptatis. *Et immunditia fornicationis ejus*, idest immunda fornicatione, tam mentis quam corporis, quam docebunt: illam quæ mentis est docebunt aperte; aliam docebunt occulte. Quæ enim in occulto fiunt ab eis turpe est etiam dicere. Et quamvis tales sint, ita operti simulationibus, tamen poterunt agnosci a fidelibus, quia habebunt signum aliquod manifestum electis, sed opertum reprobis. Unde se-

quitur. *Et in fronte ejus nomen scriptum*, idest in aperto erit malitia eorum obstinata. Per frontem enim manifestatio. Per scriptum, obstinatio. Per nomen, malitia eorum designatur. Sed quia ista malitia erit reprobis occulta, quia reputabunt illos sanctos et bonos corrupti muneribus, decepti rationibus, allecti blanditiis, tracti minis; ideo additur, *Mysterium*, idest occultum sive secretum, quo ad reprobos intellige. Item Mysterium dicitur quia multa simulatione erit velata eorum malitia : tamen cognosci poterit ab electis, quorum oculis revelabit Deus. Sed reprobi in sua cæcitate manebunt, suis peccatis exigentibus. Unde Isa. vi, *Excæca cor populi hujus et aures ejus aggrava et oculos ejus claude, ne forte videant oculis suis et auribus suis audiant et corde intelligant et convertantur et sanem eos*. Pars autem illius mysterii erit malum exemplum magnatum, quibus maxima multitudo hominum conjungetur. Juxta illud Dan. xiii, *Iniquitas egressa est de Babylone a senioribus judicibus qui videbantur regere populum, et hæc est Babylon magna*, idest magnatorum concertatio confusa. *Mater fornicationum et abominationum terræ. Glossa*, Dando exemplum faciendi peccata. Oseæ v, *Audite sacerdotes, et attendite domus Israel, et domus regis auscultate, quia vobiscum judicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, et sicut rete expansum super calore qui interpretatur lumen veniens*. Unde autem venire deberet lumen inde venit fumus. Unde Gregorius : « Cum pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est ut in præcipitium grex sequatur. » Sequitur. *Et vidi mulierem*, idest mundanam vanitatem, rigorem virtutum emollientem. Vel mulierem, idest malorum congregationem mollia diligentem, nihil vigoris habentem. *Ebriam de sanguine sanctorum*, idest sitientem mortem sanctorum et in parte repletam. Et *sanguine martyrum Jesu*, idest illorum qui sancto amore testificantur Jesum esse filium Dei et Dominum suum. Item per sanctos possunt accipi illi qui ante adventum Christi fuerunt occisi, ut Abel, Zacharias filius Barachiæ et multi alii. De quibus dicitur IV Reg. xxi, *Sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleretur Jerusalem usque ad os*. Matth. xxiii, *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et ex illis occidetis et crucifigetis : ut veniat super vos omnis sanguis etc*. Per Martyres Jesu, accipiuntur sancti, qui post adventum Christi, propter fidem ejus et testimonium sunt occisi : ut Stephanus, Jacobus, Petrus, Paulus, Laurentius et multi alii. De quibus dicitur Hebr. xi, *Lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii mortui sunt*. Et bene dicitur, *Ebria mulier de sanguine istorum*. Quia sicut cum corpus biberit et nullam habet necessitatem bibendi tamen appetitum non dimittit, sic mali etsi multos occiderunt, nec causam occidendi habeant, tamen desiderium habent.

Et miratus sum etc. Secunda pars capituli, ubi ponitur intellectualis expositio imaginariæ visionis superius positæ. Unde hic ostenditur Joanni damnatio meretricis magnæ, qua visa dicit se mirari Joannes, propter magnitudinem damnationis et improvisionem. Sed quæritur quare miratur Joannes, cum ipse sciat causam damnationis meretricis? Solutio. Causam re vera sciebat, et quod esset digna Meretrix magna damnatione : tamen quod tanta esset pœna ejus nesciebat. Nel potest dici sicut *Glossa*, quod scilicet Joannes loquebatur hic in persona illorum, qui cum vident hic in mundo malos exaltari et prosperari, mirantur cum audiunt pœnas quas ipsis Deus minatur; et cum ita sint puniendi, quare Deus ita permittit exaltari eos. Sed per hoc debent intelligere justam damnationem esse eorum qui de bonis sibi collatis a Deo ipsum impugnaverunt Deum, juxta illud Jacob i, *Omne gaudium existimate fratres etc*. Dicit *Glossa*, « Ne indignemini si mali in mundo floreant et vos patiamini; quia non est christianæ religionis in temporalibus exaltari, sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo et nos nihil in mundo; ideo quicquid in via accidit, spe illius ad quod tenditis, gaudere debetis. » Eamdem admirationem habebat Jerem. xii, loquens similiter in persona talium. *Quare*, inquit, *via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt;* Ha-

bacuc i. Quare respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Dicit ergo: Rursum: Et admiratus sum cum vidissem, primo. Ulcus, introducens ad petitionem consolationis. Admiratione magna, de tam subita et mira mutatione. Sap. v. Videntes turbabuntur timore horribili et mirabuntur in subitatione insperatae salutis. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? quasi dicat: Si admiraris [illegible], sive admiraris impium esse, qui pacto hoc justitiae conveniat aeternaliter damnari, qui hic permittuntur temporaliter prosperari? Sed quae justitia est, ut peccatum temporale puniatur poena aeterna? Responsio: Quia homo peccavit in suo aeterno, ideo Deus punit ipsum in suo aeterno. Unde quia homo nullum facit finem suo peccato, nec Deus facit finem sui supplicio, quod praeparavit peccato. Sed quae est ista justitia haec, cum aeternum Dei finem non habeat et aeternum hominis finem habeat? Solutio: Illud peccatum quod per poenitentiam non est deletum, punietur poena aeterna, quia offendit judicem aeternum. Quantitas enim offensae attendenda est ex parte offensi. Quia quanto offensus dignior est, tanto offensa gravior est. Nota etiam quod poena inflicta, digna non est admiratione, sed potius culpa. Non enim mirum est si Deus aeternus, pro offensa sui poenam aeternam infligit. Sed illud mirandum est quomodo creatura voluit offendere creatorem. Unde Isa. xiv, Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? Non miratur Isaias poenam, sed causam sive culpam. Similiter Thren. i, Quomodo sedet sola civitas plena populo? etc. Et in eodem, quarto: Filii Sion inclyti amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea? Sequitur: Ego dicam, idest aperte exponam, Sacramentum mulieris et bestiae quae portat eam, scilicet mulierem. Quae habet capita septem et cornua decem. Hoc similiter est respondendum scilicet, per multitudinem vitae et mores fallendi. De quo Prov. v, Ne intenderis fallaciae mulieris. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus, et verba ejus. Novissima autem illius amara quasi absynthium. Bestia portans mulierem est Antichristus sive diabolus qui portat reprobos de peccato in peccatum et postea in infernum. Unde et Angelus dicit, Bestia quam vidisti fuit, idest diabolus qui bestiales facit, fuit in potestate magna ante adventum Christi, et non est, quia Christi adventum eam pro magna parte amisit. Joan. xii. Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ascensurus est de abysso, idest de secreto et profundo malo in apertam saevitiam veniet tempore Antichristi. Et infra xx. Consummati sunt mille anni, solvetur Satanas de carcere suo et in interitum ibit, idest in aeternam damnationem. Item Ascensura est de abysso, idest per illos qui profundum sunt in malum ascendit diabolus vel Antichristus in elationem. Et in interitum ibit Antichristus, quia Dominus Jesus interficiet eum illustratione adventus sui, et destruet II Thess. ii. Item diabolus ibit In interitum, quia mortuo Antichristo, non habebit amplius locum nec potestatem tentandi, quod est mors et poena ejus. Et nota quod eleganter dicitur Bestia fuisse et non esse, quia diabolus ante adventum Christi, fere omnes bestialiter vivere faciebat. Sed tempore Christi de bestiis facti sunt homines, quia coeperunt homines uti ratione. Unde Psalm.: Posuisti tenebras etc. Ortus est sol, idest Christus, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur bestiae, et exibit homo ad opus suum, qui prius latebat, ut bestia. Antichristus etiam dicitur ascensurus de abysso, idest de malis per quae habebit potestatem. Dicitur etiam in interitum ire, quia post ascensum cadet in mortem et in infernum. Unde Psalm.: Insidiatur ut rapiat pauperem; rapere pauperem dum attrahit eum; in laqueo suo humiliabit eum, scilicet pauperem; inclinabit se, et cadet cum dominatus fuerit pauperum, idest cito cadet cum non avertet. Ezech. xx, Nil factus es, et non eris in perpetuum. Sequitur: Et mirabuntur inhabitantes terram, de tantae potestatis subita annihilatione. Psalm.: Subito perierunt, propter iniquitatem suam. Item Psal.: Inimici defecerunt frameae in finem; et civitates eorum destruxisti, periit memoria eorum cum sonitu. Qui autem sunt illi qui ad-

mirantur ostendit dicens, *Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ.* Quidam enim ibi scribuntur in pagina præsentis justificationis, qui non sunt ibi scripti in pagina æternæ prædestinationis. De quibus dicitur in Psalm. : *Deleantur de libro viventium, et cum justis* etc., quasi dicat : Ostendantur non esse scripti cum justis in pagina prædestinationis, unde nemo potest delere, licet scripti fuerint in pagina præsentis justificationis, unde multi delentur. Ibi scriptus fuit Judas, sed quando peccavit deletus fuit, quia peccatum delet gratiam. *Videntes bestiam*, idest diabolum vel Antichristum. *Qui erat*, in tanta potestate, *Et non est*, quia cito periit. Non esse dicitur qui a vero est separatus, Job. xviii, *Habitent in tabernaculo ejus socii ejus et qui non est.* De hac admiratione stuporis dicitur Ezech. xxviii, *Omnes qui viderint te in gentibus obstupescent super te.* Sicut etiam de aliis divitibus et potentibus hujus mundi, cito transeunt, ita quod mirantur homines.Psalm. : *Vidi impium superexaltatum et elevatum etc.* Eccles. xi. *Omnis potentatus brevis vita*, Job. xxxii, *Elevasti et quasi super ventum ponens elisisti me valide. Et hic est sensus*, idest de pœna hujus bestiæ potest haberi sensus cavendi sibi :

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Qui autem sit sensus ostendit : *Qui habet sapientiam :* quasi dicat : qui habet sapientiam et intelligentiam, qua juste existimat de unoquoque secundum valorem proprium et sapit unumquodque secundum saporem proprium. Ille in quo est sensus talis, fiet cautus de consideratione. Sed stulti nunquam possunt fieri cautiores quantumcumque vident, aut alios mori, vel damnari; similes porcis, qui vident socios suos de augia furfuris duci ad macellum, et nihilominus manent ad augiam juxta furfur. *Septem capita.* Hic revelatur Joanni mysterium. *Septem capita* bestiæ, per quæ intelligitur universalis potestas bestiæ, idest malorum in primo statu. Primus fuit ab Adam usque ad Noe. Secundus a Noe usque ad Abraham. Tertius usque ad Moysen. Quartus usque ad David. Quintus usque ad Christum. Et pro his quinque dicitur infra, *Quinque ceciderunt.* Sextus a Christo usque ad Antichristum. Septimus erit tempore Antichristi. Et de his duobus dicit, *Unus est et alius nondum venit.* Dicit ergo, *Septem capita bestiæ, septem montes sunt, super quos sedet mulier*, idest innititur et fulcitur malorum congregatio. Quid autem appellet *Montes*, aperit dicens, *Et septem reges*, Hoc est principes Ecclesiæ malignantium. Secundum septem status Ecclesiæ significantur septem capita bestiæ, et per Septem montes, dicuntur Septem reges. In capite est sensus; ideo per Septem capita signantur omnes principes qui de mundi sapientia extolluntur gloriando. Per Septem vero montes, proprie designantur qui de opulentia gloriantur, vel extolluntur. Septem vero reges dicuntur omnes illi, qui de potentia dignitatis gloriantur. Ex his tribus maxime oritur elatio. Unde Jerem. ix, *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis.* Super hos sedet mulier, quia hi dant multitudinem malorum, fulcimentum malitiæ suæ. Quinque *ceciderunt*, idest quinque status transierunt et superbia eorum cum eis. *Unus est*, scilicet status gratiæ, sub Christo, cujus nomen sit benedictum. *Et alius nondum venit*, scilicet status futurus in fine sæculi sub Antichristo. *Glossa* dicit, quod quinque primi reges sunt quinque sensus corporis, qui si Adam non peccasset ad nullam malam concupiscentiam verterentur,sed qui per peccatum ita corrupti sunt, ut jam naturale sit eis lævia tactu, sapida gustu, nare odorifera, pulchra visu, melodias auditu quærere in quibus delectantur. Et hi sunt quinque reges, per quos regitur ætas puerilis. Hi sunt quinque viri mulieris Samaritanæ. Joan. iv, His in adulta ætate succedit error. Quia postquam homo habet discretionem, si peccat, non sensualitati imputatur, sed domino erranti. De quo Dominus dixit ibidem : et hunc quem habes non est tuus vir. Sextus rex est Christus, qui nunc regnat.

Septimus est Antichristus qui nondum venit, sed cito veniet et cito deficiet. Secundum hoc sensus est: Quinque ceciderunt, Glossa, transierunt tolerabilia: quasi dicat: Non jam quinque secundum regnandi homines, sicut ante adventum Christi. *Et unus est*, scilicet Christus qui nunc regnat. Qui recte dicitur unus, quia singularis sub suis habetur gratiis. Isa. iv, *In die illa apprehendent septem mulieres virum unum*. *Et alius nondum venit*, scilicet Antichristus. *Glossa*, qui maxime faciet peccare. *Et cum venerit*, oportet illum regnare, scilicet tribus annis et dimidio. Et idem unus est, scilicet Diocletianus. *Et bestia quae erat* in magna potestate ante adventum Domini nostri Jesu Christi, per quam crudelius impugnabatur populus electorum, *Et non est* post adventum Christi in tanta potestate, scilicet. *Ipsa octava est super septem*, quia omnes transcendit malitia et nequitia; *et de septem est*, idest similis septem, quia similiter peccat, unde sic punietur. Unde dicitur Matth. xxv: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et Angelis ejus*. Hoc etiam exponit *Glossa* de Antichristo, sicut et bestia. *Glossa*, idest Antichristum. *Quae erat et non est*, idest cujus potestas cito transibit. *Et ipsa octava est et de septem*. *Est octava*, propter excellens et singulare dominium. *De septem* vero est propter naturam consimilem, et culpam et poenam. Sicut enim dicitur Ezech. i de aquila, quod *erat desuper quatuor*, quia levat se super se contemplando divina, quod est super humanum intellectum; sic Antichristus erit et septem, sed tamen octavus, quia diabolus plenus super humanam potestatem, extollet se. Unde Dan. viii: *Surget rex impudens facie et intelligens propositiones, et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis; et supra quam credi potest universa vastabit*. *Et in interitum vadit* uterque, scilicet diabolus et Antichristus, quia uterque in aeternum periit. Job. xviii: *Avellatur de tabernaculo suo fiducia ejus et calcet super eum quasi rex interitus*. *Et decem cornua*. Hic exponit Angelus decem cornua bestiae, dicens per ea signari *decem reges*, qui erunt sub Romano Imperio, tempore Antichristi. Deinde ostendit, quod parum regnabunt, tamen valde mali erunt; postea ostendit quod Antichristus et sui pugnabunt cum *Agno et Agnus vincet eos*. Dicit ergo: *Et decem cornua quae vidisti in bestia decem reges sunt*, futuri tempore Antichristi. Dan. vii: *Porro decem cornua ipsius regni decem reges sunt*, qui dicuntur cornua triplici ratione: Primo propter ferocitatem et irrationabilitatem bestialem eorum; Secundo quia adhaerebunt Antichristo, sicut cornua adhaerent capiti; Tertio quia per eos pugnabit Antichristus contra Ecclesiam, sicut bestia pugnat in cornibus suis. Et licet decem futuri sint reges Romani Imperii, tamen unus erit effectus, quia per eos impugnabit Antichristus omnes observatores decalogi. *Et potestatem tamquam reges una hora accipient*, idest accipient post bestiam, idest Antichristum, vel diabolum, quia uterque caput eorum erit. Vel post bestiam euntes per adhaerentiam et imitationem. Et nota quod dicit, *tamquam reges*. Quia non vere reges erunt, quia sub alio erunt, et quia tyranni erunt. Vel una hora dicit, quia modico tempore durabit regnum eorum, quia non per successionem haereditariam, sed per intrusionem accipient dominium; et hoc dicit ad consolationem Ecclesiae. *Hi unum consilium habebunt*, quo Christum negabunt et Antichristo credent. *Et virtutem*, idest fortitudinem. *Et potestatem suam*, idest dominium suum. *Bestiae tradent*, idest Antichristo; quia quod potuerunt per se et suos, totum Antichristo tribuent, et facient quidquid poterunt pro ipso contra Ecclesiam. *Hi cum agno pugnabunt*, idest contra Christum verbo et facto, subtrahentes ei servos suos, et occidentes eos qui sibi nolunt acquiescere. *Et agnus vincet eos*, illorum malitiam refrenando et suis constantiam tribuendo. Dan. vii: *Super excelsum loquetur et sanctos Altissimi conteret et putabit quod possit mutare leges et tempora, et tradentur in manum ejus usque ad tempus et tempora et dimidium temporis, et judicium sedebit ut auferatur potentia, et conteratur et dispereat usque in finem. Regnum autem ejus potestas et magnitudo*

regni quæ subter omne cœlum est, detur populo sanctorum Altissimi, cujus regnum sempiternum est. Unde et hic sequitur : *Quia Dominus dominorum est*, et utens malis ad utilitatem bonorum. Et *rex regum;* ideo devincet illos, atque dejiciet quando et quomodo voluerit vincet illos ; et non solum Christus, immo etiam electi ejus vincent illos reges, non sua tamen sed Christi virtute. Unde sequitur. *Et qui cum illo*, idest cum Christo sunt ei adhærentes. *Vocati*, per prædicationem, vel inspirationem. *Et electi* per prædestinationem. *Et fideles,* fidem ipsius integre conservando et suum officium fideliter exequendo et totam Ecclesiam suo domino reservando. Sed quare dicit Joannes, quod dicit Joannes, quod agnus vincet eos, et non magis leo? Solutio. Propter modum vincendi, quia per patientiam quam dabit suis vincet, ut quasi agni coram tondente se non aperiant os suum. Sicut de ipso Christo legitur Isa. LIII : Vel quia utetur eorum malitia ad utilitatem bonorum. *Et dixit mihi.* Hic ostendit Angelus Joanni quid signant aquæ super quas *Sedet meretrix*, idest quibus dominatur Antichristus. Dicens, per aquas illas designari : *Populos, et gentes et linguas :* populos vocans illos quos regit cupiditas et avaritia : *Gentes*, illos quos dirigit Gentilitas, idest carnalis vita, seu carnalis concupiscentia. *Linguas*, vocat illos quos dirigit astutia et superbia. Et in his omnibus dicitur Meretrix idest Antichristus sedere per dominium et consensum. Dicit ergo. *Et dixit mihi.* Angelus dicit Joanni, *Aquas*, idest aquæ : casus pro casu : synecdoche : *Sermonem quem audistis non est meus*, Joan. XIV : *Quas vidisti, ubi meretrix sedet*, idest quibus dominatur et quiescit Antichristus jam per mysterium quod operatur in eis, ut dicitur II Thess. II : *Populi sunt*, quo ad avaros, *Et gentes*, quo ad luxuriosos, Et *linguæ*, quo ad superbos qui volunt. Vel *Populi* quo ad illos qui legem habuerunt, *Gentes*, quo ad illos qui sine lege fuerunt, *Linguæ*, quo ad utrosque : quasi dicat : Ex omni diversitate hominum erunt aliqui subjecti Antichristo, sicut et Christo. *Et decem cornua.* Hic ostendit Angelus, quare non debemus conformari mulieri, nec imitari eam. Quia scilicet etiam amatores ejus odiunt eam in fine, etiam damnati in inferno cum ea ; et tunc dolebunt qui gaudent modo de societate ipsius. In inferno siquidem omnes odient se ; et quanto plures erunt, tanto majus erit odium eorum, et ita major pœna. In cœlo e contrario omnes diligent se ; et ideo quanto plures erunt, tanto majus erit eorum gaudium. Dicit ergo : *Et decem cornua quæ vidisti in bestia,* idest omnes qui Antichristo adhæserunt. *Hi odient fornicariam*, idest Antichristum, cui consenserunt. Vel mundum quem dilexerunt et etiam se ipsos, quia sic fecerunt. Vel fornicariam, idest iniquorum massam quæ cum diabolo fornicata est, vel vanitatem mundanam, quam secuti sunt. Vel sæcularem sapientiam quam amplexati sunt, vel civitatem Romanam, ubi præcipue olim ferbuit idololatria, et tunc fortassis præcipue fervebit hæresis et omnis malitia. *Et desolatam facient* illam fornicariam, idest Antichristum. Hoc est, facto illorum erit desolatus, quia completo numero illorum malorum perdet solatium de sua potestate et malorum societate. *Et carnes ejus manducabunt*, idest delectationes, quas habebant de pœnis justorum illorum facto amittent. *Et igne concremabunt*, idest secum in inferno cremari facient. Nam per facta illorum tam ipsi quam Antichristus in inferno ardebunt. Et nota hic quod quatuor dicit in pœna Antichristi, contra quatuor alia quæ ipse habuit in honore et potestate. *Nudam*, contra delectationes delitiarum : *et ipsa igne cremabitur*, contra hoc quod ipse sanctos occidit et occidendo delectabatur. *Hi odient fornicariam*, idest impiorum massam, de ipsis erunt, quia unus odiet alium in inferno, et si posset vellet unus alium devorare. Unde affectu se invident qui se affectu oderunt in mundo. *Et desolatam facient*, fraudulenter seducendo unus alium, ut postea gemant in inferno, amisso omni solatio. *Et nudam* omni virtute quæ est vestimentum animæ. Et *carnes ejus manducabunt*, idest delectationes ejus carnales, quas hic habuit, manducabunt, tamen occasionaliter, quia de hoc vermis interior cruciabit et

igne cremabunt. Ad litteram comprehendit, Isaiæ in fine: Vermis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur. Jacob. v: Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis vestris quæ advenient vobis: aurum et argentum vestrum æruginavit et ærugo eorum in testimonium erit vobis et manducabit carnes vestras, sicut ignis. Ibi videte: Quia lugebunt animæ, et exteriora similiter flamma et interius pungens dolor sive timoris comedit. Et illam videbunt in memoria venient eis, quod possint pœnas quas sustinent evitare, et per pœnitentiam redimere, quod erit eis magna pœna. Et igne ignis. Vel annihilabit in flammas quas sustinebunt cupiditates. Et quia hæc justa Dei judicia evenient reprobis; ideo subjungit, Deus enim dedit, idest permisit. In corda eorum, ut faciant quod placitum est illi, idest bestiæ. Et dent regnum suum bestiæ, idest consentiant et consentiant super se regnare diabolum et Antichristum, et ei etiam potestatem attribuant. Simile habetur Rom. i: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt. Donec consummentur verba Dei; quasi dicat: Hi de ei promissa electorum quæ in fine mundi complebuntur. Vel verba Dei vocat Dei ordinationem de adimpletione numeri electorum. Nam usque ad illud tempus permittentur mali cum bonis regnare, sicut palea cum grano. Sed completo numero electorum mundabitur area Domini, et palea comburetur igni inextinguibili, et granum in horreum Domini recondetur, ut dicitur Matth. III: Et mulier quam vidisti est civitas magna, idest reproborum universitas, vel Romana civitas. Quæ habet regnum super reges terræ, quia omnes ei serviunt. Loquitur autem Joannes pro tempore Antichristi. Multitudo vero malorum dicitur Mulier, propter mollitiem vitæ et actum libidinis. Dicitur Civitas, propter collectionem multorum et convenientiam in malo. Dicitur magna, propter magnos qui in ea sunt, vel propter superbiam. Unde etiam dicitur habere regnum, idest potestatem et dominium. Super reges terræ. Quia omnes reges serviunt ei publice, et ad nutum ejus obediunt principes. Dicitur etiam meretrix, quia diabolo corruptum se subjicit. Dicitur autem Babylon, quia confusa est et confundit: et ideo æternam confusionem erit confusa. Jerem. x: Congrega de terra confusionem tuam, quæ habitas in confusione.

CAPUT XVIII.

Et post hæc vidi alium. Hic incipit decimum octavum capitulum, et sexta visio, in qua agitur de damnatione malorum futura. A principio siquidem libri, egit Joannes de his, quæ facta sunt in Ecclesia a primo statu ejus usque ad finem mundi. Hic incipit agere de his quæ fient circa membra Ecclesiæ, in die, et post diem judicii. Quia membra putrida abscindentur, et projicientur in lutum inferni. Sana vero in melius mutata ascendent in gaudium paradisi. In hac autem sexta visione agitur de membris putridis: ubi describuntur pœnæ, quas habebunt in inferno. Continet autem visio hæc, tria capitula: scilicet decimum octavum, decimum nonum et vigesimum. Dividitur autem hoc præsens capitulum in duas partes. In prima ponitur casus Babylonis, idest malignæ congregationis. In secunda ponitur exultatio sanctorum de vindicta malorum, ibi, *Exulta super eam.* In prima parte procedit Joannes hoc modo. Primo describit casum Babylonis; Secundo docet cavendum esse ab ea. Describit fletum et planctum malorum inconsolabiliter. Volens ergo Joannes ostendere pœnas, quas patientur impii in inferno, pro singulis peccatis; Primo agit de pœna Babylonis; Secundo de pœna bestiæ, et pseudoprophetæ; Tertio de pœna diaboli, quæ damnatio erit finis. Ut autem major fides adhibeatur, in principio ostendit istam damnationem a Christo prædicatam fuisse. Dicit ergo, *Et post hæc*, idest post quinque visiones, de quibus actum est usque huc, *Vidi*, spirituali visu, *Alium Angelum*, idest Christum, qui dicitur Angelus, quia missus, et *alium*, quia differt ab aliis Angelis, sicut Dominus a servis, *Descendentem* in carnem, *De cœlo*, idest de invisibilitate. De quo descensu dicitur in Psal.:

Domine inclina cælos tuos, et descende. Isa. LIII, *Utinam disrumperes cælos et descenderes. Habentem potestatem magnam*, idest æqualem Deo Patri, licet occultam. Tunc ait, Isa. XLV: *Vere tu es Deus absconditus.* In secundo adventu erit manifesta potestas ejus. Matth. XXIV, *Veniet cum potestate magna et majestate.* Et *terra*, idest Ecclesia situ infima, super nihilum fundata, firmiter stabilita, cultu et attritione fecunda, vacatione spinosa, *Illuminata est a gloria ejus*, idest a prædicatione ipsius gloriosa, quam scilicet gloriosa reddebant miracula quæ faciebat, et sanctitas vitæ ejus. Luc. XIII, *Omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo.* Isa. IX, *Habitantibus in regione umbræ mortis etc.* Vel *Terra*, idest humana natura, *illuminata est a gloria ejus*, a divinitate sibi eam uniente in unitate personæ. Psalm. *In voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me*, idest meam naturam, dicit David. Isa. LX, *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Vel terra, idest fidelis anima, *illuminata est a gloria ejus*, idest a fide cœlitus data, quam facit Filius Dei, quod est a gloria magna. Joan. I, *Dedit ei potestatem etc. Et exclamavit*, idest excellenter claruit prædicando, *in fortitudine*, idest audacter et constanter sine omni timore et dubitatione. Quia quod dixit, non potuit carere effectu. Unde Isa. VIII, Prædicatori, *clama ne cesses exalta vocem tuam, et annuncia populo meo scelera eorum. Dicens, cecidit, cecidit Babylon*, idest congregatio mala confusione digna. Geminatio verbi cadendi, et postea in infernum. Vel bis dicit, *Cecidit*, propter duplicem damnationem, animæ scilicet et corporis, ut dicit *Glossa*. Unde Jerem. XVII, *Duplici contritione contere eos.* Psalm. *Operiantur sicut diploide confusione sua.* Item geminatio verbi cadendi notat damnationis continuationem, ut dicit Gregorius. Item forte geminam causam damnationis ostendit geminatio verbi: scilicet peccatum omissionis et peccatum transgressionis: vel peccatum spirituale et peccatum carnale, per quæ fit homo habitaculum dæmonum. Unde, quasi assignans causam casus, subjungit: *Et facta est habitatio dæmoniorum*, per peccata, et ideo cecidit: ut dicit *Glossa*. *Et custodia omni spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ et odibilis*, idest sedes et locus, seu receptaculum peccatorum carnalium et spiritualium, per quæ dæmones habitant in homine sicut Christus per gratiam. Unde *Glossa*: « Dæmones in pravis cordibus, pro carnis illecebris, sunt immundi; pro mentis elatione volucres et odibiles. Unde Eccle. X, *Odibilis est coram Deo et hominibus superbia, et execrabilis omnis iniquitas gentium.* Custodia autem dicitur, quando per contemptum confusionis peccatum in corde custoditur. Oseæ XIII, *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus.* Hæc custodia mala est, quia inde habetur pœna æterna. Unde sequitur ibi, *Dolores parturientis venient ei.* Vel forte ideo, et se ipsos, etiam diabolum custodiunt. Unde Isa. XXXIV, *Et erit cubile draconum, et pascua struthionum, et occurrent dæmonia, onocentaurus etc.* Jerem. L, *Habitabunt dracones cum fatuis sicariis, et inhabitabunt in ea struthiones:* et quare hoc? Quia *De ira fornicationis ejus*, idest de fornicatione corporali vel spirituali, irascitur Deus. *Biberunt omnes gentes*, communiter. Et *reges terræ fornicati sunt cum illa*, idest majores sicut minores peccaverunt. Isa. XXIV, *Erit sicut populus sic sacrificia; sicut servus, sic Dominus ejus; sicut ancilla sic domina ejus.* De hac fornicatione dicit Psalm.: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Et mercatores terræ. Glossa*, idest avari, qui animas suas vendunt ambitione sæcularium. Eccle. X, *Nihil iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in sua vita projecit intima sua. De virtute deliciarum ejus divites facti sunt*, idest de peccatis per quæ acquiruntur divitiæ. Quia omnis dives iniquus, vel habens iniquitatem. Eccle. XI, *Si fueris dives, non eris immunis a peccato.* De his divitibus dicit Psalm.: *Divites eguerunt et esurierunt.* Jac. V, *Divitiæ vestræ putruerunt.* Psalm.: *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Et audivi.* Descripto casu Babylonis monet ca-

[illegible] a consortio malorum, qui cum damnabuntur, et a malis actibus per quos illi cadunt. Dicit ergo, *Et audivi*, idest intellexi, *Aliam vocem*, idest divinam inspirationem, vel Christi et sanctorum prædicationem. Quia dicitur *aliam*, quia vocem prius est de malorum condemnatione; hæc est de bonorum commendatione. *De cœlo dicentem*, idest pro cœlo, idest pro Ecclesia quæ mysteria Christi celat infidelibus et indignis, quæ etiam dicitur cœlum Dei, idest domus mea, sicut dicitur Isai. LVI, *Domus mea vocabitur domus* [illegible], *exite de illa*, scilicet de communione societatis, sive de mundi malitia. *Populus meus*, idest ne faciatis opera ejus. *Et ne participes sitis delictorum ejus*, consentiendo sibi. Nam facientes et consentientes pari pœna constringit. Unde sequitur: *Et de plagis ejus non accipiatis*: quasi dicat: Si non fueritis similes in vita, non eritis similes in pœna. Jerem. LI, *Egredimini de medio ejus populus meus, ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini*. Numer. XVI, *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum*: quasi dicat: propter hoc fugite a consortio malorum quoniam pervenerunt peccata eorum usque ad cœlum, idest adeo creverunt, quod plus crescere non possunt: vel usque ad contemptum Dei per desperationem, et blasphemationem, et peccatorum enormitatem. Gen. XVIII, *Sodomorum et Gomorrhæorum clamor multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis*. Jerem. LI, *Curavimus Babylonem, et non est sanata; derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam, quoniam Pervenit usque ad cœlos judicium ejus*, idest peccatum pro quo vindicanda est, *et elevatum est usque ad nubes. Et recordatus est Dominus iniquitatum ejus*, qui prius videbatur oblitus, cum permitteret prosperari. *Recordatus est per retributionem* [illegible] punitionem, ut dicitur Sap. XI. Sed multi abutuntur ejus patientia, quia ipso dissimulante et exspectante, ipsi audacius peccant. Unde Job, XXIV, *Et dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam*. Eccle. VIII, *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala*. Et tamen peccator ex eo, quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi, quod est bonum timentibus Deum. *Reddite*. Posita monitione ad sanctos, ut fugiant Babylonem, ponit ejus condemnationem. Et assignat tria, quæ debentur reprobis, pro malis, quæ faciunt in sanctos. Primum est pœna culpæ respondens. Secundum est ut, sicut ipsi malam habuerunt intentionem in persequendo sanctos, sic habebunt impatientiam in sustinendo pœnam; et sic duplicabitur pœna, quia intus uret impatientia, exterius seviet pœna. Tertium est, ut secundum mensuram voluptatis malæ, mensuretur tormentum pœnæ. Dicit ergo Dominus ad sanctos qui hoc modo affliguntur a malis: *Reddite illi*, scilicet Babyloni, idest malorum congregationi, qui vos comprimunt et affligunt. *Sicut et ipsa reddidit vobis*: sicut ipsa vos punivit injuste, ita vos ipsam juste puniendam nuntiate. Pœna, quam sancti modo sustinent, est ad purgationem: sed pœna quæ nuntiatur malis futura, erit ad condemnationem. Unde *Glossa*: « sicut vindictam meam de vobis, qui purgamini, exercuit ad salutem, sic vos injuriam meam vindicate illic ad condemnationem. » *Et duplicate duplicia*, idest puniendos nuntiate in corpore et in anima, licet ipsi tantum in corpore vobis pœnam intulerint. Animæ enim nolenti nullus potest nocere. Matth. X, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Et ne forte aliquis putaret, quia ipsi non meruissent duplicem pœnam istam, ideo dicit, *Secundum opera ejus*. *Glossa*, idest secundum quod ipsi peccaverunt. Licet enim ipsi tantummodo sanctis nocuerunt in corpore, tamen ipsi mente et corpore, idest voluntate et opere peccaverunt, et ideo juste in anima et corpore punientur. Jerem. XVII, *Duplici contritione contere eos*. Jerem. L, *Reddite ei secundum opus suum, juxta omnia quæ fecit facite illi*, *In poculo quod miscuit vobis*, pœnam inferendo, *Miscete illi duplum*, idest duplicem pœnam, scilicet in corpore et ani-

ma ipsam habituram nuntiate. Item duplum dicit, quia habebunt pœnam exterius, et impatientiam interius; sive ignem exterius, vermem conscientiæ interius. *Quantum glorificavit se*, honores appetendo, vel in honoribus gloriando, *Et in deliciis fuit*, carnalibus, scilicet in ipsis indebite delectando, *Tantum date*, idest dandum nuntiate. *Tormentum et luctum. Glossa :* « Tormentum in corpore, luctum in anima. » Unde Tormentum, respondet deliciis. Luctus gloriæ. Et nota, quod tantum et quantum non dicitur hic æqualitate quantitatis, sed proportione generis : hoc est dicere : qui multum peccavit puniendum, secundum exigentiam culpæ puniendum prædicate. Isa. XXVII : *In mensura contra mensuram cum abjecta fuerit judicabo eam.* Matth. VII, *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis.* Deut. XXV, *juxta mensuram peccati erit et plagarum modus.* Præcipua autem causa damnationis Babylonis est superbia. Unde subdit, *Quia in corde :* quasi dicat : merito damnabitur Babylon; *Quia in corde suo dicit*, superbiendo et gloriando. De donis Dei sibi attribuendo, *Sedeo, ut regina*, idest de honore et dignitate mea mentiri non timebo. *Et vidua non sum*, quia multos habeo consolatores, et multas consolationes. *Et luctum non videbo*, quæ mihi minantur Christi discipuli. Meritis enim peccatorum suorum sic excæcantur mundani, ut nec sibi spoliari prosperis timeant, nec opprimi adversis. Contra quos dicitur Job. XXI, *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Ideo dicitur Eccl. XI : *In die bonorum ne immemor sis malorum : et in die malorum, ne immemor sis bonorum : quoniam facile est coram Deo, in die obitus retribuet unicuique juxta vias suas, et ideo in merito jactantiæ et superbiæ. In una die*, judicii, *venient plagæ ejus*, idest ultiones debitæ peccatis suis. Et quæ sint hæc plagæ ostendit. *Mors*, idest carentia visionis Dei, quod est vita animarum. *Et luctus* pro acerbitate pœnarum. *Et fames*, idest defectus omnis boni. Hæc tria respondent tribus de quibus jactatam se dixerat, *Sedeo, ut regina.* Contra hoc prædicitur futura mors æterna, de qua dicitur : *sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos*, Contra hoc, quod dicitur, *Vidua non sum*, prædicitur fames futura, idest consolationis, et omnis boni defectus : de qua fame dicitur Deut. XXXII, *Consumentur fame, devorabunt eos aves, morsu amarissimo.* Contra quod dixerat, *Luctum non videbo*, prædicitur luctus æternus, de quo Matth. VIII, *ibi erit fletus et stridor dentium.* Erit autem miserabilis fletus ille, quia lacrymæ illæ tam calidæ erunt, quod comburent corpora, sicut dixit quidam de patribus discipulo suo, ploremus (inquit) fili, antequam veniamus in locum, ubi lacrymæ comburunt corpora : præsens luctus, sive præsentes lacrymæ abstergunt futuras. Nam qui modo plorat non plorabit in futuro, sed potius ridebit. Unde Luc. VI, *Beati qui lugetis, quia ridebitis :* et e contra, qui modo rident, in futuro plorabunt. Unde ibidem : *Væ vobis, qui ridetis, et plorabitis et flebitis vos.* Prov. XIV, *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.* Sunt autem quinque genera lacrymarum, quæ hic habentur a sanctis. Primæ sunt lacrymæ contritionis, quæ fiunt pro peccatis propriis : de quibus Psalm. : *Lavabo per singulas noctes lectum meum* etc. Secundæ sunt lacrymæ compassionis, quæ fiunt pro peccatis et miseriis aliorum. De quibus dicitur. Jerem. IX, *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte, interfectos filiæ populi mei?* Tertiæ sunt lacrymæ devotionis quæ fiunt ex consideratione beneficiorum Dei : de quibus dicitur in Psalm. : *Cibabit nos pane lacrymarum, et potum dabit nobis in lacrymis in mensura.* Primæ significatæ sunt, Exod. XIV, *per aquas Marath.* Secundæ IV Reg. II, *per aquas Jericho.* Tertiæ II Reg. XXIV, *per aquas Bethleem*, quas sitiebat David. Unde dicitur ibi, *Desideravit David aquam de lacu, et ait : siquis daret mihi aquam* de cisterna, quæ est in Bethleem, prope *portam.* Quartæ lacrymæ sunt doloris pro incolatu hujus miseriæ : de quibus dicitur Thren. I, *Plorans ploravit in nocte* (miseriæ præsentis) *et lacrymæ ejus in maxillis ejus.* Quintæ sunt lacrymæ amoris, ex desiderio cœlestis patriæ : de qui-

[illegible]

ruisse corporis eorum, quæ in deliciis nutrierunt, et nullam pœnitentiam hic fecerunt, sed facere noluerunt. Et ideo dicitur [illegible], *Flete et ululate*, [illegible] in diebus [illegible]. Matth. xxiv, *Tunc plangent omnes tribus terræ*: erit autem planctus ille continuus et inconsolabilis. Jerem. xxxi, [illegible] *noluit consolari, quia non sunt*. Deinde ostendit Joannes, qui sunt illi reges, qui ita dolebunt: *Qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt*. *Vidua in deliciis vivens mortua est*, prima morte; et [illegible] secunda. Proverb. xix, *Non decent stultum deliciæ*, qui scilicet nesciunt uti. Job. xxxix, *Esse sub sentibus delicias computabant filii stultorum et ignobilium*. Eccle. ii, *Dixi in corde meo, vadam, et affluam deliciis, et fruar bonis: et vidi quoque quod hoc esset vanitas*, [illegible]. Vel reges terræ, dicuntur illi, qui bene regunt carnem suam et animam suam, vel substantiam suam terrenam, tamen aliquando fornicati fuerunt corporaliter et spiritualiter, et ideo dolebunt quod illis quos sic videbunt et audiunt puniendos, nunquam similes fuerunt. Et huic sententiæ concordat quod sequitur: *Et cum viderint fumum incendii ejus*, idest incendium ejus fumosum, de quo Isa. xxxiv, *Convertentur torrentes ejus in picem ardentem nocte et die, et non extinguetur in sempiternum, et ascendet fumus in generatione et generatione*. *Longe stantes, propter timorem tormentorum ejus*. Sed in quo statu erunt reges isti? si in inferno, quomodo ergo Longe stantes propter timorem tormentorum ejus? Si in cœlo, quomodo ergo dolebunt? si in mundo, quomodo videbuntur? Solutio. Quædam *Glossa* exponit hoc de malis regibus: et tunc dicendum est, quod in inferno cum Babylone, idest cum impia multitudine: et stabunt longe voluntate, sed non actu, ut dicit *Glossa*, quia vellent surgere, sed non poterunt, ita timebunt tormenta, quæ non solum videbunt in aliis, immo quæ sentient in se ipsis. Si autem intelligatur de bonis regibus, qui terram suam bene regunt, tunc potest dici, quod in mundo stantes, dolebunt de pœna malorum, quam audient ipsos patientes et passuros; et de

hoc quod nunquam illis similes fuerunt. Quod autem, quæritur quomodo videbunt pœnam illorum, dicimus, quod oculo fidei dicentes, ipsi majores adhuc viventes, si de bonis intelligatur, vel jam in inferno lugentes, si de malis accipiatur. *Væ, væ civitas illa magna Babylon*, quæ est mundus, sive omnium malorum congregatio, *Civitas illa fortis*, ad mala facienda, sed debilis ad bona : de qua fortitudine dicitur Isa. *Væ, væ*, induens duplicem pœnam malorum, in corpore et anima, ut dicit *Glossa*. Jerem. XVII, *Duplici contritione contere eos*. Exod. XVI, *Accidit tibi post omnem malitiam, Væ, væ tibi dicit Dominus Deus. Quoniam una hora*, idest subito veniet. et cito. Joel IV, *reddam vicissitudinem vobis, cito velociter*. Job. XXI, *Ducunt in bonis dies suos etc. Et negotiatores terræ flebunt et lugebunt super illam* Babylonem scilicet damnatam, *Quoniam merces eorum nemo emet amplius*. Sed numquid tunc mercatores vel negotiatores habebunt merces ad vendendum? Præterea de quibus negotiatoribus loquitur Joannes? Solutio. *Glossa* dicit, quod Joannes loquitur de utrisque negotiatoribus, scilicet temporalibus et spiritualibus. Ad litteram enim negotiatores, qui in mundo merces suas et negotiationes suas fecerunt fraudulenter, et fraude divitias congregaverunt, dolebunt in morte, et in judicio, et in inferno, de hoc, quod omnino deficientibus terrenis divitiis, vel derelictis, in quibus posuerunt amorem suum et gloriam, videbunt se expositos paupertati, dolori, et angustiæ maximæ. Unde dicit *Glossa, Flebunt, et lugebunt*, quia illos perire dolebunt, in quibus suam deputabant prosperitatem, et non potuerunt amplius vendere vel emere, quod erat eorum vita. Proverb. XI, *Non proderunt divitiæ in die ultionis*. Ezech. VII, *Argentum eorum et aurum, non valebunt liberare eos*. Vel spirituales mercatores et mali sunt, qui cœlum dant pro terra, ut avari; æterna bona pro caducis, ut ambitiosi; justitiam pro pecunia, ut advocati; gloriam Dei pro laude humana, ut hypocritæ; sacramenta pro denariis, vel alia spiritualia pro temporalibus, ut simoniaci : de quibus dicitur Ezech. XXVII, *Negotiatores tui a multitudine cunctarum divitiarum argento, ferro, stagno, plumbo, repleverunt nundinas suas*. Argentum dicit sapientiam sæcularem, ferrum dicit potestatem temporalem, stagnum sanctitatis simulationem, plumbum vero carnalem delectationem. Circa hæc negotiantur multi, qui postea tanto amplius dolebunt, quanto plus debito hæc dilexerunt. Unde Ezech. XXVIII, *Negotiatores populorum sibilabunt etc*. Duplicatur autem verbum pertinens ad luctum, quia tales plorabunt et dolebunt in morte, de duobus specialiter : scilicet de amissione rei amatæ, et cum tanto labore acquisitæ, et de pœna pro amore illo illicito inflicta. Joannis II, *auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. Scriptum est enim : domus mea, domus orationis etc. Vos autem fecistis eam speluncam latronum*. Zach. ult. *: Non erit ultra mercator in domo Dei*. Deinde enumerat Joannes merces illas, in quibus maxime delectati sunt illi mercatores, seu negotiatores, de quibus amissis dolebunt. Et primo ponit illas quibus abusi sunt per sensum et usum in acquirendo, et retinendo, et expendendo : dicens, *Merces auri :* quasi dicat : re vera, Merces eorum nemo emet amplius, quæ tamen non viles reputantur, immo caræ, et pretiosæ, quæ sunt, *Merces auri et argenti*, scilicet nemo emet. Et *lapides pretiosi*, qui antonomastice dicitur carbunculus. Et *margaritæ*, idest cujuscumque lapidis pretiosi. Et *byssi*, quod est linum Ægypti candidissimum. Et *purpuræ, et serici et coccini*, quod est flos, unde fit tinctura pulcherrima : supple, Merces eorum nemo emet, quæ valde cara, et desiderabilia venduntur. Et *omne lignum thyinum*, idest cedrinum nemo emet. Et *omnia vasa de lapide pretioso* facta vel ornata nemo emet. Et *æramento et ferro, et marmore*, idest vasa de illis metallis facta, nemo emet. Et *cinnamomum et amomum*, quibus delectatur odoratus et gustus nemo emet, et supple mercem, *Odoramentorum*, quorumcumque. Et *unguentorum*, quorumcumque. *Et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum*, idest quadrigarum, et *mancipiorum, et anima-*

rum hominum, idest viventium hominum, inserviendo illis humano more dabit. Per hoc autem, quod dicit, Animarum hominum, innuit, ut dicit Glossa, quod quidam eorum homines fuerunt tantum servi corpore, ut Joseph; quidam autem, et animo et corpore, ut Ægyptius vere. *Illos fidelis*, eorum viam et cultum sectatur. Hoc pagani eorum idola colentibus. Unde mancipia proprie dicuntur illi qui tantum corpore serviunt emptoribus suis, et non mente, sicut Joseph servivit Pharaoni corpore, sed mente Deo; animæ vero hominum dicuntur, qui serviunt et mente et corpore. Vel mancipia dicuntur illi servi, qui ad tempus venduntur; animæ vero hominum dicuntur illi, qui venduntur simpliciter, idest per totam vitam suam. *Et poma tua, desiderii animæ tuæ*, idest quæ desiderabat anima tua, vel Poma desiderii animæ tuæ, idest minora bona quæ desiderabilius dicuntur, *Discesserunt a te*, idest quæcumque munera desiderabilia amisisti; et si immoderate illis adhæseris, per amorem punieris. *Et omnia pinguia et præclara perierunt a te*, idest quæque delectabilia. Sapient. v, *Transierunt hæc omnia tanquam umbra*; et non solum tanquam umbra; immo *sicut fumus, qui relinquit post se amaritudinem et nigredinem*: sic quamvis rerum delectabilium transeat præsentia, tamen remanebit in mente pravæ dulcedinis pungens memoria. Unde super illud Jacob. v, *Ærugo eorum in testimonium vobis erit*, dicit *Glossa*, quia intelligent se male congregasse ea, quibus non indigebant ad usum vitæ. Præterea gravius punientur, et amplius, *Illa jam non invenient*, idest non vendentur, quia tunc non erit tempus neque locus negotiandi sed pro transacta negotiatione recipiendi. *Mercatores horum*, idest prædictarum mercium, *Qui divites facti sunt ab ea*, Babylone idest negotiationibus factis in ea, *Longe stabunt*, quia jam non poterunt talia in eamdem exercere. Vel *Longe stabunt*, idest etiam longe ab ea desiderabant, tamen non poterunt. Vel *Longe stabunt*, voluntate, idest dolebunt, quod non longe abstinuerunt ab ea, per vitæ dissimilitudinem. *Propter timorem tormentorum ejus*, idest propter tormenta ejus, in quibus ipsi erunt, quorum continuatio semper timebitur, et præsentia semper sentietur. *Flentes*, pro commissis. Et *lugentes*, pro omissis. Item per hoc notatur continuatio doloris eorum, *Ac dicentes*, præ nimio dolore, *Væ, væ*, idest pœna corporis et animæ, vel sensus et damni. *Civitas illa magna*, idest mundus, seu malorum multitudo: quasi dicat: duplici miseria afflicta est illa civitas; scilicet animæ et corporis; sensus et damni; præsentis et futuri. *Quæ amicta erat purpura, et bysso*, ut dives epulo, Luc. xv. *Bysso*, propter mollitiem carnis, *Purpura* ad oculos, propter vanitatem. Et *cocco*, idest panno violaceo, vel roseo. Et *deaurata, est auro, et lapide pretioso, et margaritis*. Sed numquid hæc erunt in inferno? constat, quod non. Sed signa, vel notæ horum erunt ibi. Reprobi enim retinebunt in inferno signa et memoriam felicitatis terrenæ, quam habuerunt in mundo, quod erit eis in augmentum et cumulum pœnæ: hæc autem signa, sive notæ, nihil aliud erunt quam maculæ, quas abusu divitiarum terrenarum contraxerunt, quæ in perpetuum cremabuntur, quia semper comburentur, et numquam consumentur. Eccles. xxvii, *Conteretur cum delinquente delictum*. Sap. xiv. *Quod factum est cum eo qui stat, similiter tormenta patientur*. Hoc totum ab illo, mercem auri, potest exponi moraliter de hypocritis, qui merces pretiosas venales deferunt mundo, scilicet virtutes, vel virtutum opera, quæ faciunt ut laudentur, et ita pro vana gloria, vel favore humano vendunt omnia quæ faciunt. De quibus dicitur ironice, Matth. xxv: *Ite potius ad ementes et vendentes, et emite vobis*. Sed tunc, idest die mortis vel die judicii non erit qui emat, quia omnibus apparebit falsitas et ignominia nuditatis eorum. Unde Nahum. iii: *Revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam, et projiciam super te abominationes tuas, et contumeliis te afficiam*. Loquitur ad Ninivem, quæ interpretatur speciosa; et significat hypocritam, cujus confusio tanto major erit, quanto sanctior modo videtur. Nunc præ-

tendunt hypocritæ, et simulant se habere Aurum sapientiæ divinæ, Argentum, spiritualis eloquentiæ, Lapidem pretiosum vel carbunculum, Christum, vel eminentiam conversationis sanctæ, Margaritam, idest candorem vitæ apostolicæ, Byssum, idest sanctorum justificationem, Purpuram, idest martyrii amorem, Sericum, idest virginitatis splendorem, Coccum, idest charitatem, Lignum thyinum, idest constantiam indeficientem, quia hoc lignum imputribile est, Ebur, castimoniæ, virtutum pulchritudinem. Æs, longanimitatis vel fortitudinis, Ferrum, patientiæ vel sublimitatis, Marmor, invictæ humilitatis, Cinnamomum, idest pallorem patientiæ vel pœnitentiæ, Amomum, opinionis redolentiam, et odoramentorum et unguentorum, idest donorum Spiritus sancti. Et thuris, idest devotionis et nimiæ compunctionis. Et oleum, idest pietatis, sive compassionis, et similæ, idest puritatis, et tritici, idest firmitatis. Et jumentorum, idest laborum spiritualium, et omnium ovium, idest simplicitatis et innocentiæ, et equorum, idest fortitudinis, et strenuitatis, et rhedarum, idest auxilii, et consilii ad supportanda onera infirmorum, et mancipiorum, idest mutui servitii et administrationis, et animarum hominum, id est irrationabilitatis. Horum omnium merces se simulant habere hypocritæ, et vendunt pro laude hominum. Sed tunc nemo emet, quia apparebit ignominia eorum. Unde adhuc sequitur, *et poma desiderii animæ tuæ,* idest odorem bonæ famæ, quæ pro omnibus desiderant hypocritæ. *Dicesserunt a te. Quia tunc erit pro suavi odore fœtor*, ut Isa. III : *Et omnia pinguia*, idest omnis devotio. *Et præclara*, idest omnis bona conversatio. *Perierunt a te*, idest peribunt ab hypocritis : et amplius *Illa jam non invenientur,* idest vendentur. Quia omnium hypocritarum malitia, prius latet, tunc manifesta erit. Hoc etiam totum exponit *Glossa*, de hæreticis, quorum merces in hoc tempore aliquo modo cognosci possunt, sed in fine sæculi, a nullo pœnitente ementur. Quia ab omnibus manifeste cognoscetur eorum dolus et falsitas. Ipsi modo habent multas merces, quas vendunt incautis. Habent enim Aurum, mundanæ sapientiæ, Argentum, sæcularis eloquentiæ, Lapides pretiosos, idest prædicatores exterius religiosos, sed intus perniciosos, quales sunt pseudo prophetæ et hæresiarchæ. Et margaritas, idest doctores duros incompassibiles, qui docent errores, Byssum, idest hypocritas, qui justi apparent. Et purpuram, idest martyres suos. Sericum, idest exteriorem integritatem, qua palliant mentis corruptionem. Coccum, idest simulatam charitatem, qua operiunt suam crudelitatem, Lignum thyinum, idest obstinationem in malo, quæ videtur incautis constantia in bono, Ebur, simulatam virtutum pulchritudinem, quæ tegit spurcitiam vitiorum, Æs, erroneam prædicationem, qua simulant se habere et docere fidei rectitudinem, Ferrum, idest simulatam patientiam, qua palliant deceptionis acumen, Marmor, idest simulatam obedientiam, qua palliant suam rebellionem contra Ecclesiam, Cinnamomum, et amomum, et odoramentorum mercem, idest exteriorem sedulitatem orationum, quibus simplices decipiunt, et viduarum domos comedunt. Et unguentorum mercem, idest honorem, et reverentiam, quam Christo se exhibere dicunt. Et thuris mercem, idest devotionis simulationem. Et vini mercem, idest simulatam compunctionem. Et olei mercem, idest simulatam pietatem. Similæ mercem idest puritatem conscientiæ, non veram, sed simulatam. Et tritici mercem, idest doctrinam Christi quam dicunt se habere. Et jumenta, et oves, et equos, et mancipia, et animas hominum, se dicunt habere. Jumenta Domini, idest fortes laboratores, qui portant onera aliorum. Sicut docet Apostolus, Galat. VI : *Alter alterius onera portate.* Oves dicuntur Matth. XI : *Ecce ego mitto vos, sicut oves, in medio luporum etc.* Equos, dicunt se habere. Et rehedas, idest prædicatores veloces qui fidem Christi discurrendo, vel velociter portant per universum orbem. Dicunt etiam habere Mancipia, et animas hominum, illos qui dicuntur credentes eorum; dicunt se habere : *Poma desiderii animæ suæ*, idest virtutes quibus sanctarum imitantur vitam. Unde per totum orbem suum effundunt odo-

rum. Sicut dicit Apostolus II. Corinth. v : Christi bonus odor sumus, etc. Sed hæc omnia pro maxima parte jam evanuerunt hominibus, et jam pauci emunt merces eorum, et idem hujusmodi. Sed in die judicii tota omnino [illegible], quando in poenis posuit [illegible] merces eorum. Unde dicitur : Poma desiderii animæ tuæ, discesserunt a te, idest interiorum virtutes, et opera, quæ dicebant se habere. Et omnia pinguia, et præclara, idest dignitates, et nobilitates. Perierunt a te Babylon, idest civitas hæreticorum congregatio. Et amplius illa jam non invenient, idest amplius reperire non poterunt post judicium, vel mortem, quia tunc apparebit omnibus, qualia sunt merces eorum. Et mercatores horum, id est prædictarum mercium, idest avari, vel hypocritæ, vel hæretici, qui divites facti sunt ab ea, scilicet reputatione, cum re vera pauperes sint, longe stabunt, propter timorem tormentorum ejus. Hoc dicit quia tam avari, quam hypocritæ et hæretici videntur poenam timere, timentes quod futurum est magis quam præsens, dicebant quod non longe distarent ab illa mala reputatione et mala congregatione. Nam amatores mundi longe stant a Christo, qui sciunt, quod omnes qui pie volunt vivere cum Christo persecutionem patiuntur, II Tim. III. Sed tunc longe stabunt ab ea, quia nullo modo ab ea consolabuntur. Psal. Longe a peccatoribus salus, idest Jesus, qui justitiam non exquisierunt. Et erunt miseri in poenis quas facient, sed tunc fugere non poterunt. Unde Job, vi : Qui timent pruinam, idest poenam temporalem, et irruet super eos nix, idest poena æterna. Pruina enim, quia de terra nascitur, significat poenam præsentem; nix autem, quia de coelo venit, significat poenam æternam. Item Job. xx : Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum. Flentes quod longe stabunt flentes de tormentis, lugentes de amissis. Et dicentes Væ, væ illis propter poenam animæ et corporis. Ezech. xxx : Ululate, væ, væ diei, quia juxta est dies Domini. Civitas illa magna, idest mundus, vel Roma. Quæ amicta erat bysso et purpura, et cocco, idest purissimis et rubeis vestibus.

Et deaurata est auro et lapide pretioso, et margaritis. Ad litteram hic reprehendit Dominus superfluum apparatum et ornatum vestium mundanarum, et maxime Romanarum, quæ pompa vestium si non esset peccatum, profecto tam studiose Dominus non exprimeret eam in Evangelio. Luc. xvi, ubi dicit : *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide*, sed postea mortuus est, et sepultus est *in inferno*. Unde dicitur Isa. iii : *Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion*, idest mundanæ mulieres, vel Romanæ, *et ambulaverunt extento collo, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et crinem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminalia, et periscelides etc. Et erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fascia pectorali cilicium. Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes in bello. Et mærebunt atque lugebunt portæ ejus, et desolata in terra sedebit.* Si ita minatur Dominus mulieribus, propter superfluum ornatum earum, et viris ipsarum, numquid immunes erunt clerici et prælati Ecclesiastici, qui de patrimonio crucifixi, hujus ordinatum dant nepotibus suis, et supra genus suum de bonis Ecclesiæ maritant, quæ re vera furantur pauperibus quorum sunt bona Ecclesiæ. Unde Isa. iii : *Vos depasti estis vineam, et rapina pauperum in domo vestra.* Ubi *Glossa* Hieronymi « qui fuit prælatus, et scivit statum Ecclesiæ : principes quidem nostri, cum pauperes peccantes publice arguant et confundant, divitibus pejora peccantibus, nec tamen faciunt : in quorum domo rapina pauperum : et dum opes Ecclesiæ sibi thesaurizant, et in deliciis abutuntur, et quæ dantur ad sustentationem pauperum, sibi reservant, et propinquis distribuunt, et aliorum inopias suas vel suorum divitias faciunt. » Et bene dixit, væ, væ, *quoniam una hora*, idest cito *destitutæ sunt tantæ divitiæ*. Sap. v : *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transeunt omnia illa tamquam umbra*, idest cito.

Infra duobus aggravat Joannes pœnam mundanorum. Primo, quia pristinam felicitatem ad memoriam reducit. Secundo in hoc, quod velociter defecisse ostendit. Unde conqueruntur ipsi, quod tali felicitati adhæserunt. *Et omnis gubernator*, destitutus est. *Et omnis, qui in lacum navigat*, destitutus est. *Et nautæ*, similiter sunt destituti, *qui in mari operantur* navigando, vel potius naves ad navigandum fabricando, *Longe steterunt*, idest longe stabunt a sua negotiatione, quia jam amplius exercere illam non possunt. Vel sicut in hoc mundo longe steterunt a Deo per culpam, ita longe stabunt in inferno per pœnam interminabilem. Mystice autem ostenditur hic pœna malorum prælatorum, ut innuit *Glossa*. Gubernatores dicit majores prælatos, ut episcopos, quorum officium est Ecclesiam gubernare. Sic Noe arcam, et Petrus naviculam habuit, in qua frequenter Dominus sedit. Unde Luc. v : *Ascendens Jesus in unam navem, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum, et sedens in navi docebat turbas.* Sic docuit prælatos quod ipsi deberent facere, scilicet reducere navem a terra, idest Ecclesiam elongare a cura terrena : et sic turbas docere de navi reducta a terra. Navigantes in lacum vocat illos, qui ad majorem prælationem spirant, sicut dicit *Glossa*. De quibus dicitur Eccles. XLIV : *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus, et audientes auribus nostris admirabimur.* Nautas vocat minores prælatos, ut decanos, archidiaconos, et alios. De quibus Ezech. XVII : *Gubernatores tui*, idest episcopi, et senes, biblii, et prudentes ejus, idest doctores theologi, habuerunt nautas ad ministerium variæ supellectilis tuæ : omnes naves maris, idest Ecclesiæ parochiales, et nautæ eorum fuerunt in prælio negotiationis tuæ. Operantes in mari vocat prædicatores. De quibus Psal. : *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationes in aquis multis*, idest in doctrinis, et populis multis, hi omnes malæ implentes officium, *Longe steterunt*, idest stabunt a suis prælationibus degradati, et in profundo inferni detrusi. I Cor. XV ; *Deinde finis cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem* Ezech. XXVII : *A sonitu clamoris gubernatorum tuorum, conturbabuntur classes, et descendent de navibus suis omnes qui tenebant remum, nautæ, et universi gubernatores tui in terra stabunt, et ululabunt super te voce magna, et clamabunt a mari.* Unde sequitur hic, *Et clamaverunt* cum dolore et timore, *Videntes locum incendii ejus*, infernum succensum igne et sulphure, ut dicitur infra XX. *Dicentes*, præ stupore : *Quæ similis civitati huic magnæ*, idest mundo vel Romæ, quæ fuit in tanta gloria, et modo est in tanta miseria ? Ezech. XXVII : *Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris.* Causa hujus damnationis est amor sive cupiditas terrenorum. De qua dicit, *Et miserunt pulverem super capita sua*, idest in mente habuerunt terrena, non spiritualia, per amorem, quoniam domini fuerunt in hoc mundo. Ezech. XXVII : *Supponent pulverem capitibus suis, et cinere spargentur*, *Et clamaverunt*, idest clamabunt præ nimio dolore, *Flentes*, pro pœna sensus, *Et lugentes*, pro pœna damni, vel *Flentes, et lugentes*, idest continue dolentes. *Dicentes, væ, væ civitas illa magna.* Duplex væ, duplici fletui respondet Ezech. XXVII : *Plorabunt te in amaritudine animæ, ploratu amarissimo, et assument super te carmen lugubrem, et plangent te. In qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari* conducendas *de pretiis ejus*, idest de mercibus suis, quæ illo pretio emebantur. Tunc quidem divites ad tempus, sed modo sunt pauperes in perpetuum : tunc habuerunt naves in mari ad lucrandum, nunc habent merces in amaritudine ad lugendum. Mystice, Habentes naves in mari, sunt rectores Ecclesiarum fluctuantium in mari hujus sæculi, qui modo ad litteram de pretiis navium ditantur, idest de redditibus Ecclesiarum. Unde Ezec. XXVII : *In multitudine divitiarum tuarum et populorum tuorum ditasti reges terræ*, idest principes Ecclesiæ. Unde, et ipsi dicunt Zach. XI : *Benedictus Dominus, quia divites facti sumus.* Sed modo sunt miseri, et pauperes omnimoda paupertate : sed nec etiam tunc fuerunt divites, sed quasi divites, quia divitiæ quas habebant cito defecerunt, nec eas ferre se-

opes potuerunt. Proverb. XIII: *Est quasi dives cum nihil habeat.* Psal.: *Simul insipiens et stultus peribunt, et relinquent alienis divitias suas, et sepulchra illorum domus illorum in perpetuum.* Et infra: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo,* etc. Et hic idem homo cum in honore esset non intellexit, et ideo comparatus jumentis insipientibus est. Job XX: *Hoc scio a principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum brevis sit, et gaudium hypocritae ad instar puncti.* Item in eodem XXI: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Psal.: *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt* etc. Jer. XVII: *Perdix fovit quae non peperit. Fecit divitias, et non in judicio; et in dimidio dierum suorum derelinquet eas, et in novissimo suo erit insipiens,* idest apparebit.

Exulta super eam etc. Secunda pars capituli in qua agitur de exultatione sanctorum, pro separatione eorum a malis: et dicuntur hic tria. Primo monet sanctos ad exultandum. Unde *Glossa*: « Postquam praedixit Joannes hanc damnationem futuram impiis, monet bonos exultare, ut concordent in divino judicio; quia his damnatis, sequitur eorum remuneratio. » Secundo ut magis gaudeant sancti, ostenditur eis modus punitionis malorum, et separationis, ibi, *Et sustulit unus*. Tertio ut hinc abundantius gaudeant et evasione poenae, et separatione societatis malorum, ostenditur ipsi, quod omnis consolatio subtrahitur malis, ibi, *Et vox citharoedorum*. Item brevis epilogus praemissorum. Alia itaque Angelorum Christus: *Babylon subversa, et habitatio daemonum atque custodia facta*. Universitas impiorum damnata, et daemonum cruciatibus tradita. Alia vox de coelo, bonis admonitio justis exhibita, exitus de Babylone, quando separatio fit a pravitate; luctus regum et negotiatorum, dolor superborum et cupidorum, sive majorum et minorum. Omnes quippe de nimia ejus ruina in inferno lugebunt, qui ejus statum in mundo dilexerunt. Dicit ergo, *Exulta super eam coelum*, idest Angeli secretorum divinorum conscii, *Et sancti Apostoli et Prophetae*, qui in hoc mundo pressuras habuistis, sed futura mala praevidentes sapienter cavistis. *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*, Babylone, idest impia multitudine: ut sicut illa bonos oppressit injuste, ita et ipsa juste opprimatur a Deo judice. Isa. XXXIII: *Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consummaveris depraedationem depraedaberis. Et sustulit.* Hic ostenditur modus damnationis malorum, ut magis gaudeant sancti, non de poena illorum, sed de justitia Dei, quae sine conditione fiet. Unde Psal.: *Laetabitur justus cum viderit vindictam.* Dicit ergo, *Et sustulit*, idest sursum tulit, honores et divitias conferendo, superbire permittendo, *Unus Angelus*, idest Christus, qui dicitur Angelus, quia missus; et unus, quia invariabilis, semper in eodem statu manens, *Fortis*, quia aereas potestates devicit. Psal.: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.* Jer. XLVI, *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter ceciderunt. Lapidem*, propter duritiam obstinationis. *Magnus*, propter multitudinem et magnitudinem malorum, *Molaris*, propter circuitum mentis, quo cum mundo volvuntur in gyro. Psalm.: *Impii in circuitu ambulant.* I Reg. XXV, *dixit Abigail ad David*, *Anima inimicorum tuorum rotabitur quasi in impetu, et circulo fundae*. De primo lapide, idest impia multitudine, dicitur Job XXVIII, *Lapidem caliginis, et umbra mortis dividit torrens a populo peregrinante*. Zachar. XII, *Ponam Jerusalem lapidem oneris*, idest onerosum, ut profundius corruat. Exod. XV, *Descenderunt in profundum quasi lapis*. Et hoc est, quod sequitur hic, *Et misit in mare*, idest amaritudinem inferni, *Dicens*, modo, propter praedicatores, *Hoc impetu mittetur*, in infernum. Hoc impetu, idest cito, et irrecuperabiliter. Quia quanto plus exaltati sunt, tanto gravius cadent; quanto gratia altiori etc. *Babylon illa magna civitas*, idest impiorum multitudo, in qua sunt multi et magni, secundum mundum. Hoc est, sicut lapis elevatus est in altum, majori impetu descendit, et profundius vadit, sic impia multitudo modo permittitur elevari, ut gravius et profundius corruat in infer

num : juxta illud : Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Psal. : *Dejecisti eos dum allevarentur*, Job xxx, *Elevasti me, et quasi super ventum ponens elisisti me valide.* Reprobi namque qui modo in gloria sæculi præsentis extolluntur, in fine sæculi ad ima demergentur. Psal. : *Vidi impium superexaltatum etc. Et ultra non invenietur* in mundo, vel in numero beatorum, postquam ceciderit in infernum. Quod est contra quosdam hæreticos, qui dicunt, quod reprobi in inferno pœnitebunt, et post mille annos liberabuntur : sicut dicit hic interlinearis. Et forte hæc hæresis occasionaliter orta est ex illo loco Isa. xxiv, ubi dicitur, *In die illa visitabit Dominus super malitiam cœli, in excelso, et super reges terræ, qui sunt super terram, et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post duos dies visitabuntur.* Sed ipsi decipiuntur : quia visitatio illa intelligitur de die judicii, quando venient omnes de inferno, ut resumptis corporibus simul in corpore et anima, audita sententia in infernum recludantur. Et quod hoc sit verum probatur multis auctoritatibus. Primo dicitur Job iv, *De mane usque ad vesperam succidentur ; et quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Secundo dicitur Eccles. xi, *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Tertio Matth. xxv, *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Quarto dicitur Apoc. xx, *Mors et infernus dederunt mortuos suos, et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum, et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis : hæc est mors secunda. Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in ea amplius :* idest nulla consolatio erit in inferno, vel jucunditas, quæ solet aliquando fieri ex musicis instrumentis : potius planctus, et gemitus, et luctus, et ululatus erit ibi, et non melodia. Sapientiæ, *Ululate habitatores pilæ, conticuit omnis populus Chanaan.* I Reg. ii, *Impii in tenebris conticescent.* Hoc contra illos, qui modo nimis in hujusmodi musicis delectantur. Unde etiam dicitur Isa. v, *Cythara, et lira, et tympanum, et tibia, et vinum, in conviviis vestris, et opus Domini etc.* Notanter hæc autem dixit, non quia hæc instrumenta vel usus sit malus : sed multa comitatur vanitas, et frequenter peccatum : et ideo sic loquitur Scriptura. *Et omnis artifex et omnis ars non invenietur in ea amplius*, idest nullum officium, vel artificium erit ibi, unde possit homo acquirere victum, vel aliquid apud Deum promereri. Unde Eccles. ix, *Quodcumque potest manus tua, instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia etc.* Argumentum est, quod philosophi obliviscentur scientiæ suæ in inferno ; et hoc satis probabile est. Cum enim sit aliqua infirmitas quæ hominem adhuc viventem facit amittere scientiam, multo fortius videtur, quod pœna inferni, quæ excedit omnem infirmitatem, hoc faciat. Habebunt tamen recordationem multorum, ex quibus aggravabitur eorum pœna, sicut dicit Gregorius de igne inferni. Dicit, quod lucebit ad aliquid, et ad aliquid non lucebit. Lucebit enim ad hoc ut videre possint, unde doleant. Non lucebit ad hoc, ut non videant, unde gaudeant. Sic scientia eorum, quæ faciet ad eorum pœnam, illa remanebit, aliam amittent. *Et vox molæ*, quæ est vel ad sapores, vel ad panem præparandum, *Non audietur in ea amplius.* Et convertit modo sermonem Joannes ad Babylonem, ad majorem ipsius confusionem, *Et lux lucernæ non lucebit tibi amplius*, idest ad tuam delectationem. Eccles. xi, *Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem : tunc non poterit videri sol ab eis, quia stabit in Oriente*, ubi creatus est, ut dicitur Habacuc iii, *Nec descendet amplius sub terra*, ne ejus lumine perfruantur damnati, ut dicit Isidorus. *Et vox sponsi et sponsæ*, idest cantilenæ nuptiales, quæ solent dici, vel gaudium nuptiale, quod solet fieri in nuptiis, *Non audietur adhuc in te*, idest in inferno, ubi tu eris. Et ne aliquis putaret, quod sine causa hæc Babyloni subtrahet Dominus, ideo ostendit Joannes causam quare omnia prædicta subtrahantur ipsi. Quia scilicet non elegit principes, nisi qui terrena amabant, et desiderabant, et quærebant, et qui eis mala potius quam bona suadebant : et hoc est, *quia mercatores*, quasi dicat Joannes : patieris prædicta,

Quia mercatores tui erant principes terræ; quasi dicat : Inter principes eligebam, et ideo prædicta patieris : sed et Babylon hoc punietur, quia terrenos et cupidos principes eligebat, quod fiet de Ecclesia, idest de [illegible], qui terrenam negotiationem plus quærunt in suis electis vel eligendis, quam divinam, et illos qui sciunt terrena procurare præponunt illis qui sciunt spiritualia procurare atque gubernare. Baruch iii, *Filii Agar, qui exquisierunt prudentiam quæ de terra est et negotiatores terræ*, et [illegible], *viam autem sapientiæ nescierunt*. Infra, *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna scientes bellum*. Ezech. xix, *Mater tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum, et nutrivit catulos suos, et eduxit unum de leunculis suis, et leo factus est, et didicit capere prædam, hominemque comedere*. Et talis homo est prælatus. *Et quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes*, idest exemplo maleficiorum tuorum imitantes te. Et dicit, *Omnes gentes*, idest de omnibus aliquid, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. *Et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est*; quasi dicat : et ideo etiam punietur, quia effudit sanguinem prophetarum, et aliorum sanctorum, cujus vindicta a Domino requiretur, sicut legitur Gen. iv, de sanguine Abel, cujus vox clamavit ad Dominum de terra, et similiter, quod vindictam petebat. Et quia multos occidit Babylon, idest impia multitudo, ideo addit, *Et omnium, qui interfecti sunt in terra*; quasi dicat : non solum sanguis eorum inventus est in ea, immo, *Omnium, qui interfecti sunt in terra*, etiam malorum, sanguis requiretur ab ea, quem injuste occidit, etiamsi digni erant occidi. Quia, ut dicit *Glossa*, Si malus malum occidat, [illegible] non excusabit [illegible] pœnæ. Breviter epilogus prædictorum. Primo ergo Angelus est ordo prælatorum. Secundo [illegible]. *Lapidis molaris*, [illegible] elationis, duræ, [illegible] Babylonis. *Musica* est [illegible], prophetia, et prædicatio damnationis æternæ. *Vox citharœdorum*, et aliorum, quæ sumpta sunt ab initio, bonorum temporalium [illegible].

CAPUT XIX

Post hæc vidi, etc. In præcedenti capitulo dictum est de casu Babylonis, et de exultatione sanctorum gratias agentium Deo de vindicta assumpta de meretrice illa. In hoc autem capitulo agit de gratiarum actione sanctorum pro eo, quod separati sunt a malis. Dividitur autem capitulum istud in tres partes. In prima parte agitur de gratiarum actione pro vindicta assumpta a malis. In secunda de gratiarum actione pro salvatione Ecclesiæ, ibi : *Gaudeamus*. In tertia agitur de pœna Antichristi et suorum, ibi : *Et vidi bestiam*. Et notandum, quod sicut ostensum est Joanni, quod appropinquante die judicii majores de multitudine impia habitum pœnitentiæ præferentes dicent : *Væ, væ*, dolentes de eo quod fecerunt ; ita quoque nunc ostenditur ipsi, sanctos, appropinquante die judicii dicturos tunc *alleluia*, idest gavisuros et Deum laudatures de judicio suo, quo bonos remunerabit et malos condemnabit. Dicit ergo, *Et post hæc*, idest post completam damnationem malorum, *Audivi quasi vocem tubarum multarum in cœlo*, idest in Ecclesia dicentium, *alleluia*, idest laus inexplicabilis. Laus, et gloria, et virtus Deo nostro est. Hæc omnia significant gaudium sanctorum de vindicta malorum et salute bonorum ; et fere idem significant illa quatuor nomina. Item dicitur alleluia propter unitatem essentiæ divinæ, quæ propter sui immensitatem comprehendi non potest, nec digne laudari. Laus, gloria, virtus, dicitur, propter sanctam Trinitatem personarum. Laus, ratione bonitatis quæ attribuitur sapientiæ. Virtus, ratione potestatis quæ attribuitur Patri vel Filio, qui Dominus noster est Christus qui datus est nobis, ut dicitur in Isaia. Ipsi est alleluia inquantum Deus est ; alia tria, inquantum homo. Nam Laus debetur ei pro sancti Spiritus missione, qui corda discipulorum adimplevit gratia ad recte credendum, cor eorum solidavit patientia ad sustinendum omnia pro Christo, ora aperuit ad laudandum ipsum. Unde Sap. x, *Victricem manum*

tuam, Domine, laudaverunt pariter, quoniam sapientia aperuit os mutorum et linguas infantium facit disertas. Gloria debetur ei pro nativitate. Unde cantaverunt Angeli ipso nato, *Gloria in altissimis Deo,* Luc. II : et Ecclesia quotidie dicit : « Gloria tibi Domine qui natus es de Virgine. » Virtus debetur ei pro diaboli victoriosa dejectione, ut dicit *Glossa.* Deinde ostendit Joannes causam laudationis et glorificationis, dicens : *Quia vera et justa judicia ejus sunt.* Vera quidem promissa reddendo prædicta, vel facta implendo. Justa vero, unicuique secundum merita tribuendo. Psalm. : *Fidelis Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Et re vera justa sunt judicia ejus. *Quia judicavit,* jam in præscientia, et tandem in evidentia. *De meretrice magna,* idest Babylone quæ est mundus vel multitudo impia, vel civitas Romana, Jerem. LI, *Vastavit Deus Babylonem et disperdidit ex ea vocem magnam.* Et merito judicavit de ea Dominus. *Quæ,* idest quia illa, *Quæ corrupit terram,* idest Ecclesiam, *In prostitutione sua,* idest luxuria sua, vel potius in venalitate sua. Quia sicut meretrix venales sunt mundani et Romani. Juxta illud. Eccles. *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.* Hic enim animam suam venalem habet. *Et vindicavit sanguinem servorum suorum,* quem fudit impia multitudo, et maxime civitas Romana. *De manibus tuis,* idest Babylonis quæ sanctos occidit. Deuteronom. XXXII, *Laudate gentes populum ejus, quoniam sanguinem servorum suorum ulciscetur.* Psalm. : *Requirens sanguinem eorum recordatus est, et non est oblitus clamorem pauperum.* Est autem duplex sanguinis effusio. Una fit per occisionem, de qua Psalm, *Effuderunt sanguinem tamquam aquam in circuitu Jerusalem et non erat qui sepeliret.* Alia fit per exactionem, de qua Eccles. LIII, *Panis egentium, vita pauperum est; qui defraudat illum homo sanguinis est : qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum : qui effundit sanguinem et qui fraudem facit mercenario fratres sunt.* Prima effusio olim celebrata est Romæ, nunc alia celebratur, qua celebrata fiet de utraque vindicta. Habacuc II, *Quoniam tu expoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui residui fuerunt de populis propter sanguinem hominis et iniquitatem terræ civitatis; et exivit sanguis de lacu, usque ad frenos equorum.* Quia inde re vera ponitur aurum et argentum in frenis; et impletur quod dicitur Zach. XIV, *In die illa erit, quod supra frenum equi est factum.* Dominus, idest re sanctificata Domino acquisita, scilicet de bonis Ecclesiæ quæ Christus suo sanguine comparavit. Inde Satyricus :

Dicite Pontifices, in templo quid facit aurum ?

Beatus Bernardus : « Sic serpit hodie pudibunda tabes clericorum per omne corpus Ecclesiæ. Nam officio sunt ministri Christi, sed serviunt Antichristo : honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt : in eis utique meretricius nitor et histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in sellis, in calcaribus; et plus calcaria eorum, quam altaria fulgent. Inde mensæ splendidæ et scyphi. Inde comessationes et ebrietates. Inde cythara et lira et tibia. Inde torcularia redundantia et cellaria referta et promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentata. Inde referta marsupia. De his olim a Domino prædicta est sententia, et nunc tempus advenit; ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara quippe fuit in nece martyrum. Amarior in conflictu hæreticorum. Amarissima nunc in moribus clericorum. » *Et iterum dixerunt alleluia. Glossa* : « Per hanc iterationem debemus intelligere laudem esse æternam » Unde Psalm. : *Beati qui habitant in domo tua Domine* etc. Unde Augustinus in fine de *Civitate Dei.* « Vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus : ecce quid erit in fine sine fine. » Primo dictum est Alleluia pro vindicta peccatorum quæ fecerunt sanctos persequendo. Unde Eccles. I : *Impiis et peccatoribus reddet vindictam custodiens eos in die vindictæ.* Deinde ostendit Joannes in parte qualis erit vindicta, dicens : *Et fumus ejus ascendet in sæcula sæculorum,* idest conti-

tam et perpetuæ : et per hanc perpetuitatem et continuationem, intelligitur ipsis continuata et perpetuata laus in fine. Ipsis autem laus continuetur, Supra : *Fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet.* Ibi plenius dictum est de hoc. *Et ceciderunt seniores*, idest veteris et novi Testamenti patres, mores maturos habentes, *ceciderunt*, idest se humiliaverunt gratias referendo de vindicta malorum. *Et quatuor animalia ceciderunt*, similiter laudantia Deum. Per quatuor animalia designantur majores sancti, ut dicit *Glossa*. Qui cum minoribus laudant, *Deum sedentem super thronum*, idest super Ecclesiam, ut judex. De hoc dicitur supra iv, *Cum darent illi quatuor animalia, et gloriam, et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno et adorabant viventem in sæcula sæculorum. Dicentes*, Amen alleluia. Amen, quod est responsio confirmativa, pertinet ad minores. Alleluia, quod est laus inexplicabilis, pertinet ad majores. Unde II Corinth. xiv, *Quis supplet locum idiotæ? quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem?* Ideo in Ecclesia Carnotensi, Canonici non respondent amen in choro, quando celebrat episcopus, ne videantur minores, vel idiotæ, secundum *Glossam*. Amen alleluia, totum refertur ad minores : quasi dicat : Verum est, quod Deus est ita gloriosus, etiam vere laudandus, ad hoc quod posuit amen. *Et vox de throno exivit*, idest admonitio de Ecclesiasticis viris, qui sunt thronus Dei, quia in eis sedet Deus dicens ad aures omnium, *Laudem dicite Deo nostro*, idest Christo, qui creavit, et recreavit, et judicavit nos. Ad hoc facti sumus omnes, scilicet ad laudandum Deum. Deuteronom. xxvi, *Quos creavit in laudem, et nomen et gloriam suam.* Isa xlii, *Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.* Psalm. *Laudate Dominum omnes gentes etc.* Sed quoniam non est laus speciosa in ore peccatoris, ut dicitur Eccles. xv, ideo ostendit qui sunt quos admonet ad laudandum : dicens : *Omnes sancti ejus. Glossa.* vel servi, idest qui sancte serviunt ei, secundum illud Luc. ii, *Serviamus illi in sanctitate et justitia*, idest sancte et juste. *Et qui timetis Deum*, timore casto seu filiali. *Pusilli et magni.* Hoc est quod dicitur Isa. xlii, *Laus ejus ab extremis terræ.* Extrema siquidem terræ sunt pusilli qui nequeunt implere consilia, nec secreta mysteria penetrare ; et magni qui utrumque possunt. Eccles. xiv, *In multitudine electorum habebit laudem. Et audivi.* Posita mutua admonitione qua sancti se mutuo exhortantur in laudes Dei, ponit Joannes mutuam laudationem quæ tripliciter nominatur : scilicet *Vox tubæ*, quia vocat ad festum et convivium spirituale. Item *Vox aquarum multarum*, ad significandum, quod multi sunt in laude illa. Item *Vox tonitrui*, ad significandum, quod ipsa est admirabilis bonis et terribilis malis. Dicit ergo, *Et audivi*, post mutuam excitationem. *Quasi vocem tubæ magnæ*, idest eorum, qui ut tuba exaltaverunt vocem suam prædicando, et nunc exaltant in cœlo jubilando, ut dicit *Glossa*. Isa xli, *Populum istum formavi mihi, laudem meam cantabit. Et sicut vocem aquarum multarum*, idest populorum multorum Deum laudantium, quorum prædicatio vim habuit mundandi, sicut aquæ multæ. *Et sicut vocem tonitruorum magnorum. Glossa*, quia sanctorum exultatio terret impios. Unde I Reg. iv, *Allata est arca Domini in castra Israel, et timuerunt dicentes : Væ nobis, Dicentium alleluia*, idest *laudate Deum, quoniam potestis, quoniam major est omni laude*, ut dicitur Eccli. xliv. *Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens*, destructo regno malorum. Isa ii, *Incurvabitur altitudo virorum, exaltabitur autem Dominus solus.* Notandum, quod quater positum est Alleluia in hoc capitulo propter laudem Trinitatis et unitatis, vel propter quatuor effectus ipsius circa nos, qui respondent quatuor nominibus positis, Dominus Deus noster omnipotens. Dominus, qui potenter creat. Deus, qui sapienter gubernat. Noster, qui clementer educat. Omnipotens, qui gloriose glorificat. Sequitur.

Gaudeamus et exultemus etc. Hæc est secunda pars capituli, in qua agitur de laude sanctorum et gratiarum actione,

pro sua liberatione et remuneratione. Hic quinque. Primo ponitur laus de singulari cujuslibet glorificatione. Secundo ponitur laus pro omnium glorificatione, ibi : *Quia venerunt.* Tertio præcipitur Joanni, ut invitet ad illam gloriam verbo et scripto, ibi : *Et dixit mihi : Scribe.* Quarto vult Joannes Angelum adorare pro tantæ revelationis munere, ibi : *Et cecidi.* Quinto prohibetur hoc facere, et ostendit ei quem debet adorare, ibi : *Et dixit mihi.* Dixit ergo Joannes in persona omnium sanctorum. *Gaudeamus,* propter dotes animæ, *Et exultemus*, propter dotes corporis. *Et demus gloriam ei*, idest nos omnia bona ab ipso reputemus. Sicut Isa. XXVI, *Omnia opera nostra operatus est in nobis Domine. Quia venerunt nuptiæ agni. Glossa*, idest conjuncta est Ecclesia Christo, quorum nuptialia contracta fuerunt in prophetarum sponsione. Perfectum autem matrimonium fuit per verba de præsenti in collocutione mutua Angeli et Mariæ. Consummatum vero fuit in carne et verbi unione. Solemnitas celebrari cœpit in ascensione. Nunc autem paulatim traducitur sponsa in domum sponsi; sed in fine totaliter traducetur, et tunc generale convivium fiet, sicut dicitur Isa XXV, *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium* etc. Item Esther I, *Tertio anno Imperii sui fecit grande convivium Assuerus cunctis principibus et pueris suis fortissimis Persarum et Medorum inclytis, et præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui.* Principes dicit Angelos; pueros, prophetas; fortissimos Persarum martyres; Medorum inclytos, confessores; præfectos provinciarum, Apostolos. *Et uxor ejus præparavit se*, idest fecit se idoneam, ut ei copularetur. Amos IV, *Præparare in occursum Dei tui Israel*, Ista autem præparatio consistit in duobus : scilicet in depositione vetustatis, et induitione novitatis. Unde Rom. XIII, *Abjiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis,* Ephes. IV, *Deponite vos secundum pristinam conversationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate etc.* Matth. XXV, *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei : et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. Et datum est illi*, a Deo a quo est omne bonum, *ut cooperiat se byssino splendenti et candido.* Byssinum, ad litteram est vestis de bysso facta. Byssus, autem est genus lini candidissimum, quod crescit in Ægypto. Significatur autem per byssinum justitia quæ est vestis sanctorum. Unde Job XXIX, *Justitia indutus sum.* Et Psalm. : *Sacerdotes tui induantur justitia.* Candor autem byssini respicit conscientiæ puritatem. Splendor vero, conversationis exterioris honestatem. Unde sensus est, *Datum est illi*, scilicet Ecclesiæ, *ut cooperiat se byssino splendenti et candido*, scilicet puritate interioris conscientiæ et honestate conversationis exterioris. Et hoc est quod dicitur Isa. XXV, *Gloria Libani data est ei*, idest gloria conscientiæ; *decor Carmeli*, idest honestas exterior. Unum propter se, alterum propter proximum est necessarium. Deinde ponit byssinum, dicens *Byssinum enim*, quasi dicat : Revera byssino cooperta est sponsa, idest totius habitudinis puritate. *Byssinum enim justificationes sanctorum sunt*, quæ candidæ sunt interius in conscientia, quo ad se, et splendidæ exterius, quo ad alios. *Et dixit mihi.* Hic præcipitur Joanni, ut invitet ad nuptias, et invitationem scribat, ut diutius possit durare. Unde dicit : *Et dixit mihi*, Angelus, scilicet Dominus ipse : *Scribe*, hoc scilicet quod sequitur, *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*, idest ad convivium cœleste, ubi sancti omnes cum Domino epulabuntur cum gaudio. Quod convivium dicitur cœna, quia nullum aliud convivium succedit illi, et quia delicata fercula apponentur in ea. Ex qua nullus semel admissus expellitur : de prandio vero multi expelluntur, Matth. XXII, *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* etc. Prandium est gratia militantis Ecclesiæ. Sed cœna est gratia cœlestis patriæ. De qua Luc. XIV, *Homo quidam fecit cœnam magnam et vocavit multos.* Item Luc. XXII, *Vos*

[illegible]

in veteri Testamento permiserunt se Angeli adorari, sicut legitur Josue v. In novo autem non permittunt hac ratione, quia homo factus est Deus homo. Unde erat tunc inferior simpliciter Angelo. Nunc factus Deus homo, et sublimior est homo Angelo. Unde videntes hominem supra se, timent sibi hominem adorari, ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi. Deinde ostendit quis sit adorandus, dicens : *Deum adora*, cui soli debetur adoratio. Matth. IV : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Et subdit causam quare Deus sit adorandus. *Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ* ; idest quicquid dixerunt Prophetæ, perhibet de Christo testimonium. Unde II Petr. I : *Firmiorem habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Spiritus sanctus vero perhibet de Jesu testimonium. Unde Joan. XVI : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, testimonium perhibebit de me.* Vox ergo aquarum multarum in cœlo auditarum, gratiarum actio sanctarum animarum, in cœlesti beatitudine decantantium, quatuor animalia, viginti quatuor seniores, universi sanctæ Ecclesiæ prædicatores et judices, nuptiæ agni, conjunctio Christi et Ecclesiæ in cœlesti beatitudine. *Et vidi cœlum.* Joannes hic ostendit quantus sit ille cui gratiæ sunt agendæ, scilicet Christus. Et primo ostendit potestatem, quam habuit in primo adventu. Deinde ostendit potestatem, quam habuit in secundo adventu. Et postea monet fideles adhærere Christo, ut sic possint vitare pœnas malorum, et adipisci gaudia beatorum. Et ita secundum hoc continuatur, quod dicit hic, ad præcedentia. Nam hic ostenditur quantus est ille, qui prius laudari meruerit secundum *Glossam*. Continuatur ad sequentia sic. Quia dicturus est Joannes de damnatione Antichristi et suorum, posset aliquis quærere, quomodo damnabuntur, qui potentes tam erunt. Et respondet quia pugnaverunt contra Christum, qui potentior est, et eos devincet, et victos damnabit. Ideo potestatem ejus hic describit dicens. *Et vidi cœlum apertum.*

tum. Ad litteram, januam Paradisi vidit apertam, quæ prius fuerat clausa. Vel *Cœlum apertum*, idest Scripturam. Unde *Glossa :* idest mysteria revelata, quod homo possit ascendere cœlum, et cognoscere Deum : et satis concordat. Deinde ostendit quis aperuit; dicens : *Et ecce equus albus,* idest Christi humanitas pura et munda, sine omni fusco peccati, in qua quasi in equo Verbum Dei contra diabolum pugnavit. Proverb. XXI : *Equus paratus ad diem belli. Dominus autem salutem tribuet*, idest Verbum. Hunc equum ascendit verbum in incarnatione. Isa. XIX : *Ecce Dominus ascendens super nubem levem*, idest super humanitatem ab omni peccato immunem, et ingredietur Ægyptum, idest mundum, quasi caput certaminis ad pugnandum. *Et qui sedebat super eum vocabatur fidelis*, quia promissa implet, *verax*, quia ipse est veritas, et veraces facit. Vel Fidelis, dicitur quo ad promissa præterita, quæ implevit, Verax, quo ad futura, quia sine dubitatione implebit. Deut. XXXII : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate*. Joan. III : *Qui acceperit ejus testamentum signavit, quoniam Deus verax est. Et cum justitia judicat. Glossa :* Quia unicuique juxta opera sua reddet. *Et pugnat*, modo pro suis. Exod. XIV : *Dominus pugnabit pro vobis, et vos ipsi tacebitis :* quasi dicat : diabolo loquenti, non respondebitis, et tunc pro vobis pugnat. Diabolus loquitur cum peccatum suggerit ; homo respondet quando consentit : et tunc vincitur homo, sed tacet, quando suggestioni non consentit ; et tunc diabolus vincitur, quod facit Deus. Unde in eodem dicunt Ægyptii : *Fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eis contra nos*. Vel Pugnat, idest pugnabit in die judicii, non tantum contra diabolum, sed etiam contra totum exercitum suum. De quo bello dicitur in Psal. : *Dominus potens in prælio*. Sap. V : *Pugnavit cum eo orbis terrarum contra insensatos. Oculi autem ejus. Glossa*, idest dona Spiritus sancti, *Sicut flamma ignis*, qui inflammat, et illuminat, et consumit rubiginem, et emollit ferrum durum, et calefacit frigidum, et consolidat luteum : sic dona Spiritus sancti inflammant in amorem Dei, et falsi consumuntur in rubigine peccatorum, duritiam cordis emolliunt, et frigidum cor calefaciunt, et fragiles mentes consolidant. Propter hoc missus fuit Spiritus sanctus in Apostolos in specie ignis. Thren. I : *De excelso misit ignem in ossibus meis*, et erudivit me. Zach. III : *Super lapidem unum oculi septem*. De hoc dictum est supra I, *Oculi ejus tamquam flamma ignis*. Item oculi ejus sunt prælati, qui debent toti Ecclesiæ providere, sicut oculi provident corpori. De quibus dicitur Cant. VII : *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, qui sunt in porta filiæ multitudinis*. Quatuor dicit, quæ exiguntur in prælatis. Primo ut sint oculi per discretionem piscinæ, per compassionem in Esebon, per charitatem furor : quia Esebon interpretatur ignis meus : porta per Christum et prædicationem. Sed hodie oculi Ecclesiæ, lupi sunt, pleni sordibus divitiarum, et fame deliciarum. Unde Gen. XXIX, Lia, lippis erat oculis. II Reg. III : *Oculi ejus*, idest Eli, *caligaverant, et non poterat videre lucernam, donec extingueretur*. Multa alia invenies ibi de istis oculis. Sequitur : *Et in capite ejus diademata multa*. Hic ostenditur unde Christus habet talem potestatem, ut possit Antichristum et suos devincere : scilicet a Deo, qui est caput ejus, ut dicitur I Corinth. XI : *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus : et Christus, omne quicquid a Deo est*, ut dicitur ad Rom. Per diademata vero significantur victoriæ, vel coronæ victorum, vel ipsi victores, vel potestas eorum, quæ est a Deo. Sap. V : *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini*. Sap. XVIII : *Magnificentia tua in diademate capitis illius*. Et hoc est, *In capite ejus*, idest in Deo. Diademata multa, idest victores multi, vel coronæ multæ. Disperget dans victoribus. Et bene multa, quia venit pugnare contra bestiam, quæ habet *Septem capita, decem cornua, decem diademata*, ut dicitur supra XIII. Hanc bestiam Christus in sua passione superavit, et coronam sive diadema suum abstulit, et sibi imposuit, quia illos quos diximus possidebat : et qui erant quasi corona prius, Christus prædicando abstulit, et conversos ad fidem sibi coronam assumpsit etc.

Quod bene significatum est I Paralip. xx, ubi legitur, quod David tulit coronam de capite Melchom, in qua talentum auri pondo talentum, et pretiosissimæ gemmæ, fecitque sibi diadema. Melchom interpretatur rex meus. Et significat diabolum, qui est rex superborum, sicut dicitur Job XLI. Cujus corona sunt omnes mali, quos vel coronam aliquos Christus prædicando convertit ad fidem, et fecit illos sibi coronam. Margaritas et gemmas ornatarum virtutum, quas ipse contulit eis, et per eos sibi quasi diadema fecit. Cant. IV: *Veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, de monte Hermon.* Amana interpretatur inquietudo. Sanir novitatem tollens. Hermon anathema vestrum. Et hæc omnia significant diabolum, de cujus capite coronatur Ecclesia, quando caput ejus conterunt, et eidem auferunt peccatores, de quibus efficitur diadema Domini. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse.* Glossa, quod hoc nomen est Deus homo vel *Jesus*: utrumque significat, nam ipsi soli convenit esse Deum et hominem. Unde Isa. VII: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, idest nobiscum Deus.* Item ipsi soli convenit esse Jesum, idest Salvatorem auctoritate, et ministerio. Ipse solus enim auctor, et minister est salutis humanæ. Matth. I: *Vocabis nomen ejus Jesum*, idest Salvatorem, auctoritate et ministerio. Ipse enim salvabit populum suum a peccatis eorum. De utroque nomine dicitur Gen. XXXII: *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Philipp. II: *Humiliavit se factus obediens usque ad mortem: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Hoc nomen scriptum dicitur duodecim litteris, quas scripserunt Gabriel et Maria. Primam litteram scripsit Gabriel, Mariam salutando. *Ave*, inquit, *gratia plena.* Scripsit et secundam, Mariam commendando. *Dominus tecum*, inquit, *benedicta tu in mulieribus.* Scripsit et tertiam idem Gabriel, Mariam consolando. *Ne timeas*, inquit, *Maria; quia invenisti gratiam apud Deum.* Scripsit et tertiam litteram Gabriel, Mariam consolando. *Ne timeas*, inquit, *Maria, quia invenisti gratiam apud Deum.* Scripsit et quartam, conceptum et partum divinum Mariæ nunciando. *Ecce*, inquit, *concipies in utero, et paries filium.* Scripsit et quintam, nomen nascituri pronunciando: *et vocabis*, inquit, *nomen ejus Jesum.* Scripsit et sextam, ipsum describendo: *Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur.* Scripsit et septimam litteram, potentiam ejus prædicando: *et dabit illi*, inquit, *Dominus Deus sedem David patris ejus, et regni ejus non erit finis.* Hæ sunt septem litteræ, quas congrue scripsit Gabriel Archangelus in nomine pueri nascituri. Tandem videns Maria, quod bene scriberet Gabriel, apposuit et ipsa manum. Et scripsit octavam litteram, sapienter Angelo respondendo: *Quomodo*, inquit, *fiet istud?* Scripsit et secundam, causam dubitationis assignando. Quomodo, inquit, *Quoniam virum non cognosco*, idest me cognituram non propono. Nonam scripsit Gabriel responsione verissima dubitationis Mariæ causam amovendo, et modum facti declarando. *Spiritus Sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Scripsit et decimam litteram, exempli positione Mariam dubiam certificando. *Et ecce*, inquit, *Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua.* Scripsit etiam undecimam, auctorem totius negotii demonstrando, scilicet potentiam Dei. *Quia*, inquit, *non erit impossibile apud Deum omne verbum*: quasi dicat: hoc faciet potentia Dei, quæ omnia potest. O Maria, quid facis? quid tardas? Scribe duodecimam litteram, et perfectum erit nomen ejus. Audivit me Maria, et credidit consilio, et scripsit ultimam litteram, consensum suum adhibendo. *Ecce*, inquit, *ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* Et perfecte statim scriptum est nomen ejus, quia statim *verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, idest in natura nostra, ut vere possit dicere Maria: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Vere velociter, quia ut dixit hoc, factus est Deus homo, quod est nomen scriptum. Et dicit hic *Glossa*, Gabriel plures litteras scripsit quam Maria. Novem enim scripsit, et Maria tres. Quia natura mulierum virginum est parum loqui, et plus audire :

quæ vere bene disposita fuit in Maria, Hæ sunt duodecim horæ diei, in quo, qui ambulat, non offendit, ut dicitur Joannis undecimo. *Et vestitus erat veste aspersa sanguine.* Ad litteram, idest carne proprio sanguine cruentata, quem sexies fudisse creditur, pro nostra sanctificatione. Primo in circumcisione, Luc. II : Secundo in prolixa oratione, quando *factus est sudor ejus sanguineus*, Luc. XXVII : Tertio in spinarum coronatione : ut creditur juxta patrum traditionem. Quarto in flagellatione ad columnam, Luc. XXIII : Quinto in manuum et pedum crucifixione. Sexto in lateris apertione. Joan. XIX : De hac veste sic aspersa dicitur Gen. XXXVII : *Tulerunt tunicam ejus*, idest Joseph, et sanguine hœdi quem occiderant tinxerunt. Isa. LXIII : *Quis es iste qui venit de Edom, tinctis vestibus?* Et infra : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua quasi calcantium in torculari?* Et respondet ibidem Dominus : *Torcular calcavi solus, et aspersus est sanguis eorum*, idest quem ipsi fuderunt, super vestimenta, *et omnia indumenta mea inquinavi.* Vel Vestis aspersa, sanguine, congregatio est martyrum, quorum sanguis pro Christo effusus est abundanter. Unde Psal.: *Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem.* Gen. *Lavabit in vino stolam suam, et pallium suum in sanguine uvæ. Et vocabitur nomen ejus Verbum Dei*, per quem Pater omnia fecit : et dixit Joan. I : *Omnia per ipsum facta sunt :* idest Verbum genuit, per quem omnia fecit. Per hoc nomen seu verbum innotuit mundo Deus Pater, qui usque tunc extiterat incognitus. Unde Joan. I : *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Item Joan. XVII : *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Et exercitus*, martyrum, et omnium fidelium, *Qui sunt in cœlo*, idest Ecclesia, nomine, et numero, et merito *sequebatur eum*, per viam paupertatis, humilitatis, et charitatis, contra mundum, contra carnem, et diabolum dimicantes. *In equis albis. Glossa* idest in corporibus mundis, qui ab illicitis refrenantur, et stimulo charitatis ad bona incitantur. De quo stimulo dicitur II Corinth. VI : *Charitas Dei urget nos.* De istis equis dicitur Habacuc. III, *Viam fecit in mari equis* Zach. X, *Visitavit Dominus exercituum gregem suum domum Juda, et posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. Vestiti byssino albo et mundo*, idest justitia, quæ facit mentem albam per innocentiam, et mundam per operum evidentiam, quæ sunt duæ partes justitiæ : scilicet, declinare a malo, et facere bonum, ut dicit Augustinus. Per primam est mens alba, per secundam munda, quæ sola videt Deum, ut dicitur Matth. V. *Et de ore.* Supra ostendit de potestate Christi in primo adventu. Hic incipit agere de potestate ipsius in secundo adventu : ostendens, quod in utraque natura potens erit Christus tunc. Unde dicit, *Et de ore ipsius*, idest Christi, *Procedit*, idest procedet, *Gladius acutus. Glossa*, idest divina sententia, intendens pravas cogitationes mentis, et illicitos motus corporis. Ezech. V, *Sume tibi gladium acutum, radentem pilos, tam capitis quam corporis.* Ezech. XXXI, *Gladius exacutus est.* Bis dicit acutus, propter duplicem ejus usum : idest quia scindet interius et exterius, ut dictum est. *Ut in ipso percutiat gentes*, idest omnes peccatores, dicens, ite maledicti. Ideo dicitur Job. XIX, *Fugite a facie gladii, quia ultor iniquitatis est gladius.* Vel *De ore ipsius. Glossa,* idest de prædicatoribus, qui sunt os Domini, quia Dominus loquitur per eos. Jerem. XVI, *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris*, Procedit gladius acutus, idest sermo prædicationis : de quo dicitur Hebr. V, *vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti.* Prov. XXX, *Omnis sermo Dei ignitus clypeus, quod est verbum Dei. Ut in ipso percutiat gentes. Glossa.* Quosdam ad mortem, quosdam ad vitam. Isa. XI, *Percutiet terram virga oris sui, Et ipse reget eas, Glossa :* sanctos de virtute in virtutem, malos de vitio in vitium, *In virga ferrea, Glossa*, inflexibili justitia, quæ tantummodo potest flecti per pœnitentiam. Jerem. XVIII, *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malum quod cogitavi ut face-*

ejus est, sed in futuro multo magis poterit fieri. Proverb. vi: *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujuspiam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Et ipse calcat*, idest calcabit, *Torcular furoris iræ Dei omnipotentis.* Glossa: idest mortem, quæ primo homini parata est in ligno Dei [illegible] fuit, sed Christi resurgentis destructa fuit in ipsa totaliter idest re, in nobis spe. I Corinth. xv: *Novissima inimica destruetur mors.* Vel secundum Glossam, *Torcular*, idest tribulationem, in qua Dominus sanctos passione calcat, in gratia sua ampliat: quam Deus ipsius Adæ peccati intulit, et quasi furibundus confringens *furorem*, idest offendens vindicta in progenie ejus extirpavit. *Et in vestimento*, idest in humanitate, quo quodammodo vestitur divinitas. Juxta illud Philip. ii: *inventus est ut homo. Habet in femore suo*, idest humanitate, non carne quælibet ex patrum progenie, per quam femur designatur, *Habet scriptum* [illegible] *Rex regum, et Dominus dominantium*: quasi dicat: etiam secundum humanitatem, ipse est rex, et Dominus sanctorum qui se et alios regunt, et dominium exercent in subditos. Vel sic: *Et in vestimento*, idest in sanctis novi Testamenti qui per gratiam baptismi sunt vestis Domini. Juxta illud Galat. iii: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.* Isa. xlix, *Vivit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris. Et in femore suo*, idest in antiquis patribus, a quibus descendit secundum carnem originem. *Habet scriptum*, calamo fidei, *Rex regum, et Dominus dominantium.* Quia tam hi quam illi credunt Christum esse regem, et Deum universorum. *Et vidi unum Angelum.* Glossa: [illegible] Christi, per quam potestatem diabolum expugnare, subdit admonitionem de præmio, ut tali Domino omnes fideles adhæreant, et possint vitam perdere ut gaudia adipiscantur. Dicit ergo, *Et vidi unum Angelum*, idest prædicatorum cœtum. *Stantem in sole*, idest perseverantem in aperta prædicatione, manentem in claritate cognitionis et simplicitate divinæ, vel in fervore tribulationis. *Et clamavit voce magna*, idest prædicatione aperta et secura et libera. *Dicens omnibus avibus.* Glossa, idest omnibus fidelibus qui agiles, et leves sunt in promotione bonorum operum, quorum conversatio in cœlis est. Phil. iii. Quæ volabant alis contemplationis. *Per medium cœli.* Ad litteram discurrendo mentis intuitu, per omnes ordines Angelorum, considerando vel cogitando, quantus sit ardor in Seraphim, quanta lux in Cherubim, quanta discretio in Thronis, quanta sublimitas in Dominationibus, quanta dignitas in Principatibus, quanta potentia in Potestatibus, quanta virtus in Virtutibus, quanta obedientia in Archangelis et Angelis. Contemplando etiam, et turmas patriarcharum, cuneos prophetarum, choros apostolorum, exercitus martyrum, collegia confessorum, choreas virginum, matronarum contubernia, conventus prædicatorum, cœnobia monachorum et monialium. Deinde ascendendo ad reginam omnium beatissimam Mariam dico, post quam venitur statim ad Christum. Juxta illud Cant. iii, *In lectulo meo quæsivi per noctem quem diligit anima mea; quæsivi illum, et non inveni: surgam, et circuibo civitatem*, idest cœlum vel Ecclesiam, *per vicos et plateas*, idest per diversos ordines sanctorum, *et quæram quem diligit anima mea. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: invenerunt me vigiles*, vel qui custodiebant. *Volabant*, studendo, prædicando. *Per medium cœlum*, per concordiam utriusque Testamenti, non in extremis. Manichæi tantum per novum, Judæi tantum per vetus Testamentum volant; et ideo utrique sine virtute sunt, quia virtus in medio est. Quid autem clamet ostendit. *Venite*, per fidem, *Et congregamini*, per bonam operationem. Vel venite bene operando. Et congregamini perseverando in bono. *Ad cœnam magnam Dei*, idest quam Deus faciet suis. Luc. xiv, *Homo quidam fecit cœnam magnam*: quæ dicitur magna, tum propter magnitudinem convivantium, tum propter magnitudinem ferculorum, de quibus alibi dictum est, tum propter longitudinem temporis, quia æterna erit cœna illa. *Ut*

manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum et servorum, et pusillorum ac magnorum. Glossa, idest ut delectemini in cruciatu impiorum, tam majorum quam minorum. Per Reges, intelliguntur majores principes sæculares, Per Tribunos, minores. Per Fortes, mediocres. Per Equos, subditos. Per Sedentes, prælatos Ecclesiasticos. Per Liberos, clericos; et tales sunt liberi. Per Servos, intelligitur laicus, qui tribunis et aliis subjacet. Vel per Liberos, intelligit absolutos a matrimonio. Per Servos, conjugatos. Per Pusillos, pusillanimes. Per Magnos, superbos et ambitiosos. Et hoc totum sumptum est de Ezech. XXXIX, ubi dicitur : *Dic omni volucri cœli et universis avibus, cunctisque bestiis agri, convenite, concurrite, præparate undique ad victimam meam, quia ego immolo vobis victoriam grandem super montes Israel, ut comedatis carnes et bibatis sanguinem : carnes fortium comedetis, et sanguinem principum terræ bibetis, victum agnorum, taurorum, et altilium, et pinguium omnium; et comedetis adipem in saturitatem, et bibetis sanguinem in ebrietate de victima, quam ego immolabo vobis; et saturabimini super mensam meam de equo, et de equite forti, et de universis viris bellatoribus, ait Dominus Deus.*

Et vidi bestiam etc. Hæc est tertia pars capituli, in qua agitur de pœna Antichristi et suorum. Et dicuntur hic quatuor. Primo causa pœnæ; scilicet pugna contra diabolum dominum. Secundo pœna exprimitur, scilicet mors æterna, ibi, *Et apprehensa est.* Tertio modus pœnæ, ibi, *Et vivi missi sunt.* Quarto gaudium sanctorum de damnatione Antichristi et suorum, ibi, *Et omnes aves.* Dicit ergo, *Et vidi bestiam*, idest Antichristum crudelem et effrenatum. *Et reges terræ. Clossa*, idest apostolos ejus, sola terrena quærentes. *Et exercitus eorum. Glossa*, idest omnes servientes ei. *Congregatos* unanimi militia. *Ad faciendum prælium cum illo*, idest contra Christum. *Qui sedebat in equo*, super carnem suam. Vel in equo, idest in choro prædicatorum qui sunt equus Christi. Job. XXXIX, *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Et cum exercitu ejus*, idest contra sanctos. Unde Dan. XI, *Magnificabitur adversus omnem Deum, et adversus Deum deorum loquetur magnifica, et dirigetur, donec impleatur iracundia.* Hoc autem prælium erit per tria : scilicet per blasphemias, per persecutiones, per miracula, sicut dicit *Glossa*. Unde Matth. XXIV, *Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ. Apprehensa est.* Hic exprimitur pœna Antichristi et suorum. Unde dicit, *Et apprehensa est. Glossa*, idest æternaliter punita. Bestia, idest Antichristi. *Et cum illa pseudoprophetæ*, qui bona futura promittebant servitoribus Antichristi. *Et qui fecit signa coram ipso*, idest quicumque fecit signa cum Antichristo, apprehensus est, idest punitus æternaliter. *Quibus* signis *Seduxit*, idest seorsum a rectitudine vitæ et fidei duxit eos, idest credentes bestiæ. *Qui acceperunt characterem bestiæ*, idest confirmaverunt. *Imaginem ejus*, idest statuam ejus vel apostolos ejus, qui dicuntur imago ejus, quia repræsentant et comitantur eum. *Vivi missi.* Hic ostenditur modus pœnæ, quia vivi in infernum mittentur, idest plus aliis punientur. Unde dicit, *Vivi missi sunt hi duo*, scilicet bestia, et pseudoprophetæ, et diabolus, et corpus suum totum *In stagnum ignis ardentis et sulphuris*, idest in tormentum inferni stabile et immobile, plenum ardore et fœtore. Et dicuntur mittendi vivi in infernum illi majores, quia scienter et ex certa malitia peccaverunt. Sicut illi de quibus dicit in Psalm. : *Descenderunt in infernum viventes.* Deinde subjungit de pœna minorum, quæ re vera minor erit. Quia minus peccant minores, in eodem genere peccati, quam majores, aliis paribus : propter quod dicitur Sapientiæ VI capitulo : *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio.* Dicit ergo, *Et cæteri sequentes ejus*, idest minores, *Occisi sunt*, idest occidentur. *In gladio sedentis super equum*, idest sententia Christi. *Qui procedit de ore ipsius*, idest procedet in die judicii, quando dicet, *ite maledicti etc.* Matth.

XIX. *Et omnes aves.* Hic ostendit gaudium sanctorum de punitione malorum; qui tamen non gaudent de pœna, sed de justitia Dei impleta. Unde dicit, *Et omnes aves saturatæ sunt de carnibus eorum*, idest omnes sancti delectati sunt videndo pœnas eorum. Psalm. : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Isa. in fine, *Egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me; et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Brevis epilogus præmissorum. Apertio igitur cœli, est revelatio mysterii. Equus albus, Homo Deus. Oculi ardentia, sapientia deitatis. Diademata multa, præmia diversa. Nomen scriptum, deitatis bonum. Vestis sanguine aspersa, caro sancta Christi passa. Exercitus cœli, omnes electi. Gladius acutus, sententia subtilis. Virga ferrea, justitia inflexibilis. Torcular uvæ furoris, iræ, pressura divinæ justitiæ. Scriptura in veste et in femore, rex regum et Dominus dominantium, perpetua potestas secundum humanam naturam assumptam. Unus Angelus, ordo prædicatorum universus. Vox magna, prædicationis instantia. Aves, dæmones. Cœna, ultima pœna. Bestia, Antichristus. Pseudo propheta, falsorum doctorum chorus. Stagnum ignis, profundum damnationis. Occisio cæterorum, damnatio subjectorum. Saturatio avium de carnibus eorum, delectatio sanctorum de cruciatibus damnatorum.

CAPUT XX

Et vidi Angelum etc. Dicta damnatione Babylonis et Antichristi et pseudo prophetarum et pseudo Apostolorum, supponit hic Joannes damnationem ipsius diaboli, ostendens causam damnationis eorum, et tempus, et auctorem, scilicet Christum, qui in humili adventu eum ligavit, et adeo multo fortius in secundo adventu, qui erit in virtute et majestate, poterit eum damnare. Dividitur autem istud capitulum in quatuor partes. In prima ostenditur auctor damnationis eorum, scilicet Christus. In secunda ostenditur damnatio abbreviatione datæ potestatis, ibi, *Et cum consummati.* In tertia ostenditur pœna quam ex hoc promeretur, quod Antichristum et suos contra Ecclesiam congregabit et armabit, ibi, *Et descendit ignis.* In quarta ostenditur generaliter pœna totius corporis diaboli, et ipsius diaboli, qui illos decipit, ibi, *Et vidi thronum.* In prima parte sic procedit. Primo agit de ligatione diaboli facta a Christo in primo adventu, et ostendit quanta libertas inde secuta est. Dicit ergo, *Et vidi Angelum*, idest Christum, de quo Isa. IX, *Et vocabitur magni consilii Angelus, Descendentem de cœlo*, idest carnem assumendo se humiliantem, in tantum ut de solio majestatis indueret saccum nostræ mortalitatis. Hic descensus fuit figuratus, Judic. VII, per descensum roris in vellus Gedeonis, area sicca manente. Vellus istud est beata Virgo, quæ repleta fuit gratia Dei, Synagoga sicca manente. Psalm. : *Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.* Quia aliquæ guttæ gratiæ, super aliquam partem inde ceciderunt. Hic descensus fuit significatus Dan. III, per descensum Angeli in fornace, et tres pueros conservatos ab ustione ignis. Quia fecit medium fornacis quasi ventum flantem roris. Fornax est mundus igne tribulationum et tentationum accensus. Unde Joannis V, *Totus mundus in maligno*, idest in malo igne, *positus est*, in quem Christus descendens, omnes fideles per tres pueros designatos, ab ardore tribulationum et tentationum liberavit, acerbitatem eorum temperando, adversarium refrenando, exemplas sustinendi docendo, sacramentorum gratiam conferendo, per doctrinam prædicationis erudiendo. Eccli. XLIII, *Obvians ros ab ardore veniente humilem efficit eum*, scilicet ardorem. Sequitur : *Habentem clavem abyssi*, idest potestatem super diabolum ligandi et absolvendi eum quantum voluerit. Diabolus enim nihil potest nisi permissus. Crux etiam dicitur clavis, quæ aperuit paradisum, et clausit infernum. Isa. XXII, *Dabo clavem domus David super humerum ejus, et aperiet* (paradisum scilicet) *et non erit qui claudat; et claudet* (infernum) *et non erit qui aperiat.* Supra V, *Qui aperit, et nemo claudit etc.* Et non solum super diabolum habuit

Christus potestatem, immo super omnia. Unde sequitur, *Et catenam magnam*. *Glossa*, idest inevitabilem potentiam, qua omnia et omnes constringit. *In manu sua*, etiam cruci affixa, licet tunc non appareret. Unde Habacuc III, *Cornua in manibus ejus ; ibi abscondita est fortitudo ejus ; ante faciem ejus ibit mors*, idest diabolus quem non latuit virtus divina, quoniam vinctum religavit eum. Hic ergo per catenam, Dei potentia designatur. Aliquando autem pœna temporalis, aliquando etiam pœna inferni significatur nomine pœnæ, scilicet catenæ. Unde Jerem. XXVIII, *Catenas ligneas contrivisti*, idest pœnitentiam hic facere noluisti, *et facies pro eis catenas ferreas*, idest incurres pœnas æternas. Aliquando etiam ipsa peccata nomine catenæ accipiuntur. Levitici XXVI, *Confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti. Et apprehendit.* Ostensa Christi potentia, ostendit usum unum illius potentiæ, scilicet alligationem diaboli, quam facit in primo adventu. Unde dicit, *Et apprehendit*, Christus scilicet *Draconem* idest diabolum. *Serpentem antiquum.* Diabolus dicitur draco, secundum *Glossam* propter nocendi astutiam. Antiquus, propter consuetudinem longævam, quia ab ipso initio nocere incepit. Unde Joan. VIII, *Ille homicida fuit ab initio. Qui est diabolus. Glossa*, idest deorsum fluens, scilicet in eos, qui terram circa versantur : vel deorsum, idest de cœlo corruit in infernum. Item diabolus, idest duos bolos faciens de peccatore. Unum de anima, alterum de corpore. *Et Satanas. Glossa*, idest adversarius, quia adversatur omnium bono, licet non semper impediat, quia non potest. *Et ligavit eum. Glossa*, idest priore potestate privavit, in parte scilicet, *Per mille annos*, idest toto tempore quo numerus electorum impletur, hoc est usque ad tempus Antichristi. Et bene per mille annos tempus quo perficitur numerus electorum intelligitur. Componitur enim ex triplici denario : nam decies decem decies sunt mille : et sancti in triplici statu, idest conjugatorum, continentium, prælatorum, vel triplici, scilicet ante legem, sub lege, sub gratia, mpleverunt decalogum, ut impleretur numerus electorum. Sed contra hanc dispositionem videretur esse quod statim dicitur, scilicet quod oportet eum solvi modico tempore, scilicet tempore Antichristi, et tunc nondum erit impletus numerus electorum. Solutio. Illud modicum erit prope finem, et ideo non facit oppositionem cum toto : et hoc frequenter facit scriptura per synecdochen a majori parte totum intelligens. Hæc ligatio fuit signata. Tob. VIII, ubi Raphael ligavit diabolum in superioribus partibus deserti. Raphael siquidem medicina interpretatur, et Christum significat, qui est omnium medicina : de qua Eccli. XXXVIII, *Altissimus creavit de terra medicinam.* Item Eccli. XLIII, *Medicina omnium in festinatione nebulæ. Et misit eum in abyssum*, idest in corda infidelium, ubi ejectus a fidelibus atrocius dominatur, ut dicit *Glossa.* Unde Matth. VIII, *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos.* Non est enim aliud missio Christi, quam ejus permissio, qua permittit diabolum dominari in malos. *Et clausit Glossa* idest licentiam ingrediendi ei interdicit, ubi occulto Dei judicio. Job XXXVIII, *Quis conclusit ostiis mare ?* idest diabolum : quasi dicat : nullus, nisi Christus. *Et signavit, Glossa* sigillum posuit, idest signum crucis, quod eum sic superat ut a fidelibus repellat, privans eum exercitio et usu potestatis suæ. Unde Origenes : « Tanta est virtus crucis, ut si in mente fideliter habeatur, nulla libido, nulla peccati possit prævalere invidia ; sed continuo ad memoriam ejus totius peccati et mortis fugiat exercitus. » Unde Exod. XII, *Exterminator non poterat intrare domos super quarum postes erat sanguis agni.* Ideo dicit sponsus ad sponsam, Cant. VII, *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Item signavit, quo ad scientiam. Quia diabolus ante passionem Christi sciebat, quod omnes descenderent in infernum ; modo vero nescit etiam de illis, quos scit esse in peccatis ; quia ignorat utrum pœniteant. Signavit, dico *super illum.* Hoc dicit, quia diabolus omnino subjacet virtuti crucis, nihil potest nisi permissus a Christo, *Ut non decipiat amplius gentes*, sicut solebat. *Donec consummentur mille anni, Glossa*, idest do-

nec Antichristus veniat. Quia tunc fere erit impletus numerus electorum. *Et post hæc*, idest post mille annos, idest appropinquante fine mundi, *Oportet*, secundum Dei ordinationem, *illum solvi*, idest ejus potestatem, sicut prius, relaxari. *Modico tempore*, tribus annis et dimidio, quantum scilicet regnabit Antichristus; et ideo non est timendus quia tantum regnabit. *Et vidi*. Hic ostenditur quanta pax et libertas data fuit Ecclesiæ post ligationem Satanæ. Ipso enim ligato, soluta erat nostra ligatura : quæ duplex est : scilicet una bene operandi ex sævitia ejus ; alia scilicet necessitas descendendi in infernum, et taliter duo ostendit hic. Primo quod reddita fuit libertas in paradisum intrandi. Libertas autem bene operandi maxime consistit in bona ordinatione prælatorum ad subditos et subditorum ad prælatos. Ut scilicet prælati bene regant et judicent, et subditi humiliter et devote obediant. Dicit ergo : *Et vidi*, dracone ligato, *Sedes*, idest fideles subditos paratos ad obediendum. *Et sederunt super eas* majores bene regendo. *Et judicium*, idest auctoritas judicandi. *Datum est illis*, prælatis : et constat, quod a Deo a quo est omnis potestas. Unde Rom. XIII, *Non est potestas nisi a Deo*. Et non solum auctoritas judicandi data est prælatis ; immo, et discretio, et executio judicandi, et subditis gratia obediendi. Si autem esset, quod prælati bene regerent et subditi bene obedirent, bene esset ordinata Ecclesia et timeretur ab hostibus. Juxta illud Cant. VI, *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* Sic fuit aliquando in tempore Moysi, et etiam in statu primitivæ Ecclesiæ. Unde Cant. I, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te*, idest ordinavi equitatum meum contra currus et exercitus Pharaonis, idest diaboli. Psalm. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in sancto*. Adhuc enim ita si prælati bene regerent et magis intenderent regimini quam dominationi, et prodessent quam honori, et officio quam otio. Juxta illud Actuum XX, *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus episcopos regere Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo*. Nota ordinem verborum istorum. Primo dicit *Attendite vobis*, deinde *gregi*, et postea sequitur, regimen Ecclesiæ. Prælatus debet attendere sibi primo, ut peccata caveat. Eccles. I, *Attende ne forte cadas et adducas animæ tuæ inhonorationem*. Item Eccles. XI, *Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala*. Item debet sibi attendere ab hypocrisi. Unde Matth. VI, *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Luc. XII, *Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis*. Item debet attendere sibi ab avaritia, ne velit per officium pastorale divitias congregare, sed potius pauperibus erogare. Eccles. V, *Noli attendere ad possessiones iniquas*. Item Eccles. XXXIV, *Quasi qui apprehendit umbram, et sequitur ventum : sic qui attendit ad visa mendacia*. Item debet sibi attendere a fornicatione super omnia : Tob. IV, *Fili mi attende tibi ab omni fornicatione*. Item debet sibi attendere a gula, Luc. XXI, *Attendite ne forte graventur corda vestra etc.* Proverb. XXIII, *Quando sederis, ut comedas cum principe, diligenter attende quæ sunt posita ante faciem tuam*. Hinc dicitur sacerdotibus, Lev. X, *Vinum et omne quod inebriare potest non bibetis, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini*. Ideo maxime debet sibi attendere ne peccet prælatus, quia exemplo ejus subditi scandalizantur et ad peccatum trahuntur. Unde Eccles. XLVII, *Peccavit Jeroboam et peccare fecit Israel et dedit viam peccandi Ephraim*. Gregorius in *Pastorali* : « Qui curam animarum suscipiunt, et si nunquam perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt quot ad subditos suos exempla perditionis transmiserunt. » Item debet prælatus attendere sibi, ut virtutes habeat etiam excellentes ; ut sicut excellit dignitate, sic excellat sanctitate. I Timoth. VI : et II Timoth. II, *Juvenilia desideria fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem*. Item debet prælatus attendere adversarios, ut sciat qualiter resistat. II Paralip. XX, *Attendite omnes viri Juda, et qui habitatis Jerusalem ; et tu rex Josaphat noli ti-*

mere omnem hanc multitudinem. Item debet attendere gregi, ut bene pascat. Mich. vii, *Pasce populum Domini in virga tua.* I Petr. v, *Pascite qui in vobis est gregem Domini.* Et Joan. xxi, præcipitur Petro, ut pascat agnos et oves, idest majores et minores ter, idest verbo et exemplo et temporali subsidio. *Et animas decollatorum.* Hic ostendit Joannes aliam libertatem intrandi in Paradisum. Unde dicit : *Et animas decollatorum propter testimonium Jesu*, quod reddebant de ipso, scilicet quod esset verus Deus contra Arium, et verus homo contra Manichæum, et quod vere surrexit a mortuis contra Judæum. Et quod venturus est judicare vivos et mortuos contra Sadducæum. *Et propter verbum Dei,* idest propter evangelium quod prædicabant, vel recipiebant. De hoc testimonio sanctorum dicitur Act. vii, *Reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri Jesu Christi cum fiducia*, *loquentes verbum Dei.* Joan. iii, *Quod scimus loquimur*, *et quod vidimus testamur*, *et testimonium nostrum non accipitis.* I Joan. i, *Quod fuit ab initio*, *quod audivimus*, *quod vidimus*, *quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*, *et vita manifestata est et vidimus*, *et testamur et annunciamus vobis vitam æternam.* Has inquam animas vidi. Et etiam vidi eos *Qui non adoraverunt bestiam*, idest Antichristum. *Neque imaginem ejus*, idest statuam ejus, vel Apostolos ipsius. *Neque acceperunt characterem ejus*, idest signum ostensivum, quod essent de familia ejus : vel *characterem*, idest litteras quibus se recognoscerent esse fideles ipsius. *In frontibus suis. Glossa*, idest manifesta confessione. *Aut in manibus suis. Glossa*, idest in operatione. *Et vixerunt*, post mortem corporis vita gloriæ. *Et regnaverunt cum Christo*, in cœlo, quod non fiebat ante adventum. *Mille annis*, idest æternaliter. Forte Joannes loquitur hic tantum de gloria animarum ante judicium. Totum autem tempus quo debet impleri numerus electorum, postquam recipient animæ corpora sua et regnabunt in æternum, significatur hic per Mille annos. Et notandum est quod dicit : *Vixerunt et regnaverunt.* Non autem dixit : *Vivent et regnabunt*, quia jam præsentialiter cum Christo vivunt et regnant animæ sanctorum, ex quo interfecti sunt pro Christo, ut dicit *Glossa.* Quod est valde contra hæreticos, qui dicunt, quod nullus intrat in cœlum usque in diem judicii. *Et ceteri mortuorum*, idest illi inter mortuos qui non fuerunt de numero prædictorum, sed fuerunt mortui in anima per peccatum. *Non vixerunt. Glossa*, idest æternas patientur pœnas. Minus dicit et plus significat. *Donec consummentur mille anni*, idest usque in finem mundi : et tunc non desinet pœna eorum, sed tunc resumptis corporibus punientur simul cum eis sine fine. Unde per Mille annos significatur tempus præsens usque ad judicium, quo numerus electorum perficitur sicut jam diximus. *Hæc est resurrectio prima. Glossa*, idest quod diabolus ligatus est et quod homines resurgunt a peccatis, et quod ipsis mortuis statim animæ fruuntur æterna requie. Et dicitur hæc resurrectio prima, respectu secundæ, in qua corpus et anima simul glorificantur. In prima autem resurrectione sunt tria : scilicet exitus a peccato per pœnitentiam : item profectus in bono per justitiam et introitus in gloriam immortalem, quo ad animam. Deinde ostendit Joannes dignitatem et utilitatem hujus resurrectionis ; quia prima resurrectio introducit ad secundam quæ est plena beatitudo, et liberat a morte secunda quæ est æterna damnatio. Unde dicit : *Beatus et sanctus est ille*, *qui habet partem in resurrectione prima.* Beatus quidem est gloria animæ jam adepta. Vel Beatus, beatitudine spei. Et sanctus, propter securitatem non amittendi adeptum. Vel Sanctus, idest in gratia firmus. Et bene dicit : *Qui habet partem.* Quia hæc resurrectio fit tantum secundum partem, idest in animam quæ resurgit, non secundum totum, idest secundum corpus et animam. *In his secunda mors non habet potestatem. Glossa*, idest æterna damnatio quæ erit in corpore et anima. Et dicitur hæc mors secunda quia sequitur ex prima quæ est mors culpæ, sicut effectus sequitur ex causa. Et vere in his non habet potestatem secunda mors, idest isti non moriuntur se-

cunda mors. *Sed erunt sacerdotes Dei et Christi.* Glossa. Laudis æternæ offerentes Deo auctori nostræ salutis, et Christo homini ministro nostræ redemptionis. *Et regnabunt cum illo*, idest corpore et anima bene regnabunt. *Mille annis*, idest toto tempore ab ortu Christi usque ad adventum Antichristi. Potest etiam hoc intelligi de gloria et regno animarum, quia in hoc tempore sine corporibus sunt in gloria æterna.

Et cum consummati etc. Secunda pars capituli, in qua ostenditur causa damnationis diaboli, quæ est abusus collatæ sibi potestatis. Et dicuntur hæc tria. Primum est de relaxatione potestatis. Secundum est de abusu relaxationis potestatis. Tertium est de refrenatione malignitatis ipsius, quia non permittitur prævalere sanctis, nec tantum nocere quantum vellet. Dicit ergo: *Et cum consummati fuerint mille anni*, idest tempus præsens. *Solvetur Satanas de carcere suo*, idest relaxabitur ejus potestas quæ modo ligata est in cordibus reproborum, quæ dicitur ejus carcer. Quia in eis habitat et non potest sævire in sanctos, sicut vellet. *Et exibit*, hoc abusus relaxatæ potestatis, quia desæviet in sanctos plusquam ante. Et primo occulte, postea aperte. Unde dicit: *Et exibit*, de malis ad bonos exercendo potestatem suam contra sanctos. *Et seducet*, idest a Christo ad se ducet. *Gentes multas quæ sunt super quatuor angulos terræ*. Non omnes, sed multas et de omnibus aliquos. *Gog et Magog*. Dicunt quidam Judæi, quod sunt duæ gentes quæ habitant in oriente et in fine mundi, idest circa finem venient contra Jerusalem, ut expugnent eam, sed a suo Messia devincentur, et tunc reædificabunt Jerusalem auream, et erunt in gloria magna, et ducent uxores et facient convivia, et sic mille anni erunt et postea transferentur in cœlum. Alii dicunt quod sunt decem tribus ultra montes Caspios inclusæ, unde non possunt exire sine difficultate magna propter montes et propter custodiam quæ non permittit eos exire a regina Amazonum, sub cujus jurisdictione vivunt; et ducent hos in Jerusalem ad suum Messiam, cum quo contra Ecclesiam Christi pugnabunt. Alii dicunt per Gog et Magog gentes intelligi. Alii Getas et Massagetas. Alii vero totum exercitum Antichristi, qui circa finem hujus sæculi impugnabit. Et alii dicunt per Gog significari illos qui habitant in tabernaculis. Per Magog illos qui habitant in civitatibus. Alii dicunt per Gog Antichristum significari et per Magog exercitum ejus. Nos autem magis volumus Glossis sanctorum adhærere quam aliquid temere definire. Secundum Glossam, per Gog intelliguntur illi per quos aperte persequetur diabolus Ecclesiam; et forte erunt iidem qui prius occulte et postea aperte persequentur et hoc extrahitur ex nominis interpretatione. Gog, interpretatur tectum et Magog detectum. Tamen Augustinus videtur velle, ut Gog sit nomen exercitus diaboli. Magog vero refertur ad diabolum, qui de tecto suo, idest de malis exibit ad bonos expugnandos. Augustinus autem sic XX *de Civitate Dei*, cap. 11: « Gentes istæ quas appellant Gog et Magog, non sunt sic accipiendæ, tamquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbararum constituti sive quos quidam suspicantur Getas et Massagetas propter litteras horum nominum primas, sive alios quos alienigenas. Sed per interpretationes nominum Gog tectum, Magog detectum, intelligimus gentes toto orbe terrarum diffusas. Gog enim tectum domus diaboli est, Magog detectus diabolus est qui procedit de domo. » Secundum hoc sic construe litteram. *Exibit* Diabolus de malis ad bonos suam potentiam exercendo. *Et seducet gentes multas quæ sunt super quatuor angulos terræ, scilicet Gog*, per quos prius occulte pugnabat, et postea *Magog*, de tecto manifeste exiens. Et tunc congregabit eos, scilicet Gog et Magog, idest illos per quos occulte et illos per quos aperte pugnabat contra Ecclesiam. Sic per Magog et per Gog similiter accipitur populus malorum. Secundum etiam propter hoc intelligitur per Magog, diabolus exiens ab eis. Gog et Magog, sunt gentes diversæ, vel eædem pugnantes contra Ecclesiam occulte et aperte, quas tempore Antichristi congregabit diabolus contra Ecclesiam in prælium, idest faciet prælium contra Ecclesiam, quo-

rum scilicet Gog, numerus est sicut arena maris quæ dicitur propter multitudinem et felicitatem et diversitatem. De hoc habetur Ezech. xxxviii, hoc modo : *Fili hominis pone faciem tuam contra Gog et terram Magog, principem capitis Mosoc et Tubal. Et ascenderunt,* idest ascendent superbiendo et aperte debacchando. *Super altitudinem terræ, Glossa*, idest omni orbe. Joel i : *Gens ascendet super terram meam fortis et innumerabilis : dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis : posuit vineam meam in desertum*, idest Ecclesiam, *et ficum meam decorticavit.* Ezech. xxxviii : *Ascendens quasi tempestas veniet et quasi nubes, ut operiret terram. Et circumierunt.* Hic ostenditur quod non permittitur diabolus secundum suum desiderium dominari in sanctos, dicens : *Et circumierunt*, idest circumient, vel circuibunt quasi invadentes etiam intrare non valentes. *Castra sanctorum*, idest sanctos paratos ad pugnam. Et ideo non potuerunt dæmones intrare. Gen. xxxiii : *Castra Dei sunt hæc. Et civitatem dilectam,* a Deo, idest Ecclesiam unanimem et concordem in bello contra diabolum et exercitum ejus.

Et descendit ignis etc. Hæc est tertia pars capituli, in qua ostenditur pœna diaboli quam meretur ex hoc quod Antichristum et suos contra Ecclesiam congregabit et armabit. Unde dicit : *Et descendit*, idest descendet ignis a Deo. *De cœlo*, idest carnis pœna involvens omnes illos, qui significantur per ignem. Quia sicut igni nil nisi aqua potest resistere, ita illi pœnæ nil potest resistere nisi sola Dei potentia. Psalm. : *Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Unde et hic sequitur : *Et devoravit eos*, idest devorabit subito. I Thess. iv : *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus superveniet interitus. Et diabolus qui seducebat eos*, per Antichristum et suos, *Missus est*, idest mittetur *In stagnum ignis et sulphuris*, idest in tormentum inferni, stabilis, ardens et fœtens, Ezech. xviii : *Ignem et sulphur pluant super eum et super exercitum ejus et super populos multos, qui cum eo sunt. Ubi Bestia*, idest Antichristus. *Et Pseudoprophetæ*, idest omnes complices ejus? qui mendaciter promittent felicitatem sibi : supple erunt cum eo. *Et cruciabuntur die ac nocte*, idest continue et sine interpolatione. Vel *die et nocte.* Quia ex luce quidem erit ibi aliquid, et ex tenebris erit excruciatus *in sæcula sæculorum*, idest sine fine. Supra iii : *Fumus tormentorum ejus ascendet in sæcula sæculorum.*

Et vidi thronum etc. Quarta pars capituli, in qua ostenditur pœna diaboli, quam meretur, ex hoc quod multos decepit. Et dicuntur hic tria : et primum pertinet ad diaboli confusionem. Secundo ponitur resurrectio omnium et remuneratio eorum, secundum opera eorum. Tertio subjungitur damnatio diaboli cum toto corpore suo. Primum quod pertinet ad confessionem diaboli, tria continet : scilicet mundi destructionem in quo principatum habuit, vel cordium manifestationem, in quibus latuit et consilia sua contulit. Vel apertam Christi dominationem super ipsum et suos, contra quem ipsi pugnaverunt. Dicturus autem Joannes de mundi destructione, præmittit a quo fiat, scilicet a Christo sedente supra thronum, idest Ecclesiam, et gubernante, et defendente. Unde dicit, *Et vidi thronum magnum*, idest Ecclesiam auctam, et virtutum sublimitatem magnam. Baruch. iii : *O Israel, quam magna est Domus Dei etc.* Candidum, per innocentiam. Vel secundum *Glossam*, per immortalitatem et impassibilitatem. Immortalitas ad dotes corporis, et impassibilitas ad dotes animæ, quod jam habet Ecclesia in quibusdam re, et in aliis spe. *Et sedentem super eum,* idest super thronum. Videlicet supple, hoc est Christum Ecclesiæ præsidentem, et ipsam regentem. Cant. iv : *Ferculum fecit Salomon de lignis Libani*, idest ex puris fidelibus, *columnas fecit argenteas*, idest prælatos claros fama, sonores doctrina, claros vita. *Reclinatorium aureum*, idest claustrales obedientes. Aurum enim ductile est, et ideo significat obedientiam. *Ascensum purpureum*, idest martyres, *media charitate, constravit*, quia omnes istos sic ex amore sibi conjunxit. De hoc etiam throno dicitur III Reg. x : *Fecit Salomon thronum*

de albo prædixi. A cujus conspectu, idest quæ ad judicium præsentialiter veniente, Fugit terra, et cœlum, idest a specie quam nunc habet. Quia tunc amittent speciem istam, quæ mutabitur in melius. I Cor. vii: Præterit figura hujus mundi, non substantia. Et locus non est inventus ab eis. Glossa: scilicet a terra et cœli secundum proprietatem; quod dicit: Forma quam habuerunt usque hodie non erit in eis. Per hoc, quod dicitur, Fugit, nota quod non omnino peribunt cœlum et terra, sed manebunt secundum substantiam, sicut qui fugit alium non ideo perit, sed a visu illius subtrahitur. Vel aliter secundum, per Cœlum, intelliguntur maligni spiritus qui in cœlo fuerunt olim. Per terram mali homines terrenis dediti. Et tunc hi quasi tunc fugient a facie Domini ad judicium venientis accepta sententia damnationis: Ite maledicti etc. Matth. xxv. Et postea non invenitur amplius eorum locus, quem prius habuerant, quia in infernum retrahentur in perpetuum. Huic expositioni concordat illud Psal.: Vidi impium superexaltatum, et elevatum etc. Sequitur: Et vidi mortuos. Hoc est secundum, quod pertinet ad confusionem diaboli: scilicet manifestatio cordium in quibus ipse dominatur, et consilia sua committit. Unde maxime confunditur, quia tunc aperte ostenditur ejus iniquitas. Dicit ergo: Et vidi mortuos, utraque morte, scilicet culpæ et naturæ. *Pusillos, et magnos*, idest tam majores, quam minores stantes, resumptis corporibus. *In conspectu throni*, idest judicis, et omnium sanctorum, qui omnino videbunt merita singulorum, ut dicit Glossa, et cum Domino judicabunt. Unde Sap. iii: *Judicabunt sancti nationes*. *Et libri aperti sunt*, idest conscientiæ, quæ modo latent, tunc apparebunt omnibus. Quia, ut dicit Gregorius: « Mentem uniuscujusque ab oculis alterius corpulentia non abscondit. Daniel. vii: *Judicium sedit, et libri aperti sunt*. I Corinth. iv: *Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*. Vel *Libri aperti sunt*, idest præcepta divina, quæ modo clausa videntur, quia non attenditur quod sequitur ex impletione vel transgressione eorum; sed tunc aperientur, quia tunc videbunt omnes malos, per transgressiones præceptorum divinorum puniri, et bonos, propter impletionem eorum remunerari. II Corinth. v: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. Et alius liber*. Hoc est testimonium, quod facit, ad confusionem diaboli; scilicet aperta et evidens potestas Christi super diabolum et membra ejus qui contra ipsum pugnaverunt. Unde dicit *Et alius liber*, idest Christus, apertus est, idest aperietur, quia omnibus apparebit omnipotens, malos damnando, et bonos præmiando. Unde Psal.: *Cognoscetur Dominus judicia faciens*: Beatus Bernardus: « qui modo ignoratur injuriam patiens. » *Qui est vitæ*, dator Job x: *Vitam et misericordiam tribuisti mihi*. Joan. xvii: *Ipse dat omnibus vitam et inspirationem*. Vel *Qui est vitæ*, idest vivens, vel vita. Joan. xiv: *Ego sum via, veritas, et vita*. Eccles. xxiv: *Hæc omnia liber vitæ*. Joan. v: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et dedit Filio vitam habere in semetipso*. Vel liber ejus est præscientia Dei sive dispositio divina, quæ modo latet, sed tunc erit omnibus aperta. Quia tunc manifeste videbitur, qui sunt præsciti ad mortem, et qui prædestinati ad vitam. Augustinus aliter exponit, intelligens per libros apertos omnes sanctos, in judicio existentes. Per alium librum intelligens vim divinam, per quam unusquisque videbit et recolet omnia mala quæcumque cogitavit dixit aut fecit. Unde liber ille alius idest vis divina alios libros aperiet, quia unusquisque suam conscientiam, et quicquid in eo latet, ostendet. Unde dicit Augustinus, xx *de Civitate Dei* cap. xiv: « Libri intelligendi sunt sancti veteres et novi, ut in illis ostenderetur, cui Deus sua præcepta fieri misisset. Sed vis divina intelligenda est, qua fiet, ut unicuique opera sua bona vel mala cuncta in memoriam revocentur: quæ nimirum vis divina libri nomen accepit. In ea quippe quodam modo legitur quicquid ea faciente recolitur. » Secundum hoc sensus est, *Libri aperti sunt*, idest

in judicio manifesti visui, in quibus mali poterunt legere bona, quæ facere debuerunt et neglexerunt. *Et alius liber apertus est*, idest illa vis divina unicuique ostendens facta sua omnia. *Qui est vitæ*, idest Christi, vel Dei. Nam vis illa divina solius Dei est. *Et judicati sunt mortui*, idest mali morte culpæ mortui. *Ex his, quæ scripta erant in libris*, idest propriis conscientiis, vel in scripturis divinis, vel in scientiis, quorum comparatione judicabuntur reprobi, legentes in eis, quæ ipsi facere noluerunt, ut dicit *Glossa*. *Secundum opera ipsorum*,, quia unicuique reddetur secundum meritum suum. *Et dedit mare.* Hic agit expressius de resurrectione corporum, ostendens, quod quantumcumque dejecta fuerint corpora sanctorum, tunc vivificabuntur et glorificabuntur. Quod quidam non credunt, ut dicit *Glossa*. *Et mare dedit*, idest dabit *Mortuos*, idest corpora mortuorum quæ dejecta sive submersa fuerunt in mare. De quibus minus videtur inesse et inest, ergo et de quo majus. Et inde probatur per locum a minori, quod omnes resurgent, Quia *mare dedit*, idest dabit, idest reddet, *Mortuos*, *qui in eo erant*, idest eorum corpora, secundum Augustinum. Sic et mare idest sæculum dedit mortuos, tam bonos quam malos, *Qui in eo erant*, idest erunt tunc. Hic enim loquitur Joannes, secundum Augustinum, de his qui vivi reperientur in judicio : et secundum hoc boni dicuntur mortui, bona morte, qua sancti moriuntur peccato vel mundo. De quibus dicitur Coloss. III, *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Mali vero dicuntur mortui mala morte, quæ separat a Deo, qui est vera vita hominum : de quibus dicitur Matth. VIII, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Sequitur. *Et mors. Glossa*, idest diabolus. *Et infernus Glossa*, idest tenebrarum locus, *Dederunt*, idest dabunt *Mortuos*, idest animas mortuorum, *Qui in ipsis erant*, idest quos tenebant violenter ; vel secundum expositionem Augustini, *Mors et infernus dederunt mortuos*, quia in ipsis erant. Quia sicut inventi fuerunt a judice veniente, sic aderunt judicio. Illos qui erant in inferno reddet infernus. Illos qui vivi erunt, occidet ignis, qui præcedet faciem judicis, et statim resurgent, et sic illos reddet mors. Vel sic. *Et mare*, idest baptismus, Dedit mortuos, qui in eo erant, idest repræsentabit Deo infantes, et ceteros qui in fide baptizati erunt. Et mors et infernus dederunt mortuos, qui in ipsis erant. Mortuos vocat illos, qui fidem receperunt, sed postea male vivendo in inferno se deputaverunt : et omnes illos repræsentabunt in judicio. *Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*, sine acceptione personæ. Sap. VI, *Non subtrahet personam cujusquam Dominus, qui est omnium dominator, nec verebitur magnitudinem cujusquam. Et infernus. Glossa*, idest profundi in vitiis, qui fecerunt de cordibus suis habitaculum dæmonum et locum tenebrarum. *Et mors Glossa*, idest diabolus, primus auctor mortis, *Missi sunt*, idest mittentur, *In stagnum ignis*, idest in profunditatem infernalis conflagrationis, idest in pœnam stabilem et acerbam. *Hæc est mors secunda.* Prima mors est peccatum, quo separatur Deus ab anima. Isa. XLIX, *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, et Deum vestrum.* Sap. I, *Perversæ cogitationes elongant se a Deo.* Secunda mors est supplicium æternum, quo utrumque, idest corpus et anima, separantur a gloria. Isa. XXVI : *tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Qui cavet primam mortem, non incurret secundam. Unde supra III, *Qui vicerit, non lædatur a morte secunda. Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus*, stylo prædestinationis, quo scribuntur tantum electi, *Missus est in stagnum ignis*, idest in infernum, ubi est ignis stabilis, idest inextinguibilis, qui scilicet nec extinguet nec extinguetur. Epilogus præmissorum. Angelus, itaque est Christus ; descensio Angeli incarnatio verbi ; Catena magna, potestas divina, Ligatio diaboli, cohibitio nocendi. Mille anni, tempus a Christo, usque ad adventum Antichristi. Sedes, subditi, Sedentes, prælati. Ceteri qui non vixerunt mortuorum, reprobi, qui jam perierunt. Resurrectio, prima justificatio in anima. Mors, secunda damnatio æterna. Solutio diaboli, relaxatio nocendi. Congregatio

Gog et Magog in prælium, summitatio malorum ad persequendum. Ignis et sulphuris, tormentum fœtidæ damnationis; Stagnum, Ecclesia. Libri apertio, conscientiarum revelatio; mortui, judicati ex scriptis in libro vitæ, damnatio malorum ex comparatione justorum; stagnum ignis, profunditas damnationis.

CAPUT XXI

Et vidi cœlum novum etc. Hæc est sexta visio, in qua agitur de innovatione elementorum, et glorificatione sanctorum, et pulchritudine supernæ Jerusalem. Et continet hæc visio duo capitula: scilicet vigesimum primum et vigesimum secundum, quod est ultimum. Differt autem hæc visio a præcedenti: quia præcedens continet ea, quæ circa judicium et post futura sunt circa malos. Hæc autem visio continet ea quæ futura sunt circa bonos. In hoc autem capitulo agitur de duobus: scilicet de innovatione elementorum; et de glorificatione sanctorum. In sequenti capitulo agitur de pulchritudine et amœnitate supernæ Jerusalem. Et quoniam in ore duorum vel trium testium *stat omne verbum*, ut dicitur Deut. XIX, ideo ad certificationem istorum triplex testimonium habuit Joannes. Primo scilicet qui hanc visionem vidit. Secundo testimonium patrum quibus Deus multa revelavit. Tertio testimonium Dei sedentis in throno. Ex prædictis jam patet, quod hoc capitulum duas partes habet. In prima agitur de innovatione mundi, quæ duplex est: scilicet innovatio elementorum, et innovatio corporum humanorum. In secunda agitur de dignitate et refectione cœlestis Jerusalem, ibi, *Et venit unus*. Circa primam partem dicuntur octo. Primo ostenditur gloria sanctorum, quam in ipsis habebunt: scilicet de innovatione mundi, quæ bene hic ponitur. Secundo describitur gloria sanctorum, quam in ipsis habebunt, ibi, *Et ego Joannes*. Tertio, ne hoc incredibile videatur, confirmat auctoritate patrum, qui hoc prædixerunt, ibi, *Et audivi vocem*. Quarto, ut hoc testimonium firmius habeatur, et certius, confirmat auctoritate, et testimonio Domini, ibi, *Et dixit*. Quinto præcipitur Joanni, ut hoc scribat ad utilitatem sequentium, qui ea sunt visuri, ibi, *Et dixit mihi, scribe*. Ne ejus scriptum condemnetur, ostenditur, quod cito hæc omnia complebuntur, ibi, *Et dixit mihi, factum est*. Septimo, ut omnis dubitatio amoveatur, probat hoc idem Joannes per locum a minori sumptum a potentia Dei: quia si creare potuit Deus mundum, potuit et innovare, ibi, *Ego sum Alpha et Omega*. Octavo subjungit executionem per comparationem pœnæ et præmii, ut omnes ad hanc innovationem, venire laborent, ibi, *Ego sitienti dabo*. Dicit ergo, *Et vidi*, idest intellexi spiritu revelante, *Cœlum novum*, *Glossa*, idest aerem innovandum. ***Et terram novam***, **idest terram innovatam**. Quæ innovatio fiet per illum magnum ignem, qui præcedet faciem judicis. Sicut dicitur II Petr. III, *Adveniet, inquit, dies Domini, sicut fur, in qua cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur. Novos vero cœlos et novam terram, et promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat*. Ibi *Glossa*: elementa quatuor, quibus mundus consistit, ille maximus ignis absumet. Nec cuncta in tantum consumet, ut non sint, sed duo ex toto consumet, duo vero in meliorem restituet faciem et statum. Ex hac *Glossa* videtur, quod non omnia elementa innovabuntur, sed duo tantum, et alia omnia consumentur. Sed dicendum est, quod revera omnia innovabuntur elementa, et remanebunt secundum substantiam suam, sed transibunt secundum exteriorem formam, et qualitates substantiales eorum remanebunt secundum quod sunt, sed secundum actionem et passionem mutuam transibunt. Homines vero existentes in statu mortis, indigent mutua actione elementorum. Et ideo peribunt qualitates elementorum, secundum quod sunt agentes et patientes. Unde Augustinus de *Civitate Dei* cap. XVI: « Elementorum, inquit, corruptibilium qualitates, quæ in corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque eorum substantia eas qualitates habebit, quæ in corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniunt. Ut

mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus in carne in melius innovatis. » De hac materia satis diximus in fine lib. IV *Sententiarum :* et ideo modo transimus. *Primum enim cœlum et prima terra abiit*, idest priorem statum amisit. Quia ille status amplius non erit necessarius, ut dicit *Glossa. Et mare jam non est. Glossa*, secundum priorem statum ; quia amaritudo aquarum et crassitudo auferetur ; et remanebunt secundum substantiam melioratam et innovantem. Sed quæritur quis sit ille ignis maximus? Circa hoc multi multa dixerunt : sed Augustinus videtur velle, in libro *de civitate Dei cap.* VI, quod ignis ille maximus erit conflagratio mundanarum aquarum. Omnes enim materiæ ignibiles tunc incendentur et comburentur. Sed ex hoc videtur, quod aqua non innovabitur, quia non est combustibilis, sed potius per ignem evaporabilis : de quo etiam Augustinus, dubitare videtur in libro XX *de Civitate Dei* cap X, ubi dicit : « Cœlum quippe novum et terram novam legimus futuram. De mari autem novo, me uspiam legisse, non recolo. » Item videtur, quod ignis non innovabitur, sed omnino deficiet ; quia subtracta materia ignibili, naturaliter deficiet ignis, juxta illud : « subtrahe ligna foco, protinus ignis abest. » Et constat, quod tunc deficiet materia ignibilis. Nam aliter duraret ille maximus ignis in perpetuum : quare videtur, quod ignis et aqua non consumentur. Item quæritur, si omnia elementa innovabuntur, per quod innovabitur ignis? cum ille maxime non ascendat , nisi quantum ascenderunt aquæ diluvii? Et constat, quod aquæ non ascenderunt usque ad ignis elementum. Dicitur, quod forte ignis elementum purgabitur sive innovabitur per seipsum, quia naturaliter habet virtutem purgativam, similiter et aqua, ut dicit *Glossa*. Mystice per cœlum significatur spiritus humanus, per terram caro. Unde Isa. ult.: *cœlum mihi sedes est etc.* Et hæc innovabuntur, idest in melius mutabuntur. Per mare vero multitudo impiorum, quæ amplius non erit, quia ab esse vero separati sunt. Unde Augustinus, XX de *Civitate Dei :* « Nomine maris significatur hoc sæculum turbulentum et procellosum. » De quo Psal. *Hoc mare magnum et spatiosum etc. Et Ego Joannes.* Ostensa exteriori gloria, ostendit eam quam sancti habebunt in seipsis. Unde dicit : *Et ego vidi civitatem*, idest Ecclesiam sub una civium suorum lege viventem et in uno libro legentem et sub uno Domino degentem, Joan. X, *Alias oves habeo et illas oportet me adducere, et flet unum ovile etc.* Psalm. : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas etc. Sanctam*, idest omnino mundam. Ephes. V, *Dilexit Ecclesiam et tradidit se ipsum pro ea, ut illam sanctificaret etc.* Item Sanctam, idest firmam et stabilem securam : tunc certa erit, quod a sponso separari non poterit, nec toto nec in parte, Isa XXXII, *Sebebit populus meus in pulchritudine pacis.* Psalm. *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit etc. Jerusalem : Glossa*, idest in omni quiete et pace positam et Deum, qui est vera pax, videntem, ut nihil possit turbare pacem ejus : sicut Isa. XXV : *Non erit leo, et mala bestia non ascendet per eam.* Novam, idest innovatam, quia tunc plenarie auferetur omnis vetustas, tam culpæ quam pœnæ ab ea, quando *hoc mortale induet immortalitatem*, ut dicitur I Corinth. XV. *Descendentem de cœlo*, per humilitatem et innocentiam qua se omnino subjiciet Deo. Vel per recognitionem, quia recognoscet quicquid boni habet et habuit, a Deo, non a se habere. Unde supra IV, *Procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno. Glossa*, ibi in secreto cordis attribuentes Deo victoriam vitiorum et tribulationum. Augustinus, IX *de Civitate Dei* cap. XVII, exponit sic dicens : *De cœlo descendentem.* Civitas ista dicitur, quoniam cœlestis est gratia, qua Deus eam fecit. Et de cœlo quidem ab initio sui descendit, quando per hujus sæculi tempora gratia Dei superveniente per lavacrum regenerationis, per Spiritum sanctum missa de cœlo, subinde cives ejus ostenderet. Unde descendentem, non modo cum jam est in gloria, sed prius per infusionem gratiæ in baptismo. *A Deo paratam*, Apparatu virtutum quæ a Deo solo sunt. *Sicut sponsam ornatam*, orna-

in ornatu suo et apparatu. *Viro suo*, idest ad honorem viri sui, idest ad honorem viri sui. Vel sicut dicit alia littera, cujus ornatum ostendit Psalm.: *Omnis gloria ejus filiae regis ab intus* etc. I Petr. 3: Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri etc. *Sed qui est absconditus homo* etc. Hic ornatus Ecclesiae significatur Esther per hoc quod legitur quod Esther induta gloria sua, induens ingredi ad Assuerum assumpsit duas ancillas suas, quarum uni deliciosa se innitens indumenta sustentabat, et altera super se defluentia quae per defluxit tenerum supportabat. Esther interpretatur abscondita; et significat Ecclesiam quae semper in absconditis tacuit sui sponsi est a conturbatione hominum. Una famula quae eam sustentat est humilitas quae pulverem calcavit sanctorum. Altera quae eam supportat est charitas quae omnia sustinet et omnia suffert, ut dicitur I Corinth. XIII. Eleganter autem ponit hic nomen suum Joannes, ubi loquitur, ergo eleganter subponit hic nomen ad innuendum quod ad illam gloriam nemo pervenit nisi per gratiam. Psalm.: *Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi* etc. Quia *stantes erant*, idest in gratia, per quam quasi per atrium intratur ad gloriam. Et denotat hic septem quae faciunt ad gloriam Ecclesiae: quorum quatuor habebit in futuro, tantum tria habet in praesenti, ut possit vere dicit Ecclesia: O terque quaterque beati: Ter beati, propter tres dotes animae: Quater beati, propter quatuor dotes animae et corporis. Tamen tria quatuor, quae hic ponuntur communia sunt. Primum est unitas. Unde dicit: *Civitatem*. Secundum, securitas. Unde dicit, *Sanctam*, idest firmam. Tertium est pax. Unde dicit *Jerusalem*. Quartum incorruptio. Unde dicit *Novam*, quia semper in novitate sua erit, et numquam veterascet. Deinde sequuntur tria quae in praesenti habita ducunt ad quatuor praedicta. Primum est descensus gratiae in baptismum. Unde *descendentem de caelo*. Secundum est spirituale vasculum, quibus se parat in occursum sponsi. Unde dicit: *A Deo paratam*. Tertium est bonorum morum compositio et virtutum decor, quibus in via vitae obviatura sponsusi se ornavit. Unde dicit: *Sicut sponsam ornatam monilibus suis. Et audivi.* Hic confirmat patrum testimonio, quod dixerat de innovatione elementorum et glorificatione prophetica: quae dicitur *magna*, quia a magno est, idest de coelo, quae magna sunt respectu terrae. Terra enim respectu coeli est quasi punctus, sive centrum ad circulum. *De throno*, supple, Praesidentium, idest ab illis quibus Deus sedet. *Dicentem*: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, idest in videnti et in apparenti est, quod humanitas Christi est in gloria cum hominibus, cum quibus militavit in terra: quasi dicat: Sicut homo Christus Jesus habitavit in terra cum hominibus, ita inseparabiliter habitabunt cum eo in gloria qui imitati sunt eum. *Et habitabit cum eis*, ut dominus cum famulis. Ezech. ult. Nomen civitatis ex illa dicit Dominus ibidem. Et dicit Tabernaculum; non quod in patria sit necessitas militandi; sed ad innuendum familiaritatem inter Deum et homines, et sanctos, sicut solet esse inter reges et milites, dum sunt in expeditione. Unde Isa. XXXIII, *Oculi tui videbunt civitatem Jerusalem opulentam: tabernaculum, quod nequaquam transferri potest, nec auferentur clavi ejus in sempiternum: ibi magnificus Dominus Deus noster. Et ipsi populus ejus erunt. Glossa*, in nullo eum offendentes: quod esse non potest, dum sunt, in carne. Quia, ut dicitur Eccles. Non est sanctus, qui non peccet et faciat bonum. *Et ipse Deus* existens secundum divinitatem praesentialiter *cum eis*, apparens eis manifeste, secundum utramque naturam *erit eorum Deus* per essentiam et apparentiam, quia numquam de cetero recedet ab eis, nec ipsi ab eo. Hoc totum sumptum est de Levit. XXVI: ubi dicitur: *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet anima vestra: et ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis meus populus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum*, idest omnem causam lacrymandi amovebit ab eis, et omnem miseriam culpae et poenae quae est causa lacrymandi. Quia ibi, nec culpa, nec poena, nec miseria poterit esse, ibique erit plena gloria. *Et mors non*

erit ultra, ibi. Sed neque in inferno mors, dico naturæ, idest dissolutio animæ et corporis de qua loquitur hic Joannes, ut dicit *Glossa*. I. Corinth. xv, *Absorpta est mors in victoria. Neque luctus erit* ibi, quia nulla causa lugendi erit ibi. Et nota quod quatuor modis fit luctus sanctorum, ut dicit Rabanus. Aut cum propria peccata deplorant, aut cum in inferno cadentes plangunt, aut cum pro peccatis viventes lacrymantur, aut cum pro desiderio cœlestis regni lugent. Patet quod nullus horum erit ibi, quia nec luctus. Luctus non allevians conscientiam, sed eremans corpus, ut dicit quidam sanctus. Matth. vii, *Erit ibi fletus et stridor dentium. Neque clamor. Glossa*, idest : Aliqua inquietatio. Quia ibi erit *requies opulenta*, ut dicitur Isa. xxxiii. *Neque dolor* erit ultra quia nil mali erit ibi, de cujus præsentia est dolor. Isa. xlv, *Exultabo in Jerusalem et gaudebo in populo meo, et non audietur in ea ultra vox fletus et vox clamoris. Quia prima*, idest prius in hoc mundo habita, *Abierunt*, cum reprobis in inferno, ubi est omnis causa lugendi, sed in patria nulla causa luctus poterit intrare, quia tanta erit affluentia gaudiorum et omnium bonorum, quod etiam miseriæ vel molestiæ præsentes oblivioni tradentur, secundum quod sunt causa vel materia luctus. Isa. v, *Non erunt in memoria priora*. Ex his patet quod miseria præcedet ad gloriam, sicut via ad terminum. Act. xiv, *Per multas tribulationes*. Luc. ult. *Nonne oportuit Christum pati, et ita intrare etc.* Stultus est qui per aliam viam vult intrare in gloriam, quoniam Filius Dei et sapientia Patris omnia potest et omnia scit. Per eamdem viam venerunt omnes sancti etiam mater sua, quam super omnia dilexit. Hieronymus : « Nimis delicatus miles es, si vis hic gaudere cum mundo, et cum Christo in fine regnare. » Matth. v, *Beati qui lugent*. Augustinus : « venale habeo quid? regnum cœlorum, quanti emitur? paupertate regnum, labore requies, dolore gaudium, vilitate gloria, morte vita. » Augustinus, *de Civitate Dei* xxii, cap. xvii, dicit quod hæc non possunt intelligi de Ecclesia militante, sic dicens : « Quis ita vesanus audeat affirmare in hujus mortis ærumnis, non dico populum sanctum, sed unumquemque sanctorum, qui habeat vel ducat vel duxerit vel ducturus sit vitam, nullas habentem lacrymas et dolores? cum potius quanto est quisque sanctior et desideriis sanctis plenior, tanto sit in orando fletus ejus uberior? » Quatuor ergo removet Joannes a patria, per quæ possunt intelligi omnia alia mala. Per hoc quod dicit : *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum*, removet omnem gravem laborem. Supra xiv, *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis etc.* Per hoc quod dicit : *Mors ibi non erit*, amovet omnem infirmitatem. Unde Isa. xxv, *Præcipitabit Dominus mortem in sempiternum*. Et per hoc quod dicit : *Neque luctus*, removet omne peccatum, de quo solo lugendum est, ut dicit *Glossa*. Per hoc quod dicit : *Neque clamor*, removet omnem violentiam et indigentiam. Per hoc quod dicit. *Neque dolor*, removet præsentiam omnis mali. Isa. xiv, *In die illa cum dederit tibi requiem Dominus*. Sequitur, *Et dixit mihi*. Hic confirmat Joannes auctoritate et testimonio Christi, quod dixit de innovatione mundi et glorificatione sanctorum dicens : *Et dixit mihi qui sedebat in throno*, idest in Christo, cui data est potestas judicandi. *Ecce*, idest evidenter et statim. *Nova facio omnia*, superius dicta, idest cœlum et terram et sanctorum corpora. Unde Isa. lxv, *Ecce ego Dominus novos creo cœlos etc.* Isaiæ in fine, *Sic cœli novi et terra nova etc. Et dixit mihi*, Christus scilicet, *Scribe*. Hic præcipitur Joanni, ut visa scribat ad utilitatem sequentium : et ostenditur ratio quare scribenda sunt. Quia scilicet *vera* et fide digna sunt, triplici testimonio approbata. Dicit quoque, Et *dixit mihi*, Christus scilicet *scribe*. Primo in corde tuo, deinde in codice ad utilitatem legentium. *Quia hæc verba*, quæ audisti de mundi innovatione et sanctorum gloria, *Fidelissima sunt*, idest fide dignissima sunt, triplici testimonio approbata. *Et vera*. Quia sicut dixi ita fiet; et ideo fidelissima sunt. Sed quare non dicitur quod verissima sint, sed fidelissima? Solutio : fidelissima dicuntur respectu numeri, unde potest re-

cipere comparationem : vera dicuntur tropoeia coeli; et ideo proprie non recipit comparationem : et si aliquando dicitur aliquid alio verius, hoc est respectu minori et improprie. Et hæc verba sunt fidelia quia confirmata Novo testamento; Fideliora, quia additum est testimonium sanctorum patrum; Fidelissima, quia subjunctum est testimonium Christi. Et dixit mihi. Quia magnum est et mirum quod dixit, ne forte contemneretur quod dixit et scripsit, ostendit his Joannes quod ita fient omnia quæ dixit, et ideo confirmanda non sunt. Dicit ergo : *Et dixit mihi*, idem qui prius, scilicet Christus, *Factum est*, cito fiet quidquid prædictum est. Matth. v, *Jota unum, aut unus apex etc.* *Ego sum.* Hic probat Joannes quasi per locum a minori, quod hæc omnia fient a Christo. Quia si potuit mundum ex nihilo creare, multo fortius poterit innovare creatum. Unde dicit : *Ego sum Alpha et Omega.* Et exponit quid est hoc. *Initium et finis*, idest dator et servator omnium ; quasi dicat : *Ego creavi omnia, et ego consummabo omnia et innovabo ea.* *Ego sitienti.* Hic subjungit exhortationem invitans ad credendum et concupiscendum et percipiendum hanc innovationem, per participationem pœnitentiæ et pœnæ. Et primo ponit primum quod dabitur fidelibus innovatis dicens : *Ego*, cui subjicitur posse, et nosse, et velle, *Dabo gratis*, non reddam meritis. *Sitienti*, idest Deum desideranti et expectanti. *De fonte aquæ vitæ gratis*, idest qui faciet vivere omnes qui bibunt de aqua ista. Joan. iv, *Qui biberit ex aqua quam ego etc.* Fons iste Christus est. Unde Psalm. : *Quia apud te est fons vitæ etc.* Aquæ hujus fontis sunt virtutes, et dona, et cetera beneficia, quæ ab ipso jugiter et abundanter emanant et largius emanabunt in die renovationis elementorum et glorificationis sanctorum. Ipsa etiam innovatio et glorificatio rivuli sunt illius fontis; et singula bona quæ dabit sanctis sunt rivuli istius fontis. *Qui vicerit.* Quia dixerat sitienti se daturum de fonte aquæ vitæ gratis, ne putaret aliquis quod sufficeret semel fuisse seu desiderasse; ideo ostendit, quia oportet perseverare in desiderio illo, quia sola perseverantia coronatur. Juxta illud Matth. x, *Qui perseveraverit etc.* I Cor. ix, *Omnes quidem currunt, sed unus etc.*, scilicet perseverans. Dicit ergo : *Qui vicerit*, omnes hostes, et in victoria perseverat, *Possidebit hæc*, idest firmiter et immobiliter Deum immortalem tenebit. Supra ii, *Qui vicerit dabo ei etc.*; et ibidem : *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes et ero illi Deus omnia bona ei tribuens et ipse erit mihi filius filiali amore me amplectens* : quasi dicat : Sicut pater diligit filium et bona sua illi communicat, sic ego diligam eos et bona mea illis communicabo. Isa. vi, *Dabo eis in domo etc.* *Timidis autem.* Hic ostendit Joannes pœnam illorum qui non desiderant illam innovationem et glorificationem, nec laborant ut ad illam perveniant. Et ponit octo genera malorum, quibus infligetur pœna æterna. Unde dicit : *Timidis autem*, quasi dicat : vincentibus dabo supra dicta ; Timidis autem, idest illis qui timore humano vel mundano fidem negant, vel recipere nolunt, vel peccant mortaliter. *Et incredulis*, idest de hac innovatione desperantibus. *Et execratis*, idest excommunicatis et sine pudore peccantibus. *Et homicidis*, non solum corporalibus, sed etiam spiritualibus, I Joan. iii, *Qui odit fratrem suum etc.* Ambrosius : « Pasce famelicum morientem, si non pavisti occidisti. » Eccles. xxxiv, *Qui aufert in sudore panem*, idest qui cum sudore acquisitus est, *quasi qui occiderit proximum etc.* *Et fornicatoribus*, corporalibus et spiritualibus. *Et veneficis*, idest illis qui venenum propinant ad litteram, vel venenum detractionis, seu erroris. *Et idololatris*, idest illis qui (ad litteram) colunt idola, vel adulatoribus, qui principibus et prælatis malis et indignis qui sunt idola spiritualia adulantur et eis adulantes adorant. Psalm. : *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* *Et omnibus mendacibus*, idest omnibus quibus mendacium est in usu. Sap. i, *Os quod mentitur, occidit animam* : et intelligitur de mendacio pernicioso, quia officiosum et otiosum non sunt mortalia, nisi ex alio fiunt. *Et pars illorum*, idest omnium prædictorum. *Erunt in sta-*

gnum ignis ardentis et sulphuris. Unusquisque tamen pro qualitate culpæ suæ : quod est mors secunda : ut dictum est supra eodem. Psal. : *Ignis, sulphur etc.*

Et venit unus etc. Secunda pars capituli, in qua ostendit Joannes dignitatem supernæ Jerusalem : quæ dignitas ad similitudinem civitatis naturalis consistit in duodecim conditionibus a quibus commendatur. Primo igitur describitur civitas cœlestis a situ, ibi, *Et situ.* Secundo ab artifice, ibi, *Et ostendit.* Tertio a firma clausura, ibi, *Et habebit murum.* Quarto a fundamenti positione, ibi, *Et murus civitatis.* Quinto a qualitate dispositionis, ibi, *qui loquebatur.* Sexto a quantitate mensurationis, ibi, *Et mensus est civitatem.* Septimo a pretiositate materiæ, ibi, *Et erit structura.* Octavo a munditia platearum, ibi, *Et plateæ.* Nono a regis auctoritate, ibi, *Et templum non vidi in ea.* Decimo a servitorum industria, ibi, *Ambulabunt gentes.* Undecimo a plena securitate, ibi, *Et portæ ejus non claudentur.* Duodecimo a civium puritate et bonitate, ibi. *Et afferent gloriam et honorem.* Et hæc omnia sunt spiritualiter intelligenda quia ad litteram non possunt esse vera. Situs ergo civitatis cœlestis est mons magnus, idest Christus. Juxta illud I Cor. III, *Fundamentum aliud etc.* Artifex est Dominus. Hebr. XI, *Expectabat enim fundamenta habentia civitatem, cujus artifex et conditor Deus.* Unde Isa. XXVI, *Urbs fortitudinis etc.* Antemurale exterius est humanitas. Murus interior est divinitas, fundamenta sunt prophetæ et Apostoli. *Jam non estis hospites etc.* Dispositio civitatis est ordinata positio personarum. Quia una supra aliam ; vel quadratura virtutum. Muri civitatis sunt fideles, vel virtutes. Plateæ sunt conjugati. Vir est Christus. Servitores Angeli. Securitas est ibi, quia omnes certi erunt, quod non amittent quod habent. Civium puritas, quia nullus malus est ibi. Hanc ergo descripturus civitatem Joannes ostendit primo quo monstrante hoc scivit : quod facit, ne fictum putaretur. Dicit ergo : *Et venit,* missus a patre luminum. *Unus de septem,* ordinibus prædicatorum, de quibus dictum est supra decimoquinto et decimo capitulo. *Habentibus septem phialas,* idest universas Scripturas. *Plenas septem plagis novissimis,* idest tempore novissimo infligendis. Et per hoc quod est unus de septem Angelis, innuit Joannes, quod universus prædicatorum cœtus, præsentium, præteritorum et futurorum, in hoc concordat quod talis sit dignitas cœlestis Jerusalem, qualis nunc describitur a Joanne. Vel *Unus de septem Angelis,* potest Christus intelligi, qui est de numero prædicatorum, sicut caput dicitur pars corporis et numeratur inter membra, et est tamen supra membra regens ea. Cujus inspiratione Joannes cognovit ea quæ dicit : *Et locutus est mecum.* Non dicit, « mihi, » sed, *mecum,* quia mutua erit locutio. *Dicens,* interius loquens per inspirationem. *Veni. Glossa,* idest intellectum applica, vel amplia : quod fit cum homo separat et subtrahit se a tumultu mundi et curis sæculi et diligenter audit quæ dicuntur. Eccles. IV, *Custodi pedem tuum domum Dei ingrediens, et appropinqua, ut audias. Et ostendam tibi sponsam,* idest Ecclesiam sponsione prophetarum desponsatam. Oseæ II, *Sponsabo te mihi in fide. Uxorem Agni,* idest eamdem Ecclesiam sibi in incarnatione de præsenti convictam. Vel sponsa dicitur, quamdiu est in peregrinatione extra domum sponsi. Joan. III, *Qui habet sponsam, sponsus est.* Uxor vero erit, quando transducta fuerit in domum sponsi. *Et sustulit.* Hic incipit Joannes describere civitatem, incipiens a statu, quia scilicet in monte posita est. Unde dicit : *Et sustulit me in spiritu,* idest in mentis excessu, *In montem magnum et altum. Glossa:* « Mons est Christus qui est munimentum suorum. » De quo Micheæ IV, *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini.* Super hunc montem ædificata est Ecclesia Dei, Matth. X, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hic mons dicitur magnus, quia totam Ecclesiam replet, ut dicit *Glossa.* Jerem. XXIII, *Cœlum et terram ego impleo.* Isa. VI, *Plena est terra gloria ejus.* Dicitur autem altus, quia insuperabilis est, ut dicit *Glossa.* Vel dicitur magnus, idest immensus, secundum divinitatem : altus et eminens in vita, secundum humanitatem. Vel magnus potentia, altus incom-

profunditate. Rom. xi: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! — Et ostendit mihi. Hic describuntur artifices quæ Ecclesiæ competit tria: scilicet Sacramentum sublimitatem gratiæ, charitatem superlativam. Item opera bona, sicut requiritur ad fabricam in domo materiali. Primo describit artifices fundamentum Ecclesiæ. Secundo ponitur superius ornamentum. Tertio lectorem superponentem. Dicit ergo de primo: *Et ostendit mihi civitatem*, idest Ecclesiam super Christum fundatam. *Sanctam*, idest mundam et firmam. *Jerusalem*, idest Deum in pace videntem. *Descendentem de cœlo*, idest quidquid boni habet se a Deo habere cognoscit. *Descendentem de cœlo*, idest recipientem gratiam desuper in baptismo a Deo, a quo est omne bonum. Jacobi I: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est* etc. *Habentem claritatem Dei*, idest divinam opinionem, quam modo habet obscuram, quoniam nunc videmus per speculum in ænigmate. Vel habentem claritatem Dei, idest divinam claritatem, quia Deus illuminabit eam. *Et lumen ejus*, idest Christus, qui est lumen in Testamento. Infra, *Civitas illa non eget sole, neque luna, ut luceat in ea, quia claritas Dei illuminabit eam et lucerna ejus est Agnus. Lumen*, dico, *simile lapidi pretioso*, idest Christo, qui fuit in proposito Patris et lumen virtutibus: de quo dicitur Isa. xxviii, *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem, probatum, pretiosum, electum, in fundamento fundatum. Tanquam lapidi jaspidi*: in quo significatur firmitas et veritas fidei quam habet Ecclesia in via, vel intelligitur firma cognitio ejus, quam habebit in patria: et utrumque in jaspide designatur. Jaspis enim sanat oculos corporales: sic fides visum cognitio patriæ sanat et confortat oculos spirituales. Sed quia opera nostra non sunt pura omnino, idest necessaria est confessio qua purgatur mens, quæ significatur per crystallum quæ est transparens et lucens, ubi voluntas est pura confessio, et dicit Glossa: Fidem sequitur, *Sicut crystallum*, supple lumen ejus, idest ipsa civitas lucens. In via quidem habet fidem et confessionem puram. Unde Rom. x, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, etc.* In patria est cognitio plena et confessio laudis. Unde Augustinus de *Civitate Dei*: « Videbimus et amabimus. » Isa. li, *Qui redempti sunt a Domino, revertentur et venient cum laude in Sion laudantes*. Hoc dictum est supra quarto, *Qui sedebat similis erat aspectu lapidis jaspidis et sardinis, et in circuitu sedis tanquam vitreum simile crystallo*. Per mare baptismus ; per crystallum confessio designatur, quæ sunt duo lavatoria Ecclesiæ. Sequitur, *Et habebat murum*. Hic describitur civitas et clausura. Et dicuntur hic tria. Primo qualis et quantus sit murus. Secundo ponitur muri ornatus qui est in ordinatione portarum. Tertio ponitur dispositio portarum. Per murum Christus significatur, ut diximus ; per portas Apostoli et prælati, per quos intratur in cœlestem Jerusalem ; per dispositionem ternarum portarum in quatuor partibus civitatis ostenditur, quod intratur cœlestem Jerusalem per fidem de quatuor partibus mundi. Dicit ergo : *et habebat* civitas ista quam vidit Ioannes *Murum magnum*, secundum humanitatem per vitæ eminentiam. *Et altum* secundum divinitatem qua excedit omnem scientiam. Unde Psalm : *Mirabilis facta est scientia tua ex me. Habens portas duodecim. Glossa*, idest Patriarchæ per quorum exemplum alii ad fidem introducuntur. Quorum fidem prædicaverunt Apostoli et tenemus nos moderni. Unde sequitur, *Et in portis angulos duodecim*, idest Apostolos, vel prophetas ; qui dicuntur anguli, quia sicut angulus connectit duos parietes, sic Prophetæ, sic Apostoli, doctrina et prædicatione converterunt in fide una, vel quia duo prædicaverunt relata ad unum, scilicet fidem et mores vitæ Christi : vel duo præcepta charitatis servaverunt et prædicaverunt : propter quod etiam *misit Dominus discipulos suos ad prædicandum*, Luc. xii. Secundum aliam *Glossam* portæ sunt Apostoli, quorum doctrina intratur ad fidem et regnum. Anguli sunt subditi quos ipsi instruxerunt et quasi angulos in Ecclesia constituerunt. *Et nomina scripta*, supple erant in portis. *Quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel*, idest memoria et auctoritas et exemplum

sanctorum patrum veteris Testamenti qui ortum habuerunt ex duodecim patriarchis, erunt in vita et doctrina Apostolorum. Quod antiqui videntes dixerunt esse futurum. Apostoli sanctum prædicaverunt et vitam eorum vivendo tenuerunt. Hebr. x, *Umbram enim habens lex futurorum*, non ipsam imaginem rerum. Ideo se Christus in veritatem exhibuit et Apostoli exhibitam prædicaverunt. Joan. I, *Lex per Moysen data est, gratia et veritas etc.* Ideo dicit Dominus Apostolis, Joan. x, *Alii laboraverunt et vos in labores eorum introistis. Dominus dedit eis cisternas quas non foderunt, vineam et oliveta quæ non plantaverunt*, sicut dicitur Deuteronom. VI. Sequitur de dispositione portarum. *Ab oriente portæ tres et ab austro portæ tres, ab aquilone portæ tres et ab occasu portæ tres*, idest per fidem Trinitatis, quam antiqui patres tenuerunt et prædicaverunt Apostoli, ex quatuor partibus mundi intratur in requiem Dei. Unde Psalm. : *Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici et de regionibus congregavit eos. A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.* Secundum *Glossam*, Per orientem significantur Judæi, a quibus sol justitiæ ortus est. Unde Joan. IV, *Salus ex Judæis est.* In his portæ tres, quia his primo fides Trinitatis et a Prophetis et Apostolis prædicata est. Et primi de Judæis introierunt ad fidem. Per aquilonem significantur gentiles frigidi per infidelitatem, qui post Judæos ad fidem intraverunt et per fidem in Ecclesiam. Per austrum significatur totum tempus ab ortu Christi usque ad adventum Antichristi in quo caluit charitas. In his portæ tres, qui multi hoc tempore Ecclesiam intraverunt. Per occasum significatur tempus ab Antichristo usque ad finem mundi, quando per Enoch Eliam et socios eorum prædicabitur fides Trinitatis, et multi etiam tunc intrabunt. Item per orientem significatur prima ætas hominis, infantia sive pueritia. Ab hac sunt tres portæ, quia infantibus et pueris patet introitus in Ecclesiam per fidem Trinitatis. Item per aquilonem ventum frigidum significatur senectus quæ frigida est, quia naturalis calor tunc frigescit : et ab hac portæ tres, quia etiam senibus patet introitus in Ecclesiam per fidem Trinitatis. Item per austrum significatur juventus sive adolescentia, quando fervet calor naturalis amplius. Et ab hac portæ tres, quia adolescentibus sive juvenibus patet introitus in Ecclesiam per fidem Trinitatis. Item per occasum significatur senium sive decrepita ætas quæ juxta occasum est, et ab hoc etiam tres portæ, quia senibus et decrepitis patet introitus in Ecclesiam per fidem Trinitatis. Quid ergo volunt sibi duodecim portæ civitatis, sic dispositæ, nisi quod ostendunt, quod in omni ætate et in omni tempore patet introitus in Ecclesiam Dei ? Ideo clamat Dominus quater incessanter, *revertere, revertere, Sunamitis, revertere, revertere. ut intueamur te.* Sed in morte clauduntur istæ januæ. Ideo clamat Apostolus Hebr. XIV, *Festinemus ingredi in illam requiem.* Cant. III, *Surge, propera amica mea etc.* Vel Tres portæ sunt tres virtutes theologicæ, scilicet fides, spes, charitas : vel tres partes pœnitentiæ, scilicet contritio, confessio et satisfactio, per quas ex quatuor partibus mundi intratur in Ecclesiam. Item oriens potest esse nativitas hominis, ubi portæ tres sunt nativitatis sive nascentium conditiones, scilicet paupertas, seu nuditas, fœdita, set imbecillitas. Occasus est mors hominis, ubi tres sunt portæ, scilicet tres morientium conditiones : scilicet incertitudo mortis, quia nescitur quando, vel quomodo, vel in quo statu mors venit. Juxta illud Eccles. VIII, *Nescit homo finem.* Amaritudo doloris. Juxta illud Eccles. XLI, *O mors quam amara est memoria tua! homini pacem habenti in substantiis suis, multo amarior est ejus præsentia.* Item formido insidiatoris, quia in morte maxime insidiatur diabolus. Unde Gen. IV, *Ipsa conteret caput tuum et tu insidiaberis calcaneo ejus.* Inter hos terminos est tota vita hominis : quæ aut est in prosperitate, et sic est auster, cujus portæ tres, tres ejus sunt qualitates, scilicet vanitas, brevitas, instabilitas. Quia omnis prosperitas vana est. Unde Eccles. I, *Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Item brevis est. Unde Eccles. XI, *Omnis potentatus brevis vita.* Isa. XL, *Omnis caro fœnum et omnis glo-*

vae ejus quasi *flos fœni*. Item instabilis est. Unde Ezech. dicit : *A mane usque ad vesperum finies me*. Aut est in adversitate, cujus portæ tres. Ipsa scilicet tribulatio quæ purgat hominem. Unde Eccles. xxvii, *Vasa figuli probat fornax*. Item in via fidei accendunt. Unde Psalm. : *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt*. Item tentatio illuminat ad sui et Dei cognitionem. Unde Jerem. vi, Secundum aliam editionem : Per omne flagellum erudi Jerusalem, sola vexatio dabit tantummodo intellectum auditui. Gregorius : « Pœna quippe interrogat, si quis Deum veraciter amat. » Gregorius, « Qui dubitat an dii sint adorandi, indiget pœna ; quasi dicat : si pœna esset, de hoc non dubitaret. » Per has portas intratur in civitatem ; quia qui hæc perfecte consideraret, ad cœlestem patriam sine dubio festinaret. Unde Ezech. xxxvii, *A quatuor ventis veni super interfectos istos et reviviscant*. Item duodecim portæ civitatis sunt duodecim partes prædicationis. Sicut enim per portas intratur in civitatem, sic per prædicationem intratur in Ecclesiam cœlestem. Per orientem significatur prædicatio monitoria cujus portæ tres sunt species admonitionis. Ad pugnandum quæ ad incipientes. Ad progrediendum quæ ad proficientes. Ad perseverandum quæ ad perfectos. Vel prima admonitio fit ad conjugatos. Secunda ad continentes. Tertia ad prælatos, ut omnes pugnent, proficiant, perseverent : hi sunt Job, Daniel et Noe Ezech. xiv. Per aquilonem significatur prædicatio minatoria, cujus portæ sunt tres comminationis species : scilicet comminatio horribilis mortis, comminatio districti judicii, comminatio æterni supplicii. Item per austrum significatur prædicatio consolatoria ; cujus portæ sunt tres, scilicet tres promissiones quas faciunt prædicatores. Prima est promissio veniæ promerendæ. Secunda promissio gratiæ recuperandæ. Tertia promissio gloriæ adipiscendæ. Matth. iv : *Agite pœnitentiam : appropinquabit enim regnum cœlorum*. Item per occasum significatur prædicatio redargutoria, cujus portæ sunt tres redargutionis partes. Prima est de peccato cordis. Secunda de peccato oris. Tertia de peccato operis. Vel prima dicitur de concupiscentia carnis. Secunda de concupiscentia oculorum. Tertia de superbia vitæ. Vel prima de peccato in Patrem, quod fit per fragilitatem. Secunda de peccato in Filium, quod fit per ignorantiam. Tertia de peccato in Spiritum sanctum quod fit per certam malitiam. Vel prima de peccato in Deum. Secunda de peccato in proximum. Tertia de peccato in seipsum. Propter hoc dicitur Apoc. viii : *Væ væ, væ habitantibus terram*. Item per portas civitatis, significantur aliquando prælati, per quorum vitam et doctrinam intrare deberent populi in Ecclesiam. Sed hæ ita defixæ sunt in terram, quod non possunt aperiri, ad intromittendum populum. Unde Thren. ii : *Defixæ sunt in terra portæ eorum*, idest Jerusalem ; et ideo clamat Propheta, *Attollite portas principes vestras et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ*, cum populo suo. Sicut dicitur Isa. lx : *Occupabit sol muros tuos et portas tuas laudem*. Per orientem significatur charitas sive splendor cognitionis ejus, cujus portæ sunt tres cognitionis species quas debent habere prælati : scilicet cognitionem mundi et eorum quæ in mundo sunt ad contemnendum. Item cognitionem cœli et eorum quæ in eo sunt ad considerandum. Item cognitionem inferni et eorum quæ in eo sunt ad declinandum et fugiendum. Hoc triplex lumen, sive triplex cognitio, est *donum optimum descendens a Patre luminum*, ut dicitur Jacob. i. Donum perfectum est donum cognitionis, scilicet contemptus mundi, desiderium cœli, declinatio inferni ; et sic intratur in civitatem, per has portas. Item per aquilonem significatur fortitudo, sine timore qui generaliter frigidus est. Cujus portæ sunt tres formidinis partes quæ nascuntur ex triplici cognitione prædicta. Prima est timor de conversatione mundi. Secunda de amissione cœli. Tertia de inventione inferni. Item per austrum significatur fervor dilectionis, cujus portæ tres sunt dilectionis species, quas deberent habere prælati. Prima est amor Dei. Secunda amor sui. Tertia amor proximi. Vel triplex amor portæ

australis est triplicis boni amor : idest boni expedientis, honesti, delectabilis. Hic est triplex ustio solis. De qua dicitur Eccles. XLIII : *Tripliciter sol exurens montes, igneos radios exsufflans.* Item per occasum significatur luctus, cujus portæ tres sunt, scilicet tres luctus species. Prima est de mundi ignorantia, quam significavit luctus Domini super civitatem Jerusalem, Luc. XXIII : *Videns Jesus civitatem flevit super illam dicens, si cognovisses et tu utique fleres.* Secunda est de mundi miseria, quam significavit luctus super suscitationem Lazari, Joan. XV, quem revocavit ad miseriam mundi. Tertia est de mundi duritia, quam significavit luctus Domini in cruce, ubi flevit duritiam Judaici populi qui tot signis visis non potuit emolliri. Si prælati haberent triplicem cognitione et triplicem timorem et triplicem amorem, et triplicem luctum, tunc pateret introitus Paradisi et multi intrarent post illos. Sed heu! hodie, quia pauci habent eam ; ideo nec ipsi prælati intrant, nec subditi, nisi pauci. Unde Luc. XI : *Væ vobis legisperitis qui tulistis clavem scientiæ et ipsi non introistis, et illos qui introibant prohibuistis.* Forte quia timent hanc maledictionem, vel comminationem quæ fit legisperitis ; ideo nolunt scire legem. Sed re vera, nec sic evadunt, quia facti legisperiti prælati esse debent. Unde Gregorius II : « Interroga sacerdotes legem. » Ibi Hieronymus : « Si sacerdos est, de lege respondet : si respondere nescit, sacerdos non est. » Malach. II : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem ex ore ejus requirunt.* Oseæ IV : *Quia repulisti scientiam, ego repellam te etc.* Sequitur. *Et murus civitatis*, idest Christus vel fides Christi qua intratur in Ecclesiam. Unde Isa. LIV : *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos et fundabo te in sapphiris et ponam jaspidem propugnacula tua et portas tuas in lapides sculptos.* Ibi dicit *Glossa*, quod per jaspidem significatur fides qua munitur Ecclesia *Habens fundamenta duodecim*, idest Patriarchas duodecim, idest per quos fundata est, quia illi primi hanc fidem tenuerunt ; et in illis innituntur, quicumque ad fidem accedunt. *Et in ipsis fundamentis duodecim nomina duodecim Apostolorum*, supple : scripta erant. Hoc est supra fidem et doctrinam Apostolorum. Quia quod illi crediderunt et docuerunt futurum, isti crediderunt et prædicaverunt jam factum. *Et Agni*, nomen similiter scriptum erat in eis, quia Patriarchæ plenam fidem de illo habuerunt. Unde Joan. VIII : *Abraham exultavit, ut videret diem meum, et vidit et gavisus est. Et qui loquebatur* scilicet Angelus in persona Christi mecum. *Glossa* idest ad placitum meum, quia Joanni placebat, quod audiebat. *Habebat mensuram arundineam auream. Glossa*, idest divinam Scripturam Dei sapientia compositam qua tangit et illustrat corda fidelium. *Ut metiretur civitatem et portas ejus*, idest secundum capacitatem suam daret unicuique tam minori quam majori, intelligentiam Scripturarum in præsenti, et in futuro cognitionem divinam quæ facit beatum. Unde per civitatem intelliguntur hic minores. Per portas majores. *Et murum, Glossa*, idest defensores Ecclesiæ quorum primus et præcipuus est Christus ; demum prædicatores et doctores qui per doctrinam et prædicationem suam defendunt Ecclesiam. Sed heu ! pro magna parte murus iste dissipatus est, ita ut possint hostes libere in civitatem intrare per rupturas murorum. Thren. II : *Factus est Dominus quasi inimicus, præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus.* Item in eodem : *cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion : tetendit funiculum suum et non avertit manum suam a perditione, luxitque antemurale et murus pariter dissipatus est.* Ezech. XIII : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Hunc igitur murum mensurat Christus Dominus noster, quia unicuique secundum capacitatem dat intelligentiam in præsenti et secundum mensuram gratiæ mensurabit gloriam in futuro. Nec est omnium una mensura ; sed secundum capacitatem vasis, alii minor, alii major datur intelligentia et gratia. Rom. XII : *Unicuique secundum quod Deus divisit mensuram fidei etc.* Simile Ezech. XL : *Ecce vir cujus erat species quasi species æris, et funiculus ligneus in manu ejus,*

et calamum mensuræ in manu ejus. Non dicit calamum aureum sicut hic dicitur arundo aurea, quia ibi loquitur Propheta de lege veteri, hic de nova. Item ibi agitur de militanti Ecclesia, hic de triumphanti, et aurum sicut solidi et pretiosi. Et infra. Hic describitur civitas a qualitate figuræ. Unde dicit: *Et civitas in quadro posita est.* Glossa: « Quatuor latera sunt fides, spes, charitas et operatio: quæ sunt æqualia, quia quantum quis credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum diligit; quantum diligit, tantum operatur. *In quadro*, idest. *Posita est firmiter*, fundata est fide, longanimis spe, ampla charitate, efficax opere. Vel quatuor latera sunt quatuor virtutes principales, quibus *nil est utilius in hac vita hominibus*, ut dicitur Sap. VIII: Quarum una non debet alteram excedere, in uno homine. Prudentia in appetendo bono et vitando malo; quam sequitur temperantia, ut a voluptatibus se retrahat homo; post hæc fortitudo, ut quod intelligit operetur; deinde justitia, ut sic suos actus temperet, ne nimis justus vel sapiens videatur. Unde Eccle. VII: *Noli esse nimis justus, nec plus sapias quam oportet, ne obstupescas.* Hæc quadratura virtutum cardinalium remanebit in patria, secundum aliquos usus, ut dicit Augustinus, non secundum omnes. Prudentiæ enim usus duplex est: unus est præcavere insidias: hic usus non erit in patria, sed cessabit, quia nullæ erunt insidiæ ibi. Item alius usus est nullum præponere vel æquare Deo: hic usus erit in patria. Similiter duplex est usus temperantiæ. Unus est delectationes noxias cohibere, hic cessabit. Alius est nulla mala movere delectatione; hic remanebit. Item justitiæ duplex est usus. Unus est subvenire miseris, hic cessabit. Alius est Deo firmiter adhærere, et regenti subditum esse: et hic remanebit. Unde patet, quod primus actus justitiæ est subditum esse Deo universaliter: ex quo sequitur quod reddet unicuique quod suum est. Deinde exponit quadraturam et ejus qualitatem secundum priorem expositionem, dicens: *Et longitudo ejus.* Glossa: idest charitas. Contra I Cor. XIII: *Manent fides, spes, charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* Solutio. Æquales sunt omnes virtutes, quoad vim merendi, quia omnium est una vis et una ratio merendi, scilicet gratia Dei. Charitas autem dicitur major quo ad dignitatem, quia ipsa est forma virtutum, et prima participat rationem merendi, et ab ipsa habent aliæ, quod sunt meritoriæ. Sicut dicitur I Cor. XIII: *Si linguis hominum loquar etc. Et mensus est.* Hic describitur civitas a debita quantitate, tam secundum longitudinem ejus quam secundum altitudinem. Dicit ergo: Mensus est Angelus, idest Christus civitatem idest Ecclesiam, quo ad minores, quorum collectio hic dicitur civitas. *De arundine*, idest de sacra Scriptura, in qua promittitur unicuique beatitudo æterna, secundum quantitatem meritorum. Similiter et pœna æterna secundum exigentiam meritorum. Unde Psal.: *Reddet unicuique juxta opera sua.* Matth. VII: *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis. Per stadia duodecim.* Stadium est spatium et cursus hominum vel equorum; et significat exercitium virtutum cardinalium, secundum triplicem statum hominum; idest credentium, operantium, perseverantium, quod notatur per duodecim millia. Duodenarius componitur ex ternario et quaternario: per ternarium significatur status credentium, per quaternarium status operantium, per mille status perseverantium. Quid est ergo: *Mensus est civitatem per stadia duodecim millia*, nisi quod in scriptura cujuslibet credentium, operantium, perseverantium, terminavit gloriam secundum meritorum mensuram? et debet intelligi conjunctim; quia credentibus solum non debetur merces, quia *fides* singulorum *sine operibus mortua est, et otiosa* idest carens mercede. Jacob. II. Item operantibus tantum non debetur merces, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, etiam in sine fide non est meritum. Hebr. XI. Item credentibus et operantibus tantum non debetur merces, nisi perseverent. I Cor. IX: *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Unus, idest perseverans. Unde ergo per duodecim stadia mensuratur civitas, quia exercentibus se in fide

et operibus cum perseverantia debetur merces, secundum mensuram meriti. I Cor. II : *Unusquisque propriam mercedem recipiet, secundum suum laborem*, Deinde ostendit dimensionem meriti, quo ad virtutes theologicas quas dicit esse æquales. Unde subjungit. *Et longitudo Glossa :* idest charitas, quæ extenditur a dextra usque ad sinistram, idest ab amicis usque ad inimicos. *Et altitudo. Glossa* : idest civitatis. *Æqualia sunt* in virtute merendi, vel in perseverantia. Quia nulla virtus sine perseverantia meretur gloriam. Unde perseverantia est una mensura omnium : et sic in quantum ordinantur ad mercedem æquales sunt omnes virtutes. *Et mensus est muros ejus*, idest doctores et prædicatores, qui sunt Ecclesiæ defensores, undique circumdantes eam et custodientes. Unde Cant. III : *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* Et ostendit mensuram, sive quantitatem murorum, dicens, *Centum quadragintaquatuor cubitorum.* Hæc (inquit) erat quantitas murorum. Cubitus, in quo est manus, significat operationem, ut dicit *Glossa*, quæ respicit triplicem statum hominum : idest incipientium, qui significatur per quadraginta, proficientium, qui significatur per quatuor virtutes cardinales in quarum exercitio est profectus; et status perfectorum, qui significatur per centum qui numerus transit de læva in desteram, ut dicit Beda. Prædicatoribus autem secundum statum triplicem convenit operatio bona, non tantum lingua; unde Psalm. : *Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum*, sed secundum operationem qua mensuratur ei merces. Unde sensus est : Et mensus est muros civitatis quadraginta quatuor cubitorum, idest prædicatoribus promisit æternam beatitudinem, secundum mensuram operum eorum. In omni statu hoc dicit, quia unicuique majorem sive minorum mensuratur a Christo præmium, secundum mensuram operum. *Mensura hominis, quæ est Angeli :* quasi dicat : ille, qui sic mensurabat in specie hominis mihi apparebat, erat Angelus, in quo ostendebatur Dei Filius verus Deus et verus homo esse. Tamen per hoc quod dicitur, mensura hominis, quæ est Angeli, intelligunt quidam, scilicet ut una sit mensura cubitorum hominis et Angeli esse perhibetur secundum rationem et ordinem cœlestium spirituum sive rerum spiritualium ordinativa sunt humana mysteria in Ecclesia militante. Unde Exod. XXV, dictum est Moysi : *Vide, ut omnia facias secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte.* Item nota quod si conjungatur numerus stadiorum hic positus, et numerus cubitorum muri, fit numerus omnium signatorum, scilicet centum quadragintaquatuor millia, qui numerus surgit ex duodenario ducto in se; nam duodecim duodecies, sunt centum quadragintaquatuor millia. Omnium igitur electorum ponit hic mensuram Angelus. Sequitur. *Et erat structura.* Hic ostendit Joannes qualis sit murorum materia, et fundamentorum, et portarum civitatis : hic siquidem tria numeraverat describendo civitatem. Dicit ergo, *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide*, per quem designatur fides, propter ejus virorem, qui confortat visum corporalem : sic et fides visum spiritualem : quasi dicat : Ex fortibus et fide currentibus fiunt Ecclesiæ defensores. Unde Cant. III, *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Loquitur autem Joannes de defensione Ecclesiæ quæ fit per prædicationem fidei, vel disputationem. Unde Cant. VIII, *Si murus* est, ædificemus super eum propugnacula : idest si aliquis talis est, ut possit defendere Ecclesiam per prædicationem vel disputationem, abjiciendo malitiam impiorum, prius oportet ut instruatur, et armetur fide. Bene ergo dicit, *Et erat structura muri*, idest murus constructus ex lapide jaspidis, idest ex viris fortissimis perfectam fidem servantibus. *Ipsa vero civitas*, idest murorum congregatio, inter murorum protectionem posita. *Auro mundo*, idest ex auro mundo constructa est. *Simile vitro mundo*, quod est perlucidum, ita quod sub eo est, exterius videatur. Unde innocentiam significat baptismalem. Aurum vero significat charitatem : et hæc duo frequentius inveniuntur in minoribus. Unde Psalm. : *Audivimus eum in Ephrata*, idest in ma-

jacebat. Sed inveniemus eam in campis silvæ, idest in mentibus. Proverb. III, Cum simplicibus sermocinatio ejus. Item per aurum significantur tres dotes animæ. In fulgore significatur visio. In valore dilectio. In pondere apprehensio. Per vitrum vero significatur gloria corporum. Vitrum enim primo resolvitur in pulverem, postea fit vitrum lucidissimum : sic corpus humanum moriendo redit in pulverem, Unde Gen. III, *Pulvis es, et in pulverem reverteris*, sed resurgendo mutabitur in vitri perspicuitatem. Unde I Cor. XV, *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria*. Unde Isa. XL, *Omnis caro fœnum*. Job XXVIII, *non adæquabitur ei aurum vel vitrum*. Sequitur, *Fundamenta muri civitatis*, idest Prophetæ et Apostoli, quorum fide et doctrina tota civitas Ecclesiæ fundata est. De quibus dicitur in Psalm. : *Fundamenta ejus in montibus sanctis. Omni lapide pretioso ornata*, erant, supple, omni genere virtutum et bonorum operum. Nec tantum prophetæ et Apostoli fundamenta dicuntur, sed etiam alii majores, qui vitam et fidem ipsorum habuerunt : qui non ratione personarum, sed opere virtutum, fundamenta dicuntur, quia per hoc Ecclesiam fundaverunt. Propter quod Joannes hic ostendit quibus virtutibus ipsi in Ecclesia luxerunt, reponens eos sub denario numero sic, ut ostendatur, eos splenduisse omnibus virtutibus. Hic enim numerus universitatem significat, quia ex partibus septenarii conficitur, idest ternario et quaternario. Et quia fides inter virtutes prima est, juxta illud Prudentii : « Prima petit campum dubia sub sorte duelli, pugnatura fides : » et quia *sine fide nil placet Deo*, ut dicitur Heb. XI : ideo in primo fundamento ponitur fides. Nec moveat te, quod lapides fundamenta dicuntur, quia ideo fundamenta dicuntur, quia sancti per virtutes fundamenta sunt. Unde cum dicitur Jaspidis est fundamentum, sensus est, idest fundamenti ornamentum. Dicit ergo, *Fundamentum primum*, idest primum ornamentum fundamenti *Jaspis*, idest fides semper virens, et viscera confortans. Sed numquid fides erit in patria aut in triumphanti Ecclesia, de qua hic agitur? non : sed venientibus ad Ecclesiam prima occurrit, per quam in prædictam civitatem intratur : quam qui non habuerint, in eam intrare poterunt. *Secundum fundamentum*, idest secundum fundamenti ornamentum est sapphirus, cujus color sereno cœlo similis est, qui percussus radiis solis, ardentem emittit fulgorem, et per hoc significat spem, qua rapimur ad cœlestia, et per hoc in amorem cœlestium inflammamur contempto sæculi amore, ut possimus dicere cum Apostolo, *Nostra conversatio in cœlis est*, Phil. III. Isa. LIV, *Fundabo te sapphiris*. Tertium fundamenti ornamentum est chalcedonius, qui lapis pallenti lucernæ similis est : et fulget magis sub dio, quam in domo calefactus a sole. Vel digitorum attactu paleas ad se trahit, sculpentium argumentis resistit ; et significat charitatem, quæ intus est in corde celata, pallet quasi lux in lucerna : sed tamen ad aliorum utilitatem exire cogitur, tunc qualis intus erat exterius ostenditur, et tacta a sole Christo omnipotentiæ, sive digito, peccatores ad se trahit, et omnino secari nequit, quia nulla adversitate deficit, sed magis proficit. Unde Cant. VIII, *Fortis est ut mors dilectio, et dura sicut infernus æmulatio : lapides ejus ut lapides ignes atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Sculpi ergo non potest, quia adversitate non frangitur, nec etiam adulatoria laude emollitur. Unde Psalm. : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. I Cor. XIII, *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet, non agit etc, non irridetur. Quartum smaragdus*, qui omnes herbas et arborum frondes, viriditate superat, et gerentes eum reddit intuentibus gratiosos, aerem vicinum virescere facit, imaginem sicut speculi reddit ; et significat virginitatem, quia virorem carnis integre servat, et omnes alias virtutes quodammodo superat, quia virginitatem servare magis est angelicum quam humanum. Gratiosa est enim Angelis, Deo, et hominibus ; et in se portat imaginem Christi, quia sequitur *agnum quocumque ricit*. Et bene hic lapis quartus dicitur, quia virginitas in quatuor evangeliis commendatur. *Quin-*

tum sardonix, ex duorum nominum societate vocatus, ut dicit Isidorus. Habet enim candorem, ut nix, et ruborem, ut sardus, et est color, ut dicit *Glossa*, niger in imo, candidus in medio, rubeus in summo; et in signando nihil ceræ avellit. Unde significat sanctorum patientiam, per quam in mundo sunt viles et despecti. Unde Job XII, *Deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum etc.* Sed in medio, idest intus in corde, sive in conscientia, sunt candidi per innocentiam, superius rubei per ardorem martyrii, propter Christum : et hæc nihil de cera avellit, quia suis persecutoribus plene ex corde remittit, nullum rancorem retinens. Juxta Eccle. XXIX, *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Quæ virtus quinta dicitur, quia infirmitate corporis descendit, quod regitur quinque sensibus. *Sextum sardius*, sic dictus quia primo a Sardis est repertus, sanguinei coloris tantum. Unde significat perfectam constantiam martyrii, idest martyrum, qui pro Christo sanguinem suum fuderunt : et ideo sextus ponitur, quia Christus sexta ætate, idest sexta die sanguine suo martyrium consecravit. *Septimum chrysolythus* auro similis in colore. Unde dicitur a chrysis, quod est aurum; et scintillas ardentes videtur emittere, ut dicit *Glossa :* et significat sapientiam, quæ omnia dona superat, sicut aurum omnia metalla. Quæ prædicando scintillas ardentes emittit, idest exhortationes et instructiones corda audientium inflammantes. Unde Ezech. I, *sanctis animalibus scintillæ quasi aspectus aeris candentis.* Sapient. III, *Fulgebunt justi sicut sol, et tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Hæc septimo loco ponitur, quia inter dona septem Spiritus sancti locum tenet septimum, ascendendo. *Octavum beryllus.* Hic lapis in se primo gloria formæ politus lucet, quasi aqua a sole percussa. Qui etiam tantæ caliditatis dicitur esse, ut calefaciat manum tenentis : et significat virtutem misericordiæ, quæ sex operibus se exercet, corda frigida hominum infirmorum calefaciens in amorem Dei et proximi. Juxta illud Proverb. XXVI, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : et si sitit, potum da illi. Hoc faciens etc.* Matth. V, *Sic luceat lux vestra etc.* Et hæc virtus octavo ponitur loco, quia non hic, sed in octavam ætatem mercedem expectat. Unde Psal. : *Labores manuum tuarum, quia maducabis*, in futuro scilicet, *beatus es, et bene tibi erit.* Ergo illis erit male, qui labores suos hic manducant, scilicet hypocritæ. De quibus dicitur Matth, V, *Receperunt mercedem suam. Nonus topazius.* Hic lapis quamvis sit omnium colorum, maxime tamen duos habet colores, aureum, et æthereum, ut dicit *Glossa* super Ezech. XXXIV, *Et* cum splendore solis tangitur, omnium gemmarum claritates excedit. In aspectum suum provocat similiter aspicientes; qui si poliatur obscuratur, si naturæ suæ relinquatur, clarior est, et gemmarum amplissima, et regibus cara; et significat contemplationem, quæ ex charitate, qua fervet, aurea, ex cognitione qua lucet ætherea est, ubi Deus limpidius videtur, ad cujus amorem homines experti singularius trahuntur : et si tales sunt quod honoribus sæculi ponantur, obscurantur, quia turbantur circa plurima, ut Martha. Et quia hic lapis omni colore resplendet, hoc est, quia contemplatio omnium virtutum splendore refulget, et est gemmarum latissima, quia contemplatio maxime cor dilatat. Qui vero reges sunt, nil carius contemplatione habent. Et bene nono ponitur loco, quia homines contemplativos novem ordinibus Angelorum contemplatio associat. *Decimum chrysopassus.* Hic lapis, secundum Isidorum, indicus est, et coloris purpurei guttulis distinctus aureis. Unde nomen accepit crysopassus, quasi passum habens aurum : et significat desiderium cœlestis patriæ, quod quanto plus tribulationibus concutitur, tanto amplius ascenditur, ut dicit Gregorius : quod flatus carboni, hoc facit tribulatio charitati. Et bene decimo loco ponitur, quia sancti per desiderium ad decimum ordinem Angelorum per observationem decalogi venire festinant. Decimus ordo dicitur, quia ex hominibus restaurabitur, unde et homo dicitur Luc. XV, drachma quam mulier sapiens quærens invenit. *Undecimum hyacynthus.* Hic lapis, cum

aer mutatur in sereno, perspicuus est; in nubilo obscurus. Unde significat sanctorum discretionem, per quam secundum Deum humiliter se conformant, et omnes lucrifaciunt. Sicut dicit Apostolus I Corinth. IX, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Rom. XII, *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus*. Per hanc etiam virtutem sciunt sancti doctores, quid, quibus, et quando et qualiter sit prædicandum. Hæc undecimo loco ponitur, quia per hanc maxime omnis bonum provenire videtur. *Duodecimus amethystus*. De quo dicit Isidorus, Inter gemmas purpureas principatus amethystus Indicus tenet, purpureus quidem est, permixto colore violæ et rosæ, quasdam flammulas de se effundens, et est sculpturis facilis. Unde per eum significatur humilitas sanctorum, cujus comes est obedientia, ut dicit Ambrosius. Humilitas brevis est ut viola, pulchra ut rosa, facilis ad omnia, quæcumque antedicta sunt, quasi flammas intendentes amoris videntes. Omnibus etiam placet humilitas, etiam inimicis: sic e contrario superbia omnibus est odiosa, ut Eccles. X. Hæc bene ultimo loco ponitur, quasi custos omnium, quia ultimam se reputat semper, et ultimum locum tenens. Unde Gregorius: « Qui cæteras virtutes sine humilitate congregat, quasi pulverem in ventum portat. » Unde Paulus, qui modicus et humilis interpretatur, duodecimum locum meruit possidere. *Et duodecim portæ*. Ostensa materia fundamentorum muri civitatis, ostendit qualis est materia portarum, dicens, et scribens portas ex singulis margaritis constare. Est autem margarita lapis parvus, sed pretiosus, candidus, solidus, in conchis marinis natus, qui de cœli rore est conceptus, ut dicit Isidorus; et qui de rore matutino concipitur, candidior et melior est quam qui de rore vespertino. Aliquando tamen margarita generale nomen est lapidis pretiosi; sed quocumque modo margarita accipiatur, verum est, quod duodecim margaritæ, sunt duodecim virtutes prædictæ, per duodecim lapides designatæ. Si ergo duodecim sunt Apostoli, et cum singuli Apostoli, omnes virtutes habuerunt, cum singuli singulas singulariter possederunt, qui ad usum a quibus singulariter commendatur. Sicut Abraham commendatur a fide, Loth ab hospitalitate, Noe a mansuetudine, David ab humilitate; et cum singuli omnes virtutes habuerunt, sed in unius usu singulariter eminebant, ita hic. Unde signanter dicit, *Et duodecim portæ*, idest duodecim Apostoli, *Duodecim margaritæ*. Quælibet enim porta habet duodecim margaritas, idest duodecim virtutes prædictas, per duodecim lapides designatas; sed quia unus in una, alius in alia, pollere videtur, idest singulariter possidere, ideo dicit, *Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis*, idest singuli sancti singulis pollent virtutibus. Unde I Corinth. XII, *Divisiones gratiarum sunt etc.* Et in portis, idest in Apostolis et prælatis, qui successerunt eis, debet esse candor margaritæ et puritas et soliditas, idest castitas et patientia et humilitas. De primo dicitur Thren. V, *Candidiores*. De secundo Psal. *Bene patientes erunt, ut annuntient*, Proverb. XI, *Doctrina viri per patientiam noscitur*. Luc. XII, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. De tertio dicitur Matth. XI, *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde*. Item Matth. III: *sic decet nos implere omnem justitiam*. *Glossa*, idest supremum gradum humilitatis. *Et plateæ civitatis*. Hic describitur et commendatur civitas a munditia platearum, quæ est ornatus interior et inferior. Unde hæ plateæ sunt conjugati, qui quasi majores latæ viæ sunt, quam alii, et quam continentes, aut prælati, in quibus maxime munditia requiritur, et inventa maxime commendatur. Unde dicit, *Et plateæ civitatis*, idest conjugati, *Aurum mundum*, idest mundi appellantur per virtutem sapientiæ, qui bene sciunt regere se in mundo, utentes tamquam non utantur: ut dicitur I Corinth. *Tamquam vitrum perlucidum*, idest nullas sordes intus celantes, sed per veram confessionem quicquid intus est in mundum manifestant. Vel eos dicit vitrum, quia in ipsis tamquam in speculo possunt suas maculas subditi considerare. Sequitur, *Et templum*. Hic commendat civitatem a bonitate regni, quam in duobus ostendit. Quia

civitatem suam implevit omnibus bonis, et mundavit ab omnibus malis. Repleta est enim civitas omni bono, et expers ab omni malo. Quod ostendit Joannes, cum dicit templum non esse in civitate illa. Templum quidem locus est orationis et oblationis. Oratio autem fit pro duobus : scilicet aut pro bonis adipiscendis, aut pro malis amovendis. Illa autem, quæ fit pro bonis conservandis, quodammodo fit pro bonis adipiscendis, scilicet pro securitate, quam non habet, vel pro dubietate amovenda. Sed in illa civitate nullum malum adest, quod sit amovendum, et nullum bonum adipiscendum, quasi non esset ibi necessaria oratio vel oblatio. Oblatio autem fit pro duobus : scilicet aut pro emundatione, scilicet expiatione offerentium, aut pro sustentatione ministrantium, aut ad placandum Deum. Sed certe nullum istorum erit ibi. Quia nec ministri ibi de aliquo indigebunt, nec aliquid expiandum erit ibi, nec Deus offensus alicui. Unde patet, quod non est necessaria oblatio. Et sic patet per templi amotionem a civitate, quod Joannes ostendit omnium bonorum plenitudinem, et omnium malorum absentiam. Dicit ergo, *Et templum non vidi in ea*, civitate. Quia non est ibi necessaria oratio nec oblatio, sed tantum erit ibi gratiarum actio, et vox laudis pro bonis adeptis et malis vitatis. Et reddit Joannes unam rationem, quare non est ibi templum, dicens, *Dominus enim Deus omnipotens, ipse est templum illius*, quia omnimoda quies, et sufficientia : tunc enim ipse Deus erit omnia in omnibus, tunc ipse aperiet manum suam, et omnia implebuntur bonitate. Tunc habebit rationalis lucis plenitudinem, irascibilis, pacis multitudinem, concupiscibilis dulcedinis magnitudinem. Unde Psal. : *Quam magna multitudo dulcedinis!* In his autem est beatitudo animarum. Sed nec etiam sensus corporum carebunt sua beatitudine, quam habebunt in vivendo Christum. Unde addit. *Et Agnus*, similiter est templum illius et omnimoda quies, et refectio sensuum corporum, sicut Deus omnium animarum. Visus in colore lustrabitur, odoratus in odore, gustus in sapore, licet nil corporale gustemus ibi, sed tamen erit sapor eorum in cognitione, unde quodammodo reficitur gustus : tactus in suavitate, auditus in jubilatione. *Beatus, qui scit jubilationem*. De his bonis sancti jugiter laudabunt Deum. Unde : *beati qui habitant in bono tua Domine*. Beatitudo autem, ut dicit Sapiens, est præsentium status omnium bonorum collectione perfectus. Sed forte obscuritas ibi non est, sed omnimoda claritas. Unde sequitur, *Et civitas non eget sole, neque luna*, idest luminis corporei beneficio, ad implendum servitium Dei, sicut modo indigent homines. Quia tunc unumquodque corpus electorum erit clarius sole. Unde Matth. x, *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum*. Solis autem lux augebitur in mundi innovatione. Unde Isa. xx. *Erit lux lunæ, ut lux solis, et lux solis septempliciter erit sicut lux septem dierum*. Oculi vero glorificati bene poterunt sustinere tantum splendorem, immo delectabuntur in eo. Eccles. IX, *Dulce lumen, et delectabile oculis videre solem*. Mystice enim civitas et cives non egent sole et luna, idest majori vel minori doctrina, ut luceant in eo, docendo, vel prædicando, vel disputando. *Nam claritas Dei*, quæ tunc immediate videbitur, *illuminabit eam*, dando intellectui plenissimam omnium cognitionem. Unde I Corinth. XIII, *Nunc cognosco ex parte etc*. Jerem. XXXI, *Non docebit vir ultra proximum suum etc*. Joan. VI, *erunt omnes docibiles Dei*. Et non solum claritas Dei illuminabit eam, quæ tantum lux mentium est; immo, et sensus corporis habebunt lumen corporale. Unde sequitur : *Et lucerna ejus est Agnus*, idest Christi humanitas, continens divinitatem, sicut testa nucem. Psal. : *In lumine tuo videbimus lumen, et in lumine vultus tui ambulabimus*. Sequitur. *Et ambulabunt gentes*. Hic in præsenti, proficiendo de bono in melius, *In lumine ejus*, idest in fide et spe habendi lumen ejus. Vel per lumen cognitionis ejus, quod eis de super infunditur. Juxta illud Isaiæ, *Omne datum optimum*. Psal. : *Ibunt de virtute in virtutem etc*. Iterum etiam pro spe illius hominis habendi, majores erunt sollicíti de aliis acquirendis, ut dicit *Glossa*, Unde sequitur, *Et reges terræ*, idest rectores Ecclesiæ, *affe-*

nent gloriam suam, idest subditos suos, quos prædicando converterunt ad fidem et pœnitentiam, et conversos in bono nutrierunt, pro quibus gloriabuntur. Unde Paulus dicit I Thess. ii, *Quæ est spes nostra, corona, aut gaudium, nonne vos?* etc. Sed quia non sufficit aliquos prælatos prædicare aliis nisi et ipsi, qui prædicant aliis, seipsos custodiant a malis : inde subjungit, *Et honorem gloriæ*, idest conscientiæ puritatem. « In Glossa videlicet. » Aliter enim non esset gloria regibus si ibi subditi essent, et ipsi in peccatis deprehensi essent : immo magna confusio erit eis ex hoc ; et si nil aliud esset, hoc solum sufficeret ad damnationem eorum maximam, quia illa confusio erit sine fine. Matth. *Amen dico vobis, quia meretrices et publicani præcedent vos in regno Dei* : sed si ipsi sequerentur aliis sufficeret. Sed non erit ita : immo expellentur. Luc. xiii, *Cum videritis Abraham, Isaac et Jacob, vos autem expelli foras*. Tria igitur dicit hic Joannes. Primo, quod industrii sint majores in operando, cum dicit, *Et ambulabunt*. Secundo, quia solliciti sint majores in docendo, et convertendo, et custodiendo acquisitos, cum dicit, *Et reges*. Tertio quod utrique portabunt coram Deo : scilicet conscientiæ serenitatem, ut possint dicere cum, *gloria nostra, hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. II Corinth. iv, Si boni prælati qui adducunt sanctos suos, quos converterunt : miro modo gloriabuntur. Psal. : *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos*, idest collectos subditos, sicut victores quando spolia subdatis hostibus deferunt in urbes suas, multum gaudent. Isa. ix : *Lætabuntur coram te etc*. *Et portæ ejus non claudentur per diem* : quasi dicat, quod tanta erit ibi securitas, quod nullus incursus hostium vel bestiarum timebitur. Nunc autem aliquando oportet claudi portas Ecclesiæ, et abscondere prædicatores et doctrinam, propter indignitatem et malitiam hominum. Unde Matth. vii : *Nolite sanctum dare canibus*. Et bene dixit : *Per diem nox non erit illic*, idest obscuritas temporalis, vel aliqua spiritualis. Zach. xiv : *Erit dies una, quæ nota est Domino* : quasi dicat : non erit successio diei et noctis, sed lux tantum, ibi. Psal. : *Ordinatione tua perseverat dies*. Item, *melior est dies una in atriis etc*. Mystice portæ ejus, idest affectus et intellectus sanctorum, quibus intratur ad amorem boni, et cognitionem veri. *Non claudentur in die*, idest per diem quasi dicat : tanta erit claritas, quod nil erit obscurum ibi, nihil ignotum, nihil dubium, nihil inhumanum. *Nox enim non erit illic*, ignorantiæ vel peccati, quia omnia scibilia scient electi. Unde Gregorius : « Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident ? » quod autem dicitur Matth. xxv : *Et clausa est janua*, non est contrarium huic. Quia illo januam claudi nil aliud est, quam indignos in perpetuum excludi. *Et offerent gloriam*, idest gentes glorificatas, repræsentabunt Deo Patri. *Et honorem* gentium, in illam multitudinem, scilicet conversorum, quod est honor Domini, et gloria. Juxta illud Proverb. xiv : *In multitudine populi dignitas regis*. *Non intrabit in eam civitatem, aliquid coinquinatum*, idest cum aliis inquinatum per consensum. *Et faciens abominationem*, idest aliquid abominabile, quod sancti abominantur, *et mendacium*. *Glossa*, Mendacium facit, qui in mendaciis inveniendis delectatur. Talis enim est diaboli socius, de quo dicitur Joan. viii : *Ipse mendax, et pater ejus*, idest inventor mendacii : *Nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni* : quasi dicat, quod per singula nemo trahit, nisi qui scripti sunt stilo prædestinationis. *In libro vitæ et agni*, in præscientia Dei, qui liber est agni, idest Christi humanitate. Vel non intrabunt nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni, idest in fide et veritate Christi, qui est vita et dator vitæ. Joan. xiv : *Ego sum via, veritas et vita*. Et xi *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet*. Vel nisi qui scripti sunt in libro vitæ et agni, idest in imitatione vitæ Christi, qui se nobis proposuit in exemplum vivendi : I Petr. ii : *Christus passus est pro nobis, vobis, relinquens exemplum*. Joan. xiii : *Exemplum dedi vobis etc*.

CAPUT XXII.

Et ostendit mihi etc. In hoc capitulo ostenditur refectio et amœnitas civitatis: et dividitur in tres partes. In prima agitur de refectione civium. In secunda de commendatione totius visionis, ibi, *Et dixit mihi.* In tertia excommunicat Joannes omnes illos, qui veritatem subtrahent ab hoc libro, vel falsitatem adjicient, ibi, *contestor enim.* Et hoc facit Joannes quia sciebat quosdam esse in Asia sic facturos. In prima enim parte duo facit. Primo describit refectionem, et ea quæ pertinent ad reficiendum gaudium et exultationem. Et quia in mensis magnatum primo apponuntur nutritiva, deinde medicinalia, ut sunt species aromaticæ, ideo Joannes primo describit potum illius refectionis. Secundo cibum. Tertio ponit medicinalia. Dicit ergo. *Et ostendit mihi.* Angelus, qui alia ostenderat. *Flumen aquæ vivæ*, idest æternam beatitudinem unem, in qua semper vivitur sine aliquo defectu : quæ bene per fluvium designatur, quia per baptismi gratiam ad eam pervenitur. Joan. III : *Nisi quis renatus fuerit etc.* Vel propter abundantiam aquæ, idest gloriæ. De qua agitur Joan. IV : *Si scires domum Dei etc.* Et infra, *dedisset tibi aquam vivam*, idest gratiam vel indeficientem gloriam. Psal. : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Splendidum.* Hoc dicit, quia justi splendidi erunt mente et corpore Matth. XIII : *Fulgebunt justi sicut sol. Tamquam crystallum.* Hic dicit, quia corpora sanctorum transparentia erunt, ut etiam cogitationes cordium merito videantur. Unde Gregorius : « Unius cujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet. » *Procedentem de sede Dei et Agni.* De benigna et tranquilla majestate Dei et verbi. *Et in medio plateæ ejus*, idest communi omnium : quasi dicat, quia tunc lucide videbunt tam majores quam minores, et participabunt gloriam a Deo influente in eos. Vel procedentem de sede Dei et agni, idest de majoribus, qui sunt sedes Dei et agni. In medio plateæ ejus, idest in minores, qui latiori via incedunt : quasi dicat, quod tunc manifestum erit, quod minores secundum doctrinam, quam a majoribus receperunt, coronantur. Et notantur hic septem gaudia sanctorum in patria præter alia, quæ habebunt. Primum est copiosa societas electorum : quod notatur, per fluvium. Qui optime significantur per fluvium, quia fluxerunt de ætate in ætatem, de virtute in virtutem, de tribulatione, in consolationem, tandem de vita in mortem, et postea de morte in vitam : et sic ad locum unde fluxerunt flumina revertuntur. Secundum est immortalitas : quod notatur per hoc quod dicit, *Aquæ vivæ.* Tertium claritas; quod notatur per hoc quod dicit, *Splendidum.* Quartum est soliditas : quod notatur per hoc quod dicit : *Tamquam chrystallum.* Quintum est tranquillitas : quod notatur per hoc quod dicit, *procedentem de sede Dei et agni.* Sextum est securitas : quod notatur per hoc quod dicit, *in medio plateæ.* Per hoc idem notatur septimum idest communitas. Quod enim commune est, in medio est, et e contrario. Unde et lignum vitæ dicitur esse in medio Paradisi, supra III, et Gen. II. Hi sunt septem rivi procedentes de fluvio vitæ æternæ. De quibus dicitur Isa. XI : *Levabit manum suam in fortitudine spiritus sui super flumen, et percutiet eum in septem rivis, ita ut per eum transeant calceati. Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ*, idest Christus, qui dat vitam comedentibus eum, nunc per fidem, tunc autem per speciem. Proverb. III : *Lignum vitæ est his, qui apprehendent etc.* Duæ partes fluminis, vita sanctorum præsens, et futura vita eorum ; idest status gratiæ, et status gloriæ. Prima est citra flumen. Altera ultra flumen. Exod. XV : *In æternum Dominus regnabit, et ultra :* non tamen citra : quasi dicat Dominus citra flumen remanebit. Ibi per gloriam, hic autem per gratiam. In hac ripa, quæ est citra flumen, est lignum vitæ, idest Christus per sui corporis et sanguinis exhibitionem in sacramento Altaris. Matth. XXVIII : *Ecce ego vobiscum sum omnibus etc.* In alia ripa, quæ est ultra flumen est idem lignum vitæ per suæ speciei tam humanæ quam divinæ exhi-

hibuerunt. Hic videtur sedes per fidem, ibi per speciem. *Afferens fructus duodecim*, ab utraque. Fructus quos affert citra flumen, sunt illi, quos Apostolus enumerat Galat. v, dicens, *Fructus Spiritus sunt charitas, gaudium* etc. *Per singulos menses reddens fructum suum*, idest per singulas ætates reddens et generans sanctos suos, prædictis fructibus. Vel *Per singulos menses*, idest per singulos defectus. Cum enim convertimur peccatis ad Dominum, pro singulis defectibus præcedentibus reddit Dominus singulas refectiones virtutum. *Per singulos menses*, idest assidue non cessat reficere suos. Fructus autem quos affert lignum vitæ in altera parte ultra flumen, sunt duodecim fercula, quæ Jesus transiens ministrabit suis, in refectione vitæ æternæ. De quibus dicitur Luc. xxii, *Ego dispono vobis*, idest diversa pono, *sicut disposuit Pater meus regnum*, etc. Primus est sanitas sine infirmitate. Psal.: *Qui sanat contritos corde*. Isa. xxv, *præcipitabit Dominus* etc. Secundus est satietas sine defectu. Psal.: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Tertius scientia sine dubitatione. I Corinth. xiii, *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum*. Quartus gaudium sine tristitia. Joan. xvi, *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Proverb. xiv, *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus* etc. Quintus est pax sine turbatione. Isa. xxxii, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis*. Sextus est securitas sine timore. Psal.: *Non timebis a timore nocturno*. Septimus est impletio omnium desideriorum. Psal.: *Qui replet in bonis desiderium tuum*. Octavus de justitiæ divinæ impletione. Psal.: *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. Nonus est laus sine intermissione. Psal.: *In sæcula sæculorum laudabunt te*. Decimus est quies sine labore. Psal.: *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. Undecimus est lux sine tenebris. Supra xxi, *Civitas non eget sole* etc. Duodecimus est visio Dei sine medio. Isa. xxxiii, *Regem in decore suo videbunt*. Psal.: *Exsultate justi in Domino*. Hos fructus affert lignum vitæ in ripa ulteriori. *Per singulos menses reddens fructum suum*, idest pro singulis defectibus, quos pro proximo hic sustinuerunt sancti, reddet eis gloriosum fructum. Sap. x, *Reddet Deus mercedem laborum; et in passione vocati, in multis bene disponentur*. Et in eodem: *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Matth.: *Beati qui lugent* etc. Vel secundum *Glossam*: Utraque pars fluminis omnes sanctos utriusque Testamenti significat, in cujus rei testimonium et figuram transduxit populum ultra mare ac Josue. In veteri per figuram, in novo, per gratiæ vel humanitatis præsentiam. Afferens fructus duodecim. In veteri per Patriarchas. In novo per duodecim Apostolos. Per singulos menses, fructus suos reddens, idest per quemlibet Patriarcham, et per quemlibet Apostolum faciens fructum suum. Quilibet enim secundum gratiam sibi datam, fructum fecit laborando, prædicando. Joan. xv, *Posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat*. Ergo Christus dicitur dies, et duodecim Apostoli duodecim horæ. Joan. xi. Sic Christus dicitur annus, Apostoli, et Patriarchæ duodecim menses. Sequitur. *Et folia ejus*, idest ligni vitæ, idest verba doctrinæ Christi ad sanitatem gentium sunt in præsenti, quæ sanitas plene habebitur in futuro. Sap. xvi, *Non herba neque malagma sanavit eos, sed omnipotens*. *Et omne maledictum non erit amplius*. *Glossa*, idest subtractio gratiæ, non fiet amplius. Ad litteram. Nullum malum verbum erit in patria, quia omnes ibi dicent gloriam. Hoc totum sumptum est Ezech. xlvii, ibi dicitur: *Et in ripis ejus ex utraque parte est lignum pomiferum*. Ibi plenius dicta sunt, et ideo hic supersedemus ad præsens. *Sed et sedes Dei*. Hic describit Joannes ea quæ pertinent ad reficiendorum gaudium et exultationem. Sunt autem sex, quæ faciunt ad gaudium convivantium. Primum est quando convivæ se mutuo diligunt, et dominus convivas, et convivæ dominum. Secundum est quando ex utraque parte nullus alium inquietat, hoc est nec dominus familiam, nec familia dominum, nec familia se invicem. Tertium est quando dominus blandum et hilarem se reddit. Quartum est quando familia fidelis est domino. Quintum est quando do-

minus occultum familiæ suæ revelat. Sextum quando non debent ab invicem separari. Ista sex dicuntur hic per ordinem de domo Domini. Primum est igitur dilectio mutua. Unde dicit : sed sedes : quasi dicat : Non solum prædictis fructibus reficientur ibi electi. Sed et sedes Dei, et agni ibi erunt, idest Deus Trinitas, et Christus homo in illis requiescent, per amorem et gratiam, qua diliget eos, et ipsi invicem. Juxta illud Joan. III, *Deus charitas etc. Et servi ejus*, idest familia ejus in illo requiescet similiter per amorem : quasi dicat : et Dominus diliget familiam suam,. et familia Dominum. Tunc enim implebitur illud præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum etc.* Et hoc est quod dicit sponsa, Cant. II, *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Et septimo : *Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Servient illi*, diligendo, et se eis totaliter subjiciendo. A cujus servitio, nec carnis desideria, nec mundi negotia, nec diaboli consilia, nec ad modicum retrahent. Et e converso Dominus serviet eis, et seipsum eis quasi ferculum pretiosissimum ministrando. Luc. XII, *Beati servi, quos cum venerit Dominus.* Et hoc est quod sequitur, *Et videbunt faciem ejus.* Non per speculum in ænigmate, sed clare est immediate, quod est esse beatum. Joan. XVII, *hæc est vita æterna etc.* Ideo rogabat Moyses, Exod. XXXIII, *Ostende mihi faciem tuam.* Jacob etiam dixit, Gen. XXXII, *Vidi Dominum facie ad faciem etc.* Psal. : *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* Esth. XIV, *Valde admirabilis es Domine, et facies tua plena est gratia.* Ideo dicit Psal. : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine :* idest cum videbo faciem tuam, *Et nomen ejus*, idest Dei et agni, *In frontibus,* idest in aperto. Nam sicut aperte servierunt ei, et confessi sunt nomen ejus in mundo, ita in aperto vocabuntur et erunt filii Dei, et socii Agni. Unde Isa. XLV, *Servos suos vocabit nomine alio.* Et LVI, *Hæc dicit Dominus eunuchis, qui tenuerunt sabbata mea :* Et infra : *Dabo eis in domo mea.* Matth. XIX, *Qui me confessus fuerit etc.* Et nox, idest aeris obscuritas, vel mentis ignorantia, *Ultra non erit eis. Sed fulgebunt justi sicut sol.* Matth. XIII, Et nil ibi ignorabitur, quia sancti omnia scient. Unde Isa. LX, *Videbis, et afflues.* Non dicit quid videbis, ut intelligas. Tunc siquidem totum scilicet speculum aperietur sanctis, scilicet quando erit omnia in omnibus, ut dicitur I Corinth. XV, *Non egebunt lumine lucernæ. Glossa*, idest doctrina veteris legis, vel alicujus mediocris prædicationis, *Nec lumine solis*, idest doctrinæ novæ legis, vel alicujus magni prædicatoris, *Quoniam Dominus Deus illuminabit illos*, se eis ostendendo, et vulnus removendo dubitationis. Hoc totum sumitur de Isa. LVIII, ubi dicitur : *Non erit amplius sol ad lucendum per diem etc.*, *et regnabunt cum eo, qui lucem habitat inaccessibilem,* ut dicitur I Tim. VI, *In sæcula sæculorum,* idest sine fine. Unde supra XX, *Erant sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis*, idest semper.

Et dixit mihi etc. Hæc est secunda pars capituli, in qua totaliter visio hujus libri commendatur. Et primo commendatur hoc opus, sive hæc visio, ab auctoritate ipsius Joannis. Tertio ne ea, quæ dicta sunt, negligantur, ostendit ea cito esse implenda. Quarto ab auctoritate Christi. Dicit ergo, *Et dixit mihi*, Angelus, qui hæc ostendebat, et cetera ostenderat. *Hæc verba,* quæ tibi ostendi, *Fidelissima sunt, et vera*, idest fide dignissima, quæ sine omni ambiguitate implebuntur. Matth. V, *Jota unum, aut unus apex etc. Et Dominus Deus spirituum prophetarum*, idest qui habet in potestate dona Spiritus sancti, per quæ locuti sunt omnes prophetæ, sicut dicitur II Petr. I, *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt etc. :* ille inquam Dominus *Misit Angelum suum ad me* in Pathmos, ut ostenderet per illum. *Servis suis. Non ex timore, sed ex amore servientibus.* Unde Rom. VIII, *Non accepistis spiritum servitutis etc. Glossa :* dicit, servis, non dominis, non philosophis : quasi dicat : humilibus et pauperibus dat et ostendit Angelus, non superbus et divitibus. Jacob. IV, *Deus superbis resistit etc.* Matth. XII, *Confiteor tibi Domine Pater cœli, et terræ qui abscondisti hæc a sapientibus.* Ut ostenderet inquam *Ea*

quæ aperuit dari vobis. Glossa : « Quia non poterunt remanere incognita. » Et ostendit a quo facta, dicens : *Et ecce venio velociter*, quia omnia faciam. Loquitur Angelus in persona Domini. Et hoc etiam dixit mihi Angelus : *Beatus qui custodit verba prophetiæ hujus libri*, credendo, opere adimplendo, memoriter retinendo. Luc. xi, *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud*. Verbum Dei lucerna est. Unde Psal. : *Lucerna pedibus meis verbum tuum*. Ergo si vis custodire verbum, necesse est, ut lumine adhibeas. Item verbum Dei semen est. Matth. xiii, *Semen est verbum Dei*. Vis seminare? in agrum prædicando projice. Item verbum Dei est thesaurus. Matth. xiii, *Simile est regnum cœlorum*, idest verbum Dei, *thesauro abscondito in agro*, idest in littera, vel in libro. Unde cum verbum audis, thesaurum invenis. Thesaurus custoditur cum absconditur, et sic est verbum cum corde memoriter retinetur. Psal. : *In corde meo abscondi eloquia tua*. Ecce tribus rebus comparavimus verbum : lucernæ, semini, et thesauro. Et ideo verbum ratio recipit, ut lucernam ; voluntas, ut semen multiplicandum ; memoria ut thesaurum custodiendum. Memoria namque est arca, in qua reconditur hic thesaurus, iterum expendendum debeat, cum fuerit necesse. Comparatur etiam aliis rebus verbum, ut medicinæ. Psal. : *Misit verbum suum, et sanavit eos*. Sap. xvi, *Non herba, non malagma sanavit eos, sed omnipotens sermo tuus Domine qui sanat omnia*. *Et ego etc.* Commendat Joannes opus suum a sui ipsius auctoritate, qui hoc audivit ab Angelo revelante, et ideo credendum est ei. Dicit ergo, *Et ego Joannes*, cui facta est revelatio, qui supra pectus Domini recubui, qui sibi præ aliis familiaris fui : in quo est gratia Dei. *Audivi hæc, et vidi*. Audita et visa interiori, qui sunt idem ; sed auditus dicitur in recipiendo intelligentiam, visus in comprehendo intelligibile. *Et postquam audissem et vidissem omnia prædicta, cecidi*, corde et corpore humiliando me, ut adorarem adoratione duliæ, *ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat*. Glossa : « pro hac causa se humiliabat, et in hoc instruxit nos Joannes, ut dicit alia Glossa, ut magistros nostros maxime, qui sacra mysteria theologiæ nobis revelant legendo et prædicando, veneremur. » *Et dixit mihi Angelus* quem volebam adorare, *Vide ne feceris*, quasi dicat, vide dignitatem humanam, noli me adorare. Et reddit rationem prohibitionis : *Conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum*. Glossa, idest prædicantium. *Et eorum, qui servant verba libri hujus*. Glossa, « idest qui obediunt prædicationi, » quasi dicat : non debes me adorare, cum servus sim ejusdem Domini, et tu, et fratres tui. Sed qua adoratione volebat Joannes Angelum adorare? si latria, ergo peccabat peccato idololatriæ, qui honorem soli Deo debitum volebat impendere creaturæ. Si adoratione duliæ sicut dictum est supra, constat, quod Joannes bene faciebat, quia hæc adoratio, non solum Angelis, sed hominibus sanctis, et etiam magistris debetur, et prælatis. Ergo Angelus Joannem prohibebat a bono : ergo male faciebat : quia sicut peccatum est juvare ut malum fiat, ita peccatum est prohibere ne bonum fiat. Unde Proverb. iii, *Noli prohibere bene facere eum qui potest ; si vales, et ipse bene fac*. Solutio. Joannes volebat adorare Angelum dulia, et bene faciebat, et Angelus prohibuit ne faceret hoc bonum, propter melius ; ut scilicet ostenderet conditionis humanæ dignitatem purificatam, vel prælatam Angelis, et dignam omni reverentia et honore, ut sic homines magis timerent humanam naturam maculare, quam Deus sic honoravit. *Deum adora*, qui solus supra dignitatem humanam est adorandus. Matth. iv, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Augustinus : « Angeli nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cujus et ipsi sacrificium esse noverunt, scilicet Dei, cujus æternitate firmi sunt, et veritate certi, et unctione sancti. Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum in forma Dei sacrificium cum patre sumat, cum quo est unus Deus, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere, ne hac occasione quisquam æstimaret cuilibet sacrificandum esse. » *Et dixit mihi* Angelus *Ne signaveris*, idest ne clauseris, vel occultaveris, *Verba prophetiæ libri hujus*, sci-

licet ut boni proficiant in doctrina, et mali non possint se excusare per ignorantiam, et sic justius puniantur, et justior appareat eorum pœna, qui bonum, quod audierunt, facere contempserunt. Et subjungit causam, quia non sunt signanda verba prophetiæ hujus, dicens : *Tempus enim* quo hæc debent impleri *Prope est*. Unde I Joan. : *Filioli mei novissima hora est*. Deut. XXXII, *Juxta est dies Domini, et adest, de sua et aliorum salute procuranda* : quia tempus instat quo inundante tribulatione, non licebit prædicare, nec alia bona publice facere. Ideo dicitur Eccles. IX, *Quodcumque manus tua potest, instanter operare quia : nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas*. Gal. VI, *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei*. O beatus ille, qui potest dicere Domino, *Tempus meum prope est : apud te*, o bene Jesu, *facio pascha cum discipulis meis*, idest cum disciplinatis affectionibus, et cogitationibus. Et quia posset objici Angelo, super hoc quod præcipit aperiri prophetiam, quia mali non corrigentur, immo pejores efficientur, et magis persequentur bonos. Respondet Angelus, quia non propter hoc est cessandum, quia justum et ut mali sordescant in peccatis suis et justius puniantur, et etiam dum vivunt exerceant bonos, ut meliores fiant, et justius præmientur : unde dicit, *Qui nocet*, mala inferendo, *noceat adhuc* in persequendo, dum tempus purgationis existit. Vel, adhuc, idest post ostensionem, et apertionem libri. *Et qui in sordibus est*, peccatorum *Sordescat adhuc*, peccata continuando, ut justius judicetur. Non dicit hoc Angelus optando, sed prædicendo : quasi dicat : et si mali per libri apertionem, non dimittant persequi bonos, nec resiliant a sordibus peccatorum suorum, nihilominus tamen debet veritas prædicari, quia ex hoc proficiunt boni et liquet justitia Dei. Unde sequitur. *Et qui justus est*, idest mundus in se *Sanctificetur adhuc*, idest adhuc laboret, ut sanctior fiat. *Ecce*. Hic probat, quod tempus breve est, auctoritate et testimonio Christi, quem inducit Angelus loquentem. Vel ipse Angelus loquitur in persona Christi dicens, *Ecce venio cito*, ad judicandum. Habac. II, *Si moram fecerit, expecta eum etc. Et merces mea mecum est*, ad quid Domine? *Reddere unicuique secundum opera sua*, alii plus, alii minus, secundum quod fecit bonum vel malum. Psal. : *Duo audivi etc*. Et tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua. *Ego sum Alpha et Omega*. Hic ostendit Angelus loquens in persona Christi, quod potuit hæc omnia facere, cum sit principium et finis omnium. Unde dicit : *Ego sum Alpha et Omega*. Supra primum et supra vigesimum expositum est, ibi quære. *Primus et novissimus*, *Glossa* dicit Primus, omnium rerum, et novissimus omnium creaturarum : quasi dicat : Ante omnem rem et post omnem creaturam. Et hoc dicit, non quod omnis creatura desinat esse, sed quia habet esse finale secundum se, Deus autem interminabile et infinibile. Vel Primus, dignitate in cœlo. Novissimus vilitate in mundo. Isa. LIII. *Desideravimus eum, virum despectum et novissimum virorum*. *Principium et finis*. Supra primum et supra vigesimum expositum similiter, *Beati sunt*. Quia dixerat, Ut nocens noceat, sordens sordescat, ne videatur per hoc exclusisse pœnitentiam peccatoribus, ostendit hic quod etiam peccatores beati erunt si pœniteant de peccatis suis, dicens : *Beati sunt*, jam in spe, tamdem in re. *Qui lavant stolas suas*, idest corpora et animas suas aqua pœnitentiæ. Psalm. : *Lavabo per singulas noctes* etc. De hoc dictum est supra septimo. *Lavant*, dico, ita, *ut sit potestas eorum in ligno vitæ*, idest ita ut possint edere de ligno vitæ de quo edunt soli mundi. Matth. V, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Idem enim est videre Deum et edere de ligno vitæ. De hoc quære supra secundo. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*. *Et per portas* duodecim, per fidem et doctrinam apostolorum. Vel per observantiam decem mandatorum cum gemina charitate. *Intrent in civitatem*, supernam. De portis satis dictum est supra decimo sexto. *Foris autem*. Hic ostendit Angelus, quod illi qui nolunt pœnitere non intrabunt civitatem, nec beati erunt, sed mi-

ceri : quasi sic dicat : Poenitentes intrabunt, sed foris, extra civitatem in procella tenebrosa et horribili manebunt exclusi in perpetuum. Canes, idest illi qui post baptismum et poenitentiam ad vomitum suum reverti. De quibus dicitur II Petr. II, Contingit eis illud veri proverbii, canis reversus ad vomitum. Item canes dicuntur mordaces, detractores. Philipp. III, Videte canes, videte concisionem, videte malos operarios. Et venefici, idest qui venenum propinant aliis ad necandum. Habacuc II, Vae qui potum dat amico suo, mittens fel suum et inebrians. Item venefici dicuntur qui verbis vel exemplo alios corrumpunt. Supra XVIII, In veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. Et impudici. Rom. XIII, Non in impudicitiis etc. Augustinus : « Non potest vir esse pudicus, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. » Et homicidae, qui manu, vel corde, vel verbo, subtractione beneficii necessarii alios occidunt. I Joan. III, Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Augustinus : « Pasce morientem fame, si non pavisti occidisti. » Et idolis servientes, vel Pagani, vel avari. Ephes. V, Omnis avarus, quod est idolorum servitus, non habebit haereditatem in regno Christi et Dei. Et omnis qui amat et facit mendacium. Ille amat mendacium qui libenter audit mendacium, ut sunt multi principes qui libenter audiunt adulatores et detractores et joculatores. Unde Proverb. XXIX, Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios. Ille autem facit mendacium qui invenit vel inventum ab aliis libenter dicit, ut histriones, vel adulatores, detractores. De quibus dicitur Baruch III, Confabulatores et exquisitores sapientiae et intelligentiae, viam autem prudentiae nescierunt, nec cognoverunt semitas ejus. Ego Jesus. Hic commendatur opus illud ab auctoritate Jesu in quo solo est salus. Unde Act. IV, Neque enim aliud est nomen sub caelo in quo oporteat nos salvos fieri credentes. Unde cum talis sit Jesus, qui per Angelum suum haec omnia revelavit Joanni : credenda sunt omnia et tenenda. Dicit ergo, Ego Jesus, idest salvator mundi et Dominus, Angelum meum, idest quem creavi, ut serviat mihi *Testificari vobis*, per Joannem *Haec quae dicta sunt in Ecclesiis*. Specialiter in septem Ecclesiis Asiae. Unde *quod vides scribe et mitte septem Ecclesiis Asiae*. Ut autem citius et firmius credatur huic prophetiae, commendat autem se Jesus per hanc prophetiam a divinitate et humanitate, secundum quod mortuus est et resurrexit. Unde dicit : *Ego sum radix et genus David*. Ego sum origo et sustentamentum David, et tamen ab eo genitus. Radix enim origo est arboris, et sustinet et movet eam. Christus secundum divinitatem est principium et sustentamentum David, et secundum humanitatem est genus ejus, idest ex eo trahens originem, idem genus est. *Ego sum radix et genus David* : ac si diceret, David est ex me et ego ex ipso : secundum divinitatem ipse ex me, secundum humanitatem ego sum ex ipso. Unde Matth. I, *Liber generationis Jesu Christi filii David etc.* Rom. I, *De Filio qui factus est ei ex semine David secundum carnem. Stella splendida et matutina*, supple, ego sum. Stella dicitur Christus, quia noctem praesentis saeculi sua praesentia illustravit vita et doctrina. Joan. I, *Vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet*. Splendida dicitur quia nil habuit obscuritatis in se, idest nullum peccatum, nullam ignorantiam. Hebr. I, *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus*. Sap. I, *Vapor est virtutis Dei et emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera. Candor est lucis aeternae et speculum sine macula*. Matutina dicitur quia mane, idest in fine tenebrarum infidelitatis et ignorantiae natus est. Isa. IX, *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis*. Vel quia mane surrexit summo diluculo, vel quia futuram claritatem nuntiavit mundo, idest aeternam beatitudinem, quam etiam praemonstravit resurgendo. De hac stella dicitur Eccles. L, *Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet*. Item Num. XXIV, *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga ex Israel, et confringet duces Moab*. Item supra, II, *Dabo illi stellam matutinam*, ibi require. *Et sponsus et sponsa*. Hic commendatur opus is-

tud a testimonio Christi simul et Ecclesiæ sub nomine sponsi et sponsæ. Unde dicitur : *Et sponsus*, idest Christus. *Et sponsa*, idest Ecclesia, quam sibi desponsavit Christus in fide Patriarcharum et Prophetarum. Unde Oseæ II, *Sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in fide.* Joan. III, *Qui habet sponsam sponsus est. Dicunt, veni*, ad notitiam hujus libri. Nec dicitur quibus, vel cui dicant, ut intelligas ex omnibus tam præteritis quam præsentibus quam futuris dictum hoc : Christus inspirando et prædicando, Ecclesia tantummodo prædicando. Et liber iste post descensum Christi editus fuit : tamen scientia libri, ante prædicata fuit a Christo et suis, et adhuc quotidie prædicatur aliquid libri. *Et sponsus et sponsa* : exponit *Glossa*, « Sponsus, idest Trinitas quæ pro puritatis excellentia sponsus dicitur, et sic Deus sumitur essentialiter. » Joan. IV, *Spiritus est Deus*. Unde sensus est, *Sponsus*, idest Deus Trinitas. *Et sponsa*, Agni scilicet, non spiritus. Item dicitur sponsus inspirando, sponsa prædicando. Veni ad notitiam fidei, ad requiem cœli, ubi est visio speciei. *Et qui audit :* quasi dicat : ut ad notitiam hujus libri, omnes qui audiunt hoc pervenerint, debent similiter invitare alios ad idem. Unde sequitur, *Et qui audit*, hanc invitationem. Vel audit, potest intelligere librum, idest intelligit, *dicat* alii *veni* ad intelligendum similiter. Et hic percutitur invidia aliquorum qui nolunt docere quod sciunt. Sap. VI, *Sine fictione didici et sine invidia communico bonis illius*, *et honestatem illius non abscondo*. Deinde ostenditur, *Qui sitit veniat*, ad intelligentiam libri hujus, dicens : *Et qui sitit. Glossa*, idest credit et desiderat, veniat ad libri notitiam, non alius. Vel *qui sitit*, idest desiderat habere notitiam libri hujus, veniat ad librum vel accedat, vel accipiat studendo et mandata ejus servando. Aliis enim non datur revelatio seu intelligentia visionum nisi desiderantibus. Sicut patet in Daniel. IX, cui Angelus dixit : *Ego veni, ut prædicarem tibi visionem : quia vir desideriorum es*. Et ne quis causetur de labore vel pretio, subjungitur : *Qui vult accipiat* a Deo offerente *Aquam vitæ*. De qua supra eodem dictum est. Ostendit mihi flumen aquæ vivæ, *Gratis. Glossa*, idest sine meritis : non quod aliquis non possit mereri vitam æternam : sed hoc dicit *Glossa*, propter radicem meriti, vel quia non potest ex æquo quis mereri vitam æternam, sive ex condigno. Unde Rom. VIII, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis etc*. De hoc dicitur Isa. LVI, *Omnes sitientes venite ad aquas; et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite : venite emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.*

Contestor enim omni etc. Hæc est tertia pars capituli : in qua post commendationem operis excommunicat Joannes omnes qui addent vel subtrahent aliquid de corpore libri hujus. Et hoc fecit Joannes, quia sciebat quosdam esse in Asia qui pro suis erroribus fovendis, aliquid addere vel subtrahere vellent. Vel ut omnes non intelligentes alta mysteria et profundas sententias hujus libri, putarent esse opus pietatis addere aliquod vel subtrahere de textu libri, ut lucidior appareret, sicut faciunt et in multis locis Scripturæ. Ideo ponit excommunicationem dicens : *Contestor :* quasi dicat : Ex quo Angelus et sponsus Christus et sponsa testimonio suo approbant opus istud, patet quod verum est quicquid in eo est ; et non solum illi, sed ego testimonium do, et hoc est. Contestor enim, sub attestatione jurisjurandi trado. *Omni audienti verba libri hujus*, ut scilicet nihil addat vel minuat. Et subdit Joanne maledictionem. *Si quis apposuerit*, idest textui inseruerit volens opus depravare, imperfectum demonstrare. *Apponat Deus super eum plagas scriptas quæ sunt in libro isto*, supra XIV et XVI. Non autem excommunicat Joannes qui exposuerit verba libri, sed qui apposuerit verbum. Eccles. III, *Non possumus eis quicquam addere nec auferre quæ fecit Dominus ut timeatur*. Eccles. XVIII, *Non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia Dei*. Job. XXXIX, *Verbis meis addere non audebant, et super illos stillabant eloquium meum*. Deuteronom. IV, *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et siquis diminuerit de verbo libri*

prophetiæ hujus, auferet ei Deus partem ejus de libro vitæ, idest non habebit partem in cœlo. *Et de civitate sancta*, idest de societate sanctorum. *Et de his quæ scripta sunt in libro isto*, idest de gloria et bonis quæ promittuntur in libro isto. Et tempore excommunicationem potest excommunicare Joannes, vel non causa exercendam ubi in Asia, ubi stat Metropolitanus; libro confirmat suam auctoritate Christi, qui ubique potestatem habet. Unde sequitur: *Dicit qui testimonium perhibet istorum*. Christus et tota Trinitas, cujus testimonium appropositum est, et cujus testimonium verum est et firmum. Unde Psalm.: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. IV Joan. v.: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater et Filius et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*: non singuli in suis testimoniis, sed communiter; et ideo vera testimonia eorum. Et autem timeatur excommunicatio, ostendit Joannes Christum cito venturum ad judicium, qui reddet unicuique juxta opera sua. Unde inducit Christum loquentem dicens: *Etiam venio cito*. Hic jam dixerat idem supra eodem, Quare iterum hic iterum dicit? Solutio. Ibi dixit, ad animare (?) fideles. Hic repetit ut segnibus dicatur. Et ponit etiam, hoc est assertionem affirmandi, ut non dubitetur audientibus loqui Christum. Unde Joannes respondit et affirmat verbum Christi dicens: *Amen*, idest verum est quod dicit Christus. Et quia Joannes sciebat esse necessarium adventum Christi, ideo orando, optando subjungit: *Veni Domine Jesu*, ad remunerandum bonos et eradicandum malos de terra viventium. *Gratia*. Consummato libro refert Joannes grates Domino Jesu de sua promissione et revelatione, dicens: *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*, sit vel maneat, qui nos gratos faciat, ut sibi gratiosi semper gratias de collatis beneficiis referamus. *Amen*. Hæc est conclusio libri; quasi dicat: *Vera sunt omnia quæ in libro dicta sunt*. *Amen*, idem est quod veritas: et dicitur ab A, quod est sine, et mene, quod est defectus: idest sine defectu, quoniam veritas nunquam deficit. Unde in apocrypho Esdræ, dicit Zorobabel: Iniquus est rex, iniquæ mulieres et iniqui omnes filii hominum et iniqua omnium illorum opera, et non est in ipsis veritas, et in sua iniquitate peribunt et veritas manet etiam, valescit in æternum. Et nos ipsi gratias referemus qui nos decursis tantis plagis perduxit ad portum. Orate communiter, ut si alicubi minus bene dixi, mihi Jesus benignus indulgeat delinquenti et veniam postulanti; et lector non malitiæ, sed ignorantiæ ascribat, et corrigat quod viderit corrigendum. Benedictus sit Jesus in æternum. Amen.

DE PRÆSCIENTIA ET PRÆDESTINATIONE

Ad Fratrem Reginaldum socium suum charissimum

PROLOGUS

Instantissime rogastis me, charissime frater, ut vobis aliquem tractatum brevem facerem stilo facili, de Præscientia et Prædestinatione divina, per quem possetis aliquibus quæstionibus et objectionibus, quæ de ipsis communiter fiunt ab hominibus, respondere. Unde vestræ instantiæ pro posse satisfacere cupiens, agressus sum facere, auxilio Dei prævio, quod rogastis.

Scire tamen debetis quod ab antiquis philosophis, et etiam ab Ecclesiæ doctoribus et magistris, tam antiquis quam modernis, hæc quæstio fuit multipliciter et subtiliter ventilata. Quorum ego profundissimas et perplexas rationes evitans, leviores aliquas et vestræ capacitati accommodas, præelegi, non tamen quæ penitus satisfacere possint, in hac profundissima et insolubili quæstione. Nam secundum Apostolum ad Romanos XI, 33. *Incomprehensibilia sunt judicia Dei et investigabiles viæ ejus : quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? etc.*

Sunt autem hæc quæ in hoc opusculo perstringuntur. Primo quid sit præscientia et prædestinatio Dei, et in quo a se invicem differant. Secundo quid sit reprobatio Dei, et quis prædestinationis et reprobationis effectus. Tertio utrum præscientia sit causa rerum præscitarum, vel res causæ præscientiæ. Quarto utrum præscientia Dei necessitatem eveniendi rebus imponat. Quinto utrum prædestinatio certitudinem habeat. Sexto utrum prædestinatio necessitatem imponat. Septimo quare Deus fecit hominem quem sciebat esse damnandum.

CAPUT I

Quomodo ista quatuor, scilicet scientia, præscientia, providentia et prædestinatio se habeant in Deo.

Sciendum est igitur, quod ista quatuor, videlicet scientia, præscientia, providentia et prædestinatio diversimode, sive diversis respectibus de Deo dicuntur, et habent per se additionem unius ad alterum. Scientia enim sive sapientia de omnibus est, scilicet de bonis et malis, de præteritis, præsentibus et futuris ; et non tantum de temporalibus, sed etiam de æternis. Non enim ita scit Deus ista temporalia, ut seipsum nesciat ; sed ipse solus seipsum perfecte novit, cujus scientiæ comparatione, omnis creaturæ scientia imperfecta est. Præscientia vero addit super scientiam, quamdam præcognitionem : est enim de futuris tantum, sed de omnibus ; de bonis scilicet, et de malis. Providentia vero includit in se præscientiam, et addit supra ipsam, quamdam præparationem, sive promotionem in finem ultimum. Est enim de rebus præcognitis faciendis, sive gubernandis : unde providus dicitur, qui

bonos conjectat de contenentibus ad finem ultimum consequendum, et de his quæ ipsum possunt impedire. Providentia vero dicitur quæ rebus præscitis et ordinatis tribuit ea quæ ordinem conservent et propriis [illegible] [illegible].

Prædestinatio autem in suo intellectu includit, non solum præscientiam, sed etiam providentiam; et addit super eam aliquid, scilicet quemdam specialem modum, tam ex parte prædestinatorum, quam ex parte ipsius finis, quam etiam ex parte prædestinantis. Cum enim providentia Dei sit omnium rerum, et specialiter quodam modo rerum habentium voluntatem, prædestinatio includit in se providentiam secundum illum modum specialem, qui est respectu hominum et habentium voluntatem. Est enim prædestinatio de hominibus salvandis.

Item cum providentia respiciat ordinem uniuscujusque boni ad quemlibet finem, prædestinatio est tantum respectu eorum quæ homo ex naturalibus suis consequi non potest, sed sunt elevata supra facultatem humanæ naturæ. Est enim respectu gloriæ quæ est in perfecta Dei fruitione, et respectu gratiæ promoventis in ipsam gloriam. Unde dicit Damascenus, quod prædestinatio est eorum quæ non sunt in nobis.

Item licet providentia sit promotio vel directio alicujus in finem, prædestinatio tamen includit in se providentiam, cum quadam speciali acceptione et electione voluntatis. Quamvis enim prædestinatio præsupponat actum cognitionis, nominat tamen actum voluntatis eligentis ad ea quæ sola gratuita voluntate conferuntur. Unde Apostol. ad Rom. VIII, 29: *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Et ad Ephes. I, 5: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum secundum propositum voluntatis suæ*. Sic igitur de essentia prædestinationis est præscientia et voluntas aliquorum. Ex prædictis itaque manifestum est quid sit præscientia et prædestinatio Dei. Est enim præscientia Dei, certissima prænotio omnium futurorum tam bonorum quam malorum.

Prædestinatio vero, secundum Augustinum in lib. *de Prædest. sanct.*, est gratiæ præparatio, idest divina electio, qua « elegit eos quos voluit ante mundi constitutionem, » ut ait Apost. ad Ephes. I, 4. Vel secundum definitionem magistralem: Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Unde patet quod prædestinatio sine præscientia esse non potest; sed sine prædestinatione præscientia esse potest. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus; sed præscivit Deus etiam quæ non ipse facturus, idest omnia mala: prædestinavit enim eos quos elegit; reliquos autem reprobavit, idest ad mortem æternam præscivit [1].

CAPUT II

Quid sit reprobatio, et quis prædestinationis ac reprobationis effectus.

Sicut autem prædestinatio Dei proprie est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, scilicet gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro, ita reprobatio Dei est præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ et præparatio pœnæ non terminandæ, ut dicit Augustinus in lib. de *Bono perseverantiæ*. Reprobatio enim Dei, qua ab æterno, non eligendo, quosdam reprobavit, secundum duo consideratur: quorum alterum præscit et non præparat, scilicet iniquitatem sive malitiam [1]. Unde Augustinus *ad Prosp. et Hilar.*: « Hæc quidam regula inconcusse tenenda est: peccatores peccato præscitos esse, non præparatos; pœnam autem esse præparatam. » « Præparavit enim Deus malis (ut ait Fulgentius) ignem æternum, illis utique quos non præparavit ad facienda peccata [2]. Præparavit enim Deus quod divina æquitas redderet, non quod humanas iniquitas admitteret. Non

[1] [illegible]
[1] [illegible]

[2] Al.: « Illis itaque quos juste præparavit ad luenda supplicia, non tamen præparavit ad facienda peccata. »

enim sicut præparavit sanctos ad justitiam prosequendam, sic præparavit iniquos ad injustitiam admittendam, quia pravitatis operator nunquam fuit. »

Prædestinatio, quantum est de se, non tantum importat scientiam, sed etiam voluntatem et potentiam. Sed quoniam causalitas gratiæ et gloriæ attribuitur proprie voluntati ut efficienti, scientiæ autem ut dirigenti, potentiæ vero ut exequenti ; ideo etsi prædestinatio importat illa tria, tamen principalius est in genere voluntatis. Et ideo ab Augustino definitur prædestinatio per illa tria. Primo per id quod respicit potentiam in lib. *de Fide ad Petr. :* Prædestinatio est gratuitæ donationis præparatio. » Secundo per id quod respicit scientiam in lib. *de Bono persev. :* « Prædestinatio est præscientia beneficiorum Dei. » Tertio per id quod respicit voluntatem ; et propriissime in lib. *de Prædest. sanct.* : Prædestinatio est propositum miserendi. » Prædestinationis autem effectus est appositio illius gratiæ, qua in presenti justificamur, atque ad recte vivendum et in bono perseverandum adjuvamur, et qua in futuro beatificamur. Quem quidem effectum notificat Apostolus ad Roman. III, 24 : *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Et sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio, ita reprobationis effectus est quodammodo privatio sive substractio gratiæ. Quæ interdum in Scriptura sacra obduratio et excæcatio dicitur. Unde Apostolus ait ad Rom. IX, 18 : *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat* : misericordiam appellans prædestinationem (ut ait Augustinus *ad Xistum*), et prædestinationis effectum , idest gratiæ appositionem ; obdurationem vero gratiæ privationem. Hic etiam de excæcatione dicitur II ad Corinth. IV, 4, quod *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium* : quod una *Glossa* de Deo vero exponit. Sciendum tamen est, quod quia bonum subjacet providentiæ Dei, ut causatum et ordinatum ; ideo prædestinatio est idem quod causa gratiæ et gloriæ, ad quam gratia ordinatur. Sed quia malum non subjacet providentiæ ut intentum vel causatum (cum omnis defectus accidat præter intentionem) solum subjacet ei ut præscriptum et ordinatum, sicut dictum est ; ideo reprobatio est tantum præscientia culpæ et non causa, sed pœnæ ad quam culpa ordinatur, et cujus, scilicet pœnæ, est præscientia et causa. Unde Augustinus dicit *ad Xistum :* « Non obdurat Deus immittendo malitiam, sed non impertiendo gratiam, sicut nec digni sunt. » Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur. Idem *ad Simplicianum* dicit : « Non est intelligendum, quod Deus ita induret, quasi quemquam peccare cogat ; sed tantum quibusdam peccatoribus misericordiam justificationis suæ non largitur. Et ob hoc eos indurare dicitur, quia non eorum miseretur, non quia impellit ut peccent : eorum autem non miseretur, quibus gratiam non esse præbendam æquitate occultissima et ab humanis sensibus remotissima, judicat : quam non aperit, sed admiratur Apostolus dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei*, ad Roman. XI, 33.»

CAPUT III

Utrum scientia vel præscientia Dei sit causa rerum præscitarum.

Consequenter considerandum est , utrum scientia vel præscientia Dei, sit causa rerum præscitarum ; vel res futuræ, sint causa præscientiæ Dei. Et ut melius veritas appareat, producantur in medium aliqua argumenta.

Circa primam partem sic proceditur. 1 . Videtur, quod præscientia Dei sit causa rerum præscitarum. Nam omne id quod antecedit aliud, et ipso posito ponitur, ipsum est causa illius, ut patet per definitionem causæ : causa est, ad cujus esse sequitur aliud. Sed divina præscientia præcedit omne futurum, et ea posita ponuntur futura respectu quorum est ratio, et ea remota removentur futura : quia nec futura fuissent nisi ea Deus præscivisset ; alias ignorantia poneretur in Deo, quod est absurdum. Ergo præscientia videtur esse causa præscitarum rerum.

2. Item, sicut voluntas Dei est ipse Deus, ita et scientia ejus. Sed voluntas Dei absolute est causa omnium volitorum; unde dicit Psal. cx, 6: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*. Ergo scientia ejus debet dici causa omnium scitorum.

3. Hoc etiam manifeste Augustinus videtur dicere lib. xv *de Trinitate* dicens: « Universas creaturas, et spirituales et corporales, non quia sunt novit eas Deus, sed ideo sunt, quia novit; non enim nescivit quæ fuerat creaturus; quia ergo scivit, creavit, non quia creavit, scivit. »

In contrarium est, quia si præscientia esset causa præsciti, cum Deus præsciat omnia mala, esset causa omnium malorum, et per consequens esset actor omnium malorum, quod falsum est.

Dicendum est ergo circa istam materiam, quod scientia, sive præscientia, Dei potest considerari dupliciter. Uno modo secundum propriam rationem. Et sic, cum præscientia nihil aliud dicat nisi præcognitionem, non importat aliquam causalitatem; alias omnis scientia vel præscientia causa esset rerum præscitarum; quod falsum est. Videmus enim quod præscientia medici, quando certitudinaliter novit infirmum brevi moriturum, non est causa mortis infirmi: præscientia etiam speculatoris qui videt hominem euntem per viam, in qua paratus est leo ad devorandum, non est causa perditionis illius, et hujusmodi. Alio modo potest considerari, inquantum est scientia artificis operantis res præscitas; et sic habet rationem causæ respectu rei operatæ per artem: unde secundum modum quo scientia artificis operantis per artem suam est causa artificiati, consideranda est causalitas scientiæ divinæ. Est ergo iste progressus in productione artificiati. Primo scientia artificis ostendit finem. Secundo voluntas ejus intendit finem illum ostensum. Tertio voluntas imperat actum, per quem educitur opus. Quarto scientia dirigit illum actum. Quinto circa opus quod per actum educitur, scientia artificis ponit formam exemplarem. Sic igitur scientia artificis se habet ut ostendens finem, ut dirigens actum, et ut informans opus operatum.

Et ideo constat quod quidquid defectus vel deviationis a forma artis vel a fine accidit in effectu, non reducitur in scientiam artificis sicut in causam, etiam si defectus ille fuerit præscitus ab eo. Patet etiam, quod principalitas causalitatis consistit penes voluntatem quæ imperat actum. Unde manifestum est, quod scientia vel præscientia Dei causalitatem non habet respectu mali, quod est deviatio a forma et a fine; sed tantum respectu bonorum, secundum quod consequuntur formam divinæ artis et finem. Non tamen ita quod respectu eorum dicat perfectum rationem causalitatis, nisi secundum quod adjungitur voluntati. Et ideo dicit Magister sententiarum, quod scientia beneplaciti est causa rerum.

Ad primum ergo dicendum est, quod aliquid potest aliud sequi dupliciter. Uno modo per modum productionis, secundum quod unum producitur ab alio. Et sic id ad cujus esse sequitur aliud, est vere causa ejus in essendo. Alio modo per modum consecutionis. Et sic id ad cujus esse sequitur aliud, non est causa in essendo, sed solum in consequendo. Et omne tale dicitur esse causa sine qua non. Et talis causa dicitur esse scientia vel præscientia divina, si tamen scientiam ad simplicem notitiam referamus. Si vero scientiæ sit adjuncta voluntas (quæ dicitur scientia beneplaciti), tunc est causa omnium quæ fecit Deus.

Ad secundum dicendum, quod voluntas habet completam rationem causæ, in quantum objectum ejus est finis secundum rationem boni, qui, scilicet finis, est causa causarum. Unde et voluntas imperium habet super alias vires animæ. Et ideo voluntas Dei absolute dicitur causa rerum; sed scientia non est ita, sicut patet per prædicta. Licet enim in Deo sit una res; tamen aliquid attribuitur uni, quod non attribuitur alteri: et ideo ratio non procedit.

Ad tertium dicendum, quod Augustinus loquitur de scientia beneplaciti, sicut patet. Agit enim de bonis tantum, scilicet de creaturis, quas Deus facit. Quas quidem novit, non solum scientia sim-

plicis notitiæ, sed etiam scientia beneplaciti.

Licet autem scientia vel præscientia Dei aliquo modo sit causa rerum scitarum, ut dictum est, nullo tamen modo res possunt esse causa scientiæ vel præscientiæ Dei. Non enim Deus accipit cognitionem a rebus, sicut nos accipimus; sed seipsum intelligit et cognoscit [1]. Quamvis igitur res non præscirentur nisi essent futuræ, non tamen ideo præsciuntur, quia futuræ [2]. Si enim hoc esset, tunc temporale esset causa æterni, et creatum causa increati, et ex creaturis penderet scientia Creatoris. Et ideo dicit Augustinus in xv lib. *de Trinitate*: « Universas autem creaturas et spirituales et corporales, non quia sunt, ideo novit: sed ideo sunt, quia novit. » Cum ergo dicitur, res non præscirentur nisi essent futuræ, non notatur ibi causa, nisi forte, sine qua non; sed importatur solum consequentia unius ad alterum.

CAPUT IV

Utrum præscientia Dei necessitatem eveniendi rebus imponat.

Ex prædictis colligi potest, quod præscientia Dei necessitatem eveniendi rebus non imponat. Si enim præscientia Dei accipiatur pro simplici notitia futurorum, certum est, quod ipsa non est causa rerum præscitarum, ut ex jam dictis apparet: et ideo, licet præsciat res futuras, non tamen eis necessitatem imponit. Unde Augustinus *super Joan.*: « Deus, inquit, futurorum præcius, per Prophetam prædixit infidelitatem Judæorum, sed non fecit. Non enim ideo quemquam ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata prænovit: illorum enim præscivit peccata, non fecit. » Si autem scientia Dei accipiatur pro notitia beneplaciti, similiter necessitatem rebus contingentibus non imponit. Omnia enim sic cognoscit esse futura, sicut ventura sunt: et cuncta quæ contingenter eveniunt (ut illa quæ sunt libero arbitrio, et a casu, et a fortuna), sic præscit esse futura contingenter, sicut etiam præscit modum contingentiæ, secundum quem sunt. Unde sicut erroneum est dicere, quod humani actus et eventus præscientiæ et ordinationi divinæ non subsint; ita erroneum est dicere, quod ex præscientia, vel ordinatione divina, humanis actibus necessitas ingeratur. Tolleretur enim libertas arbitrii, legum utilitas, consiliandi opportunitas, solicitudo bene vivendi, et pœnarum præmiorumque justitia.

Sed contra hoc objicitur. Dictum est supra quod præscientia beneplaciti est causa rerum. Sed omnis causa necessaria inducit necessario effectum: posita enim causa, necessario ponitur effectus, nisi sit deficiens in minori parte, sicut est causa naturalis. Cum ergo præscientia Dei non sit deficiens; videtur quod id quod est præscitum a Deo, sit necessarium.

2. Amplius, omne quod Deus præscit, est verum, quia scientiæ Dei falsum subesse non potest. Sed (ut dicit Philosophus in I *Periher.*; omne quod est, quando est, necesse est esse. Ergo si præscitum est modo verum, necesse est nunc esse verum. Sed futurum est præscitum. Ergo necessarium est futurum esse; ergo ex necessitate eveniet.

3. Præterea, ponatur quod Deus præscit aliquid in partem affirmativam, ut Socratem currere. Tunc sic aut est possibile Socratem non currere, aut non est possibile. Si non est possibile ipsum non currere; ergo non ab æquipollenti, necesse est ipsum currere: et sic habetur propositum. Si autem possibile est ipsum non currere, ponatur ergo ipsum non currere: (possibile enim est, secundum Philosophum, quo posito non sequitur inconveniens). Sed positum erat, quod Deus præsciret Socratem currere: ergo præscit esse futurum, quod non est futurum. Omnis autem talis scientia falsa est; ergo scientia vel præscientia Dei falsa erit; quod est impossibile. Relinquitur ergo, quod Socratem

[1] Additur ad marginem: « et in se et per se omnia alia. »

[2] Additur ad marginem: « sed futuræ quia præsciuntur. »

non currere, non sit possibile, sed necessarium.

4. Item, si Deus præscit Socratem currere, aut est possibile illum non currere, aut non est possibile. Si non est possibile aliter evenire, ergo necessarium est sic evenire, sicut præscitum est, et sic habetur propositum. Si autem possibile aliter evenire quam Deus præscit; ergo divina præscientia est fallibilis et incerta: quod est falsum.

5. Adhuc, secundum Philosophum in I. Prior., ex majori de necessario et minori de inesse, sequitur conclusio de necessario. Item sic: omne præscitum a Deo necesse est esse verum. Sed Socratem currere est præscitum a Deo, ergo necesse verum. Et sic idem quod prius.

6. Item, in omni vera conditionali, si antecedens est necessarium absolute, et consequens est necessarium absolute, quia ad antecedens semper sequitur consequens, et ad necessarium nunquam sequitur non necessarium, sicut ad verum nunquam sequitur falsum, quamvis ad falsum aliquando sequatur verum, ut probatur in I *Prior*. Sed in hac conditionali, Necesse est Socratem currere si est præscitum a Deo: antecedens est necessarium absolute; tum quia omne præscitum est necessarium, tum quia omne æternum est necessarium. Ergo Socratem currere, est necessarium absolute.

In contrarium est auctoritas Augustini sumpta in lib. de *Libero arbitrio*, dicentis: « Sicut tu memoria tua non cogis esse facta quæ præterierunt, sic præscientia non cogit fieri quæ futura sunt. »

Item potest ostendi per rationes ducentes ad impossibile. Si enim præscientia Dei necessitatem rebus imponeret (sicut dictum est), tolleretur libertas arbitrii, periret consiliandi opportunitas, frustra bonis præmia et malis supplicia ponerentur, injuste boni præmiarentur et mali punirentur, laus et vituperium deperiret. Ipsis, ut dicit Hieronymus, nemo peccat in eo quod vitare non potest; peccata nostra ad auctorem bonorum omnium referrentur, nec speculandi aliquid, vel deprecandi ratio nulla esset.

Respondeo. Dicendum, quod propter hujusmodi difficultates duplex fuit error circa istam materiam. Quidam enim, propter ordinem causæ ad causatum, dixerunt quod, cum præscientia Dei sit causa rerum et sit immutabilis, rebus necessitatem imponit; et ideo abstulerunt liberum arbitrium et peccatum. Et hæc positio fuit hæretica et iniqua, quia destruit bonos mores. Alii vero propter ordinem scientiæ ad scitum dixerunt, quod cum scientia sit certa cognitio, ex ipsa ratione certitudinis requirit determinationem in re scita. Sed in futuris contingentibus, non est alterum determinate verum; et ideo, de eis certa cognitio esse non potest, nisi quando sunt. Cum autem Dei cognitio sit certissima et infallibilis, negaverunt Deum de futuris contingentibus præscientiam habere; cogitantes intellectum divinum ad modum intellectus nostri, cognitionem accipere. Et hæc similiter positio hæretica fuit et impia, quia derogat nobilitati divinæ.

Et ideo positio vera et catholica est, quæ Deum honorat, et bonos mores conservat.

Conclusio.

In Deo est certissima præscientia futurorum omnium, nec tamen rebus contingentibus necessitatem imponit. Quomodo autem hoc esse valeat, sic percipi potest. Manifestum est, quod quando sunt multæ causæ ordinatæ, effectus ultimus non sequitur causam primam in necessitate vel contingentia, sed causam proximam; quia virtus causæ primæ recipitur in causa secunda secundum modum causæ secundæ. Nam omne quod recipitur in aliquo, est in eo secundum modum recipientis, et non secundum modum recepti. Effectus enim ille non procedit a causa prima nisi secundum quod virtus causæ primæ recipitur in causa secunda, ut patet in fructificatione arboris, cujus causa remota, sive prima, est motus solis, proxima vero est virtus generativa plantæ. Fructificatio autem impediri potest per impedimentum virtutis generativæ, quamvis motus solis

invariabilis sit. Similiter [1] etiam scientia Dei, licet sit invariabilis causa omnium, effectus tamen producuntur ab ipsa per operationes causarum secundarum. Et ideo mediantibus causis secundis necessariis producit effectus necessarios ; et mediantibus causis secundis contingentibus, producit effectus contingentes.

Sed adhuc manet dubitatio major de infallibilitate divinæ præscientiæ : quia licet prima causa possit stabilis esse cum defectu causæ secundæ (sicut motus cœli cum sterilitate arboris), scientia tamen Dei non potest stare cum defectu causæ secundæ. Non enim potest esse, quod Deus sciat simul hunc hominem currere, et quod ipse homo deficiat a cursu. Et hoc est propter certitudinem scientiæ ipsius. Ad hoc ergo quod sit certa scientia, oportet invenire aliquam certitudinem in re scita.

Secunda est, quod antequam res sit, non habet esse nisi in causis suis. Sed causæ quædam sunt, ex quibus necessario sequitur effectus, quæ impediri non possunt. Et in istis causis habet effectus esse certum et determinatum, adeo quod potest ibi fieri demonstratio ; sicut est ortus solis, et eclypsis solis et lunæ, et hujusmodi. Quædam autem sunt, ex quibus sequuntur effectus in majori parte, sed tamen deficiunt in minori. Unde in istis causis effectus futuri non habent certitudinem absolutam, sed quamdam, inquantum sunt magis determinatæ causæ ad unum, quam ad aliud. Et ideo per istas causas potest accipi scientia conjecturalis de futuris. Quæ tanto magis est certa, quanto sunt causæ magis determinatæ ad unum ; sicut est cognitio medici de sanitate infirmi, ac morte futura. Et judicium astrologi de ventis et pluviis futuris.

Quædam vero causæ sunt, quæ se habent ad utrumlibet. Et in istis causis effectus futuri nullam habent certitudinem, vel determinationem. Et ideo contingentia ad utrumlibet, in causis suis nullo modo cognosci possunt ; sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in seipsis esse determinatum. Et ideo quando sunt in actu, certitudinaliter cognoscuntur : ut patet de eo qui videt Socratem currere ; quia tunc certam cognitionem habet de cursu ipsius ; nam Socratem currere, dum currit, necessarium est. Intellectus autem divinus ab æterno intúetur unumquodque contingentium, non solum prout est in causis suis, sed prout est in esse suo determinato. Nisi enim hoc esset, aliter cognosceret rem postquam est, quam antequam fieret : et sic de eventibus rerum aliquid accresceret cognitioni ejus. At vero cognitio Dei non causatur a rebus, sicut nostra ; sed potius ipsa est causa rerum cognitarum. Scientia ergo Dei, cum sit vera et perfecta, eo modo quo res futuræ sunt, eas evenire cognoscit. Et ideo ab æterno uno intuitu vidit singula tempora et cunctos hominum actus, et rem talem esse in hoc tempore, et in hoc deficere. Patet igitur quod præscientia Dei perfecte et invariabiliter cognoscit res futuras prout eveniunt, nec tamen rebus contingentibus necessitatem imponit.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus non trahit necessitatem a causa prima, sed solum a causa proxima, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod dictum Philosophum intelligitur de eo, quod aliquid in actu ponit circa subjectum ; quod postquam positum est, impossibile est non esse positum. Sed verum de futuro nihil ponit circa subjectum ; quia non est verum pro præsenti, sed solum pro futuro ; et ideo nullam habet necessitatem.

Ad tertium dicendum, quod duplex est necessitas : scilicet absoluta, et conditionata, sive respectiva. Necessitas absoluta quæ opponitur contingentiæ, dicitur necessitas consequentis, quæ est ex causis necessariis. Necessitas autem conditionata, est ex suppositione sive conditione ; et dicitur necessitas consequentiæ. Et hæc non opponitur contingentiæ, quia non est ex causis necessariis absolute. Nam aliquod contingens necessario sequitur, facta suppositione ; ut si ponatur quod Socrates currit, necessario sequitur quod moveatur.

Dicendum ergo, quod actus divinæ co-

[1] Al. : « a simili. »

præsentia transit super contingentia futura ut futura sunt ad nos; quia ei semper est præsens, sicut transit visus videntis super ipsum currentem præsens. Et quia omne quod est, dum est, necesse est esse, quod tamen absolute non est necessarium, sive in se consideratum, est contingens; sed relatum ad Dei cognitionem, est necessarium; quia ad ipsam refertur secundum quod est in esse actuali, cum æternitati omnia sint præsentia. Non enim Deus videt tantum hæc esse respectu præsentis in tempore esse futurum, et respectu futuri esse præteritum; sed videt in tempore in quo est præsens, et eum esse præsentem in hoc tempore. Unde omnino simile est, si ego videam præsentialiter Socratem currere, quod quidem in se contingens est, sed relatum ad visum meum, est necessarium. Unde secundum distinctionem positam, dicendum est, quod præscitum est necessarium necessitate consequentiæ, sive conditionata, et non necessitate consequentis, sive absoluta.

Ad quartum dicendum, quod infallibilitas et certitudo præscientiæ Dei, provenit ex hoc, quod ea videt semper ut præsentia, sicut dictum est. Non tamen ex hoc, quod res præscita necessitatem absolutam acquirat, sed conditionatam solum, ut jam patuit.

Ad quintum dicendum, quod ista propositio, omne scitum a Deo, necesse est esse, est duplex. Potest enim esse de dicto, et sic est composita, et est vera; quia hoc dictum est necessarium, scilicet scitum a Deo, esse verum. Vel potest esse de re; et sic est divisa, et falsa: hanc enim rem quæ ponitur scita a Deo, non necesse est fieri, quia contingenter fit. Et similiter conclusio duplex est. Hujus autem distinctionis ratio est: quia potest illud sumi secundum conditionem quæ subjacet divinæ scientiæ, et hoc est secundum quod habet esse determinatum in actu, et sic necessitatem habet. Vel potest ista res sumi sine illa conditione, et sic non est necessarium; quia potest considerari prout est in causis suis, antequam sit in actu, et sic non habet necessitatem, nec sic tantum est scita a Deo futura esse; non enim scit Deus effectum contingentem esse determinatum in sua causa, quia esset falsa scientia, cum in causa sua non sit determinatus.

Ad sextum dicendum, quod ad hoc argumentum quidam sic respondent, et dicunt, quod hoc antecedens scilicet esse præscitum a Deo, est necessarium, nec tamen consequens est necessarium; quia illa regula intelligitur tantum in illis conditionalibus, in quibus antecedens est causa consequentis. Sed quia regula illa non probatur a Philosopho de ratione causalitatis, sed de ratione consequentiæ secundum quam ex necessario sequitur necessarium, sive sit causa, sive effectus; ideo aliter potest dici, quod antecedens est necessarium absolute, tamen ista res non potest subjacere divinæ scientiæ nisi dum est in actu, secundum quod determinationem et certitudinem habet; ipsam enim necesse est esse, dum est. Et ideo, similis necessitas inferenda est in consequente; ut scilicet accipiatur ipsum, quod est Socratem currere, secundum quod est in actu; et sic determinationem et necessitatem habet. Unde patet, quod si sumatur Socratem currere secundum hoc, quod ex antecedente sequitur, necessitatem habet; non enim sequitur ex antecedente, nisi secundum quod substat divinæ scientiæ; cui subjicitur, prout consideratur præsentialiter in suo esse actuali: unde sic etiam sumendum est consequens. Et hoc modo patet, quod scilicet ex hypothesi, consequens necessarium est; necesse est enim Socratem currere dum currit.

CAPUT V

Utrum prædestinatio habeat certitudinem.

Post hæc etiam de prædestinatione restat investigare. De qua hic ad præsens, præter ea quæ dicta sunt, duplex consideratio erit. Prima quidem, utrum prædestinatio certitudinem habeat. Secunda, utrum necessitatem imponat.

Ad primum ergo sic proceditur. 1. Videtur quod prædestinatio certitudinem non habeat. Dicitur enim Apoc. III, 11: *Tene quod habes, ne alius accipiat coro-*

nam tuam. At hoc intelligitur de corona præsentis justitiæ, aut de corona gloriæ. Sed non de corona præsentis justitiæ quia gratia, quam quis habet, eo peccante destruitur, nec de subjecto in subjectum mutatur; ergo intelligitur de corona gloriæ. Sed gloria non est alicujus in statu vitæ, nisi secundum quod est ei prædestinata; ergo videtur quod unus possit accipere quod alii prædestinatum est; et sic prædestinatio certa non erit.

2. Præterea, Gregorius *in Moral.* dicit, quod aliis cadentibus, in eorum locum alii succedunt. Sed locus gloriæ non potest dici eorum, nisi quia est eis prædestinatum; ergo idem quod prius.

3. Item in Psal. LXVIII, 29, dicitur : *Deleantur de libro vitæ et cum justis non scribantur*. Sed non potest deleri de libro, nisi quod ibi scriptum est. Cum ergo prædestinatio sit liber vitæ, videtur quod aliquis a prædestinatione possit deficere, et ita certitudinem non habebit.

4. Amplius, eorum quæ non sunt determinata, nec in se, nec in causis suis, non potest esse certitudo. Sed motus liberi arbitrii, quod est causa ad utrumlibet, non sunt determinati nec in se, nec in causis suis, antequam sint. Cum igitur effectus prædestinationis expleatur motibus liberi arbitrii, qui sunt opera meritoria; sequitur quod prædestinatio nullam certitudinem habeat.

In contrarium est auctoritas Augustini in libro *de Correptione et gratia*, cap. XIII, dicentis : « Certus est numerus electorum, qui non potest minui nec augeri. »

Præterea, II ad Timoth. II, 19, dicitur : *Novit Deus qui sunt ejus.*

Cum ergo divina cognitio sit certa et infallibilis, ut supra dictum est; et prædestinatio in sui ratione præscientiam includat : prædestinatio certa erit.

Respondeo. Dicendum, quod cum divina cognitio perfecta sit, certa est et infallibilis. Et ideo non solum numerus prædestinatorum Deo certissimus est, licet incertus sit nobis, sed etiam numerus reproborum. Sciendum tamen est, quod secundum statum præsentis justitiæ, quidam habentes gratiam perdunt eam, dum in peccata labuntur; et eis cadentibus, in eorum locum alii admittuntur, dum opera ipsorum in charitate facta, quæ sibi et aliis proderant, secundum quod charitas omnia merita sanctorum communia facit, ipsis peccantibus, eis prodesse desinunt ad æternæ vitæ meritum : eorum autem fructus in illis manet qui in gratia perseverant. Non tamen ita quod eadem gratia numero quæ in uno erat, ipso peccante, in alium transmutetur. Unde secundum statum præsentis justitiæ, numquam Ecclesia destituitur existentibus in gratia; quia quibusdam peccantibus, in gratiam alii a Domino advocantur. Et totum est certissimum apud Deum : unde Apocalyp. III, 11, super illo verbo, *Tene quod habes etc.*, dicit *Glossa :* « Cum Deo sit certus numerus suorum, si quis labatur, alius misericordia in locum ejus subinducitur, sicut per superbiam Judæorum gentilitas subintravit. » Et per hoc patet responsio ad primum et secundum argumentum.

Ad tertium dicendum, quod prædestinatio dicitur liber vitæ, secundum quod in eo dicitur aliquid scribi, non solum quantum ad præsentem justitiam, sed etiam quantum ad futuram gloriam; et sic nullo modo potest dici aliquis deleri de libro vitæ. Sed illud quod est ibi scriptum quantum ad præsentem justitiam tantum, dicitur deleri, non mutatione facta ex parte libri, ut in eo aliquid fuerit, quod postmodum non sit : sed ex parte illius qui in eo scriptus erat, in quantum scilicet ipse mutatur a statu præsentis justitiæ.

Ad quartum dicendum, quod contingens futurum, ut motus liberi arbitrii, quamvis non sit determinatum in causa sua, est tamen determinatum in esse suo secundum quod est in actu. Et sic subjacet certitudini præscientiæ, sicut supradictum est de futuris contingentibus (in præcedenti capite.)

CAPUT VI

Utrum prædestinatio necessitatem imponat.

Deinde investigandum est, utrum prædestinatio necessitatem imponat. Et 1. vi-

detur quod sic. Quandocumque enim aliqua causa est tantæ virtutis ad producendum effectum, quod impediri non potest, necessitatem et coactionem inducit. Sed prædestinationis quæ est causa salutis hominum, voluntatem Dei nominat, quæ impediri non potest. Unde dicitur Esther xiii, 9: *Non est qui tuæ possit resistere voluntati*. Ergo prædestinatio necessitatem imponit. Cui etiam videtur attestari Apost. ad Roman. ix, 18, dicens: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat*. Et Psal. cxxxiv, 6: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit*.

2. Præterea, nulla voluntas ligata vel impedita ad eliciendum proprium actum est libera, sed coacta. Sed voluntas humana per prædestinationem ligatur et impeditur ad eliciendum actum proprium, quod est velle; ut videtur dicere Apostolus ad Roman. ix, 16: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Interlin.: « Non est volentis, scilicet velle, nec currentis, scilicet currere, idest operari. » Ergo voluntas humana per prædestinationem cogitur. Et sic idem quod prius. Hoc idem confirmatur per id quod dicitur ad Philipp. ii, 13: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate*, scilicet sua, ut dicit Interlin. Ergo talis erit unusquisque qualem vult Deus, cum nihil possit nisi quod Deus vult. Ad idem ostendendum valet id quod dicitur Joan. vi, 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*.

Ulterius videtur, quod Deus sit causa reprobationis et excæcationis, sicut est causa prædestinationis, et eodem modo reprobatio necessitatem imponat.

Primo per id quod dicit Apost., II ad Corinth. iv, 4: *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*. Et una *Glossa* exponit hoc de Deo vero. Ergo ipse est causa excæcationis.

2. Ad idem est quod dicitur ad Rom. ix, 18: *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat*.

3. Amplius, secundum Philosophum in *Posterioribus*, si affirmatio est causa affirmationis, et negatio est causa negationis. Sed velle divinum est causa quod iste habeat gratiam, quia scilicet ipse Deus vult. Ergo videtur quod non velle Dei sit causa quare iste gratiam non habeat. Sed hoc est obduratio. Ergo ex parte Dei accipienda est causa obdurationis.

4. Præterea, sicut dicit Philosophus II *Physicorum*, id quod per sui præsentiam est causa salutis navis, scilicet gubernator, per sui absentiam est causa periculi. Sed Deus per sui præsentiam in anima est causa gratiæ; ergo per sui absentiam est causa obdurationis.

Sed contra. Nullus juste culpatur vel laudatur, punitur vel remuneratur de eo quod ipsi necessitatem et coactionem ingerit, et cujus causa non est in ipso. Sed homo juste laudatur vel culpatur, punitur vel remuneratur de his quæ ab ejus voluntate procedunt. Ergo prædestinatio voluntati hominis necessitatem non ingerit.

Respondeo. Dicendum ad primam quæstionem, quod licet prædestinatio certitudinem habeat, non tamen illa certitudo necessitatem salvandis imponit: sicut enim supra dictum est (I cap.), Prædestinatio in suo intellectu includit præscientiam, voluntatem et providentiam. Providentia autem quamvis sit omnium, ut dictum est, non tamen omnia necessario eveniunt, sed secundum conditionem proximarum causarum, quarum naturas et ordinem providentia non destruit, sed conservat. Præscientia etiam non imponit necessitatem rebus, nec in quantum est causa, cum sit causa prima, cujus conditionem effectus non sequuntur, sed causæ proximæ; nec inquantum certitudinem et determinationem habet; quia illa certitudo divinæ præscientiæ attenditur non secundum quod res sunt in suis causis, in quibus sunt ut possibile futurum tantum; sed secundum quod habet esse determinatum in actu, prout est præsens, et non ut futurum, ut supra expositum est cap. quarto. Voluntas etiam Dei cum sit causa universalis et prima omnium rerum, non excludit omnes proximas causas rerum. Nec hoc ex insufficientia voluntatis est, sed ex ordine sapientiæ ipsius, quæ effectus mediantibus aliis causis provenire disposuit; ut sic etiam causandi dignitas creaturæ communicaretur. Unde divinæ

voluntatis efficacia exigit, ut non solum sit quod Deus vult, sed etiam ut hoc modo sit, sicut Deus vult illud esse. Et ita patet quod certitudo prædestinationis nullam necessitatem salvandis imponit.

Ad primum ergo dicendum quod quamvis Dei voluntas sit immutabilis et invincibilis, non tamen sequitur, quod omnis effectus ejus sit necessarius necessitate absoluta, quam habet res a causa proxima; sed solum necessitate conditionata, sicut etiam de præscientia dictum est.

Ad auctoritatem autem Apostoli, qui dicit, *cujus vult miseretur etc.*, Dicendum est quod Apostolus intendit, quod Deus non prædestinat aliquem, vel infundit ei gratiam coactus, quasi ex necessitate naturæ vel justitiæ, vel ex meritis præcedentibus alicujus; sed ex mera liberalitate voluntatis suæ. Et quod ita debeat intelligi, patet per litteram præcedentem de Jacob et Esau; de quibus ibi dicitur, v, 11 : *Cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.*

Auctoritas autem Psalmistæ non cogit dicere quod voluntas Dei necessitatem imponit, sed quod semper infallibiliter impleatur. Sciendum tamen est, quod Deus dicitur velle aliquid dupliciter. Uno modo proprie; et sic dicitur velle aliquid, cujus voluntas vere in eo est, et quod ei complacet. Et hæc dicitur voluntas beneplaciti, quæ semper in omnibus infallibiliter impletur. Et de hac loquitur Psal. et Isa. XLVI, 10 : *Omnis voluntas mea fiet.* Alio modo dicitur velle aliquid metaphorice, idest per similitudinem, eo quod ad modum volentis se habet, inquantum præcipit, vel consulit, prohibet, vel permittit aliquid. Et hæc dicitur voluntas signi, quæ non semper impletur; de qua dicit Apostolus I ad Timoth. II, 4 : *Qui vult omnes homines salvos fieri*, cum tamen omnes salvi non fiant, sed multi damnentur. De hac etiam dicitur Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, et noluisti?*

Ad aliud, Dicendum, quod voluntas humana per prædestinationem non ligatur nec impeditur ad eliciendum proprium actum, sed juvatur. Ideo autem dicit Apostolus quod *non est volentis* velle, *nec currentis* currere, *sed miserentis Dei*, quia nemo potest per conatum propriæ voluntatis consequi gratiam, vel per naturalia propria opus gratuitum elicere, sine divino auxilio. Unde ipse Christus dicit Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Cujus ratio est, quia licet voluntas hominis libera sit, tamen hanc libertatem non habet nisi a Deo, qui est causa efficiens hujusmodi libertatis. Et sicut dicitur in libro *de Causis*, omnis causa primaria plus est influens super suum causatum, quam causa secunda; quia virtus et esse causæ secundæ, totum est a causa prima; et sic actus et operatio causæ secundæ reducitur in causam primam, cujus virtute operatur. Et per hunc modum dicit Apostolus, quod « *Deus operatur in nobis velle et perficere.* »

Ad id vero quod dicitur, « *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* » dicendum, quod homo trahitur tripliciter : aliquando enim trahitur violentia, sicut Susanna trahebatur ad mortem, ut dicitur Dan. XIII, et Eleazarus trahebatur ad supplicium, ut dicitur II Machab. VI, 18. Et de hac tractione dicitur Prov. XXIV, 11 : *Qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.*

Aliquando vero trahitur homo amore, vel delectationibus allectus, vel beneficiis provocatus, sicut trahitur puer ovo vel pomo sibi ostenso : unde dicit Poeta : « Trahit sua quemque voluptas. » De hac tractione dicitur Oseæ XI, 4 : *In funiculis Adam traham vos in vinculis charitatis.* Et Cant. I, 32 : *Trahe me etc.* Et Joan. XII, 3 : *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Aliquando autem trahitur timore supplicii territus, sicut trahuntur qui timent supplicia. De hac tractione dicitur Jacobi II, 6 : *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia?* Tractio ergo ista de qua loquitur Christus, ut ostendit *Glossa*, non est violentiæ, nec necessitatis, nec inviti, sed voluntatis et desiderii.

Ad secundam quæstionem dicendum,

quod supponitur in suo intellectu tria includit : scilicet æternam præscientiam meritorum, temporalem obdurationem sive excæcationem, et finalem damnationem. Primum, scilicet præscientia meritorum, causam non habet : cum enim Deus non accipiat cognitionem a rebus, sicut nos accipimus, sed ex essentia sua res intelligat et cognoscat, nullo modo res futuræ possunt dici causa præscientiæ Dei, sicut supra in fine tertii capituli dictum est.

Deus vero præscientia secundum propriam rationem, non aliud dicat nisi simplicem notitiam futurorum, non importat aliquam causam : et ideo futurorum, et præcipue malorum, causa esse non potest, sicut supra (tertio capitulo) dictum est. Et secundum hoc reprobatio est tantum præscientia culpæ sed non est causa. Secundum autem et tertium, scilicet temporalis obduratio, et finalis damnatio, duplicem causam habent : unam ex parte hominis per modum meriti, aliam ex parte Dei per modum justitiæ, culpæ merito pœnam adhibentis. Obduratio enim quandoque dicitur actus voluntatis obstinatæ in malo, cui pertinaciter adhæret. Et sic constat quod obdurationis causa non est Deus, sed homo ; sicut nec alterius actus peccati, inquantum deformis est. Aliquando autem obduratio dicitur ipsa privatio gratiæ, quæ etiam excæcatio dicitur : quia gratia est quoddam lumen animæ, et perfectio quædam habilitans ipsam ad bonum. Aliquem autem carere gratia, ex duobus contingit : tum quia ipse non vult recipere, tum quia Deus non ei infundit, vel non vult infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus nihil velit nisi bonum, non vult aliquem gratia privare, nisi secundum quod est quoddam bonum. Sed quod aliquis careat gratia, non est bonum simpliciter. Unde hoc absolute consideratum, non est volitum a Deo. Est tamen bonum ut quis careat gratia, si eam habere non vult, vel si negligenter ad eam habendam se præparat : quia justum est, et hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quod hujusmodi defectus absolute est causa prima ex parte hominis. Et per hunc modum quandoque invenitur Deus dici causa excæcationis vel obdurationis, non quidem immittendo malitiam, sed non impertiendo gratiam, sicut nec digni sunt, ut dicit Augustinus. Si enim non necessario impertitur : in ipso est impertiri, et non impertiri. Unde ejus quod est, non impertiri, aliquo modo causa est. Obduratio igitur ex parte hominis habet rationem culpæ, sed ex parte Dei rationem justitiæ. Similiter finalis damnatio habet duplicem causam ; scilicet ex parte hominis, commissionem culpæ, ex parte Dei, illationem pœnæ.

Et per hoc patet responsio ad primas duas auctoritates, quod Deus excæcat mentes infidelium, non impertiendo malitiam, sed juste subtrahendo gratiam. Similiter, obdurat quem vult, quia non cogitur cuiquam indigno conferre gratiam. Nec est contra voluntatem Dei, sed secundum voluntatem ipsius, quod aliquis pro merito malitiæ suæ obduretur : inquantum obduratio dicit pœnam justo judicio culpæ obstinationis illatam.

Ad tertium dicendum, quod effectus non sequitur nisi concurrentibus omnibus causis ; sed ex defectu unius causæ tantum consequitur negatio effectus. Dico igitur, quod causa gratiæ sicut agens, est ipse Deus : et sicut recipiens, ipsa est anima per modum subjecti et materiæ. Et ideo, quia formæ inductæ non est causa materia neque subjectum, nisi sit tale subjectum, ex cujus principiis fluat accidens, quale accidens non est gratia ; ideo non dicitur simpliciter anima causa gratiæ, sed recipiens tantum : Deus autem est causa ipsius. Dicitur tamen anima causa malitiæ. Nec oportet quod omnis defectus incidat ex parte agentis, sed potest incidere ex parte recipientis. Et ita est in proposito. Ipsa enim anima est causa obdurationis, inquantum obduratio culpam dicit.

Ad quartum dicendum, quod Deus, quantum est in se, nulli est absens : sed homo a Deo præsente se absentat, sicut se absentat a præsenti lumine qui claudit oculos. Et ideo non est simile quod pro simili ponitur.

CAPUT VII

Quare Deus creet hominem, quem præscit esse damnandum.

Ultimo considerandum est, quare Deus facit hominem, quem præscit esse damnandum. Sunt enim quidam vesani, qui Deo in hoc iniquitatis maculam imponere non verentur, dicentes eum iniquum et impium, qui opus suum facit ad intolerabiles et interminabiles cruciatus.

Rationes igitur adducendæ sunt ad tantam vesaniam refrenandam et Dei justitiam demonstrandam. Et primo ostendendum est, quod voluntas Dei facientis hominem quem præscit esse damnandam, non est iniqua; deinde ponendæ sunt rationes probantes quare Deus facit hominem quem præscit esse damnandum. Sciendum itaque quod ratio quare Deus hoc facit, est sua voluntas quæ causa est omnium quæ ab eo fiunt. Unde dicit Augustinus in III lib. *de Trinit.* : « Non nisi Dei voluntas causa prima est sanitatis et ægritudinis, præmiorum atque pœnarum, gratiarum et retributiorum. » Hæc igitur sola est unde ortum est quicquid est. Voluntas autem ejus injusta vel iniqua esse non potest. Ex duobus enim contingit voluntatem alicujus a rectitudine deviare : videlicet aut ex ignorantia, aut ex affectione perversa. Quæ quidem duo in Deo inesse non possunt. Cum sit summe sapiens, ignorantia in eum non cadit. Unde dicitur Job. xii, 13. *Apud eum est sapientia et fortitudo, et ipse habet consilium et intelligentiam.* Et ideo clamat Apostolus ad Roman. xi, 33 : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei etc.* Hinc etiam Job. ix, 4 dicitur : *Sapiens corde et fortis robore.* Item, cum omnis artifex naturaliter diligat opus suum, impossibile est opificem omnium odire aliquam creaturam; et ideo affectio inordinata in eo esse non potest. Unde dicitur Sap. xi, 25 : *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti, nec etiam odiens aliquid constituisti aut fecisti.* Ex his ergo apparet Dei voluntatem creatricem omnium justissimam fore, nec maculam aliquam iniquitatis habere. Et hoc est quod dicitur Deut. xxxii, 4 : *Deus fidelis et absque ulla iniquitate, justus et rectus.* Item Habacus i, 13 : *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; et respicere ad iniquitatem non poteris.* Et ideo dicit Psalm. x, 8 : *Justus Dominus et justitias dilexit*, quantum ad ornatissimam affectionem. *Æquitatem vidit vultus ejus*, quantum ad perfectissimam cognitionem. Licet autem Deus sit rectissimus et nihil odiat eorum quæ fecit, dicitur autem odire aliqua metaphorice, non inquantum ab ipso procedunt, sed in quantum egrediuntur a regula rectitudinis suæ. Illud enim quod non esse volumus, odire dicimur. Unde, cum mala fiant contra regulam rectitudinis illius, quia sunt privatio modi speciei et ordinis, ut dicit Augustinus, ea vult non esse; et ideo malos odio habere dicitur. Unde Sap. xiv, 9 : *Odio sunt Deo impius et impietas ejus.* Dicitur etiam odire illos quorum punitionem vult. Sic enim ad modum odientis se habet. Et ideo dicit Psalm. v, 7 : *Odisti omnes qui operantur iniquitatem : perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Quia vero divina voluntas est causa rerum omnium, ipsa causam habere non potest. Voluntas enim Dei est illi causa volendi : finis autem divinæ voluntatis est suæ bonitas : ipsa enim bonitas Deo est causa volendi. Et ideo dicit Augustinus in lib. LXXXIII *quæstionum*, q. xxvii, in fine, 4, 10, quod voluntatis ejus causa quærenda non est : nam, ut idem dicit in lib. *contra Manichæos* : « Qui dicit, quare Deus voluit facere cœlum et terram, majus aliquid quærit, quam est voluntas Dei : nihil autem majus inveniri potest. » Quamvis autem divina voluntas causam non habeat aliquid creatum : nihilominus tamen potest aliqua volendi ratio assignari vel bonitas ipsius, vel aliquid quod ad bonitatis vel sapientiæ ipsius pulchritudine ordinetur. Si enim nulla posset divinæ bonitatis ratio assignari, cogeremur in quorumdam errorem declinare, dicentium omnia procedere a Deo secundum simplicem voluntatem, ut de nullo oporteat reddere rationem quare

Deus vult? Quod divinæ scripturæ manifeste contrarium, quæ Deum perhibet secundum suam sapientiam omnia fecisse, secundum illud Psal. CIII, 24: *Omnia in sapientia fecisti* etc. Et Eccles. I, 10 dicitur: *Ipse effudit sapientiam suam super omnia opera sua.* Augustinus etiam in lib. II super *Genesim ad lit.* dicit: « Mirantur quidam fuisse cur creaverit Deus quos futuros malos præsciebat? » Et respondens, dicit: « Quia providit, quid boni de malis eorum esset facturus: sic eos esse fecit ut in eis relinqueret, unde et ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. »

Rationes cur creet homines quos novit esse damnandos

Compescamus igitur humanam temeritatem quæ Deo iniquitatis maculam imponere non veretur: et approbantes divinam justitiam, assignemus aliquas rationes quare Deus creat hominem quem præscit esse damnandum. Sit igitur prima ratio talis ex parte divinæ liberalitatis. Melius est esse aliquid cum aliquo defectu, quam non esse simpliciter. Cum autem in peccatore damnando duo sint, videlicet natura quæ bona est, et culpa quæ mala est: non debuit Deus propter culpam subtrahere naturam; alias liberalitatem suam subtrahere videretur. Sicut videmus quod bonus artifex arcam facit, quam etiam præscit aliquam maculam contracturam. Et hæc ratio potest colligi ex illo verbo Apostoli II ad Timoth. II, 13: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.*

Si autem objicitur, quod artifex, si sciret arcam in brevi comburendam, eam non faceret? Respondendum est, quod si artifex sciret etiam in ipsa combustione suam sapientiam relucere debere, et arcam in igne non deficituram, non propter hoc se subtraheret a factione ipsius. Unde, cum Deus sciat etiam in damnatis suam justitiam et suam sapientiam relucere, dum culpam per supplicium punit, conveniens erat ut propter hoc non se subtraheret a productione hominum suа illorum culpa damnandorum.

Secunda ratio sumitur ex parte divinæ providentiæ. Bonum enim totius est melius quam bonum particulare. Nam bonum particulare ordinatur ad bonum universale, sicut imperfectum ad perfectum. Ad ordinatam ergo providentiam pertinet potius promovere et conservare bonum universale, quam bonum particulare; et aliquando propter bonum universale particulare negligere; imo aliquando contra particulare propter universale facere. Sicut ad conservationem reipublicæ principes et rectores suspendunt latrones, et interficiunt homicidas. Cum igitur natura humana per generationem propagetur et conservetur, si Deus hominem damnandum propagari et nasci non sineret, vel animam non infunderet, ordinem generationis humanæ destrueret, et sic bono universali particulare præponeret et rectitudo suæ providentiæ cassaretur; quod penitus est absurdum. Congruum est igitur, ut propter generalius bonum fiat homo etiam damnandus, *Deo aliquid melius providente*: ut dicit Apostolus ad Hebr. XI, 40.

Tertia ratio sumitur ex parte divinæ providentiæ et reverentiæ simul. Nam quanto magis rector auget rempublicam, et ipsos reipublicæ conservatores gloriosus promovet et potioribus donis remunerat etiam cum suppliciis aliquorum; deprimendo scilicet et cruciando eorum adversarios et reipublicæ destructores, tanto laudabilior redditur. Cum igitur gloriam beatorum augeat consideratio tormentorum hostium suorum quæ ipsi Dei beneficio evaserunt, congruum fuit ut Deus etiam homines conderet, quos sciebat esse damnandos. Beatis enim accrescit gloria de perditione malorum: tam quia gaudent de vindicta eorum, juxta illud Psal. LVII, 11: *Lætabitur justus cum viderit vindictam*: Tum quia ipsi eorum supplicia evaserunt. Et propter hoc in gratiarum actiones et lau-

1 Al. : « [illegible] »

dem et reverentiam exuberant Creatoris, secundum illud II Machab. I, 11 : *De magnis periculis a Deo liberati magnifice gratias agimus ipsi.* Unde dicitur in Psalm. XCV, 11 : *Lætetur mons Sion et exultent filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine.* Et ideo dicit Augustinus *super Genesim* : « Frustra dicitur, Non debet Deus creare quos præsciebat malos futuros : sciebat enim eos bonis profuturos et juste pro mala voluntate puniendos. » Hanc rationem innuit Apostolus ad Roman. IX, 22, dicens : *Volens Deus ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam.* Si autem objiciatur, quod nullus debet procurare propriam reverentiam et aliorem utilitatem cum dispendio aliorum : Respondendum est, quod hoc verum esset, si fraudulentia vel aliqua injustitia committeretur; sed quando justitia non deseritur, sed servatur, ut in proposito fit, sicut ostensum est supra, semper debet bonorum utilitas procurari.

Quarta ratio sumitur ex parte divinæ potentiæ et sapientiæ simul. Nullus enim rex præpotens et veritatem diligens, debet occultare potentiam suam et impotentiam simulare : ne infirmus et impotens reputetur. Item nullus bonus artifex debet occultare sapientiam suam et ignorantiam simulare, ne inscius videatur. Unde dicitur Eccli. XX, 33 : *Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.* Si ergo Deus non fecisset quem sciebat esse damnandum, potuisset inscius et impotens reputari : et quod plus posset malitia, quam divina potentia vel sapientia. Cujus contrarium scriptum est Sapien. VII, 30 : *Sapientiam non vincit malitia; attingit enim*, scilicet Sapientia, *a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, cap. VIII, 1.

Hanc rationem tangit Apostolus ad Roman. IX, 21, cum dicit ; *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Si autem objiciatur, quod nullus debet ostendere potentiam suam in alicujus injuriam : Respondendum est, quod Deus ex hoc nulli facit injuriam vel injustitiam, nec homo de Deo juste conqueri potest. Nam quicquid boni habet, a Deo habet, scilicet esse suum; malitiam autem habet a seipso, ut supra ostensum est. Unde dicit Augustinus *super Genesim* loquens de futuris damnandis : « A se habent voluntatem malam, a Deo naturam bonam et justam pœnam. » Quod autem homo de bono conqueratur, injustum est : et ideo dicit Apostolus ad Roman. IX, 14 : *Numquid iniquitas est apud eum? absit.* Et subdit 20 : *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic?* Et Isai. XLV, 9 : *Væ qui contradicit factori suo : testa de samiis terræ, numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis?*

Si autem objiciatur, quod damnatus vellet potius non esse quam sic esse, juxta illud Matth. XXVI, 24 : *Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille.* Ergo injustitia fit illi : Respondendum est quod licet damnati vellent potius non esse quam sic esse, non tamen absolute vellent non esse. Nullus enim potest simpliciter appetere destructionem sui esse, propter naturalem appetitum cujuslibet rei ad esse. Cum autem esse absolutum est melius quam conditionatum, non debuit Deus propter appetitum conditionatum esse absolutum cassare.

Quinta ratio sumitur ex parte humanæ arrogantiæ. Si enim Deus non fecisset aliquem hominem damnandum, humana præsumptio salutem suam propriis meritis et non Dei gratiæ ascripsisset, dum credidisset per virtutem propriam, et ex suis naturalibus vel ex suis operibus se posse salvari. Hæc ratio tangitur ad Rom. IX, 11, cum dicitur : *Ut secundum electionem propositum Dei maneret : non ex operibus, sed ex vocante dictum est etc.* Unde ad Tit. III, 5 : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Et ideo ad humiliandam humanam superbiam loquitur Deus, Job XL, 3, dicens : *Numquid irritum facies judicium meum, et condemnabis me, ut tu justificeris? Et si habes brachium sicut Deus, et*

[illegible] ... v. 7.

Quod Deus non debuit facere hominem impeccabilem.

Sunt etiam nonnulli qui secundum suam dementiam, divinam providentiam reprehendere videntur, quod Deus talem hominem facere debuit, quod omnino peccare non posset: sequentes potius suam fatuam conceptionem, quam divinæ providentiæ profundissimam rationem. Si enim Deus creasset hominem talem, qui peccare non posset, plura inconvenientia sequerentur. Primum inconveniens est, quod libertas arbitrii tolleretur, et per consequens natura et nobilitas hominis annullaretur. Nobilitas enim hominis in hoc consistit, quod liberam habet electionem, dum ad utrumlibet flecti potest. Quod quidem animalia bruta, quæ carent ratione, non habent, licet sensum et sensibilem habeant appetitum. Unde dicere, quod Deus facere debuisset hominem qui peccare non posset, simile est ac si diceretur, quod debuisset eum facere animal brutum vel aliquid aliud minus nobile. Talibus contingit sicut dicit Psalm. xlviii, 21: *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Humanis ergo nobilitas quam contulit ei Deus, est quod habet arbitrii libertatem, per quam potest ad utrumlibet flecti, habens discretionem boni et mali. Unde dicitur Eccles. xv, 14: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui.* Et subditur, *Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei dabitur illi.* Et ideo dicit Psalm. viii, 6: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis etc.*

Aliud inconveniens est, quod meritorum et præmiorum ratio et justitia deperiret. Nullus enim meretur de eo cujus causa et libertas in ipso non est. Unde dicit Tullius: Quid honestius homini, animal non sponte, dedecus? Unde ratio merendi ex parte nostra est in libertate arbitrii. Et cum omne præmium causetur ex merito, ut respondet: si meritum non esset sublata libertate arbitrii, præmium non daretur; secundum illud Apostoli II ad Timoth. ii, 5: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Ad hoc ergo ut cœleste præmium daretur homini, oportuit ut meritum præcederet, causatum ex causa arbitrii, cui tale præmium datur; sicut dicit Apostolus II ad Timoth. iv, 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex etc.*

Tertium inconveniens est, quod bonitati et perfectioni universi detraheretur. Nam perfectio universi consistit in hoc quod omnes gradus bonitatis creaturæ communicabilis continet. Si autem natura humana a suo gradu translata in altiorem per Dei providentiam mutaretur, quamvis aliquod bonum humanæ naturæ accresceret, tamen bonitati universi aliquid detraheretur, dum non omnes gradus bonitatis impleti essent, illo gradu, ex quo natura humana translata esset, vacuo remanente. Cum autem bonum universi excedat bonum particulare cujusque naturæ creatæ, sicut etiam bonum gentis excedit bonum singularis hominis, ut in I *Ethic.* dicitur, debuit Deus humanam naturam facere qualem fecit, scilicet quæ peccare posset, ut omnes gradus bonitatis impleret. Unde dicitur Deut. xxxii, 4: *Dei perfecta sunt opera.*

Quartum inconveniens est, quia impediretur illud ex quo apparet Deus laudabilis. Nam in peccatis apparet etiam Deus multum laudabilis, dum per misericordiam parcit et per justitiam punit. Cum ergo id ex quo apparet Deus laudabilis, non debeat impediri, non debuit Deus omnino impedire peccatum faciendo hominem qui peccare non posset, ut perpetuo dici posset illud Psalm. xlvii, 1: *Magnus Dominus et laudabilis nimis etc.*

Quintum inconveniens est, quia si homini daretur, quod peccare non posset secundum conditionem suæ naturæ, arbitrii libertate servata, quædam contradictionis implicatio sequeretur. Arbitrium enim ideo dicitur liberum, quia ad

utrumlibet flecti potest : potest enim aliquid facere et non facere, et potest facere bonum et malum. Si ergo haberet liberum arbitrium ad peccandum, et peccare non posset per naturam, duo contradictoria essent simul vera, quod est impossibile.

Si autem objiciatur de arbitrio divino vel angelico, quod cum sit liberum, tamen peccare non potest : dicendum, quod cum Deus non habeat esse causatum vel dependens ab aliquo, secundum conditionem suæ naturæ, deficere nunquam potest, nec quantum ad esse nec quantum ad rectitudinem bonitatis ; et ideo peccare non potest. Sed quælibet creatura habet esse dependens et causatum ab alio, scilicet a Deo ; et ideo secundum conditionem suæ naturæ quælibet creatura deficere potest, et quantum ad esse et quantum ad rectitudinem voluntatis. Unde dicit Gregorius, quod omnia tenderent in nihilum nisi manu conditoris tenerentur. Et ideo quibuscumque confertur, ut in bono sic confirmentur, ut peccare non possint ; hoc non habent per naturam, sed per Dei gratiam, per quam Filii Dei efficiuntur ut quodammodo divinæ naturæ consortes : secundum illud Psalm. LXXXI, 6 : *Ego dixi, Dii estis et filii Excelsi omnes.*

Patet igitur ex præmissis, quod omnia quæ a Deo fiunt, et bona et ordinata sunt. Et ideo dicitur Genes. I, 13 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona.* Apostolus etiam dicit ad Rom. XIII, 1 : *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt.*

PRÆDICTORUM EPILOGUS

Non posse naturaliter ab homine sciri, quare Deus in particulari hunc prædestinet, et hunc vel illum reprobet.

Quamvis autem superius inductæ sint rationes ad ostendendum quod nulla injustitia apud Deum est ex eo quod facit hominem quem præscit esse damnandum : unusquisque tamen caveat diligenter ne nimis incautus præsumat assignare causam in speciali, quare hunc vel hos determinate Deus eligat, et illum vel illos non eligat. Hoc enim nullus mortalium scire potest, nisi forte Deus vellet hoc alicui specialiter revelare. Unde dicit Augustinus : « Cur potius hunc vel illum Deus liberet vel non liberet, scrutetur qui potest tam magnum profundum judiciorum Dei, verumtamen caveat præcipitium. »

Item, quare hunc trahat et illum non trahat, noli dijudicare, si non vis errare. Et Apostolus dicit ad Roman. XII, 3 : *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Qui enim hoc præsumeret perscrutari, Deo non præstaret obsequium, sed sibi ipsi judicium generaret : juxta illud Proverb. XXV, 27 : *Sicut qui mel multum comedit, non est bonum : sic qui perscrutator est majestatis opprimetur a gloria :* illo scilicet disponente a cujus narratione cunctæ linguæ deficiunt. Qui et ipse consummatio sermonum existens, est *Rex regnum, et Dominus dominantium*, Apoc. XIX, 16 : Cujus potestas non auferetur, et regnum non corrumpetur in sæcula sæculorum, Amen.

EXPOSITIO II. SUPER APOCALYPSIM

PROŒMIUM

Vox *Domini præparantis cervos et revelabit condensa.* In his verbis diligenter aspectis satis nobis introducens in hunc librum qui dicitur Apocalypsis. In ipsis enim verbis notari possunt quatuor causæ, per quas liber iste ... habent attendi. Videlicet, causa efficiens, finalis, formalis, materialis. Causa efficiens principalis est ipse Deus. Beatus Joannes est causa efficiens ministerialis, cui Dominus ea quæ hic continentur ostendit. Unde dicitur: *Vox Domini*, scilicet et interna et spiritualis, quæ in corde Beati Joannis loquebatur, faciens eum efficaciter intelligere, quæ per Angelum significabatur exterius. Vox enim Domini virtuosa est ad ... Psalm.: *Vox Domini in virtute.* Hic ergo ostenditur causa efficiens principalis et insinuatur causa ministerialis, scilicet ille, ad quem facta est vox Domini. Causa finalis est, ut per exhortationem libri et patientiam in adversis, fideles ... et meliores reddantur ad apprehendenda præmia vitæ. Unde subditur: *Præparantis cervos*, vox Domini, est, idest præparantis fideles ad agilitatem currendi ad bravium. Cervus enim animal est velocissimum. Psal.: *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum.* Hoc enim intendit Beatus Joannes, sicut ex prologo colligitur, ut per rectitudinem fidei et per patientiam in adversitate multiplici præparentur fideles ad mercedem vitæ, quæ est fructus sustinentiæ tribulationum. Hebr. x, *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Causa formalis est, quia liber iste est revelatus et per modum revelationis hic proceditur. Unde dicitur: *Et revelabit.* Hoc completum est in hoc libro, unde et dicitur Apocalypsis, idest revelatio. Daniel II, *Est Deus in cœlo revelans mysteria.* Causa materialis est multiplex. Tribulatio Ecclesiæ cum multiplici consolatione; unde dicitur: *condensa*, idest occulta et obscura Dominus enim Beato Joanni revelavit multas tribulationes futuras quæ non prævidebantur, et multas consolationes quæ a multis non expectabantur: ut Ecclesia esset robustior ad sustinendum, quia minus jacula feriunt quæ prævidentur. Et iterum, consideratio præmii minuit vim flagelli. Licet autem hic ostendatur generaliter status Ecclesiæ quantum ad tribulationes et consolationes, tamen specialiter et principaliter ostenditur status Ecclesiæ quantum ad tribulationes et consolationes finales. Et hæc est specialiter hujus libri materia, scilicet status Asianæ et totius Ecclesiæ, quantum ad finales tribulationes et consolationes. Et per hoc distinguitur iste liber ab aliis libris novi Testamenti. Cum enim sacra pagina dividatur in vetus et novum Testamentum: rursus novum dividatur in Evangelicam et Apostolicam doctrinam: intentio Evangelicæ doctrinæ consistit in contemplatione capitis, idest Christi: intentio Apostolicæ doctrinæ in contemplatione corporis, idest Ecclesiæ: et hoc tripliciter secundum triplicem statum in quo militat Ecclesia. Nam in Actibus ostenditur primitivus status Ecclesiæ; in Epistolis vero Beati Pauli et in Canonicis informatur status medius, scilicet præ-

sens. In hoc vero libro revelatur status finalis. Hic possunt breviter duo quæri. Primum est de materia hujus libri; scilicet de tribulationibus; videlicet utrum sit conveniens Deum permittere, quod sui cultores sustineant tribulationes. Secundum est de fructu ipsarum tribulationum, utrum, sustinere passiones sive tribulationes sit meritorium vitæ æternæ. Ad primum sic. Deus non delectatur in pœnis nostris, quia crudele est alieno cruciatu lætari; ergo cum suos electos diligat, non congruit ut eos passionibus affligi permittat. Item liberalitas Dei summa est : sed magis manifestaretur ejus liberalitas si per bona opera, sine afflictionibus suos coronaret; ergo etc. Contra. Conveniens est a Deo permitti quicquid suos fideles ad perducit ad vitam : sed sustinentia tribulationum perducit ad vitam, Jacob. II, *Et cum probatus fuerit etc.* Item lex amoris est associare amicum in adversis; ergo de lege amoris est ut veracissimi amici, scilicet Domini Jesu, simus socii in sustinendis adversis. Respondeo. Convenientissimum est Deum permittere suos cultores tribulationibus affligi; Tum propter amoris insigne, quia Christus Dominus pro nobis durissima sustinuit : unde lex amoris exigit, ut ejus amore multa et magna sustineamus; ideo dicebat Apostolus, Galat. ult. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* : et idem : *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Tum propter punitionem culpæ præteritæ; quia delectatio culpæ, ad hoc ut deleatur exigit amaritudinem pœnæ. Jerem. VI, *Ecce ego conflabo et probabo eos. Glossa;* « Vasa figuli probat fornax; ut quicquid in nobis adulterinæ materiæ est excoquatur. » Tum propter cohibitionem futuræ. Unde Isidorus in III libro de *Summo bono* : « Durius circa suos electos in hac vita Deus agit; ut dum fortioribus flagelli stimulis feriuntur, nulla eos oblectata præsentis vitæ delectent : sed cœlestem patriam, ubi certa quies expectatur, indesinenter desiderent. » Tum propter meritum coronæ, sicut patet in Job IV. Isidorus *in eodem* : « Electus Dei doloribus vitæ hujus atteritur, ut perfectionem vitæ futuræ mereatur. » Ad primum dicendum, quod de tribulatione vel pœna est loquimur[1], aut inquantum mere afflictiva, aut inquantum amoris declarativa ac promotiva, aut inquantum culpæ præteritæ purgativa, aut inquantum futuræ cohibitiva, aut inquantum meriti accumulativa. Primo modo non placet Deo tribulatio in justis vel aliis; nec sub hac ratione eam permittit, sed sub aliqua ex quatuor rationibus subsequentibus. Non ergo delectatur in pœnis nostris, sed in utilitate nostra consequente ex ipsis. Ad aliud dicendum quod liberalitas non est commendabilis quæ est sine comite sapientia, et quæ dissonat a justitia; siquidem justitia exigit ut pro Christo damna sustineamus. Item ut culpa per pœnam puniatur. Sapientia vero divina manifestatur, dum per duras flagellas cohibet Deus fideles oblectamentis. Item per acredinem adversorum, perducit Deus suos ad dulcedinem præmiorum. Liberalitas divina, etsi magna manifestatur illo modo quantum ad effectum, non tamen commendabilius quantum ad modum; quia non manifestatur cum ordine justitiæ et cum gravitate sapientiæ. Circa secundum sic. Secundum Philosophum, passionibus non laudamur nec vituperamur : ergo passionibus nec meremur nec demeremur. Item meritum est ab intrinseco, quia ab actu liberi arbitrii et efficacia gratiæ informantis : sed passiones sunt ab extrinseco; ergo etc. Contra : Matth. V, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Item quicumque vestigia Christi sequitur pertingit per hoc ad vitam. Joan. VIII. *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Sed quicumque propter Deum patitur, vestigia Christi sequitur : I Petr. II, *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum;* ergo quicumque propter Deum patitur, per hoc pertingit ad vitam. Respondeo. De sustinentia tribulationum est loqui dupliciter : aut secundum se et absolute, aut secundum quod est ex voluntate sive cum voluntate. Primo modo sustinere tribulationes sive passiones non est me-

[1] Lege : « est loqui. »

æternam vitæ : quia in actu pati non constituit meritum, sicut primo et secundo objectio probant. Secundo modo distinguitur : quia illa voluntas vel est formata charitate, sive gratia gratum faciente, vel non. Si sic, sustinentia tribulationum propter talem voluntatem est meritoria : et hoc notatur cum dicitur Matth. v, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, ubi intelligitur voluntas informata amore justitiæ. Similiter accipitur illud II Corinth. i, *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis*. Si non, sic sustinentia non est meritoria : quia qui non est in gratia sive in charitate non meretur aliqua voluntate vel passione vitam æternam. Nec ille etiam qui est in charitate meretur actione vel voluntate quæ non est formata charitate. Qui autem non est in charitate, sed propter Deum patitur devotione quadam informi, si aliquem, licet non mereatur, tamen per hoc disponitur ad meritum, quia disponitur ad statum gratiæ in quo poterit mereri. Per prædicta patet ad objecta. Gratia introducendi in librum sequentem præmittit Magister Gilbertus prooemium, in quo sic procedit. Primo ponit dicendorum fundamentum. Secundo exequitur principale : *Propterea videns*. In duobus autem consistit materia sequentis libri, in tribulatione et consolatione : unde ponit fundamentum eorum quæ dicturus est in prooemio circa librum. Primo quantum ad electorum tribulationem, et ad hoc introducit triplicem auctoritatem. Secundo quantum ad divinam consolationem, *Me autem* : et ad hoc duplicem auctoritatem inducit. Dicit ergo, *omnes*. Nullus igitur qui vult Deum colere [illegible] et persecutionem sustinet. *Qui pie*, idest colendo Deum. *Volunt vivere*, pietas enim est cultus Dei, ad Titum ii, *Sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo*. Vel *pie*, ad proximum. *In Christo*, quia ipse est nobis exemplaris et regula nostra. Ipse enim venit pro omnibus pati. *Persecutionem patientur*, et hoc patienter. Et sic patet quod necesse est famulos Dei multa pati. Act. xiv, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum*. Sed objicitur, quia multi pii sunt qui nullam habent tribulationem seu persecutionem. Sed respondetur secundum *Glossam*, quod intelligitur mente vel corpore. Contra : quia sunt aliqui qui corpore persecutionem sustinent, et in mente magnam suavitatem habent. Respondeo secundum *Glossam*, quod intelligitur mente vel corpore, qui non solum ab hominibus persecutionem patiuntur in corpore, sed et a dæmonibus in mente : tamen nec mente nec corpore semper patiuntur, sed ad tempus in magna quiete sunt spiritus, tamen vel passi sunt aliqua vel passuri. Per hoc patet ad illud quod objicitur. Apostolus II Timoth. iii, juxta illud Eccle. ii, *Attendens*, per conversionem et bonam voluntatem, *sta*, idest stabilis sis. *In justitia*, ut facias bonum, *Et timore*, ut caveas malum. *Et præpara animam tuam*, per orationem, præmeditationem et præmunitionem : ut cum quis cogitat : Si hostis meus aliquando in me insiliat, viriliter eum repellam, *Ad tentationem*, sustinendam et superandam. Jacob. i, *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam etc.* Tentatio namque. Job viii, alia littera est : nostra littera est, *militia est etc.* Ne autem consolatur, ut sint alacres, confirmat, ut sint stabiles dicens Matth. ult. *Vobiscum sum* : consolatio est de sui consortio. *Et nolite*. Luc. xii, confirmatio est de non timendo adversario *pusillus*, quia licet sitis grex pusillus et viribus et numero respectu perversorum, non timeatis : *grex*, ratione unitatis in charitate, et obedientiæ et simplicitatis in conversatione. Propterea videns. Hic exequitur principale propositum. Propositum autem ejus est ostendere multiplicem causam hujus libri. Primo ergo agit de causa hujus libri in generali et diffuse. Secundo in speciali et succincte. Est itaque magna. In prima, primo ostendit causam efficientem. Secundo materialem. De qua revelatione. Tertio formalem ; Ideo liber iste. Quarto finalem, Vidit autem Joannes. Causa autem efficiens ostenditur secundum duplicem modum : scilicet disponens et agens de qua ibi : Revelavit. Dicit igitur propterea, quia Deus vult consolari et confirmare fideles, Disposuit, ab æterno fundata Matth. vii. Revelavit autem. Causa agens ostenditur

quadruplex : scilicet principalis, Trinitas. Secundaria Christus, inquantum homo. Mediata, Angelus. Immediata sive proxima, Joannes. De qua revelatione, idest de quibus revelatis. Quæstio tanta. Matth. xxiv, Et nunc præmia, scilicet dona gratiæ et consolationes. Ideo liber iste. Hic ostenditur causa formalis hujus libri, quia procedit per modum prophetiæ et revelationis. Revelationes hujus libri distribuit et extollit tripliciter. Primo quantum ad excellentiæ dignitatem. Unde comparat has revelationes revelationibus veteris Testamenti, secundum excellentiam. Cujus excellentiæ duplicem rationem ponit : una est, quia est revelatio de veritate novi Testamenti jam exhibita : altera quia est revelatio lata, scilicet non tantum de futuro. Secundo extollit quantum ad sui auctoritatem, « Ad cujus. » Tertio quantum ad revelationis modum sive qualitatem, « Cum autem Joanni : » quia non sic facta est revelatio Joanni, ut obscure intelligeret, vel figuras spiritu videret ; sed ut signata plene cognosceret. Et ideo triplex genus visionis distinguit, ut ostendat qua visione vidit hæc Beatus Joannes, « Cum autem Joanni. » Dicit igitur, « Ideo liber iste, » quia est revelatus de his quæ pertinent ad legem gratiæ, « Prophetiæ novæ, » idest revelationis, « censetur, » idest nominatur, cum dicitur Apocalypsis. « Sicut enim novum Testamentum præstat, » idest prævalet, « veteri, » hæc possunt intelligi quantum ad omnia quæ continentur in novo Testamento et veteri, « Evangelium legi, » idest doctrina Evangelica, doctrinæ Mosaicæ, quantum ad Pentateuchon, « sacramenta, » idest sacra secreta quæ per Propheta prædicta fuerant, ut de Christi passione et Ecclesiæ reparatione. « Adimpleta, » ut in libro infra habetur. Prophetæ autem prædicebant implenda. « Magna jam ex parte, » quia quædam sunt implenda : ut de finali statu Ecclesiæ. « Unifaria, » idest quæ est secundum unum modum fandi, idest loquendi, scilicet « De præterito etc. » quia de his quæ Ecclesia passa est patitur et passura est, quæ ipse novit per spiritum prophetiæ. « Cum autem Joanni etc. » « Corporalibus oculis, » sicut divino munere vidit Elisæus currus igneos, IV Reg. vi, et Balthasar manum scribentem, Dan. v. « Alia spiritualis : « spiritus dicitur hic non pars superior rationis, sed virtus imaginativa. « Probatio. » Genes. xli, Moyses. Exod. iii, Sed objicitur de ultimo exemplo, quia Moyses vidit oculis corporeis ; ergo visio corporalis non imaginaria. Item dicit *Glossa* super ii Corinth. xii, Quod visio spiritualis seu imaginaria est, quando aliquis in extasi vel somno videt non corpora sed imagines rerum. Respondeo. Referendo visionem illam ad id quod corporale erat et corporaliter videbatur, erat visio corporalis ; referendo autem ad signatum per id quod sic videbatur, imaginaria dici potest. Unde super ii Corinth. xii, dicit Augustinus quod visione corporali vidit Balthasar manum ; sed Daniel signatum intellexit et aperuit ; et ideo potius dicendus est propheta quam ille. Ex quo patet quod illud quod fuit Danieli visio spiritualis, fuit Balthasar corporalis. Balthasar enim vidit manum corporalem et motum corporalem et non intellexit signatum, Daniel autem intellexit. Vel forte, ut quidam dicunt, videbatur ignis qui revera non fuit ignis. Visio autem Petri quando positus in extasi, vidit quadrupedia et serpentia, fuit visio imaginaria. Act. x. Ad aliud dicendum, quod non dicit *Glossa*, quod aliter non contingat fieri visionem imaginariam : quia ut dictum est, existente visione corporali, inquantum spiritus negotiatur circa significatum conceptum ex visione illa, imaginaria vel spiritualis dici potest. « Sicut Philosopho spicas, » idest spicarum imagines, « Intellectu mentis, » quæ est pars superior, « mysteriorum, » idest secretorum, « quomodo ? » scilicet intellectuali visioni. Sed contra : quia ipse vidit imagines, sicut in libro infra habetur, de candelabris et aliis multis ; ergo vidit imagines. Respondeo. Vidit visione imaginaria et intellectuali secundum diversos respectus : imaginaria inquantum vidit imaginem ; intellectuali, inquantum illuminato intellectu intellexit quæ videbat. « Vidit autem ; » hic ostendit causam finalem. Et circa hæc multa tangit : ostendit ubi scripsit, locus enim facit ad

commendabiliorem libri, quia bonus valde : hæc est utilis. Item in quo utilis, quia quando erat relegatus. Item quo motivo, quia ut reliquerit vitia et hæresi exortis. Duplicem autem intendit utrumque : unum contra caput, aliud contra Ecclesiam. « Hæc enim. » Quarto quibus. Scripsit autem Joannes, « Septem Ecclesiis, » scilicet minoris Asiæ. « Pullulaverant, » id est pullulabant. « Insurrexerant, » succedentibus, « vitia, » quæ sunt contra mores, « hæreses, » contra fidem. « In principio, » idest ante omnia. « Erat vectigam in hoc libro, » infra primo. « Dicebant enim quidam, » non considerantes illud Matthæi ultimo, *Ego vobiscum sum.* « Et pro labore, » non attendentes illud Sapient. III, *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Isa. XLIII. « Non deseruit : » hoc ostendit infra XII, ubi ostendit quod mulierem amictam sole, idest Ecclesiam, protegit Deus a dracone ne devoret eam, et etiam ponit eam ut proficiat. « Bravium, » infra II et III et penultimo. « Sed proficere, » Sap. III, *Tanquam aurum in fornace probavit illos.* « Bravium, » II Timoth. II, *Si commorimur, et conregnabimus.* « Asiæ minoris, » non majoris quæ est tertia pars mundi. « Est itaque magnum. » Hic ostendit causas libri in speciali et succincte. Et primo ostendit causam materialem. Secundo finalem. « In tertio vero » Tertio formalem, quantum ad ordinem et modum procedendi. « Modus circa, » causam efficientem non replicat, nisi de ministeriali scilicet Joanne. « Patiatur, » scilicet adversa. « Recepturus, » scilicet præmia. « Brevis labor, præmium magnum. » II Corinth. IV, Id enim quod in præsenti est. I cap. « prologum, » cum dicitur : « Apocalypsis. » Et salutationem cum dicitur infra I, *Joannes septem Ecclesiis.* Sed nunquid salutatio est de prologo, cum in prologo attenti et dociles et benevoli auditores fieri debeant et aliquid horum fiat per salutationem? Respondeo. Aliquando salutatio est de prologo in libris ; hic autem distincte ponitur pro prologo, ubi ostendit beatus Joannes materiam libri in generali, et commendat ea quæ in eo tractantur, et sic reddit attentos. Deinde salutat lectores ut reddat benevolos. Tamen large potest totum comprehendi sub ratione prologi. Primo tamen modo videtur hæc accipere.

CAPUT I

Apocalypsis Jesu Christi etc. Sicut dictum est ante, in hoc libro intendit beatus Joannes præparare fideles ad obtinendum bravium vitæ : instituendo, quantum ad fidem in credendis, et roborando, quantum ad patientiam in sustinendis, ostendendo multas revelationes sibi, et de præmiis pro utroque reddendis. Dividitur autem liber iste in tres partes : in exordium, narrationem, infra I, *Ego Joannes*, et conclusionem, infra ultimo capite ante finem. *Et dixit mihi, hæc verba fidelissima sunt.* Isidorus : Exordium animum auditoris provocat, narratio res gestas explicat, conclusio finem totius orationis complectitur. Exordium vero duo continet, proœmium et salutationem, *Joannes septem Ecclesiis.* Proœmium dat aliquando intelligentiam dicendorum ; Salutatio ostendit affectum scribentis, ad alliciendos animos auditorum. In proœmio vero multa tangit, circa ea quæ infra dicturus est. Primo, ostendit revelatorum auctoritatem ; quia a Christo sunt sibi revelata : Christus autem homo a Patre hæc habuit. Secundo, implendorum necessitatem, quæ oportet fieri cito. Tertio, signorum obscuritatem, quia revelato facta est et scripta prudenter ; *et significavit.* Quarto, revelationis ordinem ; *Mittens per Angelum.* Quinto, scriptoris fidelitatem ; *qui testimonium.* Sexto observantiæ utilitatem ; *Beatus qui legit.* Notatur etiam quadruplex causa hujus libri. Causa formalis ; Apoc. Causa efficiens principalis ; *quam dedit.* Secundaria ; *Jesu Christi* ; Mediate ; *Mittens per Angelum.* Immediata ; *Servo suo.* Causa materialis ; *Quæ oportet fieri cito.* Causa finalis ; *beatus qui legit.* Dicit igitur, *apocalypsis*, quasi : attendite quæ dicturus sum, quia hæc est, *apocalypsis*, idest revelatio. In hoc innuitur magnitudo et profunditas dicendorum. *Jesu Christi*, idest mihi facta a Jesu Christo. Ipse enim est sapientia Patris, per quam do-

cet Pater electos. I Corinth. I : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. Hieronymus : « Ipse enim est mentis nostræ lumen » *Jesu*, qui interpretatur, Salvatoris, *Christi*, uncti : per quæ intelligit, quod hæc revelatio est de his quæ pertinent ad salutem gloriæ, et unctionem gratiæ. Amabilia ergo sunt quæ dicenda sunt; tum propter sui magnitudinem, quia revelationes sunt : tum propter revelantis auctoritatem; quia a Christo Jesu revelata sunt : qui per hæc nos ordinat ad unctionem gratiæ in præsenti, et salutem gratiæ in futuro : *Quam dedit illi Deus Pater*, idest revelavit gratis *illi*, scilicet in quantum homo. *Palam facere*, idest ut palam faceret, idest revelaret, *servis suis*. Per me. Servis, non peccati, non diaboli, sed servis suis, scilicet non philosophis, non Judæis animicis incredulis. Matth. VII : *Nolite sanctum dare canibus*. Sed objicitur, de hoc quod dicitur : *Quam dedit illi Deus*, scilicet Pater : quia etiam hæc habuit a se inquantum Deus, et a Spiritu sancto. Item. Quomodo Pater hæc revelavit Christo homini ; cum ipse etiam secundum humanitatem omnia sciverit ab instanti conceptionis, secundum Gregorium? Respondeo ad primum. Non loquitur per exclusionem, sed notatur in Patre residere auctoritatem. Ad aliud dicendum, quod non vult dicere quod de novo revelaverit ei et ante ignoraret : sed ab instanti conceptionis horum notitiam, sicut et aliorum, dedit ei secundum humanitatem. Sed ideo dicit, *Dedit*, ut ostendat quod non habuerit Christus homo hæc ex natura, sed ex gratia. Item dicit *Palam facere*, quia revelatio adhuc occulta, est, et jacens sub figuris. Item dicit *Glossa :* non Judæis. Sed contra : quia Christus venit particulariter ad Judæos. Matth. XV : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*. Ergo vult hæc Judæis fieri palam, *Israel*. Ergo vult hæc Judæis palam. Respondeo ad primum, quod credibile est, quod beatus Joannes hæc exposuit fidelibus quibus scripsit, aut ipsi spiritu illuminante intellexerunt. Nobis etiam fit palam per expositiones sanctorum. Ad aliud dicendum quod facienda est vis in hoc quod dicit, *Oves ;* quia Judæis qui catholicæ fidei humiliter se subjiciunt, revelat Deus per spiritum, vel verbum prædicantium, et hæc et alia : *Quæ oportet :* idest : et hæc revelatio est de his, quæ oportet, idest necesse et inevitabile est, *fieri cito :* quasi dicat : quæ hic revelantur necesse est impleri, scilicet de tribulationibus justorum et consolationibus; et hoc *cito*. Quasi dicat; non sit molestum pati, quia finietur labor et sequetur præmium. Sed contra, quia loquitur de his quæ in temporibus ultimis contingent. Respondeo. Omne tempus, quantumcumque longum, æternitati comparatum, breve est. Unde Gregorius : « Breve est quicquid fine clauditur. » *Et significavit*, idest sub signo, sive sigillo figurarum ostendit, ut patet infra. Daniel. XII : *Tu autem Daniel claude sermones, et signa librum, usque ad tempus statutum*. Sed contra Infra ultimo : *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus*. Item nunc jam non est tempus velaminis, cum sit jam veritas revelata. II Corinth. III : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes*. Item quæritur quare Scriptura edita est sub tanta obscuritate? quæ utilius videretur si aperte intelligeretur? Respondeo ad hæc prædicta : intelligendum, quod sapientissime condita est Scriptura, ita quod in quibusdam locis est aperta, ne omnino clausa videatur, et inde diffidentia intelligendi generetur, et ut simplices aliquid inde capiant, et ut per ea quæ sunt plana, sit via ad explanationem clausorum. In quibusdam vero locis est occulta et velata : et hoc triplici ratione : scilicet propter indignos, ne sit eis locus pervertendi, ut dicit *Glossa*. Unde Ambrosius : « Non propter servos fideles, sed propter fures divitiæ sub sigillo clauduntur. » Item propter fastidiosos ; quia multa fastidirent et contemnerent : nunc autem gratius et pretiosius et sapidius est cum investigatur, et hoc exigit reverentia divinæ virtutis. Hæc duplex ratio habetur in *Glossa*. Item propter diversos exponendi modos ; ex obscuritate enim verbi, habetur via ad multiplicem modum exponendi veraciter. Unde Augustinus libro III *de doctrina Christiana :* « Quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provi-

dari, quum ut eadem verba prætione intelligantur auctis? » Ad illud quod objicitur, dicendum quod Scriptura Sacra clauditur, triplici operitur. Ad aliud dicendum quod multiplex est velamen: scilicet velamen culpæ: specialiter velamen perfidiæ: hoc enim legem gratiæ, quam Johannes ...; sed jam esse non debet, cum veritas divina sit revelata. De hoc, II Corinth. iii: *Usque in hodiernum diem idipsum velamen in lectione manet Testamenti veteris non revelatum, quoniam in Christo evacuatur.* Hoc velamen jam ablatum est, quia jam manifeste cognoscitur: quia veritas per Christum facta est, qui illis velaminibus figurabatur. Item sacramentale: hoc manet: unde de sacramento eucharistiæ dicit Ambrosius: « Aliud quod non est apparet, et quod est velatur, quia si quod est videretur, animus humanus abhorreret. » Item Scripturæ, quæ velata est quia obscura et profunda: hoc velamen manet propter rationes superpositas. Augustinus in libro *Confessionum*: « Mira profunditas eloquiorum tuorum: horror est intendere in eam; horror honoris, et tremor amoris. » Item velamen status viæ, quod est generale; quia quamdiu sumus in via, velati sunt oculi ne Deum sine medio videant. I Corinth. xiii: *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Quod ergo dicitur quod non est tempus velaminis, verum est de velamine figuralium quibus reparatio humana præfigurabatur; et hoc vult dicere illud: *Nos autem revelata facie.* Non tamen propter hoc omne velamen: unde velamen Scripturæ manet, in qua sunt multæ figuræ convenientes non figurales nostræ redemptionis, sed simplicis modi instructionis. Ad aliud quæstionis patet; quia propter tres illas rationes non esset oppositum nullius simpliciter, licet forsan quoad aliquos. *Mittens per Angelum suum.* Apparentem in similitudine hominis, *servo suo.* Non superbo, sed humili. *Joanni.* Loquitur de se quasi de alio. Hebr. i: *Omnes sunt administratorii spiritus. Qui* Joannes *testimonium perhibuit verbo Dei.* Quantum ad verbum, prædicando ipsum verum Deum, sicut postea scripsit. Joan. i: *In principio erat Verbum*, et perhibuit, *testimonium Jesu Christi.* Quod ipse est Jesus Christus, idest humanatus: hæc enim duo nomina incarnationem ostendunt. *Jesus*, dicit causam finalem: ad quid est incarnatus, quia ad salvandum. *Christus*, dicit unctionem mediam ex parte humanitatis, scilicet unctionem gratiæ. Hic testimonium perhibuit prædicando ipsum esse Deum humanatum, sicut postea scripsit. Joan. i: *Et verbum caro factum est.* Perhibuit inquam testimonium in his vel de his, *quæcumque vidit.* Oculis carnis et mentis: et sic est fidele et verum testimonium. I Joan. i: *Quod vidimus et audivimus, hoc annuntiamus vobis.* Aliqui libri habent: In his, sed antiqui non habent. *Beatus qui.* Hæc sunt recipienda, non solum quia a Deo revelata et a me fideliter scripta; sed etiam quia utilia, *beatus qui legit.* Alios docendo: Eccl. xxiv: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Et qui audit.* Discendo. Eccles. vi: *Si dilexis audire sapiens eris. Verba prophetiæ hujus.* Quia prophetia et revelatio est. *Et servat*, implendo: Luc. xi: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Alia littera est, beatus qui legit et audit, quia plures audire possunt unum legentem. Et necesse est servare: *tempus enim* mortis vel judicii, *prope est.* Quia comparatione æternitatis, tota vita brevis est. Jacob. v: *Ecce judex ante januam assistit. Joannes septem.* Hic subdit salutationem. Et primo ponitur persona salutans. Secundo personæ salutatæ: *Septem Ecclesiis.* Tertio bonum eis optatum, *gratia.* Quarto ostenditur a quibus dari optatur, *ab eo.* Ubi primo optat præmissa dari a Filio. Secundo a Spiritu sancto et a septem spiritibus. Tertio replicat de Filio, ut immoretur in ejus præconio: *et ab Jesu Christo.* Ubi primo tangit ejus potentiam. Secundo commendat ejus excellentiam, qui est testis. Et primo quantum ad humanam naturam. Secundo quantum ad divinam. *Ego sum alpha et omega.* Quantum ad humanam dicitur primo quantum ad primum adventum. Secundo quantum ad secundum. *Ecce venit.* Quantum ad primum tripliciter. Primo, quantum ad doctrinam prædicationis. Secundo, quantum ad gloriam resurrectionis;

Primogenitus. Tertio, quantum ad potentiam dominationis *et princeps.* Quarto, quantum ad misericordiam reparationis, *Qui dilexit.* Ad reparationem autem efficacem, tria concurrunt. Reparantis dilectio, reparatoria passio, et gratiæ infusio, sine qua homo non reparatur. Unde primo, ostendit dominicam dilectionem. Secundo, ipsam passionem, *Et lavit.* Tertio, gratiæ collationem, per quam superamus vitia, *Et fecit nos regnum*, Ut operemur bona, *Et sacerdotes.* Quarto subdit pro his gratiarum actionem, *Ipsi gloria.* Dicit igitur, *Joannes*, Scilicet Apostolus et Evangelista. Nomen est amabile, quia nomen gratiæ; intelligitur enim gratia, vel in quo est gratia : unde sibi convenit illud I Corinth. xv : *Gratia Dei sum id quod sum.* Sed quare hic nomen suum posuit, et non in principio Evangelii? Respondeo. Propter tria. Primo, ut daret auctoritatem huic operi, qua non indigebat Evangelium, quod a Domino prædicatum fuerat, et ab ipso auctoritatem habebat. Secundo, quia hujus operis auctor fuit et scriptor, Evangelii autem scriptor tantum; propter quod nullus Evangelista nomen suum præposuit Evangelio. Tertio, ne alterius esse crederetur : quod facile posset accidere, quia hoc opus scripsit in exilio : Evangelium vero ab exilio revocatus, *Septem Ecclesiis.* Nota *Glossam. Quæ sunt in Asia.* Quæ interpretatur elatio : quæ potest intelligi in malo; quia olim in elatione vitiorum, quod est materia doloris : vel in bono, quia nunc in altitudine virtutum. Is. LX : *Ponam te in superbiam sæculorum*, *Gratia*, idest remissio peccatorum, quæ gratis datur, *Et pax,* idest quies a vitiis, vel gratia vivificans sive gratificans animam. Psal. : *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Pax, tranquillans conscientiam. Isaiæ XXVI : *Domine dabis pacem nobis. Ab eo.* Scilicet Filio Dei, *Qui est.* Immutabilis, propter singulare dignitatem existentiæ; quia ipse solus vere est proprie, alia ad eum comparata, quæ non sunt. Exod. III : *Qui est, misit me ad vos. Et qui erat.* Æternaliter. Per hoc notatur omnia præcessisse. Erat enim quando mundus non erat : Joan. I : *In principio erat Verbum. Et qui venit.* Ad judicium Isaiæ III : *Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui* : et sic ostenditur ejus immutabilitas et æternitas et æquitas. Vel aliter, *Qui est*, Dicit contra eos qui Christum in passione putaverunt extinctum; *Qui erat*, Contra eos qui putaverunt ex tempore habuisse initium; *venturus*, contra infideles qui discredunt judicium. Vel secundum interlinealem, qui etiam nunc immutabilis, qui olim erat corporalis : *Qui venturus est.* Ad retribuendum bonis et malis. *Et a septem spiritibus*, idest a Spiritu sancto unico in natura multiplici in effectu. Sapientiæ VII, Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex est, *Qui sunt*, idest qui est, *In conspectu throni ejus*, idest qui se præsentem ostendit illuminando eos in quibus Filius sedet et quiescit, scilicet Angelos et justos et sanctos. Sap. VII, secundum aliam litteram. Anima justi sedes est sapientiæ, ut cognoscatur ab eis, et faciat eos cognoscere ea quæ sunt salutis. Sed quare non posuit potentiam Patris? Respondet *Glossa*, quia nemo hæreticorum de Deo creatore male intellexerat. Contra, quidam dixerunt Patrem fuisse passum. Item Arius dixit Patrem distinctum a Filio et Spiritu sancto per essentiam, quia dixit tres potentias esse tres Deos. Item Arius dixit unam tantum esse potentiam et unum Deum. Respondeo. Nullus hæreticorum de Deo Patre male intellexit, quantum ad notionem innascibilitatis, et actum creationis, quia nullus posuit eum esse ab alio, nec negavit eum esse creatorem. Vel nemo hæreticorum etc., scilicet comparatione aliarum potentiarum. Posset tamen convenienter illud quod præcedit, *Ab eo qui est*, de Patre intelligi : et dicitur venturus in judicio per suæ justitiæ manifestationem sicut infra quarto cap. dicuntur eadem verba de ipsa Trinitate. Et si tunc quæritur quare ultimo ponit potentiam Filii : dicendum quod quia plura et diffusius dicturus est de ipso. *Et a Jesu Christo.* Hoc duplex nomen frequenter replicatur in novo Testamento quia dulce et invitans ad spem, et etiam ad affectum amoris. Alterum est nomen salutis, alterum unctionis; et ideo utrumque odoriferum. Cant. I, *Oleum*

effusurus sanguinem suum. Qui est testis fidelis. Prædicando veritatem cum esset in carne mortali. Isaiæ LV, *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Proverb. XIV, *Liberat animas testis fidelis.* Hoc sub timore mortis negavit se Filium Dei. Marc. XIV, *Rursum summus sacerdos interrogabat eum et dixit ei : Tu es Christus filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi : Ego sum. Primogenitus mortuorum.* Id est primus ante omnes gratiæ regeneratione gloriæ, qui ante omnes resurrexit. I Cor. XV, *Christus resurrexit ex mortuis, primitiæ dormientium.* Sed forsan aliquis objicit de Lazaro qui resuscitatus fuit antequam Christus. Responsio patet; quia licet prius resuscitatus fuerit, non tamen prius glorificatus : qui non fuit resuscitatus resurrectione gloriosa : imo iterum mortuus est, ut inquit [illegible] ultimo cap. *Et princeps regum terræ.* Nunc sedens ad dexteram Patris, qui ante a Judæorum principibus fuit judicatus. Infra XIX, *Rex regum et Dominus dominantium.* Vel aliter secundum *Glossam* : ut hic commendetur, quantum ad benevolentiam in [illegible], quantum ad innocentiam in [illegible], quantum ad ducatum in præsidendo. *Qui dilexit.* Ad hujus dilectionis magnitudinem explicandam omnis lingua deficit, ad considerandam nullus intellectus sufficit, quia ineffabilis et inæstimabilis est. I Joan. III, *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit.* Hæc inexplicabilis dilectio, totam nostram dilectionem et affectionem sibi pleno jure vendicat. Unde beatus Bernardus in libro *de diligendo Deo* : « Quid aliud faciat consideratio tanta, et causa indebita, miseratio tam gratuita, et sic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam invicta mansuetudo, tam stupenda dulcedo? quid inquam hæc omnia faciant diligenter considerata; nisi ut considerantis animum, ad sese penitus pravo vendicent amore, ad se mirabiliter rapiant, vehementer afficiant, faciantque pro se contemnere, quidquid nisi in contemptu haurari appeti non potest? » *Et lavit a peccatis nostris.* Tam originalibus quam actualibus. *In sanguine suo.* Id est in virtute Sanguinis; scilicet quia sanguis Dei erat, non hominis puri. Hebr. X, *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* Magnum hoc indicium amoris : quia pro impiis et inimicis mortuus est, cum pro justo vix aliquis se exponat, etiam si Filius suus esset. *Et fecit nos.* Per gratiam infusam merito passionis. *Regnum.* Id est potentes[1] invicem vitiis. *Et sacerdotes.* Id est aptos ad facienda bona, offerendo nos ipsos et opera nostra, et hoc, *Deo et Patri.* Non vocat duplicem esse potentiam Patris, sed multiplicem laudem, Deo per potentiam, et Patri, per benevolentiam, Deo, omnium generaliter Patri, justorum specialiter. Infra V, *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Et sequitur : *Et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes. Ipsi,* scilicet Christo, et etiam Patri, qui per ipsum nos redemit. *Gloria.* Ut ipsum laudemus. *Et imperium.* Ut ei obediamus. *In sæcula sæculorum.* In æternum. *Amen.* Idest ita fiat. Vel gloria, in sua natura, imperium, in sua creatura, quia nos sic redemit, et sic nos dilexit. *Ecce venit.* Hic commendat Dominum Christum quantum ad secundum adventum. Ostendit autem primo secundum adventum fore in se magnificum. Secundo, omnibus manifestum *et videbit.* Tertio, reprobis amarum *et plangent.* Quarto, subdit confirmationem prædictorum. ***Etiam amen.*** Dicit igitur ***Ecce :*** quasi dicat, debemus eum laudare et ei obedire; quia ecce, quasi dicat, certum est, ut demonstratio sit nota certitudinis; idest, *Ecce,* quasi dicat, in promptu est et cito fiet, quia, ut dictum est, omne tempus respectu æternitatis breve est. Supra eodem : *Tempus enim breve est. Venit.* De præsenti loquitur, ut terrorem incutiat, quia propinquum est. *Cum nubibus.* **Idest cum sanctis, qui pluunt per** prædicationem, coruscant per miraculorum operationem; elevati sunt, per mundanorum abdicationem; volant, per altam contemplationem. Isaiæ IX, ***Qui sunt isti***

[1] Aliqui « potentes » ad [illegible].

qui ut nubes volant? Vel cum nubibus, sicut ascendit in nube; quia creatura servit creatori. Nota *Glossam. Et videbit eum omnis oculus*, tam malus quam bonus. Marci XIII. *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multa et gloria.* Ad confusionem autem eorum qui Dominum crucifixerunt, manu vel consilio, subdit : *Et qui eum pupugerunt.* Videbunt eum ad cumulum pœnæ. Joan. XIX. *Videbunt in quem transfixerunt.* Sed cum ejus humanitas sit gloriosa et pulcherrima, quomodo concedetur malis eam videre? Item Isaiæ XXVI, secundum aliam litteram : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei?* Respondeo : Dicendum quod omnes tam boni quam mali videbunt ipsum in humanitate glorificata : et ut ille aspectus sit bonis ad consolationem, malis ad confusionem et afflictionem, quia tam dulci amatori et tam largo remuneratori ingrati fuerunt, ut ejus jussa fugerent. Isidorus libro I de *Summo bono :* « In judicio reprobi humanitatem Christi videbunt, ut doleant : divinitatem vero ejus non videbunt ne gaudeant; quibus enim divinitas ostenditur, utique ad gaudium demonstratur. » Ad objecta, dicendum quod illa pulchritudo non erit eis delectabilis. Unde sicut excellens luminosum obscurat infirmum oculum et gravat, illuminat autem sanum et oblectat : sic luminositas corporis Dominici obscura et terribilis erit reprobis, et delectabilis electis, propter variam dispositionem ipsorum. Quod notatur in columna nubis. Exod. XIV. Isidorus in lib. I de *Summo Bono :* « Pro diversitate conscientiarum, et mitis apparebit in judicio Christus electis, et terribilis reprobis. Nam qualem quisque conscientiam tulerit, talem et judicem habebit. » Ad aliud patet per verba beati Isidori superius dicta, quia mali gloriam divinitatis non videbunt. *Et plangent se super eum,* quia offenderunt, et quia se separari ab ejus et suorum consortio electorum videbunt. *Omnes tribus terræ.* Idest omnes nationes hominum, qui dilexerunt terram. Matth. XXIV. *Et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.* Alia littera : Collident; quia confringentur sicut olla fictilis a lapide quando ei colliditur. *Etiam amen.* Confirmatio : quasi dicat : ita fiet veraciter. Vel confirmatio potest intelligi optative : quasi dicat : veniet : quia ita fiet. Idem est, etiam amen, quod amen amen. Hanc tamen confirmationem posuit in duplici lingua, scilicet latina et hebræa, et sub his intelliguntur omnes : quasi dicat, Omni lingua firmetur. Vel contra discredentes de gentibus et Judæis. Nota differentiam inter verba magistri et discipuli. Dominus enim in principio sermonis posuit Amen, discipulus in fine. In quo notatur quod Dominus est auctor veritatis, cujus nota est Amen. Joannis XIV, *Ego sum via et veritas et vita.* Nos autem discipuli veritatis; dum in eum credimus ipsius documenta sequentes. *Ego sum,* hoc quantum ad divinam naturam : et introducit ipsum loquentem : ipse Christus confirmat prædicta, *Ego sum alpha et omega.* Alpha est primum elementum apud græcos, et ponitur pro principio, Omega ultimum, et ponitur pro fine. Deinde sequitur expositio. *Principium*, ante quem nullus : *Finis*, post quem nullus. *Principium*, a quo omnia. Joan. I, *Omnia per ipsum facta sunt.* Et finis propter quem et ad quem omnia. Prov. XVI. *Universa propter semetipsum operatus est Deus.* Unde tunc homo est rectus et sua actio, quando non declinat a principio, sciens se nihil habere nisi a Deo : nec a fine, ordinans se et omnes actus suos ad Deum. Psalm. : *Qui salvos facit rectos corde.* Item principium, creans per potentiam. Finis, judicans per justitiam. *Dicit Dominus Deus*, expositum est supra. *Omnipotens*, quia in secundo adventu ostendetur potentia. In primo enim venit ut agnus : in secundo veniet ut leo. Malach. III, *Et quis poterit cogitare diem adventus ejus?* et quis stabit ad videndum eam? *Ego Joannes,* post exordium sequitur Narratio, sive tractatus hujus libri : et est secunda pars principalis hujus libri. Distinguitur autem per septem visiones. Prima est de correctione Ecclesiarum, et durat usque ad quartum caput. *Post hæc vidi et ecce ostium apertum.* Secunda, de revelatione mysteriorum sedentis in throno, libri, agni, aper-

bendo sigilla quæ, a quarto capite usque ad septimum. *Et vidi septem Angelos*, vel, *Et ecce ostium apertum*. Tertia, de Angelis tenentibus tubas et canentibus, et de rebus contingentibus ad cantum tubarum, ab octavo usque ad duodecimum. *Et apertum est templum*. Quarta, de pugna mulieris et draconis, a duodecimo usque ad quintum decimum. *Et vidi aliud signum*. Quinta, de septem Angelis effundentibus phialas iræ Dei, a quintodecimo usque ad decimum octavum. *Et post hæc vidi*. Sexta, de damnatione Babylonis, bestiæ et draconis, a decimo octavo usque ad vigesimum. *Et vidi cœlum novum*. Septima, de innovatione elementorum, et glorificatione sanctorum, a vigesimo usque ad vigesimum secundum ante medium. *Et dixit mihi*: Hæc verba fidelissima sunt. Notandum quod quatuor primæ visiones distinguunt generalem statum Ecclesiæ, a principio usque ad finem. Tres vero ultimæ, statum Ecclesiæ finalem. Item quatuor primæ sic distinguuntur. Nam prima est correctiva, agit enim de correctione Ecclesiæ generalis secundum omne tempus. Secunda consolativa, per revelationem mysteriorum, ut patebit. Tertia terribilis et comminatoria, per cantum tubarum. Quarta, exhortativa ad pugnam, exemplo mulieris et familiæ agni. Tres ultimæ sic distinguuntur. Prima quæ est de effusione phialæ iræ Dei, refertur ad tempus Antichristi. Sexta, quæ est de damnatione Babylonis, et bestiæ, ad tempus judicii. Septima, quæ est de gloria Sanctorum, ad statum æternæ beatitudinis. Prima pars continet duas partes. In prima ostenditur Christus in medio Ecclesiarum. In secunda, jubentur scribi Epistolæ ad correctionem Ecclesiarum. *Et Angelo Ephesi*, per totum secundum et tertium caput. Item in prima. Primo ponuntur quædam antecedentia visionem. Secundo, ipsam visionem: *Et conversus vidi*. Tertio, quædam consequentia visionem: *Et cum vidissem*. Antecedentia autem ponuntur tria. Primo, commendatio visionis. Secundo, excitatio visuri, quem vox excitavit ad audiendum quæ erat visurus. *Et audivi*. Tertio, præparatio ad videndum. *Et conversus sum ut viderem*. Visio autem commendatur a quatuor. Primo a persona. Secundo a loco, *Fui in insula*. Tertio, a causa, *Propter verbum*. Quarto, a tempore, *Fui in spiritu in dominica die*. Personam autem suam describit a nomine, a fidei unitate *Frater vester*, a patientiæ magnitudine, *Et particeps*. Et ut eos ad tolerantiam adversorum excitet, tria tangit: scilicet, Sustinentiam adversorum; Sustinentiæ præmium, *In regno*, Salvatoris exemplum, ***Et patientia Jesu***. Dicit igitur, *Ego Joannes*, hoc est nomen gratiæ. Interpretatur enim in quo est gratia, *Frater vester*, in fide et caritate, Matth. xxiii, *Omnes autem vos fratres estis*. In hoc etiam notatur humilitas, Eccles. xxxii, ***Rectorem te posuerunt? noli extolli. Et particeps***, vestri, ***In tribulatione***. Aliqui enim de ipsis tribulationem sustinebant. Infra ii, *Scio tribulationem tuam*. Act. xiv, *Per multas tribulationes*. *Et regno*, per hoc suscitat eos ad fortiter sustinendum: quasi dicat: Regnum habebitis mecum, si sustinetis. Sed ingeniose loquitur dicens se socium eorum in regno. II Tim. ii, *Si sustinemus et conregnabimus*, *Et patientia Jesu*, quasi dicat, non solum tribulationem sustineo; sed etiam patienter fero, exemplo Jesu. I Petri ii, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*, ***Fui in insula***: quasi dicat: in sale sita, qualis locus congruit sanctis, qui inundationes maris quasi lac sugent. Deuter. xxxiii. *Pathmos*, quæ interpretatur fretum idest tribulatio, in quo statu magna cœlestia ostenduntur. Ezech. i, *Cum essem in **medio captivorum***. Quoniam autem multi propter turpia illic relegabantur, recte subdit, *Propter verbum Dei*, idest quia prædicabam deitatem Christi, ***Et propter** testimonium Jesu*, idest quia dabam testimonium ejus incarnationi. Matth. v, ***Beati qui persecutionem patiuntur propter** justitiam*. *Fui in spiritu*, hoc dicit quia carnalibus oculis tanta mysteria videri non poterant. Vidit autem hæc non in somnis, sed in extasi positus, revelante ei Angelo. Nota quid est esse in excessu mentis, per *Glossam* super illud II Corinth. v, *Sive mente excedimus Deo*. In excessu mentis duo intelliguntur: vel pavor, vel intentio ad superna, ita ut

quodammodo a memoria labantur inferiora. In hoc excessu mentis fuerunt omnes sancti quibus arcana Dei mundum excedentia revelata sunt. *In dominica die.* Tempus congruit, quia ex tribulationibus et aliis quæ fecit et sustinuit et per hanc visionem alios commonuit, sequebatur in ipso et in aliis justis sequi meritum æternæ beatitudinis, quod significatur per diem Dominicam : in qua Dominus resurgens gloriam immortalitatis propter nos suscepit. II Corinth. I, sicut socii passionum estis. *Et audivi*, non est intelligendum, quod hæc vox fuerit corporalis. Unde Haymon ; « Sicut in spiritu positus spiritualia vidit ; ita vox quam audivit spiritualis fuit. » Idem tamen est hujus [1] audibile et visibile, et vox et sonus, in essentia, diversa in ratione : sicut verbum Dei dicitur lux et vox. Inquantum lux, videtur et videre facit ; inquantum vox, auditur et audire facit ; unde *Glossa* dicit, *Audivi*, idest cognovi, *Post me*, Quæ post nos sunt ignoramus. Recte igitur audit vocem post se ; quia quæ sibi revelata sunt non plene prius agnoverat. Vel, *Post se*, idest de futuris, quia post præsentia futura sequuntur, Vel *Post se*, quia sese in anteriora extendens, per contemplationem altiorem revocatus est quasi post se ad utilitatem Christianorum. Facies enim est vis contemplationis ; dorsum oblivio præsentium. Vel, *Post se*, quia intellexit hunc esse Deum, sicut olim intellexerat Deum in lege et prophetis. *Vocem magnam.* Parva est vox quæ est de terrenis, magna de spiritualibus loquitur. Ezech. III, *Audivi post me vocem commotionis magnæ. Tamquam tubam :* quia sicut tuba antiquitus excitabat ad bellum ; sic vox ista ad sustinendam tentationem et adversariorum certamina. Isaiæ LXIII , *Quasi tuba exalta vocem tuam, quod vides*, idest jam visurus es, *Scribe in libro*, mentis : vel ad litteram : *Et mitte septem Ecclesiis, Epheso*, vel Ephesum, Nomina sunt locorum illarum septem Ecclesiarum. Quasi dicat : Obedire debetis, et præceptum est ut mittantur ubique. *Et conversus sum*, mente, idest præparavi me per conversionem intellectus, *Ut viderem.* Contra. Sonus est invisibilis et nullo modo visibilis, secundum Philosophum. Respondeo secundum Haymonem ; « Nihil aliud audivit quam vidit : quia hoc est illi audire, quod videre, sive in substantia intelligere : et e contrario. » *Et conversus vidi.* Hic ponitur ipsa visio. Et primo quantum ad candelabra. Secundo quantum ad filium hominis qui ponitur inter illa, *Et in medio.* Dicit igitur, *Et conversus, vidi septem candelabra aurea.* Omnia sunt plena mysterio. Septem candelabra septem Ecclesias Asiæ designant : septem vero Ecclesiæ, universitatem Ecclesiarum designant ; quia universum tempus septem dierum repetitione revolvitur, quæ tamen unam Ecclesiam sponsam Dei constituunt. Dicuntur autem recte *Candelabra*, quasi dicat, debent habere fidem, quæ est pes et fundamentum omnis boni. Hebr. XI, *Fides est sperandarum substantia rerum.* Item spem, per quam erigimur ad alta, quæ designatur in hastilis rectitudine. Item caritatem, quæ est lux et ardor : et debet ardere in se et lucere aliis per exemplum. In candelabro enim sunt hæc tria : Firmitas pedis, Rectitudo hastilis, Eminentia lucis. *Aurea*, propter claritatem divinæ sapientiæ ad aliorum instructionem. Vel aliter. *Candelabra aurea.* Nota Glossam. Et bene dicit *Aurea*, scilicet propter puritatem incarnationis, quæ prætium dat et valorem sustinentiæ adversorum. Non deaurata, per hypocrisim, quæ extra aurum habet, intus lutum. Job. XL, *Sternet sibi aurum quasi lutum. Et in medio.* Hic ponitur visio quantum ad filium hominis. Ponitur inter candelabra. Describitur autem quantum ad communicantiam, quam habuit in dando. Secundo, quantum ad vitam, quam habuit in conversando, *Vestitum*, Tertio quantum ad doctrinam, quam habuit in prædicando, *Et vox illius.* Quarto, quantum ad munificentiam, quam habet in remunerando, *Et facies*, Dicit igitur, *Et in medio candelabrorum aureorum.* Per quæ septem Ecclesiæ signantur, *Vidi quemdam similem filio hominis*, scilicet Angelum in persona Christi, qui dicitur simi-

[1] Lege « hujusmodi. »

lem filio hominis, quia fuit similis aliis in persona et in natura, non tamen in culpa. Philipp. II, *In similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Vel, *Similem filio hominis*, scilicet Virginis filium quem Angelum, quia ipsum filium Virginis repræsentabat in illa specie imaginaria. Dicitur autem, *In medio*, quia omnibus se exhibuit communem. Jacob. I, *Qui dat omnibus affluenter.* Gregorius. « Longitudinem divinæ misericordiæ nullus hominum considerare valet. Nota quod Christus, qui est media in Trinitate persona, in medio mundi passus est, scilicet in Jerusalem. » Psal. *Operatus est salutem in medio terræ*, ostendens quod pro omnibus moriebatur. II Corinth. v, *Et pro omnibus mortuus est Christus.* Suspensus in medio latronum, significans quod bona sua bonis et malis paratus est dare. In medio cœlo passus, scilicet in aere, ostendens se mediatorem eorum quæ in cœlis et quæ in terra. Coloss. I, *Pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* In medio discipulorum, post resurrectionem apparuit, ut omnes et singulos in fide roboraret. Joan. XX, *Stetit Jesus in medio discipulorum.* In medio candelabrorum post ascensionem ostensus est Joanni in exilio, ut ostenderet se omnibus subvenire paratum in tribulationibus, et in aliis. Psal. : *Cum ipso sum in tribulatione.* *Vestitum.* Hic describit eum quantum ad vitam : et hoc secundum quatuor. Primo, quantum ad eminentem caritatem. Secundo, quantum ad plenam sinceritatem, *Caput autem.* Tertio quantum ad bonorum copiositatem, *oculi ejus*. Quarto quantum ad fortitudinis sive patientiæ stabilitatem, *Et Pedes.* Caritas ipsius Domini animam inflammabat, Sinceritas candidabat, Copiositas fecundabat, Stabilitas roborabat. Caritatem ejus ostendit quantum ad duplicem effectum. Primo, quantum ad redemptionem humanam. Secundo, quantum ad virtutum custodiam. Primus respectu mundi, Secundus respectu ipsius. Dicit igitur, *Vestitum podere.* Poderis, est vestis sacerdotalis, attingens usque ad talos : et significat humanam carnem, in qua se Patri ex amore nostri obtulit, et quotidie offert verus sacerdos et hostia. Ephes. v, *Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. Et præcinctus zona aurea*, idest cingulo caritatis, quia stringit et custodit virtutes ne a subjecto recedant. Vestis enim non cuncta cito defluit. Colossen. III, *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. Glossa* : « Cetera perfectum hominem faciunt, caritas cuncta ligat ne abeant. » Et dicitur Aurea, ratione suæ præeminentiæ. I Corinth. XII, *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Ad mamillas*, quia mamillæ sunt in pectore sicut caritas in corde. Vel, *Ad mamillas*, quia ex pectore, in quo sunt mamillæ, pullularent malæ cogitationes, quæ virtutes dissolverent, ut caritas pectus et virtutes cingeret. *Caput*, scilicet Deitas, quæ est caput humanitatis. I Corinth. XI, *Caput vero Christi Deus. Et capilli*, idest cogitationes, quæ subtiles sunt et a mente procedentes, et multæ sicut capilli a capite. *Erant candidi tamquam lana alba.* Utrique comparatur deitas et capilli, ratione sanctitatis sive sinceritatis, quæ signatur in albedine lanæ et nivis. De sinceritate Christi secundum deitatem, Sap. VII, *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula.* De sinceritate quantum ad cogitationes et omnia alia. Hebr. VII, *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus et innocens impollutus.* Vel, Caput, dici potest affectio; quia illud quod est altius in anima est affectio. Utrumque autem, tam affectio quam cogitatio, sincerissimum fuit in Christo. Sic igitur lana et nix significant sinceritatem ratione albedinis. Sed ulterius est notandum, quod in hominibus ut plurimum solent esse duo : scilicet Frigus ignaviæ; quod impedit omne bonum, et Æstus concupiscentiæ, quod incitat ad malum. E contra in Christo fuerunt cogitationes ad omne bonum faciendum : quod significatur per lanam quæ calefacit. Item ab omnigena mali concupiscentia alienæ : quod significatur per nivem, frigidæ naturæ. *Oculi ejus*, idest dona Spiritus sancti, quæ totam ejus animam providam et videntem et perspicuam reddiderunt, quibus plenus fuit. Sapient. XI, *Et requiescet super eum spiritus Domini.* Zach. III, *Super lapidem unum, septem*

oculi sunt. Tamquam flamma ignis, quia ejus animam, dum ipsam fecundabat, totam flammeam sive igneam reddebat per splendorem et ardorem. Vel, Sicut flamma ignis; quia plenitudo donorum ipsorum efficacia et merito passionis est nobis causa recipiendi ab ipsa sapientiæ illuminationem et caritatis flammeum ardorem. Joan. I, *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, Luc. XII : *Ignem veni mittere in terram. Pedes*, hoc quantum ad fortitudinis stabilitatem. Pedes ejus, idest multiplex fortitudo ejus, quæ per pedes ejus significatur, qui totum pondus corporis portant. *Similes aurichalco*, quod quanto amplius incenditur, tanto amplius coloratur. Igitur fortitudo Dominica quanto amplius portabat adversa, tanto pulchrior ostendebatur. Pedes inquam ejus sunt sicut aurichalcum, *In camino ardenti :* hoc addit ad expressionem ut expositum est. Caminus ardens est adversitas tribulationum quæ animam exurit nisi ipsam patientia muniret. Ecclesiast. II, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Posset autem duplex pes fortitudinis distingui : scilicet aggressio terribilium, et perpessio adversorum. Posset autem aliter per Poderem vestem talarem Ecclesia intelligi, qua Deus vestitur. Viri enim justi sunt vestimenta Christi. Psal. *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis*. Duratura autem Ecclesia usque ad finem mundi. Matth. XVI, *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Sed contra. Quia ipse Christus est indumentum Ecclesiæ sive justorum. Roman. XVII, *Sed induimini Dominum Jesum Christum*. Respondeo. Utrumque est verum, sed differenti ratione in parte; Ecclesia enim est indumentum Christi, ratione adhæsionis, Psal. : *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Ratione honorificationis : notabile enim et pulchrum indumentum, est in honorem induti. Ecclesia autem honorificat Christum, idest ipsum honorando ostendit. Deinde in Ecclesia, ipsius Domini ineffabilis bonitas, sapientia et potestas, ac dominatio excellenter apparet. Christus vero dicitur indumentum justorum ratione decoris; ipse enim est decor eorum; ideo vocat Ecclesiam suam formosam, quia ipse eam decorat Canticorum II, *Columba mea, formosa mea*. Ratione honoris; quia ipse est justorum honor. Unde Augustinus I lib. *Confes.* : « Gratias tibi, dulcedo mea, honor meus, fiducia mea, Deus meus. » Item ratione protectionis, quia vestimentum protegit a nocumentis. Ecclesiastici XXXIV, *Protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris*. Et *præcinctum zona*, scilicet castitatis, quemadmodum zonæ stringunt ne anima defluat. *Aurea*, propter prætiositatem. Ecclesiast. XXXVI, *Non est digna ponderatio continentis animæ. Ad mamillas*, quæ sunt in pectore, unde ortum habent cogitationes, nisi zona pectus stringatur. Et dicitur hoc de ipso ratione corporis mystici. Luc. XII, *Sint lumbi vestri præcincti*. Nota *Glossam*, Dan. X, *Caput*, idest majores in corpore Christi mystico, Et *Capilli*, idest minores adhærentes ipsi capiti Christo. *Candidi*, ut supra expositum est : *Oculi*, contemplativi, qui spiritualibus inhærent, et activi ad intuendum divina. Vel *Flamma ignis*, quia sunt illuminati et ardentes amore et desiderio ad Dominum. Unde beatus Isidorus. III lib. *de Summo bono* : « Servus Dei ad æternam patriam sanctis desideriis inhiat. » Item. *Oculi ejus velut flamma ignis*, quia tales alios illuminare et accendere student verbo et exemplo et orationis suffragio. De Verbo, Roman. XII, *Spiritu ferventes*. De exemplo, II Corinth. V, *Caritas Christi urget nos*. De suffragio. Philipp. I, *Et hoc oro ut caritas vestra magis ac magis abundet in omni scientia. Pedes*, ultimi fideles. Nota *Glossam* Matth. XXIV, *Erit tunc tribulatio tanta qualis nunquam fuit ab initio mundi*. Et tamen, sicut dicit Gregorius : « Electi Antichristo valde contradicent. » Dicit enim sic super Job : Dei adjutorio electi ut antichristo contradicere valeant, fulciuntur. *Et vox*, hoc quantum ad doctrinam. Ad quam describendam, tria tanguntur. Primo, Communicatio virtutis : unde dicit, *Et vox*, idest doctrina, *Tamquam, vox aquarum multarum*, quia prædicatio Christi quantum ac communicationem virtutis, habuit virtutem ablutivam. Joan. XV. *Jam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis*. Item illuminativam.

Psal. : *Eructavit cor meum verbum bonum.* Item Eccli. xxiv, *Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvius Dorix, et sicut aquæductus exivi a Paradiso, dixi : Rigabo hortum plantationum, et inebriabo partus mei fructum.* Vel, *Aquarum multarum*, idest abundantiam gratiarum. Joannis iv, *Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et dicit, *Multarum*, propter largiorem gratiam quæ datur tempore gratiæ. Joan. i, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Secundo, promissio beatitudinis : quod innuitur per hoc quod ipse dicens tenebat in dextera septem stellas, *Et habebat in dextera sua septem stellas*, idest septem episcopos præmissarum Ecclesiarum, per quos intelliguntur universi prælati qui sunt electi : qui dicuntur stellæ, quia debent aliis verbo et exemplo lucere. Matth. v, *Vos estis lux mundi.* Per dexteram significatur quod prædestinati sunt ad vitam, quæ per dexteram significatur ; mali sunt in sinistra. Isaiæ xli, *Suscepit te dextera justi mei.* Tertio, comminatio damnationis, *Et de ore ejus gladius*, idest prædicans comminabatur sententiam judicii, quæ sicut gladius separabit malos a bonis et eos æternaliter perimet : *Acutus*, quia acutissime punget, *Ex utraque parte*, quia anima et corpore damnabuntur. Jeremiæ xvii, *Et duplici contritione contere eos.* Deuter. xxxii, *Et gladius meus devorabit carnes.* Vel Gladius ejus doctrina separans spiritum a carne. Ephes. ult. *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Acutus ex utraque parte, quia suo acie scindente, scindit opera, carnalia et internas concupiscentias. Et ita scindit intus et extra. Possunt etiam os Dei intelligi prædicatores. Jerem. xv, *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Dominus enim loquitur per eos, et per ipsos facit promissa. *Et facies ejus*, idest illi qui ei conformes sunt et ipsum in se repræsentant per imitationem in fervore amoris et in aliis. Gregorius : « Omnes electi ut ad gloriam mediatoris Dei et hominis Jesu Christi pervenirent, ad similitudinem vitæ illius visum suum dirigere laborant. » *Sicut sol lucet in virtute*, scilicet sine nubibus clare. Matth. xiii, *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.* Gregorius : « Post similitudinem quam nunc moribus tenent, ad similitudinem quandoque gloriæ pervenient. » *Et cum vidissem.* Hic ponuntur consequentia visionem : quæ ponit quatuor. Primo suam stupefactionem. Secundo dictam consolationem. *Et posuit.* Tertio scribendi jussionem, *Scribe ergo.* Quarto visorum expositionem, et hoc in parte et non in toto. Septem stellæ. Dicit ergo, *Et cum vidissem*, scilicet prædicta. *Cecidi*, obstupefactus. *Ad pedes ejus tamquam mortuus.* Nota quatuor de contemplatione. Primum est aspectus contemplationis. Cum vidissem. Ezechielis i, *Aperti sunt cœli et vidi visiones Dei.* Secundum, Magnitudo humiliationis : cecidi : quia anima cognoscens Dei altitudinem, se nihil reputat. Gregorius : « Miseria humana quanto amplius invisibilia bona cognoscit, tanto amplius ipsa sibi vilescit. » Ezechielis ii, *Et vidi et cecidi in faciem meam.* Tertium desiderium imitationis, *Ad pedes.* Ad pedes Christi cadit, qui studet eum in his quæ secundum carnem gessit, imitari. Supra eodem, *Pedes ejus etc.* Viri enim contemplativi cum a Deo consolationem dulcedinis recipiunt, sciunt sese esse participes passionum Christi configuratione. Unde Apostolus Galat. ult. *Mihi autem absit gloriari.* Quartum est vehementia abstractionis, quia oportet esse abstractum ab inferioribus, tamquam mortuum. Galat. ii, *Vivo ego, jam non ego.* Coloss. iii, *Mortui enim estis.* Sed quomodo cecidit videndo Christum, cum ipse sit consolatio animæ? Respondeo. Casus iste fuit casus bonus, quia fuit exhibitio reverentiæ considerata divina magnitudine. Nota *Glossam*. *Et posuit*, hic ostenditur Dominica consolatio : et primo secundum quod data est facto. *Et posuit super me*, per hoc notatur quod gratia fuit, non debitum. *Dexteram suam*, in qua intelligitur auxilium. Dextera Dei misericordia, sinistra justitia. Daniel. x, *Jacebam consternatus super faciem meam, et vultus meus hærebat terræ, et ecce manus tetigit me.* Secundo secundum quod verbo. Et primo consolatur dissuadendo

timorem, dicens: *Noli timere*. Vehemens obstupefactio fuerat, ex qua secutus est timor quem dissuadet. Sed nonne bonum est semper timere? Proverb. xxviii, *Beatus homo qui semper est pavidus*. Respondeo, Non dissuadet timorem simpliciter et omnium, quia bonum est et expediens contemplativo resilire a divina magnitudine in propriam parvitatem, quod est timere timore reverentiæ : sed dissuadet timorem nimium : ex quo mentis turbatio surgere potest, tranquillitatem mentis impediens. Vel, Noli timere pati pro me. Secundo ostendendo se creatorem. *Ego sum primus*, duratione in causalitate, omnia condidi. Magna materia consolationis est hic et in sequentibus. Tertio remuneratorem. *Et novissimum*, tamquam causa finalis ad quam omnia ordinantur; et ideo remunerator sum. Item primus ante quem nullus. Novissimus post quem nullus. Isa. xlviii, *Ego primus et ego novissimus*. Sed quæritur quomodo sit novissimus, cum non duret ultra ea quæ fine carent? ut sunt Angeli et animæ et alia multa. Item esse novissimum videtur esse abjectionis et ignobilitatis. Juxta hoc potest quæri quomodo intelligatur illud Exod. xv, *Dominus regnabit in æternum et ultra*. Respondeo. Ad primum dicendum, quod non dicitur novissimus quantum ad durationem, quia non durat ultra ea quæ fine carent; sed quantum ad modum durandi et quantum ad rationem finalis causalitatis. Modus durandi in Deo triplex est, secundum Anselmum in *Prosologio*. Primus, quia per se durat æternaliter, alia autem hæc habent ab ipso : et sic quodammodo est ultra alia, et sic Novissimus. Alius modus est : quia Deus non potest intelligi habere finem, alia autem possunt intelligi finem habere. Illud autem quod nullo modo potest habere finem, quodammodo est ultra illud quod aliquo modo potest habere finem : finem dico saltem intellectu, etsi non re. Tertius modus est, quia divina æternitas tota est simul, æternitas quæ æviternorum non est tota simul, secundum Anselmum : unde æternitas eorum non attingit ubi attingit Dei æternitas. Et ita Deus quodammodo est ultra omnia. In secundum finalem causalitatem dicitur Deus esse novissimus, quia Deus est causa finalis omnium, et ad ipsum, sicut ad causam finalem omnia ordinantur, quia universa propter semetipsum operatus est Dominus. Illud autem ad quod omnia ordinantur tenet rationem novissimi, quia finit ea : hoc autem non est indignitatis, sed incommunicabilis et simplicis dignitatis, quia Deo soli convenit esse omnium causam finalem. Augustinus lib. I *Confessionum :* « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Ad objectum primum patet. Ad secundum dicendum, quod esse novissimum potest dicere in generalitate in eo qui est solum novissimum ita quod non primus : sed Deus ita est novissimus quod etiam primus. Et hoc est singulare in Deo, eo modo quo de ipso hæc duo dicuntur. Præterea nota quod aliquid potest dici novissimum multipliciter : scilicet ratione indignitatis vel abjectionis : et sic Christus apud Judæos reputabatur novissimus licet non esset. Isa. liii, *Novissimum virorum, virum dolorum*. Vel ratione loci, sicut ultimus in loco solet dici novissimus. Vel ratione durationis, sicut qui post alium natus est dicitur novissimus, vel etiam plus quam alius vivit. Vel ratione modi durandi; sicut dictum est supra, exemplum in rerum natura, non potest plene inveniri, quia singulare est in Deo. Vel ratione finalis causalitatis : sicut homo quodammodo potest dici novissimus respectu eorum quæ facta sunt propter ipsum, licet non plus duret quam multa ex ipsis. Esse ergo novissimum non semper dicit indignitatem, sed aliquando. Duobus autem modis ultimis dicitur Deus novissimus, non aliis modis. Illis autem duobus novissimum dicit dignitatem tantam quæ nulli creaturæ convenire potest. Ad aliud quæsitum dicendum, secundum Anselmum in *Prosol.*, quod dicitur Deus regnare in æternum creaturæ, idest quamdiu durat creatura et ultra, non propter durationem ipsam, quia plus durant alia omnia; sed propter modum durandi; et hoc triplicem, ut visum est. Quarto ostendendo se redemptorem. Ad redemptionem autem completam concurrit ejus passio et resurrectio :

et utrumque locuti dicens : *Fui mortuus*, quia resurrexi. *Et fui mortuus*. Et ex hoc ejus vita est libellus gratior. I Petr. III : *Christus pro peccatis nostris mortuus est*. *Et ecce*, excitatio est ad considerandum ejus vitam immortalem, quia gaudium est et in praemium electorum redit ut beatitudinem amplius sciant. *Sum vivens in saecula saeculorum*, idest aeternaliter. Magna est commendatio haec. Item persuasio magna est ad confitendum pro eo adversa : quia mortuus est pro hominibus et resurrexit in aeternum victurus. Unde eos juvare et tandem praemiare potest. Rom. VI, *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur*. Hebr. VII, *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. Quinto protectorem. *Et habeo claves*, idest potestatem. *Mortis*, idest diaboli, qui est causa mortis, culpae et gehennae. Osee XIII, *Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne*, idest ministrorum ejus quibus debetur infernus, vel qui devorant homines per suggestiones vel persecutiones ad modum inferni, vel in quibus habitat diabolus sicut in loco sibi debito, qui est infernus. Possum ergo cohibere diabolum et ejus ministros et ab eorum tentationibus protegere : vel possum intrare in mortem supplicii et ipsum locum inferni et liberare quem volo. Nota Glossam super claves. Aliquis objiciet : cum dixerit, ecce vivens, ad quid addidit, sum vivens? quia videtur superfluere. Respondeo. Primo modo potest dici, quod primo loquitur de vita divinitatis quae est sine initio. Secundo de vita humanitatis glorificata per resurrectionem. Alio modo potest dici quod primum dicitur ad ostendendam vitam resurrectionis : unde per oppositum subditur, Et fui mortuus : sed repetitur ad ostendendam immortalitatem ejusdem vitae interminabilis : unde dicitur, Vivens : quod innuit continuitatem vitae, et sequitur, In saecula saeculorum : et hoc videtur melius. *Scribe ergo*, quia pro hominibus passus sum et ne laberentur in mortem et infernum. *Quae vidisti*, jam in hac visione, contra eos qui scribunt vel legunt quae non intelligunt. *Scribe* inquam, ut alios doceant ; unde infra II dicitur : *Et Angelo Ephesi*. *Et quae sunt*, idest praesentes tribulationes et praesens auxilium. *Et quae oportet fieri post haec*, scilicet in ultimis libellis quae erant et quae futura erant, postea illi ostendit, ut infra. Et ita scribit scriptura secundum triplicem differentiam temporis. Scribe inquam *sacramentum*, idest sacram signationem, sacrum secretum. *Septem stellarum etc*. Vel describe sacramentum. *Septem stellae*. Exponit secundam partem, ut ostendat cetera mystice accipienda. *Angelos* dicit episcopos propter eminentiam vitae quam debet habere praelatus. Gregorius : « Specularis vita et alta debet semper esse et circumspecta. » Sed quare non ex toto exposuit? Respondet Haymon : Quaedam exposuit quaedam signavit ; quia si ex toto esset clausus, taederet nos legere ; si ex toto apertus, minus studiose legeremus. » Alia ratio est, quia Dominus propter malevolos non vult omnia esse aperta. Nota quod praelatus dicitur Angelus multiplici ratione. Ratione charitatis in diligendo. Beatus Bernardus in *Meditationibus* : « Diligunt quidem suos concives, et pro his qui haereditatem consequuntur salutis sollicite congaudent. » Similiter praelatus dicitur affici charitate magna ad alios. II Corinth. XII, *Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar a vobis*. Ratione prudentiae in eligendo sive desiderando, quia non curat de vanis, non de auro vel argento, sed solum Deum desiderat semper habere. Tob. XII, Nil voluit Raphael accipere. I Petr. I, *In quem desiderant Angeli prospicere*. Hoc est contra avaritiam. II Corinth. XII, *Non quaero quae vestra sunt, sed vos*. Isidorus III lib. *de Summo bono* : Plerique sacerdotes suae magis utilitatis causa quam gregis praeesse desiderant : nec ut prosint praesules fieri cupiunt, sed magis ut divites fiant et honorentur. Ratione sanctitatis in vivendo. » Matth. XXII, *In resurrectione, neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei*. Gregorius : « Nulla rector invidia debet pollui, qui hoc suscepit officii, ut in aliis quoque tergat maculas pollutionis, quia necesse est ut manus munda esse studeat quae diluere sordes curat. » Ratione scientiae

in cognoscendo. Malach. II, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Isidorus in lib. III *de Summo bono* : « Desinant locum docendi suscipere qui nesciunt docere : cæcus si cæco ducatur, ambo in foveam cadunt. » Ratione informationis in instruendo. Multi enim habent scientiam qui docere subditos suos negligunt. Daniel X, *Ego,* dixit Angelus, *Ego autem veni ut docerem te.* Gregorius : « Neque huic speculationi sufficit ut alte vivat et eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat, nisi loquendo assidue auditores suos ad amorem cœlestis patriæ succendat et pertrahat. » Ratione meditationis in curando, sicut Tobias per Raphaelem visum recepit, Tob. XI. Ita et prælatus corrigendo et sacramenta dispensando, exemplis disponendo, debet sauciatos sanare sicut medicus. Ecclesiast. XXXVIII, *Honora medicum propter necessitatem.* Ratione velocitatis in discurrendo. Isa. VI, *Volavit ad me unus de Seraphim.* Proverb. VI, *Discurre, festina, suscita amicum tuum.* Et hoc tangit sollicitudinem. Rom. XII, *Qui præest in solicitudine.* Ratione officii in ministrando. Hebr. I, *Omnes sunt administratorii spiritus.* I Corinth. IV, *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* Ratione zeli in suffragando, quia Angeli orant pro hominibus et hominum orationes offerunt Deo : Tob. XII, *Ego obtuli orationem tuam Domino.* II Corinth. ult. *Hoc et oramus vestram consummationem.* Ratione devotionis in contemplando, Matth. XVIII. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.* Philipp. III, *Nostra autem conversatio in cœlis est.* II Corinth. XI, *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.*

CAPUT II

Et Angelo etc. Secunda pars primæ visionis, in qua jubentur scribi epistolæ ad correptionem Ecclesiarum. Scribuntur autem septem epistolæ, secundum numerum septem episcoporum sive Ecclesiarum. Prima dirigitur episcopo Ephesi qui erat Metropolis, et sic ulterius. Distinguuntur autem secundum proprias materias. Possunt autem distingui secundum numerum septem virtutum. In prima est admonitio ad caritatem. In secunda, ad spem ; *Et Angelo Smyrnæ.* In tertia, ad fidem ; *et Angelo Pergami.* In quarta, ad prudentiam ; *et Angelo Thyatiræ.* In quinta, ad temperantiam ; III cap. *et Angelo Sardis.* In sexta, ad fortitudinem ; *et Angelo Philadelphiæ.* In septima, ad justitiam ; *et Angelo Laodiciæ.* Vel aliter secundum ea quæ littera magis insinuat. Prælato sunt sex necessaria, quantum ad quæ isti septem episcopi indigebant magna admonitione : licet alia multa in prælato concurrere debeant ; videlicet : caritas, magnanimitas, severitas, humilitas, stabilitas, strenuitas. Hæc omnino sunt necessaria pastori. Caritas necessaria est, ad diligendum ; magnanimitas, ad sustinendum, sive patiendum ; severitas, ad malum extirpandum ; humilitas, ad fastum declinandum ; stabilitas, ad finaliter perseverandum ; strenuitas, ad ferventer agendum. Et licet stabilitas perseverantiæ recto ordine ultimum locum de se teneat ; tamen hic non ponitur ultimo : quia epistola informans ad strenuitatem ultimo ponitur, eo quod scribitur illi episcopo qui magis inter alios defecerat et magis culpabilis erat sicut verba insinuant, quia a nullo bono commendatur sicut alii. In prima ergo epistola fit admonitio ad caritatem, per quam diligantur diligenda. In secunda ad magnanimitatem per quam sustineantur adversa. In tertia et quarta ad severitatem per quam ad aliis extirpentur vitia : sed differunt : quia in tertia est admonitio ad extirpandos male credentes : in quarta ad extirpandos male docentes : in quinta, ad humilitatem ; per quam a seipso eliminetur inanis gloria : in sexta, ad stabilitatem ; per quam teneatur perseverantia : in septima, ad strenuitatem ; per quam efficiatur meritoria vita. Item prima epistola continet tria : Exordium, Narrationem, *scio opera ;* Conclusionem, *Qui habet.* Et hæc consequens divisio in

quælibet epistola poterit observari. Exordium introducit tres personas. Personam recipientis epistolam, *Et Angelo*. Personam scribentis : *Scribe*. Personam loquentis in epistola, *Hæc dicit*. Dicit igitur *Et Angelo*, Quasi dicat, scribe quæ vidisti. Alloquitur Angelo, idest Episcopo. *Ecclesiæ Ephesi*. Huic primo scribit tanquam Metropolitano et sublimiori, ut ipse correctus sit aliis forma vivendi. Ephesus interpretatur, voluntas mea in ea. Majores enim maxime tales esse debent ut complaceat Deo in ipsis. II Cor. v, *Contendimus, sive absentes sive præsentes, placere illi*. Item nomen convenit commonitioni : quia voluntas Dei, id est, amor et contemplatio Dei est in eo qui ferventer amat. Proverb. viii, *Ego diligentes me diligo*. *Hæc dicit*. Hic describitur Christus ipse quantum ad duo. Primo quantum ad pietatem, in supportatione peccatorum. *Hæc*. Quæ sequuntur. *Dicit; qui tenet septem stellas*, idest septem episcopos, quibus scribitur. *In dextera sua*. Per dexteram intelligitur ejus misericordia : quasi dicat : non abjiciam eos, licet peccaverunt. Et bene dicit, Tenet : quia amplius caderet homo in offensam et etiam prorsus in infernum. Psalm. *Nisi quia Dominus adjuvit me*. Secundo quantum ad liberalitatem in distributione donorum. *Qui ambulat*. Tangit visionem illam supra primo cap. In medio septem candelabrorum. Ambulat ergo per effectum, quia omnibus se præsentem offert ad dandum, ac si ambularet hinc inde, si sit qui recipiat. *In medio septem candelabrorum aureorum*. Quia communiter dona sua distribuit, quantum est de se. Hæc etiam supra primo cap. exposita sunt. *Scio*. Hic ponitur narratio, quæ continet quinque : commendationem, *Scio*; argumentationem, *Sed habeo*; admonitionem, *Memor*; comminationem, *Sin autem venio*; consolationem, *Sed hoc habes*. Commendat autem a quatuor quæ sunt prælato necessaria. Primum, est rectitudo operum. *Scio opera tua*. Id est approbo : beatus cujus opera laudem Dei merentur. Psalm. *Novit Dominus viam justorum*. Secundum, sustinentia tribulationum. *Et laborem*. Idest tribulationem, in qua est magnus labor : sed consideratio mercedis, lenit. Infra xiv, *Amodo jam dicit spiritus*. Contra, Isaiæ xl, *Assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt*. Respondeo. Sustinentes adversa laborem habent quidem ad afflictionem naturæ, quia eorum natura ibi affligitur : tamen illi qui perfecti sunt, etsi in adversis laborent, quantum ad naturæ afflictionem, non tamen laborant quantum ad mentis consolationem : quia jucundum est et delectabile ex parte rationis, pati propter dilectum. Unde Augustinus *super* Joan. i, « Qui amat non laborat. » Tertium, longanimitas in expectatione præmiorum. *Et patientiam tuam*. In expectatione præmii. Jacob, v, *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum*. Vel patientia in labore adversorum. Gregorius, « Patientia vera est quæ et ipsum amat quem portat. » Quartum, zelus in impugnatione hæreticorum. *Et quia non potes*. Et circa hoc multa tanguntur ; Primum, intolerantia, in expellendo : et approbatio. Quia, idest quod non potes *sustinere malos*, sed expellis et expugnas virtute verbi. I Cor. vi, *Auferte malum ex vobis ipsis*. Sed quomodo dicit, non potes ? ergo non erit ex voluntate quod eos expellebant. Item videtur quod hæretici de quibus loquitur, non sint extirpandi. Matth. xiii, *Sinite utraque crescere usque ad messem*. Respondeo. Ad primum dicendum, quod modus est loquendi ad expressionem zeli. Solet enim dici, quando quis magno affectu vult aliquid facere : ego non possem dimittere quin hoc facerem. Simile Joan. xii, *Propterea non poterant credere*, scilicet quia voluntas erat ad contrarium. Ad secundum dicendum, quod hæretici aut sunt occulti, et hi non sunt extirpandi, dum est de eis ambiguum : ne si indiscrete expellantur, sit bonis occasio mali : quia vel schisma posset emergere, vel boni possent extirpari cum aliis ; quia idem posset credi de eis quod de aliis, ubi est ambiguum. Unde sequitur : *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum*. Et de his loquitur Matth. xiii, secundum *Glossam*. Alii sunt manifesti, et

hi sunt resecandi, et sic loquitur hic. Secundum, prudentia in probando. Psalm. : *Tentasti eos*, idest probasti doctrinam eorum. *Qui se dicunt apostolos esse*, idest missos ad alios, ut eos facilius decipiant. *Et non sunt*. II Cor. xi, *Nam ejusmodi sunt pseudoapostoli, operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi*. Tertio, efficacia in deprehendendo ; non enim fuit in aliis examinatio. « Et invenisti eos in mendacio » quia non erant a Deo missi, ut dicebant, cum doctrinam eorum malam et vitam pravam inveneris. Jerem. xxiii : *Seduxerunt populum suum in mendacio suo, cum ego non misissem eos*. Quarto, patientia in sustinendo, scilicet adversa. *Et patientiam habes*, scilicet in adversis, quæ hæretici convicti tibi inferunt vel procurant. Gregorius : « Patientia est radix omnium custosque virtutum. » Sed unde est quod idem commendat eum a patientia ? Item de sustinentia dixit : Non potest sustinere malos, hic dicit : *Patientiam habes*, cum malos sustineat qui patientiam habet. Respondeo. Ad primum dicendum, quod supra vocat patientiam longanimitatem in expectatione retributionis, secundum *Glossam* : « Hic autem voluntariam sustinentiam tribulationis. » Vel si supra dicatur patientia secundum alium exponendi modum voluntaria sustinentia tribulationis, differentia est, quia ibi loquitur de patientia in generali ; hic in speciali respectu adversorum ab hæreticis inflictorum. Ad aliud dicendum, quod supra loquitur de sustinentia respectu mali culpæ in alio : hic de patientia respectu pœnæ in seipso inflictæ ab alio, idest non est sustinendum ubi potest præcurri, sed hoc debet. Bonum autem est quod qui patientiam habet, sustinet malos quantum ad pœnam sibi ab eis illatam : non tamen oportet quod sustineat eos quantum ad culpam in eis repertam. Quinto rectitudo in intendendo, quia rectum finem intendit secundum honorem et amorem nominis Dei. Et *sustinuisti*, mala illata. *Propter nomen meum*. Act. xxi : *Ego autem non solum alligari*. Sexto vigor in persistendo, quia perseveravit in illa patientia. *Et non defecisti*. I Corinth. iv : *Non deficimus etc*. Contra, quia sequitur : *charitatem tuam reliquisti* ; ergo defecerat. Item non videtur malum deficere, quia dicitur in Psalm. : *Defecit in salutari tuo anima mea, defecerunt oculi mei in eloquium tuum*. Respondeo ad primum, quod non negat simpliciter eum defecisse, sed loquitur de defectu per impatientiam. Duplex igitur est malus defectus. Unus est defectus a fervore charitatis, et sic defecerat alius a sustinentia tribulationis et sic non defecerat, licet ipsum hæretici persequerentur. Ad secundum dicendum, quod triplex est defectus. Unus culpabilis, cum quis deficit per culpam impatientiæ in adversis, vel aliam quamcumque. Job. iii : *Nunc autem venit super te plaga et defecisti*. Alius pœnalis quando deficit homo in morte vel in damnatione. Psalm. : *Deficientes quemadmodum fumus deficient*. Tertius salubris qui est ex amore et desiderio ardenti. Psalm. : *Concupivit et defecit anima mea in atria Domini*. Augustinus lib. III *Confesss.* : « Tu amor meus in quem deficio ut fortis sim. » Dicendum est igitur quod malum est culpabile deficere primo modo : malum pœnale deficere secundo modo : optimum autem et dulcissimum deficere tertio. *Sed habeo adversum te pauca : quod charitatem tuam primam*, idest quam prius habueras. *Reliquisti*, quod non habes fervorem charitatis ut ante. Gregorius xix : *Moralium* : « Sunt nonnulli qui paulisper per augumenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Vel potest dici secundum regulam Ticonii, quod illa commendatio præcedens est quantum ad aliquos de subditis : hæc autem arguitio quantum ad quosdam alios. Etenim prælato ascribit quæ sunt subditorum. Et tunc est sensus : charitatem tuam primam reliquisti in aliis. *Memor esto itaque unde excideris*. Hic ponit admonitionem ; et hoc quantum ad tria : scilicet ad damni considerationem. Memor esto unde excideris, quia a charitate. Beda : « Si de charitate excisus es, quia Deus charitas est, vel unde, scilicet a consortio fidelium : quia qui a statu gratiæ et charitatis cecidit, jam non est de societate fidelium me

ritis et participationis bonorum quam habet justus. » Psalm. : *Particeps ego sum omnium timentium te.* Secundo quantum ad peccati satisfactionem. *Et age pœnitentiam*, satisfaciendo, Matth. iii : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Tertio quantum ad operandi fervorem. *Et prima opera fac*, idest operare cum fervore charitatis, ut prius. Eccles. ix : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* Vel secundum Glossam : « *Et prima*, idest præcipua. » *Sin autem*, hic ponitur comminatio. Primo ex ex parte personæ. *Sin autem, Venio tibi*, idest veniam ; sed venio dicit ut ostendat hoc esse in promptu. Et potest intelligi de adventu ad judicium qui cito sit, quia tempus usque ad judicium breve est respectu æternitatis. *Tibi*, idest ad perditionem tui, ut te corpore et anima interficiam. Infra xxii : *Venio cito. Amen.* Vel de adventu per affectum inducendo ei mortem ; et tunc corpus moritur et anima mala damnatur. Secundo ex parte dignitatis collatæ. Et interim : *Movebo candelabrum*, idest Ecclesiam tibi commissam. *De loco suo*, scilicet de manu tui regiminis, quasi dicat : auferam tibi Ecclesiam et tradam alteri gubernandam. Vel movebo candelabrum, idest auferam virtutes et dona per quæ spirituale cujuslibet candelabrum constituitur, quo in se lucet et alios illuminat. *De loco suo*, idest de statu suo alto, claro et nobili ; quasi dicat : auferam tibi virtutes et dona ad quæ postea nunquam reverteris et non eris in loco tuo pristino ; sed locus tuus erit non altus, sed infimus, non clarus, sed tenebrosus, non nobilis, sed vilis. Jerem. iii : *Leva oculos tuos in directum et vide ubi nunc prostrata sis. Nisi pœnitentiam egeris*. Ecce quod sine pœnitentia non est salus peccatori. Luc. xiii : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis sicut et illi. Sed hoc habes*, consolatio est. *Facta Nicolaitarum*, idest eorum qui sequuntur Nicolai doctrinam in communione mulierum et in comestione idolothytorum. *Quæ et ego odi*, quia abominabilia, quia sunt facta immunditiæ quantum ad primum errorem et quæ dissipant pacem humanam et quæ sunt contra legem naturæ et institutionem divinam, qui, sicut legitur in Genesi, matrimonium instituit ut esset una unius in matrimonio ; et qui non est in matrimonio, actum illum non nisi damnabiliter exercere potest. Hoc enim ostendit Dominus in illa institutione matrimonii. Item sunt facta idololatriæ et injuriæ in Deum quantum ad secundum errorem. Eccles. xv : *Omne exsecramentum erroris odevit Deus, et non amabile timentibus illum.* Nicolaus fuit unus ex septem diaconibus, de quibus Act. vi. Et fuit ab Apostolis et aliis discipulis reprobatus, quia ad uxorem redibat ; unde indignatus prædicabat omnes mulieres communicandas, et comestionem idolothytorum. Interpretatur autem Nicolaus populus ; et significat Gentiles, Judæos et Hæreticos et falsos christianos qui stulte vivunt etsi recte credant. Eccles. i, *Et stultorum infinitus est numerus. Qui habet aurem.* Hic ponitur conclusio epistolæ quæ duo continet : scilicet excitationem intellectus et excitationem affectus *Vincenti*. Dicit igitur. Qui habet aurem, quasi hæc dicta sint particulariter Angelo Ephesi, sed etiam aliis universaliter dicuntur : unde qui habet aures interiores, scilicet intellectum promptum et multiplicem. *Audiat quid spiritus*, idest Deus Trinitas, Joan. iv, *Spiritus est Deus*, vel spiritus scilicet ex cujus dono est doctrina fidelium, *Dicat Ecclesiis*. Supra loquebatur particulariter, nunc Ecclesiis generaliter ; ut innuat doctrinam hanc non tantum particularem, sed etiam generalem : dicat scilicet præmissa, vel illud quod sequitur *Vincenti*. Marc. xiii, *Quod autem vobis dico omnibus dico. Vincenti.* Ut ad prædicta omnes accingantur, excitatur affectus per promissionem : quasi dicat : cur audiendum ? quia vincenti adversa, tentationes et vitia, et in hoc perseveranti, Rom. xii, *Noli vinci a malo, dabo*, gratis ; hoc fuit in sacramento Eucharistiæ. *Edere*, ad refectionem. *De ligno*, idest arbore *Vitæ*, quia esus hujus arboris vitam dat mundo. Hoc lignum vitæ est ipse Christus ; Joan. vi : *Qui manducat me et ipse vivet propter me.* Dicitur autem Christus lignum propter virtutem robo-

rantem. Isa. xl, *Qui dat lasso virtutem, et his qui non sunt fortitudinem et robur multiplicat.* Item propter umbram protegentem. Cant. ii. *Sub umbra illius.* Propter fructum reficientem, Matth. xi, *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Quod est in paradiso Dei mei*, idest in Ecclesia militante : quæ est in paradisus, quia Deus in ea suos amatores nutrit et reficit suavissimis refectionibus ; et hoc solum datur timentibus ipsum. Eccles. xi, *Timor Dei sicut paradisus benedictionis.* In hac paradiso quæ est hortus delitiarum multiplices arbores, idest electi et multi fructus meritorum inveniuntur, in quibus delectatur Dominus et cultor horti. Cant. iv, *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Intra quas autem arbores est in ea arbor sive lignum vitæ de quo hic dicitur, *Vincenti dabo edere.* Et bene in hac paradiso dicitur esse lignum: quia extra Ecclesiam non est salutare sacramentum, sicut nec salus ; Unde Gregorius. « Sola est Ecclesia per quam sacrificium laudis Dominus libenter accipiat : mercedem denarii non nisi qui intra vineam laboraverant acceperunt. » *Dei mei*, idest quam plantavit Pater meus : quem vocat Christus Deum suum inquantum homo, propter singularem amorem et plenam obedientiæ subjectionem. Joan. xx. *Deum meum et Deum vestrum.* Nota quod sacramentum Eucharistiæ est excelsum dignitate, quæ in eo vere est et vere sumitur ipse Christus verus Deus et homo. Et ideo non debet sumi nisi a dignis, qui scilicet triumphent de vitiis et sint sine macula culpæ mortalis ; et ideo dicitur Vincenti, scilicet vitia, ut sit mundus. Augustinus *super Joan.* : Panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare deportate. » I Corinth. xi, *Qui enim manducat et bibit indigne.* Gratuitum liberalitate. Ex magna enim gratia et liberalitate Dei est quod dat seipsum in cibum in hoc sacramento : unde dicit dabo. Ubi notatur gratia et liberalitas. Joan. vi, *Et panis quem ego dabo caro mea est.* Refectivum satietate : unde sequitur : *Edere.* Non promittit Deus cibum qui non satiat. Psalm. : *Edent pauperes et saturabuntur.* Joan. vi, *Caro mea vere est cibus.* Operativum causalitate. Operatur enim indigentiæ satietatem, vitam gratiæ in præsenti et gloriam in futuro. Unde dicitur de ligno vitæ, Joan. vi, *Panis verus est qui de cœlo descendit et dat vitam mundo.* Item oblectativum suavitate, quia suavissima dulcedine delectatur in ejus perceptione anima devota : quod signatur cum hoc lignum vitæ dicitur esse in paradiso Ecclesiæ militantis. Paradisus enim nomen est amœnitatis et delitiarum. In gremio vero Ecclesiæ viri spirituales multis deliciis spiritualibus oblectantur specialiter in hoc sacramento. Unde sequitur : *Quod est in paradiso Dei mei* : quod signatur, Sap. xvi, *Panem de cœlo paratum præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem.* Ambrosius in lib. v *de Sacramentis* : In hoc pane nulla est amaritudo, sed omnis suavitas. » Aliter possunt hæc verba intelligi pro statu patriæ. Vincenti vitia per fortitudinem mentis dabo edere in æterna fruitione, de ligno vitæ. Seipsum sic vocat, qui est arbor, unde vita æterna emanabit in bonos. Proverb. iii, *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Quod est in paradiso cœlesti, ubi est plenitudo beatorum Dei mei, quia Deus Pater illum paradisum instituit ad glorificationem sanctorum. Licet autem Filius omnia inquantum Deus indivisibiliter operetur, tamen Patri hoc attribuit inquantum est homo, ad honorandum ipsum Patrem. Nota quod in his verbis ostenditur justi meritum : Vincenti et præmium in patria dabo. Circa meritum victoriæ notatur quod laborandum nobis est ut vincamus omnia bella tentationum, quadruplici ratione sive motivo. Primum motivum est benivolentia adjutoris : quia Deus paratus est dare adjutorium ad vincendum, dum diligenter petatur orando. II Machab. x. *Benedicebant Dominum qui magna fecit in Israel et victoriam dedit illis.* Chysostomus : « Perseverante prece perseverans victoria roboratur. » Secundum gratia redemptoris qui pro nobis mori voluit. Gregorius : « Amore nostri Redemptor noster occubuit ; et nos amore ejus discamus vincere nosmetipsos. » Tertium declinatio damnationis. Infra eodem :

qui vicerit non lædetur a morte secunda. Quartum desiderium retributionis: unde dicitur hic: *Vincenti*: et beatus Maximus in quodam sermone: « Corona vero victoribus datur. » Circa primum notandum, quod ipsum est desiderabile et amabile propter multa. Propter sui magnitudinem, ex qua est quod proprie aliquibus meritis non potest emi, et si habeatur, datio est, non redditio. Unde dicitur: *Dabo*, gratis scilicet. Luc. xii, *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Rom. viii, *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*. Propter fruitionis satietatem: unde dicitur, *edere*. Iste esus erit fruitio plene satians. Isa. ult., *Servi mei comedent* etc. Psalm.: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Propter vitæ immortalitatem. *De ligno vitæ*. Sap. v, *Justi in perpetuum vivent*. Propter loci amœnitatem: unde sequitur: *Quod est in paradiso*. Nomen enim paradisi sonat amœnitatem: et locus ille pulcherrimus est et omni bono plenus. Beatus Bernardus *in suis meditationibus*: « Et quis non illic habitare vehementer desideret, et propter amœnitatem et propter Dei visionem? » Sed dubitari potest de hoc quod dictum est supra, *Movebo candelabrum tuum*. *Glossa*: « et auferam virtutes etc. » Contra: quia virtutes et dona amiserat, quia secundum *Glossam* supra, ceciderat a consortio fidelium. Item alias non comminaretur mortem corporis et animæ. Item non decet Dominum auferre dona gratiæ. Respondeo. Ad primum potest dici quod sicut charitas habita datur ut amplius habeatur, secundum Augustinum: sic ipsa charitas et aliæ virtutes et dona quandoque dicuntur auferri cum magis ac magis homo impœnitens elongatur ab eis: ita ut sit ad ea minus quam prius dispositus, et nunquam ad statum gratiæ revertatur. Et sic loquitur hic. Ad secundum dicendum, quod proprie loquendo, Deus nunquam aufert gratiam ab aliquo: sed dicitur auferre, negative non positive, scilicet quia non conservat gratiam ei qui prius habebat; vel non apponit ei qui non habebat; sed permittit magis ac magis elongari a statu gratiæ, ut dictum est: et hoc ultimo modo hic videtur accipiendum. Dubitatur etiam de hoc quod videtur: *Edere de ligno vitæ*. Cum enim ipse Christus se totum det in cibum, tum in sacramento Eucharistiæ, tum in statu patriæ, videtur quod convenientius dictum esset: *Vincenti dabo edere lignum vitæ*. Respondeo dicendum, quod dulcedo divina infinita est et ideo inexhauribilis, et ideo nullus totam potest sibi imbibere: sed quilibet sibi accipit quod potest: et ideo rectius dicitur de ligno quam lignum.

Et Angelo Smyrnæ. Secunda epistola est, et dividitur in Exordium, Narrationem: *Scio*; Conclusionem: *Qui habet aures*. Exordium introducit tres personas, ut supra. Smyrnæ, nomen Ecclesiæ, bene convenit admonitioni, quoniam excitat ad magnanimitatem sustinendi adversa. Smyrna enim interpretatur, quasi myrrha et canticum: et tam pastores quam subditi in tribulatione quæ est quasi myrrha, qua natura affligitur, et ex hoc conservans a putrefactione peccati, cantent Deo canticum interni gaudii. Ephes. v, *Cantantes et psallentes in cordibus vestris*. *Hæc*, hic describitur persona Christi. Primo, secundum divinitatem. Secundo, secundum humanitatem. Secundum divinitatem ostenditur creator, *Hæc dicit primus*, duratione et causalitate. Item glorificator, *Et novissimus*, quia causa finalis, et ideo remunerator. Isaiæ, xlviii, *Ego primus et ego novissimus*. Et ideo tenenda sunt quæ dicit. Secundum humanitatem vero tangitur ejus passio, quæ fuit pretium redemptionis. *Qui fuit mortuus*. Rom. v, *Christus secundum tempus pro impiis mortuus est*. Item resurrectio, quæ fuit ex respectu retributionis, *Et vivit*, II Corinth. ultimo. *Et crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*. *Scio*. Hic ponitur Narratio. Et primo ponit commendationem. Secundo admonitionem, *Nihil*. Tertio, promissionem. *Et dabo*. Commendat autem eum quantum ad tria. Quantum ad corporis tribulationem, contra concupiscentiam carnis: *scio*, idest accepto tribulationem tuam *propter patientiam*. Vel, Scio, idest cognosco ad liberandum te et remunerandum. Psal.:

Multæ tribulationes justorum. Secundo quantum ad rerum abdicationem, contra concupiscentiam oculorum : *Et paupertatem :* vel quia non curabat possidere ; vel quia pauperibus dispergebat. Matth. v, *Beati pauperes spiritu.* Seneca : « Scire uti paupertate, magna felicitas est. » Sed licet sis pauper rebus, tamen *Es dives* virtutibus et spe retributionis. Augustinus, in lib. vii *de Civitate Dei :* « Aliud sunt divitiæ, aliud pecuniæ. Nam dicimus divites sapientes, justos, bonos, quibus pecunia vel nulla vel parva est, magis enim sunt virtutibus divites ; Pauperes vero avaros semper inhiantes et egentes. » Vel Paupertatem, quam te credis habere in meritis ; contra miro modo agitur, ut unde mens dignior efficitur, inde sibimet indigna videatur. Tertio, quantum ad famæ depressionem ; contra superbiam vitæ. Unde sequitur, *Et blasphemaris,* idest diffamationem sustines, quod est pati blasphemiam. I Corinth. iv, *Blasphemamur et obsecramus*, *Ab his qui se dicunt*, mendaciter, *Judæos esse*, idest confitentes nomen et fidem catholicam et fratres de gremio Ecclesiæ, *Et non sunt.* Tit. ii, Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Sed sunt synagoga*, idest congregatio, *satanæ*, idest quam satanas sibi congregavit, vel subjecta satanæ. Satanas interpretatur adversarius. I Petri ultimo, *Adversarius vester diabolus.* Hoc autem gravius, cum quis ab eis qui se amicos dicunt persecutionem sustinet. *Nihil.* Hic ponitur admonitio. Et primo excitat ad sustinendi magnanimitatem. Secundo ostendit ejus necessitatem, *Ecce.* Tertio hortatur ad ipsius magnanimitatis soliditatem, *Esto fidelis.* Dicit igitur, *nihil.* Matth. x, *Nolite timere etc. Passurus es*, quia, *ecce*, quasi, certum sit tibi : et est demonstratio ad intellectum. *Missurus est diabolus*, quod interpretatur deorsum fluens, quia a nobili statu in ignobilem cecidit ; Isaiæ xiv ; *Quomodo cecidisti. Aliquos ex vobis in carcerem*, idest tribulationem, quæ quasi carcer est hominis tribulati. Missurus inquam, per membra sua suggerendo et procurando efficaciter, *Ut tentemini*, idest probemini. Sap. iii, *Tamquam aurum in fornace.* Vel, *Ut tentemini*, idest despectui habeamini diabolo et ejus membris, quod erit vobis tentatio ; quia fugit homo contemni, nisi adsit humilitas perfecta. *Et habebitis tribulationes diebus decem.* Divina sapientia non ultra sustinuit : hoc enim ad mysterium facit : per hoc enim signatur quod Dominus armis decalogi protegit in certamine vitæ præsentis ; vel quod debemus omni tempore contra vitia pugnare. Per septenarium enim signatur universitas temporis, per ternarium ternarius vitiorum, quæ sunt radices aliorum. I Joan. ii, *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Esto fidelis*, in sustinendo viriliter omne adversum. Tali dicetur Matth. xxv, *Euge serve bone et fidelis, Usque ad mortem.* Bernardus : « Quid prodest currere et ante cursus metam deficere ? » *Et dabo tibi*, si sic feceris. Joan. x, *Et ego vitam æternam do eis*, *Coronam vitæ.* Corona tria importat : quietis tranquillitatem, quia corona dat præmium post certamen. Jac. i, *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Item bonorum plenitudinem, quia corona habet perfectam figuram omnibus aliis perfectiorem, scilicet circularem. Psal. *Replebitur in bonis desiderium tuum.* Item honoris sublimitatem, quia corona est dignitatis et honoris insigne. Psal. : *Gloria et honore coronasti eum Domine.* Vitæ, scilicet immortalis ; quia hoc nomen : Vitæ cum pondere est accipiendum. I Joan. ii, Et hæc est repromissio quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. Patent jam quinque de præmio. Liberalitas, tranquillitas, copiositas, dignitas, immortalitas. *Qui habet.* Hæc conclusio ponitur ad excitandum. Et primo fit excitatio intellectus. *Qui habet aures*, scilicet intellectum promptum et aptum ad discernendum, *audiat*, idest intelligat cum effectu, *Quid spiritus dicat Ecclesiis*, scilicet præmissa. Secundo, affectus. *Qui vicerit*, adversa et vitia, *Non lædetur a morte secunda.* Prima animæ mors est in peccatis, secunda in pœnis gehennalibus. Infra xx, *In his secunda mors non habet potestatem.* Sed circa illud quod dicitur supra, *Et blasphemaris*, quæritur sicut quærebat Gregorius : Utrum sem-

per sunt dissimulanda, verba diffamantium sive detrahentium: an aliquando sunt compescenda. Quod semper sint dissimulanda, videtur per Chrysostomum dicentem: « Si vindicare vis, sile: et sic mortalem dedisti plagam. » Contra: quia illa detractio potest dare scandalum audientibus. Respondeo. Notandum, quantum ad eum cui derogatur sive detrahitur, melius est dissimulare, propter meritum patientiæ: si tamen sit talis cujus vita sit aliis in imitationis exemplum, tunc tenetur propter utilitatem audientium, qui ex auditis scandalizari et accipere occasionem mali, et ab audienda ejus doctrina retrahi possunt, opportuno tempore et loco verba obloquentium prudenter et mature compescere: si tamen sit persona ad hæc idonea, habens discretionem et maturitatem ac efficaciam verbi: quod si tunc noluerit corrigi, sustineant æquanimiter per omnia. Unde Gregorius: « Linguas detrahentium debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat: aliquando autem etiam compescere. Hi enim quorum vita in exemplo imitationis posita est, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere: ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, et in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant. Cum vero linguæ derogantium corrigi nequeunt, æquanimiter sunt per omnia toleranda. » Ex his verbis Gregorii patet quod verba obloquentium nec semper sunt dissimulanda, nec semper compescenda, sed quandoque dissimulanda propter meritum proprium: quandoque, cum fieri discrete potest, compescenda, propter commodum aliorum, ut dictum est. Ad illud Chrysostomi dicendum quod pro tempore silendum est, ut visum est. Concedendum etiam, quod quantum ad illum contra quem fit obloquutio, melius est silere, ut supra dictum est, si tamen patientiam tolerare novit: licet aliter quandoque propter alios expediat. Præterea Chrysostomus loquitur de silendo a verbis inordinatis, et illud semper habendum est. Unde post præmissa verba subdidit: « Si vero convitium convitio copulas, ignem accendis. » Ad oppositum patet, quia pro tempore est loquendum.

Deinde objicitur de hoc quod dicitur, *Ut tentemini*. *Glossa*, ut probemini: quia non ad hoc procurat diabolus tribulationem justorum ut probentur, sed ut dejiciantur. Item si justus probatur in adversis, quæritur, cui? aut Deo, aut sibi. Deo non, quia omnia novit: si sibi, ergo damnose: cum consideratio propriæ infirmitatis sit occasio pusillanimitatis: unde multi solent dicere: Non possem illud sustinere. Respondeo. Ad primum dicendum, quod vel tenetur consequutive hæc dictio Ut, quasi dicat, ex illa tribulatione sequetur probatio vestra: sicut accipitur Matth. I, *Hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est*. Vel si accipiatur causaliter, ut dicat habitudinem causæ finalis; non notatur intentio probationis justorum ex parte diaboli, sed ex parte Dei permittentis. Ideo enim justos tribulari permittit, ut probentur. Psal.: *Quoniam probasti nos Deus etc.* Ad aliud, dicendum, quod justus per adversa probatur, et notus fit, non Deo, sed sibi, ut infirmitatem vel virtutem suam cognoscat, inde proficiat in bono: et etiam aliis ut ædificentur per ejus exemplum, et iterum glorificent Deum. Unde super illud Psal.: *Proba me Deus etc.* *Glossa*: « Indica me probatum, non tibi, quia omnia novisti: sed mihi et hominibus. » Ad illud quod objicitur de pusillanimitate, dicendum, quod hoc est ex culpa hominis, qui probatur: quantum enim est de intentione Dei probantis, cognitio propriæ infirmitatis habita per experimentum tribulationis, introducit humilitatem, et excitat ad divini adjutorii petitionem. Præterea, etsi illud quod objicitur sit verum in quibusdam, non habet tamen locum in multis, qui se infirmos videntes, currunt ad firmitatem divinam. II Corinth. XII, *Nam virtus in infirmitate perficitur*. Tertio quæritur, quare permittit Deus hominem tentari? Multis enim est tentatio causa lapsus et damnationis: ergo non decet Deum hoc permittere. Contra similiter. II Corinth. XI, dicit *Glossa*: « Tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis: sed decet Deum permittere quicquid homini est utile. » Respondeo. Dicendum, quod rectissime Deus permit-

tat hominem tentari : et hoc multiplici ratione. Una ratio est, introductio humilitatis, ex sui cognitione : quia cum videt se per se non posse resistere, humiliat seipsum in conspectu Dei. Cognoscit etiam per tentationem, utrum sit fortis an debilis; et ex utroque habet causam humilitatis. Unde Gregorius ; « Esse se magnarum virtutum homo crederet, si nullum virium defectum sentiret : sed dum tentatione irruente quatitur, contra insidias munimen humilitatis ostenditur. » Secunda excitatio devotionis in ferventi oratione, quia tunc cognoscitur homo currere ad liberatorem ; tentatio enim augetur et vincitur nisi Deus subveniat. Unde Gregorius, IX lib. *Moralium* : « Cum se homo nil esse considerat, discit proculdubio cujus adjutorium requirat. » Augmentum meriti in vincenda tentatione. Unde Isidorus in III *lib. de Summo bono :* « Non amplius tentat electos diabolus, quam permittat Dei voluntas : tentando autem profectus sanctorum fuit. » Supra eodem, *Vincenti dabo edere.* Prævenitio peccati ex fomitis inclinatione. Post justificationem enim peccatoris remanet multiplex sequela peccati : et hoc habet præcipue locum in eis qui inde processerunt multum in austera et ferventi pœnitentia, quæ multum illas sequelas attenuat. Unde Gregorius IX *Moralium* : « Sæpe hoc quod fletu interveniente deletum est, ad animum redit ; et devicta culpa in antiquo certamine rediviva pulsatione reparatur. » Quinta ratio est vigilantia cautelæ in virtutis conservatione. Unde Gregorius : « Tentatus non solum a quo vires accipiat discit ; sed quanta eas vigilantia servet intelligit. Sæpe enim quem tentationis certamen superare non valuit, sua dexterius securitas stravit. Mater enim negligentiæ solet esse securitas. » Sexta, provocatio sollicitudinis in virtutis exercitatione. Unde Isidorus in lib. III de *Summo bono :* « Utile est servo Dei post conversionem tentari, quatenus a torpore negligentiæ, sollicitantibus vitiis ad virtutes animum præparet. » Septima, accensio caritatis ex obtenta miseratione ; scilicet cum homo percipit robur gratiæ contra tentationes sibi dari. Psal. : *Diligam te Domine fortitudo mea.* Bernardus in lib. *de diligendo Deo.* « Si frequens ingruerit tribulatio, et frequens ad Deum conversio fiat, ut a Deo frequens liberatio consequatur. Nonne etsi fuerit ferreum pectus, emolliri necesse est ad gratiam liberantis? quatenus homo Deum diligat, non propter se tantum, sed propter ipsum. » Octava, documentum compassionis ex comperta afflictione ; sicut Dominus permisit Petrum non tantum de negatione tentari, sed etiam labi, secundum Gregorium. Unde loquens beatus Gregorius de illa negatione de qua tentatus, et in quam lapsus beatus Petrus, dicit sic : « Prius omnipotens Deus eum sibi ostendit, et tunc ceteris præposuit ; ut ex infirmitate sua cognosceret, quam misericorditer aliena infirma toleraret. » Ad illud quod objicitur dicendum. Licet aliquibus sit tentatio occasio peccati et damnationis ; tamen non dedecet Deum permittere homines tentari ; quia et si illud quantum ad reprobos verum sit, tamen electis finaliter tentationes cooperantur in bonum. Præterea hoc ex culpa illorum est ; quia si ad Deum accederent, adjutorium susciperent ; quia fidelis Deus qui non patietur etc.

Et Angelo Pergami. Hic fit admonitio ad severitatem quæ est per zelum in expellendo hæreticos male credentes et male operantes. Dividitur autem hæc tertia Epistola in Exordium, Narrationem, *Scio ;* Conclusionem, *Qui habet.* Dicit igitur, *Et Angelo Pergami.* Bene nomen convenit admonitioni. Interpretatur enim divisio cornuum, idest separatio hæreticorum, suam sectam defendentium. Psal. : *Omnia cornua peccatorum confringam.* Quare? quia, *romphæam*, idest gladium, idest potestatem judiciariam qua perimantur impii (Deuter. XXXII, *Gladius meus devorabit carnes*) et dividantur a piis. Matth. XXV, *Discedite maledicti in ignem æternum. Ex utraque,* quia virtuose perimet corpore et anima. Psal. : *Disperdet illos.* Et ideo servanda sunt quæ præcipit. Job. XIX, *Fugite a facie gladii etc.* Vel romphæam, Scripturam secundum Haymonem : « quia sicut gladius carnem dividit et separat membrum a membro ; sic gladius verbi dividit

hominis a malo. Matth. x: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Item animam a carne. Ephes. ultimo: *Et gladium spiritus quod est verbum Dei. Ex utraque*: quia virtutem habet ad instruendum simplices per litteram, perfectos per allegoriam. Supra, primo: *Et ex ore ejus gladius etc.* Vel, quia hinc acuuntur subtili expositione auctoritatum, inde subtili efficacia rationum: vel secundum Haymonem, quia truncat vitia mentis et corporis. *Scio.* Hic Narratio. Et primo ponit Commendationem; Secundo, Arguitionem: *Sed habeo.* Tertio, Admonitionem: *Similiter age.* Quarto, Comminationem: *Si quo minus.* Circa primum primo ostendit eum vivere in societate pravorum. Secundo commendat eum quantum ad defendendæ fidei zelum. *Et tenes.* Tertio, quantum ad constantiam in pressura tribulationum, *Et non negasti.* Quarto commendat quemdam martyrem in imitationis exemplum, *Et in diebus.* Dicit igitur, *Scio*, idest novi hoc ad remunerandum te, *Ubi habitas*, conversando et cohabitando, scilicet ibi, *Ubi est sedes satanæ*, quasi dicat, tu habitas inter eos in quibus diabolus sedet tanquam dominans in eis: et per hoc magis ostenditur commendabilis, qui inter malos constantiam servat. Job. xxx, *Frater fui draconum.* Nota quod diabolus sedet in omnibus injustis generaliter, specialiter autem in hypocritis simulantibus sanctitatem. Isaiæ. xiv, *Sedebo in monte testamenti.* Item in verecundis abscondentibus iniquitatem. Isaiæ. x, *Gabaa sedes nostra.* Gabaa interpretatur vallis quæ occulta est. Item in relapsis resumentibus prædimissam consuetudinem. Judicum ix, *Reversi sunt in suas sedes.* Hoc potest dici de dæmonibus revertentibus in illos, qui ante fuerant justificati. Matth. xii, *Revertar in domum meam unde exivi. Et tenes nomen meum.* « Haymon: « Nomen Christianitatis integra fide colitur etiam in tempore tribulationis. » Vel, *Tenes* defendendo contra hæreticos, *Et non negasti fidem meam*, in aliqua tribulatione. I Corinth. ultimo: *Vigilate et state in fide, viriliter agite et confortamini, omnia vestra in caritate fiant. Et in diebus illis*, quibus non negasti fidem meam, *Fuit Antiphas.* Iste fuit quidam martyr multum justus, qui occisus est in Ecclesia Pergami, quem ponit illis in exemplum. Interpretatur autem Antiphas, dantis transitio: quia vir justus se totum dat Deo, et per contemptum mundanorum transit ad æterna, Psal.: *Transibo in locum etc. Testis meus fidelis.* Martyr enim fuit fidelis suo Domino. Martyr autem interpretatur testis. Isaiæ XLIII, *Vos testes mei. Qui occisus est apud vos*: non quia illi occiderint ipsum: sed quia inter illos occisus fuit a malis. Unde sensus est, *Apud vos*, idest ab aliquibus qui sunt inter vos, *ubi*, idest in quibus ejus occisoribus, *Habitat satanas*, per dominationem in ipsos, quod probat illa occisio: quasi dicat, ipsum tenete in exemplum. *Sed habeo.* Hic ponit arguitionem, quia sustinebat eos qui male credebant et male agebant sequentes et servantes doctrinam Nicolaitarum: quos vocat servatores Balaam doctrinæ, propter conformitatem. Sicut enim Balaam docuit Balæ, quomodo deciperet filios Israel, faciendo eos fornicari cum mulieribus, et procurando quod comederent de sacrificiis immolatis idolis: sic Nicolaus et Nicolaitæ prædicabant fornicari indifferenter cum mulieribus ac vesci idolothytis. Hoc est quod dicitur: Sed habeo adversum te pauca, si corrigaris, sin autem, multa. Vel, *Pauca*, non tamen parva, *Quia habes illic*, scilicet in Ecclesia Pergami, *tenentes*, idest servantes per malam credulitatem et operationem, *Doctrinam Balaam*, idest doctrinam Nicolai et Nicolaitarum, qui similem habent doctrinam, *Qui docebat Balac.* Sicut Balaam fuit pseudopropheta, unde et vocatur hariolus, Numer. XXII, licet prophetaverit multa vera, Numer. XXIV, *Orietur stella ex Jacob*, quia Deus per malos aliquando futura prædicit: Matth. VII, *Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus etc.*: Ita Balac fuit iniquus rex Moabitarum, qui Balaam vocavit ad se, ut malediceret populo Dei: non autem permisit hoc Dominus, sed spiritus Dei tangebat intellectum ejus et prophetabat multa bona quæ futura erant in Israel. Cum autem hoc videret Balaam, docuit Balac quomodo faceret populum Dei cum mulieribus fornicari et idolothyta come-

dere : hoc est quod dicit. *Qui docebat Balac mittere scandalum*, idest occasionem ruendi in offensam divinam, ut Deus non esset eis benivolus, et ita fornicari possent. Exponit autem scandalum, subdens : *Edere et fornicari*, Docuit enim illum quod per mulieres provocarent filios Israel ad libidinem et esum idolothytorum. Numer. xxvi, *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua, et illi comederunt et adoraverunt deos earum. Item* Numer. xxxi, *Ait Moyses ; Cur feminas reservatis? Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestiones Balaam, et prævaricare vos fecerunt in Domino? unde et percussus est populus.* Ita hæc consuetudo referenda est ad documentum Balaam et doctrinam Nicolaitarum, quam quidam tenebant : quasi dicat : Sicut Balaam illa docuit, ita quidam sunt qui tenent consimilem doctrinam Nicolaitarum ; quos tu pateris, nec expellis. Quidam tamen aliter exponunt : quasi dicat : sic ut habes quosdam tenentes doctrinam Balaam, sic etiam Nicolai sectatores. Sed de eisdem videtur *Glossa* exponere quæ dicit, ideo repetit de Nicolaitis : unde videtur dicere quod tenentes doctrinam Balaam non sint alii quam tenentes doctrinam Nicolai et Nicolaitarum. *Ita habes*, idest et ita etiam sicut quidam alii, tu qui pati erroneos non deberes, *tenentes*, per carnalitatem et observantiam : vel *tenentes*, idest defendentes contra eos qui eam impugnant *doctrinam*. Sapient. xiv : *Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas ejus, Balaam.* quod interpretatur vanus populus, aut præcipitans eos. Notat *Glossa* : Balac interpretatur elidens, per quem signantur principes mali, qui elidunt justos corpore et anima, vel blanditiis vel flagellis. » Isaiæ iii : *Quare attrahitis populum meum? Similiter.* Sicut ipsi male agunt : hic Simile est in contrario. Luc. xvi : *Recepisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala.* Similiter, sicut peccasti. Vel Similiter, idest simul cum illis, tu de negligentia, isti de culpa. Vel *Similiter*, sicut episcopus Ephesi, Luc. xiii, *Si pœnitentiam non habueritis etc. Si quo minus*, hic ponit comminationem. Et primo comminatur Dominus illi episcopo, si non pœniteat. Secundo præmissis erroneis quo tolerabat. *Et pugnabo.* Dicit igitur, *Si quo*, idest si in aliquo, *minus*. Feceris quam debes, *Veniam tibi*, idest contra te qui non corrigis : quasi dicat : in adventu meo ad judicium sentire te faciam iram meam et vindictam, *cito*, propter hujus vitæ brevitatem hoc dicit : supra : *Tempus enim prope est.* Vel potest ille adventus intelligi per effectum, scilicet per separationem animæ a corpore : quasi dicat ! *Auferam te de medio cito nisi pœnitentiam egeris.* Luc. xii : *Veniet dominus servi illius in die qua non sperat et hora qua nescit. Et pugnabo cum illis*, idest convincam eos qui malam doctrinam sequuntur vel defendunt, graviter offendisse. *In gladio oris mei.* Idest in sententia quam proferam. *Ite maledicti etc.* Matth. xxiii, quando dividet eos a bonis et perimet morte perditionis. Hunc gladium modo fugere possumus. Job. xix : *Fugite a facie gladii. Qui habet*, expone ut supra. *Vincenti.* Hic primo promittit gloriam animæ. Secundo corporis. *Et dabo illi.* Dicit igitur ; *Vincenti*, propria desideria et dæmonum tentamenta, « Dabo » gratis. *Manna*, idest dulcedinem gloriæ in fruitione æterna, quia Manna dulcissimum erat. De hoc beatus Bernardus in libro *Meditationum* suarum : « Quicquid desideramus, totum habebimus nihil desiderantes amplius, beati dulcedine amoris et suavitate contemplationis. » *Absconditum*, peregrinantibus, ut magis desiderent : et quia non decet hoc manna mortalibus et exulibus dari ; sicut et *filii Israel quærebant, Manhu, quod interpretatur, Quid est hoc?* I Cor. xi : *Oculus non vidit etc. Et dabo illi calculum candidum*, idest corpus glorificatum. Calculus, idest lapis pretiosus, scilicet carbunculus, qui in tenebris fulget, sicut carbo succensus. Unde alia littera habet, margaritas. Est autem lapis ille solidus sive durissimus, candidus, lucidus et rotundus. Per hoc intelliguntur quatuor dotes corporis glorificati. Per soliditatem intelligitur impassibilitas. I Cor. xv : *Seminatur in corruptione surget in incorruptione.* Per candorem, claritas. Matth. xiii : *Fulgebunt justi sicut sol* Per rotun-

tilitatem, ex qua est volubilitas, signatur agilitas. Sapient. III : *Et tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Augustinus, ultimo *de Civitate Dei* : « Ubicumque spiritus volet, ibi erit protinus corpus. » Per lucidissimum, subtilitas : quia lux subtilitatem habet in penetrando, ut patet cum penetrat vitrum. Unde sicut quantum ad omnia corpus glorificatum habebit subtilitatem et virtutem penetrandi alia corpora non glorificata. I Cor. XV : *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Joan. XX : *Venit Jesus januis clausis etc.* Et in calculo, sicut in corpore glorioso, *Erit nomen novum scriptum.* Vel dabo illi nomen etc. Hoc nomen novum potest intelligi immortalitas, ita quod intelligatur immortalitas plena quæ excludit omnem concupiscentiam, quia deposita vetustate qua caro concupiscit adversus spiritum, omnimodæ obedientiæ novitate movebitur ad nutum spiritus. Item excludet omnem tentationis pugnam, undecumque nunc veniat. Item omnem passibilitatem, omnem pœnalitatem, et mortalitatem, et mortem, et quidquid mali modo potest inesse ; et ponet contraria his, tranquillitatem, jucunditatem, impassibilitatem, impossibilitatem moriendi, gloriosam claritatem, et alias dotes, et sanitatem et alia multa bona. Dicitur autem Nomen, ratione manifesti honoris, in quo nihil erit vetustum vel offuscatum, sed totum erit novum, pulchrum, venerabile. *Scriptum* autem dicitur, quia honor immortalitatis firmiter et indelebiliter semper erit in corporibus glorificatis. *Quod nemo scit*, plene. *Nisi qui accipit*, illud nomen : quia quid sit immortalitas gloriæ, nullus plene scit, nisi qui eam scit in se per experientiam. Et ideo ad tantum bonum desideranter currendum est. I Cor. IX : *Sic currite ut comprehendatis etc.* Objicitur contra hoc quod dicitur : *Nemo scit* ; quia dicitur I Joan. III : *Scimus quod cum apparuerit similes illi erimus.* Respondeo. Est scientia fidei, contemplationis, et apertæ visionis. Aut ergo loquitur de scientia fidei, quæ non est plena scientia ; aut de scientia quam inde habebat per experientiam gustus in contemplando cœlestia ; et hoc non est in plena scientia, sicut erit in ipsa experientia patriæ. Non autem loquitur de illa scientia de qua hic agitur quam habebunt solum sancti in patria per experientiam æternam illius nominis præmissi. Aliter possunt hæc verba intelligi secundum *Glossam*, ut prima promissio sit de dulcedine gloriæ in patria. *Vincenti* : Secunda de virtute gratiæ in via specialiter quantum ad corpus. Dicit igitur, *Vincenti dabo manna*, scilicet meipsum. Christus dicitur *Manna* secundum divinitatem, quia dulcissimus est ineffabiliter. Unde Augustinus IX libro *Confessionum*. « Tu summa suavitas omni suavitate dulcior, sed non carni et sanguini. » *Absconditum*, in assumpta humanitate. Isaiæ XLV : *Vere tu es Deus absconditus.* Vel *absconditum*, quia mortales in via non plene gustant hoc manna. *Et dabo illi*, interim ; *Calculum*, idest corpus humanum ; *Candidum*, spirituali decore. *Lucidum*, ædificatoria conversatione. *Rotundum*, vitæ perfectione, quia figura circularis est perfecta ; *Solidum* in vincenda tentatione. *Et in calculo nomen novum*, scilicet Christianus, quod est nomen novitatis, nil vetustatis insinuans, vel docens. Cum enim Christianus dicatur a Christo, debet in se novitatem Christi repræsentare ; ita ut ejus vita sit vita non vetustatis, sed acceptibilis novitatis. Ephes. III : *Renovamini spiritu mentis vestræ et induimini novum hominem etc.* Scriptum, idest manifeste et firmiter apparens ; quia Christianus debet sic vivere, ut in ejus corpore per rectitudinem actuum et sustinentiam passionum, magnificetur Deus ; et manifestum sit ipsum esse vere Christianum, non tantum nomine, sed et virtute et vita et sanctitate. I Petri IV : *Glorificet autem Deum in isto nomine*, *Quod* id est Nominis vim, scilicet quia impertit divinam Filiationem, familiaritatem, famulandi sedulitatem, unde ad magna invitat. *Nemo scit*, scientia recta et digna ; quia debet esse non solum speculativa, sed et practica ; quia hoc exigit dignitas nominis. *Nisi qui accipit*, ipsum nomen, idest rem nominis, quæ a Deo datur, per quam sciat ipsius vim nominis. Res nominis est, ut qui Christianus vocatur studeat esse imitator Christi. I Joan. II : *Qui*

dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.

Et Angelo Thyatiræ etc. Hic ponitur quarta epistola in qua fit admonitio ad severitatem in expellendo erroneos male docentes. Admonitio autem hic fit, non directe, sed indirecte per arguitionem admonitoriam, Congruit nomen. Thyatira enim interpretatur illuminata vel vivens hostia : quia curare debet pastor, quod subditæ oves sint illuminatæ in fide, et vivens hostia in sanctis moribus. Dividitur autem in Exordium ; Narrationem, *novi;* et Conclusionem ; *Qui vicerit.* Exordium tangit tres personas ut supra. *Hæc dicit Filius Dei.* Hic tum ad redundantiam donorum. *Qui habet oculos,* idest dona Spiritus sancti, quæ animam oculatam et providam reddunt. *Tamquam flammam ignis.* Propter dignitatem et meritum donorum in ipso, datur nobis, si ei adhæreamus, illuminatio clarificans, et charitas inflammans. Joan. I : *Et de plenitudine ejus, nos omnes accepimus.* Vel potest exponi de viris spiritualibus, sicut supra primo expositum est, vel de sacris eloquiis. Item quantum ad sustinentiam adversorum, *Et pedes*, ut supra, primo, expositum fuit, ubi utrumque habetur : *Oculi ejus velut flamma ignis, et pedes ejus etc.* Potest etiam intelligi de fidelibus prædicatoribus, qui portant eum per mundum et multa sustinent propter ipsum, vel de ultimis fidelibus. *Novi.* Hic ponitur narratio. Et primo commendationem, secundo arguitionem.*Sed habeo.* Tertio comminationem quantum ad malos, *Ecce mitto.* Quarto consolationem, quantum ad bonos. *Vobis autem dico.* Commendat autem ipsum multipliciter. Primo ab operum rectitudine. Secundo a sana fide, *Et fidem.* Tertio a vera caritate, *Et caritatem.* Quarto ab efficaci pietate, *Et ministerium.* Quinto a patientiæ soliditate, *Et patientiam.* Sexto a proficiendi sedulitate, *et opera tua.* Dicit igitur. *Novi,* idest approbo. *Opera tua,*quia recta. Beatus cujus vita est Deo grata. Psalm. *Novit Dominus viam justorum. Et fidem,* quia sana x Hebr. : *Sine fide impossibile est etc. Et caritatem,* quia vera Roman. XII : *Dilectio sine simulatione.* Sine ea non est salus. I Cor. XIII : *Si linguis hominum loquar et Angelorum. Glossa.* Ex fide est caritas ; ex caritate, bona opera. Sed quare non ponit textus ordinem rectum ? Item dicit *Glossa* quod ex fide charitas. Contra, quia virtutes infunduntur simul : ergo una virtus non est ex alia. Respondeo. Ad primum potest dici quod est duplex ordo : scilicet in essendo, qui tangitur in *Glossa.* Item ordo in cognoscendo, quem attendit textus ; quia prius opera cognoscimus ; deinde virtutes. Matth. VII : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Item virtus habet se ad opera dupliciter : vel inquantum movens ad opera, et sic se habet quodammodo ut causa efficiens, et sic virtus prius est, ad minus ordine naturæ, et in multis ordine temporis : et sic loquitur *Glossa*, ut patet. Vel inquantum informans ipsa ; et sic se habet et forma, et opus est materiale : et in hac consideratione prius est secundum naturalem intelligentiam opus quam virtus, inquantum informans, licet non ordine temporis : sicut materiale prius intelligitur inquantum habitus, quam formale. Fides autem et caritas ponuntur ordine suo plano. Ad aliud dicendum quod de virtute est loqui dupliciter : aut secundum habitum, et sic non est virtus ex virtute, quia omnes simul virtutes gratuite infunduntur quantum ad habitum ; vel secundum actum : et sic est virtus fidei ex charitate, quia cognitio Dei ordinat ad amorem ejus. *Et ministerium. Glossa,* in eleemosynis. Ministrabat enim sanctis pauperibus. II Cor. IX : Ministerium enim hujus officii non solum supplet ea quæ desunt sanctis. *Et patientiam,* I Thess. V : *Patientes estote ad omnes. Et opera tua :* quasi dicat : opera bona sedulo proficiendo multiplicasti. Coloss. I : *In opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei. Sed habeo.* Hic arguit, quia quosdam pseudo prophetas non viriliter expellebat, vel excommunicando vel amovendo : quos designat per Jezabel quæ fuit femina pessima. Primo tangitur ejus negligentia, *Quia permittis,* non excommunicando, vel non puniendo. Aliter. Oportet enim pastorem vigilare circa oves custodiendas a lupo, II Timoth. IV : *Tu vero vigila etc.* Secundo hæreticorum nequitia, *mulie-*

rem, Deo subditus primo sub figura et imperio. Mulierem Jezabel, idest haereticam comparatione illius personae idololatrae quae fuit uxor Achab regis Israel, quae fuit interfectrix prophetarum Dei III Reg. xviii. Et Eliam voluit interficere, III Reg. xix. Naboth etiam interfecit. Ibid. et post comederunt canes corpus ejus viliter projectum in agro Israel, cum ad praeceptum Jehu regis Israel mortuo Achab fuisset praecipitata de fenestra, ungulis equorum conculcata et mortua in similitudinem malitiae, IV Reg. ix. Unde per hanc signantur perversi haeretici qui fideles persequuntur mente et corpore, et quandoque interficiunt et procurant interfici. Possunt etiam per Jezabel intelligi aliqua mulier uxor illius episcopi perversa et erronea, et per illam etiam intelliguntur haeretici. Tamen primam interpretationem pertractat Beatus Gregorius; unde dicit: Thyatirae Ecclesiam a Jezabel mollitia et tempora et loca dividebant; sed quia eam per vile residuum commaculaverat, inesse Jezabel dicitur atque perversis operibus tenebras. Mulierem, quia molles sunt et proni ad malum. Item quia malos filios, scilicet suos sequaces, sibi generant. Secundo aperte et explicite, *Quae se dicit*: et hoc quantum ad tria. Primo quantum ad boni simulationem, *Quae se dicit esse prophetissam*, idest prophetissam. Quidam enim haeretici dicunt se loqui per Spiritum sanctum et per revelationem, et dicunt vel simulant se habere sanctam vitam: *sic transfigurantes se in Angelum lucis*, sicut diabolus, II Corinth. xi. Deinde quantum ad mali seminationem, *docere*: quasi dicat: permittis iniquam, docere praedicando vel persuadendo. *Et seducere*, per suam doctrinam, ... *Servos meos*, qui non debent nisi mihi servire, non diabolo vel errori vel aliis peccatis. Deuteronom. x, *Dominum Deum tuum timebis et ipsi soli servies*. Exponit autem quid doceant multi haeretici: *fornicari*, permittis eamquam, docere fornicari cum mulieribus, vel cum daemonibus per errorem, vel ad peccatum mortale, *Manducare de idolothytis*, idest de sacrificiis immolatis idolis: ad hoc faciunt per venerari idola. Contra, I Corinth. viii, *De escis quae idolis immolantur scimus quia idolum nihil est in mundo*, ergo non est offensa comedere tales escas. Respondeo: Aut idolothytum manducatur cum veneratione idoli aut non: si sic, grave peccatum est, et sic loquitur hic. Aut non: et tunc aut comedit cum scandalo christiani infirmi qui videt hunc comedentem hujusmodi et credit eum comedere cum veneratione idoli; et ideo comedit illo modo: et tunc peccat si noverat illum spiritualiter infirmum esse in hujusmodi; nisi tamen necessitas maxima corporalis compelleret: et tunc fideli infirmo debet ostendere suam intentionem. I Corinth. viii, *Si quis viderit eum qui habet scientiam etc.* Aut non cum scandalo: et tunc comedere hujusmodi non est peccatum quantum est de se, nisi aliud sit annexum, sicut ostendit Apostolus I Corinth. ix. Per hoc patet ad illud quod objicitur. **Tertio quantum ad mentis obstinationem.** ***Et dedi illi tempus ut poenitentiam ageret.*** Ecce quod magnum est quando tempus datur a Deo ad merendum vel ad agendum poenitentiam. Et ideo gravis offensa in dissimulando et negligendo. Job xxiv, *Dedit ei Dominus locum poenitentiae, et ille abutitur eo in superbiam*. *A fornicatione*, scilicet corporali, quia ad litteram multi haeretici fingentes se castos sunt libidinosi. Vel spirituali. Nota *Glossam*: *ecce*. Hic ponitur comminatio, quantum ad malos de poena ex qua cognoscent, quod Dominus cognoscit et malas cogitationes et concupiscentias: **et illa poena erit justa, quia propter demerita. Unde hic tria tanguntur: scilicet poena, sequela *Et scient*:** justitia, *Et dabo*. Poena autem quam **comminatur malis triplex est. Prima est** permissio securitatis culpabilis. Secunda inductio angustiae temporalis. ***Et qui moechantur*. Tertia mors acerbitatis gehennalis.** ***Et filios ejus*.** Dicit ergo, **ecce**: quasi dicat: in promptu est, *Mitto eam in lectum*, idest illos haereticos, imitatores Jezabel, amplius permittam excaecari et **obstinari, ut in securitate peccandi quasi in lecto dormiant. Infra ult. *Et qui in sordibus est sordescat adhuc*.** Vel in luctum, **doloris aeterni: unde alia littera** est, in luctum. Isa. i, *In doloribus dor-*

mictis. Sed dubitatio est, quare non comminatur huic episcopo sicut præcedenti, cum in utroque esset culpa negligentiæ? Item de prima expositione secundum *Glossam,* quia non est congruum divinæ bonitati excœcare, nec mittere in securitatem peccandi, quia sic esset causa culpæ. Respondeo, Ad primum videtur dicendum, quod licet non esset plene diligens et severus contra hæreticos, tamen non sic erat culpabilis ex negligentia, sicut episcopus Pergami : quod videtur ex hoc quod illi comminatur non isti directe. Ad aliud dicendum, quod verborum quæ dicuntur de Deo quædam dicuntur positive, ut creare, justificare et hujusmodi : quædam negative, ut obdurare, idest non emollire, subtrahere gratiam idest non conservare ; et sic in proposito. Excœcare enim dicitur Deus, non quia auferat lumen gratiæ proprie, sed non conservat : vel quia non dat et permittit hominem magis elongari a lumine. Et hoc ultimo modo dicitur hic excœcare. Sequitur, *Mitto in lectum*, idest permitto vel permittam cadere in lectum securitatis. *Et qui mœchantur cum ea*, idest qui delectantur esse in errore cum hæreticis imitantibus Jezabel, et cum eis procurare quomodo alios faciant hæreticos. Nota *Glossam. Fornicare etc. In tribulatione maxima erunt*, per quam pejores fiant, quia perversi pejorantur in adversis, in quibus justi purgantur vel promoventur. Vel tribulatione maxima, scilicet gehennæ. Tribulatio magna est in dissolutione animæ et corporis. Major in anima posita in inferno. Maxima in anima et corpore in inferno. Rom. II, *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.* Temperat autem per misericordiam subdens, *Nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint.* Rom. II, *Secundum duritiam tuam et impœnitens cor etc. Et filios ejus*, idest sequaces quos diabolo hæretici genuerunt per doctrinam erroris, *Interficiam in morte,* scilicet æterna, Oseæ IX, *Ephraim educet ad interfectorem filios suos. Et scient*, in futuro, quod modo per fidem, cum pœnam malorum viderint. *Omnes Ecclesiæ*, justorum scilicet *Quia ego sum scrutans*, idest plene cognoscens, *renes*, idest carnales concupiscentias, inde enim proveniunt. *Et corda*, idest cognitiones et affectiones inordinatas. Jerem. XVII, *Ego Dominus scrutans corda etc.* Contra, Scrutari est ignorantis, quia est inquisitio sciendæ rei. Respondeo, In scrutatione sunt duo : unum est præmium sive præambulum, scilicet inquisitio : aliud consequutivum sive adjunctum, scientiæ perfectio, ad quam ordinat et ad quam terminatur illa inquisitio : et quantum ad hoc secundum, non quantum ad primum, dicitur Deus scrutans, quia per diligentem inquisitionem solet homo venire ad scientiæ perfectionem. Dicitur ergo *Scrutans*, non ratione principalis significati, sed ratione adjuncti sive insinuati : unde juxta quamdam regulam tenetur adjunctive. *Et dabo.* Dare hic non accipitur secundum quod sonat liberalitatem, sed importat æquitatem ratione additi quod subditur, *Secundum opera sua*, unicuique sine acceptione personæ, Act. X, *In veritate comperi etc.* Secundum opera sua, sive bona sive mala. Psal.: *Tu reddes unicuique secundum opera sua.* Sed si retribuit hominibus secundum opera ; ergo retributio in reprobis adæquatur demeritis. Contra, Psalm. *Universæ viæ Domini misericordia.* Respondeo, dicendum quod Dominus semper præmiat supra condignum et punit circa condignum, propter immensitatem suæ misericordiæ. Unde Cassiodorus *super Psalterium :* « misericordia et judicium mutua societate sibi junguntur. » Ad objectum dicendum quod hæc dictio, *Secundum*, potest notare aut proportionem æqualitatis, et sic non accipitur hic, ut dictum est, sed sic accipitur si dicatur : Mali merentur puniri secundum opera sua. Aut proportionalitatem, scilicet intelligendo non in speciali æqualitate, ut quantum peccavit, tantum omnino punietur ; sed intelligendo correspondentiam in generali. Si bene egit, bonum retribuetur ei : si autem male, malum. Item si multum demeruerit, multum punietur. Quantum ad primum bene est æqualitas meriti, immo excedit. Sed objicitur, quod dicitur Jacob. II, *Judicium sine misericordia etc.* Dicendum, quod loquitur de misericordia liberante, non de misericordia relaxante. *Vobis au-*

tem. Hic ponit consolationem quantum ad bonos; quia et approbat eorum vitam, nec inducit eos, sicut quidam Judæi dicebant, ad legis observantiam. In hoc autem bonis magna est consolatio. Veteris enim lex gravissima erat ad servandum. Primo ergo dirigit ad Thyatirenos sermonem. Secundo ostendit quorum approbet conversationem. Tertio subjungit gratam eis promissionem. Quemadmodum. Dicit igitur, *Vobis*; quasi dicat: hæc illis faciam. *Vobis autem dico*, idest promitto. Et hoc implebitur, Num. XXIII, Dixit ergo et non faciet? Et cæteris a prædictis erroribus. *Qui Thyatiræ estis*, qui estis illuminati et hostia vivens. Dixit autem qui Thyatiræ estis, quia hæretici perambulabant regionem ad seducendum fideles. Sed quia illa promissio ex qua principaliter consolabatur eos, tantum debet fidelibus et justis, ideo subdit, *Quicumque*. Primo autem ostendit se approbare declinantes erroneam doctrinam. Secundo detestantes diabolicam superbiam. Qui non cognoverunt. Dicit ergo, Quicumque, et est Metaplasmus: scilicet mutatio personæ. Dico inquam, non omnibus, sed illis, *Quicumque sunt qui non habent doctrinam hanc*, idest qui non recipiunt, nec tenent, nec observant doctrinam præmissam Jezabelitarum. *Qui non cognoverunt*, idest non approbaverunt corde nec imitatione *altitudinem*, idest superbiam, *Satanæ*, idest diaboli saluti humanæ adversantis. Sathanas enim interpretatur adversarius, I Petr. v, *Adversarius vester diabolus etc.* Ex superbia omne genus peccati provenit et extinctio totius boni in homine: unde qui superbiam odit, a multis peccatis est procul. Isidorus in lib. II de *Summo bono*: « Sicut origo est omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. » Ex littera videtur dari intelligi, quod in illa Ecclesia, idest diœcesi, erant quidam hæretici, et quidam valde superbi qui alta quærebant sicut satanas. Notandum est autem quod est quædam superbia quæ est in omni mortali, scilicet nolle subjici, vel obedire. Unde Isidorus in libro II de *Summo Bono*: « Omnis peccans superbus est, eo quod faciendo vetita, contemptui habeat divina præcepta. » *Quemadmodum*, Hic subdit promissionem. Et quia jam cessat lex vetus, quod servari debet nova. Primo ponit promissionem de lege veteri non inducenda. Secundo subdit jussionem de lege nova servanda. *Tamen id*. Dicit igitur: *Quemadmodum*; quasi dicat, hæc dico vobis. *Non mittam super vos aliud pondus*, scilicet legis veteris. *Quemadmodum dicunt quidam*, me missurum: quasi dicat: non injungam vobis servare legem veterem, sicut dicunt quidam vos ad eam teneri. Nota quod quidam erant Thyatiræ qui Deo recte serviebant; alii quidam egressi de Judæa prædicabant Gentilibus conversis observantias legales esse servandas, simul et circumcisionem, quod erat molestum fidelibus ex Gentilitate conversis: quibus dicitur: Quemadmodum etc. Act. xv, *Et quidam descendentes de Judæa etc.* Post datur sententia. Nunc ergo quid tentatis Deum? Postmodum scribitur conversis ex Gentibus epistola, *Visum est Spiritui sancto et nobis* etc. Et sequitur: *Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione*. *Tamen*, quamvis ipsi dicant, vel quamvis onus veteris legis vobis non imponam, *id*, scilicet pondus, scilicet Evangelii. *Quod habetis*, jam impositum, *tenete*, credendo, amando et observando. *Donec veniam* ad retribuendum, quia ex tunc non erit opus eo. Gregorius: « Ecce Evangelium quotidie legitur, ventura vita prædicatur: tunc ergo erit novi Testamenti finis, cum ea quæ promisit impleta fuerint. » Nota quod pondus legis est trahens deorsum per timorem, pondus Evangelii sursum per amorem: hoc autem quæritur Dominus. Prov. xx, *Abominabile Domino pondus et pondus*. *Et qui vicerit*. Hic ponitur conclusio. In qua primo ponitur allectio affectus. Secundo exaltatio intellectus. *Qui habet aures*. Ad alliciendum autem affectum ad recte vivendum, Primo tangit meritum. Secundo promittit præmium. *Et dabo illi*. Meritum autem tangit quantum ad tria. Primum est tentationis victoria. *Et qui vicerit*, tentationes peccati. Rom. XII, *Noli vinci a malo*. Secundum est operatio bona. *Et custodierit usque in finem*, idest operatus fuerit firmiter, *Opera mea*, quæ scilicet præcipio. Vel

mea, quia opera bona facio ego in homine. Isa. XXVI, *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine Deus.* Tertium finalis perseverantia. *Usque in finem,* Matth. X, *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Vel ita ut, custodierit, referatur ad perseverantiam. Qui vicerit per vitam bonam, et custodierit opera mea, idest non declinaverit ab eis, usque in finem. *Dabo,* hic promittit præmium. Et primo in præsenti. Secundo in futuro. Et dabo. Circa primum Primo promittit præsidendi potestatem. Secundo ostendit se habere dandi auctoritatem. *Sicut et ego.* Circa primum Primo promittit pastoralis potestatis fastigium. *Dabo illi,* potestatem præsidendi. *Super gentes,* idest gentiliter viventes, ut eis præsit ad regendum : quæ non debet conferri nisi vincenti et mandata custodienti : quia prælatus aliter vivens, non videtur eligi a Deo, sed a diabolo vel sensu humano. Per hoc quod dicitur, dabo, excluduntur ambitiosi et simoniaci, qui non ex Dei dono, sed per violentiam potestatem suscipiunt. Oseæ VIII, *Ipsi regnaverunt et non ex me.* Secundo ostendit potestatis usum, sive actum. *Et reget eas,* me dirigente, *In virga ferrea,* idest rectitudine justitiæ inflexibilis. Virga ratione rectitudinis, significat justitiæ rectitudinem. Ferreum ratione rigiditatis, constantiæ inflexibilitatem. Psalm. : *Reges eos in virga ferrea.* Tertio ipsius usus effectum. *Et tamquam vas figuli,* quod facile frangitur, quia fictile, *confringentur,* ut pereant, quia rectum regimen pastoris sequi noluerunt. Alii autem ut meliores fiant. Quidam enim boni et rigidi pastoris regimen propter superbiam, vel impatientiam, vel carnalitatis jugum, vel aliud vitium, non sustinent : et perit bonum si quod habebant, quod est confringi. Alii humiliter sustinentes inde proficiunt, et propter correctionem vel documentum vel exemplum pastoris vitium si quod inerat abjiciunt: bonum autem est sic confringi. Psalm.: *Et tamquam vas figuli confringes eos. Sicut et ego vici,* hoc inquantum homo. Psalm.: *Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Per hoc ostendit suam auctoritatem et excitat ad timorem salubrem. Sed objicitur. Videtur enim quod post mortem sancti præsideant mortalibus regendis, quia dicitur : *qui custodierit usque in finem etc.* Et sequitur. *Dabo illi etc.* Respondeo. Non vult hoc dicere ; sed quod ei qui bene vincit et est in continuatione perseverantiæ, et sic proponit usque in finem vivere, datur potestas regendi, licet non omni, ut jam dicetur. Item dubitatur de hoc quod dicit indistincte, quod recte viventi et perseveranti dabit potestatem super Gentes. Multi enim sunt perfecti qui nunquam sunt aliorum pastores. Item quomodo promittit officium in quo est tantum periculum? Dicit enim Beatus Gregorius : « Unusquisque rector toties ad culpam superbiæ labitur quoties præesse hominibus delectatur et honoris potestate lætatur. » Respondeo. Ad primum dicendum videtur quod non promittit hoc cuilibet ad hoc idoneo et in vita de qua hic tangitur, et in aliis conditionibus quæ pertinent ad officium pastorale ; et qui est in illo regimine sibi meritum accumulaturus : sicut in primitiva Ecclesia, quando hujusmodi potestas potius erat in onus quam honorem : quando prælati bene regendo se et alios et laborando pro eis et sustinendo multa adversa etiam quandoque mortem pro ipsis gratanter, et alios ad salutem docebant et sibiipsis cumulabant meritum. Unde Jerem. III, *Dabo vobis etc.* Posset etiam hoc intelligi de efficacia potestatis, quia bonis prælatis merito sanctitatis dat Dominus majorem industriam et efficaciam in regendo. Ad secundum est concedendum quod maximum est periculum in officio pastorali, propter periculum multiplicis culpæ in acquirendo sive inhiando, ut simoniæ, odii et hujusmodi. Gregorius : « Numerari nequeunt culpæ quæ perpetrantur habendæ potestatis amore. » Item propter periculum superbiæ in præsidendo. Gregorius : « Vigilanter aspiciat, ne in eo quod prælatus est intumescat. » Item propter periculum immoderantiæ in exequendo : quia multi pompose, austere, et irritative, et in crudelitate præsunt. Ezech. XXXIV, *Cum austeritate imperabatis illis.* Gregorius : « Vigilanter aspiciat ne jura debitæ potestatis immoderatius

exigat; ne unde a perversitate subditos revocare poterat, inde magis intuentium pervertat corda. » Item propter periculum cupiditatis in aggregando, Ezechiel. xxxiv: *Lac comedebatis et lanis operiebamini, et vos pascebatis.* Item ignaviae in torpendo sive omittendo scilicet quae ad se spectant, quia multi in quadam securitate sunt, quia minus reprehenduntur; et ideo de opere et oratione, et jejuniis et eleemosynis et aliis quae in eis debent excellere, parum curant, cum debeant esse altiores in vita. Gregorius: « Non est speculator qui in imo est. » Item vexationis in committendo, quia tunc majorem viam et plures occasiones et ampliores facultates habent peccandi nec reprehenduntur nisi vix. Jerem. xxiii: *Sacerdos et propheta polluti sunt, et in domo mea inveni malum eorum, ait Dominus.* Gregorius: « Derelinquentem hunc redarguere nullus praesumit. » Item ineptitudinis in ignorando. Isidorus III lib. *de Summo bono*: « Quomodo docere poterunt quod ipsi non didicerunt? Desinant locum docendi suscipere qui nesciunt docere. » Item pusillanimitatis in dissimulando culpas hominum: vel quia timent ipsorum offensam aut damnum, aut quia similem habent statum, aut propter aliam causam non rectam. Isa. lvi: *Canes muti non valentes latrare.* Isidorus III lib. *de Summo bono*: « Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. » Incuriae in negligendo. Zachar. xi: *O pastor et idolum derelinquens gregem.* De bonis praelatis, Hebr. ult. *Ipsi enim pervigilant etc.* Item scandali in conversando. Gregorius: « Scire debent praelati, quia tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt; et mortis animarum eorum rei sunt quos pravis exemplis destruunt. » Praeter haec sunt et alia multa; et ideo multum refugiendum est; tamen illum quem Dominus sua mera voluntate et ordinatione licet occulta facit institui, a periculo servat, quia dat et potestatem ad regimen subjecti populi et cumulum meriti proprii. Quando autem sit a Deo proprie, non semper est certum; sed quandoque habetur probabile signum; ut cum fit electio vel procuratio sincere sine vitio et a personis Deum timentibus et de timente Dominum et in aliis idoneo, et qui ex corde dignitatem, quantum est de se, renuit. Et alia multa signa possunt haberi, quae tamen quandoque fallere possunt; et ideo timens Deum non se ingerit, et etiam oblatam potestatem officii vero corde refugit; et si suscipit coactus, suscipit necessitate praecepti, timens hinc sibi de susceptione officii, timens inde ne forte sit contrarius divinae voluntati. Unde Gregorius: « Potestas ut ministrari recte valeat, oportet primum ut hanc non cupiditas sed necessitas imponat; percepta autem nec pro formidine debet deseri, nec ex libidine amplecti. » Item Gregorius: « Sancti viri curas exteriores nequaquam appetunt quas summopere si liceat vitare festinant; sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. » Item objicitur de hoc quod dicitur: Reget eas, quia non est commendabile esse inflexibilem in rigore justitiae. Jacob. ii: *Judicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam.* Gregorius: « Tanta debet esse pastoris discretio, ut nec disciplina nimia, nec misericordia sit remissa. » Respondeo. Non intendit Dominus dicere, quod sit bonum pastorem esse omnino inflexibilem, quia non est hoc in pastore commendabile; sed intendit excludere a bono praelato nimiam mansuetudinem et remissionem, ex qua multa mala sequuntur. Quia ex remissione praelati in offensis corrigendis et puniendis, dum vel non punit vel remisse punit, vel quosdam puniens, alios aeque vel magis reos propter negligentiam, vel benevolentiam, vel precem vel pretium, vel spem commodi, vel timorem pusillanimitatis impunitos vel minus punitos sine ratione pertransit, damnabiliter sumitur audacia ad similia vel pejora, ex quibus iterum alii provocantur ad idem. Item ex hoc scandalum bonis subditis et non subditis, justis etiam pastoribus generatur. Gregorius: « Sit amor, sed non emolliens; sit pietas, sed non plus quam expedit parcens. » Sensus ergo est: *In virga ferrea*, hoc est in justitia inflexibili ad

remissionem, non tamen inflexibili per alicujus lenitatis adjunctionem. Gregorius : « Utrumque commendetur ex altero : ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo sit dissoluta. Si autem quandoque propter quorumdam obstinationem vel aliam culpam ex speciali causa oporteat severius agere : etiam tunc servanda est lenitas charitatis in corde. » Gregorius : Exhibenda est pravis asperitas in ostensione, charitas in mente. » *Et dabo illi stellam matutinam*, scilicet meipsum in præmium. Stella matutina est Lucifer qui suo ortu diem lucere nuntiat : et ita per ipsum signatur Christus qui resurgens a mortuis fidei lucem et claritatem immortalitatis nobis attulit, quia propter nos resurrexit. Gregorius : « Ostendit exemplo, quod nobis promisit in præmio. » Item Gregorius : « Si membra Redemptoris nostri sumpsimus, præsumamus in nobis quod gestum constat in capite. » Vel stellam matutinam, scilicet primam stolam ; quæ dicitur Stella propter claritatem contemplationis, matutina propter inchoationem beatitudinis et terminationem totius pœnalitatis : utroque vero nomine simul dicetur, propter novitatem exaltationis. Lucifer enim cum apparet gaudium ingerit. In patria enim est ineffabilis claritas, scilicet spiritualis in animabus et Angelis præter corporalem. Infra XXI, *Claritas Dei illuminabit eam*. Item plena libertas, quia nulli pœnalitati seu corruptioni subest beatus, Rom. VIII, Item dulcis jucunditas. Bernardus in *Meditationibus* : « Ibi erit jucunditas infinita, beatitudo sempiterna, in qua qui semper suscipitur, semper tenetur. » *Qui habet aures etc*. ut supra.

CAPUT III

Et Angelo Ecclesiæ Sardis etc. Hæc est quinta epistola ; in qua fit admonitio ad humilitatem contra vanam gloriam : et huic consonat nomen. Sardis enim interpretatur principium pulchritudinis : humilitas autem pulcherrima est et acceptabilis magistro humilitatis. Et bene dicitur principium pulchritudinis, quia in futuro plenissima pulchritudo. Dividitur autem hæc pars, in exordium, narrationem, *Scio*, Conclusionem, *qui vicerit*. In Exordium nota ut superius. *Hæc dicit qui habet* : quasi dicat : non ex parte mea scribo, sed hæc dicit qui habet *Septem Spiritus Dei*, idest septem dona Spiritus sancti, sive spiritum septiformem : quasi dicat : potestatem habet dandi Spiritum sanctum cui voluerit. Supra I, *Et a septem spiritibus*. *Et septem stellas*, idest septem episcopos septem Ecclesiarum, per quos universitas pastorum intelligitur, quos potest salvare vel damnare secundum quod merentur ; et ideo quilibet videat, ne quod accepit perdat, sed ad meliora nitatur. Supra primo, *Et habebat in dextera sua septem stellas*. *Scio*. Hic ponitur narratio. Et primo ponit arguitionem. Secundo commonitionem *esto*. Tertio comminationem, *si ergo*. Quarto consolationem, *sed habes*. Dicit ergo, *Scio*, simplici notitia non approbationis. *Opera tua*, quæ videntur bona : hypocritæ enim habent opera de genere bonorum, non tamen sunt bona simpliciter. Quid scit de illis operibus subdit. *Quia nomen habes*, per illa opera. *Quod vivas*, vita gratiæ, quia crederis vel diceris bonus propter illa. *Et mortuus es*, secundum animam morte culpæ. Isidorus I libr. de *Summo Bono* : « Vita corporis anima, vita animæ Deus est : et sicut corpus mortuum est sine anima, ita anima mortua est sine Deo. » Ex ipsa littera patet, quod hypocrita est extra pulcher, intus vacuus sicut calamus. Job. XI, *Sub umbra dormit in secreto calami*. Ex hoc etiam patet, quod qui offendit in mala intentione, omnia bona quæ facit inutilia sibi reddit, *Glossa* : quia *qui in uno etc*. Jacobi. II, Matth. VI, *Si oculus tuus fuerit nequam etc*. Sed objicitur de illo verbo *Glossæ* : quia per hoc videtur, quod qui peccat uno peccato, peccat omnibus : quod est falsum. Si dicatur quod non vult illud dicere, sed, qui peccat contra unum præceptum, peccat contra omnia alia præcepta. Contra : ergo quicumque frangit unum præceptum, frangit omnia alia : ergo quicumque furatur, est infidelis, et homicida, et fornicator. Respondeo. Non vult dicere quod peccata

sed annexa : hoc enim quod dicitur : Omnium, non accipitur de peccatis, sed de præceptis secundum Glossam et secundum Textum. Dicit enim Textus, *Quicumque totam servaverit legem, offendat autem in uno, factus est omnium reus : qui enim dixit non mœchaberis, dixit et non occides*, etc. Sensus ergo est : qui offendit in uno præcepto factus est reus omnium, scilicet præceptorum, idest offendit contra omnia præcepta per consequens, propter colligantiam quam habent ad invicem omnia præcepta. Tum ex parte principii, scilicet Legislatoris, quia unus dedit omnia præcepta, et vult per integrum omnia servari. Tum ex parte formæ, scilicet caritas, quæ omnia opera præceptorum informat. Tum ex parte finis, quia ad præmium non per se singula, sed simul omnia conjunctim hominem ordinant : unde qui contra unum offendit, omnibus aliis suam efficaciam et ordinationem tollit. Secundo modo potest exponi specialiter de caritate. *Qui offendit in uno*, scilicet in caritate quæ est radix omnium præceptorum, ut ibi dicit *Glossa*, *reus est omnium*, scilicet præceptorum ut prius : unde ab aliis præceptis quasi caritatis filiis accusatur. Tertio modo sic. *Qui offendit in uno*, scilicet mandato vel actu, *factus est omnium reus*, idest omnia alia præcepta sive opera bona, si qua fecit, sibi merito inutilia esse : et juxta hunc intellectum introducitur illud in *Glossa* hac. Ad primum patet. Ad secundum notandum quod offendere contra omnia præcepta est dupliciter. Aut primo et directe : et sic solus facit contra omnia præcepta, qui quodlibet præceptum transgreditur faciendo actum oppositum directe cuilibet præcepto, ut præceptum de non occidendo per actum occisionis : et sic objicitur. Sic autem non intelligitur præmissum verbum. Aut secundario et indirecte : et sic intelligitur, propter triplicem similitudinem et colligantiam supradictam : et sic non valet quod objicitur ; quia uno actu potest sic offendere quis contra omnia præcepta. *Esto*. Hic ponitur admonitio. Notandum autem quod in peccatore solent esse tria : scilicet immemoria acquirendorum præmiorum, oblivio susceptorum beneficiorum, et reatus commissorum peccatorum. Per oppositum inquam, tria injungit. Primo salutis vigilantiam. Secundo efficacem memoriam, *In mente ergo*. Tertio salubrem pœnitentiam. Circa primum Primo injungit vigilantiam sollicitudinis in generali. Secundo quemdam vigilantiæ modum in speciali, *Confirma*. Tertio subjungit necessitatem vigilandi, *Non enim*. Dicit igitur, *Esto vigilans*, idest sollicitus de salute faciendo opera vitæ. I Thess. ultimo, *Itaque non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus*. *Et*, vigilando, *confirma*, scilicet contra bellum seu ventum vanæ gloriæ, quæ opera reddit infirma et inutilia ad salutem, *cetera*, scilicet bona opera faciendo in futuro, *Quæ moritura erant*, idest reddendo inutilia per vanam gloriam, ut circa ea contra appetitum laudis vigilares. Isidorus, II lib. *de Summo bono* : « Qui bonum opus bona intentione non faciunt, per hoc magis cæcantur, per quod illuminari potuerunt. » Sed objicitur, Aut loquitur de operibus bonis jam factis, aut faciendis. Si factis : ergo habebat opera viva, quæ poterant mori : ergo erat in statu gratiæ, quod non videtur verum, cum sibi dictum sit, *Et mortuus es*. Si de faciendis, ergo si non vigilaret morerentur : quod videtur falsum ; quia si non vigilaret non viverent, et ita non morerentur. Respondeo. Dicendum videtur quod loquitur de operibus bonis in genere, non de factis quæ erat facturus. Opera autem de genere bonorum licet de se non sunt viva, idest meritoria ; tamen disponere habent ad vitam : unde dicuntur mori, quando amittunt possibilitatem et ordinem ad vitam meriti : quod fit per vanam gloriam. Opus ergo aliquod potest mori dupliciter. Aut quia desinit esse vivum idest meritorium sicut prius erat, et sic opus meritorium moritur cum mutatur intentio in malum, vel quando additur aliquod mortale ; aut quia desinit habere ordinem et dispositionem sive possibilitatem ad meritum, licet prius non esset meritorium : et sic videtur hic accipiendum. Ad objectum patet ; quia si non viverent non morerentur, primo modo, sed secundo. Notandum enim quod opus est

vigilantia. *Quia non invenio opera tua plena*, efficacia et merito per plenitudinem circumstantiarum, ut intentionis, devotionis, diligentiæ, et humilitatis, et hujusmodi : sed vacua per vanam gloriam. Matth. xxv, de fatuis virginibus. Exod. xxiii, *Non apparebis meo in conspectu meo vacuus*. Vel propter mortale additum : vel quia non ex caritate, quæ facit opera plena. Rom. xiii, *Plenitudo ergo legis est caritas. Coram Deo meo*, idest conspectu Patris mei, quia non acceptat ea sicut plena. Loquitur Christus sicut quod homo, Joan. xx, *Deum meum*. Dicit autem, *meo*, propter magnam subjectionem et altissimam dilectionem. Ergo quia non sunt plena. *In mente habe*, idest in memoria stabiliter, *Qualiter acceperis*, a Deo per gratiæ collationem sive per inspirationem, scilicet non tuis meritis. I Corinth. xv, *Gratia Dei sum id quod sum. Et audieris*, a sanctis patribus, per eruditionem. Jac. ii. *Si quis autem totam legem etc.* Matth. vi, *Receperunt mercedem suam*. I Corinth. xiii, *Si linguis hominum loquar et Angelorum. Et serva*, utrumque per rectam actionem. Et sic tangit duplex beneficium ; scilicet gratiæ et doctrinæ : quia et gratiam bene operandi, dederat ei Dominus et doctrinam. Vel, *acceperis*, ex meo exemplo, *Et audieris*, ex Evangelico documento. Matth. vii, *Omnis qui audit verba mea hæc et facit ea etc. Et pœnitentiam*, quam non servasti, et quia per gloriam vanam peccasti. Isidorus II lib. *de Summo bono :* « Tunc judicium de se quisque sumit, quando per dignam pœnitentiam sua prava facta condemnat. » Possent etiam præmissa referri ad regimen subditorum. *Esto vigilans*, circa te et alios. Et confirma cetera, idest ceteros a te qui morientur per culpam nisi vigiles ; quia in animo tibi a Deo ostensum est, et in Scriptura audivisti quomodo aliis incumbere debeas. *Si ergo non vigilaveris*, per sollicitudinem bene operandi et referendi ad Deum, *Veniam tamquam fur*, idest latenter et insperate, ut vindicem in te. Et potest intelligi de adventu per vindictam mortis temporaliter, ut præoccuperetur, vel alterius pœnæ gravis. *Et nescies qua hora veniam ad te*. Ecce severitas divinæ justitiæ. Ecclesiastici v, *Altissimus enim est patiens redditor*. Objicitur contra hoc quod dicit *Tamquam fur :* quia dicitur fur Joan. x, *Fur non venit nisi ut furetur*. Respondeo. Similitudo hæc ponitur hic non quantum ad intentionem et affectum, sed quantum ad veniendi modum. *Sed habes*. Hic subdit consolationem ; quia saltem aliquos habebat bonos in sua diœcesi, quod est inductivum consolationis, et iterum poterat eos imitari. Primo autem commendat illorum conversationem. Secundo subjungit promissionem, Et ambulabunt. Commendatio autem est quantum ad duo. Primo quia Deo accepti : unde dicit, *Sed habes pauca nomina*, idest paucos bonos qui digni sunt nomine, quia De accepti. Ideo dives non nominatur, quia non acceptus, nec nomine dignus Lucæ xvi. Exod. xxxiii, *Invenisti gratiam coram me, et teipsum novi ex nomine*. Secundo, quia in se sinceri sive mundi. *Qui non inquinaverunt,* macula peccati mortalis, *vestimenta*, scilicet vestem in nomine et gratiæ et fidei et aliarum virtutum, quæ omnia susceperunt in baptismo in ornatum animæ. Vel *Vestimenta*, opera. Ecclesiastes ix, *Omni tempore sint vestimenta tua candida*. Vel corpora. Isaiæ x, *Vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis. Ambulabunt*, proficiendo de virtute in virtutem, *mecum*, quia ego præivi. Psal. *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, *In albis*, scilicet vestimentis sanctitatis et spiritualis decoris, multiplicium meritorum, *Quia digni sunt :* quasi dicat : quia sic innocentiam custodierunt, dabo eis gratiam proficiendi imitando me, quia hoc invenerunt per innocentiam. Matth. xxv, *Omni habenti dabitur et abundabit*. Per hoc autem intelligitur ulterius, quod taliter cum ipso præmiabuntur in gloria ; quæ signatur per illud quod dicitur Matth. xvii, *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*. Sed quid est quod dicit, Mecum ? cum Christus de virtute in virtutem non profecerit. Bernardus : « Non fuit hora in quacumque ætate sua qua de plenitudine illa aliquid minueretur, vel eidem aliquid adjiceretur. » Respondeo. Proficere de virtute in virtutem est

duplicitas : aut quantum ad virtutis habitum, scilicet quod ipse habitus melioratur vel augetur : et sic non fuit in Christo, sed in justis aliis. Vel secundum actum sive usum : et sic profecit de virtute in virtutem, idest de usu virtutis, et in usum alterius, quia plures actus virtutum habuit post quam ante, ut patet. *Qui vicerit.* Hæc conclusio est. Et primo ponitur allectivum affectus. Secundo excitativum intellectus : *Qui habet aurem.* Circa primum victori promittit Dominus tria. Primo augmentum gratiæ, *Qui vicerit sic*, scilicet sicut illi pauci, ut nulla tentatione inquinet vestimenta virtutum, *Vestietur vestimentis albis*, idest dabo ei ampliorem candorem vestimentorum, scilicet virtutum et meritorum in bonis actibus. Gregorius : « Apud Deum nostra nos opera quasi vestimenta tegunt. » Secundo donationem perseverantiæ. *Et non delebo nomen ejus, De libro vitæ*, idest dabo sibi virtutem perseverandi, et sic non delebitur. Reprobi enim qui non perseverant, dicuntur deleri de libro vitæ, quando cadunt a perseverantia per aliquod peccatum, vel quando cognoscunt se non fuisse scriptos. Juxta illud, deleantur de libro vitæ. Dat utique Dominus perseverantiam electis, juxta illud. *Tenuisti manum dexteram meam.* Tertio præmium gloriæ. *Et confitebor nomen ejus*, idest dabo testimonium ejus justitiæ acceptabili, *Coram Patre meo et coram Angelis ejus*, scilicet in judicio, cum dicam : dedistis mihi manducare etc. Et, *Venite benedicti Patris mei*, ut deinceps sit in gloria patris, et in Angelorum societate. Matth. x, *Omnis ergo qui confitebitur me coram Patre meo etc.* Potest aliter illud supra, *Vestietur vestimentis albis*, exponi de duplici stola, scilicet animæ et corporis : quæ duplex stola erit homini in honorem, jucunditatem et decorem, sicut venerabile indumentum. Gregorius : « In fine mundi binas stolas accepturi sunt sancti : quia cum mentis beatitudine, etiam carnis gloriam possidebunt. » Quæritur hic de libro vitæ ad intellectum litteræ. Et primo quid sit. Secundo utrum liber vitæ dicatur respectu omnium creaturarum. Tertio, utrum aliquis potest de ipso deleri.

Circa primum videtur quod sit idem quod prædestinatio sive præscientia qua disposuit quosdam salvare ; quia dicit *Glossa* : liber vitæ est præscientia Dei etc. ; sed non potest nisi de præscientia prædestinationis intelligi ; quia aliter non esset gratia non deleri de libro vitæ ; ergo etc. Contra : quod sit idem quod Christus secundum humanitatem videtur. Psal. : *In libro tuo omnes scribentur. Glossa.* In me, quem dedisti hominibus formam justitiæ. Idem dicitur super illud Psal. : *In capite libri.* Quod autem sit Scriptura sacra, videtur Ecclesiastici xxiv : hæc omnia liber vitæ. Respondeo. Liber vitæ tripliciter dicitur. Uno modo. Exemplum vitæ agendæ : et sic Christus secundum humanitatem dicitur liber vitæ ; quia in ipso debemus legere vitam, quæ nobis est agenda. Alio modo, dispositio sive præordinatio vitæ dandæ : et sic idem est quod prædestinatio salvandorum ad vitam æternam. Tertio modo id in quo est documentum vitæ agendæ et promissio vitæ dandæ : et sic idem est quod Scriptura ; et sic patet responsio ad objecta. Liber ergo vitæ, non habet unam acceptionem, sed multiplicem : hic tamen et in pluribus locis Scripturæ liber vitæ est prædestinatio salvandorum ad vitam. Unde super illud Philipp. iv, *Quorum nomina sunt in libro vitæ ;* dicit *Glossa ;* Liber vitæ est prædestinatio, in qua omnes salvandi prædestinati sunt. Secundo quæritur, utrum liber vitæ dicatur respectu omnium creaturarum. Quod sic, videtur per *Glossam* super hunc locum, *Et non delebo etc.:* « Liber vitæ est præscientia Dei in qua omnia constantia. » Contra, Si sic : Ergo nihil deletur. Quia quod semel est scriptum in hoc libro, nunquam tolletur. Alioquin est variabilis. Respondeo. Dicendum quod liber vitæ non dicitur respectu omnium ; sed solum respectu hominum, et hoc prædestinatorum. Liber enim vitæ dicitur firma præordinatio de electis perducendis ad vitam secundum *Glossam* prædictam super Philip. iv, *Glossa* autem super locum debet suppleri : omnia scilicet ad salutem prædestinatorum spectantia, vel omnia quæ ibi sunt scripta. *Glossa* enim exponit il-

lud non delebo etc., quasi dicat : Omnia quæ in eo scribuntur, constantia sunt indelebiliter : unde nullus simpliciter scriptus deletur. Tertio, quæritur utrum aliquis posset de hoc libro deleri. Quod sic, videtur Psal. : *Deleantur de libro viventium*, Item aliter non esset gratia quod hic dicitur, Non delebo etc. Contra : quia secundum *Glossam*, Omnia sunt in eo constantia, ergo non delebilia. Item Deus est invariabilis : ergo quod solus scribit, nunquam delet. Respondeo : dupliciter potest responderi : uno modo, quod proprie loquendo nullus deletur vel deleri potest de libro vitæ propter divinæ dispositionis immutabilitatem : sed dicuntur deleri illi qui erant scripti secundum æstimationem suam, quando incipiunt cognoscere se non fuisse ibi scriptos. Unde super illud Psal.: *Deleantur de libro. Glossa :* « Non sic accipiendum est tamquam in hoc libro aliquem scribat Deus quem postea deleat : sed ita accipiendum : deleam te de libro meo, secundum spem illorum qui scriptos se putant, idest, constat etiam ipsis, non illos ibi esse scriptos. » Aliter potest dici, quod in libro vitæ scribuntur omnia merita, idest approbantur : sed quorumdam merita sunt in eis solum ad tempus, quorumdam sunt finaliter ; et isti sunt prædestinati. Dicitur ergo aliquis scribi in libro vitæ dupliciter. Aut quantum ad præsentem justitiam, aut quantum ad prædestinationem æternam. Primo modo, dicitur aliquis in libro vitæ scribi, quia ejus merita ibi scribuntur, idest approbantur et acceptantur ad vitam pro illo statu ut patet ; quia si sic decerent, salvaretur. Secundo modo, dicitur scribi non solum quia ejus merita inscribuntur ; sed quia ipse efficaciter ordinatur ad vitam, secundum prædestinationem divinam. Qui primo modo ibi scribitur, deletur quantum ad præsentem justitiam, quando cadit in culpam mortalem ; quia ejus justitia sive meritum, jam non approbatur, ut habeatur apud Deum dignus vita, ut ante ; quia jam merita non habet. Qui autem scribitur secundo modo, numquam deletur, quia prædestinatio quassari non potest. Illa autem deletio præmissa non dicit aliquam mutationem factam circa Deum, sed circa meritum ; quia jam periit. Eadem enim voluntate et rectitudine, qua approbat hunc dum habet merita, reprobat eum dum est in culpa. Sicut licet Deus sciat rem aliquam non esse et post non sciat, quia res jam non est : non est immutatio facta in Deo, sed in re. Eadem est scientia qua sciebat prius rem esse cum erat ; et cum scit rem non esse, cum non est. Notandum tamen quod scribi primo modo et deleri non proprie dicitur ; sed aliquando per talem modum loquendi magis exprimitur damnum proveniens ex peccato. Ad primum et secundum patet ; quia delentur quidam, quantum ad præsentis justitiæ evacuationem : quidam delentur, quos non permittit finaliter cadere : sicut hic dicitur, Non delebo. Ad primum in oppositum patet ; quia illi qui sunt scripti secundum prædestinationem non delentur. Ad secundum similiter patet ; quia qui proprie loquendo sibi scriptus est, deleri non potest. Præterea secundum quod quidam dicunt deleri per præsens justitiæ evacuationem, Deus non facit illam delectionem : Deus autem tales non delet sed ipsi seipsos delent cum Deum deserentes peccato adhærent.

Et Angelo Philadelphiæ. Septima epistola est admonens ad perseverantiam, unde infra dicetur : *Tene quod habes.* Nomen autem congruit admonitioni. Interpretatur enim amor fratris vel servans hæreditatem : quia qui Christum amat,et qui vult servare sibi hæreditatem æternam, vel seipsum qui est hæreditas Christi, finaliter perseverat. Rom. VIII, *Quis nos separabit a caritate Christi?* Continet hæc epistola Exordium, Narrationem *Scio*, Conclusionem, *Qui vicerit.* Persona loquens in Epistola describitur a bonitate, *Hæc dicit sanctus :* et ideo serva sanctitatem quia sanctus est, et quære eam. I Reg. II, *Non est sanctus etc.* Levit. XI, *Sancti eritis quia ego sanctus sum.* A veritate, *verus*, in promissis : unde quod promisi, *quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Joan. XIV, Reddam unde juvabo vos ad conversionem fratrum. Ibid. *Ego sum via, veritas, et vita.* A potestate, *Qui habet cla-*

vem David, idest potestatem aperiendi sensum Scripturæ David et aliorum Prophetarum : et ideo confidenter age prædicando ; quia dabo tibi intellectum Scripturæ ; unde sequitur : *Ecce dedi* etc. Qui aperit Scripturas ad intelligendum. Luc. ultimo : *Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas*, vel corda ad credendum et diligendum, vel regnum cœlorum ad intrandum. *Et nemo claudit*, quia nemo potest destruere donum Dei in homine, Deo adhærente, quamdiu Deus conservat. Claudit Scripturas perversis, qui conculcarent eas, et etiam bonis quandoque in quibusdam locis Scripturas, ut diligentius quærant intellectum Scripturæ, et ipse eam aperit, ut inveniant. Claudit etiam corda subtrahendo gratiam peccantibus, idest non conservando datam regulam detestando culpam injusti. *Et nemo aperit*, aliquod horum, ipso claudente. Psal. : *Tu terribilis es, et quis resistet tibi?* Vel Clavem David, idest carnem sumptam de David, non novam. Psal. : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. Quod est contra hæreticos, qui dixerunt Christum asssumpsisse corpus phantasticum, et contra illos hæreticos qui dixerunt illum habuisse carnem veram sed tamen novam, non de genere Adæ, et eam attulisse de cœlo. Dicitur autem caro Christi clavis, quia per eam ratione passionis aperta est janua vitæ. Qui aperit seipsum ad videndum, jucundandum et inhabitandum. Felix cui Deus aperit se ipsum : hoc autem fit diligentibus. I Joan. IV, *Qui manet in caritate, in Deo manet*. Joan. XIV, *Qui autem diligit me*, maximeque quando bene pulsat. Matth. VII, *Pulsate et aperietur vobis*. *Claudit* seipsum eis qui non diligunt, *et nemo aperit*. Ecclesiastes VII, *Considera opera Dei, quod nemo etc*. Quæritur, quare non dicitur potius clavem Aaron, cum esset prælatus? ad hujusmodi autem pertinet uti clave. Respondeo : patet per expositiones præmissas : quia Aaron nullam Scripturam condidit. Item nec de ejus progenie carnem assumpsit sicut de stirpe David, qui fuit de tribu Juda. Si quæratur quare non dicitur clavem habere, cum de ipso descenderit secundum carnem David? quod si illud diceretur, non tantum documentum daretur : quia non esset tunc via ad multiplicem modum exponendi. Præterea hoc dicitur ratione dignitatis, quia fuit rex de cujus progenie rex regum carnem assumpsit, ad hoc ut ejus imperio per voluntarium obsequium subderemur. Objicitur etiam de hoc : *Et nemo claudit*. Dicitur enim Matth. XXIII : *Væ vobis scribæ et pharisæi hypocritæ qui clauditis etc*. Respondeo : Dicendum quod illis quibus scribæ et pharisæi claudebant regnum cœlorum, per exemplum malum, et abscondendo veritatem doctrinæ in Scriptura, non aperuerat Dominus, licet aliqualem voluntatem eis dedisset. *Scio opera tua*. Narratio est : in qua primo ponitur commendatio. Secundo consolatio, *Ecce*. Tertio admonitio, *Tene*. *Scio*, idest approbo, *Opera tua*, et inde corona expectat te. Infra XIV, *Opera enim illorum sequuntur eos*. *Ecce*, hic consolatur per promissionem. Et primo promittit gratiam dirigentem ad prædicandum. Secundo virtutem sive efficaciam prædicationis ad convertendum, *Ecce dabo tibi*. Tertio fortitudinem in tentationem ad superandum, *Quia servasti*. Circa primum. Primo promittit directionem. Secundo subdit directionis rationem. *Quia modicam* : ubi ostendit ejus meritum quantum ad tria : quantum ad humilitatem in corde, quantum ad obedientiam in opere *et servasti*, quantum ad constantiam in tribulatione, *Et non*. Dicit igitur, *ecce* : excitatio est ad consolationem et nota certitudinis : *dedi*, idest dabo : jam dederat apud se, et per hoc magis ostendit gratiam esse in promptu, *Coram te*, idest ad tuam voluntatem, *Ostium apertum*, scilicet corda hominum prius clausa, vel ingressum liberum ad Scripturas intelligendas, vel liberum ingressum ad prædicandum, ut non impediaris a prædicatione et ejus fructu. I Corinth. XVI, *Ostium mihi apertum est magnum*. Vel meipsum. Joan. X, *Ego sum ostium*. *Quod nemo*, quia hoc donum tibi conservabo, Isaiæ XXII, *Aperiet et non erit qui claudat, claudet, et non erit qui aperiat* : *quia* : quasi dicat, et hoc faciam, *Quia modicam habes virtutem*, scilicet animi per humilitatem. Modicam idest humilem,

non superbam : et dicitur *Modicam*, quia non resistit, omnibus se subjiciens. Jacob. v, *Humilibus autem dat gratiam*. Vel *Modicam*, respectu futuræ quæ plena erit, *Et servasti*, in opera, *Verbum meum*, scilicet Evangelii, vel meum scilicet quod prædicas. Isidorus in III libro de *Summo bono* : « Suam pravam vitam propriæ linguæ ritu confodit, qui bene docet et male vivit. » Idem *in eodem :* « Qui non vivit sicut docet ; ipsam quam prædicat virtutem contemptibilem facit. » *Et non negasti nomen meum*, in adversis, sed solide tenuisti. Ipsum enim nomen Dei allicit ad sui amorem. Isaiæ XXVI, *Nomen tuum et memoriale in desiderio animæ. Ecce.* Hic primo promittit efficaciam prædicationis. Secundo subdit explanationem promissionis, *Ecce faciam*. Tertio ostendit sequelam promissæ conversionis, *Et scient*. Dicit igitur, *ecce* : quasi dicat : et quia talis es, *Ecce*, nota est consolationis et gaudii, *Dabo tibi*, ad convertendum, dabo inquam aliquos, *De synagoga satanæ*, idest de congregatione infidelium in qua satanas habitat. Per hoc notatur quod donum Dei est cum aliquis convertitur ad fidem. Item quod verbum prædicationis, si proficit, hoc habet a Deo. Jeremiæ primo, *Ecce dedi verba mea in ore tuo. Qui dicunt se Judæos esse et non sunt*, quia non confitetur Deum in carne. *Glossa*, hoc nomen etc. Joan. VII, videtur loqui de Judæis qui dicunt se esse Judæos et nomine et re nominis, *Sed mentiuntur*. I Joan. II, *Quis est mendax, nisi is qui negat quoniam Jesu non est Christus? Ecce*, quomodo dabit exponit, *Ecce faciam illos*, tales. *Ut veniant*, ad fidem catholicam Trinitatis, *Et adorent ante pedes tuos*, in reverentiam Ecclesiasticæ potestatis quæ est in te. In hoc notatur humilitas conversorum : unde dicitur Isaiæ LX, *Adorabunt vestigia pedum tuorum*. Contra. Matth. IV, *Dominum Deum tuum adorabis*. Respondeo. Est adoratio latriæ, hæc soli Deo debetur : item duliæ : et hujusmodi adoratio est veneratio quæ exhibetur rationali creaturæ, maxime prælatis qui tenent locum Dei. De prima loquitur Matth. X, de secunda hic et Genes. XLII, *Cumque adorassent eum fratres sui etc.* dicitur de Joseph. *Et scient*, videntes infideles per te ad Deum, Dei gratia, converti, *Quia ego dilexi te*, spirituali gratia, quam non omnibus aliis dedi. Ecce quomodo lux gratiæ illustrat ut cognoscat homo justificatus quantum sit pondus divinæ gratiæ et dilectionis. Augustinus I libro *Confessionum* : « Deus lumen cordis mei et panis oris intus animæ meæ. » *Quia servasti*. Hic promittit fortitudinem in tentatione, merito patientiæ suæ. Et primo commendat ejus patientiam in præterita tribulatione. Secundo promittit fortitudinem, sive conservationem in futura tentatione *Et ego*. Tertio excitat industriam liberi arbitrii ex propinqua retributione. *Ecce venio*. Dicit igitur, *Quia servasti*, per imitationem plenam, *Verbum patientiæ meæ*, verbum patientiæ Dei est quod dixit in passione : *Pater dimitte illis etc.* Lucæ XXIII. Hoc servaverat iste tenendo patientiam et orando pro persecutoribus : Matth. V, *diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus etc.* Vel Quia servasti verbum, idest præceptum, Patientiæ meæ, idest quam in me exemplo ostendi orando pro inimicis. *Et* idest etiam, *Ego*, qui possum, *Servabo te ab hora tentationis*, idest ab ipso exordio quo incipiet, Vel ab hora tentationis, idest a tentatione in hora qua fit : non ut non tenterris ; sed ut non vincaris. *Quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.* Ex parte diaboli per ministros tentantes, erit hoc, ad dejiciendum ; ex parte Dei permittentis erit ad probandum et proficiendum. Hoc autem potest intelligi vel de generali persecutione, quæ fuit post Neronem, vel ea quæ erit tempore Antichristi. Psal. : *Multæ tribulationes justorum etc. Custodit Dominus etc.* Posset etiam illud, Quia servasti, referri ad præcedens, ut quantumcumque sit gravis tribulatio, non deficiatis, quia Ecce : quasi dicat : in promptu est, *venio*, idest veniam. Sed sic loquitur ut ostendat propinquitatem ad judicium ut nos remuneret, *Cito*. Haymon : « Cito fit omne quod transit. » Vel hoc dicit, quia mille anni ante oculos Dei sicut etc. *Tene*, per mentis custodiam et vitæ diligentiam perseverantes, *Quod*

habes, scilicet gratiam et vitæ tuæ merita. Job. xxvii: *Justificationem meam quam cœpi etc.* *Ut nemo accipiat coronam tuam*, idest quam tu meruisti. Haymon. « Cum certus sit Deo numerus electorum, dum remunerationem sibi promissam ob sui perdunt negligentiam, ne locus illorum vacuus remaneat, alii in locum eorum subrogantur, sicut de Judæis et Gentibus. » Judæis enim fuit promissa corona quam acceperunt Gentes. Rom. xi: *Ex ramis fracti sunt.* Sed objicitur: quia per hoc videtur quod prædestinatus posset amittere coronam suam, et ita damnari; quod est contra Gregorium, dicentem super illud Matth. xxiv, *Ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi*: « Procul dubio fieri non potest, ut in errorem electi plane capiantur. » Item. Aut intelligitur de corona præsciti aut prædestinati. Si præsciti: contra, quia corona non est ipsius cum non sit perseverans. Si prædestinati: ergo Divina prædestinatio potest frustrari. Respondeo: hoc verbum multipliciter exponitur a diversis. Quidam dicunt quod loquitur per quamdam exhortationem, sicut dicit mater puero, cum ipsum vult inducere ad sugendum: Tene ubera, ne dem alii. Alii dicunt quod intelligitur de corona gratiæ, non gloriæ: quia prædestinatio de gloria danda sibi non potest quassari. Tamen si intelligatur de corona gloriæ, non videtur inconveniens. De prædestinato enim est loqui dupliciter: aut secundum se et absolute, aut in respectu ad prædestinationem. Primo modo accipiendo, potest homo qui est prædestinatus peccare finaliter et coronam perdere, et sic damnatur, ut patet: quia liberum arbitrium habet non confirmatum quo potest velle malum et manere finaliter in eo. Secundo modo loquendo, non potest; quia non potest fieri ut hæc duo simul sint; scilicet quod ille sit prædestinatus et damnetur. Secundum primum modum loquitur Dominus in hoc verbo *Tene* etc.: loquitur enim secundum illud quod est ex parte hominis. Quantumcumque enim sit prædestinatus, oportet quod per industriam liberi arbitrii se disponat ad coronam, alioqui, non est prædestinatus, nec salvabitur. Deus enim prædestinans exigit conatum liberi arbitrii, sicut supra promiserat illi episcopo ut illum conservaret, et tamen post persuadet ei constantiam ne succumbat; quia Deus hominem hoc modo conservat, scilicet si homo divinæ gratiæ cooperetur: similiter est in opposito. Si autem non perseveret finaliter, eo ipso habetur quod non est prædestinatus. Secundo autem modo loquitur Gregorius. Ad aliud videtur dicendum, quod si hoc verbum *Tene*, accipiatur generaliter, tamquam monitio facta hominibus, potest intelligi tam de præscito justo, quam de prædestinato, quia corona est præsciti quantum ad meritum pro statu præsentis justitiæ, quam habet; quia si tunc decederet, salvaretur: licet non quantum ad finalem statum, quia non perseverabit. Prædestinatus etiam, ut dictum est, potest amittere coronam, eo modo quo dictum est. Tamen, secundum quod illud verbum dicitur illi episcopo, intelligitur de prædestinato. Ille enim videtur fuisse prædestinatus, cum multum commendetur a Domino et in nullo arguatur. Item per illud quod dicitur supra primo: *Et habebat in dextera sua septem stellas*: ubi nota *Glossam*. Ad illud quod contra objicitur, patet per præmissa. *Qui vicerit*, conclusio est: et continet duo, scilicet: Excitationem affectus, item intellectus, *Qui habet*. Affectum allicit ipse Dominus per promissionem. Primo autem ostenditur cui promittit. *Qui vicerit*, scilicet, tentationes vitiorum et adversa tribulationum. Secundo quid promittit. *Faciam*. Tria vero promittit. Primo quod faciet talem aliis utilem. Secundo quod in se immobilem. *Et foras*. Tertio quod divinis insignem, *Et scribam*. Dicit igitur, *Faciam illum*, per dona gratiæ. Ecce quod donum Dei est, cum est aliquis qui sit animabus in subsidium. *Columnam*, firmum in se, et alios documento, exemplo et suffragio sustentantem, *In templo Dei mei*, idest in Ecclesia fidelium, quæ est Dei templum spirituale. I Corinth. iii, *Templum Dei sanctum est quod estis vos.* Ecce quantum venerandi sunt viri spirituales; quia per eos Dominus alios sustentat, quod est eis amplius meritum, et

aliis in commodum, Gregorius *super hunc locum :* « Qui in Dei opere recta intentione firmatur, columna in structura fabricæ spiritualis erigitur : ut in hoc templo, quod est Ecclesia, positus, et utilitati sit et decori. » *Dei mei*, dicit, ut supra expositum est. *Et foras non egredietur amplius*, scilicet ab Ecclesia, sive a statu gratiæ per mortale peccatum : hæc autem est gratia magna. Psal. : *Susceptor meus, non movebor amplius. Et scribam.* Hic promittit quod victorem faciet Dominus insignem. Promittit autem tria insignia. Primo quod insigniet eum nomine præcelsæ divinitatis. Secundo quod nomine supernæ civitatis, *Et nomen civitatis*. Tertio quod nomine venerandæ Christianitatis, *Et nomen meum novum*. Triplex est hoc maximæ nobilitatis insigne : scilicet quod justus vocatur et est filius ipsius Dei, et etiam censetur ipso nomine Dei per adoptionem. Item quod est civis summi palatii. Item quod Christianus dicitur a nomine regis sui, scilicet Christi. Dicit igitur : *Et scribam,* idest in manifesto ponam stabiliter, *Super eum,* ut ab aliis cognoscatur, *nomen Dei mei*, scilicet Patris : quem vocat Deum suum in quantum homo. Hoc fit cum animæ justi, corpori quoque, verbo et operi et conversationi datur gratia, per quam et sit et cognoscatur filius Dei per adoptionem, imo etiam ut quasi Deus dicatur adoptione, Psal. : *Ego dixi, dii estis*, *Et nomen civitatis*, scilicet supernæ quæ est civium unitas, propter summam pacem, *Dei mei*, scilicet Patris, qui eam condidit, *novæ*, quia nihil vetustatis habet, *Jerusalem,* quia ibi est plena visio pacis, *Quæ descendit,* non secundum locum, sed secundum effectum, *De cœlo,* quantum ad statum viæ cum justi adhuc essent in exilio : descendit inquam, de cœlo, idest de conformitate cœlestium. Quia per hoc quod Ecclesia militans se conformat Angelis et sanctis comprehensoribus, per hoc fit civitas Dei in via ; et transiens in patriam, fit ibi civitas plene nova. Vel *Descendit de cœlo*, idest prius per hæc in via condita fuit, quod Christus descendit de cœlo et cum eo dona gratiarum. *A Deo meo,* scilicet Patre ; quia Deus nutrit virtutes in via, ut totum sit postea novum et pacificum in patria. Jacobi I, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est descendens a Patre luminum.* Et sic loquitur hic de superna civitate ; prius pro statu præmii deinde pro statu meriti. Infra, *Vidi civitatem novam etc.* Hujus autem civitatis nomen scribit Dominus victori in via calamo gratiæ Spiritus sancti, ditando ipsum donis, ut nominetur civis cœlestis Jerusalem. Ephes. II, *Jam non estis hospites et advenæ.* Vel potest intelligi totum pro statu viæ civitatis, scilicet Ecclesiæ militantis. Novæ, per gratiæ, innovationem, in qua est visio pacis internæ in conscientia et pacis ad Deum : cujus nomen scribitur super justum, quando per dona gratiæ et merita efficitur de societate justorum et numero salvandorum. *Et nomen meum novum*, scilicet Christus, ut a me Christo dicatur Christianus, idest gratia unctus : quod est nomen novitatis, interdicens omnem vetustatem. Supra eodem : *Et in calculo etc.* Haymon : « Hinc dignitas, hinc celsitudo provenit nobis ; hinc reges, hinc sacerdotes, hinc Christiani vocamur. » Vel aliter, *Scribam*, idest indelebiliter imprimam, *Super eum*, idest in ejus memoria, plus quam mens hominis capiat, *nomen Dei mei*, idest faciam per dona gratiæ magis ut habeat in memoria nomen Dei, idest rem nominis, scilicet quantum et quam infinita. Et ex hoc sequitur experientia majoris dulcedinis, quam mens hominis capere possit. Bernardus in libro *de Diligendo Deo :* « Quam suave est in memoria non sentitis, a spiritu proculdubio in præsentia sentietis. » *Et nomen civitatis Dei :* in memoria ejus imprimam rem nominis, ut scilicet consideret, quanta sit ejus gloria, et quomodo ad eam pertingamus. Vel de præsenti, ut in memoria portet, quale et quantum sit esse de societate justorum in Ecclesia. Et nomen, quod est Jesus vel Christus, ut mei memoria sit apud eum. Cantic. ultimo. *Pone me ut signaculum super cor tuum. Qui habet, ut supra.*

Et Angelo Laodiciæ etc. Ultima Epistola est, et admonet ad strenuitatem contra mentis teporem. Et consonat no-

sunt admonitionem; quia Laodicia interpretatur tribus amabilis; quia omnes strenui et ferventes Deo et Angelis sunt accepti. Proverb. xxii, Vidisti hominem velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles. Dividitur autem in Exordium, Narrationem, Scio opera tua, Conclusionem, Qui vicerit. Persona Christi commendatur in exordio, quantum ad tria. Primo, quantum ad promissorum completionem. Secundo, quantum ad divinorum annuntiationem, Testis. Tertio quantum ad potestativam operationem, Principium. *Hæc dicit amen*, idest veritas; quia per ipsum Patris promissa complentur. Joan. xiv, *Ego sum via etc.* *Et testis*, eorum quæ audivit a Patre, annuntiando ea hominibus, *fidelis*, contra tepiditatem, ut dicit *Glossa*, *et verus* contra falsitatem. Vel utrumque dicitur ut excludatur falsitas. Supra primo, *Qui est testis fidelis*. Vel *Testis*, scilicet operum in judicio. Matth. xxv: *esurivi et dedistis mihi manducare*. *Qui est principium*, idest prima creatura, *creaturæ Dei*, scilicet Patris universaliter, quia Pater per eum omnia condidit. Joan. i, *Omnia per ipsum facta sunt*, Consistunt. Joan. viii, *Principium qui et loquor etc.* Vel, *Creaturæ Dei*, idest per ipsum Deus Pater creat justos in operibus bonis. Ephes. ii, *Creati in Christo Jesu in operibus bonis*. Haymon: «In hoc ostenditur quia Pater non præcessit Filium, sicut nec radius solis posterior est sole, vel splendor igne.» Nota quod amen accipitur tripliciter. Aliquando, nominaliter, ut hic. Amen, idest veritas. Aliquando verbaliter, ut in Psal., ubi nos habemus, *Fiat fiat*, Hebræus habet : Amen amen. Aliquando adverbialiter. Joan. iii, *Amen amen dico tibi, quia nisi qui renatus fuerit etc.* *Scio*, Narratio est : quæ tria continet : Argutionem cum comminatione, Admonitionem cum consolatione, *Suadeo*, Promissionem cum excitatione, *Ego sto ad ostium*. Circa primum Primo ponit Arguitionem. Secundo arguitionis exaggerationem, *Quia dicis*. Dicit igitur, *Scio opera tua*; quasi dicat : non me latent. Hebr. iv, *Omnia nuda etc.* Vere scio ea : quia in operibus vitæ tuæ. *Neque calidus es*; quia caritate non ardes, viriliter agendo. Gregorius : «Calidus quippe est, qui bona studia et arripit et consummat.» *Neque frigidus*, quia fidem tenes, et aliquod opus habes. Gregorius : «Frigidus est, qui consummanda non inchoat.» Minus autem malum esset si frigidus esset quam tepidus; quia tunc major spes esset de eo : unde exaggerando subdit, *Utinam frigidus esses*, *exstens adhuc in peccatis*, *Aut calidus*, fervens calore caritatis. Hoc ideo dicit, quia homo frigidus, scilicet homo existens in peccatis nondum conversus, ex consideratione peccatorum disponitur ad timorem et pœnitentiam ; homo autem tepidus, scilicet qui conversus est, et post conversionem tepide agit, ex conversione habet confidentiam meritorum, et ideo non corrigit desidiam, et ita manet et durat vacuus et dignus evomi a Deo : et ideo melius est ut vel ardeat divino calore, vel si non ardet, saltem frigescat, et non sit in medio pendens per teporem. Gregorius : «Qui adhuc est in peccatis, fiduciam non amittit conversionis : qui vero post conversionem tepuit, spem quæ potuit esse de peccatore subtraxit.» Sed objicitur : quia esse frigidum est malum : quomodo ergo dicit, *Utinam etc.*? Item tepor majorem habet propinquitatem ad calorem quam frigus. Item sunt multi frigidi qui nunquam veniunt ad salubrem calorem. Respondeo. In frigido homine qui vel fidem plenam non habet, vel si habet, quasi nil boni agit, duo sunt; scilicet ipsa frigiditas mentis, et materia dispositionis; quia licet sit frigidus, tamen cum non sentit aliud in se unde confidat, et ulterius videt mala sua, ex hoc potest facilius disponi ad bonum; tepidus autem, quia aliqua bona agit, et se conversum videt, confidit, et ex confidentia difficilius seipsum corrigit. Loquitur ergo de frigido, non quantum ad culpam sive frigiditatem; sed quantum ad dispositionis majorem facilitatem : unde non optat huic primum nec secundum, ut dicit *Glossa*. Ad aliud dicendum, quod tepor in quantum habet aliquid caloris, magis propinquat calori : sed ratione annexæ confidentiæ, minus quam frigus spirituale. Hæc enim duo sunt in tepido : scilicet modicum

quid caloris spiritualis, et occupatio indispositionis : et ratione hujus dicitur illud. Ad aliud dicendum, quod non omnia talia intelliguntur universaliter, sed pro multis : in plurimis enim sic est. *Sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus; incipiam te evomere,* extra vomere, *Ex ore meo*, idest de consortio justorum, qui os meum sunt, et per eos loquor. Jerem. xv, *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Propterea enim Dominus hominem incorrigibilem magis et magis deserit et abjicit a se, et a collegio Ecclesiæ; cujus suffragia non sunt ei salubria. Et quandoque hoc exterius aperte fit per excommunicationem, ut tangit *Glossa*. Debet autem excommunicatio fieri vix et cum difficultate; sicut vomitus difficultatem habet. Potest et aliter os Dei intelligi peccator, quamdiu vocatur ad pœnitentiam, et supportatur a Deo, adhuc est intra os Dei, idest adhuc remanet infra septa divinæ misericordiæ : per quem Deus, quasi per os suum, manifestat se nobis : sed si non vult corrigi, evomit, idest quasi quodam vile abjicitur, extra septa misericordiæ prius exhibitæ, ut jam non sic sustineat clementer; sed vadit in reprobum sensum. Loquitur autem per similitudinem. Frigida enim et calida sumi possunt; sed tepida vomitum provocant. Juxta hoc loquitur de tepido. Sed nota quod dicit, *Incipiam :* non dicit *Evomam*, sed Incipiam evomere, quasi paulatim deserendo, non statim omnino, ut detur locus pœnitentiæ. Threnorum III, *Non enim humiliavit ex corde suo et abjecit filios hominum, ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.* Cum vero omnino persistunt in nequitia, a Deo deseruntur. Isidorus in libr. II *de Summo bono :* « Revera quem Deus deserit, dæmones suscipiunt. » *Quia dicis :* quasi dicat : merito incipiam te emovere : quia dicis, jactanter, *Quia dives*, scilicet scientia, *Et locuples*, virtutibus, *Et nullius egeo,* quia in omni bono habeo sufficientiam. Ecce jactantia superba. Gregorius *super hunc locum :* « Reprobi divitiis replentur, virtutes divitias vacuantur. Dum ruinæ suæ damna non considerant, esse se a bonis actibus inopes non agnoscunt.» Deinde ostenditur jactantia esse vana, quia non subest veritas, *Et nescis quia*, idest quod tu qui sic jactas, *Es miser*. Vituperat eum quantum ad defectum quadruplicis boni. Primum est notitia agendorum, ut sciat quid est necessarium ad salutem, quia fides cum operibus necessaria est. Contra quod dicit, *Es miser*, scilicet per ignorantiam, per quam deciperis, dum te putas in hac tepiditate sine operibus salvari per fidem mortuam. Ad aggravandum vero subdit, *Et miserabilis :* quasi dicat : in tantum miser es, quod misericordia de te potest haberi : sed adhuc gravius est quod hanc ipsam miseriam nescis. Unde dicitur, Et nescis etc. Psal. : *Nescierunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant.* Secundum est sufficientia sive opulentia gratuitorum, scilicet virtutum et donorum gratiæ : contra quod dicit, *et pauper*, scilicet virtutibus. Tertium cognitio incommodorum, ut scilicet sua vitia et damna agnoscat; contra quod, dicitur, *Et cæcus.* Quartum, ornatus meritorum : contra quod, *et nudus*, scilicet meritis vel operibus, vel nudus vestimento innocentiæ. Gregorius : « Pauper cæcus et nudus arguitur. Pauper utique, quia virtutum divitias non habet; cæcus, quia nec paupertatem quam patitur videt; nudus, quia primam stolam perdidit : sed pejus, quia non se perdidisse cognoscit.» *Suadeo tibi.* Hic ponit monitionem cum consolatione. Et primo admonitionem. Secundo consolationem, *Ego quos.* Monitio autem est triplex, contra tria prætacta. Prima ad quærendum aurum contra paupertatem. Secunda ad quærendum indumentum, contra nuditatem, *Et vestimentis.* Tertia ad quærendum visum, contra cæcitatem, *Et collyrio.* Dicit igitur, *Suadeo tibi.* Bona hæc suasio, et salubre consilium. Vere ille est Angelus magni consilii, Isaiæ IX, *Et vocabitur nomen ejus etc.*, *emere,* per industriam liberi arbitrii et fructum pœnitentiæ. Bona talis negotiatio. Lucæ XIX, *Negotiamini dum venio. Aurum*, idest cælestem sapientiam, quæ fulgida est. Item pretiosa, quia per eam acquiruntur caræ merces, scilicet gloriæ. Proverb. III, *Gloriam sapientes possidebunt. Ignitum*, quia sa-

passio, ratione fervida est, tunc amoris et calorem facit. Et probatum, idest purum et electum, non phantasticum. Sapientia enim hujus mundi phantastica est; sed sapientia quæ desursum est, vera est et pudica. Unde dicitur de sapientia, Proverb. III: *Primi et purissimi fructus ejus. Et locuples fias*, cum sis pauper: locupletem enim efficit tam quam aurum materiale. Sapient. VII: *Et divitias nihil etc., omne aurum etc.* Vel *Aurum*, scilicet caritatem; quæ aurum est propter fulgorem et decorem et pretiositatem. I Corinth. XII: *Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Aurum ignitum*, propter fulgorem vel fervorem. Rom. XII: *Spiritu ferventes. Probatum*, per sinceritatem; quia caritas omnem fucum abhorret. Genesis II: *Et aurum terræ illius optimum*, scilicet terræ Hevilath, quod interpretatur dolens, vel parturiens. Qui enim dolet de præteritis offensis, et cavens de futuris, parturit opera difficultatis et perfectionis, habet optimam caritatem. Vel *Aurum*, ipsum Christum, *Ignitum*, idest igne passionis assum. Vel per effectum, quia alios ignit. Luc. XII: *Ignem veni mittere in terram. Probatum*, quia nihil est in eo nisi purissimum, quod probatum est in fornace passionis. Psal.: *Igne me examinasti.* Sed quomodo dicitur, *Suadeo tibi emere etc.?* per hoc enim videtur quod primam gratiam possit homo mereri: quod falsum est. Item, hæc caret pretio. Job. XXVIII: *Nescit homo pretium ejus.* Respondeo. Non accipitur hic verbum emptionis proprie, sed large; quia proprie illa bona præmiari emi non possunt; nec primam gratiam potest aliquis mereri; alioquin gratia jam non esset gratia: sed per hoc ostenditur quod magna oportet facere hominem. Loquitur ergo sic Dominus prophetice ut magis ad industriam liberi arbitrii excitet hominem, per quam disponatur ad sapientiam sive caritatem, sive ad ipsum Christum, qui est thesaurus gaudiorum: et si se disponit, ita sibi datur ac si emisset. Juxta hunc modum loquendi dicitur Proverb. XXIII: *Veritatem eme etc. Et vestimentis albis induaris*, idest ornatu et candore virtutis et innocentiæ gratiæ et conversationis rectæ, cum sis nudus. Coloss. III: *Induti sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes etc. Ut non appareat*, omnibus in judicio, confusio nuditatis tuæ, ideo melius est nunc erubescere coram paucis. Nahum III: *Ostendam Gentibus nuditatem tuam. Et collyrio*, idest divinis præceptis, *Inunge oculos tuos*, interno, *Ut videas*, cum sis cæcus. Collyrium est remedium medicabile pro oculis, tale est præceptum. Deinde ad clarificandum oculus amoris respectu boni, qui est quasi oculus dexter, et timoris respectu mali, qui est quasi oculus sinister. Psal. *Præceptum Domini lucidum illuminans, oculos*. Vel, *Collyrio*, idest dono Spiritus sancti. Vel *Collyrio*, idest compunctione; quia collyrium primo turbat oculum, et humorem malum fluere facit, ut post clarum reddat. Similiter et contritio, prius turbat animum per dolorem, et sic evacuat humorem peccati: cujus signum aliquando est resolutio in lacrymas, et sic interni oculi clarescunt. Ecclesiastici XXXVIII: *Unguentarius facit pigmenta etc. Ego quos.* Hic ponit consolationem; quia ex asperitate arguitionis et comminationis, desperare posset. Et quia ipsa consolatio debet allicere ad bonum, ideo Primo ponit consolationem. Secundo hortatur ad pœnitentiæ satisfactionem, *Æmulare*. Dicit igitur, *Ego*: quasi dicat: ne desperes quia argutio mea ex amore est, Quia *Ego quos amo*, dulcedine prædestinationis. Jeremiæ. XXXI: *In caritate perpetua dilexi te. Arguo*, verbis, *Et castigo*, flagellis. Augustinus in libro *de Verbis Apostoli*: « Melius est ut flagellet te et recipiat te, quam ut pareat tibi et deserat te. » Hebr. XII: *Quem enim diligit corrigit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Sed quæritur, quare Dominus cultores suos sic vexat aliquando flagellis, malos autem dimittit quandoque in prosperis et deliciis? Jeremiæ XII: *Quare via impiorum prosperatur?* Respondeo. Primum est ex divina misericordia, ex qua est quod electos quos scit finaliter perseveraturos reservat ad vitam; et ideo ne devient a semita, restringit eos sub loris disciplinæ adversorum: vel per ipsa adversa purgat ostensam peccatorum præ-

teritorum, vel per eadem facit magis idoneos ad perceptionem præmiorum. Secundum est ex Dei justitia, sive iracundia; merito enim scelerum in quibus scit malos finituros vitam, debetur eis gehenna et subtrahitur divina benevolentia. Et ideo ira divina dimittit eos in deliciis et prosperis, permittens ut qui in sordibus est sordescat adhuc. Infra ultimo. Multos tamen malos dulciter vocat, et flagellis et aliis modis. Ad præmissa autem inducit Haymo hujusmodi exempla. Vitulus qui occisioni paratur, liberius pascuis saginari permittuntur : qui vero ad usus necessarios reservatur, jugo et loris domatur, stimulis pungitur, verberibus cæditur. Ei ergo cujus vita desperatur a medico, etiam saluti ejus contrarium non negatur : cujus autem recuperanda salus æstmatur; animo ejus desiderabilia, salutique contraria omnino negantur. Tertio, quia ex amore te arguo. *Æmulare*, idest imitare bonos qui non sunt tepidi. III Joan. *Noli imitari malum sed quod bonum est*. Vel *Æmulare*, idest zelum habeas in fervorem ad bonum. Galat. III : *Æmulamini bonum in bono*. Nota quod æmulari multipliciter accipitur : quandoque pro indignari, quandoque pro imitari : et utroque modo secundum diversos modos exponendi accipitur. Rom. XI : *Sed illorum delicto, salus Gentibus etc.* Quandoque pro invidere, unde æmulus dicitur invidus; et sic accipitur etiam in eisdem verbis, secundum alium modum exponendi. Quandoque pro zelare sive diligere. II Corinth. XI : *Æmulor enim vos*. Ad quid autem tendere debeat æmulatio subdit, *Et pœnitentiam age*, de tepiditate per strenuitatem. Joannes Chrysostomus : « Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde ejus contritio, in ore ejus confessio, in opere tota humilitas. » *Ecce*. Hic ponit promissionem cum excitatione : per hoc enim excitat eum quod dicit se stare, quasi ad ostium, et excitare pulsando. Et nota quinque, quæ circa justificationem considerantur. Primum est dignatio Dei peccatorem excitantis. Secundum consensus sive motus liberi arbitrii se disponentis; *si quis*. Tertium infusio gratiæ animam justificantis *Introibo*. Quartum meritum justificati in gratia proficientis, *Et cœnabo*. Quintum pastus consolationis animam reficientis, *Et ipse*. Dicit igitur : *ecce* : quasi dicat : debes pœnitentiam agere, quia *ecce* : quasi dicat : attende hoc, *ego*, qui Deus sum, *sto*, per expectationem paratus recipere. *Ad ostium*, scilicet voluntatis, per quam Christus intrat in animam per gratiam, *et pulso*, per excitationem, scilicet terrendo per considerationem pœnæ, vel immittendo dolorem de peccatis, vel desiderium gloriæ, vel vocando per prædicatores. Cantic. VI : *Vox dilecti mei pulsantis*. *Si quis*, notatur raritas, *audierit*, intelligendo, *Vocem meam*, scilicet inspirationis internæ, vel prædicationis, vel scripturæ, *et aperuerit mihi januam*, cordis scilicet pœnitendo, *Introibo ad illum*, per gratiæ infusionem. Vel, *Si quis audierit*, per obedientiam ut convertatur, *et aperuerit mihi januam*, tollendo tumultus cogitationum et vincendo tentationes quæ occurrunt. Introibo ad illum, Joan. XIV : *Ad eum veniemus etc.* Bonus talis hospes et honorandus : unde beatus Bernardus in *Meditationibus* : « Cœnaculum grande statum statum exhibe Christo. » *Et cœnabo cum illo*, ejus fide et operibus delectabor. Justus bene operans comedit, quia in operando lætatur; et Dominus convivatur cum eo, quando delectatur in ejus meritis. Bernardus *super Cantica* : « Cibus ejus pœnitentia mea, cibus ejus salus mea, cibus ejus ego ipse. » *Et ipse mecum*, quia dum ejus statum acceptabo, consolatione interna pascam eum. Sap. VIII : *Proposui hanc mihi adducere ad convivandum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis*. Admirandæ sunt deliciæ hujus convivii, quæ dantur eis qui alias non quærunt et divinis insistunt. Ambrosius in *quædam homilia* : « Qui domicilio Christum recepit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. » Vel, *Cœnabo cum illo*, in via, *et ipse mecum*, in patria. Lucæ XII : *Præcinget se etc.* *Qui vicerit*, scilicet vitia et omnia tentamenta, et perseveraverit : *Dabo ei sedere mecum in throno meo*, idest dabo ei potestatem judiciariam ut mecum judicet. Per thronum enim intelligitur potestas judicandi, sessio autem

sedet auctoritatem sicut hujusmodi potestatis. Matth. xix: *In regeneratione, cum sederit Filius hominis.* Mecum, autem dicit quia cum eo judicabunt. Sed quid est quod dicit, *Mecum in throno?* quia alia est potestas perfectorum in judicando, alia ipsius Christi; ergo non est aequalis. Respondeo. Non intelligitur quod et aeque judicent, vel quod sit eadem potestas; sed notatur communicatio judiciariae potestatis, quae in viris perfectis minor est quam in Christo, quorum potestatis origo est potestas ipsius Christi. Unde cum dicitur, *Dabo ei sedere mecum in throno meo*, notatur et communicatio et excellentia, per hoc quod dicitur in throno meo. Unde super hunc locum dicit Gregorius: « Nobis in throno Filii sedere est, ex ejusdem Filii potestate judicare. Quia enim judicii principatum ex ejus virtute suscepimus, velut in ejus throno residemus. » Item objicitur, quia dicit perfectos sessuros in throno singulariter, in Evangelio autem dicit in duodecim. Matth. xix: *Sedebitis et vos etc.* Item quare duodecim, cum non solum Apostoli sunt judicaturi? Respondeo. Ad primum, quod non est contrarium. Cum enim dicitur hic in throno, intelligitur principaliter Dominica potestas, ex qua tamen habebunt perfecti potestatem judicandi, et ideo dicuntur sessuri in ejus throno. In Evangelio vero agitur principaliter de ipsa eorum, quae multiplex est, potestate. Idem ergo dicitur hic et ibi, sed differenti ratione. Unde Gregorius super hunc locum: « Hic duodecim thronos, quod uno throno Filii designatur: quia videlicet universale judicium ex nostri mediatoris interventione percipimus. » Ad aliud dicendum, quod non intelligitur de solis Apostolis; sed per numerum duodenarium intelligitur universitas eorum qui judicabunt, sicut dicit Gregorius et Augustinus et *Glossa*. Responsio est secundum Augustinum; quia partes quibus universitatem significant, scilicet tria et quatuor, complent duodenarium; quia ter quatuor sunt duodecim. *Sicut et ego*; quasi dicat: Qui vicerit me, propter victoriam recipiet dignitatem sedendi. In hujus modo: Sicut ego propter victoriam qua vici mundum judæos et diabolum, sedeo in throno Patris, idest, regnare cognoscor, aequalis ei in sua potentia, qua et judicat et dominatur; cujus potentia dominativa per thronum signatur. Ex merito enim victoriae, Joan. xvi: *Confidite, ego vici mundum*, habet manifestationem nominis, scilicet quod ipse sit homo et *Deus aequalis Patri*. Philipp. ii, *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; mortem autem crucis.* Propter quod et Deus exaltavit illum. *Sedi*, idest sedem accepi. Hebr. i, *Sedet ad dexteram etc.* Sed objicitur, quia perfecti non judicabunt cum Christo per aequalitatem; ipse autem Christus sedet cum Patre in throno, idest regnat cum Patre in eadem potentia, per aequalitatem perfectam. Respondeo: hæc dictio sicut, quandoque est nota aequalitatis, ut Joan. v: *Sicut Pater habet vitam in semetipso etc.*, quandoque similitudinis simplicis: Matth. v: ***Estote perfecti sicut et Pater vester perfectus est***; et hoc secundo modo accipitur hic. Item objicitur de sessione hujusmodi, quia aut intelligitur de Christo, quantum ad divinitatem, aut humanitatem; non primo modo; quia Christus inquantum Deus, est aequalis Patri. Respondeo. Dicendum quod intelligitur non quantum ad divinitatem, nec quantum ad ipsam humanitatem; sed quantum ad personam existentem in humanitate. Et iterum sessio referenda est ad manifestationem sessionis; quia saepe in Scripturis dicitur res fieri, quando innotescit. Licet ergo ipse inquantum Deus, sit per naturam Patri aequalis; tamen ipse est homo, per victoriam passionis minuit manifestationem aequalitatis, quam ipse existens in humanitate habuit ad Patrem. Unde super hunc locum Gregorius: « Vincens Dominus in throno cum Patre sedisse se asserit; quia post passionis certamina, primam passionis palmam clarius se omnibus quod potestate Patri esset aequalis, indicavit. » *Qui habet aures*; septies repetitus est iste versiculus, ut nemo de ignorantia, nemo de negligentia se excuset. Et dicitur, *audiat*, interno intellectu, quia intelligentia janua est ad affectum, et ex affectu procedit omne bonum. Proverb. viii: *Beatus homo qui audit me.*

CAPUT IV

Post hæc vidi etc. Post primam visionem quæ fuit de correctione Ecclesiarum, sequitur secunda, quæ est de revelatione mysteriorum, congruo ordine; quia, sicut dicit *Glossa :* « Correctos competenter sequitur secretorum revelatio. » Dividitur in quatuor partes secundum mysteria quæ revelantur. Prima est de sedente in throno et ejus ornatu. Secunda de libro signato quinto capite, *Et vidi in dextera.* Tertia de agno aperiente librum quinto capite ante medium. *Et ecce in medio throni et quatuor animalium.* Quarta de apertione sigillorum et consequentibus ad eam, sexto capite. *Et vidi quod aperuisset.* Distinguitur autem sic. Nam prima quæ est de sedente in throno, pertinet ad contemplationem potentiæ. Secunda qua videtur liber signatus, ad contemplationem sapientiæ. Tertia qua videtur agnus occisus, ad contemplationem gratiæ redemptionis humanæ. Quarta qua videtur apertio sigillorum, ad contemplationem status universalis Ecclesiæ. Circa primum primo ponuntur quædam antecedentia visionem. Secundo ipse tenor visionis. Antecedentia fuerunt duo. Primum aspectus ostii reserati. Secundum auditus præcepti sibi dati, *Et vox*, dicit igitur, *Post hæc.* Notatur enim per hoc ordo visionum, non temporum. Creditur enim hanc visionem cum prima vidisse eadem die, scilicet Dominica. *Vidi*, idest revelatio mihi facta est, et vidi interno oculo. Quid autem viderit subdit. *Et ecce :* quasi dicat : in promptu fuit mihi videre, *ostium*, erat, *apertum in cœlo*, idest Scriptura per quam ingressus est ad vitam, per quam etiam Christus sedens in justis ostenditur, de quo post sequetur, erat aperta in Ecclesia quæ est cœlum, per sapientiæ claritatem et vitæ sublimitatem. Vel in cœlo, idest in illis qui per fidei et vitæ eminentiam et contemplationis celsitudinem sunt cœlum : tales enim et Scripturam et secreta De profundius capiunt. Vel ostium Christus est per quem est ingressus ad revelationes visionum. Joan. x : *Ego sum ostium. Et vox prima quam audivi*, interiori auditu, prima scilicet in visione hac, erat *Tanquam vox tubæ*, quia ad magna invitabat, sicut tuba magnum sonum habet. Proverb. VIII : *Audite quia de rebus magnis loquutura sum.* Vel quia ad bellum spirituale excitabat suadendo intendere visioni sequenti, sicut sequitur, *Ascendo huc*, non gressu corporis, sed elevatione mentis. Item per illam vocem primam intelligitur lex vetus quæ ad bellum contra peccata vocat. Usus enim tubarum solet esse in bellis. *Loquentis mecum*, quia non dissonat a ratione, Rom. VII. Igitur invenio legem, volenti mihi facere bonum etc. *Ascende huc*, scilicet ad spiritualem intellectum. Noli morari in superficie litteræ. Ipsa enim lex dat viam, ad implendam eam spiritualiter. Unde Galat. II, *Ego enim legi per legem mortuus sum ut Deo vivam. Et ostendam*, hoc addidit vox Angeli. *Et ostendam tibi quæ oportet fieri cito post hæc*, scilicet in ultimis temporibus. Cito, dicit, quia totum tempus breve est comparatione æternitatis. Hæc enim visio, secundum *Glossam*, fere tota est de ultimis fidelibus : pauca tamen addidit de eis qui ante Christi adventum sunt passi. Per hoc autem quod dicitur, cito, suscitantur fideles a torpore. Tempus est breve, eodem supra primo. Quæ autem sunt illa quæ ostendenda promittuntur, patet in ipsa visione quæ sequitur. Sed quid est quod vox dicit Joanni, *Ascende huc?* Nonne ipsa erat in excessu mentis prius? Jam enim dixit : *Post hæc vidi etc.* Respondeo : Quamquam in excessu mentis erat, sicut illa antecedentia indicant : sed quia ea quæ sibi post ostenduntur sunt præmissis altiora ; ideo jubetur elevare mentem in excessum altiorem. Gradus enim sunt in excessu mentis. *Et statim.* Hic ponitur ipsa visio. Et primo ostenditur status videntis. Et statim postquam locutus est mihi. Gregorius : « Nescit tarda molimina, Spiritus sancti gratiam. » Item ostenditur obedientia mentis qua est obediens motui gratiæ quæ est quasi nuntius Dei, excitans animam ad sui ipsius elevationem, *Fui in spiritu*, idest in altiori excessu spiritus.

Haymon : « Non quod spiritus a corpore fuerit ablatus ; sed vis spiritus sublevavit mentem ad cœlestia mysteria contemplanda. » Secundo subditur revelatio visionis, *Et ecce*. Hæc autem pars dividitur in quinque. Prima est de sedente in sede, Secunda de circumstantibus sedem, *Et iris*. Tertia de procedentibus a sede, *Et de throno*. Quarta de his quæ in conspectu sedis, *Et septem lampades*. Quinta de his quæ in medio sedis et in circuitu, *Et in medio*. Circa primum Primo describitur sedes. Secundo sedens, *Et supra*. Tertio ipse sedens, *Et qui*. Dicit igitur, *Et ecce sedes*, scilicet Ecclesia in qua Deus sedet tamquam in ea quiescens, regnans, disponens et judicans. Luc. i, *Et dabit ei Dominus Deus sedem etc. Posita erat*, idest firmiter erat constituta. *In cœlo*, idest in eminentia vitæ quæ mundum excedit. Vel sedes mentes justorum in quibus Christus quiescit. Posita in cœlo, Sed in Ecclesia. Sap. vii, secundum aliam translationem, Anima justi sedes est sapientiæ. *Et supra eamdem sedem*, scilicet Christus, qui sedet in Ecclesia quiescens et dominans et paratus judicare. Nota Glossam, *Sedens Christus etc.* vel sedens Deus Pater ; vel tota Trinitas, quia tota Trinitas sedet in justis. Supra sedem tamquam excedens. Psalm. : *Deus sedet super sedem sanctam suam*. Et bene dicitur, *Super sedem*, quia in eis sedet et quiescit qui se sub eo humiliant. I Petr. v, *Humiliamini sub potenti manu Dei. Et qui sedebat*. Describitur Christus sedens et quantum ad divinitatem, quæ per jaspidem, et quantum ad humanitatem, quæ per Sardinem. Dicit igitur, *Et qui sedebat*, scilicet Christus, *Similis erat*, non secundum naturam, sed secundum figuram visionem Joanni. *Lapidis jaspidis*. Jaspis lapis est pretiosus viridis coloris qui super omnes alios colores delectat et confortat visum ; unde signat divinitatem Christi. *Glossa* : « Divinitas viret et pascua præbet suis. » I Petr. i, *In quem desiderant Angeli prospicere. Et sardinis*. Sardis est lapis pretiosus rubei coloris ; unde signat humanitatem Christi rubricatam sanguine passionis. Isa. lxiii, *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? etc.* ; et in his duobus consistit hominis beatitudo. Augustinus in lib. *de Spiritu et anima* : « Propterea Deus factus est homo etc. » Talem ergo describit Christum qui per omnia ostenditur esse desiderabilis, ut per eum sustineantur gratanter omnia adversa, de quibus infra dicit. Cant. v, *Et totus desiderabilis. Et iris*. Hic describit circumstantias sedem. Loquitur autem hæc series hic et in sequentibus de Christo ad similitudinem judicis et sedis ejus, quia sedes ejus solet circumdari quibusdam ornatibus, et prudentes et reverendi senes astant ei, et locus est pulcher et spatiosus. Ostenditur autem hic Ecclesia vallari duplici beneficio Dei. Primo munimine divinæ protectionis, qua fideles proteguntur contra mala. Secundo directione salubris informationis, qua dirigitur ad declinanda vitia et eligenda bona. *Et in circuitu sedis*. Dicit igitur, *Et iris*, idest divina propitiatio. *Erat in circuitu sedis*, idest circumdabat Ecclesiam tamquam protegens. Psalm. : *Et Dominus in circuitu populi sui*. Iris idem est quod pax. Iris enim fuit posita in signum pacis inter Deum et homines. Genes. ix, *Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et terram*. Unde iris signat divinam propitiationem ad fideles quam exhibet eis per gratiam baptismi, ratione cujus non deest baptizatis fidelibus : cujusmodi baptismus signatur in iride per colorem cæruleum qui attestatur abundantiam aquæ in nube, et per virtutem sanguinis proprii, qui signatur per rubrum colorem iridis. Vel per hunc duplicem colorem potest intelligi duplex judicium : scilicet præteritum per aquam, in quo Dominus suos protexit, et futurum per ignem, in quo Dominus salvabit. Psalm. : *Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit*. Nota iterum quod recte per iridem signatur misericordia Christi ad fideles : quia, sicut exponit Haymon : « Generatio iridis est ex subintratione radii in nubem aquosam. » Nubes Beata Virgo. Isa. xix, *Descendet Dominus sicut pluvia in vellus*. Quæ fuit aquosa aquis gratiarum : in quam intravit radius æterni solis, scilicet Christi, ex cujus subintratione generata est iris, idest inde habita via ad obtinendam pacem et misericordiam ab ipso :

Ephes. II, *Ipse est pax nostra. Similis visioni smaragdinæ :* hoc est dicere : Iris cum aspiciebatur apparebat similis Smaragdo : unde Smaragdus idem signat quod iris, scilicet divinam benevolentiam ad genus humanum, ratione viriditatis quæ visum confortat et delectat. Similiter divina misericordia, cor hominis recreat cum considerat et confortat. Ecclesiastici XXXV. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis.* Item in spirituali ratione viridis coloris qui est color aquaticus, signat baptismum : per colorem rubrum signat sanguinem dominicum, per quæ duo transit ad nos protectio divinæ propitiationis. Vel per rubrum colorem dona Spiritus sancti in baptismo suscepta, quæ igne spirituali rubere faciunt animam. De baptismo, infra VII. *Nolite nocere terræ et mari neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus suis.* Et de sanguine, Exod. XII, *Cum viderit sanguinem etc. Et in circuitu.* Hic primo describitur ipsa doctrina. Secundo dispensatores doctrinæ, *Et supra thronos.* Dicit igitur, *In circuitu sedis*, idest ad protectionem Ecclesiæ sive fidelium. Scriptura enim protegit in tentationibus, deinde informat ad cavendum malum et adhærendum bono. Proverb. XXX, *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est. Sedilia.* Sedilia dicuntur libri utriusque Testamenti, quia in eis debet anima sedere, idest quiescere et pasci. Psalm. : *In loco pascuæ ibi me collocavit.* Unde Isidorus in libro I *de Summo Bono :* « Sanctarum Scripturarum altitudo quasi montes pascuæ sunt; ad quos dum quisque justorum conscendit, pascua indeficientis refectionis se invenisse gaudet. » *Vigintiquatuor.* Non quia non sint plures libri in utroque Testamento : sed designantur sub numero patrum sive doctorum utriusque Testamenti. Talis itaque numerus ponitur librorum propter numerum doctorum, per quos dispensatur doctrina librorum. Ipsi enim dicuntur vinginti-quatuor, sicut sequitur. Vel vigintiquatuor sedilia dicuntur libri veteris Testamenti, qui sunt vigintiquatuor, si Ruth non computetur cum libro Judicum sed per se, nec Threni cum libro Jeremiæ. Si enim cum illis computentur, non sunt nisi vigintiduo, sicut dicit Hieronymus *in prologo super librum Regum. Et super thronos vigintiquatuor*, scilicet super illa sedilia, idest in superiore parte Scripturæ, scilicet in intelligentia spirituali sedent seniores, idest doctores veteris et novi Testamenti, pastores et rectores aliorum. Unde Beatus Paulus legem et facta antiquorum considerabat mystice, Galat. II, *Ego autem legi per legem etc.* Item Galath. IV, *Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit.* Item ad Hæbræos ostendit se sedisse super legem per intellectum spiritualem. Dicuntur autem vigintiquatuor. Nam per viginti duo intelliguntur omnes Patres sive doctores veteris Testamenti, propter dignitatem duodecim Patriarcharum. Ex quorum numero dedicatur duodenarius doctorum veteris Testamenti. Sub duodenario intelliguntur similiter doctores novi Testamenti, propter dignitatem duodecim Apostolorum, licet longe major sit numerus utrorumque. Vel quia per doctrinam, tum illorum, tum istorum, informatur mundus, quantum ad quatuor partes orbis, in fide Trinitatis : tria enim quater faciunt duodecim. In descriptione autem sedentium dicuntur quatuor. Dicuntur enim seniores per prudentiam. Job. XII, *In antiquis est sapientia.* Sedentes per justitiam; quia sic quiescunt et meditantur in Scriptura sacra doctores, ut seipsos districte judicent et per justitiam exhibeant aliis exemplo, quod exhibent documento. Gregorius : « Dignum est ut cum aliena corrigimus, prius nostra metiamur. » *Circumamicti*, per medicinam seu temperantiam, ut ex omni parte doctor Scripturæ sit circumvestitus indumentis medicinæ : quæ indumenta sunt plura : quia lingua, oculi, aures et omnia membra debent medicina ornari. Infra VIII, *Et in conspectu agni amicti stolis albis. Et in capitibus eorum*, idest in mentibus eorum : quia sicut caput est superior pars corporis, ita mens, scilicet superior pars animæ dignior est in ipsa anima et regit vires inferiores. *Coronæ aureæ*, hoc dicitur propter victoriam ex virtute fortitudinis. Per coronas enim aureas quas vidit in eorum

capitibus, signatur victoria quam obtinemus de vitiis. Victoria enim corona solet dari. Psalm. : *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Et dicuntur aureæ coronæ propter pretiositatem, quia pretiosissimum vel vincere bella peccati : vel propter charitatem quæ per aurum intelligitur, per quam vitia vincuntur. Cant. viii, *Fortis est ut mors dilectio.* Aliter, per seniores possunt intelligi minores ministerque Testamenti. Unde Glossa : « Minor Ecclesia etc. » Et ponuntur in hoc numero propter numerum sacrum rectorum super quos volunt resideri per auctoritatem præsidendi et vigilantiam regendi, sicut signatur Luc. ii, *Et pastores erant etc.* Cætera non mutantur. *Et de throno.* Hic agit de his quæ procedebant a sede ; quæ sunt tria, scilicet fulgura miraculorum. *Et de throno*, idest Ecclesia sive de eis in quibus Deus sedet, *Procedit*, idest procedebant. Loquitur pro tempore quo vidit visionem. Item dicit, procedit, de præsenti, quia ita fit in Ecclesia quantum ad figuratum spirituale. *Fulgura*, scilicet miraculorum quæ terrent et illuminant. Psalm. : *Fulgura multiplicavit etc.* *Et voces*, admonitionum, scilicet de vitandis malis et amplectendis bonis et desiderandis præmiis. Cant. ii, *Vox tua dulcis.* *Et tonitrua*, argumentorum et comminationum. Psalm. : *Vox tonitrui tui in rota.* *Et septem.* Hic agitur de his quæ in conspectu sedis : et hæc sunt ea per quæ producitur Ecclesia ad salutem. Et specialiter duo tanguntur. Primum gratia quæ a Deo offertur : unde dicitur : *Et septem lampades*, idest septem dona Spiritus sancti quæ illuminant et claritatem donant, ad modum lampadis. *Ardentes*, per effectum, quia accendunt. Judicum vii, legitur quod Gedeon et sui, lumine lampadarum adjuti sunt, ut sic vincerent hostes. *Ante thronum*, idest sedem, scilicet Ecclesiam, quia gratia Dei omnibus qui sunt sedes Dei parata est. II Petr. i : *Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam.* Secundo sacramentum, quod per hominem dispensatur. Deus enim et per se immediate infundit gratiam, et per remedia sacramentalia ordinat et regit Ecclesiam. Specialiter autem ponit sacramentum baptismi. *Et in conspectu sedis*, idest in evidentia Ecclesiæ. Baptismus enim est sacramentum necessitatis, et ideo debet haberi præ oculis, ut et parvulis detur et adultis non regeneratis. Item in conspectu sedis, quia commune est omnibus. Item omnes debent tantum gratiam recogitare, ne sint ingrati suo regeneratori. Zach. xiii, *Erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutione peccatorum et menstruatæ. Mare.* Triplex est effectus baptismi. Primus est sinceritas a culpa : baptismus enim a culpa purificat, et ideo dicitur mare. Mare dicitur lavatorium ; et vocatur mare propter continentiam multæ aquæ, sicut in templo Salomonis positum est mare, ut ibi sacerdotes abluerentur, III Reg. vii : unde per mare intelligitur baptismus humanus in immunditiam. Act. ii, *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Secundus claritas innocentia sive sapientia, quia baptismus clarificat animam ad cognoscendum Dominum per fidem ; et ideo dicitur : *Vitreum.* Sap. i, *Clara est et quæ etc.* Tertius firmitas contra vitia ; maxime quando gratiæ baptismali susceptæ cooperatur homo sustinendo viriliter adversa ; et ideo dicitur : *Simile crystallo*, sicut ex aqua fit crystallus per consolidationem, ita infirmi et fluidi fiunt per gratiam baptismalem prius susceptam firmi et solidi, si ei strenue cooperentur ; et ideo illud mare dicitur simile crystallo. Unde Ambrosius in lib. ii *de Sacramentis* : « Cum mergeris, mortis suscipis et sepulturæ similitudinem ; adhæres clavis Domini nostri Jesu Christi, adhæres ne te diabolus possit abstrahere. » Habet igitur baptismus vim ablutivam, clarificativam et solidativam. Vel mare potest intelligi Scriptura ; quæ habet triplicem effectum prædictum ; quia verbum Domini mundat, Joan. xv, *Jam vos mundi estis propter sermonem meum.* Item clarificat. Psalm. : *Præceptum Domini lucidum.* Item firmat. Psalm. : *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi.* Ideo dicitur mare. *In conspectu sedis*, dicitur, quia frequenter meditandum est in

Scriptura. Psalm. : *Sed in lege Domini voluntas ejus*. Item comparatur vitro ; quia vitrum ostendit rem, sed non plene ; similiter et Scriptura. Consimili ratione crystallo, quia propter unum signatum ponitur multiplex comparatio. Item in mari potest intelligi sensus historicus. In vitro sensus moralis. In crystallo sensus allegoricus, ratione dignitatis majoris. Et in his per consequens potest intelligi anagogicus ; quia per hunc triplicem, est via ad quærendum æterna. Sic ergo patet efficacia prædicantium, in fulgoribus miraculorum ; patet etiam prædicationis materia in vocibus et tonitruis : patet etiam gratia per quam prædicant ; quia per septem dona. Item unde prædicant, quia de lege divina. *Et in medio*. Hic agitur de his quæ in medio sedis sunt et in circuitu : scilicet de quatuor animalibus quæ vidit in visione secundum figuram. Primo autem ostenditur numerus animalium. Secundo, multiplicitas oculorum, *Plena oculis*. Tertio, figura singulorum, *Et animal primum*. Quarto, numerositas pennarum. *Et quatuor animalia*. Quinto vox resonantium, sive laudantium, *Et requiem*. Dicit igitur, *Et quatuor animalia*, scilicet Evangelistæ, secundum beatum Gregorium, qui comparantur animalibus, propter proprietates animalium quæ conveniunt eis quantum ad Evangelia quæ scripserunt, sicut post sequetur : erant, vel Vidi. *In medio*, ad disponendum Ecclesiam, sicut paterfamilias est in medio familiæ, ad disponendum et regendum. *Et in circuitu*, ad protegendum tamquam murus cingens civitatem. Per doctrinam enim scriptam ab Evangelistis, et regitur et protegitur Ecclesia. Regit ut recte vivat, Protegit ne succumbat. De quatuor animalibus, Ezechielis I, *Et de medio ejus similitudo quatuor animalium*. *Plena oculis*, idest plena cœlesti cognitione, et salubri consideratione, *Ante*, quantum ad bona tenenda, *Et retro*, quantum ad vitia et vana contemnenda. Philipp. III, Quæ quidem retro sunt, et futuris quæ ante sunt loquuntur, ut de primo adventu Christi, et secundo, ut patet in Evangeliis. *Et animal primum simile leoni* : quasi dicat : primum animal habebat signum leonis. Per illud animal intelligitur Marcus, tum ratione prædicationis dictæ, in qua Dominus rugiit quasi leo, quem in principio describit. Tum ratione resurrectionis, in qua ejus fortitudo apparuit, quam clarius ceteris Marcus describit. Infra v, *Vicit leo de Juda*. Per vitulum Lucas. Agit enim de Christo quantum ad immolationem passionis. Vitulus enim erat animal aptum ad immolandum. Lucas autem statim incipit a sacerdotio. Christus namque ipse sacerdos et hostia in passione. Per hominem Matthæus, quia nascentem dominus plenius describit. Liber generationis etc. Per aquilam Joannes, quia ceteris altius volans de ipsa divinitate amplius quam alii scripsit. In principio erat Verbum. Gregorius *super hunc locum* : « Per aquilam, quæ cunctarum avium visum acie superat, signatur Joannes, qui volando terram deserait ; quia per subtilem intelligentiam interna mysteria Verbum videndo penetravit. » Aliter per hæc animalia possunt prædicatores designari, et hoc sub numero tali ; quia de quatuor Evangeliis extrahitur eorum prædicatio. Vel propter quatuor quæ debent prædicare : scilicet credenda, agenda, vitanda, desideranda. Vel propter quadrifidam prædicationem de Christo. Debet igitur quilibet prædicator esse leo, per fortitudinem. Proverb. XXX, *Leo fortissimus bestiarum etc*. Vitulus, per mortificationem. I Cor. IX, *Castigo corpus meum*. Homo, per discretionem, ut non habeat actus insipientiæ. Proverb. IV, *Oculi tui recta etc*. Aquila, per contemplationem. Job XXXVIII, *de longe contemplatur escam*. Oportet etiam quilibet fidelis esse leo, per fortitudinis magnanimitatem. Prover. XII, *Manus fortium etc*. Vitulus, per vitæ austeritatem. Rom. XII, *Obsecro vos per misericordiam Dei etc*. Homo, per mansuetudinis lenitatem ; quia homo est animal natura mansuetum. Psalm. : *Et exaltabit mansuetos in salutem*. Aquila, per desiderii sublimitatem. Philipp. I, *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*. Christus etiam per hæc animalia intelligitur, ut habetur in *Glossa*. Sed quare hic ponitur leo, cum Ezechielis primo ponatur facies hominis? Item quare dicit,

Quasi hominis, cum Christus vere sit homo? Gregorius *super hunc locum* : « Ipse homo est qui naturam nostram veraciter suscepit » Respondeo. Ezechielis i, ordinantur animalia secundum ordinem historiæ. Unde primo ponitur figura hominis, quia Matthæus agit de humanitate, quæ primo consideratur in Christo, et per eam ascenditur ad divinitatem. Joannes vero attendens illas figuras jam impletas, sequitur ordinem causalitatis, respectu fidei nostræ : et ideo primo posuit leonem, quia ex prædicatione Christi et resurrectione habet ortum multiplicatio fidei. Ad aliud dicendum, quod non ideo dixit, *Quasi hominis*, quia non fuerit verus homo : sed quia figura quam vidit non erat figura veri hominis : quia tunc non vidit vera animalia, sed imaginaria. Item Christus fuit verus homo, quia veram naturam hominis habuit et etiam pœnam ; tamen non habuit naturam peccatricem, sed similem peccatrici ratione pœnalitatum. *Et quatuor animalia etc.* Quilibet enim Evangelistarum habuit sex bona spiritualia, quibus se et alios provehebat ad sublimia. Duæ alæ, fides certa et operatio perfecta quantum ad proprium meritum. Intelligentia scripturarum et zelus animarum, quantum ad informationem aliorum. Caritas ad Dominum et desiderium supernorum. Hæc enim sex floruerunt in ipsis. Quia vero necessaria est vigilantia multa replicat de multiplicitate oculorum. *Et in circuitu*, quantum ad exterioris conversationis innocentiam, in exemplum quoad proximum, contra quosdam quibus dicitur Malach. ii. *Vos autem recessistis etc. Et intus*, quo ad internæ conscientiæ munditiam, in meritis quo ad Deum. Psal. : *Omnis gloria ejus filiæ regum ab intus. Plena oculis*, propter vigilantiam magnam. Gregorius *super hunc locum* : « Quisquis exteriora sua honeste disponit, sed interiora negligit, in circuitu oculos habet, sed intus non habet. Sancti vero omnes et exteriora sua circumspiciunt, ut bona de se exempla præbeant, et interiora sua vigilanter attendunt ; quia sese irreprehensibiles interni judicis obtutibus parant. » Vel, *Plena oculis*, idest rationibus, in circuitu per historiam quasi in superficie, intus per allegoriam : ut cum legitur cum Dominus satiavit quinque millia etc. Item prædicatores, qui per quatuor animalia intelliguntur, habent sex alas : scilicet legem naturalem, legem Moysi, doctrinam Prophetarum, Evangelium, documenta Apostolorum, eruditiones doctorum, sicut Augustini, Gregorii : ex his enim debet sumi totius prædicationis fundamentum. Vel modo præmisso de Evangelistis, debet etiam quilibet fidelis habere sex alas, quibus volatur ad æterna. Fidem scilicet et operationem, quantum ad Deum. Injuriarum remissionem, et bonorum largitionem, quantum ad proximum ; Abstinentiam et laborem, quantum ad seipsum. *Et in circuitu etc.*, ut supra. *Et requiem etc.* Hæc quantum ad vocem laudantium : et primo ostenditur continuitas in laudando. Secundo tenor sive forma laudis, *Sanctus*. Tertio associatio aliorum ad laudandum, *Et cum darent illa*. Dicit igitur, *Et requiem non habebant*, animalia illa, id est prædicatores, idest non cessabant. Non est intelligendum quod labor esset ; sed notatur continuatio in laudando : et hoc ipsum est in Deo quiescere. *Die ac nocte*, idest in prosperis vel adversis. Quidam laudant Deum in prosperis. Zachariæ xi, *Benedictus Dominus, divites facti sumus*. Psalm. : *Benedicam Dominum in omni tempore*. Vel, Die ac nocte, id est continue. *Dicentia : sanctus, sanctus, sanctus*. Hic ostenditur forma laudis : et tangitur multiplex laus. Primo, ostenditur in personis Trinitas. Secundo, in essentia unitas, *Dominus*. Tertio, in dominando æternitas, *Qui erat*. Quarto, in essendo immutabilitas, *Et qui est*. Quinto in retribuendo æquitas, *Et qui venturus est*. Sanctus sanctus, sanctus, ter dicitur, propter Trinitatem personarum. Sanctus vero dicitur, ut ad sanctitatem invitemur ; sine qua nihil est acceptum ei, qui censetur nomine sanctitatis. Levit. xi, *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Hæc autem fides de Deo uno et trino fuit antiquorum et novorum. Et hæc animalia possunt intelligi prædicatores utriusque Testamenti, qui videlicet præsident subditis ad regendum, non solum prædicando,

sed vigilando per officium pastorale. Gregorius *super hunc locum* : « Una fuit fides veterum et novorum patrum, et omnipotentem Deum Trinitatem crediderunt. » Ecce namque Joannes in revelatione sua dicit, quatuor animalia in cœlo clamantia, Sanctus sanctus sanctus Dominus Deus omnipotens. Dominus, notatur unitas essentiæ ; quia non dicitur Domini dii. Dominus, præsidentiam ; quia omnibus dominatur. Esther xii, *Dominus omnium es etc.* Deus, natura. Psal. : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus*, hoc est similiter excelsum, nomen amabile, reverendum et magnificandum. Infra xv, *Magna et mirabilia tua Domine Deus omnipotens etc. Quis non timebit te Domine, et magnificabit nomen tuum? omnipotens,* infinita potentia : et pertinet ad unitatem essentiæ. Præmittitur autem dominatio, licet divinitas prius habeaconsiderari ; quia per notitiam universalis dominationis est via ad cognitionem divinitatis. Præterea, Dominus et omnipotens additur ad manifestandum vim hujus nominis, Deus. Infra xix, *Audivi quasi vocem tubæ etc. Qui erat*, quando scilicet mundus nondum erat : unde noatur esse sine principio, II Machab. i, *Domine Deus omnium, creator omnipotens et æternus, et qui est immutabiliter.* Vel notatur dignitas singularis per omnia in esse divino, respectu cujus omnia alia quasi non sunt. Exod. iii, *Qui est misit me ad vos. Et qui venturus est*, ad judircandum ; quia tota Trinitas judicabit auctoritate, licet solus Filius corporaliteappareat, ut dicit *Glossa* Isa. ult. *Ego autem opera eorum et cogitationes venio ut congregem cum omnibus Gentibus etc.* Sed quomodo venire potest qui ubique est? Jerem. xxiii, *Cœlum et terram ego impleo.* Respondeo. Est venire secundum locum, et sic Christus secundum humanitatem veniet ad judicium. Item secundum manifestationem vel effectum, sive sit effectus misericordiæ sive justitiæ : et sic, non primo modo, veniet Trinitas, quia se per effectum justitiæ manifestabit. *Et cum darent.* Hic ostenditur associatio aliorum ad laudandum ; scilicet Judicum sive præsidentium qui junguntur prædicatoribus in divina laude. Et primo ostenditur reverentia in facto. Secundo laus sive magnificentia in verbo : *dicentes, dignus.* Item in facto ostenditur reverentia tripliciter. Primo quantum ad prostrationis humiliationem. Secundo quantum ad adorationis devotionem, *et adorabant.* Tertio quantum ad coronarum *oblationem, et mittebant.* Dicit igitur : *Et cum darent illa animalia etc.*, idest prædicatores, quorum est per quatuor mundi partes seminare doctrinam. *Darent*, prædicando ubique, *gloriam*, idest laudem magnam, scilicet de dono fidei. *Et honorem*, de merito bonæ operationis. Psalm. : *Afferte Domino gloriam et honorem. Et benedictionem*, de præmio supernæ retributionis. Tob. xiii, *Benedicite Dominum omnes electi ejus. Sedenti super thronum.* Haymon ; «Christo suæ Ecclesiæ præsidenti. » *Viventi in sæcula sæculorum*, idest æternaliter. Supra primo. *Et ecce sum vivens. Et procidebant*, idest humiliabant se. Psalm. : *Procidamus ante Deum, ploremus coram Domino Deo nostro. Vigintiquatuor seniores*, idest omnes patres sive judices et rectores utriusque Testamenti. *Ante sedentem in throno*, idest in conspectu sive ad beneplacitum Christi, vel ipsius Trinitatis regnantis et quiescentis in Ecclesia ; quia tam in veteri quam in novo Testamento prædicantibus magnificantibus Deum, alii patres præsidentes populo ac regentes se reddunt conformes in magnificando ipsum Deum. *Et adorabant viventem in sæcula sæculorum,* referentes de acceptis gratias, vel instantes pro accipiendis. Infra xix, *Adoraverunt Deum. Et benedicebant viventi*, quia ille est adorandus qui solus per se est immortalis et a quo alii. I Timoth. ult. *Qui solus habet immortalitatem. Et mittebant coronas suas ante thronum.* Sic vidit in visione : et per hoc signatur quod victorias vitiorum prorsus debemus Deo attribuere, in conspectu suæ bonitatis qua sedet super Ecclesiam regens et præsidens. Per coronas enim illas victoria tentationum designatur. I Corinth. iv, *Quid habes quod non accepisti ?* Gregorius *super hunc locum* ; « Sancti viri quidquid in se inspiciunt immortalis gratiæ, donum esse cognoscunt, eique de accep-

te omnes debitores sunt : qui et præveniendo dedit eis bonum velle, et subsequendo concessit bonum posse. » Inde dicimus, potest etiam hoc notari exemplum, I Corinth. xiv, *Omnia ad ædificationem fiant.* Objicitur : quia, si totum est ex Deo, ergo in nostris operibus nihil est ex nobis : cujus non meremur. Quid est ergo quod dicit Apostolus, II Timoth. iv, *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ?* etc. Respondeo : Dicendum, quod omnia bona nostra, sive naturalia, sive gratuita, indistincte sunt a Deo, I Corinth. iv, *Quid habes quod non accepisti?* et si aliquod bonum facit homo, illud bonum ideo fit ab homine, tamen non ut ab homine, sed quia illud sibi datum est a Deo ; et ideo totum est certe et proprie ab ipso Deo operante quodcumque aliquid per hominem, non sicut auctorem, sed sicut ministrum. II Corinth. iii, *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* Gregorius super hunc locum : « Auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur, et Deum negat, cum despecta gratia sibi vires boni operis arrogat. » Ad illud quod objicitur de merito, dicendum, quod bona quæ agimus et a Deo sunt et aliquo modo a nobis. A Deo, sicut dante et principaliter operante ; a nobis, sicut cooperantibus gratiæ ejus. Unde Gregorius : Bonum quod agimus, et Dei est et nostrum : Dei per prævenientem gratiam ; nostrum per obsequentem liberam voluntatem. » Tamen quia ipsum cooperari et voluntas et gratia cooperandi, totum omnino est a Deo ; ideo omnia et tota sunt a Deo, quia homo nihil prorsus habet a se, sed totum a Deo, ut dicit Apostolus, et Anselmus in libro *de Casu diaboli*. *Dicentes, dignus es.* Hic ostenditur laus in verbo. Et primo ostenditur Deus esse magnificandus. Secundo quod subditur ratio magnificandi quia tu. Dicit igitur : *Dicentes, dignus es Domine*, per præeminentiam dominationis. *Deus noster*, per effectum creationis. *Accipere gloriam et honorem et virtutem*, quod supra dixit benedictionem, idest laudem virtutis : distinguitur ut supra. Vel gloriam, idest laudem gloriosam ratione tuæ bonitatis, et honorem ratione sapientiæ. Et virtutem, idest laudem virtutis ratione potestatis. Item Haymon : Gloriam accepit quando tertia die resurrexit : Honorem quando ascendit : Virtutem quando omnia subjecta sunt ei. » Psal. : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Quia :* quasi dicat vere dignus es magnificari. *Quia tu*, potest intelligibiliter sermo dirigi ad Filium, vel ad totam Trinitatem quæ sola creavit omnia. *Creasti omnia.* Eccles. i : *Unus est Altissimus creator omnium omnipotens.* Contra. Quædam fiunt de materia. Respondeo. Omnia sunt creata, idest de novo facta, vel immediate ut ea quæ in principio mundi facta sunt simpliciter ex nihilo, ut Angelus, cœlum empyreum et prima materia. Quædam mediate, ut ea quæ sunt ex materia. Illa enim materia prima facta fuit ex nihilo, ex qua est omnis alia materia particularis. *Et propter voluntatem tuam erant*, in æterna dispositione. *Et creata sunt*, ex tempore, Joan. i : *Quod factum est* etc. Tangitur igitur ejus potestas, cum dicitur, *creasti omnia*. Bonitas, cum sequitur, *et propter voluntatem tuam*. Ex voluntate fuit quod voluit disponere ab æterno quæ crearet in tempore. Sapientia, cum subditur, *Erant. Glossa*, in arce, idest in sapientia, cum Dei. Item bonitatis et sapientiæ efficacia, quia quod disposuerat non remansit inane. Unde subinfertur : *Et creata sunt.* Quæritur : Haymon : « Si erant quomodo creata sunt? » Respondeo, dicendum : erant in prædestinatione omnipotentis artificis, et creata sunt in opere visibili.

CAPUT V

Et vidi in dextera etc. Secunda pars est hujus visionis, in qua videtur liber in dextera sedentis super thronum. Supra ii ostendit Joannes se vidisse Christum quiescentem in Ecclesia, et regnantem, et ordinantem ipsam : hic autem ostendit se vidisse dispositionem, qua ab æterno Deus disposuit genus humanum redimere ; quæ non poterat impleri nisi per Christum. Postea vero in tertia parte

visionis ostendit dispositionem ipsam esse completam per eumdem patientem pro salute hominum. Dividitur autem hæc pars in quatuor. In prima agitur de visione libri; in secunda de visione Angeli prædicantis, *Et vidi Angelum*; in tertia de desolatione Joannis lamentantis, *Et ego flebam*; in quarta de allocutione senioris consolantis, *Et unus*. In prima iterum primo ostendit ubi vidit. Secundo quid vidit, *librum*. Tertio sub qua dispositione vidit, *Signatum*. Dicit igitur, *Et vidi in dextera*, idest Filio, per quem Pater omnia fecit, Joan. I; *Omnia per ipsum facta sunt*. *Sedentis*, scilicet patris per præsidentiam, inhabitationem et gubernationem. *Super thronum*, scilicet Ecclesiam. Psalm. *Deus sedet super sedem sanctam suam*. *Librum*, idest divinam dispositionem de hominis redemptione: ipse enim Filius est arx sive sapientia Patris, in qua omnia sunt disposita. I Corinth. I: *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*. *Scriptum intus*, quia Deo totum cognitum plene. *Et foris*, secundum quod ostendebatur hominibus manifestandum; quia prophetis antiquis patribus fuit a Deo revelata divina dispositio in tempore complenda. Vel secundum *Glossam* obscure manifestantur in veteri Testamento, aperte in novo. Ezech. II: *Vidi; et ecce manus missa etc*. *Signatum*, idest sigillatum, idest clausum, sicut aliquid sub sigillo clauditur. *Sigillis septem*, quæ infra determinantur, scilicet de equo albo, rufo et nigro etc., infra VI. Vel quod vidit librum sub septem sigillis, potest intelligi multiplex mysterium humanæ reparationis et salutis: scilicet incarnatio sive conceptio, nativitas, passio, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio, adventus ad judicium. Loquitur autem ad similitudinem alicujus principis tenentis in manu librum clausum, et expectantem aliquem sibi dilectum et specialem, per quem coram aliis publice legatur. Vel liber ille est secundum beatum Gregorium, Scriptura sacra, in qua scripta latebat divina dispositio de humano genere redimendo. *In dextera* etc., ut prius: quia Filius est lumen nostrum illustrans nos per Scripturam. *Scriptum intus*, per intellectum spiritualem quantum ad sapientes. Foris, per intellectum litteralem quantum ad simplices. Vel Intus, quantum ad vetus Testamentum quod occulte agit de redemptione hominis. Foris, quantum ad novum ubi aperte. Vel aliter. Gregorius: Intus, quoniam invisibilia promittit: Foris, quia visibilia præceptorum suorum rectificatione disponit. Intus, quia cœlestia pollicetur. Foris autem quia terrena et contemptibilia, qualiter sint vel in usu habenda, vel ex desideriis fugienda, præcipit. Signatum sigillis septem, hoc est universis obscuritatibus sive omnium mysteriorum intus latentium plenitudine conscriptum. Vel septiformi spiritu qui Scripturam condignit clausam et ipse aperuit. Vel septem sigilla possunt intelligi septem modi loquendi in Scriptura: scilicet modus historicus, modus tropicus, allegoricus, anagogicus, figurativus, ut in figuris veteris Testamenti; et sic in hoc libro, et in parabolis, ut cum dicitur Christus petra et hujusmodi. Item modus absolutus: scilicet quando res accipitur cum magno pondere ut Exod. III: *Qui est misit me*. Item dignativus, ut cum ex magna dignatione Dei ad justos dicitur aliquid magnum, ut Psalm.: *Ego dixi, dii estis*, Et I Cor. VI: *Qui adhæret Deo unus spiritus est*. Sed cum loquatur pro statu ante humanam reparationem, ut patet ex sequentibus, quomodo dicitur liber scriptus Foris, id est apertus in novo Testamento, cum ante reparationem hominis nec divina dispositio esset aperte hominibus manifestata, nec etiam Scriptura sacra? Respondeo: Dicendum, quod liber ipse non signat divinam dispositionem vel sacram Scripturam pro statu ante hominis reparationem: sed quod librum in sua visione vidit scriptum foris, hic significabat manifestationem, non quæ tunc esset, sed quæ futura erat tempore gratiæ. II Cor. III: *Nos autem revelata facie etc*. *Et vidi*. Hic ponitur visio Angeli: et primo ostenditur desiderium antiquorum de redemptione hominis. Secundo ostenditur impotentia creaturæ ad opus creationis. Et nemo. Dicit igitur, *Et vidi Angelum*, idest quemcumque de sanctis prophetis, qui erant Dei nuncii, *Fortem*. Desiderio: vel fortem, longani-

nitatis exspectationis. *Et prudentiam*, idest prudentiæ ... *Voce magna*, propter desiderium. *Quis est dignus aperire librum ?* idest divinam dispositionem implere in opere humanæ redemptionis. Tunc enim manifestata ... quasi implevit. Antiqui prophetæ et patres desiderabant adventum redemptoris, et ... desiderio dicebant ... Et licet exspectarent redemptionem, tamen qualiter ea quomodo et per quem fieret ignorabant, donec qualiscumque, antequam fieret revelatum est. Lucæ x : *Multi prophetæ*, etc. Vel librum aperire, ipsa impletione humanæ reparationis mysteria veteris legis exponere. *Et solvere signacula ejus*, sicut supra multipliciter expositum est. *Nemo*, idest nulla creatura rationalis. *Neque creatura in cœlo*, ut Angelus. *Neque in terra*, ut homo in corpore. *Neque subtus terram*. Ut animæ justorum exutæ; quia ante adventum Christi boni et mali descendebant ad inferos. Job xvii : *Si sustinuero, infernus domus mea est. Poterat aperire, librum*, idest implere divinam dispositionem, redimendo mundum. *Neque respicere*, idest perfecte intelligere : quia æternam illam dispositionem, nulla creatura plene intelligebat, antequam impleretur. Vel, Aperire librum, idest per effectum humanæ reparationis dispositionem continet. Neque respicere, idest intelligere plene quæ ad se : quia nullus perfecte capiebat, ante Christi adventum, quanta esset gratia novi Testamenti ventura quæ in veteri lege latebat. *Gregorius super hunc locum* : «Scripturam sacram solus redemptor noster aperuit, qui homo factus moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria quæ in ea fuerant clausa patefecit.» Nota quod ex hoc quod dicitur, subtus terram, sumpsit argumentum Gregorius quod infernus est sub terra. *Et ego*. Hic primo ostenditur lamentatio Joannis. Secundo, causa lamentationis. *Quoniam*. Dicit igitur, *Et ego flebam multum*, compatiens necessitati communi. *Quoniam nemo dignus inventus est*. Quia omnes peccatores. Roman. iii : *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei. Aperire librum*, idest divinam dispositionem, vel Scripturam sacram per actum redemptionis. *Nec videre*, idest perfecte intelligere, quia modus redemptionis et gratia novi Testamenti, licet intelligeretur a sanctis patribus, qui Christum incarnandum et passurum expectabant, tamen non perfecte. Iste fletus signat desiderium patrum. Nota *Glossam* hic in persona. *Et unus de senioribus*. Hic primo tangitur persona consolationis. *Et unus de senioribus*, de quibus supra iv, idest aliquis de antiquis patribus sive prophetis qui Christum venturum sciens consolatur alios. Secundo ostenditur consolatio Joannis, *Dixit mihi : ne fleveris*, idest non dures in fletu, quia per considerationem prophetiæ antiquorum patrum, inveniri poterat consolatio. Unde Genesis penultimo : *Non auferetur sceptrum de Juda*. Psalm. : *Descendet sicut pluvia in vellus*. Isaias xxxiii : *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, **Dominus rex noster***. Tertio ostenditur materia sive causa consolationis. *Ecce etc.* Et primo ostenditur dignitas Redemptoris. *Ecce*. Nota est gaudii vel propinquitatis. *Leo*, scilicet Christus qui leo fuit incarnatione, qui et deitatem humanitate operuit, sicut cauda leo vestigia, ne diabolus vel Judæi divinitatem cognoscerent, Isaiæ xlv : *Vere tu es Deus absconditus*. Item leo in progressu vitæ, quia audacter arguebat peccatores. Proverb. xxx : *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum*. Item leo in passione quia triumphavit de diabolo, sicut leo triumphat de aliis animalibus. Numer. xxiv : *Non accubabit leo donec devoret prædam*. Rursus, quia leo dormit apertis oculis. Et ipse mortuus est, divinitate vivente. Num. xxiii : *Accubans dormivit ut leo*. Item leo in resurrectione, quia tertia die resurrexit sicut leo, cum mortuus natus sit, tertia die voce Patris suscitatur. Genesis xlix : *Catulus leonis Juda, ad prædam ascendisti fili mi* ; hoc quantum ad passionem. Requiescens accubuisti ut leo : hoc quantum ad resurrectionem. Item leo in æquitatis distributione : hæc est enim leonis natura, quod leo humilianti se et prosternenti ad pedes suos mitem se præbet, stantem vero et rebellantem prosternit : sic facit Dominus, I

Petri v : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Item leo in judicii districtione. Amos III : *Leo rugiet; quis non timebit?* Secundo tribus regalis, quæ ostenditur in generali cum dicitur. *De tribu Juda.* Hoc ad majorem rectitudinem et consolationem additur, ut non solum nasciturus ostendatur ; sed etiam de qua tribu. Fuit autem Dominus de tribu Juda, de qua fuit et Virgo beata, ut habetur Matth. I : et fuit conveniens ut rex Regum de tribu regia nasceretur. Hebr. VII. Manifestum est quod ex Juda ortus est Dominus, de qua tribu nihil de sacerdotibus locutus est Moyses. Ostenditur etiam in speciali cum sequitur. *Radix David*, quia ipse est radix et principium procedens de stirpe. Vel, Radix secundum divinitatem ipsius David, et etiam secundum humanitatem ; scilicet inquantum credebatur incarnandus : quia inquantum credebatur incarnandus ministrabat gratiam antiquis patribus sicut radix ramis minisstrat humorem. Augustinus *in Hyponosticon*, « Omnes sancti qui ante adventum fuere incarnationis Domini nostri Jesu Christi, fide non alia, nisi quæ nunc est, salvi facti sunt, » Tertio, ostenditur passio triumphalis *Vicit*, idest diabolum vincet, scilicet per vim passionis. Isaiæ LXIII, *Ego qui loquor justitiam. Aperire*, idest ad hoc ut aperiat librum, idest divinam dispositionem de redimendo genere humano, quam manifestavit, et esse piam, amandam, ac venerandam, ostendit cum ipsam redemptionem implevit. *Et solvere septem signacula.* De quibus et quorum solutione habetur infra VI. Et vidi quod aperuisset. Vel, septem signacula sunt illa septem, sub quibus dispositum fuit ab æterno redemptionem esse perficiendam ; scilicet incarnatio, passio, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio, adventus ad judicium. Aliter. Librum, idest Scripturam sacram. Et solvere septem signacula ejus, id est universa mysteria, sive secreta : quia cum in Scriptura legeretur de incarnatione et passione et resurrectione et ascensione sub obscuritate ; hæc non plene intelligerentur, nisi implerentur : quod per solum Christum factum est. Gregorius *super hunc locum :* » Ipse librum aperuit et signacula ejus solvit, qui nascendo, moriendo, resurgendo et ad cœlos ascendendo, Scripturæ sacræ nobis arcana patefecit. » *Et vidi*, tertia pars est visionis, scilicet de Agno aperiente librum. Hic enim ostenditur quomodo leo vicit, et quomodo completa est redemptio generis humani, de qua supra sermo fiebat. Hæc autem pars tria continet. Primum est descriptio aperientis. Secundum acceptio et apertio libri, *Et venit.* Tertium gratiarum actio pro redemptione generis humani, *Et cum aperuisset librum.* Apertor autem libri, scilicet Dominus Jesus, describitur multipliciter. Primo quantum ad redemptionis generalitatem : unde dicitur : *Et vidi,* sicut ille senior prædixerat, *Et ecce.* Nota etiam præsentiæ. *In medio throno :* sic tangit ipsum corpus Ecclesiæ, quæ est thronus, super quam sedet Dominus. Deinde tangit quædam principalia membra Ecclesiæ : scilicet et prædicatores : unde dicit, *Et in medio quatuor animalium*, idest prædicatorum, quorum est prædicare per quatuor partes orbis. Item etiam præsidentes sive pastores : unde sequitur : *Et in medio seniorum*, idest pastorum, qui debent esse maturi, et vita, et sapientia. Per hoc quod vidit Agnum sic in medio, ostensum est quod redemptionem fecit generaliter, quantum est de se. II Corinth. V : *Et pro omnibus mortuus est Christus etc.* Secundo, quantum ad innocentiæ sanctitatem, *Agnum*, idest innocentem Christum. Joan. I : *Ecce Agnus Dei.* Iste est Agnus qui fuit victimatus pro liberatione hominum. I Petri I : *Non corruptibilibus auro vel argento etc.* Tertio quantum ad victricem pietatem, *stantem*, in signum quod suos juvare paratus est. Nota quod supra II *vidi eum ambulantem.* Item *sedentem*, supra IV. Item stantem, hic. Ambulat, dum dona distribuit ; sedet, cum merita dijudicat ; stat cum se ad adjuvandum paratum demonstrat. Act. VII : *Ecce video cœlos apertos etc.* Quarto, quantum ad reparatam caritatem, ex qua mori voluit, *Tamquam occisum* [1], cum vere mor-

[1] Supple : « Sed quæritur quomodo dicat, tamquam occisum. »

tuus est. Deus a mortuis, quomodo stans? Respondeo: Ad primum secundum Glossam, quod tanquam occisus dicitur, non quia non sit mortuus vere; sed quia mortuus secundum humanitatem, vivebat secundum divinitatem: vel quia brevis fuit ejus mors, quia die tertia resurrexit. Vel tanquam, accipitur ut expressivum veritatis; sicut dicitur: « Gloriam quasi unigeniti a Patre. » Ad aliud; quod stare conveniens est, quantum ad divinitatem; occisus quantum ad humanitatem. Vel quia ex morte est causa adjutorii. Quinto, quantum ad dominativam potestatem, *Habentem cornua septem*, idest universam potestatem, quia per cornu potestas sive fortitudo signatur. Daniel vii: *Potestas ejus potestas aeterna, quae non auferetur*. Psal.: *Et dominabitur a mari usque ad mare*. Vel, *Cornua septem*, idest universam victoriam justorum, sive victoriam justorum in septem aetatibus existentium; quia omnis justorum victoria ab ipso est. I Corinth. xv: *Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum*. Vel, Cornua sunt eminentiores justi, ut habetur *Glossa*. Sexto quantum ad communicativam sui bonitatem; quia ex bonitate communicat nobis dona spiritus septiformis. *Et oculos septem*, idest spiritum septiformem in donis, sive dona spiritus septiformis, quae dicuntur oculi; quia animam oculatam et videntem ac illuminatam reddunt. Zachar. iii: *Super lapidem unum, septem oculi sunt. Qui sunt septem Spiritus Dei*: quasi dicat: per illos septem oculos signatur spiritus septiformis in donis quae misit Dominus in omnem terram, quantum in se fuit, quando per Apostolos et discipulos omnibus gratiam Spiritus sancti obtulit, ad illuminationem animarum: quia in omnem terram exivit sonus eorum. Sed quaeritur, quare Senior praedicans mysterium reparationis, vocat leonem, Joannes vero nominat agnum, referens visionem? Respondeo. Quia superius agebatur de impotentia hominum et angelorum ad humanam reparationem implendam; et ideo ibi Christus, qui potens fuit ad eamdem reparationem, recte leo dicitur, in indicium potestatis. Joannes vero, quia de ejus potestate, sub nomine leonis tetigerat, ejus sanctitatem et innocentiam voluit ostendere; et ideo Agnum nominavit: quia per hoc monstratur quod non pro se, sed pro homine passus est. Item de hoc quod dicitur, Qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram; quia Spiritus sanctus ubique est, ergo mitti non potest. Ambrosius in libro *de Spiritu sancto*: « Spiritus sanctus non habet circumscriptam virtutem, qui in omnibus et ubique semper est. » Item, cum plurimi remanserint infideles, quomodo missus est Spiritus sanctus in omnem terram? Respondeo. Missio in creaturis multa importat; scilicet Minoritatem missi respectu mittentis. Mutationem loci. Auctoritatem mittentis respectu missi. Intentionem alicujus effectus vel alicujus facti, ut sit missio ordinata. Minoritas non notatur in Spiritu sancto cum dicitur mitti a Patre et Filio in corda hominum: aequalis enim est Patri et Filio quia idem Deus; tres enim personae coaeternae sibi sunt et coaequales; quia Pater et Filius quicquid habent dant Spiritui sancto procedenti, et ideo minor esse non potest. Item nec mutatio loci; quia ubique est. Sed auctoritas ostenditur in Patre et in Filio, respectu Spiritus sancti, cum dicitur mitti: quia ab eis procedit: et ideo ab utroque mittitur. Nec ex illa auctoritate sequitur quod sit minor: quia illa auctoritas non potest esse minoris virtutis, secundum rationem originis. Unde Augustinus in libro *de Trinitate*: « Non ideo arbitrandum minores esse Filium quia missus est a Patre; nec ideo minorem Spiritum sanctum quia et Pater eum misit et Filius; sive enim propter visibilem creaturam, sive potius propter principii commendationem, non propter inaequalitatem vel parilitatem vel dissimilitudinem substantiae, in Scripturis haec posita intelliguntur. » Similiter in missione quartum intelligitur; scilicet intentio alicujus boni. Dicitur enim mitti ratione justificationis et illuminationis internae, et ratione inhabitationis, ut scilicet inhabitet in anima ut in suo templo. Nota tamen quod missio de qua hic loquitur, non intelligitur missio completa, quantum ad omnes habitatores terrae, quod scilicet omnibus

fuerit datus Spiritus sanctus, sed quod omnibus fuerit oblatus, dum Apostoli in omnem terram verbum fidei portaverunt. Vel, potest dici quod in omnem terram missus est, quantum ad aliquos qui de omni terra crediderunt et susceperunt Spiritum sanctum. Per hoc patet ad secundum. *Et venit.* Hic agitur de acceptione libri, et innuitur apertio. Et venit, scilicet Agnus ad cognitionem hominum per carnem quam assumpsit, *Et accepit librum*, idest potestatem sive auctoritatem libri aperiendi, *De dextera sedentis in throno*, idest a se Deo, ipse homo. Ipse enim secundum quod homo, auctoritatem et virtutem redimendi genus humanum habuit a se ipso in quantum Deus. Et est intelligendum quod librum aperuit quia scilicet mortem sustinuit, et sic est divina dispositio completa et sacra pagina reservata. Unde sequitur, *Et cum aperuisset.* Sed quare potius ostensus est accepisse a se inquantum Deus, quam a Patre, vel Spiritu sancto? Item quare Pater potius dicitur sedere super thronum? Respondeo. Ad primum, quod hoc est quia ipse Filius est incarnatus ad redimendum genus humanum, et ipse incarnatus dabat suæ virtutem humanitati ad negotium reparationis humanæ : et ideo potius dicitur ipse secundum quod homo accepisse librum a se Deo; quia nulla alia persona est ad redemptionem incarnata. Unde verbo recte appropriatur datio libri, licet a tota Trinitate librum acceperit Christus homo. Vel quia in ipso Filio disponuntur omnia ab æterno tamquam in arte et sapientia Patris, recte liber accipitur ab eo : unde supra eodem dicitur quod in dextera sedentis erat liber. Vel si liber accipitur pro Scriptura, recte ei appropriatur cui et sapientia. I Corinth. I : *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Ad aliud dicendum, quod est propter auctoritatem quæ est in Patre, respectu Filii et Spiritus sancti; non quia sit dignior vel potentior, cum personæ sint sibi coæquales : sed quia origo; quia ab eo emanant, ita tamen quod totum accipiunt; et ideo est summa æqualitas. Vel quia ei appropriatur potentia : sedere autem in throno potentiam et imperium dicit, respectu creaturæ : tamen tota Trinitas in throno sedet secundum virtutem. *Et cum aperuisset.* Hic ostenditur gratiarum actio. Et primo ut est exhibita ab hominibus. Secundo ut ab Angelis, *Et vidi et audivi.* Tertio ut communiter ab omnibus, *Omnes audivi.* Gratiarum autem actio exhibitio ab hominibus describitur multipliciter. Primo, quantum ad reverentem humiliationem, *Et cum aperuisset librum*, idest divinam dispositionem implesset, per actum redemptionis. Vel, librum, idest Scripturam sacram. *Quatuor animalia*, idest universi prædicatores, quorum præcipue est Dei bonitatem magnificare, *Et viginti quatuor seniores*, idest prælati, sive judices universi. De hoc magis dictum est supra. Ad tales pertinet extollere beneficia Dei. *Ceciderunt coram agno*, idest reverentiam dederunt cum humilitate, sentiendo de se humilia. Gregorius : « Origo virtutis humilitas est : illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, idest in humilitate perdurat. » Coram Agno, dicit, quia ex consideratione Agni pro nobis passi oritur affectio humilitatis. Secundo, quantum ad vitiorum mortificationem. *Habentes singuli cytharas*, idest mortificationem vitiorum et concupiscentiarum. In cythara, est lignum et chorda : per lignum signatur crux Christi, per chordas caro justorum secundum diversa membra; ut sint plures chordæ : quæ extenduntur in ligno, quando ad imitationem crucis austeritate, passionum dulcore, in auribus Dei melodiam reddunt. Galat. V : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Nota quod dicit, *Singuli* : quia quilibet debet accipere pœnitentiam sibi congruam. Lucæ IX : *Si quis vult post me venire etc.* Ad fugiendum autem voluptatem et mortificandam carnem efficaciter movet et adjuvat magnus amor ad Deum. Unde Gregorius : « Vere Deum diligimus, si ad mandata ejus nos a nostris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita desideria defluit perfecte Deum non amat, quia ei in sua voluntate contradicit. » Tertio, quantum ad virtuosam dilectionem, *Et phialas*, idest corda lata per virtutem dilectionis, quæ se extendit ad inimicos diligen-

dæ. Phialæ enim sunt quædam vasa lata et lucida, a phiali græce quod est vitrum latine. Habitudo istius vasis amoris in affectu. Lux scientiæ significatur in intellectu. Psal.: Animæ sanctorum lucem requirunt. Gregorius: « Nihil Deo sine caritate placet. » Aureas, propter soliditatem et splendorem, quæ sidereum fulgere faciens dirigit ad diligendum et exhibendum debitam caritatem, et ad servandum eamdem contra bellum tentationum, vel contra injurias sive molestias, et ad alia bona salutis. Prov. xii: *Lex sapientis fons vitæ*. Vel aureas, dum propter Deum diliguntur bonitas, vel omne quod diligitur, quia et hæc dilectio inimicorum et amicorum et ipsius Dei habet pretium et valorem apud Deum; scilicet cum propter Deum diliguntur; sicut aurum dat vasi valorem et decorem. Gregorius: « Si quos quilibet amat, sed propter Deum non amat; caritatem non habet, sed habere se putat. » Caritas autem vera est, cum et in Deo diligitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. Quarto, quantum ad orationis devotionem, *Plenas odoramentorum*, idest devotarum orationum. Oratio enim maxime et principaliter in corde. Talis phiala multum placet in oculis Dei, idest mens plena et affluens orationis devotione. Et ideo ipsa oratio odoramentum dicitur, quia ad modum thuris odoriferi ascendit ad Deum et in ejus facie suaviter redolet. Psal.: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*; ut exponens subdit: *Quæ sunt*, per significationem, *Orationes sanctorum*, idest justorum; quia tales sunt efficaces. Proverb. xv: *Longe est Dominus ab impiis, et orationes justorum exaudit*. Quinto quantum ad laudis magnificationem, *Et cantabant*. Et primo describitur hæc laus quantum ad jucunditatem, quæ erat Tum ex parte laudantium, unde cantus vocatur, *Et cantabant*, idest cum cantico et gaudio dicebant *canticum*; Tum ex parte materiæ laudis; unde dicit, *novum*, quia de novo quod contingit, quia inventus est qui librum acciperet et aperiret. Item quia facta est novitas in genere humano prius vetusto; et ideo canticum est novum, et ita jucundum. Novus rex, nova lex, novus dux, nova lux, nova sunt omnia. Psal.: *Cantate Domino canticum novum quia mirabilia fecit*. Secundo describitur quantum ad tenorem, *Dicentes: dignus*. Ubi primo magnificatur quantum ad dignitatem ex parte sui. Secundo quantum ad caritatem sive bonitatem respectu nostri. *Quoniam occisus*. Dicit igitur, *Dicentes: dignus es Domine*. Dominum vocant, quia servos se agnoscunt, propter emptionem I Corinth. vi, *Non estis vestri; empti enim estis pretio magno*, unde serviendum est ei. Coloss. iii, *Domino Christo servite*. *Deus*. Dominus, per potestatem Dominationis, Deus per essentiam deitatis; hoc enim confitetur devotio fidei de Christo, scilicet imperium potestatis, et naturam deitatis; et ex hoc exurgit in dulcissimum affectum; quia tantus ac talis ipse qui Deus est, tantum se humiliaverit, tantum caritatem exhibuerit. Roman. xii, *Qui est Deus benedictus etc.* ***Dignus es accipere librum***, divinæ dispositionis, sive sacræ Scripturæ. Sed hic est dubitatio, quia jam librum acceperat Agnus, ut supra dicitur, Quomodo ergo dicitur dignus accipere? Item jam occisus erat, et ita jam librum non solum acceperat, sed etiam aperuerat: quid ergo est quod dicitur? Respondeo. Potest dici quod jam librum dispositionis divinæ, sive Scripturæ sacræ acceperat, quantum ad auctoritatem redimendi hominem, ut supra dictum est in littera. Item et quantum ad ipsius redemptionis executionem; quia librum jam aperuerat. Jam enim occisus erat sicut sequitur, sed nondum acceperat librum, quantum ad completionem ejus quod de divina dispositione sive Scriptura sacra complendum erat; scilicet quantum ad sigillorum apertionem, quæ nondum erat facta. Loquitur enim hæc visio pro statu Ecclesiæ primitivæ, post passionem, antequam facta essent ea quæ dicuntur in capite sequenti: unde sequitur de sigillorum apertione, infra vii. Quasi dicat: Cum jam tam ineffabilem caritatem exhibueris, quod nos tuo sanguine redemisti, et per ipsam redemptionem reges et sacerdotes fecisti: Dignus es ut quod restat compleas, idest sigilla aperias: quod de nullo alio dici

potest. Per prædicta patet responsio ad objecta. Vel potest intelligi de acceptione libri jam facta : et hoc modo per hoc quod dicitur : Dignus es accipere librum, notatur præsens responsum, sicut infra eodem : Dignus es accipere virtutem. *Glossa,* immunitatem a peccato : et tamen illam acceperat. Et secundum hoc est sensus : *Dignus es etc. :* quasi dicat : Vere dignus eras librum accipere quem accepisti, et solvere signacula, idest mysteria sive secreta ejusdem libri manifestare, propter caritatem et pietatem quam tunc habebas ; sed nondum ostendebas, quam jam manifestati, *Quia occisus es.* Et ita secundum hunc modum ponitur consequens pro antecedenti, scilicet effectus caritatis pro ipsa caritate. Dicit enim, dignus es, ac si pro præsenti illo tempore in quo librum accepit, dignus fuisti accipere de dextera sedentis in throno. Sed sic loquitur non sine causa; quia adhuc eadem dignitas manebat, quia eadem caritas et bonitas quæ erat ratio illius dignitatis. Quoniam occisus es etc., idest quia maximam caritatem et pietatem habebas, quam prius latentem ostendisti, quoniam occisus es. Sic ergo magnificatur quantum ad dignitatem ex parte sui. Secundo magnificatur quantum ad bonitatem sive caritatem respectu nostri, quia manifestavit quod dignus fuerat accipere librum : unde sequitur, Quoniam etc. Bonitas autem et caritas ejus manifestata est in sua passione, per quam sumus redempti. Unde primo ostenditur passio salutaris. Secundo fructus sive effectus passionis. *Et redemisti :* qui effectus est duplex : scilicet humana reparatio, per pretii solutionem. Item reparatorum nobilitatio, per gratiæ collationem. *Et fecisti.* Dicit igitur, *quoniam :* quasi dicat : vere dignus es quoniam etc., expone et intellige juxta primum vel secundum modum præmissum, *occisus es,* hoc autem fuit ex ineffabili et inestimabili caritate. I Joan. III, *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit.* Rependenda est ergo ei dulcis dilectio. Unde beatus Bernardus in libro *De diligendo Deo :* « Dignus plane qui redemit, præsertim si advertatur, quis, quos, quantum, amaverit. » *Et redemisti nos,* qui sub peccato et sub manu diaboli captivati eramus. Matth. XX. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Deo,* idest ut Dei essemus qui diaboli eramus servi. Et ideo non debet homo convertere redemptionem in opus diaboli, quæ facta est ad opus Dei. I Corinth. VI. *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno, glorificate etc., In sanguine tuo,* qui est pretium impretiabile. I Petri I, *Non corruptibilibus auro vel argento etc.* Et ideo cavendum est, ne fiat per peccatum injuria tanto amatori; quia cum magna esset injuria, magna esset vindicta. Hebr. X, *Horrendum est incidere in manus Dei.* Ut autem ostendatur latitudo et efficacia redemptionis, subjungitur, *Ex omni tribu.* Hæc si possunt distingui. Nam tribus dicitur secundum remota principia generationis. Et dicitur tribus a tribus ordinibus, ut in tribus filiis Noe. Genesis VI. In tribus autem ordinibus unius tribus sunt septuaginta duæ. Unde sequitur : *Et linguis,* idest ex eis qui in uno idiomate communicant. Item in una lingua sunt multi populi, sicut in una provincia sunt multi populi secundum diversas partes regionis : unde sequitur, *Et populo.* Item in uno populo quandoque sunt diversæ nationes, idest homines diversarum nationum, sicut legitur Act. II. *Erant autem in Jerusalem habitantes viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Natione,* dicitur hic multitudo hominum secundum diversas patrias in quibus nati sunt. Vel natio potest hic notare conditionem hominum in qua sunt nati, ut servus, liber, nobilis et ignobilis. Et ita ad ostendendum efficaciam passionis, descenderunt per gradus a tribu ad linguam et sic ulterius. I Joan. IV, *Pater misit filium suum salvatorem mundi.* Sed dubitatio est quare dicit, *Deo,* quia etiam existentes sub peccati jugo sunt sub divina dominatione. Item quare sit talis distinctio inter Christum et Deum, *Tu redemisti nos Deo,* cum ipse sit Deus unus cum Patre, sicut præmittitur : *Dignus es Domine Deus etc.* Respondeo. Ad primum dicendum, quod de divina dominatione super homines est loqui dupliciter. Aut quantum ad domi-

alem potestatis ex parte Dei. Aut quantum ad subjectionem voluntatis ex parte hominis. Primo modo, ante redemptionem erant homines subjecti divinæ dominationi, quia Deus et bonorum et malorum Dominus est, velint nolint. Esther XIII, *Deus omnium es*. Sed non secundo modo, scilicet per voluntariam subjectionem : quia quasi tunc omnes serviebant [illegible], vel aliis peccatis. Luc. I, *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ*. Et sequitur, *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi*. Et sic loquitur hic. Item dominatio divina potest esse super homines dupliciter : aut communicante dominio peccati, quia *omnis qui facit peccatum, servus est peccati*, Joan. VIII : aut non. Primo modo ante reparationem dominabatur Deus hominibus, quia subjecti erant homines dominio peccati omnes universaliter, secundum aliquem modum : scilicet vel quantum ad culpam, vel quantum ad pœnam sive reatum pœnæ ad minus, scilicet carentiæ divinæ visionis. Rom. III, *Omnes peccaverunt etc*. Post reparationem autem super eos qui perfecte sibi adhærent dominatur secundo modo, scilicet quia culpa mortalis eos non premit nec reatus pœnæ sensibilis, nec reatus carentiæ divinæ visionis. Rom. VI, *Exhibete vos Deo etc*. Sequitur, Peccatum enim vobis non dominabitur. Et quantum ad hoc loquitur hic cum dicit : *Redemisti nos Deo* : ut scilicet nobis non dominetur nisi Deus, qui ante jugo peccati subjiciebamur. Rom. XIV, *In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur*. Ad secundum dicendum, quod hoc propter carnem assumptam, propter quam etiam ipse Christus differebat a se Deo : et sic quod dicitur, Deo, potest intelligi de ipsa Trinitate. Vel propter personalem distinctionem quæ est inter Filium et Patrem, cui soli quandoque Scriptura attribuere videtur illud quod etiam aliis personis convenit ratione auctoritatis : et sic hoc quod dicitur, Deo, stat pro patre. Juxta hoc quod jam dictum est, intelligitur quod dicitur Ephes. V, *Omnis fornicator aut immundus etc*. Item objicitur de hoc quod dicitur : *Ex omni tribu etc*. : quia dicitur II Corinth. V, *Et pro omnibus mortuus est Christus* : ergo non debuit dici quod ex omni tribu, sed omnem tribum. Respondeo. Dicendum : de redemptione facta per passionem Dei est loqui dupliciter : Aut secundum sufficientiam : et sic passio redemit omnes, quia quantum est de se omnes liberavit : omnibus enim redimendis et salvandis sufficiens est, etiam si essent infiniti mundi, ut dicit Anselmus II libro *Cur Deus homo*, cap. XIV : Aut secundum efficientiam : et sic non omnes redemit per passionem, quia non omnes habent efficaciam redemptionis : et sic accipitur quod hic dicitur simpliciter, et illud, Matth. XXVI, *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. *Et fecisti*. Hic ostendit nobilitatem reparatorum per gratiæ collationem. Ostenditur autem dupliciter justorum dignitas : scilicet, dignitas regalis in superando vitia, dignitas sacerdotalis in agendo bona. Primo ergo tangitur nobilitas dignitatis regalis. *Et fecisti nos Deo nostro regnum ;* idest tales per gratiam, ut regnemus per triumphum de vitiis ut Deus regnet in nobis. Sed quare dicit regnum potius quam reges ? Respondeo. Per hoc signatur perfectio triumphi de vitiis. Item quia per hoc plus importatur : scilicet quod nos contra vitia potentes sumus, et sic regnamus. Item quod Deus in nobis regnat. Secundo nobilitas dignitatis sacerdotalis. *Et sacerdotes,* idest tales qui Deo offeramus nos et omnia nostra in sacrificium, et pro aliis oremus. Supra primo, *Fecisti nos regnum est sacerdotes etc.* Tertio fit replicatio primæ nobilitatis, scilicet regalis, quia per per illam conservatur alia dignitas : quia nisi vincatur peccatum omnia fœdantur. Unde sequitur : *Et regnabimus super terram*, idest super terrenitatem. Unde de Justis dicit Gregorius : « In moribus reges sunt, quia se ipsos regere sciunt. » Vel super terram viventium. Rom. V, *Abundantiam gratiæ etc. Et vidi*. Hic ponitur gratiarum actio secundum quod est exhibita ab Angelis. Tria autem continet hæc pars. Primum est laudantium descriptio, tum quantum

ad dignitatem, tum quantum ad locum, tum quantum ad numerositatem secundum eorumdem devotionem, *voce magna dicentes*. Tertium laudis tenor, *dignus*. Dicit igitur : *Et vidi :* quasi dicat : non solum vidi prædicatores ex suo officio testificantes beneficium humanæ reparationis, sed etiam Angelos : et hoc est quod dicit : *Et vidi. Et audivi vocem Angelorum multorum*. Gaudent enim Angeli de humana reparatione, cum gaudeant etiam *de uno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. xv. Angelorum inquam existentium, *In circuitu throni,* idest Ecclesiæ, *Et animalium*, idest prædicatorum. *Et seniorum*, idest pastorum aliis sapienter et mature præsidentium, quia tam super minores quam supra majores custodes vigilant Angeli. Psalm. : *Montes in circuitu ejus. Erat numerus eorum millia millium,* idest plurima millia : quasi dicat : eorum numerus erat maximus : tali enim modo loquendi designatur multiplicitas numerositatis, sicut et Danielis v, *Millia millium etc.* Sed objicitur, quia dicit, *Vidi etc.*, cum vox sit invisibilis. Item numquid Angeli habent vocem? quod sic videtur per hæc verba. Item I Corinth. xii, *Si linguis hominum loquar et Angelorum.* Contra, quia non habent organa vocis. Respondeo ad primum. Haymon : « Vox videri non potest, sed videre ponitur pro intelligere : » supra i. *Et conversus sum ut viderem vocem.* Vel vidit Angelos, audivit vocem. Ad aliud dicendum, quod vox, loquendo proprie, est sonus sensibilis prolatus organo corporali. Unde proprie vocem non habent Angeli, nisi quando assumunt corpora. Potest tamen eorum locutio quam habent secundum se dici vox, scilicet vox spiritualis : in ipsis enim est locutio spiritualis quæ fit ad alios Angelos per quosdam nutus spirituales quos habent loco vocis. Unde Damascenus II lib. cap. iii : « Lumina intellectualia sunt Angeli, non lingua et auditu indigentia, sed et sine sermone voce prolato tradentia sibi invicem consilia et intelligentias. » Si ergo Angelus loquatur Angelo vel animæ sine corpore assumpto, utitur nutibus spiritualibus pro voce. Locutio autem Angeli ad Deum est cogitatio vel desiderium expressum : unde laus Angelorum sine corpore assumpto, est admiratio divinæ bonitatis. Unde dicit Gregorius *super hunc locum :* « Aliter loquitur Deus ad Angelos, aliter Angeli ad Deum. Deus Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima videndo manifestatur : Angelorum vox in laudem conditoris, est ipsa admiratio intimæ contemplationis. » Ad illud quod dicitur in littera, dicendum, quod vox illa quam audivit, non fuit corporalis, sicut nec visio. Ad aliud dicendum, quod proprie loquendo, Angeli de sua natura non habent linguas, quia lingua est instrumentum corporeum : sed secundum quemdam modum dicuntur habere linguas, quia suo modo spirituali loquuntur. Item objicitur, quia dicit, Numerus. Contra. Job. xxv, *Numquid est numerus militum ejus*? Respondeo : simpliciter sunt Angeli sub numero, Sap. xi, *Omnia in mensura et numero :* sed nobis est ille innumerabilis, propter multitudinem : et sic accipitur illud Job, *Voce magna dicentium*, quia de re magna et magna devotione affecti, admirando divinam bonitatem. Gregorius *super hunc locum :* « Per hoc quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt. » *Dignus :* ponitur hic tenor laudis : et primo ponitur laus per relationem ad differentem statum Christi. Secundo per relationem ad subjectionem creaturæ multiplicitatis. *Et omnem creaturam.* Quantum ad differentem autem statum Christi ponitur multiplex laus. Primo quantum ad statum incarnationis circa quam posuit et dicuntur tria. *Virtus*, quantum ad corpus, quia non habuit in corpore fortitudinem, unde est infirmitas corporalis et culpa originalis in anima, *divinitatem*, quantum ad verbum unitum, *sapientiam*, quantum ad animam. Secundo quantum ad passionem et fortitudinem. Tertio quantum ad resurrectionem : circa quam duo tanguntur : scilicet claritas, *honorem*. Item impassibilitas. *Gloriam*, Hæc duo sunt in corpore glorificato principalia. Quarto quantum ad ascensionem. *Et benedictionem :* quia tunc complementum divinæ benedictionis accepit quantum ad humanitatem. Vel *Benedictionem* propter

exaltationem ad dexteram Patris. *Dignus est accipere virtutem*, ut ex parte carnis non ad infirmitas inclinaret ad peccatum. *Glossa* : « Immunitatem a peccato. » Augustinus, X lib. super Genes. : « Non caro sua erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Et divinitatem per unionem, idest dignus est unione sui, idest suæ humanitatis ad divinitatem. Ipse verus Deus est. Item passus et mortuus secundum carnem fuerit. Isa. XLV, *Vere tu es Deus absconditus*. » Sed quomodo dicitur : Dignus es accipere virtutem et divinitatem, cum jam in incarnatione accepisset? Item quare dicit *Glossa* de congruo, non de merito? Respondeo. Ad primum potest dici quod præsens continuum notatur, et intelligitur illud dignus est etc., pro statu incarnationis, sicut et illud supra, *dignus es Domine Deus accipere librum etc.* Sic autem loquitur, quia eadem dignitas manebat in Christo. Vel potest sic intelligi : accipere, idest quod accepisti dignus es semper habere et hoc est, quia libero arbitrio, nihil distortum : unquam commisit, et boni usus perfectionem habuit plenissimam. Et iste sensus intellectivus confirmatur ex hoc quod adjungitur, Qui occisus est : per hoc enim videtur dici dignus qui *occisus* est, sicut et supra, *dignus es Domine Deus etc.*, quoniam occisus est etc. Ad aliud potest dici, quod Christus ex parte carnis et animæ dignus fuit de congruo, propter singularem sinceritatem et donorum plenitudinem unione ipsius carnis et animæ ad divinitatem, ex qua fuit plena immunitas a peccato in tota ejus vita et fortitudo et sapientia : tamen illam unionem non meruit, ut in unitate personæ uniti Filii Dei singulariter assumpta esset. Si autem secundum modum præmissum intelligatur illud quod dicitur in *littera*, dignus est accipere, idest acceptam habere semper, potest intelligi *Glossa* sub hac ratione, quia Christus in quantum homo dignus est semper habere illam unionem, et quæ ex ea sequuntur, dignitate congrui : quia cum nihil offensæ unquam commiserit et plenitudinem meritorum et perfectam charitatem habuerit quam in passione ostendit : non congruit illam unionem dissolvi. Sicut autem nullum meritum se unquam, proprie loquendo, potuit extendere ad ipsam unionem : sic potest dici quod nec ad ejusdem conservationem. Si autem objiciatur contra primum modum intelligendi *Glossam*, quod simul fuit conceptio carnis et creatio animæ, cum ipsa unione, utriusque dignitatis fuerit ad unionem : item sinceritas et donorum plenitudo simul fuerint cum illa unione : ergo per hoc non fuit dignitas ad unionem prædictam. Respondendum est quod simul fuerunt hæc omnia simultate temporis, non naturæ. Prius enim ordine naturæ intelligitur res et similiter ejus dispositio qua unitur. Et sapientiam, per quam omnia novit etiam secundum quod homo, Luc. II, *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia*. Et fortitudinem, per quam diabolum stravit. Job. IX, *Si fortitudo quæritur, robustissimus est*. Et honorem et in resurrectione admirabilem claritatem. Gloriam per impassibilitatem. Psalm. : *Gloria et honore coronasti eum Domine*. *Et benedictionem*, in ascensione, ut supra expositum est. Vel *Benedictionem*, quia per ascensionem suam nobis ingressum vitæ paravit : propter nos enim ascendit : et ideo bene dicendum est ei, Hebr. VI, *Præcursor pro nobis introivit Jesus*. Gregorius : Dominus Jesus redemptor noster per mortem ad resurrectionem ascensionemque suam, nos ad immortalitatem et ad superna gaudia reduxit. » *Et omnem creaturam*, idest subjectionem et laudem omnis creaturæ. Tum creaturæ rationalis quæ vel est in cœlo, unde dicitur : *Quæ in cœlo est*, ut Angeli et animæ beatæ : vel super terram, unde sequitur, *Et quæ super terram*, ut homines mortales : aut sub terra, unde subditur : *Et subtus terram*, scilicet animas exutas quæ in inferno sunt, et dæmones. Philipp. II, *Dedit illi nomen quod est super omne nomen*. Tum creaturæ irrationalis : unde sequitur, *Et mari*, idest subjectionem maris. *Et quæ in eo sunt*, ut pisces ; quia Christus homo omnibus dominatur. Et si posset fieri, dignum esset ut ipsum mare et quæ sunt in eo, et omnia alia irrationabilia et rationabilia pro humana redemptione ei gratias cantarent. Unde et pro redemptione tunc nondum facta, sed

futura, dicitur in Psalm. : *Laudent illum cœli et terra : mare etc.* Loquitur autem de mari, quia magna creatura, et multum apparet in eo divina potentia. Unde in Psalm. : *Qui descendunt mare in navibus etc.*, ipsi viderunt mirabilia ejus. Vel *Virtus*, dicitur quantum ad tentationum exsufflationem, divinitas quantum ad ineffabilem unionem, ut dictum est. *Sapientia* quantum ad modi exquisitionem. Job. xxvi, *Prudentia ejus etc. Fortitudo* quantum ad ipsam redemptionem sive passionem, ut prius dictum est. *Honor* quantum ad magnificam resurrectionem. *Gloria* quantum ad sublimem ascensionem. *Benedictio,* quantum ad fidelium multiplicationem, in qua magis et magis effertur benedicendus. *Omnes audivi.* Hic describitur gratiarum actio quæ est communiter exhibita ab omnibus : et primo ostenditur laudis exhibitio. Secundo exhibitæ confirmatio, *Et quatuor*. Dicit igitur. *Omnes audivi*, tam animalia quam seniores et Angelos, ut esset laus plenior. Psalm. : *Benedicite Domino omnia opera ejus. Dicentes, sedenti in throno*, idest quiescenti et regnanti in Ecclesia, scilicet Trinitati, *Et Agno*, quia tam potenter diabolum in passione vicit, quia de sua resurrectione et ascensione debetur laus toti Trinitati et ipsi Christo secundum humanitatem, qnia in omnibus procuravit nostram salutem. Ponitur autem secundum hoc prius laus pro ascensione, deinde pro resurrectione, tertio pro passione ; quia magnificentia plus apparuit in ascensione quam in resurrectione ; et in utroque, quam in passione. Sed quare dicitur potestas sit sedenti in throno et agno? Videtur enim frustra dictum, quia sine hoc est ei potestas : nec propter hoc habet potestatem, vel potestatis crementum. Respondeo. Hoc dicitur ad ejus magnitudinem : non ut per hoc sit ei major potestas, sicut nec nostra benedictio vel laus ei dat aliquid : sed ut ostendatur esse potentissimus, et quia dignissime convenit ei potestas : hoc autem ostenditur per modum optantis, propter vim et devotionem amoris, qui vult Deo et diligit Deo omne quod ad excellentiam pertinet ; et in hoc congratulatur. Hoc ergo dicitur ex amoris devotione, propter divinæ magnificentiæ magnificationem. Aliter possint intelligi hæc. Benedictio pro humana reparatione : Luc. i *Benedictus Dominus Deus etc.* Honor pro infidelium conversione. Gloria pro conversorum provectione in meritis, I Timoth. i, *Regi sæculorum immortali invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Et potestas :* quasi dicat : hæc prædicta sint a nobis per præconium laudis. Potestas vero sit ei in se et per se. Potestas inquam, in universali dominatione. Vel potestas in virtuosa operatione, quia potest facere quicquid vult ; I Paralip. ult. *Tua est, Domine, magnificentia et potestas et gloria.* Et hoc totum sit *In sæcula*, consequutura. *Sæculorum*, quia æterna est sua magnificentia, I Petr. v, *Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum, Amen. Et quatuor.* Hic ponitur exhibitæ laudis confirmatio : quæ fit dupliciter : scilicet verbo, unde dicit : *Et quatuor animalia*, idest prædicatores, ut supra, *Dicebant. Amen*, hoc est, ita fiat, vel Amen, quasi dicat : verum est quod talis laus attribuenda est Deo. Prædicatorum est confirmare testimonium aliorum, Isa. xliii, *Vere vos testes mei etc.* Item facto : unde sequitur : *Et vigintiquatuor.* Et primo ostenditur reverentia in procedendo. Et vigintiquatuor. *Seniores*, idest omnes pastores sive judices. *Ceciderunt*, humiliando se et referendo gratias reparatori hominum. Talis casus bonus est cum se pastor humiliat, Eccles. xxxii. *Rectorem te posuerunt? noli extolli etc.* Gregorius : « Potestas cum habetur, et cogitanda est ad utilitatem et dissimulanda propter timorem. » *In facies suas*, idest in corda, considerantes propriam infirmitatem. Per hoc notatur humiliatio mentis ad cœlestia, non retro ad posteriora. Danielis ix, *Consternatus cecidi in faciem meam.* Secundo devotio in adorando. *Et adoraverunt viventem in sæcula sæculorum*, scilicet Deum Trinitatem. Ipse enim solus est dignus adoratione latriæ. Matth. iv, *Dominum Deum tuum adorabis.*

CAPUT VI.

Et vidi, etc. Quarta pars est hujus par-

tis : in qua agitur de revelatione mysteriorum : et agitur hic de apertione sigillorum quæ pertinent ad statum universalis Ecclesiæ. Dividitur autem in septem partes secundum numerum sigillorum septem. Secunda pars, ibi : *Et cum aperuisset sigillum secundum*. Tertia ibi : *Et cum aperuisset sigillum tertium*. Quarta ibi : *Et cum aperuisset sigillum quartum*. Quinta ibi : *Et cum aperuisset sigillum quintum*. Sexta ibi : *Et vidi, et cum aperuisset sigillum sextum*. Septima, infra septimo capite, *Et cum aperuisset sigillum septimum*. Distinguuntur autem hæc septem sigilla : quia quinque prima respiciunt statum Ecclesiæ præsentem et præteritum : duo sequentia pertinent ad futurum. Unde prima sic distinguuntur. Prima pertinet ad primam Ecclesiæ ædificationem in tempore Christi et Apostolorum, scilicet pro tempore conversationis Christi in mundo : et potest etiam extendi ad ædificationem Ecclesiæ per prædicationem Apostolorum, post ascensionem Christi. Alia autem tria ad ædificatorum fidelium tribulationem. Quinta vero ad tribulatorum consolationem. Illa vero tria sic distinguuntur : quia primum ex illis tribus pertinet ad statum Ecclesiæ tempore martyrum. Secundum in tempore hæreticorum. Tertium in tempore falsorum fratrum. Circa primum tria ponuntur. Primum est apertio signaculi. Secundum excitatio Joannis ad videndum, *Et audivi*. Tertium tenor visionis, *Et vidi et ecce*. Circa primum notatur ipsa apertio. Item auctor apertionis, agnus. Item gratia in apertione, quia homini erat occultum, nec per se cognosceret : quod notatur nomine sigilli. *Unum de septem sigillis*. Dicit igitur, *Et vidi* : quasi dicat : Ita vidi Agnum accipere et aperire librum : unde fideles et Angeli gratias egerunt ei : nondum tamen signacula libri aperuerat. Et post vidi quod aperuisset : quia ante clausa erant, idest occulta hominibus, quæ hic ostenduntur revelata de multiplici statu Ecclesiæ, hoc est de quo priusquam fieret apertio, dicebatur supra v. *Dignus est Domine Deus accipere librum et aperire signacula ejus*. *Agnus*. Ad agnum qui librum aperuerat per passionem pertinebat aperire signacula libri. De quo Isa. XVI, *Emitte agnum Domine*. Unum de septem sigillis, idest unum de occultis pertinentibus ad statum Ecclesiæ, de quibus supra v. *Signatum sigillis septem* : et per hoc ostenditur ejus gratia revelandi. Nota quod sub figuris fiebant Joanni istæ revelationes, sicut ipsa littera ostendit et supra habetur in prologo : unde in dextera sedentis in throno vidit librum cum septem sigillis, quem nullus poterat aperire, præter Agnum : pro cujus solutione multæ gratiæ sunt eidem exhibitæ, ut supra habitum est. Deinde sicut hic refertur, vidit quod Agnus aperuisset unum de illis septem sigillis : et unum de illis quatuor animalibus quæ prius viderat, vocavit eum ad videndum ; et vidit equum album, et ejus sessor tenebat arcum et data fuit ei corona et exiit ad vincendum. Juxta hunc modum intellige in aliis quæ sequuntur per septem sigilla signari septem obscuritates, sive septem occulta quæ erant hominibus ignota de septem statibus Ecclesiæ. Primum fuit de primitivo statu Ecclesiæ per Christum prædicantem et per Apostolos ædificata est. Secundum de persecutione Ecclesiæ tempore martyrum per infideles. Tertium de persecutione Ecclesiæ per hæreticos. Quartum de persecutione Ecclesiæ per falsos fratres : et sic deinceps ut infra habetur, per apertionem septem sigillorum signatur manifestatio illorum occultorum prædictorum de septemplici statu Ecclesiæ quæ facta est per agnum Joanni et per Joannem Ecclesiæ. Et fortasse eadem apertio sive manifestatio facta fuerat alicui de fundatoribus Ecclesiæ ; sed hoc describitur sub figura apertionis septem sigillorum : sub apertione autem cujuslibet sigilli comprehenditur illud quod sequitur, ut hic subjungitur. *Et vidi et ecce equus albus*. Per quatuor animalia possunt intelligi quatuor Evangelistæ, excitantes Ecclesiam cujus typum gerit Joannes ad intelligendum, vel quatuor prædicatorum ordines. *Et audivi unum de quatuor animalibus, tanquam vocem tonitrui*, idest ejus vox erat quasi tonitrui, *veni*, o Joannes per majorem attentionem, *Et vide*, quæ tibi ostenduntur, scilicet ea quæ sequuntur. *Et vidi, et ecce etc.* Per

illud animal potest intelligi Joannes qui altissimum tonitruum fecit loquens de divinitate, per quam Agnus vicit, cum arcu Scripturæ. Per secundum Lucas designatur per vitulum, loquens de passione Dei, per quam habetur robur martyrum in passionibus. Per tertium animal signatur Matthæus, loquens de humanitate Domini : in qua multum erraverunt hæretici. Per quartum animal, signatur Marcus loquens de dominica resurrectione, ex cujus consideratione confunditur hypocrisis; quæ gloria resurrectionis privat hypocritas. Vel, secundum ordinem supra positum, per primum animal signatur Marcus, per leonem. Ipse enim de prædicatione Christi, in qua Christus tamquam leo rugiit, loquutus est, per quem primum Ecclesia condita est, et de ejus resurrectione, in qua fortis et victor apparuit. Supra quarto, *Animal primum simile leoni.* Per primum etiam animal intelligitur quartus ordo prædicatorum prædicantium de Christi doctrina et resurrectione. Per quartum, Joannes agens de immensitate deitatis, cujus consideratio dissipat hypocrisim. Tamquam vocem tonitrui : quia dum prædicabatur per Apostolos in primitiva Ecclesia Christi resurrectio, terror salubris fiebat in infidelibus Judæis. Oportuit enim in primitiva Ecclesia, resurrectionem Christi recenter mortui prædicari, ut crederetur resurrexisse. Act. II, *Dextera Dei exaltatus etc.* Et sequitur : his auditis compuncti sunt corde. *Veni et vide.* Per hoc intelligitur, quod prædicatores primitivæ Ecclesiæ convertendos invitabant. *Glossa.* « Primitivi sequentem Ecclesiam invitabant. Joannes gerit hic typum Ecclesiæ, quantum ad illos qui per alios, ad cœlestem intelligentiam invitabantur. » *Et vidi :* hic ponitur tenor visionis. Et primo ponitur descriptio mystici corporis, sive membrorum Ecclesiæ. Secundo descriptio ipsius capitis, scilicet Christi, *Et qui sedebat.* Primum per sedem. Secundum per sedentem. Dicit igitur, *Et vidi.* Supra in principio, dicitur vidi etc. Quomodo differt hæc ab illa? Respondeo. Primo vidit indistincte, hic distincte et plane. Quid autem viderit ostendit. *Et ecce,* ostendit illud quod sequitur fuisse in præsentia sub oculis, *Equus albus,* Equus dicitur in primitiva Ecclesia prædicatores propter quatuor : scilicet propter ferocitatem in præliando contra tentationes vitiorum, carnis, mundi, diaboli. Job XXXIX, *Exultat audacter, in occursum pergit armatis etc.*, de equo, idest Ecclesia, vel justo, et maxime de prædicatore. Item propter officium in portando, quia justus portat Deum per operationem. I Corinth. VI, *Glorificate et portate Deum in corpore vestro :* prædicationem, prædicando. Act. IX, *Vas electionis est mihi iste ut portet nomen meum.* Item propter velocitatem in discurrendo. Proverb. VI, *Discurre, festina.* Item propter durabilitatem in obediendo. Jacob. III. *Equis frena in ore mittimus.* Ezechielis I. *Ubi erat impetus spiritus etc.* Albus, propter sinceritatem innocentiæ per baptismum vel gratiam. Psal. *Asperges me, Domine, hyssopo. Et qui sedebat.* Hic describitur Christus quadrupliciter. Primo ut sessor ad regendum, *Et qui sedebat super illum* : hic est Christus qui insidet Ecclesiæ, sive in justis per gratiam; inhabitat enim in eis et regit eos. Sap. VII, secundum aliam litteram : Anima justi sedes est sapientiæ. Hæc autem sessio est mediante sella, scilicet justitia vitæ. Psal. : *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* Calcaria, sunt timor quo declinatur malum, et amor quo agitur bonum. Secundo, ut armatus ad vulnerandum, *Habebat arcum*, idest Scripturam, quæ percutit corda ut vulneremur amore. Psal. : *Arcum suum tetendit et paravit illum.* De hoc arcu tot procedunt sagittæ, quod verba sacra. Psal. : *Sagittæ potentis acutæ.* In arcu est lignum durum, et chorda mollis, quæ flectit lignum : similiter in sacra Scriptura vetus Testamentum, quod habet duritiam : et novum molle per gratiam et mitigans vetus. Per hunc arcum vulnerantur quidam ad mortem, per comminationem. Deuteron. XXXII, *Congregabo super eos mala.* Quidam ad medelam, per amoris suggestionem. Psal.: *Sagittas suas ardentibus effecit.* Hoc arcu quosdam vulneravit ad vitam qui scilicet convertebantur : hoc est vulnus amoris. Cantic. II, secundum aliam litteram : Vulnerata

caritate ego sum. Quosdam ad directionem, quos scilicet confutabat per Scripturam; sicut eos per illud Psal.: *Dixit Dominus Domino meo*, probans Christum in lege promissum esse Deum. Et Satanam repulit in tentatione per Scripturam, Matth. iv: [illegible], Ecclesiastici xxxiii, [illegible] *qui fecit illum*. Tertio ut coronatus, ad attrahendum. *Et data est ei corona*, a Deo patre, vel a tota Trinitate. *Ei*, secundum humanitatem. *Corona*, idest dignitas regalis ad præsidendum hominibus, per obedientiam. Psal.: *Ego autem constitutus sum rex*. Dignitas hæc et honorificentia regis nostri, debet allicere ad ejus obsequium et amorem. Bernardus, « Veni Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu qui debes in ea. » Quarto ut fortis ad triumphandum. *Et exivit*, per effectum et manifestationem. *Exivit*, inquam, sedens super equum, idest procedens per discipulos ad convertendum homines, videlicet ante passionem et post ascensionem. Ante passionem misit beatum Joannem Baptistam et discipulos quos ipse per se converterat; de quorum missione Lucæ ix et x: post ascensionem similiter misit eos. Marci ultimo, *Euntes in mundum universum*. *Vincens*, prius in Judæis, quibus fuit primo prædicandum. *Ut vinceret*, postea discipulos in Gentiles, quæ postea sunt per discipulos conversæ. Act. xiii, *Audientes Gentes gavisæ sunt etc.* Cum enim in lege promissus fuisset Christus Judæis, conveniens fuit, ut eis prius prædicaret : et sic multi conversi sunt; quibusdam autem manentibus in obstinatione, convenienter transierunt discipuli ad gentiles. Act. xiii. Vel, *Vincens*, diabolum prius in se per arcum et passionem. *Ut vinceret*, in membris, idest doceret nos suo exemplo : et juvaret ad vincendum. Supra iv, *Vicit Leo etc.* Hæc igitur apertio primi sigilli, idest manifestatio primi status Ecclesiæ, scilicet quia Christus insidens Ecclesiæ sive suis discipulis, simul cum eis prædicavit : et per arcum doctrinæ et passionem diabolum vicit, expellens eum de corporibus hominum. Et etiam potest hoc intelligi de prædicatione discipulorum post ascensionem, ut dictum est. *Et cum aperuisset*. Hic agitur de apertione secundi sigilli, quæ pertinet ad statum persecutionis Ecclesiæ tempore martyrum per infideles, quod pertinet ad inordinationem respectu potentiæ; sequens autem per hæreticos pertinet ad inordinationem respectu sapientiæ; subsequens autem, scilicet quarta persecutio per falsos fratres, pertinet ad inordinationem, respectu bonitatis seu gratiæ. Primo autem tangitur sigilli apertio. Secundo excitatio ad videndum, *Audi*. Tertio describitur ipsa visio, *Et exivit alius equus*. Dicit igitur : *Et cum aperuisset sigillum secundum* : per quam apertionem signata est manifestatio obscuritatis pertinentis ad statum Ecclesiæ secundum, quæ facta est Joanni, et per ipsum Ecclesiæ : forsan etiam aliis facta fuerat illa manifestatio; et sic intellige apertionem aliorum sigillorum. *Audivi secundum animal dicens, veni*, per altiorem considerationem. *Et vide*, illud quod sequitur. Per illud animal potest intelligi Lucas, qui prædicavit et scripsit immolationem dominicæ passionis, per cujus virtutem et considerationem datur robur in persequutionibus adversitatum. Vel, per illud animal intelligi potest ordo sive cœtus prædicatorum prædicantium Dominicam passionem in robur contra adversa, quorum typum tenuit ipse Lucas. Supra iv : *Et secundum animal simile vitulo*. Tales invitant Ecclesiam, quæ per Joannem intelligitur, ad intelligentiam spiritualem. *Veni et vide*. Quod autem dicitur secundum animal, intelligitur non ordine temporis necessario, sed ordine visionis. Hic enim ordo prædicatorum eodem tempore potest esse cum aliis. *Et exivit*. Hic ponitur ipsa visio. Et primo ponitur descriptio corporis, scilicet malorum, qui sunt corpus et membra, scilicet diaboli. Secundo capitis, *Et qui sedebat*. Dicit igitur, *Et alius*, prædicto contrarius : quia ille bonus, iste malus. *Alius*, quia ille albus propter munditiam, iste rufus propter malitiam : *equus*, scilicet cœtus persequutorum, qui fideles persequebantur, sicut factum est tempore martyrum per tyrannos et alios crudeles, et adhuc fit quandoque. Et di-

citur equus, quia veloces ad malum. Proverb. I, *Pedes eorum ad malum currunt.* Item portant diabolum insidentem eis, sicut sequitur, *Et qui sedebat super eum.* Item propter ineptitudinem ad bonum : quia sicut est brutum animal, ita et ipsi sunt facti brutales. Psal. : *Nolite fieri sicut equus et mulus.* Sic ergo perversi dicuntur equus, tum propter ineptitudinem ad bonum, tum propter velocitatem ad malum, tum propter subjectionem ad diabolum. Rufus, per quod signatur malitia crudelitatis, et effusio sanguinis. Proverb. I, *Et festinant ut effundant sanguinem innocentem. Exivit*, quia a conceptu cordis procedunt ad actum operis. Psal. : *Concepit dolorem et peperit iniquitatem. Et qui sedebat.* Hic describitur nequitia capitis, scilicet diaboli. Primo quantum ad jam habitam dominationem. Secundo quantum ad amplioris dominationis promissionem. *Datum est.* Non potest autem ampliari ejus dominatio, dejiciendo homines in peccato, nisi permittatur a Deo. Unde ibi primo ostenditur potestatis permissio ; et hoc, tum quantum ad concordiam tollendam, tum quantum ad vitam extinguendam. Secundo ostenditur potestatis permissæ magnitudo, *Et datum.* Dicit igitur, *Et qui sedebat super eum*, scilicet diabolus qui insidet perveseris, sicut equo suo, ducens eos per devia : et per eos pugnat contra alios. De hoc Isidorus in III libro *de Summo bono* : « Diabolus in electis non habitat : qui vero in corpore ejus sunt, in ipsis habitat, quia ipsi sunt templum ejus. » Isaiæ x, *Gabee sedes nostra*, Gabee interpretatur vallis ; quia in eis qui peccata abscondunt quantum ad confessionem ; sicut vallis occultat ea quæ continet, et qui ad modum vallis in imo sunt, diaboli sedes sunt. *Datum est ei. Glossa :* idest concessum a Deo, *Ut sumeret*, tolleret, *Pacem de terra*, idest pacem temporalem, et pacem animi de cordibus terræ deditis. Multum laborat ad ponendam discordiam. Gregorius : « Valde caritatem nostram, idest amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, et concordiæ nostræ invidet : quia hanc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo. » Marc. IX, *Et pacem habete inter vos.* Item contra pacem animi pugnat. Isaiæ LVII. *Non est pax impiis, dicit Dominus. Et datum est*, facere per suggestiones, *Ut interficiant se invicem*, scilicet unus alium, scilicet gladio materiali. Ipse enim concitat bella et rixas : unde quandoque sequitur ut homines seinvicem interficiant. Vel gladio persuasionis, dum unus alium corrumpit spiritualiter persuadendo mala : et totum fit diabolo suggerente, qui non tantum bonis sed etiam malis nocere studet. Habacuc I, *Semper interficere Gentes non cessat.* Mutatur autem modus loquendi, *Interficiant*, cum prius dixerit, ut sumeret, quia per cursum vitæ durat hoc malum. *Et datus est ei gladius magnus*, idest magna potestas truncandi et dejiciendi ; quia ad multos et magnos dejiciendos, ut in Petrum, Matth. XXVI, et quantum ad multas et magnas persecutiones concitandas. Job. XLI, *Non est potestas super terram.* Nota *Glossam.* Videns hanc potestatem tentabat infideles de persecutione martyrum, ut eos dejiceret. Gregorius : « Dum Gentilitas destitui mores suos doluit, in martyrum necem, non solum iracundos ac turbidos, sed etiam placidos erexit. » Sed objicitur de hoc quod dixit, datum est ei. *Glossa*, concessum a Deo. Ergo data est ei licentia malefaciendi a Deo. Respondeo : dicendum, quod est multiplex concessio : scilicet per rei collationem, Gregorius in *Homeliis* : « Servis suis bona sua tradidit, quia fidelibus suis spiritualia dona concessit. » Item per alicujus actus licentiationem, sicut abbas dat monacho debili licentiam comedendi carnes. Item per permissionem, ut cum Moyses concessit dari libellum repudii, Deuteron. XXIII : et sic accipitur hoc loco *Glossa*, quia usus potestatis diaboli in tentando, est concessus, idest permissus ; tamen potestas tentandi quæ bona est, concessa, idest collata est a Deo. Omnis enim potestas est de genere bonorum inquantum potestas ; sed abusus est malus. Gregorius : « Omnis voluntas ejus semper iniqua est : a semetipso habet voluntatem sed a Deo potestatem. » Item objicitur de hoc quod dicitur, *Datus est illi.* Quomodo enim dedit ei Dominus potestatem tentandi,

vam scivit eum casurum? Respondeo. Una ratio est ex parte creaturæ præcedentis, quia congruum fuit Angelum creari cum potestate faciendi bonum et malum, ut cognosceretur quid creatura ex Deo, quid ex se haberet. Item ut appareret, quam infirma sit creatura sub immutabilitate ipsius Dei qui peccare non potest. Item ut commendabilius esset meritum stantium, et inexcusabilius demeritum eorum qui peccarent. Gregorius in *Moralibus* : « Mire omnipotens Deus naturam spirituum bonam, sed mutabilem condidit ; ut qui permanere renuerent, et qui in conditione persisterent, tanto in ea jam dignius, quanto et ex arbitrio starent. » Secunda ratio est ex parte fructus sequentis : quia ex ejus tempore provenit fructus bonis cum tentantur, et vincunt tentatorem. Isidorus in III lib. *de Summo bono* : « Diabolus tentando pro fructibus sanctorum servit. Quantum vero ad eos qui vincuntur, elicitur bonum de tentatione diaboli : quia postea resurgunt humiliores et fortiores : aut si finaliter vincuntur, manifestatur divina justitia in eorum damnatione. Et iterum sanctorum gloria major est, considerata pœna malorum. » Psal. : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Si autem quod dicitur, datus est gladius, intelligitur de potestate ipsa, tunc proprie intelligitur datus ; si quantum ad abusum, tunc intelligitur datus id est permissus. Ipsa enim potestas data est ei ab initio, sed usus quandoque permittitur ei a Deo. Item objicitur de hoc quod dicitur *Magnus*, quia debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem. Respondeo dicendum quod diaboli potestas magna est ad tentandum propter sui latitudinem ; quia potest tentare bonos et malos minores et majores, ut tangit *Glossa*. Item propter persuasionis qualitatem ; quia permotiva tentatio, aliquando per ea quæ homo timet, aliquando suggerendo quæ placent. Gregorius : « Astuta ejus consilia dum dulcia resonant, ad noxia cor inclinant. » Item propter modi multiplicitatem : quia tentare potest, nunc mulcendo, nunc terrendo occulte et aperte, visibiliter et invisibiliter, interius, exterius, assumpto corpore et non assumpto, sed in nobis est suscipere vel non suscipere, sicut dicit Damascenus. Parva tamen est ejus potestas ad dejiciendum per se ; quia non potest hominem dejicere nisi homo se illi subjiciat per consensum ; tunc enim efficitur magna, non ex se, sed aliorum debilitate. Potestas igitur ejus et magna est ad persuadendum et modica ad vincendum de se. Unde Gregorius : « Nimirum hostis sicut contra consentientes est fortis ; ita contra resistentes est debilis : aliis ergo leo est, aliis formica. » Sed objicitur de *Glossa* quæ gladium vocat potestatem interficiendi. Dicendum quod ponitur consequens pro antecedenti. Potestas interficiendi idest tentandi sive persuadendi, ex qua persuasione sequitur interfectio per peccatum. Sic autem loquitur propter verbum præcedens. Et ut invicem se interficiant ; ipse enim illud procurat. Simili modo accipitur illud Psalm. : *Draco ille quem formasti ad illudendum ei* ; quia diabolus conditus est a Deo, quantum fuit ex se, ad hoc ut ex ejus tentationibus justi proficiant, dum resistunt : ex quo sequitur ejus illusio ; quia sequitur contrarium ejus quod ipse intendit. *Et cum aperuisset.* Hic primo tangitur sigilli apertio. *Et cum aperuisset sigillum tertium* expone juxta modum supra positum. Secundo excitatio ad audiendum. *Audivi tertium animal.* Per quod potest intelligi Matthæus, qui specialius scribit de incarnatione. Per ipsum potest intelligi etiam ordo prædicantium Christi incarnationem, quod fuit necessarium maxime tempore hæreticorum. Circa namque incarnationem Filii Dei, fuerunt plurimæ hæreses, horum typum tenuit Matthæus. Supra IV, *Et tertium animal etc. Veni et vide*, ut supra. Tertio ponitur ipsa visio. *Et ecce.* Et primo describitur visio quantum ad fidelium tribulationem. Secundo quantum ad eorumdem consolationem. *Et audivi.* Circa primum Primo describitur nequitia corporis. Secundo capitis, *Et qui sedebat.* Dicit igitur. *Et ecce equus*, scilicet coetus hæreticorum ; qui dicuntur equus diaboli, propter illa tria superius posita. *Niger*, propter tenebras errorum. Sicut enim inter omnes calores,

niger magis recedit a natura lucis ; sic hæretici a luce catholicæ veritatis. Nahum II, *facies eorum*, id est intellectus eorum, in quibus debet lucere splendor virtutis fidei *sicut nigredo ollæ*. Nota *Glossam : videns* etc. *Et qui sedebat*. Hic describitur nequitia diaboli. Primo quantum ad acquisitam dominationem. *Et qui sedebat super eum*, scilicet diabolus qui sedet super hæreticos ; supra II, *Ubi sedes est Satanæ*. Secundo quantum ad modum acquirendi ampliorem. Modus autem est duplex. Unus per doctrinam hæreticorum acceptoriam. Unde dicitur, *Habebat stateram*. Alius quantum ad operationem simulatoriam. *In manu sua*. Utroque enim modo trahit hæreticos diabolus. Per hæreticos quantum ad primum dicit : *Habebat stateram :* per quod signatur quod hæretici dicunt se habere discretionem in Scriptura, et de ipsa prædicant ; tamen male intelligendo et exponendo, diabolo hoc attribuitur : quia ejus suggestione agunt. Discretio autem in Scriptura statera dicitur ; quia sicut statera recta non declinat a rectitudine mensuræ, sic nec discretio seu peritia vera a sano intellectu ; et sicut statera sine pondere huc et illuc fluctuat : sic intelligentia Scripturæ sine pondere expositionis catholicæ ad errorem declinat ; et ideo in eis non est statera nisi dolosa. Oseæ XII, *Chanaam in manu ejus statera dolosa*. Isidorus, I lib. *de Summo bono :* « Vis per quam fit hæresis, obscuritas est divinarum Scripturarum, in qua caligantes hæretici, aliud quam res se habeat intelligunt. » *In manu sua ;* quia ut magis decipiant, opera de genere bonorum faciunt, secundum quod prædicant ; tamen duplici corde. Isidorus *in eodem :* « Quamvis hæretici legem et prophetas opere implere contendant, propter erroris tamen impietatem a vultu Dei projiciuntur, et a justorum cœtibus separantur. » *Et audivi*. Hæc est tribulatorum consolatio. Quæ primo describitur quantum ad locum auditæ vocis, intellecta nequitia hæreticorum, *Et audivi tamquam vocem* scilicet Angeli existentis, *In medio quatuor animalium*. Per hoc intelligitur quod magna est tribulatio quæ fit per hæreticos ; quia certum et magnum adjutorium datur, scilicet concors doctrina quatuor Evangelistarum, et etiam exhortatio et fulcimentum universorum prædicatorum : qui per quatuor animalia intelliguntur. Per hoc enim quod dicitur, *In medio* etc, intelligitur quod illa vox firmatur communi testimonio quatuor Evangelistarum, et omnium prædicatorum : qui idem secundum rem dicunt. Ex hoc patet quod recurrendum est ad doctrinam sacræ paginæ in adversis temporibus. Rom. XV, *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Dicitur autem, tamquam vocem ; quia non erat vox corporalis : licet quantum ad aliquid similem haberet. Secundo quantum ad formam ipsius consolationis, *Dicentem bilibris*. Consolationis autem forma et tenor est ; quia suos cultores, cum eos emit sanguine proprio, non permittit Dominus lædi, sed muniet contra diabolum. Primo ergo describitur consolatio quantum ad pretium emptionis. Secundo quantum ad munimentum protectionis, *Ne læseris*. Pretium autem emptionis ostenditur, tum quantum ad martyres, tum quantum ad Confessores. *Et vinum*, sub his enim comprehenduntur omnes fideles. Martyres autem quidam sunt majores, qui per bilibrem tritici, quidam minores qui per tres bilibres hordei. Dicit igitur, *Dicentem bilibris*, idest Ecclesia quantum ad majores martyres qui majus martyrium sustinuerunt, et majorem doctrinam habuerunt, et majus exemplum ad alios, et majus meritum apud Deum : quod totum per bilibrem tritici designatur, quia triticum attritum melius nutrit quam hordeum et magis est acceptabile ratione valoris. Bilibris est vas continens duos sextarios ; et ita est quasi duplex mensura : libra autem constat ex duodecim unciis : unde per bilibrem signatur Ecclesia servans præcepta duodecim Apostolorum, continens duplicem mensuram, scilicet Gentiles et Judæos conversos, vel fidem et operationem, vel geminam dilectionem Dei et proximi. Deus enim bonam mensuram exigit, quæ non potest esse nisi diligatur vero corde Deus et proximus. Gregorius : « Est in dilectione Dei necessario tenenda

fides et vita ; in dilectione vero proximi debet summopere patientia et benignitas custodiri. » Exhibet autem et ipse Dominus. Lucæ vii, [illegible] etc. Vel bilibris, propter meritum perfectionis in vita et martyrii in morte. Tritici, idest [illegible] tritici, scilicet merito passionis et resurrectionis [illegible] et exemplorum et excellentis dilectionis et operum quæ cibus est Dei. Bonum est hoc triticum. *Denario*, supple, est emptum, idest sanguine Christi. I Cor. vi, *Non estis vestri ; empti enim estis pretio magno.* Dicitur autem sanguis Christi denarius ; quia pretium est hominis empti, sicut denarius rei venalis. Dicitur autem in singulari ; quia unum est pretium omnium hominum, et quia per ipsum in unitatem fidei et caritatis colliguntur fideles. Ephes. iv, *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Contra hanc unitatem pugnant hæretici. Isidorus I lib. *de Summo bono* : « Hæretici ingenti studio mendacia sua dicunt, et labore vehementi, ne ad unitatem *Ecclesiæ* veniant, decertant. » *Et tres bilibres hordei*, idest martyres minores qui dicuntur Bilibres, propter fidem et opera, vel propter duplicem dilectionem, vel propter meritum vitæ et mortis. Dicuntur autem tres propter fidem Trinitatis, sine qua non est salus. Item propter perfectionem meriti in martyrio, licet non ita excelsi ut præmissi. Tres enim Bilibres faciunt senarium quo signatur perfectio. *Hordei*, idest hordeum sustinentes, idest habentes meritum martyrii, licet non tantum ut primi, quia hordeum atteritur, et sic inde fit panis, sed non ita suavis, ut est triticum. Similiter nec isti sunt in tanta altitudine meriti apud Deum, ut præcedentes. Item sunt habentes refectionem documenti et exempli. Hordeum enim reficit, minus tamen quam triticum. *Denario*, sunt empti, supra vi, *Occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo. Et vinum*, ordo sive status confessorum, hic describitur quantum ad duo. Primo quantum ad fervorem dilectionis ad Deum ; unde dicitur, *Et vinum*, scilicet ferventis dilectionis. Rom. xii, *Spiritu ferventes.* Secundo quantum ad dulcedinem miserationis ad proximum. *Et oleum*, scilicet illi qui habent lenitatem misericordiæ ad alios. Job. xxxi, *Ab infantia mea crevit mecum miseratio.* Quidam habent et fervorem ad Deum et miserationem ad proximum, quidam ad alterum : tamen omnes utrumque habere debent ; quia debent cum effectu compati si possunt. Unde Gregorius : « Nunquam autem qui vere compatitur, quod necessarium proximo conspicit negat. » Utrumque, supple, cum prædictis est emptum denario sanguinis Dei, quia uno pretio sunt omnes empti. II Corinth. v, *Et pro omnibus mortuus est Christus etc.* Vel aliter. Notandum quod duplex est status justorum. Quidam enim vivunt in adversitate ; hi designantur per Bilibrem tritici et per tres Bilibres hordei, sive sint Martyres, sive non ; atteruntur enim adversis, sicut teritur triticum et hordeum. Sed quidam sunt majoris meriti per patientiam latiorem et dilectionem majorem, qui per Bilibrem tritici. Quidam minoris : isti per tres Bilibres hordei, quod est minoris valoris quam triticum. Gregorius : « Sancta Ecclesia idcirco adversa vitæ præsentis tolerat, ut hanc superna gratia ad æterna præmia perducat. » Quidam vivunt in tranquillitate, respectu aliorum ; et horum quidam vacant fructui prædicationis qui signatur per vinum, quia alios inebriat, Prov. xi, *Et qui inebriat etc.* Quidam suavitati devotionis in oratione vel contemplatione ; qui scilicet officium prædicandi non habent : hi signantur per oleum, quia interna devotione pinguescunt et interno sapore pascuntur. Gregorius : « Contemplativæ vitæ amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsum animam rapit, cœlestia aperit, terrena debere esse contemptui ostendit, spiritualia mentis oculis patefacit. » Et nota quod vinum debet esse oleum, quia prædicatores suavitati contemplationis insistere debent ut ibi hauriant quod effundant aliis sicut nubes. Isa. lx, *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* Non tamen oportet omnes esse prædicatores ; quia non in omnibus est scientia, nec officium, nec alia quæ in talibus requiruntur. *Ne læseris*, o tu diabole sessor equi, aliquem istorum, quantum ad animam, etsi quantum ad

corpus : quasi dicat : O vos fideles non timeatis a facie hæreticorum et aliorum persequutorum, quia Dominus qui vos suo redemit sanguine, proteget vos : et tu diabole non lædas eos tentatione erroris vel alia. Psalm.: *Custodiet Dominus omnia ossa tua.* Vel denarius potest aliter accipi ; et quod dicitur vinum et oleum potest teneri accusative. Bilibris tritici, ut primo modo vel secundo est expositum manet. In denario, scilicet in decalogo : et ideo o diabole nihil habes mortiferum in eis. Et tres Bilibres, ut prius expositum est manet. In denario, decalogi : et, o diabole, Ne læseris per tentationem quantum ad animam. Vinum, idest eos qui reficiuntur sanguine, signando per vinum in contemplatione, vel sacramenti perceptione. Et oleum, idest eos qui sunt illuminati interna unctione. Et secundum hunc modum confessores, sive illi qui in tranquillitate vivunt, describuntur, et quantum ad fructum dominicæ passionis et unctionem internæ illuminationis. Potest et tertio modo intelligi denarius pro æterna retributione. Bilibris tritici est ditanda sive præmianda denario æterni præmii. Similiter et tres Bilibres. Et ideo tentatio hæreticorum, non prævalebit eis finaliter, Matth. xx, Ne læseris, o diabolo, vinum et oleum ut prius. Sed objicitur, quia multi qui justi fuerant pervertuntur quandoque per hæreticos, vel per peccatum aliquod mortale. Item diabolus non est obediens Deo vel Angelo; frustra ergo præcipitur ei, *Ne læseris.* Respondeo. Ad primum, quod hoc intelligitur de justis qui Domino adhærent per dilectionem et corde non consentiunt et faciunt quod suum est contra tentationes. Psalm.: *Custodit Dominus omnes diligentes se.* Cum autem desierint adhærere Deo, incipiunt perverti, nec proteguntur a Deo a lapsu mortalis culpæ, Oseæ, vii, *Væ eis quoniam recesserunt a me.* Nota ergo quod quidam sunt longe a Deo, per aliquod mortale. Et tales non sunt Bilibres tritici nec ordei, nec vinum nec oleum, unde non loquitur de his; tales enim facilius possunt dejici amplius per tantationes hæresis vel alterius peccati, licet etiam tales Dominus quandoque a multis tentationibus illæsos custodiat. Quidam adhærent Deo, per affectum et effectum : tales autem resistunt tentationibus, vel faciunt quod suum est ; et tales Dominus custodit, et de his agitur hic : aut se deiici permittunt, et de his non loquitur hæc littera. Ad secundum dicendum, quod illa prohibitio quam intellexit Joannes fieri diabolo in illa visione, non fuit frustra : licet diabolus non curet obedire : quia per eam signatur, quod Dominus in ipsa re cohibeat diabolum, ne ejus tentatio noceat justis adhærentibus ipsi Deo, sicut *Glossa* innuit cum dicit : *Quia non proficitis etc.* Proverb. iii, *In latere tuo etc. Et cum aperuisset sigillum quartum.* Dividitur ut supra. *Nota Glossam. Et audivi vocem quarti animalis.* Per hoc potest intelligi Joannes qui divinitatis sublimitatem subtilius intellexit ; per quem ordo prædicantium divinitatem Christi designatur, quod maxime necessarium est contra hypocritas quorum simulatio consideratione divinitatis dissipatur ; quia Deus veritas est ; et ideo hypocrisim detestatur et damnat. Supra iv, *Et quartum animal simile aquilæ.* Primum ergo animal advocat ad contemplationem primi status Ecclesiæ, in quo Ecclesia est per Christi doctrinam et resurrectionem condita : quod convenit Marco, qui de Christi doctrina et resurrectione agit, cujus est facies Leonis. Secundum ad contemplationem passionis et tribulationis, sub tempore martyrum ; quod convenit Lucæ, cujus est facies vituli, qui est animal immolativum. Tertium ad contemplationem erroris in hæreticis, quod convenit Matthæo describenti Christi incarnationem circa quam multi erraverunt hæretici, unde ejus est facies hominis. Quartum ad contemplationem hypocrisis in falsis fratribus ; quod pertinet ad Joannem, cujus est facies aquilæ, quia altius scripsit de Divinitate ; per cujus prædicationem confutatur hypocrisis. *Et ecce.* Hic ostenditur ipsa visio, quæ pertinet ad statum Ecclesiæ in tempore falsorum fratrum, quos diabolus inducit, ut Ecclesiam per eorum hypocrisim pervertat. Primo ergo ostenditur nequitia corporis, Ecclesiam persequentis. Secundo capitis per eos ope-

pallidus. Et qui sedebat. Dicit igitur : Et ecce equus, scilicet laborum fratrum hypocritarum, qui boni viri Ecclesiæ videntur et veri fratres pauperum in gratia, sanctitate ; sed sunt per fidem fictam et vitam simulatam tam falsi ; et ideo dicuntur equus diaboli qui sedet in eis [illegible] et per eos procedit ad [illegible] Ecclesiæ ; Galat. II, *Sed propter subintroductos falsos fratres qui subintroierunt*. *Pallidus*, per carnis macerationem exteriorem. Matth. VI, *Exterminant enim facies suas*, idest extra terminos naturalis coloris ponunt. Vel *pallidus*, quia mortuum mente [illegible] per hypocrisim, et per ipsum vult diabolus alios in fide pervertere ne vivant, II Corinth. XI, *Periculis in falsis fratribus. Et qui sedebat*. Hic describitur nequitia sessoris, scilicet ipsius diaboli ; et primo quantum ad sedem propriam. *Et qui sedebat super eum*, scilicet diabolus ; qui licet sedeat per dominationem in omnibus malis, tamen specialiter dicitur sedere in falsis fratribus, qui fide carent, et tamen se veros fideles et verbo et simulato opere mentiuntur. Job. XL, *Sub umbra dormit in secreto calami*. Secundo quantum ad nomenis [illegible]. *Nomen illi mors*, quia per illum est mors corporis introducta : Sap. II, *Invidia diaboli, mors intravit in orbem terrarum*. Item falsos hypocritas spiritualiter occidit. Supra III, *Nomen habes quod vivas etc*. Item per falsos fratres occidere vult alios pervertendo fidem. Item multos interfici procurat corporaliter. Supra eodem, *Datus est ei gladius magnus*. Tertio quantum ad horrendam sequelam. *Et infernus sequebatur eum*. Sic videbat in illa visione sub figura : per hoc signatur quod infernalis pœna debetur ei et equo ejus, idest impiis. Licet enim non puniatur, post judicium tamen acerbius punietur. Et tunc non evagabuntur dæmones ut nunc, sed in inferno erunt immersi, Job. XLI, *Videntibus cunctis præcipitabitur*. Gregorius : « Antiquus hostis Behal, videlicet crudelis et fortis, in medio captivus ducetur, et cum suo corpore, idest cum reprobis omnibus, æternæ gehennæ incendiis mancipabitur. » Vel per infernum signantur mali, qui nec divitiis satiantur, nec cupiditatibus Eccles. VII, *Avarus non implebitur pecunia*, *nec honoribus* ut superbi, nec *deliciis* ut voluptuosi : quibus etiam debetur infernus et mors. Infra XX, *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis*. Isti sequuntur eum quia vivunt secundum ejus monita et sunt de ejus familia. Supra II, *Qui se dicunt Judæos esse et non sunt, sed sunt synagoga satanæ*. Non illum qui dicit Joannis VIII, *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Quarto quantum ad concessam potentiam. *Et data est ei*, scilicet a Deo, *Potestas*. Gregorius : « Formidari non debet, qui nihil nisi permissus valet. » *Super quatuor partes terræ*, idest super omnes reprobos in quatuor partibus terræ morantes, scilicet oriente, occidente, parte australi et aquilonari, et per se et per ministros quos mittit per universum mundum, sicut Christus misit suos. Vel super Judæos, Paganos, Hæreticos et falsos Christianos. Vel quatuor affectiones ; scilicet timoris, spei, sive cupiditatis, doloris et gaudii ; et in his consistit meritum, si bonæ sint ; demeritum si malæ. De his Boetius in libro *de Consolatione Philosophiæ* I, met. VII :

« Tu quoque si vis	Lumine claro
Cernere verum,	Tramite recto
Carpere callem :	Pelle timorem
Spemque fugato,	Nec dolor adsit
Nubila mens est	Vinctaque frenis. »
Hæc ubi regnant.	

Differunt autem quia timor est respectu futuri mali ; dolor respectu mali præsentis ; spes sive cupiditas, respectu futuri boni ; gaudium respectu boni præsentis. *Interficere*, idest data est ei potestas interficiendi, *gladio*, peccatum persuadendo. *Fame*. Divini Verbi quam procreat per falsos fratres qui prædicationis fructum impediunt Deo permittente. Amos VIII, *Mittam famem in terram. Et morte*, corporis quam aliquando procurat. *Et bestiis terræ*, ad litteram ; vel bestialibus ministris, per quos nocet ; quales sunt falsi fratres, de quibus principaliter agitur Psalm. : *Comparatus est jumentis insipientibus*. Sed quæritur circa hoc quod dicitur : *Et infernus etc*., unde est quod mali potius volunt sequi diabolum, quam

Deum, quantum ad modum vivendi, cum errare se videant? Respondeo. Hoc est propter multa, quæ unam rationem complent : scilicet propter deceptoriam vanitatem, scilicet ex parte rei : et hoc vel quantum ad rei delectabilis mulcebritatem, qua allicit : unde Gregorius : « Hostis callidus unde mulcet, inde decipit : » vel rei tristabilis apparentem adversitatem ; ideo potius volunt esse in peccato, quam pœnitentiam agere. Unde Gregorius : « Modo multorum mentes persuadet blandiendo, modo pertrahit ad culpam terrendo. » Item propter intellectus caliginem, quia non plene vident seipsos et vitam suam, licet in quadam nube videant. Psalm.: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Item propter effectus confractionem. Dissipant enim et confractum habent affectum ; ideo sicut navis confracta et sine velo cum vento impellitur, immergitur undis tentationem, quia non habent secum nautam. Prov. xv, *Longe est ab impiis Dominus.* Item propter accidiæ torporem ; quia nec damna quæ incurrerunt, nec gehennam quam meruerunt, nec gratiam quam contempserunt, nec Deum quem offenderunt, nec præmia quæ amiserunt, considerare curant, nec adjutorium divinum postulant. I Thess. v, *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt.* Psalm. : *Accedite ad eum et illuminamini.* Item quomodo dat diabolo Dominus potestatem interficiendi spiritualiter ? videtur enim Dominus esse causa mali : quod minime sequitur. Respondeo. De potestate interficiendi spiritualiter est loqui dupliciter. Aut quantum ad possibilitatem ad malum actum, eadem autem potestas est benefaciendi et male; scilicet liberi arbitrii, unde bona est : et sic potestas interficiendi data est diabolo : non tamen ad interficiendum, sed ad bene agendum : hoc enim est gloriosus, cum liberum arbitrium quod potest in bonum et malum, eligit bonum et cavet a malo. Ecclesiastici xxxi, *Qui potuit transgredi, et non est transgressus.* Possibilitatem autem ad actum malum intelligo, ut ad actum bonum, non ut ad malum; quia sic potius est impotentia. Aut quantum ad malum usum ; et sic non est proprie data potestas a Deo; quia non dat ei male uti potestate, nec dat potestatem ad malum usum ; sed permissa ; unde *Data* dicitur hic idest permissa; quia permittitur eum uti male sua potestate : hoc autem juste permittit. Unde Gregorius : « Ex se quidem tentare quoslibet appetit; sed eos qui tentandi sunt, et prout tentandi sunt, non nisi juste Deus tentari permittit. » Per prædicta patet responsio ; quia potestas hic dicitur dari, idest permitti, quantum ad malum usum. Ad objectum, Dicendum quod non est Deus alicujus peccati ; quia illam potestatem dat recte. Illa enim eadem potestas est, quæ et benefaciendi : nec ad malefaciendum dat; imo prohibet malum usum. Item ipsum usum permittit juste. Tum propter meritum perversitatis diabolicæ ; quia totus est ardens ad perdendum animas, unde meretur permitti tentare homines, unde sibi major pœna accrescat. Habacuc I, *Semper interficere gentes non cessat.* Ubi *Glossa :* « Studium diaboli est ut semper interficiat. » Tum propter meritum culpæ in malis, ut *Glossa* innuit. Unde Gregorius : « Multos autem meritis exigentibus hostis ferire permittitur, ut cum Deum desererunt, hosti damnato famulentur. » Tum propter materiam profectus in bonis Isidorus in libro *de Summo bono :* Utilitati sanctorum servit diabolus, quando eos suis tentationibus non decipit, sed erudit. » *Et cum aperuisset sigillum quintum.* Apertio quinti sigilli pertinet ad tribulatorum consolationem. Nota *Glossam :* Ostensis. Primo autem ostenditur sigilli apertio, *Et cum aperuisset sigillum quintum :* per cujus apertionem, signatur manifestatio quintæ obscuritatis, pertinentis ud justorum consolationem. Secundo ponitur ipsa visio, *vidi.* Vidit autem in visione sub quodam altari animas Martyrum clamantes et desiderantes resurrectionem generalem accelerari, Et data est eis consolatio a Deo. Continet autem hæc visio sive ostensio quatuor : scilicet Loci considerationem, Meriti perfectionem, *Animas.* Item Desiderii expressionem, *Et clamabant.* Item Consolationis immissionem sive exhibitionem, *Et datæ sunt.* Dicit igitur, *Vidi subtus altare*, sic vidit in vi-

simus. Per altare signatur Christus, in quo et per quem Deo Patri offerre debemus quidquid boni agimus, et per ipsum est acceptabile quidquid Deo est gratum. Sub hoc altari, scilicet sub Christo, sunt animæ, non solum in statu viæ, sed etiam in statu patriæ; sicut sub eo a quo proteguntur sicut sub umbraculo, contra omne malum. In patria enim nihil mali est. Psal.: *Proteges eos in abscondito faciei tuæ*. Vel sub eo sunt, quia secundum Haymonem capiti suo coæquari non possunt. Item sub eo sunt per humiliationem, considerando suam parvitatem, et ejus sublimitatem. Joan. III: *Qui de sursum venit, super omnes est*. *Animas interfectorum*. Hic ostenditur meritum Martyrum. Primo, quantum ad exteriorem passionem: Animas interfectorum per persecutores. Hebr. XI: *Lapidati sunt, secti sunt*. Secundo, quantum ad justam rationem, *Propter verbum Dei*, idest propter præceptum Dei quod impleverunt. *Et propter testimonium quod habebant*, ad alios, idest propter testificationem interfecti sunt. Vel, Propter verbum Dei, quia prædicaverunt Christi divinitatem, *Et testimonium*, idest quia testificati sunt Christi humanitatem. Act. I: *Eritis mihi testes etc.* Augustinus in *Sermone de Martyribus*: « Si attendamus solas passiones, coronantur et latrones: ergo homo Dei prius sibi eligat coronam et securus accedat ad pœnam. » *Et clamabant*. Hic primo ponitur Desiderium, *Et clamabant voce magna*. Hæc magna vox clamoris, est vehementia desiderii. Gregorius *super hunc locum*: « Magnus quippe clamor animarum, magnum est desiderium. Tanto enim quisque minus clamat, quanto minus desiderat; et tanto majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. » Secundo exprimitur ipsum desideratum. *Dicentes: usquequo*. Ubi duo ponuntur: scilicet Captatio benevolentiæ. Tum a potestate, *Domine*, qui potes judicium facere. Psal.: *Omnia quæcumque voluit fecit*. Tum a bonitate, *Sanctus*: unde sanctitatem amas et remuneras. I Reg. II: *Non est sanctus, ut est Deus noster*. Tum a veritate, *Et verus*, in promissis, unde debet te reddere quod promisisti, de præmio. *Fulgebunt justi*. Matth. XIII. Rom. III: *Est autem Deus verax*. Item petitio justitiæ: *Usquequo non judicas sanguinem nostrum?* gloriam nostram consummando per corporum resurrectionem. Deuteron. XXXII: *Vindicabit Dominus populum suum*. *Et non vindicas*, scilicet nostros persecutores puniendo, *Non vindicas inquam*. *De his qui habitant in terra?* Idest inhærent terrenis per amorem. Vel, Non vindicas sanguinem nostrum, idest non facis judicium de effusione sanguinis, scilicet puniendo tyrannos et persequutores? Unde exponendo subdit: *Et non vindicas* nos vel sanguinem nostrum de his qui habitant in terra. Per hoc autem quod dicitur, Usquequo, notatur dilatio generalis resurrectionis, quam desiderant: in qua et boni amplius remunerandi sunt, et mali puniendi: quasi dicat quamdiu differs vindictam recipere de nostris persequutionibus, et tuorum præmiam consummare? Aliqui libri habent alio ordine litteram, Non judicas et vindicas sanguinem etc., eadem expositio est. Sed objicitur de hoc quod dicunt, *Usquequo*: quia si sic desiderant: ergo cum differatur affliguntur; quia Proverb. XIII: *Spes quæ differtur affligit animam*. Item sciunt illud quod desiderant esse futurum, scilicet suæ gloriæ consummationem, et divinæ justitiæ manifestationem in malis. Quare ergo petunt? Respondeo. Ad primum dicendum, quod desiderare aliquid fieri est dupliciter. Aut fieri statim: et sic dilatio affligit expectatorem. Aut fieri opportuno tempore: et sic ex dilatione non est afflictio: manet tamen desiderii continuatio. Hoc autem modo secundo est in animabus beatis: conformant enim bonitatem suam divinæ; nec volunt resurrectionem generalem fieri, nisi secundum quod Dominus ordinavit eam futuram; tamen eam desiranter expectant, et ideo dicunt: Usquequo, etc. Gregorius: « Non quicquam desiderant, quod ab ejus, quem cernunt, voluntate, discordet. » Ad secundum dicendum, secundum beatum Gregorium, quod suum petere, est desiderium suum ad Dominum extendere: petunt autem extremum

judicium et gloriæ resurrectionem, licet non ignorent venturum : Tum propter desiderii vehementiam, tum propter voluntatem divinam ; quia Deus vult eos hoc petere, cum ipsa petitio cedat in ipsius Dei magnificationem ; a quo tantum bonum dandum speratur, et sine quo non habetur ; et faciat etiam ad gloriæ manifestandam magnitudinem. Gregorius, *super hunc locum :* « In ipso positæ sanctorum animæ, de ipso accipiunt, ut ab ipso petant, quod eum facere velle noverunt : de ipso bibunt, quod ab ipso sitiunt ; et modo nobis adhuc incomprehensibili, quod petendo esuriunt præsciendo satiantur. » Item objicitur de hoc quod dicitur : *Et vindicas etc. :* quia dicitur Eccles. XXVIII, *Qui vindicarit vult etc.* Levit. XIX : *Non quæras ultionem.* Item Matth. V : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Si dicas quod principaliter intendunt petere generalem resurrectionem, non persequutorum damnationem, quæ eis placeat ex odio. Tunc quæritur ad quid de vindicta loquantur. Respondeo ad hoc intelligendum, quod beatæ animæ intelliguntur hic petere extremum judicium et resurrectionem, ubi earum gloria ex corporum glorificatione augebitur, et numerus salvandorum complebitur, et divina justitia in impiorum damnatione manifestabitur. Cedent autem hæc tria beatis in cumulum gaudii : scilicet plenitudo suæ gloriæ, plena societas cœlestis curiæ, et complacentia divinæ justitiæ. Quod autem ita sit, apparet ex textu sequenti, ubi dicitur, *Et datæ sunt,* Item *Et dictum est eis.* Item *Glossa,* desiderant. Item Gregorius *super hanc locum :* « Quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi diem extremi judicii et resurrectionem extinctorum corporum desiderare? » Ad illas auctoritates dicendum, quod velle vindictam est dupliciter. Aut ex libidine vindictæ sive malitiæ : et hoc est illicitum : et sic loquuntur illæ auctoritates. Aut ex zelo justitiæ : et sic est licitum. Dicendum igitur, quod beatæ animæ potius vellent malos hic correctos, quam in futuro damnari : sed cum sciant eos, qui sunt incorrigibiles, in futuro damnandos ; placet eis, quod divinæ justitiæ placere noverunt. Unde super illud Rom. XII : *Mihi vindictam etc.*, ubi verba quæ hic habentur exponuntur, Dicit *Glossa :* « Bonus magis cupit corrigi inimicum quam puniri : et cum Deus punit, non delectatur de pœna inimici, qui non odit eum, sed de judicio ; quia Deum diligit, hoc ei placet quod et Domino. » Ad aliud dicendum videtur, quod ideo petunt vindictam inimicorum, licet principaliter eam non intendant, quia ex zelo justitiæ et ex affectu divini amoris indignantur beatæ animæ, sicut et ipse Deus contra nequitiam persequutorum, qui ipsum Deum impugnant et ejus cultum impedire satagunt et ejus cultores affligunt : unde eorum malitiam et potestatem terminari vellent. Item quia, ut dictum est, consilium divinæ sapientiæ et severitatem divinæ justitiæ circa tales noverunt, ipsi justitiæ congaudent, sicut dicit *Glossa* prædicta. *Et datæ.* Hic ostenditur consolationis immissio ; quæ dupliciter ostenditur data. Et primo per doni collationem. Secundo per internam inspirationem, sine facto et verbo scilicet interno *et dictum est.* Hoc enim duplici modo recipiunt a Deo consolationem beatæ animæ, circa desiderium gloriæ corporum, quæ differtur ; videlicet quod interim data est eis prima stola ; scilicet fruitio divinitatis. Item quia data est præscientia sive certitudo futuræ glorificationis suorum corporum, et Deus docet eas quod debent expectare, quousque simul corpora animorum glorificentur : et tunc erit gaudium majus. Dicit igitur, *Et datæ sunt,* liberaliter. *Non sunt condignæ passiones hujus sæculi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII : *Illis singulæ,* sicut singulæ meruerant, *stolæ,* idest præmia divinæ fruitionis quæ dicuntur stolæ propter pulchritudinem, albæ propter sinceritatem. Stola est vestis talaris, quæ totum hominem cingit : hæc est æterna beatitudo, quæ omnem miseriam tollit : et dicitur a Telon quod est longum. Supra III : *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis.* Hoc autem dicitur, quia nunc animæ habent primam stolam, scilicet fruitionem. In fine vero habebunt simul gloriam corporis, quæ est secunda stola. Isaiæ XL : *In terra sua*

dispiciens postulabant. Gregorius super hunc locum : « Sancti ante retributionis tempora singulis stolis perfruuntur : in fine saeculi mundi binas stolas accepturi sunt ; quia nunc animarum perfecta gaudio, etiam corporum incorruptione vestientur. » Et dictum est illis, idest a Deo inspiratum. Gregorius, sicut supra sermo est, qui animas aperit, et haberet sensum mundi. Ut requiescerent, idest patienter expectarent, scilicet, praeter praeteritam expectationem, Tempus modicum : quia totum tempus usque ad resurrectionem breve est respectu aeternitatis. Isaiae x : Adhuc tempus modicum est. Donec impleatur numerus, a Deo praeordinatus, Conservorum eorum, quia sunt sub uno dominatore, cui debetur subjectio. Et fratrum eorum, quia sunt cum eis sub uno Patre cui debetur dilectio. Qui, scilicet conservi et fratres eorum, Interfecti sunt, idest interficientur per manus persecutorum. Sicut et illi interfecti sunt. Non dicit, illae, cum tamen de animabus loqueretur prius : quia non animae interficiuntur sed homines. Aliqui libri habent, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum qui etc. : et est idem sensus, donec numerus implebitur, quando omnes qui sunt interficiendi erunt jam facti Martyres : et hoc erit in fine mundi, et post hoc fiet judicium, et tunc fiet quod animae supra petierunt : et interim debent expectare ex amore fratrum et amore ipsius Domini : quia tempore resurrectionis simul suscitanda et glorificanda sunt. Gregorius super hunc locum : « Animarum vox est, hoc quod desiderant. » Respondentis Dei sermo est, hoc quod eos retributionis certitudine inter desideria confirmat. Et vidi. Hic agitur de apertione sexti sigilli. Pertinet autem apertio sexti sigilli et septimi ad statum Ecclesiae in tempore Antichristi. In apertione septimi ostenditur pax quae reddetur post tempus Antichristi. Hic autem sic procedit, quia primo ostenditur sigilli apertio, Et vidi, scilicet illud quod sequitur, Cum aperuisset sigillum sextum, et ecce terraemotus, per cujus apertionem intelligitur manifestatio ejus quod erat occultum, scilicet de persecutione sub tempore Antichristi. Et dicitur sextum respectu quinque obscuritatum de quibus supra dixit. Secundo describitur ipsa visio, *Et ecce*. Ubi primo ostenditur tribulatio Ecclesiae sub tempore Antichristi. Secundo ostenditur Ecclesiae consolatio ex benevolentia Christi, *Et vidi alterum Angelum* post principium sequentis capituli. Tribulatio autem Ecclesiae quae sub Antichristo erit, ostensa est Joanni sub quibusdam figuris sive similitudinibus multiplicis immutationis. Unde primo tangitur immutatio inferioris corporis sive elementi. Secundo inferiorum simul et superiorum corporum. *Et sol*. Tertio immutatio mediorum, scilicet aeris et eorum quae fiunt in aere. Prima duo pertinent ad illationem mali. Tertium ad subtractionem boni. Prima duo distinguuntur : quia immutatio inferioris corporis, scilicet terrae, ostendit ipsius causam tribulationis : immutatio inferiorum et superiorum corporum ostendit ejusdem tribulationis effectum sive sequelam. Dicit igitur : *Et ecce* : quasi dicat, vidit : et quid viderit ostendit. *Et ecce*. Nota est manifestationis sibi factae. *Terrae motus factus est magnus* : per quod signatur magna commotio tribulationis quae fiet per Antichristum, et suos ministros, qui etiam terrenis per amorem infixi operante diabolo per eos, quia tunc solvendus est, infra xx. Bene dicitur *Magnus*, juxta illud Matth. xxiv : *Erit tunc tribulatio magna*. *Et sol*. Hic ostenditur immutatio simul corporum inferiorum et superiorum. Ostenditur autem triplex immutatio. Primo in caelo. Secundo in montibus et insulis, *Et omnes montes*. Tertio in hominibus, *Et reges*. Prima duo pertinent ad effectum tribulationis jam consecutum. Tertium et gravioris effectus consecuturi metum. Item in caelum ostenditur immutatio duplex. Primo in corporibus caelestibus, tum sole, tum luna, tum stellis. Secundo in ipso caelo. *Et caelum*. Immutatio solis ostendit effectum tribulationis, respectu capitis : non quia aliud efficiatur in Christo per illam tribulationem : sed quia per illam tribulationem fiet ut Christus non sit apud homines in ea magnificentia in qua prius. Immutatio lunae ostendit effectum tribulationis respectu

mystici corporis. Immutatio stellarum et cœli et montium et insularum, ostendit sive signat effectum tribulationis respectu membrorum; sed differenter : quia casus stellarum ostendit effectum sive sequelam tribulationis, quantum ad labentes recessus cœli et motionem montium et insularum, quantum ad perseverantes. Sed recessus cœli, quantum ad prædicatores qui proficiunt proximo ; motio montium quantum ad contemplativos qui vacant Deo ; motio insularum quantum ad activos qui bene utuntur mundo. Dicit igitur : *Et sol*, idest Christus lux hominum et Angelorum, cujus radiis mentes illustrantur et decorantur. Malach. III : *Orietur vobis sol justitiæ. Factus est niger*, idest obscurus, non in se, sed in omnibus quibus ejus claritas erit occulta. *Tamquam saccus cilicinus*, qui est vilissimus. Tempore enim Antichristi non apparebit magnificentia Christi per doctrinam ut modo, quia non sic audebunt prædicare. Item nec per miracula, ut dicit *Glossa :* tunc enim per Antichristum et suos miracula fient, Matth. XXIV : *Surgent enim pseudo Christi.* Isidorus I lib. *de Summo Bono :* « Non solum contra persequentes, sed etiam contra miraculis coruscantes, dimicaturi sunt sancti. » Sed quare tunc Dominus tantam persecutionem fieri permittet? Item quare miracula subtrahet? Respondeo, ad primum, quod hoc permittet propter electorum probationem et meriti accumulationem : propterea hoc exiget malitia perversorum, per quam mali merebuntur in illa tribulatione succumbere, ut magis damnentur. Item perversitas diaboli hoc permitti merebitur a se fieri, ut ex hoc acrius mereatur damnari. Deus igitur non erit causa persecutionis, sed permittet eam fieri juste. Unde Isidorus, I lib, *de Summo Bono :* « Quanto breve tempus videt diabolus sibi restare, ut damnetur, tanto in magna persecutionis ira movetur, divina justitia permittente, ut glorificentur justi, sordidentur injusti ; et ut diabolo durior crescat damnationis sententia. » Ad aliud dicendum videtur juxta prædicta, quod non faciet Dominus miracula tunc. Tum propter electorum probationem et per consequens majorem glorificationem. Tum propter malorum excæcationem, quorum malitia merebitur sibi subtrahi viam internæ illuminationis. Vel per solem intelliguntur viri perfecti qui in se retinebunt suam claritatem, sed ab aliis viles et peccatores reputabuntur et occidentur per Antichristum. Saccus enim signum est vilitatis, cilicium solet peccatoribus dari. Vel per hoc signatur lapsus quorumdam justorum, prius per vitam fulgidorum, qui per infidelitatem denigrabuntur et viles fient et asperi per errorem, quia error animam sibi ipsi asperam facit. Nota quod cilicius saccus est illis vestis ; et dicitur a Cilicia regione in qua fuit repertus. *Et luna*, idest Ecclesia, quæ in quibusdam membris patitur eclypsim ; sicut luna, quæ lumen a vero sole Christo recipit, sicut luna a sole. *Tota facta est ut sanguis*, idest tota ubique tribulabitur et patietur, quia effusio sanguinis indicium est tribulationis. Ad litteram etiam multus sanguis fidelium in diversis partibus effundetur per ministros Antichristi procurante diabolo. Isidorus *in eodem* : « In martyres magnam crudelitatem diabolus exercuerat etiam ligatus : crudelior tamen erit sub Antichristi temporibus, quando erit solvendus. » *Et stellæ cœli*, qui prius erant lucidi per conversationem vel prædicationem, *ceciderunt*, a fide. *Super terram*, idest in concupiscentiam et amorem terrenorum. Cadent enim tunc multi a fide, et plus diligent terrena quam cœlestia : tales enim corrumpet Antichristus muneribus et promissionibus. Joelis II, *Stellæ retraxerunt splendorem suum. Sicut ficus emittit*, idest abjicit. *Grossos suos*, idest fructus inanes. Grossus scilicet est ficus immatura sive primitiva, leniter cadens ad impulsum venti. Unde sequitur, *Cum a vento magno movetur.* Sic quidam ad impetum persecutionis Antichristi abjicient fidem quæ non fuit solida in eis, Luc. VIII, *Ad tempus credunt etc. Et cœlum*, idest viri cœlestes prædicationem impiis celantes, *recessit*, idest separabunt se et recedent a malis, fide et opere, quia eos non imitabuntur. Unde Gregorius : Viam Antichristi non solum Elias et Enoch qui in ejus exprobationem reducentur ad me-

dum, sed etiam omnes electi arguent, dum contemnent ; de virtute mentis, ejus malitiam vincent. » Sicut liber ; quasi dicat : recedent volubiliter. Sicut liber involutus, quem volvebant in malis doctrinam. Liber involutus celat id quod continet, nisi eis quibus voluntarie aperitur : sicut sancti illius temporis se suis manifestabunt et alienis abscondent. Isa. xxxiv, *Complicabuntur sicut liber cœli. Et omnes montes*, idest virtute et contemplatione eminentes, qui prius lumen a solo susceperunt, et aliis orando et ædificando et docendo transfundunt. Psalm. : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Item a terra super terram elevantur. Isa. LVIII, *Sustollam te super altitudines terræ. Et insulæ*, scilicet activi boni tribulationibus vexati sicut insula undis percutitur. Est enim insula regio vel terra in salo posita, locus scilicet circumdatus mari. Activi autem sentient impulsus tribulationum multiplices, quia damnum in rebus et afflictionem in corporibus, quia Antichristus per principes sæculares puniet nolentes sibi adhærere et suorum prædicatorum doctrinam recipere. Unde Gregorius : « Quos ejus ministri appetent loquendo seducere, multi potentes sæviendo studebunt et affligendo terrere. » *De locis suis motæ sunt*, idest separabuntur a malis fide et opere, in quorum consortio quasi in loco suo morari per corporalem conversationem solebant. Vel de locis suis, quia suas habitationes relinquunt propter gravitatem persecutionum, quia qui erunt solidi in amore divino præeligent gravissima pati, potius quam a suo dilecto separari, Deuteronom. xxxiii, *Inundationem maris quasi lac sugent.* Simile loquitur de martyribus præteritis, Hebr. xi, *In solitudinibus errantes.* Posset et de malis intelligi. Montes, idest superbi, Job. xiv, *Mons cadens defluit. Et insulæ*, idest sæculi negotiis agitati. De locis suis motæ sunt, idest a fide recedent, quæ est fidelibus sedes et locus. Unde Gregorius : « Nonnulli fidem rerum cœlestium ad vitæ spiritualis desiderium inclinabant. » *Et reges.* Hic agitur de illa tribulatione, quantum ad timorem gravioris effectus sive pressuræ. Primo autem ostenditur multiplicitas timentium. Secundo timoris indicium. *Absconderunt se.* Timentes autem erunt de omni statu, scilicet prælatorum et subditorum : unde primo agitur de prælatis, secundo de subditis, *Et divites.* Item de prælatis secundum triplicem gradum : quia prælati vel sunt in gradu alto, aut altiori, aut altissimo. Si in altissimo sunt, *Sunt reges terræ*, idest pastores altissimi gradus, ut primates archiepiscopi, et sic altissimus in ascendendo : qui scilicet bene se ipsos per carnis mortificationem quæ terra est, similiter et alios bene regunt. Supra I, *Primogenitus mortuorum et princeps regum terræ.* Si in altiori solio sunt *Principes terræ*, ut sunt episcopi. Si in alto, sic *tribuni*, ut sunt archidiaconi, archipresbyteri, sacerdotes, curati. Tribunus dicitur ille qui præest uni tribui; græce autem dicitur Chiliarchus, latine millenarius. I Reg. xviii, de David legitur quod erat tribunus super mille viros. Per tribunos possunt intelligi minores prælati, sicut tribuni sunt minores principibus et regibus. *Et divites.* Hic agitur de subditis ; et primo de his qui sunt meriti majoris ; quos describit, Tum quantum ad diligentiam in operando bona, et isti sunt, *divites*, scilicet in operibus bonis et virtutibus : supra II, *Dives es et blasphemaris.* Tum quantum ad victoriam in expugnando vitia, tam in tentationibus, quam in adversitatibus : et isti sunt *fortes*, scilicet contra vitia. Nec enim tentatio vincere nec adversitas eos dejicere potest, Prov. xii, *Manus fortium dominabitur etc. :* qui insistunt actibus bonis, nec multum tentantur. Alii vero multi tentationibus et adversis impugnantur. Possunt etiam divitiæ et fortitudo intelligi in eisdem. Secundo de his qui minoris. Hi autem vel sunt conjugati, et isti dicuntur servi. *Et servus*, idest conjugatus qui sub jugo est, I Corinth. vii, *Alligatus es uxori etc.* Aut liberi sive soluti : unde dicit ; *et liberi. Glossa* a conjugio, I Corinth. vii, *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Dei sunt.* De utroque statu sunt boni, qui tamen timebunt multum sunt Antichristo : unde sequitur, *Abscondent se.* Vel illi qui sunt minoris meriti, describuntur. Tum quantum ad famula-

tus humilitatem, servus, scilicet Dei. Coloss. III, *Domino Christo servite*. Tum quantum ad peccati immunitatem : Et liberi, scilicet a peccato. Rom. VI, *Liberati a peccato. Et abscondent se*. Hic tangitur timoris indicium. Duplici autem indicio manifestabunt suum timorem : scilicet ipso actu confligendi. Item verbo exorandi. *Et dicunt*, Ubi Primo ostenditur affectus orationis. Secundo necessitas exauditionis. *Quoniam venit*. Dicit igitur. *Abscondent se in speluncis et petris montium*, idest confugient ad obumbrationem et defensionem Angelorum et sanctorum qui montes sunt per gloriæ sublimitatem. Psalm. : *Levavi oculos meos ad montes*. Rogabunt boni, ut dicit *Glossa*, sanctorum orationibus se protegi ab ira Dei, qui tunc suos ita permittet affligi. Et videtur hic maxime de imperfectis accipiendum qui timebunt majorem adhuc afflictionem supervenire, cum videbunt per principes interfici fideles et multos ad infidelitatem labi : unde recurrent ad auxilia sanctorum. Potest etiam per speluncas et petras montium intelligi adumbratio et defensio, sive soliditas virorum perfectorum, qui erunt montes per vitæ celsitudinem, ad quorum orationes confugient alii, qui non erunt tanti, pro evasione illius afflictionis, quam crudeliter Antichristus et sui fidelibus infliget : vel pro evasione periculi labendi in errorem cum videbunt miracula fieri per Antichristum et suos ministros : Deo hoc ex ira suæ justitiæ fieri permittente. *Et dicunt*, idest dicent : *montibus*, idest Angelis et sanctis per gloriam excelsis. *Et petris*, scilicet eisdem in Deo jam prorsus solidis. Vel per montes et petras viri perfecti et contemplativi, sive sint religiosi sive non; qui sunt montes per vitæ eminentiam, petræ per internam constantiam. *Cadite super nos*, afflictionem idest animum compatientem nobis misericorditer inflectite. *Super nos*, juvantes per vos. *Et abscondite*, oratione. *Nos a facie*, idest præsentia. *Sedentis super thronum*, scilicet deitatis patris, vel Trinitatis, vel Christi secundum divinitatem regnantis et quiescentis in Ecclesia sive mentibus justorum. Hoc intelligitur de præsentia qua se manifestat in effectu justitiæ. Ex magna enim ira Dei erit tunc, quod tantam tribulationem fieri permittet; quia multi propter malitiam et peccata multa et magna merebuntur in adversitate cadere, in errore ut magis damnentur. Unde Gregorius loquens de illa tribulatione sub tempore Antichristi dicit : « Dum humilitas fidelium multitudine et manifestatione quasi destituetur, terribili occultæ dispositionis examine, inde bonis misericordia largior, unde malis ira justa cumulabitur. » *Et ab ira agni*, idest Christi secundum humanitatem, quia contra ipsum secundum humanitatem et divinitatem commissæ sunt offensæ multiplices ; ideo ejus iram, idest justitiam ejus homines tunc sustinebunt. In hoc autem confunditur humana superbia, quod scilicet agnum dulcem et mitem faciunt iratum. Jerem. XXV, *Facta est terra eorum in desolationem a facie iræ colombæ*. Item quia offendunt eum, qui pro ipsis voluit immolari. Jeremiæ XII, *Et ego quasi agnus etc.*, *Quoniam venit* : quasi dicant : necesse est ut subveniatis, *Quoniam venit jam*, scilicet *Deus magnus*, propter magnam tribulationem, idest tempus jam factum est præsens. *Iræ ipsorum*, idest Patris sedentis et Agni. *Et quis poterit stare*, nisi vestris precibus adjutus? quasi dicant : Hæc adversa et tentamenta non possunt sustineri viribus humanis; quia ex una parte fient per Antichristum et suos multa miracula, et prædicabuntur audacter errores : ex alia per principes occidentur fideles. Juxta modum præmissum videtur *Glossa* exponere : Rogant boni etc. Solet etiam convenientibus intelligi de timore pœnæ judicio inferendæ. Tempore enim Antichristi appropinquare videbitur sive æstimabitur sententia extremi judicii. Et ideo timebunt boni maxime imperfecti. Unde sensus est secundum hunc modum : A facie, idest a severitate, per quam præsentiam suæ justitiæ ostendet Deus Trinitas, et ab ira agni, scilicet quam ostendet in judicio instante, *Quoniam venit*, idest imminet, *dies*, scilicet dies judicii, *Iræ* scilicet contra peccatores : et quis poterit stare in tanta judicii districtione, idest expectare severitatem illius judicii? Malach. III, *Et quis*

stabit ad subsistendum eum? Alii non mutantur. Possunt etiam intelligi de multis, qui fidem tempore Antichristi deserent ne amittant ea quæ diligunt: quos describit, tam quantum ad dignitatis sublimitatem in gradu altissimo altiori et minori alio, tum quantum ad rerum copiositatem, cum vocat divites, tum quantum ad malitiæ perversitatem, cum vocat fortes, scilicet ad mala. Tum quantum ad conditionis qualitatem, tam servitutis quam libertatis: qui æstimantes diem judicii instare, invocabunt auxilia dæmonum, ut eos ab ira Judicis liberent, quos secuti sunt. *Abscondite*, idest abscondebant, hoc est subsidium quærent. In speluncis et petris, idest in refugio et defensione dæmonum, qui montes sunt per superbiam, et petræ post vocantur, propter pertinaciam. *Cadite etc.* Expositio est juxta modum præteritum. *Abscondite*, idest vestra virtute protegite. Nota quod cum Antichristus per aliquod tempus, scilicet per tres annos et dimidium in magna potestate regnaverit, ut habetur infra, VIII morte interficietur, in monte Oliveti in papilione et in solio suo, in illo loco contra quem ascendit Christus ad cœlos. Illo autem interfecto, non statim immediate veniet Christus ad judicium; sed concedentur electis ad pœnitentiam quadragintaduo dies, ut habetur in *Glossa* super finem sequentis capituli, et habetur de prædictis super illud II Thessal. II, Quem Dominus Jesus etc. in *Glossa*. Quando autem post illos quadragintaduos dies venturus sit Dominus, prorsus ignoratur. Sed quæritur de hoc quod dicitur: Stellæ cœli ceciderunt. Cum enim illa tribulatio sit maxima, quo modo Dominus subtrahet robur gratiæ hominibus, quo sustentati non caderent? Respondeo. Dicendum, quod nullum cadere finaliter permittet Deus, qui ei vero corde adhæreat, et in tentationibus et adversis gratiæ subsidium fideliter et ferventer requirat, sicut dicit *Glossa*. Unde multi erunt qui divina gratia confortati, statim, facta et dicta contemnent. Unde Gregorius: « Dei adjutorio electi, ut Antichristo resistere valeant, fulcientur. » Item ratione ejus quod dicitur, Venit dies magnus iræ ipsorum. Quæritur utrum ira sit in Deo. Quod sic, videtur per hæc verba. Item Psal.: *Quis novit potestatem iræ tuæ?* Contra. Ira dicit aliquando turbationem: Sed Deus semper est tranquillus. Sapient. XII: *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas.* Item ira dicit affectionem. Sed in Deo non est affectio. Augustinus, XII, *de Civitate Dei*: « Nec affici dicendus est: patitur quippe qui afficitur. » Respondeo. Notandum, secundum beatum Gregorium, quod duplex est ira; scilicet per vitium: hoc in Deo esse non potest, quia reprehensibilis, Ecclesiastes VII: *Ne sis velox ad irascendum; ira enim in sinu stulti requiescit.* Item ira per zelum: et in hoc in judice vel in principe, qui habet culpas punire secundum quod exemplum in actum, habet quatuor: scilicet affectionem, et hoc est ex naturæ imperfectione, et secundum hunc modum non est in Deo. Item turbationem aliquam vel pœnalem vel aliquo modo culpabilem licet venialem: et hæc turbatio est ex naturæ corruptione; et secundum hoc etiam non est ira in Deo. Item pœnæ amorem, vel dispositionem intuitu justitiæ; et sic est ira in Deo. Deus enim ex zelo justitiæ prædisponit pœnam inferre antequam inferat. Unde Gregorius super illud Job. IV, *Flante Deo periisse, et spiritu iræ ejus esse consumptos*, dicit beatus Gregorius, V lib. *Moralium*. « Ut vindictam Dominus cogitans demonstretur, flare irascendo dicitur. » Item signorum ostensionem: quandoque judex detestans mala commissa, signa iræ ostendit. Vel ipsam pœnæ inflictionem, vel alia antecedentia pœnam, vel concomitantia. Juxta hoc dicitur ira esse in Deo; scilicet quia aliqua facit quæ videntur signa ut in Deo, ut est ipsa pœnæ inflictio, vel aliqua præcedentia ipsam pœnem, ut dura comminatio quam facit impiis. Unde Hugo in primo lib. *de Sacramentis* parte quarta: « Signa iræ dicuntur: » Ex prædictis patet, quod ira non est in Deo quantum ad affectionem, nec quantum ad turbationem, sed quantum ad dispositionem sive ordinationem pœnæ respectu puniendorum, et quantum ad apparentiam signorum, quibus videtur iratus, licet non sit quantum ad turbulentiam. Maxime autem quantum ad

ipsam pœnæ inflictionem. » Gregorius v *Moralium :* « Quando vindictam peccatoris exequitur, is qui in semetipso tranquillus est, pereuntibus turbulentus videtur. » Per hoc patet ad objecta.

CAPUT VII

Post hæc vidi etc. Hic tangitur immutatio mediorum, scilicet ventorum in aere; et sub illa figura, ostenditur persequutio in subtractione boni, scilicet prædicationis. Tria autem hic tanguntur. Primo ostenditur in generali dæmonum aviditas ad nocendum. Secundo in speciali prædicationis impedimentum, *Tenentes.* Tertio malitia impedientium, *Ne flarent.* Dicit igitur, *Post hæc,* scilicet post præmissa, *Vidi quatuor Angelos.* Dæmones dicuntur Angeli, quantum ad naturæ dignitatem; quia creatura nobilis naturæ conditi sunt; ut si perstitissent, essent nuncii Dei, ad implendam voluntatem divinam. Hi sunt de quibus dicitur Job IV, *Et in Angelis suis reperit pravitatem.* Item possunt dici Angeli, quia missi. Tum a Deo ad probationem bonorum. Job II, Item ad deceptionem malorum. III Reg. XXII, *Egredere et fac ita.* Tum a diabolo principe ad subversionem cunctorum. Dicuntur autem quatuor universi dœmones, propter quatuor partes mundi in quibus nocent. Vel secundum Haymonem, quia præsunt quatuor regnis principalioribus, scilicet Assyriorum, Medorum, Macedonum, Romanorum. Hæc sunt principalia regna de quibus habetur Daniel. VII, ubi loquitur de quatuor bestiis. *Stantes,* scilicet insistentiam et studium, et aviditatem nocendi, *Super quatuor angulos terræ,* idest super quatuor partes terræ, scilicet partem Orientalem, Occidentalem, Australem, et Aquilonarum, etiam usque ad angulos, idest remotissimas partes terræ, quia in omnibus partibus nocere student. Job I, *Circuivi terram et perambulavi eam.* Sed quid est quod dicit *Glossa;* quia diabolus mittitur ad deceptionem malorum? quia si sic : ergo diabolus habet a Deo potestatem malefaciendi. Item secundum hoc deceptio est a Deo. Respondeo. Dicitur mitti a Deo : quia permittitur decipere quosdam, non quia a Deo recipiat ad hoc auctoritatem : unde non propter hoc sequitur, quod illa deceptio sit a Deo. Item est deceptio actio, et hoc ex parte diaboli peccatum est, et ideo a Deo non est; quia non fit Deo auctoritatem dante, sed permittente. Est etiam deceptio passio in decepto; et quia justa est, ideo inquantum est pœna, a Deo est. *Tenentes,* idest recipientes et impedientes, *Quatuor ventos,* idest universos prædicatores; qui dicuntur venti, quia ventus nubes excitat; et sic terram rigat, rigatam facit fructificare : et faciem terræ fructificantis hilarem reddit : sic prædicator corda pravorum resolvit in lacrymas : et sic animæ fructificant, et gaudium internum recipiunt. Item flando idest prædicando desiccant terram cordis humani, ad humiditatem peccati. Item ventus concutit homines et arbores et hujusmodi : sic prædicator animas ad timorem concutit, dum ostendit pœnam gehennæ et multiplex damnum culpæ : tamen, sicut ventus quandoque mitigatur, sic prædicator quandoque debet condescendere et allicere ad spem et amorem. Dicuntur autem quatuor propter partes quatuor, quas debent illustrare doctrinis et exemplis. Vel propter quatuor Evangelia, de quibus sumi debet materia prædicationis : vel propter quatuor virtutes cardinales, ut sint quasi lapides quadrati in fundamento templi. III Reg. v, Ezechiel. XXXVII, *A quatuor ventis veni spiritus etc. Ne flarent,* quia flatus, idest prædicatio prædicatorum desiccaret humorem vitiorum, et concuteret corda hominum, sicut flatus desiccat terram et concutit arbores et ipsa corda hominum. *Super terram,* idest homines amantes ea quæ sunt terræ; et ita efficiuntur terra per vilitatem. Augustinus, Talis est quisque, qualis sua dilectio; si terram diligis, terra eris. Item Augustinus in libro de *Actu christiano :* « Dictum est diabolo, terram manducabis : datus est ergo in cibum diabolo peccator; non sumus terra, si nolumus manducari a serpente. » *Neque super mare,* idest super peccatores diversis vi-

tis fluctuandis. Vel per terram avari qui terram diligunt. Augustinus in lib. de *Sermone Domini in monte* : « Animus terrenorum cupiditate sordescit. » Per mare vero voluptuosi, ratione spumositatis et fluxus. Propter primum dicitur Judæ unico : *Fluctus feri maris, spumantes suas confusiones*. Propter secundum puniti sunt voluptuosi, pœna ignis sulphurei Genes. XIX. Item per mare, superbi, ratione tumoris et fervoris ; tument enim per elongationem. Augustinus in libro *De serenda cupiditate*. « Non aliter invenitur requies animæ, nisi in quieto tumore digesto. » Fervent per variam cogitationem et affectionem, et locutionem. Isaiæ LVII, *Impii quasi mare fervens est*. Boni vero signantur per arborem : unde dicit : *Neque in ullam arborem*, idest neque in aliquam paratam ad fructificandum, vel quæ excedat terrenitatem. Omnes enim vult damnificare diabolus, et prædicationem impedire pro viribus. I Thess. II, *Voluimus venire ad vos, sed impedivit nos Satanas*. *Et vidi alterum*. Ostensa tribulatione Ecclesiæ, hic ostenditur consolatio quæ est ex cohibitione potestatis dæmonis. Item ex numerositate salvandorum. Item ex dignitate meritorum. Rursus ex magnitudine præmiorum. Unde hæc pars habet quatuor. In prima ostenditur consolatio ex cohibitione adversariorum. In secunda ex numerositate salvandorum. Ad totam enim ac talem societatem, non est pigritandum ascendere, etiam si adversa occurrant. *Post hæc vidi turbam*. In tertia ex dignitate meritorum, ibi : *Stantes ante thronum*. Quarta, ex magnitudine præmiorum. *Et respondit unus*. Circa primum primo describitur persona refrenantis. Secundo ostenditur imperium quo refrenantur. *Et clamavit*. Tertio ostenditur qui sunt qui refrenantur, quia dæmones malitiosi, *Quatuor Angelis*. Quarto ad quid refrenantur, dicens : *nocere*. Persona autem refrenans describitur Primo quantum ad mysterium humile reparationis cum signo *per Angelum*. Secundo quantum ad profectum nostræ promotionis, *Ascendentem*. Tertio, quantum ad donum spiritualis consignationis. *Habentem*. Dicit igitur. *Et vidi*. Sicut viderat dæmones volentes hominibus nocere, *Et vidi alterum Angelum*, a quo compescerentur : per quem signatur Christus, qui dicitur Angelus, propter reparationis mysterium, quia scilicet missus est ad humanam reparationem, per virtutem eruditionis, per exemplum conversationis, per sustinentiam passionis. Dicitur ergo Angelus inquantum homo ; dicitur inquam Angelus non natura sed officio. Isaiæ IX, secundum Septuaginta : Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus. Et bene dicitur *Alterum*, quia sicut sunt prompti ad nocendum, sic iste ad adjuvandum et protegendum, sicut infra sequitur, *ascendentem*, in suis per effectum, hoc est promoventem suos, *Ab ortu solis*, idest a tempore resurrectionis, quando quasi sol novus ortus est mundo, per ipsius Christi glorificationem : ex tunc autem fides cepit multiplicari, quia discipulos in fide instruxit, donis ditavit, per mundum misit, et per eos fidem in hominibus multiplicavit. Vel, *Ab ortu solis*, idest a nativitate sui ipsius, qui est sol justitiæ, illuminans omnes qui illuminari quærunt. Malach. ultimo : *Orietur vobis sol justitiæ*. Ascendentem, idest proficientem *sapientia et ætate*, Luc. II. Sed quomodo hoc dico, cum ab ipso instanti incarnationis habuerit plenitudinem sapientiæ ? ut dicit Bernardus. Item Lucæ II, *Confortabatur plenus sapientia* ? Respondeo. Profectus sapientiæ non intelligitur in Christo quantum ad sapientiæ augmentationem, sed quantum ad manifestationem, quæ paulatim fiebat secundum quod ætate crescebat, sicut exponit Damascenus et Anselmus. Alia littera est, *Descendentem*, quia ipse secundum quod homo descendit a se Deo qui est ortus solis, idest Patris, quia ab eo natus secundum divinitatem. Ipse enim inquantum Deus plasmavit carnem quam assumpsit, non virtus naturæ. Sed contra. Aut est descensus secundum divinitatem, aut secundum humanitatem : si primo modo, contra. Quia ille descensus est per creationem secundum *Glossam*, hoc est per plasmationem. Divinitatis autem non est creari sed creare. Si secundo modo ; aut ergo secundum locum aut

secundum peccati casum. Si secundum locum, ergo caro illa est allata de cœlo, quod est hæreticum. Si secundum peccati lapsum; Contra. Augustinus, x lib. *super Genesim.* « Nec caro sua erat caro peccati. » Respondeo : descensus iste fuit secundum humanitatem, ut dicit *Glossa.* Nec tamen secundum locum nec secundum casum peccati, sed secundum effectum sicut causatum descendit a causa : quia causa superior est et dignior causato : et sic omnis creatura descendit a Deo : sed specialiter illa quæ sunt virtute supernaturali. *Habentem etc.*, sic videbat in visione sua. Per hoc signatur, quod Christus habet ad opus fidelium signum crucis ad consignandum suos. Hæc autem consignatio fit, cum interius cordibus fidem, amorem, memoriam et imitationem suæ crucis imprimit; et exterius baptismum dispensat per ministros, quo consignantur et discernuntur fideles ab infidelibus; hoc est signum Dei vivi; quia per hoc cognoscimur ad Deum pertinere. II Corinth. I, *Signavit nos etc. Vivi*, ad differentiam idolorum, qui sunt dii falsi et mortui, quorum signum portant infideles. Vel hoc signum potest intelligi potentia æqualis Patri, quam in miraculis manifestavit, per quam ostendebatur esse vivus et verus Deus. Joan. x, *Opera quæ ego facio.* Vel, *Signum Dei vivi*, Immunitas a peccato secundum *Glossam;* quod ad solum Deum pertinet. Job xv, *Quis est homo, ut immaculatus sit?* Contra. Quia beata Virgo nullum peccatum commisit. Item aliquis bene contritis et confessus potest esse sine omni peccato. Respondeo. Dicendum quod beata Virgo nullum peccatum actuale commisit, tamen originale habuit, a quo ante ortum sanctificata fuit; et ita non fuit omni tempore sine omni peccato : quod autem hic dicitur intelligitur pro omni tempore. Per hoc patet ad aliud, quia *Glossa* loquitur de immunitate a peccato secundum omne tempus, quod nulli homini convenit præter Christum. *Et clamavit voce magna*, idest magna virtute : sive *magna* imperio suæ voluntatis. Iste clamor sive hoc imperium fuit ipsa refrenatio potestatis dæmonum, per passionis, suæ virtutem. Unde *Glossa :* « Clamare Dei, est facere. » Infra xx, *Apprehendit draconem etc. Quatuor Angelis*, idest universis dæmonibus, per quatuor partes orbis nocere optantibus. *Quibus datum est*, idest permissum, *nocere*, per gravissimas tentationes vitiorum, et per procurationem mortis hominum, *Terræ et mari*, idest peccatoribus, qui sunt viles propter peccata jam facta et fluxibiles quantum ad facta, et iterum quantum ad facienda. Propter prius dicuntur terra, propter secundum mare. Vel terra avaros signat, Mare, quia spumat, luxuriosos. Item quia fervet, superbos. Gregorius super illud xx Apocal.: Apprehendet draconem : draco dicitur; quia malitiose nobis nocere appetit. *Dicens : nolite.* Hic ostenditur quantum ad quid refrenantur : scilicet ne noceant dæmones hominibus consignandis signaculo fidei et gratiæ, donec consignentur. Non quod post noceant : sed quod dicitur donec, vel quousque, accipitur inclusive; quia cum erunt consignati, minus eis spiritualiter nocere poterunt. Primo inquam prohibentur nocere consignandis. Secundo agit de ipsis jam consignatis. *Et audivi.* Dicit igitur. Dicens : *Nolite nocere.* Notandum quod ex ipsis verbis, quæ obscuritatem habent, potest colligi, quod Dominus in passione, et virtute passionis, compescuit dæmones, ne eos qui erant credituri, ac fidei signaculo consignandi, tentarent quantum vellent, et ne tentando in errore retinerent. Unde post ascensionem ad prædicationem discipulorum, et aliorum prædicatorum, multa millia convertebantur : sicut loquente Petro conversi sunt multi increduli, circiter tria millia, et consignati sunt signaculo crucis et fidei per baptismum, Act. II. Et in eisdem Actibus legitur multa conversio Judæorum et Paganorum, prædicantibus Apostolis facta. Et ad verba beatæ Catharinæ conversi sunt multi philosophi; et alia consimilia leguntur multa. Hoc autem erat quia dæmones virtute dominicæ passionis, quam pro salute hominum tulit, coerciti erant, ne eos involverent errorum tenebris quantum vellent, et ne eos in ipsis tenebris perpetuo detinerent; et sic erunt coerciti usque ad finem mundi quantum

ad gloriam qui sunt credituri : licet modo sunt in tenebris erroris, donec impleatur numerus electorum ; nunc et modo aliqui convertuntur, et in fine prædicantibus Elia et Enoch convertentur Judæi et signaculo Dei per fidem et gratiam consignabuntur. Hoc est ergo quod dicit : *Nolite nocere*, o dæmones ; quasi dicat : jam taliter nocere per tentationum gravitates quantum velletis, quia non poteritis. *Terræ et mari*, idest peccatoribus stabilibus et instabilibus, ut dictum est supra. Vel modo prætenso. *Neque arboribus*, bonis, terram excedentibus et ad fructificandum paratis. Dicuntur ergo justi arbores, quia sunt fructiferi per bonam operationem ; folia habent in medicinam, per salutiferam eruditionem ; umbram habent per ædificatoriam ædificationem ; quæ est aliis propter exemplum in refrigerium contra æstum vitiorum. In terra radicantur per humilitatem, in ramis dilatantur per caritatem. De tali arbore Matth. VII : *Omnis arbor bona, fructus bonos facit. Quoadusque signemus*, exemplo formando interius signaculum fidei, cum affectu misericordiæ et voluntate imitandi crucem ; et ministri mei, dispensando exterius per doctrinam et sacramenta per quæ disponitur anima ad impressionem signaculi fidei et gratiæ, quod est signaculum crucis, quia a cruce provenit, et servos esse crucis ostendit. *Servos Dei nostri*, idest electos qui futuri sunt servi Dei, licet modo sint in errore infidelitatis. Nostri dicit, idest mei inquantum homo sum, et ministrorum meorum qui sunt coadjutores mei ; quia Deo Patri subjicimur et per affectum amoris ipsum habemus Deum. *In frontibus eorum*, interioribus, idest in mentibus ut sint audaces ad confitendum crucem et nomen meum, constantes ad sustinendum adversorum. Frons enim sedes est verecundiæ vel audaciæ ; et ideo signat audaciam et constantiam exclusa verecundia, cum agitur causa fidei. Hoc est signum Tau, quo signandus est quilibet in fronte ; idest signaculum crucis quod est signum Dei vivi, quo debet mens consignari ; scilicet ut habeat fidem crucis et amorem, ac memoriam et affectum imitandi, et audaciam confitendi et constantiam sustinendi. Ezechielis IX : *Signa super frontes etc.* : et sequitur : *Omnem super quem videritis Tau ne occidatis*. Potest etiam intelligi de fronte exteriori. Per baptismum enim in quo operatur Deus interius, et dispensatur exterius, consignatur non solum anima, sed etiam corpus ; quia totum corpus per baptismum dedicatur Deo : unde in scapulis vertice et pectore fit inunctio, ut dicit *Glossa*. Sed tamen hic specialiter frons exprimitur : Tum quia signum crucis specialius in fonte et facie imprimitur. Tum quia in fronte est signum audaciæ et constantiæ, vel verecundiæ et pusillanimitatis : unde frons hic exprimitur ut audacia et constantia, quæ debet esse non solum in mente, sed etiam in corpore, significetur. Propter hoc etiam in confirmatione fit consignatio in fronte per episcopum sancto chrismate et signo crucis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti ; et sic per hanc consignationem, de qua hic agitur : et sanguis agni in utroque poste, scilicet interius et exterius, ne percussio fiat in domo. Exod. XII : Hæc autem consignatio fit in frontibus a Domino et ministris suis : unde dicitur : *Quoadusque etc.* : quia ad hoc ut sit homo audax et constans, non solum mente, sed etiam ipso actu in corpore ad confitendum nomen Christi, et sustinendum adversa, non sufficit dispensatio sacramentorum exterius per ministros, nisi et Deum gratiam interius infundat : sed cum utrumque concurrat, tunc consignatio hujusmodi perficitur. Et notandum quod Quousque, ut supradictum est, non accipitur exclusive, sed inclusive, ut ibi : *Dixit Dominus domino meo etc.* Matth. I : *Et non cognoscebat eam donec peperit etc.* Constat enim quod nec post : sed Evangelista loquitur pro tempore quo poterat esse dubium. Similis modus loquendi est, *Non facias malum usque ad mortem*. Similiter intelligendum in proposito. Post consignationem enim virtute signi, quod est fides et gratia et amor crucis in anima cum imitatione, et etiam impressio crucis in corpore, proteguntur fideles a dæmonibus magis quam ante, ut patet per illam figuram Exod. XII, et Ezechiel.

IX. Item fides crucis et gratia cum aliis annexis intus et extra dicitur signaculum; quia per hoc cognoscimur esse servi et milites Dei; et iterum per hoc discernuntur fideles et justi ab infidelibus et injustis. Unde fideles, qui sunt mali, non habent hoc signaculum nisi truncatum; quia decoloratum; quia fidem habent sine gratia et amore et imitatione; unde per hoc non cognoscuntur esse Dei milites, sed discernuntur ab infidelibus; infideles tamen per illud non distinguuntur ab injustis; cum et ipsi sint injusti. Habent enim signaculum diaboli superscriptum. Matth. XXII: *Cujus est imago hæc et superscriptio?* sic potest ab eis quæri et modo et in judicio: et possunt respondere, Cæsaris, idest diaboli: interpretatur enim possidens principes, quia maxime nititur ad dominandum majoribus et præcipue eos possidet. Item nota quod illud quod dictum est: *Nolite nocere etc.*, videtur intelligendum, non de cohibitione ab omni nocumenti spirituali, cum etiam consignatis quandoque noceant spiritualiter per tentamenta; sed ne noceant quantum vellent, et in peccato semper detineant. Item illud quod dictum est, *Clamavit etc. Et nolite nocere etc.* secundum *Glossam* intelligitur de clamore et verbo reali. Per hoc enim quod Joannes in visione audivit Angelum clamantem, *Nolite nocere etc.*, figuratur quod Christus clamore reali dæmones cohibuit a nocumento electorum in passione et per passionem, idest per meritum et efficaciam suæ passionis fecit ne quantum vellent nocerent per tentationes electis credituris, ne impedirentur ad fidem converti; nec etiam jam conversis; dummodo ei per fidem, amorem et imitationem adhærere velint. Gregorius *super illud Apocal.* XX, *Apprehendit draconem etc.*: « Utiliter potentia divinæ dispensationis astringitur, ne inquantum nocere valet effrenetur. » Item quod dictum est, *Nolite nocere terræ et mari*, videtur intelligendum de illis solum, qui licet aliquando sunt in tenebris infidelitatis vel peccati alterius, sunt quandoque convertendi finaliter perseveraturi; non de omnibus malis universaliter. Item manente intellectu præmisso de nocumento spirituali, posset illud nocumentum intelligi etiam corporaliter; ne scilicet noceant procurando mortem credituris antequam credant: possent enim, nisi cohibeantur, hoc facere, vel concitando odia, vel rixas usque ad homicidia, vel etiam suffocando humana corpora, ne ad fidem veniant infideles: sed virtus Dominicæ passionis operante Christo pro credituris, cohibet eos ne mortem electis inferant, per quam præcludatur via ad salutem vel ante fidem vel post. Sed dubitavit aliquis quomodo cohibentur, si permissio fit eis. Dictum est enim: Quibus datum est. Si enim nocere permittuntur, non cohibentur. Item quando loquitur de permissione, non loquitur de arboribus, sed quando loquitur de cohibitione: unde hoc? Item si per arbores intelliguntur boni, sicut *Glossa* vult post principium hujus capitis, tales videntur consignati. Quomodo ergo dicuntur consignandi cum aliis qui prius erant mali? Respondeo. Dicendum quod pro diversis temporibus intelligitur. Tempore enim ante adventum Christi permittebatur per tentationes multum nocere: unde fere totum mundum erroribus involverat: sed Dominus in passione et virtute passionis ipsum cohibuit, ne tantum possit tentare electos et tantum tentando nocere, quantum prius usque ad tempus Antichristi, quo solvetur, idest sua potestate uti atrociter a Deo permittetur. Væ his. Intra XX: *Apprehendet draconem etc.* Præterea hæc cohibitio non videtur intelligenda quantum ad omnem modum nocendi; sed ne possent dæmones nocere per tentationes quantum ante passionem, et etiam quantum vellent. Isidorus III libro *de Summo Bono*: « Non amplius tentat electos diabolus quam permittit Dei voluntas. » Ad aliud dicendum, quod per terram et mare intelliguntur mali pro tempore sive statu peccati, licet aliquando sint convertendi: per arbores vero boni. Licet autem tam malis quam bonis nocere appetant dæmones: tamen existentibus in gratia, non sic permittuntur nocere, ut eis qui sunt in culpa. Unde incredulis ante passionem magis nocere poterat quam bonis: per passionem vero cohibitus est, quantum ad bonos, et etiam quantum ad

malos, tamen reddiderat; et idest non prius prima natura arboris, sed post. Ad aliud dicendum, quod est duplex consignatio : scilicet consignatio mere invisibilis quæ fit per gratiam simplicem, quam Deus etiam sine sacramento infundit ; et hæc consignatio est per fidem et amorem ; et quidem habent multi baptismum flaminis contritio, sicut habuit Cornelius. De quo Act. x. Item consignatio partim visibilis, partim invisibilis, quæ fit per gratiam sacramentalem. In sacramento enim operatur Deus invisibiliter, homo autem exterius visibiliter ; et ipsum sacramentum visibiliter suscipitur. Aliqui autem, licet sint boni, tamen non sunt hoc modo consignati ; ut patet in Cornelio, qui prius erat bonus, et post ad doctrinam beati Petri baptismum suscepit, Act. x. De hac secunda loquitur hic. Unde dicit : *Quoad usque signemus*, scilicet ego et ministri mei per baptismum et alia sacramenta. *Et audivi*. Hic agitur de jam consignatis. Et nota quod superius agebatur pro statu ante consignationem ; hic autem pro statu jam factæ consignationis ; quia hoc intellexit quales erunt illi qui usque ad finem mundi signati erunt. Primo autem agitur de consignatis in generali. Secundo in speciali. *Ex tribu Juda*. In generali autem ponit consignatos sub numero quodam, scilicet centum quadraginta quatuor millium, dicens : *Et audivi*, in mea visione, *Numerum signatorum*, idest omnium qui usque ad finem erunt signati signo crucis, intus per fidem et amorem et memoriam et affectum imitandi, exterius autem per sacramentorum susceptionem, maxime baptismi, et per ipsam invitationem. *Centum quadraginta quatuor millium*. Nota quod sub hoc numero intelliguntur omnes electi existentes sub tempore gratiæ usque ad finem mundi. Nec iste numerus ponitur ratione numeri, sed ratione mysterii, sicut vult *Glossa*. Nec tantum per hunc numerum signantur illi qui sunt de genere Judæorum, sed etiam de Gentilibus : licet secundum superficiem videatur loqui solum de filiis Israel. Et hoc habetur in *Glossa* infra super illud : *Post hæc vidi turbam* etc., cum secundum figuram etc. Per numerum ergo qui in tota hac littera ponitur, non signatur quot sint electi, sed quales debent esse. *Ex omni tribu filiorum Israel*. Sic ostensum est ei in visione propter mysterium. Unde sensus secundum sensum mysticum : Intellexi quales erunt illi qui signati erunt ex omnibus fidem Jacob imitantibus. Item. Rom. ix : *Non enim omnes qui sunt ex Israel* etc. Justi enim sunt spiritualiter ex tribu filiorum Israel. Dicitur autem *Ex omni tribu*, quia multiplex est tribus justorum, qui filii Israel sunt spiritualiter per imitationem, secundum quod est multiplex gradus justitiæ in electis, ut infra patebit. Unde illi qui sunt sub uno gradu justitiæ sunt una tribus ; qui sub alio, sunt alia tribus, et sic ulterius. Per illum autem numerum signantur quæ sunt necessaria justis : scilicet perfectio in diligendo ; quæ signatur per millenarium qui est numerus perfectus, quia ad eum terminatur plenus cursus numerorum ; et si quis velit post eum numerare, oportet redire ad numeros præcedentes. Item perfectio in operando quæ per centum, quia numerus est completus, usque ad ipsum enim decurrit numerus ; licet millenarius sit perfectior. Item labor, in sustinendo scilicet pœnalia et difficilia, ut in statu pœnitentiæ quæ per quadraginta signatur, qui numerus est pœnitentium, quia tot diebus jejunavit Moyses et ipse Christus. Partes enim aliquotæ quadragenarii faciunt quinquaginta, qui est numerus remissionis, quia pœnitentia ducit ad remissionem peccatorum. Hujus autem partes aliquotæ quadragenarii sunt unum, duo, quatuor, quinque, octo, decem, viginti ; ex his simul sumptis colligitur numerus quinquagenarius. Item doctrina in regulando, quæ continetur in quatuor Evangeliis ; unde signatur per quaternarium. Omnia enim prædicta debent fieri secundum regulationem quæ ex quatuor Evangeliis habetur. Vel aliter. Numerus enim prædictus colligitur ex duodecim millibus per duodenarium in se ductis, sicut patet in sequentibus. Nam duodecim millia duodecies sumpta faciunt præmissum numerum, scilicet centum quadraginta quatuor millia. Millenarius signat perfectionem ; duodena-

rius qui colligitur ex tribus quater sumptis, signat fidem Trinitatis per quatuor partes orbis. Per alium vero duodenarium, per quem fit revolutio duodenarii ad præmissum numerum complendum, intelligi potest doctrina duodecim Apostolorum, secundum quam debent homines regulari in perfectione vitæ et in ipsa fide ; vel duodecim filii Israel quorum nomina in littera ponuntur, propter mysterium in littera. Illi ergo sunt signati, qui habent perfectionem vitæ cum Trinitatis fide in quaruor 'partibus orbis, secundum doctrinam duodecim Apostolorum, vel secundum imitationem et conformitatem ad duodecim filios Israel juxta nominum rationem. Ponitur autem secundum *Glossam* finitum pro infinito, quia sub certo numero sunt electi noti Dei, II Timoth. II : *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Aliqui libri habent, centum sexaginta quatuor millia signati, ex omni etc. : et tunc sic littera suppleri potest. Audivi numerum signatorum, qui numerus centum sexaginta quatuor millia, scilicet homines signati ex omni etc. Quidam libri non habent, signati. Et illud videtur melius, cum ante dicatur : Signatorum etc. Centum sexaginta quatuor, quod sumitur accusative. *Ex tribu Juda.* Hic enim in speciali agitur de signatis. Et præmissus numerus subdividitur per duodecim millia duodecies sumpta. Et ponuntur nomina duodecim filiorum Israel, propter mysterium, ut patet in *Glossa :* Signatur autem hic quadruplex status justorum : scilicet status pœnitentium, proficientium, perfectorum et perseverantium, secundum quadruplicem denarium duodenarii filiorum Israel. Et secundum hoc dividitur hæc pars in quatuor. Ad statum autem pœnitentium tria requiruntur: scilicet humilitas in confitendo quæ per Judam signatur, quod interpretatur confitens. In confessione autem intelligitur contritio quæ debet concomitari pœnitentibus. Igitur necessaria est cum contritione confessio peccati. Prov. XXVIII, *Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus etc.* Potest etiam intelligi de confessione laudis. Psalm. : *Confitebor Domino nimis in ore meo.* Ordina sic litteram : Signati ex tribu Juda erant duodecim millia, hoc est, Signati de statu confitentium, qui sunt quasi una tribus spiritualis sequens fidem et vitam Jacob sive Israel qui fuit Patriarcha, habent per quatuor partes orbis, sive secundum regulam quatuor Evangeliorum, fidem Trinitatis et perfectionem sanctitatis. Per millenarium enim, ut dictum est, signatur perfectio, per duodenarium qui colligitur ex quatuor et tribus per invicem ductis, intelliguntur vocati ex quatuor partibus mundi, ad fidem sanctæ Trinitatis. Vel per quaternarium intelligitur doctrina salutis contenta in quatuor Evangeliis. Unum præmissorum est specialiter pertinens ad statum pœnitentium, scilicet confessio. Alia duo sunt generalia ad omnem statum, scilicet perfectio sanctitatis : intelligitur de perfectione sustinentiæ, hæc enim est omnibus necessaria. Matth. V, *Estote perfecti etc.* Item fides Trinitatis. Hebr. X, *Sine fide impossibile est placere Deo.* Unde duodecim millia in qualibet tribu ponuntur, quia in omni gradu et statu sunt illa duo necessaria per quatuor partes orbi, sive juxta doctrinam quadruplicis Evangelii. Et nota quod per duodecim tribus filiorum Israel intelliguntur ipsi justi secundum duodecim gradus quadruplicis status præmissi. Unde illi qui sunt in gradu confessionis sunt alia tribus ; et sic ulterius de aliis quæ sequuntur. Ipsi etiam justi sunt filii Israel per imitationem, quia ejus fidem et sanctitatem imitantur. Et potest justus esse in diversis tribubus, quia in diversis gradibus qui sunt sub uno statu, ut patet in primis tribubus, sive gradibus pertinentibus ad primum statum. Aliter potest littera ordinari aliis non mutatis. Ex tribu Juda, duodecim millia erant signati : ita quod adjectivum quantum ad genus referatur ad duodecim millia ratione ejus quod subintelligitur ; quia in hoc quod dicitur duodecim millia intelliguntur homines. Et etiam quandoque solet dici sex millia viri, vel duodecim millia homines, ut II Machab. VIII, *Eduxerunt ad sex millia viros :* et II Machab. XII, *Commiserunt cum eo Arabes quinque millia viri et equites quingenti.* Hoc est dicere secundum intellectum mysticum : qui tenent confessionem peccati vel laudis, et per quatuor partes or-

hi, habent fidem Trinitatis cum perfectione vitæ, sunt signati : quia in confitentibus cum qua confessione sufficientiæ et sub fide Trinitatis gratia formata, intellige gratiam gratum facientem et fidei sacramenta ut baptismum et alia. Qui autem habet prædicta, portat signum quod est de familia Dei, et quod est ordinatus ad gloriam, si semper hoc tenuerit. Et hic intellige consignationem in omnibus sequentibus. Consignatio enim hæc fit per fidem Trinitatis in qua intelliguntur alii articuli. Et per gratiam quæ est forma fidei, et per sacramenta fidei, et hæc implicite intelliguntur ex fide Trinitatis et per vitam perfectam quæ comprehendit memoriam Dominicæ crucis et affectum imitandi et ipsam imitationem in actu. His autem prædictis additur aliud speciale, secundum gradus distinctos, qui sunt duodecim, secundum duodecim nomina filiorum Israel. Judas autem primus ponitur, cum fuerit quartus : quia confessio fidei sive peccati præcedit ; et rursus per hoc ostenditur, per hoc quod carnalis generatio non est hic attacta, sed spiritualis. Item intelligitur satisfactio, quia pœnitens debet dare operam generationi rectorum operum, ut Deo sufficiat, et damna quæ sibi ipsi peccando intulit resarciat : quod signatur per Ruben, quod interpretatur videns filium ; idest opera bona ad jucundandum ; quia cum quis bene operatur, potest videndo filios suos, idest opera, jucundari in Deo. Psalm. : *Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ*. Gregorius in homilia super illud Lucæ xii : *Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes* : Unusquisque tanto majorem debet quærere bonorum operum lucem per pœnitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam. » Dicit igitur, *Signati ex tribu Ruben, erant duodecim millia* ; idest illi qui sunt signati de gradu bene operantium, qui sunt una tribus filiorum Jacob, qui ejus filii sunt per imitationem, habent perfectionem vitæ cum fide Trinitatis per quatuor partes orbis, sive secundum quatuor Evangeliorum doctrinam, quæ dirigit ad fidem sanam et vitam perfectam. Vel, duodecim millia, scilicet homines, erant signati ex tribu Ruben. Quasi dicat : qui sunt fecundi in bonis operibus, et habent perfectionem vitæ cum Trinitatis fide, per diversas partes orbis, sive secundum doctrinam quatuor Evangeliorum, illi sunt signati, qui hic faciunt ad illud signaculum. Primo modo vel secundo, expone in aliis quæ sequuntur. Item requiritur virtuositas, in pugnando scilicet contra tentationes vitiorum : quod signatur per Gad, quod interpretatur tentatio. Job vii, secundum aliam litteram, Tentatio est vita hominis super terram. Jacob. iv, *Resistite diabolo et fugiet a vobis*. Item interpretatur accinctus ; quia ad expugnandum et vincendum tentationes debet homo accingi virtute mentis. Psalm. : *Et præcinxisti me virtute ad bellum*. Item et ad sustinendum tribulationes et adversitates. Psalm. : *Ego autem in flagella paratus sum*. *Ex tribu Aser*. Hic agitur de signatis quantum ad statum secundum, scilicet proficientium. In quo est triplex gradus. Primus ordo est recta ordinatio ad mundum, quod signatur per Aser quod interpretatur beatus. Talis enim est beatus, sicut tangit *Glossa*, qui non est mundanis intentus, sed recte ordinatus est ad ea quæ sunt mundi, vel bene utendo eis, vel abjiciendo. Matth. v, *Beati pauperes spiritu*. Ecclesiastici xxxi : *Beatus est dives qui inventus est sine macula etc. : qui potuit transgredi et non est transgressus etc*. Secundus est latitudo caritatis ad proximum, scilicet in exhibendo caritatum beneficia proximis, et diligendo omnes etiam inimicos ; quod signatur per *Nephtalim*, quod interpretatur latitudo. Psalm. : *Latum mandatum tuum nimis*. Tertius fervor caritatis ad Deum qui facit oblivisci omnia temporalia, et extendere affectum in Deum ; quod signatur per *Manassem*, quod interpretatur oblivio. Philipp. iii, *Quæ quidem retro sunt obliviscens*. Talis autem propinquus est perfectioni : unde recte sequitur de statu perfectorum. *Ex tribu Simeon*. In hoc autem statu triplex est gradus. Primus est vehementia afflictionis in dolendo : viri enim perfecti vehementer dolent de peccatis, si quæ aliquando commiserunt. Item de peccatis aliorum. Item de incolatu hujus miseriæ,

quæ signatur per Simeonem, quod exauditor tristitiæ interpretatur. Ille exaudit tristitiam qui motu gratiæ excitantis ad dolendum de peccatis quandoque a se commissis, vel etiam de alienis, vel de præsenti miseriæ incolatu amplectitur. Matth. v, *Beati qui lugent*, Joan. xvi, *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Secundus operum supererogatio in agendo : quod signatur per *Levi*, quod interpretatur additus, quia præceptis vel sibi injunctis adduntur alia sicut consilia, et alia quæ sunt supererogationis. De quibus dicit beatus Gregorius : « Præstantiori desiderio plus exhibere appetunt quam præceptis generalibus audire potuerunt. » Tertius, mentis elevatio in desiderando illis, in contemplando scilicet divinam fruitionem, ad quam omnino suspirant : quod signatur per *Issachar*, quod interpretatur merces. Philipp. iii, *Nostra conversatio in cœlis est. Ex tribu Zabulon.* Hic agitur de signatis quantum ad quartum statum, scilicet perseverantium : quia scilicet diu in culmine perfectionis fuerunt, et jam propinqui sunt ad præmium percipiendum. Est autem et in hoc triplex gradus. Primus fortitudo ad adversa sustinenda; quia tales, cum sint in altissimo statu, libentissime cuncta adversa pati parati sunt : quod signatur per Zabulon, quod interpretatur habitaculum fortitudinis : quia habitant in interno munimento fortitudinis ad sustinendum omne adversum. Tob. v, *Forti animo esto etc.* Act. xxi, *Ego autem non solum alligari etc.* Secundus est sedulitas ad merita cumulanda, quod signatur per *Joseph*, quod interpretatur augmentum, quia tales semper augere merita student. Genes. xlix, *Filius accrescens Joseph.* Tertius est idoneitas ad præmia percipienda : quia merito diuturnitatis et aliæ perfectionis facti sunt idonei ad præmii perceptionem; quod signatur per *Beniamin*, quod interpretatur filius dexteræ, idest merito fervidæ perseverantiæ, filius divinæ clementiæ, qui dat suis filiis æternam mercedem. Cantic. ii, *Et dextera illius amplexabitur me.* Vel dexteræ, hoc est ipsius beatitudinis : quia ad eam sicut ad hæreditatem propriam est deputatus et ad eam idoneus. Isidorus I lib. *de Summo bono* : « Dextera Patris beatitudo est, sicut sinistra miseria. » Vel potest hic intelligi claritas ad beneficia intelligenda, quia omnia noverunt esse a Deo, et nihil ab homine ; et ideo sunt filii dexteræ, idest divinæ misericordiæ, cui omnia ascribunt commendabilia. Unde Gregorius : « Sancti viri quicquid in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ donum esse cognoscunt. » Ad præmissum quadruplicem statum est reducere omnes electos. His præmissis gradibus, debet quilibet reptare manibus ac pedibus ut ad beatitudinem quandoque pertingat. Primus enim est humilitas perfectionis : sive sit confessio peccati, in qua intelligitur concomitans contritio cordis (De qua confessione, dicit beatus Gregorius : « Unicuique peccatori jam exordium illuminationis est humilitas confessionis; » sive sit confessio fidei ; quia *fides est substantia rerum*, Hebr. x, Sive confessio laudis. Gregorius : « Indignus est dandis, qui non agit gratias pro acceptis. » Post hæc sequitur fœcunditas operationis. Unde sequitur Ruben. Coloss. I, *In omni opere bono fructificantes.* Ex hoc provenit virilitas expugnationis scilicet tentationum; quia ipsa bona juvant ad superanda mala : unde sequitur Gad tentatio. Ephes. vi, *Induite vos armaturam Dei.* Ad hoc sequitur contemptus vanitatis; quia merito præmissorum, datur gratia et virtus, ad non diligendum temporalia, ut verius diligatur Deus : unde sequitur Aser beatus. Psalm. : *beatum dixerunt populum cui hæc sunt;* beatus populus ejus Dominus Deus ejus. Ex hoc provenit miseratio pietatis, ut proximis subveniatur. Unde sequitur Nephtalim. Proverb. xxii, *Qui pronus est ad misericordiam, benedicitur.* Ex his adhæsio caritatis surgit scilicet ad Deum : Gregorius : « Per amorem proximi, Dei amor nutritur. » Et ideo bene sequitur Manasses, quia per amorem magnum ad Deum omnia inferiora dantur oblivioni. Gregorius : « Sicut mors corpus interimit, sic ab amore temporalium æternæ vitæ caritas occidit. » Ex adhæsione autem amoris ad Deum oritur vehementia anxietatis, scilicet de offensis propriis, quando-

quæ prius commendo, vel de alienis. Unde sequitur Simeon. Eccle. 4, Prudentia multi tarum magna est. Ad prudentiam sequitur, spectante gratia, superfervescens charitas, ad ultra quam tenebas agat. Unde sequitur Levi. Gregorius : « Perfectiores sub generali judicio non tenentur, quia et præcepta generalia transcendo clamant. » Vult dicere quod tales qui relinquunt omnia, et observant consilia, erunt judices, non judicati. Ex his autem inardescit desiderium æternitatis, juvamine contemplationis. Unde sequitur Issachar. Philipp. I, *Desiderium habens dissolvi*, etc. Ad desiderium autem et fervorem contemplationis sequitur magnitudo fortitudinis ; scilicet ad sustinentiam quorumlibet adversorum. Unde subditur Zabulon. Proverb. 2, *Meum fortium disciplina paravit*. Sed post hæc omnia necessaria est sedulitas sollicitudinis, ne scilicet cesset cumulare merita. Unde sequitur Joseph. Sicut beatus Franciscus propinquus morti dicebat : « Incipiamus, fratres, Domino Deo servire, quia usque nunc vix vel parum in illo profecimus. » Eccles. 11, *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua*. Ex cunctis autem præmissis sequitur propinquitas beatitudinis. Unde sequitur Benjamin. Psal. : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces*. Sed circa litteram dubitatur. Primo, quare ponitur numerus, cum de numero electorum hic non agatur ; quia non est iste numerus electorum. Plures enim longe sunt. Item ex hoc videtur dari occasio errandi, quod non sint plures salvandi. Item aperte posset dici, quod sub tanta obscuritate dicitur. Secundo quare loquitur de tribubus Israel, cum de Gentilibus plures sunt salvandi quam de Judæis? Tertio quare potius agitur de Israel quam de Abraham qui fuit Pater credentium? Item ex. Quarto quare non potius tribus Dan, cum ipse fuerit verus filius Israel quam Manasses. Manasses enim fuit filius Joseph filii Israel ; Dan autem fuit immediate filius Israel. Quinto quare non potius Ephraim qui fuit frater Manasse? Sexto, quare cum hic solum de signatis agatur, quid erit de iis qui non signantur per susceptionem sacramentorum?

et qui non possunt, eo quod non habent tempus? Respondeo. Ad primum. Dicendum quod iste liber est revelationum, quæ factæ sunt beato Joanni, sub quibusdam figuris : et hoc propter alios non propter ipsum, ipse enim omnia intelligit, sicut supra habetur in Prologo. Ratio autem quare istæ revelationes sunt clausæ sub velamine et obscuritate, est multiplex. Prima propter perversos, ne scilicet perversis esset locus pervertendi verba hujus libri, si aperta essent, quia non sunt margaritæ ante porcos mittendæ. Secunda propter fastidiosos ; si enim esset totum in aperto, vilesceret. Nunc autem in ampliori reverentia suscipitur et pretiosus habetur, et sapidius cogitatur et diligitur. Hæc duplex ratio ponitur in *Glossa* super illud supra primo, Et designavit mittens. Tertia ratio est, propter ingratos, ne quis sibi tribuat intelligentiam Scripturarum, sed Deo qui claudit et aperit, supra III : ubi dicit *Glossa* : claudit ut quæramus, aperit ut inveniamus, ut largitor habeat suæ bonitatis gratias. Quarta ratio est propter affectuosos, ut scilicet meritum eis accrescat in humili et pia inquisitione Scripturæ. Est enim in hoc meritum, cum ex affectu amoris et devotionis indagantur Scripturæ. Quod innuit Augustinus de expositione Scripturæ loquens, et dicens XII libro *Confessionum* : « Sacrificem tibi famulatum cogitationis et linguæ meæ ; da quod offeram tibi. » Sub obscuritate ergo loquitur propter prædicta. Sub tali autem numero facta est et scripta revelatio, propter mysterium quod habet, ut supra expositum est. Non enim est contemnenda ratio numeri. Unde Augustinus, XI libro *Confessionum* : « Ratio numeri contemnenda non est, quæ in multis sanctarum Scripturarum locis, quam magno æstimanda sunt, elucet diligenter intuentibus. » Quod autem ille numerus tantum ratione mysterii, non numeri, ponatur patet ex *Glossa, Intellexi etc.* Et per aliam quæ ponitur infra, Cum secundum figuram etc. Item per utile. Item per simile. Infra XIII, *Qui habet intellectum computet numerum bestiæ. Numerus etc.* Item absit quod tam parvus sit numerus electorum sub tempore gra-

tiæ. Ad primum ergo patet, quod numerus ponitur propter mysterium, licet de numeri ratione non agatur hic, et licet major sit numerus electorum. Ad secundum objectum dicendum, quod non datur ex hoc illa occasio, licet posset quis confingere quod inde occasio sumatur. Aliud enim est occasio data, aliud occasio sumpta. Nam cum ille liber sit liber occultarum nobis visionum, item cum prius dicatur numerus salvandorum esse innumerabilis : datur per hoc via ad intelligendum aliter quam superficies litteræ sonat. Nec debet quis in hujusmodi sensui suo inniti : unde qui male intelligit, non ipsa libri verba, sed se ipsum arguat. Præterea ipse Deus qui Joanni hæc revelavit, pie pulsanti aperit intellectum, ut dicit Damascenus, IV libro, cap. x. Ad aliud dicendum, quod etsi posset dici aperte, tamen aliter placuit divinæ sapientiæ, propter præmissa : et hic et in plurimis locis hujus libri et Scripturæ sacræ. Ad secundum quæsitum dicendum, quod hoc est propter mysterium, ut patet ex *Glossa*. Non enim loquitur de tribubus Israel, secundum litteralem sensum ; quia sic videretur quod tantum Judæi salvandi essent ; sed secundum spiritualem. Jacob enim, qui dictus est Israel, fuit patriarcha sanctissimus et magnæ fidei et magnæ patientiæ in adversis multis quæ sustinuit, et magnæ ad Deum familiaritatis, ut patet in Genesi : unde oportet quod per imitationem simus ipsius filii et de ejus progenie spiritualiter : unde de ejus tribubus agitur ratione mysterii. Sanctitas enim et facta priorum patrum nobis sunt in exemplum. De populo autem Judæorum fuerunt patres sancti, quia illum populum sibi Deus in peculiarem assumpsit, licet de Gentilibus aliqui justi fuerint etiam ante Christi adventum, ut Job. Isidorus I libro *de Summo bono* : « Facta priorum vis sanctus imitanda considerat. » Ad tertium quæsitum dicendum, quod similiter et Abraham ducitur fidelibus in exemplum, ut patet Rom. IV et IX, Hebr. XI. Item et Israel, ut Rom. IX, et hic. In hoc autem loco potius agitur de Israel. Cujus ratio potest accipi, tum ex parte nominis, quia Israel interpretatur vir videns Deum ; unde virtutem et rem hujus nominis debet habere quilibet, ut oculo fidei et amoris Deum videat ; vel princeps cum Deo, ut scilicet quilibet principetur carni ac vitiis, et semper adhæreat Deo. Tum ratione progeniei, quia plures habuit filios quam Abraham et majoris auctoritatis excepto Isaac : unde ratione patris et ipsorum suorum nominum proponuntur fidelibus in documentis, duodecim patriarchæ filii Israel, ut sicut de eorum tribu, implendo rem nominis eorum in se ipsis, ut habetur in *Glossa :* et quanto plures fuerunt, tanto majus documentum sumitur etiam ex nominibus ipsorum. Rom. IX, *Non enim omnes, qui sunt ex Israel etc.* Ad aliud dicendum, quod ideo non ponitur Dan ut ostendatur Antichristus de omni sanctorum numero expellendus ; qui nascetur de tribu Dan, ut dicit *Glossa :* loco autem ejus ponitur Levi. Item alia ratio ponitur in *Glossa*. Ad quintum solet dici quod ideo non ponitur tribus Ephraim ut ostendantur idololatræ et schismatici non habere partem in sorte sanctorum. De tribu enim Ephraim fuit Jeroboam, qui populum Israel fecit idololatrare, adorando vitulos aureos, ut divideret eos ab aliis qui colebant Deum in templo Jerusalem. III Reg. XII. Et nota quod tribus Levi non computatur in veteri testamento inter alias tribus filiorum Israel, quantum ad numerum duodecim patriarcharum ; quia Dominus illam tribum assumpsit sibi in ministerium cultus sui. Sed hic ponitur inter alios, ratione mysterii. Loco autem Levi posita est tribus Manasse, apud Judæos, in numero tribuum filiorum Jacob. Tribus autem Ephraim pro Joseph patre suo, ut dicit Magister in historia Levitici : et hoc ipsum prædixit Israel Genesis XLVIII. Ad aliud dicendum, quod illi qui non possunt consignari per sacramenta, ad ultimum tamen, si aliter se disponunt inter consignatos reputantur, et sufficit signaculum interius. Unde Hugo in libro *de Sacramentis* II, parte VI : « Bona voluntas cum devotione fidei non despicitur, quamvis a sacramento aquæ percipiendo, articulo necessitatis impediatur. » Si autem quæritur, quare non sufficiebat in generali dicere, *Ex omni tribu filiorum*

Israel. Et quare nomina in speciali non expresserit? Illud dicendum, quod propter duo. Primum est ut ostenderet illas virtutes in electis esse debere, quæ per expressa nomina filiorum Israel designantur. Secundum, ut in computatione tribuum excluderet Antichristum et omnes idololatras et auctores schismatum esse longe a societate justorum, per hoc quod Dan et Ephraim non nominantur hic. De tribu enim Dan descendere Antichristus. De tribu Ephraim fuit Jeroboam, ut dictum est. *Post hæc vidi turbam magnam.* Secunda pars est, in qua ponitur consolatio, ex numerositate salvandorum. Illa enim societas numerosa erit, et innumerabilis est homini mortali. Nota *Glossam*. *Cum secundum figuram etc.* Per hoc autem debent homines fieri solliciti ad sustinendum quodlibet adversum et tempore Antichristi, de quo supra habitum est, et alio quolibet tempore; et ad agendum bona et detestandum vitia, ne a tanta et tali societate excludantur. Sanctorum autem numerositas est mortalibus innumerabilis, et colligitur ex diversis nationibus mundi. Unde primo ostenditur salvandorum numerositas. Secundo innumerabilitas. *Quam dinumerare.* Tertio, varietas, quia ex diversis partibus et nationibus sunt colligendi. *Ex omnibus.* Dicit igitur, *Post hæc*, scilicet postquam videram Christum prohibentem dæmones a nocumento electorum, insignantem suos, et qualitatem signatorum, *vidi*, in visione mea interius, non oculo corporali, *turbam*, idest multitudinem *magnam*, numero magnam et dignitate ac merito, quia ad regnum æternum præordinata. Turba dicitur multitudo hominum tumultuantium, qui signum est turbationis faciens. Item turba proprie solet dici hominum inferiorum et vulgarium: hic tamen turba signat multitudinem ipsam, non turbationem. Item multitudinem omnium salvandorum, sive sint nobiles sive ignobiles, pauperes vel divites; quia *Deus personam hominis non accipit*, Galat. II. Sed objicitur: Matth. XX, *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Respondeo. Revera magna erit multitudo eorum qui erunt in patria, sicut hic ostenditur; et jam plurima millia animarum, sunt in gloria. Multa enim martyrum millia, una vice interficiebantur quandoque. Sed dicuntur pauci salvandi respectu damnatorum. *Quam dinumerare nemo poterat*, propter ipsam multitudinem; Deo tamen ille numerus est numerabilis, secundum quod dicit *Glossa*: *Qui et numerat multitudinem stellarum.* Sed quid est quod dicit, *Nemo*? Numquid illi qui sunt in patria salvandorum numerum noverunt? Item cum supra sub numero posuerit fideles: *Audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia*; quomodo hic dicit multitudinem electorum esse innumeram? Item aut per illa verba præmissa: *Et audivi etc.*, intelliguntur omnes salvandi de Judæis et Gentibus; aut solum de Judæis. Si primo modo; contradicit *Glossa*, quod superius secundum figuram, sub certo numero vidit designatos, et tantum de filiis Israel; ergo tantum de Judæis. Si secundo modo: contra. *Glossa* dicit: « Nunc aperte docet quod per illum numerum etc. » Item videtur *Glossa* sibi contraria. Respondeo. Ad primum dicendum, quod probabile est Angelos et bonos qui sunt in patria scire numerum hominum salvandorum: hoc enim est materia gaudii plenioris. Ad illud quod objicitur, dicendum: quod hic dicitur Nemo, intelligitur, de homine puro et mortali in statu viæ. Ad aliud dicendum, secundum *Glossam* illam, cum secundum figuram designatos etc., quod ille numerus præmissus, *audivi numerum etc.*, non ponitur ratione numeri, quia non est ille numerus salvandorum (plures longe sunt salvandi); sed ratione mysterii, ut supra ostensum est. Unde ne crederentur signati, sive salvandi, comprehendi sub illo numero, ostenditur vidisse eos, sub multitudine innumerabili. Quod ergo ante audiverat sub figura numeri propter mysterium; postea vidit supra omnem numerum, quantum ad cognitionem mortalium. Hæc igitur verba explanant præcedentia. Ad aliud patet, quod ex his verbis patet secundum *Glossam*, quod verba superiora *Audivi numerum etc.*, de omnibus salvandis ex Judæis et Gentibus intelligenda sunt. Quod autem dicit *Glossa*, quod superius vidit tantum de filiis Israel, in-

telligendum secundum superficiem et figuram tantum, sicut præmittitur, Cum secundum figuram etc., Per hoc patet ad aliud quod secundum *Glossam* non est contraria ei quod sequitur in ipsa *Glossa*, quia prima pars *Glossæ* loquitur quantum ad superficiem visionis. Audivit enim auditu imaginario vel intellectuali, de omni tribu filiorum Israel tot signatos esse : sed secundum rem, ut dicit finis *Glossæ*, per hos intelliguntur universi fideles salvandi, quia sunt Filii Israel per veram imitationem. *Ex omnibus*. hic ostenditur salvandorum varietas; quia divina pietate, ex toto modo assumuntur. Nationes autem eorum tangit tum in generali, tum in speciali. In generali autem inquantum ad Gentiles : unde dicit, *Ex omnibus gentibus*. De his enim Ecclesia pro parte majori. Et quantum ad Judæos : unde sequitur, *Et tribubus*, scilicet Judæorum, quorum fuerunt multæ tribus, specialiter autem duodecim, de quibus fuerunt Apostoli et alii multi fideles, et etiam multi convertentur in fine, prædicante Elia et Enoch. De utrisque dicitur in Psal. : *Exaltabor in Gentibus et exaltabor in terra*. In speciali autem tangitur origo sanctorum, ex parte corporis. Tum quantum ad congregationes urbium, et populis qui sunt in diversis urbibus. Tum quantum ad diversitates idiomatum, *Et linguis*, idest ex hominibus diversarum linguarum. Matth. VIII, *Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente etc.* Vel Gentibus, scilicet tam Judæorum quam Gentilium. Nomen enim gentis dicitur non tantum in Gentibus, sed etiam quandoque in Judæis. Joannis XI, et non tantum pro Gente etc. *Et tribubus*, in unaquaque Gente ; sicut gens Judæorum habet tribus multas, sic et Gentilium. *Et populis*, in diversis urbibus, ut dictum est ; quia unus populus est in una urbe. Vel populis in tribubus ; quia una magna tribus multos populos habet, sicut una ex tribubus filiorum Jacob multos populos habebat et multas urbes replebat. *Et linguis*, in uno populo : quia quandoque in uno populo sunt diversæ linguæ, ut dicit *Glossa*. De universis enim partibus mundi, sunt electi, sicut signatur Isaiæ XLIII *Dicam Aquiloni da, et Austro etc., affer filios meos de longinquo etc.* Sed videtur *Glossa* contraria *Glossæ*, quæ super illud, supra v, Ex omni tribu etc., dicit quod in singulis linguis sunt multi populi : hic autem dicit quod in uno populo sunt diversæ linguæ. Respondeo. Non est contrarium, quia utrumque est verum. In una enim provincia ubi est una lingua, sunt multi populi, secundum diversas partes provinciæ. Rursus in populo ejusdem urbis, quandoque sunt diversæ linguæ propter aggregationem hominum ex diversis nationibus terrarum. Unde Act. II, *Erant autem in Jerusalem habitantes etc.* Et quomodo nos audivimus etc. *Stantes*. Hic introducitur consolatio ex dignitate. Nobilissimus enim et pulcherrimus est status gratiæ et meritorum in justis : unde ne ab ea quis excludatur, sustinere debet quantalibet adversa. Nam contra tribulationes de quibus supra habitum est, ostenduntur fidelibus consolationes, ne tempore Antichristi vel alio deficiant in adversis. Non enim sine causa tam diligenter numerositatem salvandorum et nobilitatem status gratiæ ac meritorium describit. Nota igitur quod dignitas sive nobilitas meritorum describitur multipliciter. Primo quantum ad locum justorum : locus enim dignior attestatur dignitati personæ. Secundo quantum ad decorem indumentorum *amicti stolis albis*. Tertio quantum ad insignia triumphorum, *Et palmæ*. Quarto quantum ad devotionem præconiorum. Decantare enim Deo devota præconia, non parvæ est dignitatis, *Et clamabant*. Quinto quantum ad benevolentiam Angelorum, *Et omnes*. Dicit igitur : *Stantes*, scilicet rectos. *Ante thronum*, idest ante Ecclesiam quæ est thronus Dei, in quo sedet, et in quo et per quem, quantum ad perfectos, quantum ad perfectos, judicabit mundum. Ante hunc thronum stant justi per promptitudinem obediendi suis prælatis. Hebr. ultimo, Obedite præpositis vestris. Gregorius : « Obedientia sola virtus est quæ menti virtutes ceteras inserit insertasque custodit. » Quod autem dicitur, *Stantes*, refertur ad prædicta, quia dixerat turbam, quod nomen est collectivum et multos in unum po-

sit; quasi dicat: vidi plurimos et innumerabiles. *Stantes etc.* Vel per thronum potest intelligi dominatio divinæ majestatis, cui omnes justi parati obedire. Et vidi stantes *in conspectu Agni*, scilicet Christi Salvatoris per promptitudinem famulandi, vel per desiderium videndi, quia in conspectu Agni sunt justi etiam in via, dum prompti sunt ei servare in terris, et desiderant ipsum conspicere in patria. Præterea viri spirituales student continue conspicere ipsum oculo amoris et meditationis. Unde Beatus Bernardus: « Omne tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidisse. » Et subjungit: « Mens namque sapientis semper est apud Deum. » Item de Beato Francisco legitur, quod ambulans, sedens, comedens, bibens, orationi erat intentus. Locus ergo justorum in via est rectus status, sive rectitudo cogitationis et voluntatis, per quam sunt præsto prælatis ad obediendum, præsto etiam Christo ad famulandum, item avidi ad ipsum inspiciendum in patria; et perfectiores student intueri continue oculo amoris et meditationis in via. In hoc loco lato mente quiescunt. Psalm. *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Iste est locus nobilis: locus autem malorum est vilis status et obliquitas cogitationis et affectionis, per quam delectantur in vitiis. Jerem. III, *Leva oculos tuos in directum et vide ubi nunc prostrata sis.* Sed quomodo justi dicuntur stare ante thronum, hoc est Ecclesiam, cum omnes justi simul accepti sunt ipsa Ecclesia? Respondeo, secundum quod exponitur juxta *Glossam* de obedientia ad prælatos, per thronum intelligitur in hoc loco Ecclesia quantum ad prælatos in quibus maxime Deus sedet, si sint quales debent esse. Per hoc notatur quod dicitur, *Stantes*, subditi; licet quod antecedit, vidi turbam, intelligatur de omnibus fidelibus secundum *Glossam*. Secundum enim regulam Tyconii, quandoque loquitur Scriptura vario modo, licet videatur loqui sub modo uniformi: ut illud quod in Psalm. dicitur: *Cum occideret eos quærebant eum*: cum tamen alii essent qui occidebantur, alii qui quærebant Dominum. Multo ergo magis potest fieri, ut Scriptura loquens prius de omnibus justis, post loquatur quasi sub uniformitate de quibusdam, et post rursus de omnibus. Quod enim sequitur, *Amicti etc.*, recte de omnibus justis tam prælatis quam subditis intelligitur. Si autem per thronum intelligatur divina majestas omnibus dominans et judicans, tunc quod dicitur, *Stantes*, pro omnibus recte universaliter accipitur. Quod ergo objicitur, quod omnes justi simul accepti sunt Ecclesia, verum est. Sed quod dicitur *Stantes*, non accipitur secundum primum modum de omnibus, sed de subditis. Et thronus dicitur Ecclesia secundum quod consistit in prælatis per appropriationem. *Amicti*; quasi dicat: Vidi stantes et erant amicti, idest cooperti sive induti in decorem et ornatum. *Stolis* idest vestimentis. *Albis*, idest sinceris et pulchris. Hæc sunt indumenta virtutum, ut est indumentum munditia corporis et animæ, prudentiæ, fortitudinis, caritatis, pietatis, orationis, humilitatis et aliarum virtutum et meritorum ex his procedentium. Supra III, *Suadeo tibi emere etc.* His vestibus oportet decorari ad intrandum ad regem et obtinendum per orationem desiderata, et sic bene recipietur et exaudietur; quod signatur in Esther quæ regalibus indumentis intravit ornata ad regem et obtinuit pro se et pro populo, Esther V. *Et palmæ.* Hic ostenditur dignitas quantum ad insignia triumphorum de diabolo, carne et mundo et vitiis. *Et palmæ etc.* Sic in visione videbat. Per palmas quæ solent dari victoribus in signum triumphi, signatur dignitas justorum, in victoria vitiorum. Palmas autem vidit in manibus, quia in recta operatione et per rectam operationem non solum in foliis verborum triumphant justi de vitiis. Gregorius *super hunc locum*: « Palmas in manibus habere est victorias in operatione tenuisse. » *Et clamabant voce magna*, idest devotione magna sive desiderio. Animarum verba ipsa sunt desideria. *Dicentes* interna locutione affectus sine strepitu vocis. *Salus*, idest benedictio et laus de nostra salute spirituali, quæ est per gratiam a peccatis et periculo tentationum. *Sit Deo nostro*, scilicet Deo Patri, vel toti

Trinitati. *Qui sedet*, idest quiescit et regnat. *Super thronum*, idest super Ecclesiam militantem quæ est sedes Dei. *Et Agno*, scilicet Christo homini qui est mediator, per quem habemus : quicquid boni recipimus, Eccles. ult. *Danti mihi gratiam dabo gloriam*. Possent etiam præmissa intelligi pro statu patriæ : et secundum hoc describitur præmium. Tum quantum ad divinitatis fruitionem, *Stantes ante thronum*, idest ante divinam majestatem, præsentes quando contemplantur fruendo. I Corinth. IX, *Tunc autem facie ad faciem*. Tum quantum ad humanitatis contemplationem, *In conspectu agni*, ipsum enim conspicient in gaudium ineffabile, Dominum et fratrem suum. Isa. XXXIII, *Regem in decorem suum videbunt*. Tum quantum ad gloriosum decorem, *Amicti stolis albis*, quia duplici stola, scilicet animæ et corporis decorabuntur beati. Sap. V, *Accipient regnum decoris de manu Domini*. Tum quantum ad triumphalem honorem, *Et palmæ*, idest præmia victoriæ. Per palmas enim quæ dantur victoribus, intelligitur præmium quo victor honorificatur. Maximus enim honor est per victoriam obtinere gloriam. *In manibus eorum,* quia per opera bona straverunt vitia. Gregorius *super hunc locum :* « Operationis palma ibi retribuetur, ubi jam sine certamine gaudetur. » Tum quantum ad fervoris devotionem, sive laudis magnitudinem : ex fervore enim devotissimo et plenissimo, Deo attribuent suum præmium et omnia bona. *Et clamabant etc.*, ut prius. *Salus*, idest laus et benedictio pro salute gloriæ. *Deo nostro*, scilicet patri vel Trinitati, *Qui sedet super thronum*, idest super Ecclesiam triumphantem. *Et Agno*, scilicet Christo. cujus passione et merito beati sumus. Rom, V, *In via regnabunt per unum Jesum Christum*. In patria utique beati, Dominum laudabunt ex intimis. Psalm. : *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Verumtamen principalis intellectus esse videtur pro statu viæ, secundum *Glossam*, et etiam secundum ea quæ sequuntur. *Et omnes Angeli*. Item de his eisdem dicitur infra, Agnus qui in medio throni est, reget eos etc. *Et omnes*. Hic ostenditur dignitas meritorum, quantum ad benevolentiam Angelorum. Dignitas enim est habere gratiam Angelorum sanctorum. Horum autem benevolentia est ad justos, tum quantum ad affectum in congaudendo : unde sequitur : *Et ceciderunt*. Dicit igitur, *Et omnes Angeli :* omnes enim Angeli tam majores quam minores, hominem mortalem juvant. *Stabant*, ut juvantes. *In circuitu*, idest in protectione. *Throni*, idest Ecclesiæ, in qua Deus sedet. Et sic tangit ipsum corpus mysticum communiter : deinde membra majora specialiter. Tum pastores. *Et seniorum*. Tum prædicatores. *Et quatuor animalium,* quia ipsam Ecclesiam Angeli custodiunt et promovent. Psalm.: *Montes in circuitu ejus*. Specialiter autem pastores qui bene incumbunt ovibus, dirigunt et proteguut. Isa. LXII, *Super muros tuos etc*. Secundo autem expedit, quia totum pondus vertitur in ipsos, II Reg. ultimo, de Saul. Item et prædicatores qui verbo et exemplo ædificant, informant Angeli et muniunt. Isa. VI, *Volavit ad me unus de Seraphin etc. Et ceciderunt*. Hic ostenditur Angelorum ad homines benivolentia, in congaudendo eorum spiritualibus bonis, quos habituri sunt consortes, sicut *Glossa :* unde congaudentes homini fundunt Deo gratiarum actionem, non solum pro donis sibi datis, sed etiam pro beneficiis homini a Deo concessis. Hæc autem gratiarum actio, in qua se homini congaudere ostendunt, describitur primo quantum ad reverentiam humilitatis. Secundo quantum ad devotionem orationis, *Et adoraverunt*. Tertio quantum ad ipsam formam magnificationis *dicentes : Amen*. Dicit igitur : *Et ceciderunt*, idest humiliaverunt se : humilians enim se cadit feliciter per humilitatem, non ascendit damnabiliter per elationem, Ezechiel. II, *Vidi et cecidi in faciem meam*. Superbi autem eriguntur. Numer. XV, *Multum erigimini filii Levi. In conspectu throni*, parati scilicet ad obediendum sedenti in throno, idest Deo sedenti in sua dominatione, sive in Ecclesia militante et triumphante, ut semper Deo sint accepti. *Glossa :* « Non conspicerentur, scilicet

socialis benevolentiae. Angeli enim semper desiderant et semper habent Christi benevolentiam et amorem. » Augustinus x lib. de Civitate Dei : « In superna civitate Dei veritas incommutabilis lex est. » In facies suas, idest humiliter suas, considerando propriam parvitatem et ejus sublimitatem et ut ex affectu totas agendo per victoriam consecutionem et salutis. Quid est autem Angelos cum sint incorporei, cadere in facies, nisi eorum exhibitionem, respectu divinae, quasi nihil reputare, et quicquid habent ei humiliter attribuere? Job xxv, Stellae non sunt mundae in conspectu ejus. Nota quod est casus multiplex : videlicet : Irruptionis devotionis, cum aliquod donum gratiae datur homini ; et dicitur casus, quia in condescensione etc. Ezechiel. viii, Cecidit super me manus Domini Dei. Act. x, Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus sanctus super eos qui audiebant verbum. Item reverentiae humiliationis, ut hic, Et ceciderunt in conspectu throni. Et supra i, Cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus. Mortalis praevaricationis. Ecclesiast. ii, Ne deflectatis ab illo ne cadatis. Qui enim adhaeret Deo in alto est. Unde Augustinus in lib. de Moribus Ecclesiae : « Toto mundo est omnino sublimior mens inhaerens Deo ; unde cum ab eo recessit et ipsum offendit, male cadit. Unde Augustinus IV lib. Confessionum : « Filii hominum usquequo graves corde ? Numquid et post descensum vitae non vultis ascendere ? cecidistis enim ascendentes contra eum. » Item temporalis tribulationis, sive punitionis. Isa. viii, Cadent et conterentur et irretientur et capientur. Corporalis dissolutionis, quando cadit quis a vita per mortem. Eccles. xi, Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit : quasi dicat : si homo moritur in statu bono, secundum illum judicabitur. Similiter si in malo, judicabitur juxta demeritum gehennalis perditionis. Prov. xxvi, Qui fodit foveam incidet in eam. Et adoraverunt Deum, qui est adorandus latria ratione summae majestatis. Matth. viii, Dominum Deum tuum adorabis. Dicentes Amen. Hic ponitur ipsa forma magnificationis sive gratiarum actionis. Et primo ponitur confirmatio laudis ab hominibus exhibitae. Dicentes, Amen ; quasi dicant per modum congratulationis. Ita est. Et hoc est Amen, idest fiat, quod, salus et benedictio sit Deo Trinitati et Agno. Hoc autem et consequentia dicunt congaudendo homini consignato ad salutem percipiendam. Bernardus in lib. Meditationum, cap. v : « Diligunt quidem nos cives supernae potestates ; et pro his qui haereditatem capiunt salutis sollicite congaudent. » Sexto subditur de nota laudis Angelicae. Benedictio etc. Possunt autem haec septem distingui juxta ea quae suscipit homo a Deo in via : scilicet nobilitatem naturae, humanam redemptionem, salubrem cognitionem, donorum infusionem, bonorum operationem, vitiorum impugnationem, adversorum perpessionem, sive arduorum aggressionem. Benedictio, idest exaltatio et laus pro nobilitate naturae : quia scilicet nobis et hominibus rationalem naturam dedit, quod nulli alii creaturae convenit. De hoc est multum Deus benedicendus. Bernardus in lib. Meditationum : « Ad imaginem et similitudinem sui fecit nos, quod nulli alii creaturae donare voluit. » Et claritas, idest clarificatio et veneratio pro humana redemptione, pro qua totis visceribus est Deus clarificandus et extollendus. Joan. xvi, Ille me clarificabit, idest Spiritus sanctus me redemptorem hominem faciet clarificari et magnificari. Et sapientia, idest laus propter summam sapientiam pro salubri cognitione, qui tam Angelos quam homines suae sapientiae qua novit omnia, facit esse participes, ut cognitione sapientiae sint radiosi, ex qua omnia bona sequuntur. Daniel ii, Sapientia et fortitudo ejus sunt, dat sapientiam sapientibus etc. Vel sapientia sit Deo, quia devotio amoris optat et vult esse quod ei convenit ; et hoc pro salubri cognitione quam dat rationali creaturae. Et gratiarum actio, pro donorum infusione, ut sunt virtutes et dona proprie dicta et alia hujusmodi. Augustinus, vi libro Confessionum : « Tibi laus, tibi gratia fons misericordiarum. » Honor, pro bonorum operatione, quia concivibus nostris bene operari conce-

dis. Psal. *Afferte Domino gloriam et honorem*, *Et virtus*, idest laus virtutis, pro vitiorum expugnatione : quia quod vitia vincunt a te habent, qui es summa virtus dans tuis virtutem triumphi. Vel ipsa virtus summa et æterna sit Deo, de qua suis influit virtutem victoriæ. Sapient. XII, Virtutem ostendis tu, qui non crederis esse in virtute confirmatus. *Et fortitudo*, idest laus fortitudinis, pro arduorum aggressione, seu adversorum perpessione hoc enim est a te. Et potest intelligi tam de fortitudine creata quam increata ; quæ pro utraque est laudandus : de sua enim fortitudine increata, creatam influit in homine. Sic et de aliis consimilibus præmissis intellige. Vel fortitudo sit Deo de qua facit suos fortes, ut habetur Isaiæ XL : *Qui dat lasso virtutem, et his qui sunt fortitudinem et robur multiplicat.* Hæc omnia præmissa sint Deo nostro. Nostro ratione amoris et ratione subjectionis : quasi dicant : Deum nostrum laudamus quia concives nostros sic insignivit. *In sæcula sæculorum*, idest in æternum. In præsenti enim tempore sunt multa sæcula, idest multæ mensuræ et partitiones donationum, quorum unum sequitur aliud. In futuro vero unum sæculum perpetuum, quod sequitur post sæcula præsentia. Laus igitur sit ei, *In sæcula*, consecutiva. *Sæculorum. Amen*, idest ita fiat. Confirmatio est præmissorum. Vel aliter, ut primum Amen referatur ad sequentia. Deus enim est extollendus propter præmissorum completionem in hominum redemptionem, propter peccatorum remissionem, propter spiritualium elargitionem, rectissimam gubernationem, meritorum provectionem, provectorum conservationem, potestativam dominationem, excelsam operationem. Dicit igitur, *Dicentes amen*, idest veritas in promissis, Sit Deo nostro : quasi dicant : Laus sit ei pro promissorum impletione, quæ facta est in humana redemptione. Sic amen supra nominaliter ; sicut et supra III, *hæc dicit Amen testis fidelis*. *Benedictio*, pro peccatorum remissione, *Et claritas*, pro spiritualium elargitione. *Claritas* dicitur magnificatio, quia Deus ostenditur clarus et magnificus, *Et sapientia*, idest laus sapientiæ in decentissima gubernatione. Vel ipsa sapientia sit ei, quam manifestat in sapientissima gubernatione universorum, ex provectione : *Honor* pro provectorum conservatione. *Et virtus*, idest laus sive veneratio virtutis in potenti dominatione ; quia virtuose dominatur, et omnia vincit. *Et fortitudo* idest laus et gloria fortitudinis pro magnifica operatione, quia summe fortis est ad operandum quicquid vult. Vel, *Virtus et fortitudo sit Deo*. Hoc dicitur præ affectu amoris. Hæc omnia sint Deo nostro in sæcula sæculorum amen, expone ut prius. *Amen*, ponitur prius et posterius : sed prius ponitur nominaliter, secundum hunc modum ponitur jam secundo verbaliter. *Et respondit*. Posita consolatione ex cohibitione adversariorum, et ex numerositate salvandorum, et ex dignitate meritorum, ponitur hic quarta consolatio ; videlicet ex magnitudine præmiorum. Quia enim erit maxima tribulatio sub tempore Antichristi, introducitur multiplicitas consolationis ; et hæc quadruplex consolatio in aliis etiam adversitatibus est consideranda. Inducitur autem unus de Senioribus, quos prius viderat, quærens de statu præmiandorum, qui superius visi sunt induti stolis albis, cum palmis in manibus ; cui respondit Joannes se ignorare qui essent : unde Senior manifestavit ei qui essent, et quanta præmia sustinentibus adversa dabuntur. Primo ergo ponitur quæstio Senioris. Secundo, responsio Joannis *Et dixi*. Tertio manifestatio retributionis, *Et dixit mihi*. Dicit igitur. *Et respondit* : quasi dicat : ita vidi innumerabiles stantes ante thronum et stolis albis amictos. *Et unus de senioribus*, quos viderat supra IV. Respondit mihi miranti, et statum visæ turbæ consideranti, *Et dixi mihi : hi amicti sunt stolis albis*, de quibus supra eodem habitum est et expositum, *Qui sunt ?* idest quantæ dignitatis, *Et unde venerunt ?* sicut solet quæri quandoque de aliquibus, Qui sunt isti et de quo loco veniunt? quasi dicat : Attente in quanta dignitate meritorum sunt, et unde ad eam ascenderunt ; quia de multiplici industria et labore ad ipsam dignitatem pervenerunt. Per illum Seniorem intelligitur cetus patrum hagiographorum, qui

scilicet Scripturam condiderunt, ut sunt Prophetæ et Apostoli et illi qui in Scripturis ostendunt passionum sustinentiam, et actionum (?) solicitudinem esse necessariam ad gloriam obtinendam. Isti enim sunt de numero patrum, per quos alii reguntur. Patrum itaque per viginti quatuor seniores designatorum, ut supra sæpe habitum est. II Corinth. iv : *Id quod in præsenti est momentaneum*. I Petri iv : *Communicantes Christi passionibus gaudete* etc. Joannes vero gerit typum Ecclesiæ, quæ per ipsos patres instruitur, sicut sequitur, *Hi sunt* etc. ; quasi dicat : Illi sunt idonei ad salutem qui adversa constanter sustinent, et Christum imitantes serviunt Deo. Sed quomodo dicitur, Respondens, cum nullus sit quærens? Item ad quid Senior quærit illud quod novit? Respondeo. Ad primum dicendum secundum *Glossam*, quod Joannes videns multitudine innumerabili et decenter ornata, desiderabat scire quid hoc esset, unde ejus desiderium quasi quæstio quædam erat ; unde Senior respondit, idest desiderio satisfecit. Ad aliud dicendum, quod ideo quærit, ut occasionem habeat docendi ; sicut frequenter Dominus interrogat discipulos, ut occasionem habeat docendi eos. *Et dixi illi : Domine mi tu scis* : quasi dicat, nescio : sed tu cum scias, ostende mihi. Hic ostenditur, quod interpretatio est in his et in aliis hujus libri quærenda, quia non propter sensum litteralem sunt posita. Item notatur humilitas, quam debet habere, qui vult sibi pandi occulta. Matth. xi : *Abscondisti hæc a sapientibus*. *Et dixit mihi*. Hic ostenditur ipsa manifestatio retributionis per Seniorem facta. Et quia per viam pervenitur ad terminum, ideo primo manifestatur via per quam ad gloriam pervenitur. Secundo ipsa gloria quæ percipitur, *Non esurient*. Via autem qua tenditur ad gloriam describitur primo quantum ad merita acquisita jam de præterito, *Et hi*. Tum quantum ad sustinentiam adversorum. Tum quantum ad expiationem vitiorum : *Et laverunt*. Tum quantum ad regulationem meritorum, juxta exercitia passionis Christi, *Et dealbaverunt*. Et secundo quantum ad merita de præsenti, quæ describuntur. Tum quantum ad promptam affectionem, *Ideo* etc. Tum quantum ad sedulam conversationem, *Serviunt* etc. Tum quantum ad divinam inhabitationem, quæ est origo meriti, *Et qui sedet*. Sex ergo ostenduntur necessaria ad obtinendum præmium : scilicet Fortis sustinentia tribulationis. Industria internæ purificationis. Conformatio Dominicæ passionis : ad cujus exercitia debent omnia nostra merita regulari in amando, in agendo, in patiendo, et in vincendo, videlicet pugnam tentationum. Item promptitudo sanctæ affectionis ; quia etiam post multos labores oportet promptum esse ad ampliores. Item sedulitas devotæ conversationis. Non enim sufficit esse promptum, nisi actualiter sequatur ipsum agere. Item dignatio divinæ inhabitationis, sine qua nullum est meritum. Dicit igitur, *Et dixi mihi : hi*, quos vidisti stantes ante thronum in stolis albis, *Sunt qui venerunt*, ad tantam dignitatem status et meritorum nobilitatem. Ecce qui parum adhuc profecit in meritis, a illuc longe est. Augustinus libro IV *Confessionum* : « Filii hominum usquequo graves corde? Numquid et post descensum vitæ non vultis ascendere? *De tribulatione magna*. Non dicit simpliciter de tribulatione, sed de magna ; quia per patientem sustinentiam magnarum et multarum tribulationum, ad meriti sublimitatem pervenitur. Gregorius : « De patientia perfectio nascitur. » Item Jacob. i : *Patientia opus perfectum habet*. I Corinth. i : *Ut sitis perfecti etc.* Et sic tandem ad regnum pertingitur. Act. xiv : *Per multas tribulationes etc.* Bene autem dicit, *Venerunt*, non remanserunt per impatientiam, quæ impedit profectum virtutis, non retro abierunt per inobedientiam, non declinaverunt a dextris vel a sinistris per inconstantiam. Item recte dicitur, de tribulatione, non de divitiis, non de delitiis, non de honoribus, non de litigiis, et aliis illicitis ; talia enim impediunt assensum virtutis. *Et laverunt*, idest mundaverunt a sordibus peccatorum prius aliquando commissorum, quia nemo sine peccato præter Christum, *Stolas suas*, quibus amicti sunt, idest indumenta sive ornamenta innocentiæ et virtutum et merito-

rum ex eis procedentium. Per peccatum enim adjunctum obfuscantur hujusmodi stolæ aliquatenus ; sed per favorem, idest austeritatem pœnitentiæ lavantur, dum consuetudo frequentium et multiplicantium culparum excluditur, ut totum purum sit, et indumenta sint munda. Ad hoc autem requirit strenuitas liberi arbitrii, ipsi gratiæ cooperantis : unde dicitur *Laverunt*. Isaiæ I, *Lavamini, mundi estote. Et dealbaverunt*, idest magis ac magis candidas fecerunt per imitationem Christi passi. Unde sequitur, *In sanguine agni*, idest in fide et amore et imitatione Christi : qui suum sanguinem innocentem fudit amore nostri : unde et ipsis ejus amore ipsum imitantes fugiunt mala, operantur bona, sustinent adversa : et sic eorum stolæ dealbantur. Supra III : *Ambulabunt mecum in albis*. Gregorius : « Dominum Deum Jesum Christum redemptorem nostrum bonis operibus sequi studeamus : aspiciamus qua graditur et ejus vestigia munda teneamus. » Possent etiam per stolas intelligi corpora, quæ quando munda sunt, sunt homini in spirituale ornamentum has stolas justi laverunt : quia si quando aliquid minus mundum commiserunt, postmodum per pœnitentiam expiaverunt. Et dealbaverunt, quia sua corpora magis ac magis candida, idest pulchra et Deo accepta per imitationem Christi fecerunt bene operando, adversa sustinendo, carnem mortificando. Bernardus in lib. *Meditationum :* « Fudit ipse sanguinem suum pro tua redemptione : funde et tu tuum, quotidiana corporis afflictione. » Nota quod lotionem spiritualem multa faciunt. Videlicet pretium Dominicæ passionis : supra I *Qui dilexit nos et lavit nos etc.* Efficacia baptismalis regenerationis, Psal. : *Lavabis me, et super nivem dealbabor*. Virtus cœlestis eruditionis : unde verbum divinæ Scripturæ comparatur mari, idest vasi lavatorio ; supra IV : *Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo*. Joannis XV : *Jam vos mundi estis*. Solida sustinentia tribulationis. Isaiæ I, Si abluerit Dominus sordem etc. Tobiæ III : *In tempore tribulationis peccata dimittis*. Operatio divinæ miserationis, scilicet per gratiam justificantem, quam Deus infundit mentibus. Ezechiel, XVI I *Lavi te aqua*, idest gratia purificante, *et emundavi sanguinem tuum ex te*. Psal. *Amplius lava me*. Industria humanæ cooperationis, cum scilicet homo cooperando gratiæ per contritionem confessionem, satisfactionem, dilectionis fervorem lavat seipsum. Aut sic : *Et laverunt stolas suas*. Isaiæ I : *Lavamini, mundi estote*. Sed objicitur de hoc quod dicitur, *Laverunt :* quia si potest homo se abluere, quare dicitur in Psal. : *Amplius lava me?* quid est ergo quod dicit, *Et laverunt?* Respondeo. Est lavare effective ; et sic solus Deus lavat hominem. Item dispositive ; et sic ipse homo lavat se, dum se per liberum arbitrium ad lotionem a Deo faciendam disponit. Et secundum hoc patet ad objectum. Sed objicitur de hoc quod dicitur, *Stolas suas :* indumenta enim spiritualia, scilicet innocentia et virtutis et meritorum non manent cum peccato : illud autem quod lavatur præexistit cum ipsa sorde ante quam lavetur. Respondeo : Potest hoc intelligi de latione a peccatis venialibus multiplicibus et frequentibus et parvis et magnis in illo genere, quæ animæ ornatum, idest virtutum et meritorum decorem non parum obfuscant. Multi enim venientes ad statum gratiæ, licet habeant stolas virtutum et aliquorum meritorum ; nondum tamen bene lotas habent, quia dum sunt in statu incipientium, multiplicia et frequentia peccata venialia committunt, in multis sordidis cogitationibus, inordinatis affectionibus. Item licet in consensum pravum rationis non cadant. Item offendunt in impatientiis, in tepiditatibus, in torpore, in multiloquio, et illicita locutione, et otiositate verbi et temporis, et in negligentia orationis, et modicitate devotionis. Post hoc vero multi dum hoc considerant, ardenter abjiciunt, et sic stolas lavant ; quia per fervorem pœnitentiæ vigilantiorem diligentiam, cor, linguam, actus et ipsum corpus et animam ab illis vitiis expiant, et deinceps rectius ambulant : et sic indumenta spiritualia per priorem consuetudinem aliquatenus obfuscata quasi lavantur, dum in majore sinceritate habentur : sic enim faciendum est. I Corinth.

XIII : *Quum autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Ad objectum patet; quia sic licet loquendi indumentis non materialibus [hoc est] [corpus] maneat, tamen sunt similitudines per quas animæ debent mundari; et ideo, sic loquendo, debet homo stolas [eas] lavare. Augustinus in libro de *Pœnitentia* : « Lavit peccata quotidiana [lacrymis] assidue abluere solebant. » Item Isidorus II libro de *Summo bono* : « Perfecti lavant delicta quasi gravissima lapsus. » Si autem stolæ intelliguntur corpora, tunc lotio potest intelligi a mortali. Item tertio objicitur de hoc quod dicitur dealbaverunt : idem enim videtur in spiritualibus lotio et dealbatio; quia anima munda est alba. Ad quid igitur post lotionem subditur dealbatio in sanguine, cum potius rubricatio fieri videatur? Respondeo. Ad primum dicendum quod etsi omne spiritualiter mundum sit spiritualiter album, id est pulchrum; tamen in hoc loco est differentia : quia lotio ponit sinceritatem et per consequens quamdam pulchritudinem; dealbatio autem addit pulchritudinis incrementum. Item mundum et album, licet sint idem per concomitantiam, non tamen per essentiam : quia mundum tollit deformitatem, album ponit pulchritudinem de se. Item lotio fit per pœnitentiæ fervorem, dealbatio per Christi imitationem. Potest tamen utrumque referri ad illud quod sequitur, *In sanguine Agni* : quia et purificatio et pulchritudinis ampliatio fiunt rectissime per fidem et considerationem et imitationem dominicæ passionis. Et tamen adhuc est differentia; quia lotio dicit depurationem, dealbatio pulchritudinis ampliationem. Item si esset idem, non esset inconveniens; quia Scriptura idem dicit sub diversis vocabulis, quandoque ad expressionem : hic tamen non est idem, ut visum. Ad secundum dicendum, quod si de materiali coloratione intelligeretur, sanguis rubeum colorem daret, non album : quod autem hic dicitur, de spirituali coloratione accipitur. Spiritualiter autem tam rubeum quam album colorem facit in homine et ejus stolis Sanguis dominicus. Rubeum per ignitum amorem. Album per pulchritudinis candorem. Hic tamen potius de dealbatione loquitur; ut simul et sinceritas notetur et pulchritudo et acceptabilitas; quia color albus pulchrior et acceptabilior est. Unde dealbatio, quantum est de vocabulo, magis dicit pulchritudinem quam rubricatio; licet secundum rem sit pulchrius rubor ignis amoris. Nota, quod sicut sanguis per nimiam decoctionem vertitur in lac in uberibus in mulieribus : sic sanguis Christi per vehementem devotionem conversus fuit quasi in lac quantum ad effectum, quia dealbat ut lac. *Ideo.* Hic ostenditur promptitudo sacræ affectionis ad obediendum pastoribus qui vicem Dei tenent, vel ad serviendum. Dicit igitur : *Ideo* : scilicet quia sunt tribulationibus examinati, pœnitentia loti, Christi sanguine dealbati. *Sunt ante thronum ejus*, scilicet Dei sive Agni, idest ante Ecclesiam, parati scilicet obedire prælatis, in quibus, si boni sunt, sedet Deus et per eos judicat et disponit. Vel ante thronum ejus, idest ante ejus majestatem regnantem, parati scilicet ei servire : quasi dicat : tales facti, cooperante industria liberi arbitrii : ideo data est eis gratia ut stent prompti obedire prælatis, sive servire imperio divinæ majestatis; supra eodem : *Stantes ante thronum et in conspectu Agni.* Bene autem dicitur, ideo, quia unum bonum ducit ad aliud. Matth. XXV, *Omni habenti dabitur, et abundabit. Serviunt*, quia bonis actibus exterioribus et interioribus, *Ei* cui ab omni creatura serviendum est, propter summam dominationem. Psalm. *Servite Domino in timore. Die ac nocte*, ad litteram, quia die ac nocte serviendum est Deo, vel actu operis vel laudis, vel orationis vel meditationis, vel alio actu bono in prosperis et adversis. *In templo ejus*, idest in Ecclesia, sive collegio fidelium qui sunt templum Dei. I Cor. III, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et qui sedet super thronum*, scilicet Deus, qui in Ecclesia militante vel triumphante sedet et quiescit. *Habitat super illos*, idest habitat in eis per dona gratiæ præsidens et vigilans super eos regendos et protegendos, cui subsunt et ipsi per obedientiam. I Cor. III, *Nescitis quia templum Dei estis, et spiritus Dei habitat in*

vobis? Non esurient. Ostensa via, describitur ipsa gloria. Et primo ostenditur gloria patriæ. Secundo manifestatur auctor sive dator gloriæ. *Quoniam Agnus.* Gloria autem describitur. Primo quantum ad plenitudinem boni. Secundo quantum ad exclusionem mali. *Neque cadet.* Plenitudo autem boni per hoc ostenditur : quia in patria nulla indigentia, nullus defectus erit ; quæ indigentia sive defectus signatur nomine famis et sitis. Cum enim quis caret cibo necessario quem appetit, fames est : cum vult potum nec habet, sitis est. Et transumuntur etiam hæc vocabula ad signandum appetitum cujuslibet cum defectu ejusdem. Per hoc ergo quod dicitur in patria famem et sitim abesse, ostenditur boni plenitudinem ibi esse : hoc est quod dicit : *Non esurient,* quasi dicat : tanta sunt justorum merita : et ideo postquam Agnus eos introduxerit ad præmia, sicut infra sequitur : *Non esurient* quia pane vitæ fruentur. *Neque sitient amplius* quia fonte vitæ inebriabuntur : quasi dicat : nullus defectus erit ibi : et ad hoc ostendendum tollit famem et sitim. Ille est enim duplex defectus rei omnino necessariæ, scilicet cibi et potus : et per hoc etiam intelligitur removeri omnis alius defectus ; quia illa vocabula etiam ultra extenduntur, ut dictum est, et hoc quia plenitudo boni erit. Psalm.: *Satiabor cum apparuerit gloria tua. Replebimur* etc. *Neque cadet.* Hic describitur gloria quantum ad exclusionem mali : et primo majoris. Secundo minoris. *Neque ullus etc.* Dicit igitur. *Neque cadet super illos sol,* idest major tribulatio, quæ exurit hominem, sicut multum calens exurit terram et herbam. Jacob I. *Exortus est sol etc. Neque ullus æstus,* idest minor tribulatio. Et dicit, neque ullus : scilicet temporalis vel æternus, corporalis vel spiritualis. Tribulatio enim quasi æstus affligit hominem. Nil autem tale erit in patria. Isaiæ XXXV, *Et fugiet dolor et gemitus.* Sed objicitur ; quia dicitur Ecclesiastici XXIV, *Qui edunt me, adhuc esurient.* Respondeo. Est esuries sive sitis corporalis : hæc non est in patria. Est etiam spiritualis : et hæc est triplex. Quædam est rei non habitæ ut habeatur, sicut peccator attritus dolore esurit et sitit gratiam. Joelis I, *Bestiæ agri quasi area sitiens etc.* Quædam rei habitæ ut magis habeatur ; ut in viro justo, qui esurit majora dona gratiæ. Lucæ I, *Esurientes implevit bonis.* Augustinus, XI *Confessionum* : « Gustavi et esurio et sitio te. » Quædam rei pulchræ ut continuetur. Et sic beati etiam post judicium esurient et sitient videre Deum idest desiderabunt. Unde in *Prosa* dicitur : « Fruuntur nec fastidiunt, quo frui magis sitiunt. » I Petri I, *In quem desiderant Angeli prospicere.* His ergo verbis *Non esurient etc,* ostenditur in patria non esse famem vel sitim corporalem, nec etiam post judicium spiritualem primo modo vel secundo : quia post judicium non habendum, desiderabitur, sed habitum continuandum. Item nota quod in fame et siti sunt duo : defectus : et iste omnino excluditur. Item desiderium, et illud semper manebit respectu continuationis. Ad illud Ecclesiastici patet : quia in patria non erit esuries vel sitis quantum ad defectum rei alicujus, quin habeatur quando congruet haberi ; erit tamen quantum ad desiderium continuationis : et sic potest illud intelligi, si exponatur de futuro : tamen pro serie textus proprie intelligitur pro statu viæ. *Quoniam.* Hic ostenditur causa seu auctor gloriæ, qui est Deus : et primo ostenditur auctor plenitudinis bonorum. Secundo exclusionis malorum. *Et auferet.* Quo autem ordine sit auctor gloriæ, quantum ad bonorum plenitudinem manifestatur. Primo enim ostenditur causa meriti. Secundo præmii. *Et deducet.* Dicit igitur. *Quoniam :* quasi dicat : prædicta erunt in patria justis. *Quoniam Agnus,* scilicet Christus pius, innocens, et pro hominibus victimatus. *Qui in medio throni est,* idest in medio Ecclesiæ, quæ est thronus, sive sedes Dei. Ipse enim omnibus communiter paratus est auxilium dare. *Reget eos,* in præsenti per gratiam, Psalm. : *Dominus regit me et nihil mihi deerit. Et deducet,* faciendo ire de virtute in virtutem. *Ad vitæ fontes aquarum,* idest ad fontes, hoc est ad plenam abundantiam. Aquarum, idest omnimodæ refectionis ; quia desiderium ibi terminabitur, sicut sitis potu

aquæ salutaris : ibi enim erit plenitudo boni. Isaiæ xlix : *Non esurient neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol : quia miserator eorum reget, et ad fontes aquæ potabit eos. Vitæ* : quasi dicat : aquarum vitæ, quia illis refectio erit stabilis. Fidelis enim vivens et immortalis. Psalm. *Quoniam apud te est fons vitæ. Et absterget Deus*, tanquam mater quæ solet extergere et lavare faciem pueri a lacrymis post verbera. *Omnem lacrymam ab oculis eorum*, idest omnem dolorem, cujus indicium est lacryma in oculis. Isaiæ xxv : *Auferet Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie*. Et nota quod dicit, *Omnem lacrymam*. Est enim lacryma pro peccatis propriis, pro alienis, pro incolatu miseriæ, pro dilatione gloriæ, et nulla remanebit. Infra xxi : *Et absterget Deus omnem lacrymam*. Nota etiam virtutem resurrectionis per hoc quod dicit, ab oculis eorum : oculus enim quiddam carneum est, qui liberabitur ab omni passione et passibilitate, et permanebit in æternitate. Job xix : *Et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum*. Quædam ex præmissis possent intelligi pro statu patriæ. *Hi qui amicti sunt stolis albis*, idest ornamentis gloriæ. *Qui sunt et unde venerunt?* hæc est quæstio. *Domine mi etc.*, ut supra. *Hi sunt qui venerunt*, ad tantam gloriam, *De tribulatione magna, et laverunt stolas suas*, idest ornamenta virtutum purificaverunt, vel corpora, ut supra. *Ideo sunt ante thronum ejus*, idest ante ejus præsentem majestatem per apertam visionem. *Serviuntque ei in templo ejus*, idest in cœlo, die ac nocte, idest continue omni duratione qua sunt apud homines dies et nox, per laudis magnificationem. *Et qui sedet super thronum*, idest super Ecclesiam triumphantem, *habitat super illos* per manifestationem gloriæ de culmine suæ bonitatis influens abundantissime super eos. *Non esurient*. Sed quod principaliter intellectum sit pro statu viæ usque illuc, *Non esurient etc.*, patet ex eo quod sequitur, *Reget eos et deducet etc.* Sed objicitur, quia non loquitur de exclusione mali culpæ : ergo insufficienter ostendit gloriam justorum. Item unus est fons vitæ, sicut dicitur in Psalmis : *Apud te est fons vitæ*. Item licet non sit lacryma in oculis, tamen quandoque non minus afflictio est in animo ; ergo non tantum de exclusione lacrymæ ab oculis, sed etiam angustiæ ab intimis, loqui debuit. Respondeo. Dicendum, quod exprimit illud malum, quod communius solet ab hominibus timeri, ut sic alliciat ad desiderium præmii. Hoc autem est malum pœnæ. Dat tamen intelligi exclusionem mali culpæ ; quia non plene satiari potest qui alicui offensæ subjacet. Item non est sine lacryma, idest causa lacrymæ, qui peccatum habet. Licet ergo non expresse omnia quæ sunt in patria tangat, tamen per ea quæ posuit, omnia implicite possunt intelligi. Ad aliud dicendum, quod si nomen fontis accipiatur pro bono creato, dicitur in plurali fontes, ad signandum plenam abundantiam ac multiplicem, quia nomen fontis, nomen est abundantiæ ; non ad signandum originis principalis multiplicitatem. Ille enim tantum una est, scilicet Deus : et sic accipit *Glossa*. Si autem pro increato ; sic per hoc quod dicitur, Fontes, intelligitur divina bonitas et increata et infinita, ex qua est omnis et perfecta refectio in patria. Et dicitur in plurali, propter multiplicitatem effectuum et varietatem præmiorum, sicut et Spiritus sanctus dicitur *multiplex*, Sap. vii. Ad tertium dicendum, quod cum lacryma sit signum doloris qui vel ex aliqua culpa vel ex aliquibus adversis oritur, hic accipitur signum. Tum ratione signi, tum ratione signati, tum ratione etiam signi et signati : unde sensus est : *Absterget omnem lacrymam ab oculis eorum*, idest omnem fletum et omnem dolorem et omnem causam doloris ; cujus signum quandoque est lacryma in oculis. Si enim de sola lacryma loqueretur, parum hoc esset.

CAPUT VIII

Et cum aperuisset etc. Hic agitur de apertione sigilli septimi ; in qua manifestatur status Ecclesiæ post mortem An-

tichristi, quando dabitur Ecclesiæ pax, quæ tamen parum durabit. Apertio igitur hujus sigilli est manifestatio illius status qui clausus est et signatus in sacra Scriptura. Dicit igitur : *Et cum aperuisset sigillum septimum*, per cujus apertionem signatur manifestatio septimi mysterii, quod prius erat clausum, scilicet de statu Ecclesiæ post mortem Antichristi, *Factum est silentium in cœlo quasi media hora*, sic videbat in visione. Per illud silentium signatur quod pax et tranquillitas quæ est futura in Ecclesia quæ cœlum est propter cœlestem claritatem, propter fidei caritatem et vitæ sublimitatem, post mortem Antichristi parum durabit. Et ideo signatur per silentium, quasi dimidiæ horæ ; quia cito post veniet Dominus ad judicium, ut dicit *Glossa*. Nota igitur quod, sicut dicit *Glossa*, post mortem Antichristi dabuntur quadraginta duo dies ad pœnitendum eis, qui titubaverunt in persecutione Antichristi ; sicut habuerunt Judæi quadraginta duos annos ad pœnitendum post passionem Christi, ut dicit Hieronymus. Et notandum quod non tantum erit tunc pax bonis, sed etiam malis, idest fautoribus Antichristi, qui credent se in prosperitatibus diu victuros et in malitia obstinati non convertentur. Ducent autem uxores, celebrabunt convivia dicentes : Licet princeps noster sit mortuus, tamen pacem habemus et securitatem. Sed, ut dicitur I Thessal. x, *Dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis*. Tropologice per silentium, secundum Beatum Gregorium, intelligitur secretum intimæ contemplationis in quo silere debet tumultus cogitationum, ut anima justi, quæ cœlum est per elevationem a terrenis et claritatem mentis, cum sponso loqui, et ejus vocem dulcissimam audire possit. Unde Beatus Gregorius *super hunc locum :* « Cœlum quippe est anima justi. » Anima itaque justi dum ad æterna sublimia per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, et intra se Deo quoddam silentium facit. Hoc autem silentium quasi media hora fit, quando non diu durat quies contemplationis, sed vel necessitas corporalis, vel aliud aliquid interrumpit eam. Unde Gregorius : « Hoc silentium contemplationis et hæc quies mentis, in hac vita non potest esse perfecta. » Sic igitur terminatur visio secunda.

Et vidi septem Angelos etc. Tertia visio est, in qua agitur de Angelis clangentibus tubis. In hac igitur tertia visione magna, sunt septem Angeli clangentes tubis. Primi enim visio fuit de correctione Ecclesiarum. Secunda de revelatione mysteriorum. *Hæc vero*. Tertia de cantu tubarum. Prima fuit correctio. Secunda consolatoria. Tertia est terribilis et comminatoria. Nota *Glossam*, in hæc visione etc. Dividitur autem hæc pars in duas. In prima agitur de quibusdam præambulis ad cantum tubarum. In secunda de ipso cantu earum. *Et primus Angelus*. Præambula ad cantum tubarum, de quo infra sequitur, ponuntur tria : scilicet Prædicatorum institutio ad prædicandi officium. Item excommunicatio de damnatione impœnitentium. *Et alius Angelus*. Item præparatio ad officii actum sive exercitium. *Et septem Angeli*. Institutio autem prædicatorum ostenditur sub figura septem tubarum quæ septem Angelis datæ sunt. Et ostenduntur quatuor quæ prædicatori sunt necessaria : scilicet vita ad ædificandum, scientia ad docendum. Hæc duo in nomine Angeli intelliguntur. Promptitudo sive zelus ad proficiendum *Stantes :* auctoritas ad exequendum. *Et datæ*. Dicit igitur : *Et vidi :* quasi dicat : Ex præmissis intellexi salvationem justorum. Post hæc ex opposito intellexi damnationem malorum per officium prædicationis prædicatoribus injunctum. Unde per septem Angelos intelligitur universitas prædicatorum, qui introducuntur canentes tubis ad ostendendam malignorum et infidelium damnationem. Juxta similitudinem sacerdotum qui canentes tubis destruxerunt mœnia Jericho. Josue VI. Hoc est ergo quod dicit et post prædicta *Vidi septem Angelos*, idest universos prædicatores : quia numerus septenarius signat universalita-

tum; tota enim vita hominum dierum septenario volvitur. Designantur autem prædicatores per Angelos qui debent habere sublimem vitam ut sufficiant exemplo, et eminentem scientiam, ut erudiant verbo. Vita enim sancta et divinorum scientia sunt in Angelis. De vita dicit Gregorius [illegible]: « In prædicatoribus summe necessarium est ut de propria vita sumant quod per linguam proximis conferant. » Psalm. [illegible], *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras justitias meas?* De scientia, Malach. ii, *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Isidorus in *de Summo bono*: « Desinat locum docendi suscipere qui nescit docere. Cæcus si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt. » Qui autem hæc duo habet, propinquam habet dispositionem ut fiat Angelus, idest nuntius Dei annuntiando et prædicando quæ sunt salutis. Isa. xxxiii, *Angeli pacis amare flebunt.* Dicuntur autem septem propter universitatem, ut dictum est. Item quia septem donis Spiritus sancti repleri debent, secundum *Glossam*. Item quia fidem Trinitatis per quatuor mundi partes annuntiant. Item propter septem quæ debent habere prædicatores, sicut dicit Beatus Bernardus *super illud* Cant. i, *Oleum effusum nomen tuum*: « Antequam effundatur verbum prædicationis, debet præcedere Primo compunctio. Secundo devotio. Tertio pœnitentiæ labor. Quarto pietatis opus. Quinto orationis studium. Sexto contemplationis otium. Septimo plenitudo dilectionis. » *Stantes in conspectu Dei*, idest prompti et zelantes ad proficiendum proximis secundum voluntatem et imperium Dei, non per incuriam et defectum sui jacentes. Tob. v, *Invenit juvenem stantem quemdam præcinctum etc.* Item. Rom. i, *In me promptum est et vobis qui Romæ estis evangelizare.* Talis promptitudo valde placet Deo. II Timoth. ii, *Sed verbum Dei non est alligatum.* Vel stantes, scilicet rectos per affectionem calcando terrena. Item in sursum erectos sive elevatos per contemplationem. In conspectu Dei, idest ut Deum aspiciant per intentionem ut propter Deum faciant. Item ut Deum aspiciant per ipsam contemplationem. Prædicatores enim orationi et contemplationi debent insistere, ut ibi hauriant quod aliis effundant. Ambrosius: « Calcatis terrenis cupiditatibus, divinæ contemplationi inhærent. » *Et datæ sunt illis septem tubæ*, idest universum officium prædicationis commissum est eis a Deo, qui vel per se vel per prælatos concedit officium prædicandi. Aliter enim prædicare non debet, non enim est usurpandum tantum officium. Rom. x, *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Comparatur autem tubæ prædicatio, sive officium prædicandi propter sonum, quia publice et aperte fieri debet. Isa. lviii, *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam.* Item propter usum; usus enim tubarum apud Judæos erat in bellis, in festis, in conviviis. Similiter prædicatio excitat ad bellum contra vitia. Josue vi, legitur quod septem sacerdotes, septem tubis clangebant ad bellandum contra Jericho, idest contra vitia mundi, quæ mutatur ut luna. Jericho enim interpretatur luna. Item vocat ad vera solemnia, scilicet gratiæ et gloriæ. Isaiæ xxx, *Canticum erit vobis sicut vox sanctificatæ solemnitatis.* Item invitat ad omnia convivia quæ fiunt hic per gratiam et in futuro per gloriam. Infra xix, *Audivi quasi vocem tubæ magnæ: gaudeamus et exultemus etc.* Septem autem tubæ dicuntur propter universitatem officii prædicationis, quod datur prædicatoribus ad hoc idoneis, ut scilicet de universa Scriptura prædicent. Item ut prædicent universis divitibus, pauperibus, magnis et parvis, bonis et malis, fidelibus et incredulis. Item ut prædicent universa quæ ad salutem pertinent, ut de vitiis et virtutibus, suppliciis et præmiis. Esther vii, *Tubæ quarum usus est in Jubilæo*, idest quibus annuntiatur peccatorum remissio, quæ est in via, et reversio ad hæreditatem quæ erit in gloria: de quibus tubis Josue vi. *Et alius.* Hic agitur de excommunicatione prædicatorum, ne ipsis prædicatoribus ascribatur malorum damnatio, vel ipsi mali videantur inexcusabiles. Ideo prius ostendit, nec ipsos prædica-

tores accusabiles, nec ipsos impios inexcusabiles. Cum enim Christus ex sua caritate pro omnibus, quantum est de se, passus fuerit et omnes apud Patrem juvare paratus sit, pro omnium etiam salute prædicatores suos per orbem miserit: patet nec prædicatores a bono doctore ad bonum hominum missos debere accusari, si aliqui damnantur, nec posse excusari homines qui damnantur. Nota *Glossam*, Dicturus etc. Ad ostendendum autem, quod nec ex parte Christi, nec a parte prædicatorum est causa vel culpa damnationis malorum, sed ex parte ipsorum, tria ostenduntur. Primo Christi caritas sive pietas. Secundo, prædicatorum bonitas. *Et accepit.* Tertio, commissa auctoritas, *Et misit.* Christi autem caritas ostenditur in tribus. Primo, in affectu redimendi. Secundo, in affectu regendi, *Habens thuribulum.* Tertio, in efficacia obtinendi scilicet pro hominibus illud quod desiderant. *Et data sunt ei.* Ex his patet nec Christum, nec ejus Apostolos sive prædicatores esse de impiorum damnatione culpandos. Caritas autem Christi quantum ad affectum redimendi hominem ostenditur. Primo, quantum ad humilitatem incarnationis. Secundo, quantum ad desiderium passionis : *Et stetit.* Dicit igitur, *Et alius :* quasi dicat : ita vidi prædicatores. *Et alius Angelus*, scilicet Christus, qui dicitur Angelus, quia missus a Patre in mundum ad annunciandum quæ sunt salutis, hominibus. Non enim dicitur Angelus inquantum Deus, sed inquantum homo. Isaiæ IX, secundum aliam litteram, Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus. Dicitur autem alius, ab aliis præmissis, quia altior et major eis in dionitate. Joan. III, *Qui de cœlo est, super omnes est. Venit*, per humilitatis assumptionem. I Thimoth. I, *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Sed quomodo dicitur venisse, qui locum non potest mutare, qui ubique est totus? Jeremiæ XXIII, *Cœlum et terram ego impleo.* Augustinus, VI lib. *Confessionum :* « Ubique totus es, et nusquam locorum es. » Respondeo. In his verbis et consimilibus, non intelligitur Dominus venisse per loci mutationem; sed per humanitatis assumptionem : ipsum assumere fuit venire : et sic sæpe ejus incarnatio vocatur adventus, ratione humiliationis quæ ostenditur vocabulo veniendi. Item ratione manifestationis : unde dicitur venisse, quia per carnem, se dignatus est manifestare. Hoc est quod dicit Augustinus I lib. de *de Doctrina Christiana :* « Non per locorum spatia veniendo; sed in carne mortali mortalibus apparendo, venisse ad nos dicitur; illuc ergo venit, ubi erat. Quomodo venit, nisi quod verbum caro factum est, et habitavit in nobis? » hæc Augustinus. *Et stetit ante altare*, idest paratus fuit et affectuosus se immolare in cruce, quæ est altare in quo oblatus est Deo Patri sacrificium nostræ redemptionis, scilicet ipse Deus homo. Lucæ XII, *Et quomodo coarctor usque dum perficiatur?* Vel. Alius, ipse Christus, quia super eo quasi super altari offerunt fideles Patri preces et merita : qui dicitur stare ante altare, idest ante se ipsum; quia scilicet per se ipsum placet Patri, non per alium mediatorem. *Stetit*, ergo, *Ante altare,* idest paratus fuit se hostiam Patri offerre, non per mediatorem alium, sed per se ipsum. Vel Alius, Ecclesia in cujus unitate habet offerri omne bonum Deo, alioquin ei non placet. Ante hoc altare ostensus est Christus stare, quia omnes qui sunt vel esse volunt de unitate Ecclesiæ paratus est juvare et ducere ad salutem, et omnibus se offert quantum est de se. I Petri I : *Sperare in eam quæ offertur vobis gratiam.* Nota : Fides dicitur altare : nihil enim Deo est acceptum, quod non offertur spiritualiter in fide. Psal. : *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Item cor justi etiam dicitur altare; quia in eo immolantur motus bestiales, unde dicitur altare holocausti. De altari Exod. XXVI. *Præterea sancta desideria in eo igne caritatis cremantur :* unde dicitur altare thymiamatis. Exod. XXX, *Facies altare ad adolendum thymiama.* Item crux Christi. In ipsa enim oblatum est illud sacrificium dignitatis quod est ipse Christus. Amos IX, *Vidi Dominum stantem super altare.* Item Christus ipse, ut dicit *Glossa ;* quia per eum et super eum offerimus Patri preces nostras. Item

Ecclesia, super cujus unitatem debet offerri Deo omne bonum nostrum. Isaiæ LX: *Offerentur super placabili altari meo*, scilicet fidelis super Ecclesiæ unitatem. *Habens thuribulum.* Hic ostenditur Christi pietas in officio regendi, specialiter quantum ad Apostolos quos ipse rexit, et per eos alios rexerit. Unde dicit, habens thuribulum, idest Apostolos qui sunt quasi thuribula, et vasa ignis Spiritus sancti, inferius clausa, per contemptum carnis et terrenorum; superius aperta, per desiderium supernorum; de quibus etiam vaporem thymiamatis, idest orationum et interna devotione ascendentes coram Domino; de quibus etiam exit odor ad homines, per quem Christus manifestatur, quem prædicant docendo, et sequuntur imitando. II Corinth. II: *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. Aureum*, propter cœlestem sapientiam, per quam sunt fulgidi, decori ac pretiosi apud Deum et homines; vel propter caritatem, quæ dat fulgorem decorem ac valorem. De quo auro supra III: *Suadeo tibi emere aurum ignitum*. In Apostolis fuit sapientia cœlestis, et affectus caritatis ad Deum et ad salutem hominum. De his, III Reg. X: *Omnia vasa in quibus potabat Salomon, erant aurea. In manu sua*, idest in suo regimine. In hoc autem ostenditur caritas et pietas Christi ad genus humanum; quia ad conversionem et instructionem hominum ipse Apostolos et discipulos et alios prædicatores præparavit eligendo, informando, regendo, mittendo, sicut infra sequitur: unde non ex parte Christi nec suorum prædicatorum est culpa, si qui damnantur. Specialiter tamen de Apostolis et discipulis hic agitur. Nota quod cor humanum debet esse thuribulum in quo sit ignis amoris et thus devotionis: et sic ascendet coram Deo odor sacræ meditationis, affectionis et orationis. Sine igne autem fumus fieri non potest per quem thus resolvitur. Eccles. L: *Quasi ignis effulgens et thus ardens in igne*. Debet autem clausum esse inferius, apertum superius. Coloss. III: *Quæ sursum sunt quærite*. Debet etiam esse aureum per sanam et cœlestem sapientiam, sine qua nihil est Deo placitum, acceptum sive decorum ac pretiosum in conspectu Dei. De hoc thuribulo aureo per figuram dicitur III Reg. VII, ubi legitur quod Salomon fecit thuribulum ex auro purissimo. *Et data sunt.* Hic ostenditur Christi caritas in efficacia impetrandi. Ipse enim pro eis qui sibi adhærent efficaciter impetrat quod desiderant. Primo ergo ostenditur orationum effusio sive oblatio apud mediatorem. Secundo earumdem exauditio per ipsum apud Patrem, *Et ascendit*. Dicit igitur, *Et data*; quasi dicat: ita prius præparavit Apostolos et discipulos ad salutem hominum. Ipsos etiam homines paratus est apud Patrem juvare, si in fide ipsum invocent. Et hoc est: *Et data sunt ei*, idest Angelo. *Incensa multa*, idest Christo offeruntur a justis orationes Deo acceptabiles. Psal.: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Et dicit, *multa*, propter multas innovationes sanctarum affectionum, et varietatem meditationum et orationum. *Ut daret de orationibus sanctorum omnium*, idest justorum; idest ut repræsentaret orationes justorum Deo Patri. Ipse enim est mediator noster, per quem accessum habemus ad Patrem, et per quem orationes justorum exaudiuntur. Unde et in orationibus Ecclesiæ petitur orationum exauditio per ipsum Filium; unde dicitur, Dominum nostrum etc. Dicit autem partitionem de orationibus, non omnes orationes: quia non omnes orationes justorum exaudiuntur, sed illæ quæ sunt utiles ad salutem. Quandoque enim petitur quod non est expediens dari, ut patet in oratione Pauli, II Corinth. II: *Ter Dominum rogavi. Super altare aureum*, idest Deo Trinitati, qui est super ipsum Christum, inquantum homo est: qui inquantum Christus, est altare, quia super ipsum offerimus preces et merita nostra Deo. *Aureum*, propter pretiositatem: totus enim est aureus, quia totus pretiosus, etiam secundum quod homo. Quod, scilicet, altare, est ante thronum, idest in beneplacito Patris sedentis in throno, idest in Ecclesia quam inhabitat et regit. Ipsum enim altare, quod est Christus, est per omnia Patri acceptum. Item placet Patri, ut per hoc altare, homines et hominum orationes fiant acceptabiles. Vel:

Ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, idest repræsentaret eas Deo, super se ipsum, qui est altare aureum, ut dictum est. Ipse enim non per alium, sed per se ipsum offert orationes justorum Patri. Nam alius mediator non est. Hebr. VII : *Accedens per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis. Quod est ante thronum*, idest Ecclesiam ; quia Christus Dominus se offert suis promptum ad placandum Patri, et ad offerendum orationes eorum Patri sicut pontifex bonus. Hebr. IV : *Habentes pontificem magnum qui penetravit cælos Jesum. Et ascendit*, idest factus est acceptabilis, *fumus*, idest compunctio et devotio, *incensorum*, idest ad modum incensorum redolens, *de orationibus sanctorum*, quæ sunt sunt incensæ : de quibus jam dixit : *Et data sunt ei incensa multa*. Compunctio autem et devotio dicitur fumus ; quia sicut ex igne operante in lignis, dum ea ignit et concremat, ascendit fumus : sic ex igne amoris operante interius in cogitationibus et affectionibus et igniente et concremante eas procedit compunctio et devotio in oratione, quæ devotio est Deo acceptabilis ; et ideo dicitur de orationibus fumus ascendere coram Deo, *De manu Angeli*, idest mediante operatione sive interpellatione Christi. *Coram Deo*, scilicet Patre. Ipse enim est mediator, per quem devotio orationum fit efficax et acceptabilis apud Patrem. I Joan. II : *Advocatum habemus apud Patrem*. Sed quomodo dicitur Christus offerre orationes justorum Deo, cum ipse sit Deus ? Offerens autem et cui offertur differre debent. Item quare dicitur offerri Patri, ut dicit *Glossa* super illud, *ut daret*, cum æque sint offerendæ orationes tribus personis, quia sibi sunt coæquales ? Respondeo. Ad primum, quod recte dicitur Christus offerre Deo preces nostras, quia ipse in quantum offerens differt a se inquantum ei offertur, et a Patre et Spiritu sancto. Ipse enim inquantum homo est, offert preces nostras sibi inquantum Deus, et Patri et Spiritui sancto. Ipse enim est mediator in quantum homo sicut dicit Augustinus. Et sic offert devotionem hominum Trinitati, ut dicit *Glossa* super illud, *Super altare*. Ad aliud dicendum, quod sicut dictum est, Christus homo offert preces justorum Trinitati. Quandoque autem dicitur offerri Patri, non quia non similiter offerat sibi inquantum Deo et Spiritui sancto, cum personæ sunt sibi coæquales ; sed illud dicitur ratione auctoritatis, quæ convenit Patri ; quæ non dicit majorem dignitatem in Patre : sed dicit originem respectu aliarum personarum : quia a Patre est Filius similiter Spiritus sanctus. Et acceperunt. Hic introducitur bonitas missorum Apostolorum, ad ostendendum excusationem eorum et inexcusabilitatem impiorum : quia repleti fuerunt gratia Spiritus sancti. Unde patet eos desiderasse et procurasse, quantum in se fuit, salutem hominum : et hoc est quod dicit, *Et accepit Angelus*, idest Christus, *Thuribulum aureum*, idest Apostolos : accepit inquam, non tactu corporali, sed amplexu spirituali, manu scilicet suæ bonitatis, ad replendum eos amplioribus donis. Unde sequitur, *Et implevit illud*, scilicet thuribulum idest Apostolos et discipulos, cum Spiritum sanctum super eos effudit abunde. Act. I : *Repleti sunt omnes Spiritu sancto. De igne altaris*, idest de igne Spiritu sancti quo tempore plenus fuit, qui est altare fidelium. Joan. I : *Plenum gratiæ et veritatis*. Ut enim essent idonei et haberent virtutes ad prædicandum hominibus, datus est eis Spiritus sanctus in abundantia. Et per hoc signatum est quod prædicator debet habere claritatem in scientia et ardorem in vita, claritatem etiam in exemplo, et ardorem in animo. Ignis enim, in cujus specie apparuit super eos Spiritus, lucet et ardet : unde de illo nobili prædicatore, scilicet Joanne Baptista, dicitur Joan. V. *Ille erat lucerna ardens et lucens*. Vel de igne altaris, idest de igne, cujus vis fuit manifesta in patibulo crucis. Ignis enim Spiritus sancti in Christo multum luxit et suum ardorem manifestavit in cruce : ex sola enim caritate passus est ; de isto igne dedit Apostolis, ut hominum salutem zelarent pro Christo, vel pro ipsis hominibus mori parati essent. Joan. I : *Et de plenitudine ejus omnes accepimus*. Sed quomodo hic dicitur accepisse thuribulum,

idest Apostolos, cum prius acceperint eum? unde ss. supra dicitur : qui habebat thuribulum in manu sua. Respondeo. Acceperat prius ad Communicandum et reponendum. Hic autem dicitur accepisse ad aliud, idest ad implendum reponendum et ad mittendum replebat ad homines convertendos, sicut post sequitur. Item objicitur de hoc quod dicitur : Implevit illud de igne altaris. Cum enim hæc propositio denotet partialitatem, aut notat partem Spiritus sancti qui erat in Christo datam Apostolis, aut partem gratiæ. Si primo modo ; ergo habet partem et partem, quod falsum est. Si secundo, ergo pars gratiæ Christi ablata est a Christo et data ipsis, quod est absurdum. Respondeo. Per hæc verba implevit illud de igne altaris, intelligitur ipse Spiritus sanctus amplius datus Apostolis, et etiam dona ejus. Cum enim datur ipse, dantur et ejus dona, et e contrario : quod est intelligendum de donis gratum facientibus. Tum illa partialitas quæ notatur per illam propositionem, non intelligitur respectu Spiritus sancti in se, sed respectu gratiæ creatæ sive donorum. Nota ergo quod illa propositio duo notat : scilicet partialitatem et conformitatem. Partialitatem autem dico, non quia gratia data Apostolis in Pentecoste sit pars gratiæ quæ est in Christo secundum virtutem ; sed pars dicitur secundum quemdam modum loquendi ; quia gratia Spiritus sancti longe copiosior fuit in Christo quam in Apostolis, ita ut illi quasi partem gratiæ habere videantur, Christus vero totam. Conformitas vero fuit, quia gratia illa, tam in Christo quam in eis, fuit ad illustrandum et ad accendendum proprium subjectum, et etiam ad redundandum in alios per effectum. Ad objectum patet, quia non notatur pars gratiæ secundum entitatem : non enim fuit aliqua pars gratiæ Christi data Apostolis ; sed secundum proportionem ; quia longe fuit in Apostolis gratia, in Christo autem perfectissime, ut dictum est. Simili modo dicitur Num. xi : *Auferam de spiritu tuo tradamque eis*. *Et misit*. Hic ostenditur auctoritas Apostolis commissa, per quam patet eos non esse tam culpandos, nec ipsum Christum, de damnatione reproborum ; cum ipse Christus salutem hominum zelans Apostolos ad eorum salutem miserit. Juxta missionem autem tangitur de actu ad quem missi sunt, et de effectu consequente. Primo ergo ostenditur missio Apostolorum. Secundo actus missorum, *Et facta*. Tertio commotio populorum, *Et terræmotus*. Dicit igitur : *Et misit* thuribulum impletum, idest Apostolos. *In terram*, idest ad diversas partes terræ. Marci ultimo, *Euntes in mundum universum etc.* Vel in terram, idest ad illos qui apti erant ferre fructum ad modum terræ, ut fuerunt Gentiles. De quibus Psalm. : *In auditu auris etc.* *Et facta* : notatur actus missorum qui fuit triplex. Emiserunt enim tonitrua comminationum, voces admonitionum, fulgura miraculorum. Dicit igitur : *Et facta sunt*, ab Apostolis missis, *tonitrua*, comminationum quæ terrent. *Et voces*, admonitionum quæ mulcent. Vel voces promissionum. *Et fulgura*, miraculorum quæ simul illuminat et incutiunt timorem Dei. De his tribus supra iv : *Et de throno procedunt fulgura et voces et tonitrua*. *Et terræmotus*, idest terrenorum hominum motus, idest interior commotio. *Magnus*, supple, factus est ad prædicationem Apostolorum. Magna enim commotione concitati sunt homines ad verba eorum : quidam ad bonum, scilicet ad conversionem, sicut legitur Act. xiii, quod crediderunt de Gentilibus quotquot erant præordinati ad vitam. Quidam ad malum, ut ad blasphemiam vel ad persequendum ipsos prædicantes, sicut legitur Act. xiii, quod Judæi concitaverunt mulieres religiosas et honestas et primos civitatis, et excitaverunt persequutionem in Apostolos. Aliter potest intelligi. Otenditur enim caritas et benevolentia Christi ad salutum hominum multiplex, ut ostendatur causa damnationis non esse nisi ex parte eorum qui damnantur. Unde primo ostenditur mysterium incarnationis. Secundo promptitudo complendæ redemptionis, *Et stetit*. Tertio sustinentia desideratæ passionis, *Et data sunt*. Quarto destinatio dilatandæ prædicationis. *Et misit in terram*. Dicit igitur : *Et alius*, expone ut supra. *Et stetit*. Hic ostenditur in Christo promptitudo complendæ redemptionis : et hoc

dupliciter. Primo quantum ad effectum animæ. *Et stetit ante altare*, expone ut supra. Secundo quantum ad obedientiam ex parte carnis. *Habens thuribulum*, idest carnem sive humanitatem in qua crematur thus, idest orationes sanctorum unde ascendit fumus in odorem suavissimum Deo. Justi enim ante Christi adventum habebant quidem thus, idest orationes, sed non thuribulum : unde eorum orationes non habuerunt plenam efficaciam : nunc autem habemus, scilicet Christi humanitatem, in qua crematur thus devotionis, quia per eam fit oratio acceptabilis. Aureum propter acceptabilitatem et pretiositatem, quam habuit ejus humanitas propter immunitatem a peccato, et propter unionem cum Verbo. Hoc thuribulum aureum signatur per illud de quo dicitur Hebr. IX : *Post velamentum autem tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum, aureum habens thuribulum. In manu sua* idest in potestate sua et perfecta obedientia, quia caro Christi omnino fuit obediens spiritui ; quod signatur Genes. VII, in arca Noe, ubi omnia animalia erant peccata, idest omnes motus sensualitatis in Christo. *Et data.* Hic ostenditur sustinentia passionis Christi. Ante passionem præcesserunt multæ orationes justorum pro redemptione. Secundo orationum exauditio in acceptatione. *Et ascendit.* Tertio ipsa earumdem adimpletio in passione. *Et accepit.* Dicit igitur : *Et data sunt ei incensa multa*, idest datæ sunt ei a Deo Patre multiplices orationes Deo acceptabiles pro generis humani reparatione : idest data est Christo secundum humanitatem auctoritas, virtus et idoneitas præsentandi apud patrem orationes antiquorum qui redemptionem petierant. Unde sequitur : *Ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum*, idest ut repræsentaret eas Patri super seipsum patientem. Ipse enim patiens fuit altare, super quo factæ sunt acceptabiles per ejus passionem orationes antiquorum qui supplicaverunt Deo pro reparatione. *Quod est ante thronum*, idest in beneplacito sedentis in throno ; quia Patri placebat orationes justorum super hoc altare immolari per ipsius Christi passionem. Vel ante thronum, idest Ecclesiam ut supra. Vel super altare, idest crucem in qua se pro omnibus obtulit. Aureum propter pretiositatem, quia in eo oblatum est pretium humanæ redemptionis. Quod est ante thronum, idest in beneplacito Dei sedentis in throno ; quia placuit Deo, ut quod fuit contractum ligno prævaricationis, solveretur per lignum crucis : de quo Proverb. XIII : *Lignum vitæ desiderium veniens.* In hoc enim ligno impletum fuit desiderium antiquorum. Vel ante thronum, idest Ecclesiam, quia nobis offertur crux Christi in refugium et auxilium. Item quia semper debet haberi tanta gratia præ oculis mentis, Eccles. XXIX : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris.* Bernardus *super illud* Cant. I : *Fasciculus myrrhæ etc.* « Si sapiens fueris, hunc myrrhæ tam carum fasciculum, de principali pectoris tui, nec ad horam patiaris auferri ; amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens et assidua meditatione revolvens. » *Ut daret de orationibus ;* quia non omnes orationes erant pro redemptione, sed pro aliis etiam obtinendis. Vel quia non omnes orationes justorum erant exauditæ, sicut quæ non expediebat exaudiri, ut tactum est supra. *Sanctorum omnium :* hoc dicit quia oratio omnium justorum, qui amplius quibusdam aliis illuminati fuerunt, erant ut Filius Dei genus humanum redimeret, licet non omnis oratio eorum. Hoc enim orabant justi qui fuerunt ante ejus passionem. Unde dictum est Simeoni per spiritum adventum Christi expectanti, quod non videret mortem nisi vidisset Christum Domini. Et dicitur Isa. XLIII : *Utinam disrumperes cœlos et descenderes.* Psalm. *: Inclina cœlos tuos et descende.* Quasi dicat : Christo data est potestas, efficacia, idoneitas, ut orationes antiquorum ac desideria de reparatione per ipsum facienda Patri præsentaret et impleret super seipsum patientem, sive super crucem. Et ascendit per acceptationem, fumus incensorum, idest devotio redolens, sicut multa incensa. De orationibus sanctorum de manu Angeli, idest mediante ipso Christo. *Coram Deo.* Trinitate, quia per ipsum mediatorem factæ sunt apud Patrem acceptabiles orationes antiquorum. Ipso enim ol-

fervente suo Patri etiam ante passionem magis facta sunt Deo acceptabiliora quam prius, licet et ante frequenter eas impleret: unde ipse dicitur mediator non solum propter passionem, sed etiam propter orationem Patri præsentando et impetrando, I Timoth. II: Unus est mediator *Dei et hominum homo Christus Jesus*. Maxime autem præsentavit in passione, in qua impletum est desiderium sanctorum. Unde sequitur: *Et accepit Angelus thuribulum aureum*, idest carnem suam paravit et exposuit passioni, quando venit Jerusalem sciens quod illic occideretur, Matth. XX: *Ecce ascendimus Jerosolymam* etc. Joan. XVIII: *Jesus sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit et dixit: quem quæritis? Et implevit illud*, scilicet thuribulum, idest humanitatem, scilicet corpus et animam. *De igne altaris*, idest de ardore passionis quam in cruce sustinuit, quæ hic dicitur altare. Passio propter vehementiam doloris igni comparatur. Psalm.: *Igne me examinasti*. Per hoc etiam quod dicitur, Implevit, ostenditur immensitas ac gravitas passionis. Psal.: *Repleta est malis* (idest afflictionibus) *anima mea. Et misit*. Hic ostenditur destinatio dilatandæ prædicationis. Et primo ostenditur destinatio sive missio prædicatorum. Secundo effectus destinatorum. *Et facta sunt*. Tertio commotio populorum, ut prius et post passionem. *Misit*, scilicet thuribulum, idest humanitatem suam. *In terram*, idest terrenos prædicatores ad hoc destinatos, ut eam credant et imitentur creditam: unde et Apostoli dicuntur equus Domini supra. *Et facta sunt* per Apostolos a Deo destinatos per orbem terrarum *Tonitrua* ut supra. *Et septem Angeli*. Hic ostenditur præparatio prædicatorum ad officii actum, scilicet ad prædicandum. Postquam enim ostensum est Christum esse mediatorem, et quantum est de se paratum omnes suscipere ad salutem, convenienter subditur de damnatione impiorum quæ intelligitur ex prædicatione prædicatorum: quam damnationem patet ex præmissis esse inexcusabilem. Prius tamen agitur de præparatione prædicatorum. Dicit igitur: *Et septem Angeli*, idest universi prædicatores spiritu septiformi imbuti. *Qui habebant septem tubas*, idest universum officium prædicandi, ut supra. *Præparaverunt se*, implendo prius opere quod dicturi erant ore. Secundum exemplum Domini, de quo Act. I, *Cœpit Jesus facere et docere*. Gregorius: « Necesse est ut qui verbum Dei loquitur, prius studeat scire qualiter vivat, ut post ex vita colligat, quæ et qualiter dicat. » Item excitando se ad mentis ardorem, ad quam alios debent accendere per sermonem. Unde Gregorius: « Ipsi de omnipotente Deo sciunt loqui suaviter, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus amare veraciter. » Item ordinando intentionem, ut non ad inanem gloriam vel propter lucrum temporale, sed propter Deum et proprium meritum et supremum bonum. II Corinth. II, *Non sumus sicut plurimi adulterantes etc*. Isidorus II lib. *de Summo Bono*: « Mala est intentio quæ pro terreno lucro aut vana gloria est. » Item prævidendo prudenter, quid sit dicendum, et quibus et quando, et quantum et qualiter. Gregorius: « In ore pastoris magna debet esse consideratio locutionis. Pensare enim debet doctor, quid loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, et quantum loquatur: si enim unum defuerit, locutio apta non erit. » Item fundendo orationem. Unde Augustinus IV lib. *de Doctrina christiana*: « Orando pro se ac pro illis quos est allocuturus, sit orator, antequam doctor. » Præparatio igitur prædicatorum, debet esse multiplex: videlicet per operis exhibitionem, per affectus inflammationem, per intentionis ordinationem, per materiæ et circumstantiarum præmeditationem, per devotam orationem. Ad quid autem hæc sit præparatio subditur: *Ut tuba canerent*, idest ut officio prædicationis uterentur in actu. Recte autem sic loquitur; quia etsi prædicatio quandoque terrere debeat, tamen etiam debet allicere ad amorem. Quantum ad incussionem timoris officium prædicandi sive prædicatio dicitur tuba: quantum ad secundum vocatur prædicatio cantus, Joel. II, *Canite tuba in Sion*. Quidam semper se præparant et numquam canunt, qui semper student et numquam prædicant. Sed ob-

jicit *Glossa*, quia dicitur Matth. x, *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.* Item quare dicitur, Ut tuba caneret, in singulari, cum ante dixerit. Septem tubas? Respondeo. Ad primum respondet *Glossa* quod Apostoli fuerunt privilegiati in hoc, quia Spiritus sanctus eis ita aderat, quod non oportebat eos præmeditari; sed alii qui non sunt in hoc privilegiati, præmeditari debent. Aliter posset esse præsumptio, vel inanis gloria, nisi in casu, scilicet cum subito prædicare oportet vel hujusmodi; et nisi esset prædicator multum habens ad manum ea quæ sunt Dei, propter altitudinem intelligentiæ, vel gustum experientiæ, vel donum illuminationis internæ. Nota autem quantum ad materiam prædicationis, quod debet esse præmeditatio de vero, honesto, et salutifero. Nam circa illud quod prædicandum est, hæc tria sunt attendenda; scilicet, Veritas; quia falsa non sunt prædicanda. I Timoth. II, *Veritatem dico, non mentior, Doctor gentium in fide et veritate.* Item honestas. Non enim omnia vera sunt prædicanda, quia quædam non decerent. De his duobus dicitur in Psal.: *Eloquia Dei eloquia casta*, argentum igne examinatum. Item utilitas, Non enim omnia vera et honesta sunt prædicanda; sed quæ sunt ad salutem utilia. Matth. IV, *Prædicans Evangelium regni.* Ad illud potest dici, quod sic recte loquitur; quia licet sint diversa prædicandi officia et diversæ prædicationes, secundum prædicatorum diversitatem: tamen unitas est in origine et in fine. Origo est Scriptura sacra, unde debet omnis prædicatio sumi. Finis est honorificatio divina in ejus laude, et humana salute. Vel quia quilibet prædicator habet proprium officium, et propriam prædicationem. *Et primus.* Hic agitur de ipso cantu tubarum; in quo cantu ostenditur damnatio reproborum. Vidit autem et audivit septem Angelos tuba canentes, ad signandum prædicationem universorum prædicatorum, secundum diversos status Ecclesiæ. Et primo agitur de cantu pertinente ad statum Ecclesiæ initialem vel medium, ut est cantus quatuor Angelorum. Secundo de cantu pertinente ad statum ultimum, ut est cantus trium Angelorum sequentium, Circa finem hujus capitis, *Et vidi.* Prima pars dividitur in quatuor, secundum cantus quatuor Angelorum. Primo ergo agitur de cantu primi Angeli. Secundo, secundi, *Et secundus Angelus.* Tertio, tertii, *Et tertius.* Quarto, quarti. *Et quartus.* Ad intelligentiam horum notandum, quod a principio fundationis Ecclesiæ perseveravit prædicatio evangelica. Multa tamen hostis generis humani successive objecit impedimenta semper graviora. Primo Judæorum. Secundo Gentilium principum, ut Romanorum et aliorum. Tertio hæreticorum. Quarto falsorum fratrum. Quinto Antichristi et suorum. Horum damnationem denunciant isti Angeli. Distinguuntur autem sic cantus septem Angelorum. Quia cantus quatuor Angelorum pertinent ad statum Ecclesiæ initialem vel medium; quædam enim pertinent ad initialem, quædam ad medium Ecclesiæ statum; quia non solum in primo statu fuerunt hæretici et falsi fratres, sed etiam in statu medio. Cantus vero trium Angelorum, pertinent ad statum finalem sive ultimum. Unde prima quatuor narrantur ut præterita, tria vero ut futura, ut dicit *Glossa*, in fine cantus quarti Angeli. Rursus cantus quatuor Angelorum sic differunt. Nam primus Angelus ostendit damnationem Judæorum. Secundus matricidarum, scilicet Gentium persequentium Ecclesiam. Tertius hæreticorum. Quartus falsorum fratrum. Tres vero ultimi sic differunt. Quintus enim ostendit præcursores Antichristi. Sextus ipsum Antichristum cum suis. Septimus judicium et finem mundi. In prima vero parte sic proceditur. Primo ostenditur prædicatio Apostolorum. Secundo perversitas Judæorum. *Et facta est.* Tertio pœna eorumdem perversorum. *Et missum est.* Dicit igitur, *Et primus Angelus*, idest primus ordo prædicatorum, scilicet ordo sive cœtus Apostolorum et discipulorum. Et dicitur primus ordine narrationis, et etiam primus ordine temporis; quia prius contigit excæcatio Judæorum prædicantibus Apostolis. Nota quod secundum diversitatem statuum Ecclesiæ, est diversitas et ordo Angelorum. Item etiam secundum di-

vexationem et ardorem persecutionum. Primus igitur Angelus est primus ordo prædicatorum, scilicet Apostolorum quoad primum statum Ecclesiæ prædicantium Judæis. Secundus Angelus est ordo prædicatorum, quo ad secundum statum, scilicet Apostolorum et Discipulorum prædicantium Gentilibus. Unde ille secundus Angelus dicitur ratione secundi status, licet iidem prædicatores fuerint. Tertius Angelus, ordo prædicatorum quoad tertium statum, et sic ulterius, ut infra patebit. *Tuba cecinit*, idest timorem incussit, et ad amorem allexit prædicando quantum in se fuit. Et nota quod prædicator debet strictiorem partem tubæ ex parte sua ponere latam ex parte hominum, quia majorem perfectionem debet in se habere, quam aliis stricte suadeat; cujus contrarium faciunt quidam. De prædicatione Apostolorum ad Judæos habetur Act. II, III, IV et V, et in aliis locis Actuum. *Et facta est*. Hic ostenditur perversitas Judæorum; et hoc quantum ad tria. Primo quantum ad divini verbi repulsionem. Secundo, quantum ad internæ iracundiæ concitationem, *Et ignis*. Tertio quantum ad actualem Apostolorum interfectionem, *Mixta sanguine*. Quid ergo sequutum sit ex Apostolorum prædicatione ostenditur. Inde enim facti sunt magis perversi propter suam nequitiam. Unde dicitur: *Et facta est grando*, idest prædicatio quæ est de se suavis, Judæis visa fuit quasi grando contundens et molesta, unde eam repulerunt. Act. XXVII, legitur quod Paulo prædicante Judæi levaverunt vocem dicentes: Tolle de terra hujusmodi; et projiciebant vestimenta sua et jactabant pulverem in aera. *Et ignis*, est factus, scilicet iracundiæ sive invidiæ, contra Apostolos, Act. XIII, *Videntes turbas Judæi* etc. *Et hæc duo erant mixta sanguine*, idest sanguinis effusione; quia ex illis duobus sequuta est interfectio prædicatorum. Unde Stephanum interfecerunt. Act. VII. Vel grando, potest intelligi contumelia verborum, et immanitas exteriorum persequutionum. Act. VIII, *Facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Jerosolymis etc. Et ignis etc.* ut supra. Aliqui libri habent in sanguine, idest cum sanguine, idem sensus est. *Et missum est in terram*. Hic ostenditur pœna. Et primo ostenditur reatus pœnæ in generali. *Et missum est*, scilicet hoc totum, idest grando, ignis et sanguis. In terra, idest in Judæos terrenos; vel quia ut terra fructificare debent, cum essent exculti per legem et prophetas. Per hoc signatur quod præmissa perversitas eos obligat ad pœnam. In eos enim cadit, quia in eos per reatum pœnæ redundat; per hoc enim meruerunt excæcari, hinc et tandem damnari. Psalm.: *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva; effunde super eos iram tuam etc.* Hæc dicuntur de Judæis, sicut vult Apostolus, Rom. XI. Secundo ostenditur pœna in speciali. *Et tertia*. Nota quod in Judæis erat triplex differentia. Quidam enim erant terrenis dediti, qui signantur per terram. Quidam in lege justi secundum opera exteriora, credentes se recte agere; et sic erat de multis: isti signantur per arbores. Alii in vita ficti male agentes, et bene simulantes, et se male agere scientes, ut hypocritæ. Hi signantur per fœnum viride. In primis iterum erant tres partes. Prima pars fuit de Judæis credentibus ante Apostolorum prædicationem, scilicet visis operibus Christi. Alia pars fuit credentium post eorum prædicationem. Tertia obstinatorum, qui nec ante nec post crediderunt. Similiter in secundis triplex pars eodem modo, scilicet credentium ante prædicationem. Item post. Item nec ante nec post. Dicit igitur. *Et tertia*, quia ita facti sunt perversi Judæi in magna parte. Et ideo *Tertia pars terræ*, idest terrenis deditorum, *Combusta est*, excæcata igne peccati sive malitiæ. Psalm.: *Supercecidit ignis et non viderunt solem*. Vel, *Combusta est*, idest comburetur igne perpetuo. Isaiæ XXXIII. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante?* quasi dicat: tertia pars eorum qui terrenis inhiant excæcanda de Judæis ut ad fidem non veniant, et per hoc damnanda. Duæ partes salvabuntur; scilicet qui crediderunt ante Apostolorum prædicationem, vel qui post; quia a terrenitate conversi sunt, et etiam multi adhuc convertentur, si velimus secundam partem in futurum

extendere. *Et tertia pars arborum*, idest eorum qui erant in lege justi, et conversantes sine querela, tendentes in sursum per bona opera sicut bonæ arbores. *Combusta est*, idest comburetur igne æterno. Isaiæ ultimo : *Vermis eorum non morietur*. De Judæis enim qui bene operabuntur quidam salvantur, scilicet duæ partes, videlicet qui crediderunt ante prædicationem Apostolorum, et qui post ; qui tamen in fide, cum gratia perstiterunt ; tertia vero pars damnatur, scilicet illi qui nec ante nec post crediderunt in Christum, licet aliquando bona opera habuerint, scilicet legis doctrinam. *Et omne fœnum viride combustum est*, idest omnis Judæus in vita fictus et hypocrita excæcatus est et consumptus igne infidelitatis, vel hypocrisis, si quod bonum quandoque habuit. Et bene fœno cumparatur, quia cito arescit laus et favor humanus quem quærunt ; sicut fœnum primo viret, et post aret. Viride autem dicitur, quia aliquid viroris habere videtur per speciem exteriorem, et quia in flore et virore laudis delectatur. Job. VIII, *Cum adhuc sit in flore etc.* Tales vix statum mutant : unde hujusmodi fœnum totaliter combustum est. Aliter possent hæc distingui. Quidam enim ex Judæis erant apti ad activam ; hi per terram quæ est apta ad fructificandum. Quidam ad contemplativam, qui per arbores quæ in altum eriguntur. Quidam ad neutram, ut qui omnino vanitatibus inserviebant sequendo mundi florem et virorem per elationem vel cupiditatem vel voluptatem vel hypocrisim vel infidelitatem ; quia etiam ante adventum Christi, quidam male sentiebant inter Judæos, ut Sadducæi qui dicebant resurrectionem non esse : qui tamen transierunt vel transituri sunt, ut fœnum viride arescit. Tales autem qui quasi nullam dispositionem habent ad bonum, non facile convertuntur ; et ideo dicitur, omne fœnum viride esse combustum. Isa. XL, *Exsiccatum est fœnum et cecidit flos*. In primis est triplex differentia, sive pars. Duæ partes sunt perfectæ, secundum quod in vita activa est dicere hominem perfectum et minus perfectum, vel prælati boni et subditi. Et per has duas partes in gratia perseverantes intelliguntur electi. Tertia vero pars est tota numerositas reproborum damnandorum ut dicit *Glossa*. Similiter intelligere in eis qui sunt apti ad contemplativam : quia horum sunt tres partes : scilicet perfecti, minus perfecti et reprobi : qui vel non insistunt contemplationi, licet essent apti ; vel si insistunt aliquo tempore, non finaliter persistunt. Quidam enim de contemplativis etiam damnabuntur propter defectum perseverantiæ. Unde Matth. XXIV : *Duo in lecto : unus assumetur, alter relinquetur*. Combustionem intellige ut superius. Sed objicitur de hoc quod dicitur. Tertia pars etc. : quia dicitur Matth. XX, *Multi sunt vocati, pauci vero electi ;* ergo plures sunt reprobi quam electi. Et Zachar. XIII, *Partes duæ dispergentur etc.* Respondeo, dicendum, quod per binarium signatur hic duplex status bonorum : scilicet status eorum qui ante Apostolorum prædicationem crediderunt in Christum, cum ejus signa viderent, et eorum qui post : vel perfectorum et imperfectorum, ut vult *Glossa*. Unde quod hic dicitur non est referendum ad personarum multitudinem, sed ad status duplicitatem, ut patet ex *Glossa*, Et quod specialiter dictum est de Judæis, habet etiam locum in Ecclesia : quia quidam sunt apti ad activam, quidam ad contemplativam, quidam ad neutram ; et priorum tertia pars, idest reprobi, qui non finaliter persistunt, damnabuntur. Matth. XXIV, *Duo erunt in agro etc.*, et sic ulterius ut supra dictum est. Sed objicitur de hoc quod dicitur : *Et omne fœnum viride :* quia videtur dicere debuisse : Tertia pars fœni etc., ut supra : quare ergo dicit Omne? Respondeo. Per fœnum viride signantur illi, qui multum adhærent mundanæ vanitati, quos multum allexit et traxit viror mundi ; qui tamen cito evanescunt, ut fœnum viride, quod hodie est et cras in clibanum mittitur : propter hujusmodi autem adhærentiam fiunt inepti ad conversionem, quamvis non impossibiles. Unde quod dicitur : omne fœnum viride etc., intelligendum est de eis qui firmiter et finaliter mundano virori et flori adhærent : unde dicitur omne, et non ponitur tertia pars licet

quandoque aliqui maximi prius vanis infideles convertantur, tamen difficillime et raro. Non sic est de his qui super terram commorantur; quia etsi sunt cupidi, tamen non sic tenaciter adhærent, ut hypocritæ et hæretici. Tertio quæritur communiter de Judæis circa præmissa: quare scilicet Deus Judæos primo ad se traxit ante legem et sub lege, Gentiles autem in infidelitate reliquit? Postea vero paucis Judæis conversis tempore gratiæ per se et per Apostolos, respectu eorum qui permanserunt, infideles reliquit Judæos et facti sunt pessimi: Gentiles autem prius idola colentes convertit? Respondeo. Licet aliqua super hoc vera possent dici, tamen melius dicitur hujus rationem plenam et claram apud Deum esse et nobis occultam esse. In talibus enim occulta sunt sua judicia, tamen justissima, quia nihil sine ratione justissima facit. Unde dicit Beatus Gregorius: « Incomprehensibilitas divini judicii, humanæ mentis oculis non valet penetrari: quare primum Judæa credidit, gentilitate omni in perfidia gentilitatis remanente. » Postmodum vero ad fidem Gentilium corda mollita sunt, et Judæorum infidelitas obstinata. Hæc Gregorius: « Propter hoc, sicut dicit ipse Gregorius, exclamat Apostolus Rom. xi, *O altitudo divitiarum etc.* » Et sicut dicit Beatus Gregorius: « Judicia Dei magis sunt veneranda quam discutienda. » *Et secundus.* Hic agitur de cantu secundi Angeli, per quem intelligitur doctrina prædicatorum, in secundo statu Ecclesiæ, scilicet quando Apostoli et alii prædicaverunt Gentibus; cujus prædicationis occasione concitati sunt Gentiles ad persecutionem fidelium instigante diabolo; et ideo magis sunt a Deo destituti. Primo ergo ostenditur doctrina prædicatorum. Secundo nequitia Gentilium, *Et tanquam*. Tertio pœna ipsorum, *Et facta est*. Dicit igitur: *Et secundus Angelus*, idest ordo prædicatorum in secundo statu, scilicet ordo eorumdem Apostolorum et discipulorum a Judæis ad Gentiles transeuntium. Et dicitur secundus ordine narrationis et etiam ordine temporis, licet non ordine personarum: quia iidem Apostoli prædicaverunt primo Judæis, ut supra habitum est, secundo Gentilibus ut hic dicitur. *Tuba cecinit*, idest inter gentes prædicavit. Act. xiii, Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. *Et tanquam mons*, scilicet diabolus, qui est tanquam mons, per superbiam, per quam est grossus et altus. Jerem. li, *Ecce ego ad te mons pestifer*. *Magnus*, propter magnitudinem superbiæ, adhuc enim valde superbus est. Job. xli, *Ipse est rex super universos filios superbiæ*. *Ardens igne* invidiæ. Hoc igne ardet diabolus. Invidet enim saluti humanæ, quia videt hominem ad beatitudinem, quam ipse amisit, posse ascendere; et ideo ardens dolore invidiæ, hominem tentat, ut eum ad tartara trahat. Sap. ii, *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Bene autem invidia dicitur ignis, quia mentem cremat et vexat per dolorem de alieno bono, tum in diabolo tum in aliis invidis. Unde Gregorius: « Cum devictum cor livoris putredo corruperit, color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur et membra frigescunt. Fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor; nil lætum de proximis libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena. » *Missus est*, idest immissus, *in mare*, idest in Gentiles ad nocendum et provocandum eos contra Apostolos et alios prædicatores. Mundus autem sive Gentilitas dicitur mare ratione tumoris per superbiam. Jonæ i, *Mare ibat et intumescebat*. Ratione inquietudinis per gulam, quia affectus gulosi non quiescit. Prov. xxx, *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes affer affer*; gula scilicet et luxuria. Sanguisuga est carnalitas, ratione fœtoris, quantum ad luxuriam, propter quam voluptuosi vocantur hirci. Zachar. x, *Et super hircos visitabo*. Ratione capacitatis, quantum ad avaritiam, quia non redundat. Eccles. i, *Omnia flumina intrant in mare et mare non redundat*. Ratione fervoris quantum ad iracundiam. Isa. lvii, *Impii quasi mare fervens*. Gregorius: « Iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi et nequaquam recognoscuntur noti. » Ratione amaritudinis,

quantum ad accidiam : quæ dum utilem laborem, vel bonæ actionis, vel prædicationis, vel meditationis aut orationis refugit, internam amaritudinem gignit. Unde Gregorius vocans eam nomine tristitiæ, dicit ita : « Cum mens dulcedinem tranquillitatis per tristitiam amiserit, nihil hanc nisi mœror pascit. » Ratione obscuritatis, quantum ad perfidiam. Mare enim ratione profunditatis et fluctuationis obscuritatem habet ; sic et infideles obscuri sunt per tenebras errorum. Rom. I, *Obscuratum est insipiens cor eorum.* Nequitia igitur gentilium ex inhabitatione diaboli, tum ex figura maris propter multiplex vitium. Sed a quo est missus diabolus in Gentiles? Item ante erat in Gentibus : quomodo ergo prædicantibus Apostolis est missus in eos? Respondeo. Dicendum quod diabolus missus est in Gentiles, vel a propria libidine qua nocere appetit, ipsum impellente in corda hominum, vel ab ipso Deo non impellente, sed permittente, quia non potest nocere nisi a Deo permissus ; et ideo potest dici missus ab eo, non ut agente, sed ut juste permittente. Juxta hoc dicitur de Saul, I Reg. XVI : *Exagitabat eum spiritus nequam a Domino.* Similiter Matth. VIII, *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum.* Ad aliud dicendum quod diabolus dupliciter mittitur, idest immittitur in aliquem : aut possidere incipiendo : et sic mittitur in eum qui cum prius justus esset, nunc de novo peccat mortaliter : aut prius possessum amplius sive plenius possidendo : et sic mittitur in eos qui prius erant mali. Hoc modo accipitur quod hic dicitur, quia prædicantibus Apostolis et aliis, dum Gentiles multi repulerunt verbum Dei, permisit juste diabolum eis magis prædominari ita ut prædicatores flagellarent et occiderent. Juxta hoc dicitur de Juda, Joan. XIII, *Et post buccellam introivit in eum satanas. Et facta est.* Hic ostenditur pœna Gentilium obstinatorum conversis tamen multis : quæ pœna, non est solum pœna præcise, sed etiam est in eis quædam pœna quæ est culpa et crudelitas persecutionis, quæ sequitur ex præcedentibus peccatis. Quidam autem Gentilium erant minores, qui designantur nomine maris, licet prius nomen maris communiter pro parvis et magnis acciperetur. Hic enim loquitur sub distinctione, non prius. Quidam majores : et hoc sub duplici differentia : scilicet vel ratione scientiæ vel apparentis bonitatis : et hi nomine creaturæ habentis animam in mari designantur : vel ratione potestatis : et hi per naves. Et omnes hi subdistinguuntur secundum triplicem differentiam vel statum ; et ideo dicitur : Tertia pars etc. Dicit igitur : diabolo instigante. *Facta est tertia pars maris*, idest Gentilium minorum qui nomine communi designantur. Horum quidam approbaverunt et receperunt doctrinam sanctorum in aperto, quidam humanæ timentes in occulto, et hæ sunt duæ partes : quidam nullo modo approbaverunt nec receperunt sed persecutionam concitaverunt usque ad occisionem : unde dicitur : *Et facta est tertia pars maris sanguis*, idest peccatrix persequendo sanctos fideles. Per sanguinem enim peccatum signatur, ratione infectionis, ratione horroris, ratione signi mortis ; quia peccatum turpiter inficit, horribile est, et signum est mortis spiritualis, immo et causa. Oseæ IV, *Sanguis sanguinem tetigit.* Vel sanguis, idest crudelis actualiter per sanguinis effusionem. Micheæ VII, *Omnes insidiantur in sanguine etc.* Istæ tres partes possunt aliter accipi : scilicet perfecti et imperfecti, licet aliquando mali fuerint. Item reprobi. Sed objicitur de hoc quod dicitur sanguis. Primo modo per *Glossam*. Nam quomodo dicitur tunc facta fuisse peccatrix hæc tertia pars, cum prius esset peccatrix? Respondeo. Non per peccatorum inchoationem, sed accumulationem. Et per montem missum in mare et concitantem illud, dum ei Gentiles obedierunt persequendo fideles, *Mortua est*, morte culpæ, et per hoc obligata ad mortem gehennæ. Psalm. : *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. Tertia pars creaturæ*, idest multiplicitas creaturarum. Nomen enim creaturæ accipitur hic quasi collective, unde singulare ponitur pro plurali, ut patet per hoc quod dicitur tertia pars creaturæ. Simile Exod. VIII, *Venit musca gravissima in domos Pharaonis*, idest multiplici-

tes animarum gravissimarum, ut patet ex sequentibus. Deut. x, *Arreptam doctrinam perpet in morte*. Nomen etiam creaturæ accipitur pro digniori creatura, scilicet pro homine; quia homo est dignior creatura inter creaturas inferiores; et etiam pro hominibus qui inter Gentiles videbantur digniores, ut philosophi et hujusmodi. Juxta hunc modum accipitur, Rom. I, *Invisibilia Dei a creatura mundi* etc.; unde sequitur, quæ, scilicet creaturæ, ut fiat relatio ad plurale subintellectum in nomine singulariter posito, ut dictum est. *Habebant animas*, idest discretionem, per quam digniores aliis videbantur; anima enim, secundum quod intelligitur rationalis, discretionem dat intellectui in eo quod rationalis, maxime quia hic specialiter et cum pondere ponitur. Vel animas, idest vitam nobiliorem, secundum opera exteriora. Philosophi enim et hujusmodi gentiles habebant majorem discretionem et etiam quædam bona opera: unde secundum *Glossam*, digniores aliis reputabantur. *In mari*, idest in mundo, sive in societate gentilium, qui per mare signantur, ut supra dictum est: quasi dicat: Quidam philosophorum et aliorum qui in scientia vel vita digniores aliis videbantur conversi sunt, et sic non mortui. Alii vero qui dicuntur tertia pars, facti sunt obstinati et persequebantur fideles magis ac magis, mortui sunt, morte nequitiæ, et dispositi ad mortem gehennæ. Nota igitur quod philosophorum et hujusmodi, tres erant partes. Quidam enim ex ordine rationis præparati fuerunt ad gratiam recipiendam prædicantibus Apostolis. Alii per doctrinam et miracula exempla sanctorum; et hi intelliguntur non esse mortui. Sed tertii erant, qui nec sic, nec sic credere voluerunt de quibus dicitur, Tertia pars etc. Vel tres partes sunt perfecti et imperfecti post conversionem, licet aliquando mali fuerint. Item reprobi. Sed quomodo dicitur, *Mortua est*, cum prius essent mortui per peccatum infidelitatis et aliud multiplex? Respondeo. Dupliciter est mori spiritualiter. Aut per primam gratiæ amissionem; et sic dicitur mortuus qui de novo peccavit mortaliter, cum ante viveret per gratiam. Unde Isidorus I libro *de Summo bono*: « Vita corporis anima, vita animæ Deus est; et sicut corpus mortuum sine anima, ita anima mortua est sine Deo. » Aut per majorem elongationem; scilicet a gratia sive a Deo; quod fit, cum peccatum multiplicatur, et maxime cum anima induratur; et sic accipitur hic. *Et tertia pars navium*, idest eorum qui alios gubernabant et portabant, et quorum motu alii movebantur, ut erant principes, et hujusmodi aliorum rectores, *interiit*, idest mortua est, spiritualiter ut prius. In talibus erant tres partes. Quidam enim satis facile crediderunt, quidam difficile. Tertii nullo modo, De quibus dicitur, Tertia pars navium. Vel, perfecti, imperfecti. Multi enim principes gentiles conversi ascenderunt ad statum perfectionis. Tertia pars est reproborum. Hanc distinctionem refert *Glossa*: « Ad omnia hujusmodi. Isaiæ XXIII, *Jubilate naves maris, quia vastata est fortitudo vestra*. Sed de hoc tertio modo distinguendi quem supra posuit *Glossa*, objicitur; quia quandoque perfecti cadunt; similiter et imperfecti. Item quæritur, quare fit talis distinctio, Tertia pars maris facta est ut sanguis, et in aliis dicitur, *Mortua est*, vel, Interiit? Respondeo. Ad primum dicendum quod illa distinctio de perfectis et imperfectis, intelligitur de eis qui finaliter in gratia decedunt. Ad aliud dici potest, quod tam minores quam majores, qui sunt tertia pars, facti sunt sanguis et similiter mortui sunt; quia tamen majores majori nequitia suffocati sunt quam minores, propter auctoritatem vel excellentiam in qua confidebant; et quia status altus, quandoque est occasio majoris perversitatis: ideo ipsi dicuntur mortui fuisse vel interiisse; Minores vero sanguis, propter peccatum persecutionis fidelium vel crudelitatem. Mors autem signat peccati sive crudelitatis exaggerationem. Expressius enim dicit mors quam sanguis, quantitatem vel nocumentum peccati. *Et tertius*. Hic agitur de cantu tertii Angeli, per quem cantum intelligitur prædicatio sanctorum in tertio statu Ecclesiæ; tempore scilicet hæreticorum, qui procurante diabolo, male exposuerunt et exponunt Scripturas. Et

sic quatuor. In prima ostenditur prædicatio sanctorum. In secunda nequitia capitis hæreticorum diaboli, *Et cecidit*. In tertia perversitas ipsorum membrorum, *Et facta est*. In quarta, deceptio auditorum, *Et multi*. Dicit igitur, *Et tertius Angelus*, idest ordo prædicatorum, qui scilicet in tertio statu Ecclesiæ prædicaverunt, scilicet tempore hæreticorum. Isti fuerunt non tantum Apostoli et discipuli, sed etiam alii multi, qui contra hæreses prædicaverunt. *Tuba cecinit*, idest Judæis et Gentibus prædicavit, docendo virtutem, confutando errores, ut beatus Augustinus, Hilarius, Hieronymus, Gregorius, Leo Papa, et alii multi, qui contra errores prædicabant, ut habetur in eorum sermonibus et libris. Dicitur autem tertius Angelus, et ordine narrationis, et etiam temporis. Nota *Glossam*, Et tertius etc. *Et cecidit*. Hic ostenditur nequitia diaboli. Primo quantum ad pœnam, quæ pœna declarat ejus propriam superbiam propter quam cecidit. Secundo quantum ad naturam, scilicet scientiam naturalem, *Stella magna*. Tertio quantum ad culpam, *Ardens etc*. Ubi primo ostenditur culpa ejus quantum ad malitiam invidiæ interius. Secundo quantum ad effectum malitiæ exterius, *Et cecidit*. Cujus maxime effectus ostenditur duplex : Unus est perversio intellectus, faciendo male intelligere Scripturam. Alius amaricatio affectus, *Et nomen*. Dicit igitur, *Et cecidit de cœlo*, ad litteram merito superbiæ. Lucæ x, *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*. *Stella*, idest diabolus, qui dicitur Stella per naturalem scientiam. Ezechiel. xxviii, *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et decore*. Non enim scientiam prorsus amisit. Unde Isidorus I libro *de Summo bono :* « Prævaricatores Angeli, etiam sanctitate amissa, non tamen amiserunt vivacem creaturæ Angelicæ sensum. » *Magna*, per scientiæ eminentiam, quia magnam valde scientiam habent, et naturalem, et acquisitam per experientiam tam antiqui temporis. Isidorus I libro *de Summo bono :* « Triplici modo scientiæ acumine vigent Angeli prævaricatores : idest subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione supernorum spirituum. » Vel, Magna per potentiam. Job. xli, *Non est potestas super terram etc*. His autem donis Dei abutitur diabolus, impugnando datorem per superbiam et nequitiam. *Ardens*, flamma invidiæ et malitiæ contra hominem, *Tamquam facula*, quia ardet interius ad modum faculæ per invidiam desiderans incendere homines ; et incendendo affectu vel effectu alios, seipsum igne malitiæ consumit et urit, sicut facula cum incenditur consumitur. Job. xl, *De ore ejus procedunt lampades sicut thedæ ignis accensæ*. Idem est thedæ quod facula hic. *Et cecidit*, idest immisit se motus dolore invidiæ, dum vidit virtutem catholicam prædicari, *In tertiam partem fluminum*, idest parvam expositionem, *Et in fontes aquarum*, idest in Evangelicam et Apostolicam et Propheticam doctrinam, quæ est origo totius salutaris doctrinæ. Per fontes enim, secundum *Glossam*, intelliguntur quatuor Evangelia, quæ sunt quasi fons et origo doctrinæ, fidei et morum. Per fontes etiam potest intelligi lex vetus : et dicuntur Fontes aquarum idest doctrinam, quibus anima rigatur ad fructificandum, et mundatur ac reficitur. In hos fontes aquarum cadit, idest se immittit diabolus dum ad hoc vigilat ut sacra verba faciat male intelligi. Unde de hæreticis quos pervertit diabolus dicitur II Petri iii, *Sunt quædam difficilia intellectu quæ indocti et instabiles depravant etc*. Per Flumina vero, ex fontibus emanantia, intelliguntur Scripturarum expositiones, quæ ex eis trahuntur, sicut flumina a fontibus. Harum expositionum sunt tres partes sive tres modi : videlicet expositio literalis et spiritualis et utraque recta : tertio est expositio perversa. Vel unus modus est secundum principia fidei. Alius secundum principia morum. Tertius secundum placita excæcatæ rationis. In hanc tertiam partem immittit se diabolus, ut scilicet eam hæreticis suggerat et teneri irrevocabiliter faciat, et suadeat alii seminari. Recte autem prius loquitur de expositionibus quam de Scripturis ; quia diabolus per pravitatem expositionum procedit ad perversionem Scripturarum. Item dicit, In fontes, propter multiplicitatem in diver-

de libris et partibus suis. Non autem dicit, in tertiam partem fontium, quia in sacra Scriptura nihil est nisi rectum; dicit autem in tertiam partem fluminum; quia quædam sunt expositiones bonæ, quædam malæ. Vel, *Fluminum*, idest prædicatorum, qui aliis debeant sive propinant aquam doctrinæ, quæ per aquam fluminis intelligitur. Ratione emanationis, irrigationis et refectionis horum fluminum est triplex pars. Quidam prædicant nitendo bonum gratiæ; quidam adhærendo alterum doctrinæ, ut qui per se non sufficiunt, sed aliorum dicta accipiunt. Tertii acquiescendo conceptæ phantasiæ, scilicet erroneæ sententiæ. Et in fontes, idest Scripturas sacras, ut prius. Sed ad quid agitur hic de casu diaboli? Respondeo. Recte de eo hic agitur, licet in principio mundi contigerit, ut ostendatur nequitia diaboli, quæ per pœnam patet; quia propter superbiam de cœlo cecidit, et illam nequitiam accumulat, dum adhuc ad hominum damnationem laborat. Aliter potest intelligi ab illo loco *Et cecidit etc.* Stella, idest cœtus hæreticorum, sive hæreticus, qui multum videtur sapiens, ut hæresiarcha, qui dicitur Stella, quia videtur habere lucem sapientiæ et doctrinæ, docet autem mala, de die non audet; quia ut dicitur Proverb. IX, *Aquæ furtivæ dulciores sunt*; vel si de die, in latibulis. Job XXXVII, *Ingredietur bestia latibulum suum*. Stella enim nocte lucet. Magna, propter magnam sapientiæ apparentiam. Vel Magna, propter magnam superbiam. Jeremiæ XLVIII, *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde*. Moab interpretatur ex patre. Hæretici autem sunt ex patre diabolo. Ardens, igne invidiæ sive iracundiæ, contra Ecclesiam; non tamen sicut stella, sed sicut facula; quia illud quod incendit, sive se, sive alios, in carbonem deformem redigit. *Cecidit de cœlo*, idest de Ecclesia, quæ in alto est per fidem et amorem. *Et cecidit in tertiam partem fluminum*, expone ut supra, idest in hæreticas expositiones, quas ex Scripturis trahunt, et flumina ex fontibus sunt, et ad alios fluere faciunt; quas magis ac magis adinvenerunt, et inventas muniunt, licet falso, et falso munitis utuntur contra fideles. *Et in fontes aquarum*, idest sacras Scripturas, ex quibus manant aquæ doctrinarum reficientium, quas per expositiones pravas pervertunt. Isidorus I libro *de Summo bono*: « In divinarum Scripturarum obscuritate caligantes hæretici, aliud quam res habet intelligunt. » *Et nomen stellæ*, scilicet diaboli, *Dicitur absynthium*, idest amaritudo, quia potum amarum ministrat hæreticis, dum eis pravas expositiones suggerit. Ministrat etiam per eos aliis. Sicut enim absynthium est herba amarissima: sic diabolus in eis amaritudinem qui male sapiunt, facit, quia anima eorum amaricatur per errorem, et tandem per damnationem. Vel, *Nomen Stellæ*, scilicet hæretici apparenter sapientes, dicitur absynthium; quia alios in amaritudinem erroris mittit. Proverb. V, *Favus distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus, amara quasi absynthium*. Hæc meretrix est doctrina hæreticorum. *Et facta*. Hic ostenditur perversitas hæreticorum, quia scilicet amaritudinem propinant aliis suggerente diabolo per expositiones pravas, et propter casum stellæ, idest diaboli, sive hæretici, in tertiam partem fluminum. *Facta est tertia pars aquæ*, idest expositionum, quibus potus ministratur animæ, sive bonus sive malus secundum quod est expositio bona vel mala; sicut aqua datur in potum: sive documenta Scripturarum secundum expositionem fiunt amaricativa. *In absynthium*: quasi dicat: tertius sensus est, qui est hæreticorum; talis factus est per astutiam eorum, ut sit amaritudine erroris intoxicatus: student enim ad pravas expositiones inveniendas, persuadendas et continuandas, licet falso: per quas generatur amaritudo erroris in auditoribus quando consentiunt. Isidorus in eodem: « Hæretici ingenti studio mendacia sua discunt. » Threnorum III, *Inebriavit me absynthio*, verbum est Ecclesiæ. *Et multi*. Hic ostenditur deceptio auditorum; unde propter injuriam in Deum, cujus Scripturam pervertunt; et propter offensam in proximum, quem potu erroris perimunt, patet damnationem deberi hæreticis. Dicit igitur, *Multi homines*. Doctrinæ hæreticorum acquies-

centes, *Mortui sunt*, in anima per errorem, unde et meruerunt æternam mortem, *De aquis*, scilicet de doctrinis Scripturarum male intellectis, et male expositis. Unde sequitur, *Quia amaræ factæ sunt*: dum enim male per hæreticos exponuntur documenta Scripturæ, redundant per erroris amaritudinem, auditoribus in mortem: quæ bene intellecta per virtutis dulcedinem vitam gratiæ darent et gloriæ. Isaiæ xxiv, *Amara erit potio bibentibus illam*. Sed quare Dominus permittit hæreticos esse, et impugnantes Ecclesiam, cum tantum malum inde sequatur? Respondeo. Triplex ratio reddi potest. Una est propter conditionem libertatis ex parte liberi arbitrii eorum qui Deo conservatori non adhærent, sed ab eo recedunt, permittit agere et moveri secundum quod volunt. Unde dicit Augustinus vii *de civitate Dei*: « Sic administrat Deus omnia quæ creavit, ut ipsa proprios agere motus sinat. » Secunda est propter meritum iniquitatis, tum ex parte hæreticorum, tum ex parte eorum qui per eos seducuntur; quia propter peccata præcedentia, et contemptum divinorum mandatorum, permittuntur illi cadere in errorem per se: et isti per eos seduci. Unde de his qui per se errant, dicit Gregorius: « Sæpe cum negligunt bene vivere, etiam usque ad perfidiam dilabuntur, nullo persequente. » Item dicit Anselmus in principio libri de *Incarnatione Verbi*: « De aliis vero qui per hæreticos decipiuntur procurante diabolo, habetur per Gregorium dicentem: Multos autem meritis exigentibus, hostis ferire permittitur: ut cum Deum deserant, hosti damnato famulentur. » Hoc autem est ex ira divinæ justitiæ quæ permittit utrosque ire in viam suam. Apoc. ultimo: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*. Ista tamen ratio non semper nec in omnibus habet locum, sed aliquando et in aliquibus. Tertia ratio est, propter inquisitionem veritatis ex parte catholicorum; ut scilicet doctores Ecclesiæ diligentius veritatem inquirant, ad eamdem defendendam et perfidiam confutandam. Unde dicit Augustinus, et habetur in *Glossa super* illud I Corinth. xi, *Oportet hæreses esse*: Ut qui probati sunt etc. Ab adversario mota quæstio discendi existit occasio. Multa quippe ad fidem pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et prædicantur instantius. Ad objectum dicendum, quod licet ex hoc multa mala proveniant, conveniens tamen est a Deo permitti, ut sint hæretici propter prædicta: quia si Deo homines amore stabili inhærerent, eos Dominus teneret, ne caderent in errorem per se, nec per alios deciperentur. Unde patet quod eorum culpa est, cum labuntur per se, vel per alios. Unde de adhærentibus Deo dictum est supra ubi agitur de hæreticis, bilibris tritici. Item de omnibus malis Dominus bonum aliquid elicit, licet multi propter illa damnentur. *Et quartus*. Hic agitur de cantu quarti Angeli, per quem signatur prædicatio sanctorum in quarto statu Ecclesiæ, scilicet in tempore falsorum fratrum; ad quam prædicationem secuta est damnatio eorumdem falsorum fratrum. Primo ergo tangitur doctrina prædicatorum. *Et quartus Angelus*, idest quartus ordo prædicatorum: et dicitur quartus ordo ratione quarti status Ecclesiæ. Nota *Glossam*. Quartus ordine. *Tuba cecinit*, id est prædicavit tempore falsorum fratrum contra ipsos falsos fratres et hypocritas. Secundo ostenditur condemnatio falsorum fratrum. *Et tertia*. Et horum quidam fuerunt in magno statu, quidam in minori; quidam illuminantes alios, quidam illuminati. Unde primo ostenditur damnatio quantum ad illuminantes. Secundo quantum ad illuminatos *Et diei*. Illuminantes autem, aut illuminant excellenter, hi signantur per solem; aut mediocriter, illi per lunam; aut tenuiter, isti per stellas. Item illuminati, aut illuminantur a majoribus doctoribus, isti per diem; aut a minoribus, isti per noctem. Dicit igitur, *Et percussa est*, quasi dicat: ita sancti prædicaverunt: et procurante diabolo, et impediente fructum doctrinæ, *Tertia pars solis*, idest majorum, qui erant in statu, in quo illuminabant vel illuminare debebant, verbo et exemplo, alios excellenter, sicut sol, ut majores prælati et prædicatores,

Percussa est, obscuritate : quasi dicat : excæcata est per omnem subtractionem, et per hoc obligata ad damnationem ; quia cum contra falsos fratres prædicaretur, dæmon diabolus concitavit et pervertit amplius corda hominum, vel ipsos fratres falsos reddendo pejores et magis cæcos, tam de majoribus, quam de minoribus, ut infra sequitur. Vel eos qui prius boni erant, tam de majori statu, quam de minori, excæcando, et in statum falsitatis inducendo : utroque enim modo potest intelligi. Tertia pars dicitur ratione reproborum : isti enim excæcantur. Aliæ duæ partes sunt perfecti et imperfecti, justi veritatis et unitatis amatores. Isti non percutiuntur finaliter. Inter prælatos enim et prædicatores dignitate vel scientia et doctrina majores, sunt perfecti et imperfecti electi. Item reprobi. Sed quid est quod dicit *Glossa* : « Excæcata subtractione gratiæ ? » Non enim videtur decens quod Deus qui est summe pius, gratiam subtrahat. Respondeo : dicendum quod Deus dicitur subtrahere gratiam non proprie et positive, sed large et negative. Non enim ipse aufert ; sed dicitur eam subtrahere, quando non conservat, vel quia ab ea elongari permittit. *Et tertia pars lunæ*, idest mediocritas pastorum et prædicatorum alios mediocriter illuminantium, vel existentium in statu pastoris, vel prædicatoris, in quo debent illuminare cæteros. Philipp. II, *Inter quos lucetis sicut luminaria etc.* Supple, *Percussa est*. Duæ partes lunæ sunt perfecti et imperfecti justi, de numero eorum qui sunt mediocres secundum statum pastoris vel prædicatoris. Mediocres dico officio vel dignitate, licet quidam sunt perfecti merito, quando sunt in statu gratiæ. Tertia pars lunæ est, omnes reprobi, qui sunt in hoc statu in mediocribus ; et isti sunt percussi, ut prius. *Et tertia pars stellarum*, idest reprobi inter eos qui alios illuminabant, vel statum habebant alios illuminandi, licet tenuiter et minus quam prædicti, ut stellæ minus illuminant quam luna vel quam sol diem : sic qui sunt in inferiori gradu prælationis, vel qui habent parvam doctrinam prædicationis. Supple, *Percussa est*, ut supra. Talium, secundum quod sunt aliquando in statu gratiæ, sunt quidam perfecti in vita, ut quidam rectores Ecclesiarum vel prædicatores pollentes magna doctrina : quidam imperfecti : alii reprobi. *Ita*, percussa est obscuritate. *Ut obscuraretur*, Defectu luminis cognitionis et operationis. *Tertia pars eorum*, scilicet omnium prædicatorum, id est ita ut reprobi obtenebrarentur per defectum luminis spiritualis, aliis in sua claritate manentibus. Joelis III, *Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum*. Deinde ostenditur damnatio quantum ad prius illuminatos, vel qui illuminari debebant per alios, *Et diei* : quia ita percussa est tertia pars prædictorum, ut obscuraretur, *Et ita ut non luceret*, in se, sed obscura esset propter defectum luminis fidei et operationis, cujusmodi lumen deficit in falsis fratribus. *Pars tertia diei*, id est eorum qui illuminabantur aliquando a majoribus prælatis et prædicatoribus. Dies dicitur hic respectu solis, scilicet illi qui a majoribus illuminati sunt aliquando, ut dicit *Glossa* ut sunt laici et clerici quidam, qui habent altiores pastores, et meliores prædicatores. Horum sunt tres partes : scilicet perfecti pro tempore gratiæ, etsi aliquando in alio statu fuerint. Item imperfecti. Item reprobi : hæc est tertia pars quæ obscurata fuit aliquando per falsitatem et hypocrisim, ut est in falsis fratribus, et adhuc fit : quantum ad tales potest illud accipi. Job III, *Dies illa vertatur in tenebras*. *Et noctis*, similiter supple, Tertia pars non luceret : idest reprobi inter eos qui a minoribus pastoribus et prædicatoribus aliquatenus illuminantur. Nox enim dicitur respectu lunæ stellarum, scilicet illi qui a minoribus prælatis et doctoribus reguntur et ab eis lumen recipiunt, licet non magnum, ut nox non magnum lumen recipit a luna et stellis. Inter tales quidam sunt qui secundum modum illius status perfecti sunt ex doctrina interiori ; quidam imperfecti, alii reprobi. Isti sunt tertia pars quæ perdit fulgorem. De talibus potest intelligi illud Job III, *Noctem illam tenebrosus turbo possideat*. In his ultimis aliter potest accipi triplex pars.

Quidam videntur boni, et sunt : quidam qui videntur et non sunt, et hi sunt tertia pars quæ obscurantur, licet aliquando in bono statu fuerunt; vel si prius in malo, magis elongantur a lumine. Horum omnium præmissorum, quidam permanserunt in lumine, qui sub duabus partibus intelliguntur. Alii vero sunt obscurati diabolo machinante, amissa cognitione fidei, et rectitudine operationis. Quod dupliciter potest intelligi, ut dictum est supra : vel quia cum prius essent veri et boni fratres, facti sunt falsi fratres, sicut et quidam alii prius erant : quia diabolus impediens fructum prædicationis induxit eos per astutas et improbas tentationes in hunc statum : vel quia cum prius essent falsi, facti sunt diabolo fortius instigante falsiores, fidem abjicientes, et fidelibus dolose insidiantes et fidem veram simulantes. *Et vidi.* Habito de cantu quatuor Angelorum, qui pertinet ad statum Ecclesiæ initialem vel medium, agit hic de cantu trium Angelorum sequentium, qui pertinet ad statum Ecclesiæ finalem seu ultimum. Primo autem ostenditur quoddam præambulum. Secundo agitur de ipso cantu aliorum in cap. sequenti : *Et quintus Angelus.* Præambulum autem illud, est *clamor aquilæ volantis per medium cœlum et dicentis fortiter*, *Væ væ væ habitantibus in terra.* Per hanc aquilam signatur cœtus prædicatorum venturas miserias denunciantium. Primo autem ponitur descriptio prædicatorum miserias denunciantium. Secundo ipsa denunciatio miseriarum. *Væ væ etc.* Cœtus autem prædicatorum describitur multipliciter. Primo, quantum ad doctrinæ uniformitatem. Secundo, quantum ad intelligentiæ subtilitatem *Aquilæ.* Tertio quantum ad zeli sedulitatem *Volantis.* Quarto, quantum ad informationis communitatem *Per medium cœli.* Quinto quantum ad constantiæ magnanimitatem *Dicentis voce magna.* Dicit igitur, *Et vidi :* quasi dicat : Ita vidi præmissa, et post illa quæ prius videram, vidi ea quæ sequuntur, visu interno, et in illa visione *Audivi*, auditu interiori *Vocem etc.*, et sic quod dicitur, vidi, commune est ad auditum, et ea quæ post dicuntur. Vel visio refertur ad aquilam, auditus ad vocem aquilæ. *Vocem unius aquilæ.* Nota quod sic vidit in visione, scilicet quod quædam aquila volabat per medium cœli et voce magna dicebat, *Væ væ væ habitantibus in terra :* et hoc dicebat juxta ea quæ erant dicturi tres Angeli sequentes. Per illam autem aquilam, ut dicit Glossa, signantur prædicatores, qui futura mala quandoque præostendunt, secundum quod per scripturam vel aliter percipiunt, et sic Ecclesiam præmuniunt. Hoc est quod dicitur, *Vocem*, per quam intelligitur prædicatio sanctorum prædicatorum, qui sua voce alios excitant. Canticorum II, *Vox tua dulcis. Unius.* Omnes prædicatores dicuntur una aquila, propter uniformitatem doctrinæ, quia omnes docent catholicam veritatem. Vel unius, quia omnes tendunt ad unum, quia sancti prædicatores intendunt honorem Dei et salutem proximi. Unde Augustinus *in Enchiridio :* « Tunc recte fiunt quæ mandat Deus et quæ consilio monet, cum referuntur ad dilectionem Dei et proximi. » *Aquilæ.* Prædicator dicitur aquila propter sublimitatem intelligentiæ, sive perspicacitatem, quia aquila visum multum acutum habet; sic prædicator debet habere acumen intelligentiæ in divinis. Job XXXIX, *Et de longe oculi ejus prospiciunt. Volantis,* idest huc et illuc discurrentis. Prov. VI, *Discurre festina etc.* Ideo dicitur Scriptura volumen, Zachar. V, *Et ecce volumen volans.* In hoc ostenditur diligentia et zelus sanctorum prædicatorum in discurrendo et laborando pro animabus. *Per medium cœli*, idest per medium Ecclesiæ; quæ est cœlum quia alta per vitæ eminentiam, celans in se divina secreta per prudentiam. Per hoc notatur communitas doctrinæ, quia medium est nota communitatis; quia bonis et malis, parvis et magnis prædicandum est, paucis etiam et multis. Eccles. XV, *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus.* Hoc est contra eos qui non nisi in locis famosis prædicare dignantur, cum tamen Dominus uni mulierculæ doctrinam dederit, Joan. IV. Vel volantis, idest per intellectum elevatum velociter transeuntis. Per medium cœli, idest per medium Scripturæ, non declinando, scilicet ad dexteram per scruti-

suam majestatis. Proverb. xxv, *Qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Nec ad extremum per solam explanetur sensus litteralis, quia non omnia sunt ad litteram accipienda, ut patet Judic. ix, *Abierunt ligna ut ungerent super se regem* etc. Media intelligamus illa. *Dicentis voce magna.* Glossa, magna stabilitate. Ille enim loquitur magna voce cujus vox fulcitur magna constantia mentis ad sustinendum quodlibet adversum. Act. xxi, *Ego enim non solum alligari* etc. Vel voce magna, Glossa, quia in toto mundo. Psalm. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Vel voce magna per operationem vocis adjunctam: unde multi prædicatores habent vocem parvam, quia non habent in opere efficaciam. Nota quod est dicere sine voce ut in cogitatione sine intellectu, Matth. ix, *Dicebat intra se, Si tetigero tantum vestimenta ejus, salva ero.* Et est dicere voce, sed parva, Matth. xxiii, *Dicunt enim et non faciunt.* Item est dicere voce magna, cum vox penitus simul ex opere adjuncto: et sic accipitur quod hic dicitur Gregorius: « Necesse est ut quod docendo loquitur, hoc vigilanter operetur. » *Væ, væ, væ,* idest triplex miseria erit. *Habitantibus in terra,* idest inhiantibus in terrenis per affectum, non viris justis. Væ, scilicet, quantum ad carentiam divinæ visionis. Væ quantum ad pœnam vermis rodentis, scilicet conscientiam. Væ quantum ad supplicium ignis vorantis. Vel væ superbis, væ voluptuosis, væ cupidis. Propter hoc triplex væ dicitur Zachar. ii, *O, o, o, fugite de terra Babylonis.* Joelis. i, *A, a, a, diei, quia prope est dies Domini.* Vel triplex væ ponitur propter triplicem miseriam quæ accidet temporibus sequentium prædicatorum qui inferius distinctius ostenduntur cum agitur de cantu trium Angelorum. Unde infra ix, postquam dictum est de quinto Angelo, *Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ;* inde sequitur, *De cætero etc.* Glossa. « Accipiens hæc tria væ, hoc est, hæc tria væ quæ prædixit aquila, referuntur ad tres damnationes a vocibus trium Angelorum denuntiandas, de quibus infra loquetur. » Per hoc potest intelligi, quod prædicatores præcedentes, præostendunt hominibus, quasi in generali, miserias sive pœnas quæ a prædicatoribus sequentibus sunt annuntiandæ expressius et in speciali. Per hoc autem quod dicitur, dicentis: *Væ væ væ,* patet quod verba hujus libri sunt secundum sensum mysticum accipienda: quia aquila materialis loqui non potest. Licet ergo in visione sic viderit, tamen propter aliud mysticum sic vidit ut vult *Glossa.* Quidam dicunt quod hic est titulus eorum quæ sequuntur: sed melius videtur sic. Sed quare potius apponitur prænuntiatio ante cantum trium Angelorum, quam ante cantum quatuor præcedentium? Respondeo: potest dici quod ideo, quia mala futura in novissimis graviora erunt; et ideo prædicatores illa potius prænuntiant, antequam accidant; quod signatur per aquilam prænuntiantem ea quæ postea contingent. Nota quod prædicator debet esse aquila per vitæ innovationem. Aquila enim renovatur excutiendo rostrum ad petram: sic prædicator excutiendo onus vanitatis ad considerationem Christi. II Corinth. iv, *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur etc.* Per acutam cognitionem. Aquila enim habet visum acutum et videt solem in rota; sic prædicator in his quæ sunt Dei. Job xxxix, *Et de longe oculi ejus prospiciunt.* Per sublimem contemplationem, quia aquila volat in altum et moratur in altum. Job xxxix, *In arduis ponet nidum suum, in petris manet, in præruptis silicibus commoratur atque inaccessis rupibus.* Per sedulam piscationem, ut piscetur per prædicationem voluptuosos, sicut aquila pisces inquirit piscando, Matth. iv, *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Illos autem pisces debet comedere, idest corpori Ecclesiæ incorporare. Per cautam expugnationem, ut vincat diabolum. Aquila enim pugnat cum cervis, ut dicit Plinius: « Nam insidens cornibus pulverem excutit in oculos, pennis ora contundens. » I Corinth. ix, *Sic pugno non quasi aerem verberans.* Per sacram intentionem. Aquila enim ponit gemmam in nido: sic prædicator spem et desiderium gloriæ in animo ut eam intendat non ad vanum. Prov. xvii, *Gemma gratissima expectatio præstolantis.* Vel gem

ma in nido, correctio in secreto, cum erit opportunum humiliter corrigat. Prov. xxv, *Inauris aurea et margarita fulgens etc.* Per finis considerationem. Aquila enim respicit ungues, sic prædicator finem : Eccles. vii, *Memorare novissima etc.* Hieronymus. « Facile contemnit omnia qui se cogitat semper moriturum. »

CAPUT IX

Et quintus Angelus etc. Habito quodam præambulo ad cantum trium Angelorum; hic agitur de cantu ipsorum. Dividitur autem pars ista in tres, secundum triplicem cantum trium Angelorum. In prima agitur de præcursoribus Antichristi. In secunda de Antichristo et ministris suis, infra eodem, *Et sextus.* In tertia de judicio et fine mundi, ante finem xi capitis. *Et septimus.* In prima parte ponitur determinatio propositi principalis. Secundo subditur conclusio hujus partis, *Væ unum.* Circa primum Primo ostenditur sanctorum prædicatio. Secundo damnatio præparantium viam Antichristo. *Et vidi.* Dicit agitur, *Et quintus*, quia ita cecinerunt quatuor Angeli, et post eorum cantum, *Quintus Angelus*, idest quintus ordo prædicatorum, qui scilicet erunt in quinto statu Ecclesiæ, scilicet tempore præcursorum Antichristi. Dicitur autem quintus ordine narrationis et rei. Nota *Glossam. Tuba cecinit*, idest prædicavit contra eos qui viam Antichristo venturo præparabunt, quorum damnatio hic ostenditur. *Et vidi.* Hic ostenditur damnatio præcursorum Antichristi, per hoc quod ostenditur causa damnationis eorum, scilicet ipsorum nequitia multiplex et magna quæ eos in damnatione immerget. Quoniam autem diabolus caput omnis malitiæ ex sua nequitia perversos excitat et perversiores facit; ideo agitur de malitia ipsius diaboli. Primo ergo agitur de nequitia diaboli. Secundo de nequitia præcursorum Antichristi *Et data est illis potestas.* Quia vero diabolus, ex hoc quod se videt de cœlo dejectum, motus invidia, studet ad dejectionem hominum, quod non potest nisi ex divino permissu : nec ejus studium caret effectu in quibusdam : Ideo primo agitur de ejus lapsu. Secundo de potestatis permissu, *Et data.* Tertio de permissæ potestatis usu. *Et aperuit.* Quarto de potestatis et usus effectu. *Et ascendit fumus.* Dicit igitur : *Et vidi*, cum vidissem Angelum canentem. *Stellam de cœlo cecidisse :* sic vidit in visione. Per hoc signatus est casus diaboli sive Luciferi, qui dicitur stella ratione naturæ pulcherrimæ in qua conditus est, quæ tamen natura per peccatum est obfuscata. Dicitur etiam stella principaliter ratione scientiæ sive notitiæ quæ magna est in eo; non autem eam prorsus perdidit : sed tamen non habet tantam claritatem scientiæ ut ante lapsum : qui in illo primordio mundi cecidit de cœlo propter superbiam. Isa. xiv : *Quomodo cecidisti Lucifer qui mane oriebaris? Cecidit in terram*, idest in inferiora hæc, quia in hoc aere inferiori est juxta terram, sicut in carcere, aut in inferno, qui est infra terram. Vel *in terram*, idest in animam, terrenorum amore terrenam; talibus enim dominatur, Genes. iii : *Terram comedes etc.* Sed ad quid hic agitur de casu diaboli, cum in principio mundi acciderit? Respondeo. Dicendum videtur quod ideo, quia casus suus excitat in eo invidiam et malitiam ad tentandum homines, ne scilicet possent illuc ascendere, unde ipse irrevocabiliter cecidit. Unde *Glossa*, Diabolum videt. *Et data est illi clavis*, idest potestas, *Putei abyssi*, idest potestas tentandi de profunditate iniquitatis, contra fidem et mores. Puteus profundus est, unde signat profunditatem. *Abyssus*, cum profunditate habet obscuritatem, unde dicitur ab A, quod est sine, et bysso, idest candore, quasi sine candore : unde abyssus signat iniquitatem, obscuritatem, per peccatum infidelitatis et vitiorum quæ sunt contra mores. Data est igitur diabolo clavis putei abyssi, idest permissa est illi potestas tentandi de profunditate iniquitatis involventis et obscurantis animam ac sepelientis : infra xvi : *Bestia ascensura est de abysso.* Potestas autem diaboli ad tentandum, dicitur clavis, quia aperit in-

gressum ad cœlum, et per hoc claudit ad Dominum: aperit ingressum ad gehennam et claudit ad gloriam. Vel clavis dicitur potestas dominandi super eos qui sunt putei abyssi, idest qui sunt in profunditate peccatorum obtenebrantium et alios in ipsa profunditate immergunt et absorbent. Tales sunt maxime hæretici, ut dicit *Glossa*, quia talibus permittitur dominari, maxime in ultimis temporibus. De hujusmodi abysso mystice dicitur Genes. i: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*. Sed quomodo dicitur post casum data ei potestas tentandi, cum ab initio suæ creationis eam habuerit? Potestas enim male agendi vel bene est ipsum liberum arbitrium. Respondeo: de potestate tentandi est loqui dupliciter. Aut quantum ad primam potentiam tentandi quæ est liberum arbitrium, et sic potestas tentandi fuit data omnibus Angelis in ipsa creatione, scilicet liberum arbitrium. Aut quantum ad usum potentiæ, et sic quantum ad usum malum dicitur esse ei data potestas, idest permissa post lapsum: tunc enim potestatem prius sibi datam ab bonum, convertit ad malum usum, quod non potuit nisi permissus. Et sic loquitur hic, scilicet quantum ad usum. De hoc magis dictum est supra v: *Et aperuit puteum abyssi*, idest profunditatem tenebrosæ nequitiæ hæreticorum fecit manifestam, quia hæreses prius latentes fecit proferri ad decipiendum alios, vel ipsos hæreticos qui sunt puteus abyssi fecit prodire ad decipiendum. Iste puteus plenus est aquis mortis et mortem ministrantibus, sed Ecclesia est puteus aquis vivis redundans. Cant. iv: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium. Et ascendit.* Hic ostenditur effectus qui tangitur triplex. Primus est emanatio erroneorum documentorum. Secundus est excæcatio multorum catholicorum, *Et obscuratus*. Tertius est multiplicatio nefandorum hæreticorum. *Et de fumo.* Dicit igitur: *Et ascendit*, idest surrexit per eminentiam superbiæ quæ prius in corde quasi latebat, vel per profectum in malo. *Fumus*, idest doctrina prava, in se obscura et alios excæcans quasi fumus, Job. xli: *De naribus ejus procedit fumus etc.* Sicut fumus. *Fornacis magnæ*, idest sicut doctrina Antichristi, quæ est sicut fumus obtenebrans se huc et illuc, quia diffundens. Fornax magna dicitur Antichristus, quia consumet malos et purgabit bonos. Hic est fornax Nabuchodonosor, quæ quosdam consumpsit, tres autem pueros non læsit, Daniel. iii: Magna autem recte dicitur, quia per ejus doctrinam et persecutionem magna fit consumptio reproborum et probatio electorum. Posset etiam intelligi et fieri comparatio ad fumum fornacis magnæ de qua magnus fumus procedit, sic de hæreticorum doctrina, multum excæcans et se diffundens. Sed quomodo dicitur: Sicut fumus fornacis magnæ, secundum primum modum cum Antichristus alios excedat in malitia? Repondeo. Non notatur æqualitas, sed magna similitudo, sicut dicitur Matth. v: *Estote perfecti sicut etc. Et obscuratus est sol*, idest quidam qui prius alios illuminabant, sunt obscurati per fumum, idest tenebras illius doctrinæ hæreticorum, *Et aer*, idest quidam qui prius per alios illuminabantur. Sol enim illuminat, aer illuminatur. *De fumo putei*, idest de obscura et excæcativa doctrina hæreticorum, qui sunt puteus per profunditatem errorum demersi, et demergentes. Dicitur autem, *Obscuratus*; quia non omnino homines obtenebrantur, quin aliquid videant, licet ad insipientiam sibi; quia lumen dextri oculi perdunt non sinistri: quia non amittunt calliditatem et astutiam mundi. I Regum. xi: *In hoc feriam vobiscum fœdus, ut omnium etc. Et de fumo putei*, idest de obscura doctrina hæreticorum profundorum in erroribus, *exierunt*, idest exibunt, hoc est prædicabunt, *locustæ*, idest alii hæretici pseudoprædicatores discipuli præcedentium hæreticorum, parantes cum eis viam antichristo. Matth. xxiv: *Surgent pseudochristi etc.* quia nec volant per contemplationem, vel salubrem cogitationem; et non stant in uno loco propter instabilitatem, et in pejus recidunt per pejorem errorem; quia de malo cadunt in pejus. Item non diu volabunt, sed cito corruent, quia eorum doctrina per prædicationem Enoch et Eliæ destruetur. Exod. vii: *Virga Moysi devoravit virgas magorum.* Item quia bonos et bona alio-

rum spiritualia corrodent detrahendo et impediendo. De his Exod. x : *Mane facto ventus urens levavit locustas. In terram*, idest in orbem terrarum. Vel, in terram, idest in eos qui terram amant, ut talpa, quia talibus nocebit doctrina hæreticorum : unde de locustis dicitur Exod. x : *Ascenderunt super universum terram Ægypti. Et data est.* Hic agitur de nequitia præcursorum Antichristi, de quibus jam aliqua tetigit. Nota tamen quod præmissa possunt aliter accipi sic. Vidi stellam, idest cœtum hæreticorum, qui prius erant vel videbantur lucentes doctrina vel vita, vel utroque. De cœlo, idest de Ecclesia, quæ cœlum est per fidei et vitæ sublimitatem. Cecidit, per errorem, in terram idest in terrenorum amorem, ut est rerum copia, honorum et carnis voluptas : supra VIII : *Et cecidit de cœlo stella etc. Et data est illi*, idest permissa est, *Clavis*, idest potestas, *Putei abyssi*, idest doctrinæ quæ demergit in profundum peccatorum animam obtenebrantium ad modum abyssi : vel in profundum inferni. Utroque modo doctrina hæreticorum recte dicitur puteus abyssi. Et aperuit puteum abyssi, idest manifestavit doctrinam suam, quæ est puteus; quia in profundum demergit, et est puteus abyssi quia demergit in caliginem peccati vel inferni. Prædicant enim hæretici aliis suos errores. Et ascendit, idest inde surrexit, idest surget, Fumus, idest obscuritas erroris sicut fumus. Ad litteram ponitur similitudo, vel sicut obscuritas doctrinæ errorum Antichristi magna erit. *Et obscuratus est sol*, idest illuminans doctrina veritatis, et per hoc multi homines fideles pervertuntur : unde sequitur, *Et aer*, idest Ecclesia quantum ad quædam membra. Comparatur autem aeri : quia illuminatur per sacram Scripturam sicut aer per solem. Item sicut aer est inter cœlum et terram, et sic Ecclesia mente est in cœlo, corpore in terram. *Et de fumo*, idest de fumoso et obscurante ac excæcante errore doctrinæ. *Exierunt locustæ*, idest alii hæretici procreati sunt etc., ut supra, quia hæretici student ad hæreticorum multiplicationem. Job. VIII : *Hæc est enim lætitia viæ ejus etc. Et data est.* Hic agitur de nequitia hæreticorum præcursorum Antichristi. Et sequitur recte post præmissa, secundum duplicem modum exponendi; et quia non possunt nocere nisi permissi; quorum tamen est maxima malitiam, et juvantur in malum a suo capite, scilicet diabolo. Ideo primo ostenditur permissio divina. Secundo eorumdem malitia. *Et similitudines locustarum.* Tertio persecutionis mora. *Et potestas earum.* Quarto, capitis potentia, *Et habebant super se.* Circa primum primo ostenditur dispensatio permissionis. Secundo restrictio potestatis, *Et præceptum.* Tertio gravitas adversitatis, *Et cruciatus.* Dicit igitur, *Data est illis,* scilicet hæreticis per alios hæreticos ex prava doctrina generatis, præparantes viam Antichristo, quos jam locustas vocavit. Et hoc extendit se usque ad principes quosdam qui erunt membra Antichristi, etiam antequam veniat. Data est inquam, idest permissa quantum ad usum malum. Joan. XIX : *Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi datum esset. Sicut habent scorpiones terræ*, qui habitant in terra. Scorpio habet blandam et mitem faciem, ita ut facile habeas animum tangendi; sed cauda latenter pungit acerrime appropinquantes : sicut hæretici mollibus verbis et signis alliciunt; sed latenter inficiunt et interficiunt erroribus, et etiam quandoque morte corporali. Ezech. II : *Subversores sunt tecum, et cum scorpionibus ambulas.* Item quando scorpio tangit non sentitur, sed post quando diffunditur venenum; sic etiam de doctrina hæreticorum. Osæ VII : *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit, Terræ*, quia in terrenis habitat per affectionem. *Et præceptum.* Hic ostenditur restrictio potestatis. Et primo ostenditur restrictio quantum ad personas, quibus scilicet nocere vellent hæretici. Secundo quantum ad effectum in ipsas. *Et dictum est.* Quantum autem ad personas fit restrictio : quia electis non permittuntur nocere finaliter lædendo, sed reprobis. Primo ergo fit restrictio, quantum ad electos. Secundo permissio quantum ad reprobos, *Nisi tantum.* Electos autem tangit, quantum ad statum incipientium, proficientium, et perfectorum. Dicit igitur, *Et præceptum*, quia ita permissum est ut

nocerent, sed tamen persuasione non larga. Unde dicitur, *Et præceptum est illis*, idest divina cohibitione refrenati sunt. *Glossa* : Dolos istorum refrenat Deus etc. « *Ne læderent*, interficiendo spiritualiter, per doctrinam et exemplum. Non dicit, *Ne percuterent*. Justi enim licet corpore flagellentur, tamen Dominus custodit eos, quantum ad animas. Psalm. : *Custodit Dominus omnes diligentes se*. *Fœnum*, idest incipientes, qui rudes sunt in bono, ac imperfecti et simplices et faciles decipi, sicut fœnum rude quodammodo est, et non maturi ac perfecti valoris, et facile destrui et dissipari potest. I Corinth. III, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus etc*. *Terræ*, quia tales temporalia quæ ad terram pertinent, non omnino abjiciunt, sed sub Deo diligunt. *Neque omne viride*, idest neque aliquos proficientes, qui jam virent virore virtutum, unde placent oculis Dei : Ecclesiastici XL, *Gratiam et speciem desiderabit oculus, et super hæc virides sationes*. *Neque omnem arborem*, idest neque alios perfectos, qui in altum elevantur per meritum perfectionis, et jam ad soliditatem ligni pervenerunt, et copiose fructificant. Ecclesiastici XXXIX, *Obaudite me divini fructus*. Vel per hæc tria possunt intelligi tres ordines salvandorum in Ecclesia, Noe, Daniel, et Job. Ezechielis XIV. Per fœnum, quod præcisum ultra non pullulat, signatur Daniel qui non pullulavit per generationem, quia continens fuit; per quem signatur ordo continentium. Per viride Job qui prolem produxit, per quem signatur ordo conjugatorum bonorum. Per arborem, sub cujus ramis recipitur refrigerium et consolatio, Noe qui fuit rector in Arca, per quem boni prælati; quia Dominus omnes justos sibi adhærentes custodit a tentatione hæreticorum finaliter, sive sint continentes, sive conjugati, sive prælati. Ecclesiast. XXXIV, *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ etc*. *Nisi tantum*, supple litteram sic : *Præceptum est* inquam, *etc*, *ut nullum penitus læderent*, *Nisi tantum homines*, non sapientes divina, *Qui non habent signum Dei vivi*, qui non habent per constantiam mentis et audaciam signum crucis vel fidei, nolentes exterius aperte confiteri nomen Christi. Per frontem enim, quæ est sedes verecundiæ vel audaciæ, signatur constantia in mente, ad confitendum exterius nomen Christi. *Glossa* : qui non audent etc. Supra VII, *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus etc*. Ezechiel. IX, *Omnem super quem videritis Tau ne occidatis*. Reprobi enim qui non portant signaculum Dei vivi finaliter in frontibus, idest qui non habent fidem et gratiam cum constantia et audacia confitendi, læduntur et extinguuntur spiritualiter per errores hæreticorum. Nota per hoc quod dicitur, *Nisi tantum homines*, quod propter peccata hominum permittuntur mali nocere spiritualiter ipsis hominibus. Danielis VIII, *Robur datum est ei contra juge sacrificium propter peccata*. Sed objicitur : quia supra VIII dicitur, quod *Omne fœnum viride combustum est*. Quomodo ergo dicitur, quod fœnum et omne viride non læditur? Item Isaiæ XL, *Omnis caro fœnum*; ergo per fœnum intelligitur omnis homo : ergo si fœnum non permittitur lædi, nullus prorsus læditur. Respondeo : Dicendum quod idem vocabulum, non semper eodem modo accipitur in Scriptura, sed secundum diversas considerationes diversimode in diversis locis accipitur, ut Mons quandoque signat superbiam, quandoque perfectionis eminentiam. Unde Augustinus, III libro *de Doctrina christiana* : « Non putemus esse præscriptum, ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. » Fœnum ergo supra VIII, signat homines vanos qui vana et quæ cito deficiunt sequuntur, sicut fœnum viride cito siccatur et arescit : hic autem simplices et rudes in fide signat, secundum *Glossam*, qui tamen boni sunt. Item viride signat superius eos qui virorem mundi sectantur, hic eos qui virorem virtutis. Ad aliud dicendum, juxta hoc, quod hominem est dicere fœnum dupliciter. Aut quantum ad corpus; et sic accipitur ratione figurantis corporis Isaiæ XL, et sic omnis homo est fœnum in via : hoc autem modo hic non accipitur. Aut quantum ad animam ; et tunc aut accipitur in malo, et sic supra VIII ; aut in bono; scilicet ut

significet eos qui possunt esse cibus animalium, idest prædicatorum, qui per animalia designantur supra IV, licet tales sunt adhuc rudes et imperfecti : et sic accipitur hic. *Et datum est.* Hic agitur de restrictione quantum ad effectum, scilicet ne occidant spiritualiter, sed corporaliter affligant. Primo ergo ostenditur quantum ad quid restrictio. Secundo quantum ad quid permissio, *Sed ut cruciarentur.* Tertio ostenditur temporis duratio, *Mensibus quinque.* Dicit igitur, *Et dictum est.* Hæc referantur ad illud quod supra dictum est, Et præceptum est illis ne læderent. Ibi enim ostensa est restrictio, quantum ad personas; quantum autem ad effectum, non nisi semiplene. Unde ad exponendum, a qua læsione restringuntur, et quantum ad quid permittuntur, dicit, *Et dictum est illis,* idest prohibitum, *Ne occidant eos,* morte spirituali culpæ finalis. Job. II, *Verumtamen animam illius serva.* Sed permissum est ut cruciarentur afflictione corporali, quia mali permittuntur bonos corporaliter affligere. Job. X, *Terra data est in manibus impii. Mensibus quinque*, idest toto tempore vitæ suæ quamdiu in quinque sensibus degunt. Non sine causa positum est nomen Mensis, ad signandum vitam homminis. Mensis enim ipso suo nomine defectum sonat, a mense quod est defectus : quia luna semel in mense defectum petitur, similiter et vite humana multiplicem habet. Rursus Mensis quatuor septimanas continet et septimana septem dies : unde per Mensem signatur vita hominis quæ multis defectibus subjacet, quam justi peragunt cum observantia quatuor Evangeliorum et septiformi gratia Spiritus sancti, qua juvantur ad omnia. Per quinarium vero signatur quintuplex sensus corporis. Quamdiu enim justi vivent in corpore mortali sub usu quinque sensuum, permittentur præcursores Antichristi, sicut quidam principes et alii perversi, corporaliter eos affligere : sed post hanc vitam, quando non erit necessitas mortalium sensuum, quæ modo est, non poterit eis nocere. Infra XXI, *Et mors ultra non erit, neque clamor, neque luctus, neque dolor erit ultra; quia prima abierunt.* Alia littera habet, Mensibus sex, propter sex ætates vitæ hominis, scilicet Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Senectam, Ætatem decrepitam, quia perversi quandoque affligunt etiam infantes et decrepitos, et sic permittentur præcursores Antichristi posse facere. *Et cruciatus.* Hic ostenditur gravitas adversitatis sive afflictionis ab eis inflictæ. Et primo ostenditur gravitas ex comparationis exemplo, quia scilicet similis erit illa afflictio persecutioni scorpionis. Secundo ex mordendi desiderio, *Et in diebus.* Dicit igitur *Cruciatus*, idest crucians afflictio, *eorum*, idest quam ipsi infligent, est vel erit, *Ut cruciatus scorpii.* Scorpio scorpionis dicitur vel Scorpius scorpii. *Cum percutit hominem*, pungendo, occulte et graviter : et ideo vocatur percussio; sic et isti graviter persequentur. Scorpio occulte percutit cauda, facie blandiendo : sic hæretici blandiuntur quandoque in verbis, sed latenter tunc suggerent principibus ut fideles torqueant. Hæc est autem gravissima persecutio; propter quod dicitur, Proverb. XXVII, *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula.* Item percussus a Scorpione, non statim moritur, sed languet; sic isti quandoque non statim interficient, sed diu vexabunt, cum tamen levius esset statim interfici. *Et in diebus illis,* quando tantæ afflictiones infligentur justis, quandoque occulte quandoque aperte a præcursoribus Antichristi *quærent*, affectu et planctu et oratione *Homines* Justi quos permittentur perversi affligere corporaliter non spiritualiter lædere. *Mortem*, scilicet corporalem, quia timebunt lapsum propter tribulationis gravitatem in duris carceribus, flagellis et aliis malis. Quandoque enim contingit in magnis adversis præeligere mortem, vel propter timorem offensæ vel propter ipsam gravitatem pœnæ. Tob. III, *Præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi magis mori quam vivere. Et non inveniet eam. Glossa*, ut probatiores reddantur. Quomodo autem quærent ostendit. *Et desiderabunt mori :* quasi dicat : Non qualitercumque quærent, sed cum desiderio magno. Et per hoc quod hæc tribulatio prædicitur,

fidelis præmunitur. Gregorius : « Minus enim feriunt jacula quæ prævidentur et nos etc. » Vel potest hoc referri ad prælatos. Quod potest dici ad subditos. Unde Glossa : hoc de prælatis. III Reg. xviii, *Petivit animæ suæ ut moreretur*, dicitur de Elia, quem persequebatur Jezabel. *Et fugiet mors ab illis*, ut magis mereantur. Job. iii, *Expectant mortem et non venit*. Vel de prælatis ut gregi proficiant, secundum Glossam. Philipp. i, *Scio quia manebo et permanebo cum omnibus vobis*. Haymon : « Nolentes vivunt, sed dilatam mortem propter aliorum salutem æquanimiter ferunt. » Sed dubitatio est de hoc quod dicitur : dictum est illis ne occiderent eos, quia quandoque justi deficiunt in adversis et cadunt. Respondeo. Dicendum, quod Dominus quosdam electorum non permittit occidi spiritualiter, quia custodit a mortali ; quosdam autem etsi permittit occidi, non tamen finaliter, quia vere cito resurgunt et finaliter persistent. Illud ergo accipitur vel simpliciter ne occidant quosdam spiritualiter, vel ne occidant aliquem electorum finaliter. Item de hoc quod dicitur : *Et cruciatus etc.* Quare enim permitteret Dominus sic electos affligi, cum tam gravis tribulatio sit periculosa propter periculum lapsus? Respondeo. Propter majus meritum et exemplum. Unde *Glossa* : Et non invenient ut probatiores reddantur. II Corinth. i, *Sicut socii passionum etc.* Ad objectum dicendum, quod Dominus tollit periculum ad minus quantum ad finalem statum, quia protegit electos a periculo in adversis, vel si labuntur, surgere facit. : *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis. Et similitudines.* Hic ostenditur malitia hæreticorum qui erunt discipuli præcedentium hæreticorum, sicut supra habitum est, quorum utrique præparabunt viam Antichristo. Hujusmodi autem discipulos incepit supra describere sub specie locustarum, sicut in visione vidit. Describit autem eos sub specie locustarum habentium multiplicem dispositionem ; unde hujusmodi locustas describit. Primo quantum ad agilitatem ipsarum, quia promptæ ad currendum contra fideles, sicut equi sunt agiles ad cursum. Secundo quantum ad ornatum capitum, *Et super capita*. Tertio quantum ad speciem facierum, *Et facies*. Quarto quantum ad condecorationem capillorum, *Et habebant capillos*. Quinto quantum ad qualitatem dentium, *Et dentes*. Sexto quantum ad formam armorum, *Et habebant loricas*. Septimo quantum ad sonitum alarum, *Et vox*. Octavo quantum ad dispositionem caudarum, *Et habebant caudas*. Hæc omnia habent mysterium, ut patebit. Dicit igitur : *Et similitudines locustarum*, idest locustæ imaginativæ. Non enim videbat corporales locustas, sed similitudines locustarum, visione imaginaria, quia revelationes ei fiebant sub quibusdam figuris, propter significationem illarum specierum ad informationem fidelium propter quos scribendum erat. Et patet ex hac littera, quod sensus mysticus est quærendus hic, non litteralis. *Similes*, erant. *Equis paratis in prælium*. Per hoc signatur, quod hæretici qui locustis comparantur, ut supra habitum est, sunt prompti ac veloces ad faciendum impetum contra fideles, et feroces ad persequendum, sicut equus velox est et ferox ad prælium. Jerem. viii, *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium. Et super capita*, idest super doctores. *Earum*, scilicet hæresiarchas qui sunt capita aliorum, vel super mentes quæ regunt alia quæ sunt in homine. *Erant tamquam coronæ*, idest victoriæ acquisitæ de fidelibus præcipitatis, quia gloriantur se victoriam habuisse de quibusdam catholicis in errorem inductis. Hæc tamen non est vera victoria, quia tunc ipsi hæretici diabolo amplius subduntur. Unde recte dicitur : *Tamquam*. Item dicunt se vincere per veram sapientiam quæ tamen solum videtur et non est, sed error. Unde sequitur. *Similes auro*, idest de non vero auro, quia de non vera sapientia sunt illæ victoriæ. I Timoth. iii, *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et facies*, idest vultus. *Earum, sicut facies hominum*, quia hæretici simulant et simulabunt se esse rationales et pios et mansuetos, quia homo est animal rationale et natura mansue-

tum, et ipse homo cognoscitur per faciem esse homo : sunt tamen intus crudeles, unde sunt syrenæ quæ habent vultum virgineum, et tamen sunt animalia irrationalia. Isa. XIII, *Et syrenæ in delubris voluptatis*. *Et habebant capillos*, idest cogitationes quæ sunt multiplices ut capilli et a mente procedunt et menti adhærent. *Sicut capilli mulierum*, quia sunt fragiles ac fluxibiles ut capilli mulierum, et machinantur ipsæ eorum cogitationes deceptiones aliorum, ut mulier mala capillos parat ad decipiendum alios. Vel per capillos mulierum, mores istorum intelliguntur, quia exterius a mente procedunt et sunt molles et fluxibiles et effeminati et in malitia multiplices et ad aliorum deceptionem ab eis dependentes, Job XXXVI, *Vita eorum inter effeminatos*. Vel capilli mulierum possunt intelligi minores, eis adhærentes, qui multi erunt sicut capilli et ad decipiendum astuti et malitiosi ut mulier, et erunt ad mala fluxibiles et ab eis sicut a capite prudentes, quia eorum documenta sequuntur. *Et dentes*, idest doctores et expositores eorum, qui panem mendacii et erroris eis præparant male exponendo et docendo. Job. XXXIII, *Vigilantes ad prædam præparant panem libidinis*. Sed talis panis intoxicatus est, Job XX, *Panis ejus in utero vertatur in fel aspidum*. *Erant sicut dentes leonum*, quia fœtor est in tali doctrina sicut dentes leonum in hiatu habent fœtorem, ut dicit *Glossa*. Vel dentes eorum ministri et ipsi etiam principes, per quos, quasi per dentes, ipsi hæretici laniant fideles corporaliter et spiritualiter, sicut dentes leonum fortiter et crudeliter laniant prædam. Posset etiam intelligi de omnibus illis præcursoribus Antichristi communiter. Dentes eorum, idest multiplex malitia eorum parata ad discindendum et devorandum fideles, sicut dentes leonum, quia hæc malitia et fœtorem habet in docendo et crudelitatem in nocendo corporaliter et spiritualiter. Eccles. XXI, *Dentes leonis dentes ejus*. *Et habebant loricas, sicut loricas ferreas*. *Glossa*, idest corda obstinata quæ sagitta veritatis non penetrat : quasi dicat : Corda dura habebunt, quæ ita obstinata erunt, ut veritas ea non penetret ; unde comparabilia erunt loricis ferreis. Job XLI, *Corpus ejus ut scuta fusilia*. Vel habebunt loricas, idest sententias quibus se armant, sicut lorica ferrea est forte munimentum. Multa autem ratione multipliciter involutæ sunt diversæ maculæ in his loricis. Isidorus I lib. *de Summo bono*, loquens de hæreticis : « docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut iniquum facerent laboraverunt. » Sumit autem illud de Jerem. IX. Sed videtur eis male attribui lorica, quia lorica est fides cum caritate. I Thess. ult. *Induti lorica fidei et caritatis*. Item contra secundam expositionem, quam *Glossa* ponit, objicitur, quia sententia hæreticorum non potest muniri etsi videatur. Respondeo. Ad primum dicendum, secundum Augustinum, ut supra dictum est, quod non semper sumuntur vocabula in eadem significatione. Nomen ergo loricæ hic accipitur in malo et signat perversam obstinationem. In verbo vero Apostoli sumitur in bono et signat salubrem munitionem. Ad aliud dicendum, quod illa munitio non vere est, sed apparenter ; et ideo comparatur loricæ ferreæ, scilicet quia se dicunt rationibus munitos, et quia sic videtur. *Et vox*, idest tumultus et clamor, quia videntes se ratione vincere non posse, verborum tumultum faciunt, ut sic saltem victores appareant. *Alarum suarum*, idest sententiarum quibus se pertinaciter extollunt. Alæ enim sunt eorum sententiæ quas ostentant esse magnas ut alti videantur. *Sicut vox curruum multorum equorum currentium in bello* ; quia hæretici sunt multi et eorum multitudo concorditer Ecclesiam impugnat. Et sicut diversi currus diversis equis et diversis viis ad idem bellum raptim currunt, sic isti, licet diversis hæresibus inter se divisi, unanimiter Ecclesiam impugnant docendo errores, disputando. Ad ejus enim impugnationem uniuntur. Job XLI, dicitur de squamis, *Una alteri adhærebit et tenentes se nequaquam separabuntur*. Isidorus I lib. *de Summo bono* : « Sic invicem hæretici sese collidunt, ut contra Ecclesiam pari erroris spiritu decertent. » Et nota quod cum vox ab ore animalis proferatur, dicit ta-

nem. Vox altera, quia quantum ad mysterium, hæc est vox hæreticorum. *Et habebant caudas similes scorpionum*, idest habebunt faventes sibi principes, dare pungentes, vel afflictionibus, vel deceptoriis erroribus, quibus eos seducunt ad modum caudarum scorpionum, licet ipsi principes muneribus alliciant et promissionibus blandiantur, sicut scorpio. Principes autem dicuntur caudæ, quia terrent minis et flagellis et blandiuntur donis et promissis, more canis, qui iratus cauda terret, lætus blanditur; et quia pungunt, peccare eos faciunt, quantum est de se: unde dicitur de diabolo, Job XL, *Caudam suam stringit quasi cedrum. Et aculei*, idest punctiones vel flagellorum, vel persuasionum mortiferarum, quibus student pugnare ad pervertendum et interficiendum spiritualiter veneno erroris, sicut aculeus caudæ scorpionis venenum infert. *In caudis earum*, in principibus qui multipliciter fideles volunt pervertere. Vel caudas similes habebunt scorpionum, idest dolosas sententias, quibus latenter lædent animas, licet in facie blandiantur: et in his caudis sunt aculei, idest punctio venenosa et mortifera nisi caveatur. *Et potestas*. Hic agitur de persequutionis mora. *Et potestas* a Deo permissa. *Earum*, idest locustarum, scilicet hæreticorum est. *Nocere hominibus mensibus quinque*, idest toto tempore vitæ hominis, in qua vivunt sub usu quinque sensuum; expone ut supra. Ultra vero hujus vitæ tempus nocere non poterunt. Sed ad quid hic repetitur de mora temporis, cum supra eodem, de hoc dictum sit? Respondeo. Potest dici quod supra dicitur de cruciatu bonorum: unde ibi dicitur: *Sed ut cruciarent mensibus quinque*: hic autem agitur de nocumento malorum, idest quo nocent malis, quia bonis non nocetur licet crucientur; malos autem vel per flagella, vel per blandimenta, vel per documenta trahent ad interitum animæ et sic nocebunt; et ideo præmuniuntur hic electi, ut sint fortes contra tentationes et persequutiones hæreticorum, ne eis possint nocere quamdiu hic vivunt. Si tamen volumus intelligere etiam de nocumento bonorum, possumus intelligere illud nocumentum corporale esse. Et non inconvenienter repetitur de mora temporis; quia per hoc est consolatio magna justis, quod non possunt etiam corporibus nocere, nisi quamdiu vivunt, in quinque sensibus corporis, et post mortalem hanc vitam præmium suscipient. *Et habebant*. Hic ostenditur potentia per quam possunt præmissa. Et habebant illæ locustæ præmissæ *Regem*, scilicet diabolum, per quem possunt prædicta, quia ejus potestas naturalis magna est cum non prohibetur a Deo vel ejus Angelis. Job XLI, *Non est potestas super terram etc.* Nec potest tamen violentiam facere libero arbitrio, sicut dicit Damascenus. Ipse autem est rex malorum, et specialiter eorum de quibus hic agitur erit rex et dux. Job XLI, *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*. *Angelum abyssi*, idest Angelum de inferno, scilicet ipsum diabolum, quia ipse per majorem superbiam meruit majorem cruciatum infernalem quam alii. Dicitur autem infernus abyssus, quia caret candore et omni gaudio, et quia caret fundamento, idest fine pœnarum. Dicitur autem abyssus ab a quod est sine et basis quod est fundamentum. Item quia habet profunditatem. Ratione ergo tenebrositatis, ratione infinitatis, ratione profunditatis pœnarum dicitur infernus abyssus. Job XLI, *Æstimabit abyssum quasi senescentem*. Gregorius: « Abyssum senescere æstimat qui terminari in supplicii supernam animadversionem putat. » Vel abyssus dicitur cor peccatoris, peccati caligine tenebrosum, cujus Angelus est diabolus, quia Angelus annuntiat peccatori mala quæ ei suadet, et dominatur ei. Job XXVIII, *Abyssus dicit, non est in me. Cui nomen hebraice*, idest lingua hebræorum. *Labadon*, quod dicitur græce, *Apollyon*, et latina lingua, *exterminans*, ut sequitur. Debet autem dici Lababon non Abadon, sicut dicit Beatus Hieronymus in Interpretationibus; sed vitio scriptorum est corruptum et subtractum L. Interpretatur autem exterminans, quia diabolus exterminare nititur hominem a gratia in via et a gloria in patria, idest extra terminum ponere. Psal.: *Exterminavit aper de sylva*. Labadon au-

tem græcum est et interpretatur indicans. Unde per interpretationem quæ sequitur patet quod non debet hic esse Abbadon. Tribus linguis solemnibus nominat diabolum ut omnes excitet ad cavendum ejus astutias ; sicut titulus Domini scriptus fuit tribus linguis, ut signaretur illud Philipp. II, *Et omnis lingua confiteatur etc.* Joan. XIX, Et sicut evangelium scriptum est in triplici lingua. Scripsit enim Matthæus Hebraice, Lucas et Joannes græce, Marcus autem latine, qui scripsit Romanis : quasi dicat : vos hebræi græci et latini cavete ab ejus seductione. In his autem linguis omnes aliæ intelliguntur ; quia enim hæ tres sunt principaliores, ideo eas ponit. *Væ unum.* Hic ponitur conclusio prædictorum. *Væ unum,* idest damnatio præcursorum Antichristi. *Abiit,* quantum ad narrationem libri, idest jam determinata est, per hoc, scilicet, quod eorum nequitia propter quam damnandi sunt descripta est, ita videtur Vel lege *Glossam,* superius in principio præmissæ Partis, ubi dicit quod ibi agitur de damnatione præparantium viam Antichristo. *Et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc :* idest adhuc ostendetur duplex damnatio, scilicet Antichristi et suorum cum agetur de cantu sexti Angeli : etiam damnatio malorum in judicio, cum agetur de cantu septimi Angeli. Vel istud *Væ* potest intelligi tribulatio hominum, quæ fiet per præcursores Antichristi ; non tantum corporalis, sed etiam spiritualis ; quia multi per eos pervertentur. *Væ unum abiit,* idest completum est, scilicet tribulatio quæ sub tuba quinti Angeli continetur. Completum est dico, quantum ad visionem et narrationem, et complebuntur in re tempore suo ; quia per illa præmissa signantur illa quæ erant ventura, et postquam complebitur illa tribulatio ante tempus Antichristi veniet alia sub tempore Antichristi, et iterum alia in fine mundi. Unde sequitur, *Et ecce veniunt adhuc duo væ post hæc,* idest duplex tribulatio. Una scilicet quam Antichristus et sui inferent hominibus, non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter, quia multos pervertet. Alia est tribulatio damnationis quæ erit in judicio. Hæc duo væ dicit venire, quantum ad significationem, et quantum ad rem, quæ significabuntur inferius per ea quæ vidit in cantu sexti Angeli et septimi : et sic etiam accident in ultimis temporibus judicii, et jam narravit : vidit et narravit illa væ quæ sequuntur infra, et corporaliter in re erit ordo ille. Vel possel secundum *Glossam,* quod dicitur, *Post hæc,* referri ad sequentem litteram : Post hæc et sextus etc. *Et sextus Angelus.* Hic agitur de tubicinio sexti Angeli, et ostenditur damnatio perversorum qui erunt tempore Antichristi, per hoc quod eorum nequitia describitur. Primo autem ponitur determinatio propositi principalis, scilicet de statu Ecclesiæ sub tempore Antichristi. Secundo subjungitur conclusio hujus partis ante finem XI capitis. *Væ secundum.* Circa primum notandum quod tunc erit persequutio, nec deerit omnino divina consolatio. Ideo primo ostenditur ipsa prædicatio. Secundo fidelium persequutio sub Antichristo. *Et soluti sunt.* Tertio tribulatorum fidelium consolatio, decimo capite, *Et vidi alium Angelum fortem.* In prima parte Primo ostenditur sanctorum prædicatio. Secundo materia prædicationis, *Et audivi vocem unam.* Dicit igitur, *Et sextus* quia ita cecinerant quinque, et post eos, Et sextus Angelus, idest ordo sextus prædicatorum, idest in sexto statu prædicantium. Et dicitur sextus, et ordine narrationis et ordine temporis. Nota *Glossam. Tuba cecinit,* idest prædicabit : hoc erit tempore Antichristi. Sed quomodo hoc, cum non audeant tunc prædicare fideles ? Dicitur enim supra VI, super illud, *Sicut saccus cilicinus etc.* Lux in sacco posita, lucem prædicationis nunquam effundens. Respondeo. Potest dici, quod in principio cum natus erit Antichristus, antequam potestatem suam dilataverit, prædicatio fiet : sed post cum erit in magna sua dominatione, tunc prædicatio erit particularis non generalis ut modo, nec ita solemnis ut modo : et pro illo tempore, quando erit gravissima persecutio, loquitur illa *Glossa.* Et quod dicitur, numquam effundens, intelligitur de solemni et multum publica prædicatione, non sicut modo est, ut fiat vis in hoc vocabulo effundens. Erit enim tunc

aliquam prædicatio, ut infra xi, habetur de Elia et Enoch. *Et audivi*. Hic ostenditur materia prædicationis, scilicet illud quod tunc prædicari debebit. Non omne tamen quod tunc prædicabitur, tangitur hic; sed quiddam, scilicet quod gravis tribulatio imminet: quia potestas dæmonum laxabitur, et ad hoc prædicandum, sancti prædicatores qui erunt circa illa tempora, et temporibus præteritis prædicaverunt, excitabunt alios, qui erunt tempore Antichristi, ut fideles sint magis cauti: quod signatur per vocem dicentem Angelo etc., id est prædica solvendos. Primo ergo ostenditur ipse instruens. Secundo instructus, *Dicentem sexto Angelo etc.* Tertio de quo est instructio, scilicet de eo quod est prædicandum, *Solve etc.* Dicit igitur, *Et audivi vocem unam*, procedentem *Ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Dei*. De quo altari habitum est supra viii, *Dicentem sexto Angelo qui habebat tubam: solve etc.* Sed audiebat interno auditu in illa visione: per hoc signatur, sicut *Glossa* velle videtur, quod prædicatores, qui ante præterito tempore prædicaverunt, alios prædicatores venientes qui tempore Antichristi erunt, excitant et instruunt ut fideles contra adversa sub Antichristo ventura præmuniant prædicando ea, et roborando corda fidelium contra ipsa. Unde *Glossa*: « Præcones præteriti temporis præmonent illos, qui erunt tempore Antichristi, quid sint facturi. » Dicit itaque: *Audivi vocem unam*, idest doctrinam unam conformem consonam in veritate et in rectitudine et in fine: quia prædicatores unam doctrinam habent per conformitatem, licet diversis modis loquuntur. Omnes enim recti et boni prædicatores veritatem et doctrinam sacræ Scripturæ docent, et eodem fine, scilicet ad honorem Dei et salutem hominum. Et illi prædicatores præteriti temporis docebunt alios, sive excitabunt sub doctrinæ Evangelicæ uniformitate, quæ loquitur de adversitate, sub tempore Antichristi futura; ut sint paratiores et magis experti, excitant et instruunt alios. *Ex quatuor cornibus altaris*, supple procedentem. Hoc est de prædicatoribus Christi. Altare enim Christus est, quia in ipso per ipsum offerre debemus Patri quidquid volumus esse acceptum: sive sacrificium orationis, sive alia bona. Hebr. ultimo: *Habemus altare de quo edere etc.* Hoc altare est aureum, propter splendorem sapientiæ. Coloss. ii, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*. Propter eminentiam caritatis intimæ, quia scilicet nos dilexit. Aurum enim splendet et præeminet aliis metallis: similiter sapientia fulget; et caritas non tantum fulget, sed etiam omni virtuti præeminet. Ephes. iii, *Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Christi*. *Quod est ante oculos Dei*, idest quod est acceptabile Patri. Per omnia tangit illud quod dicitur supra viii, *Super altare aureum quod est ante thronum Dei*. Matth. iii, *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui*. Hujus altaris cornua sunt prædicatores sancti, per quos debet Christus elevari et extolli, sicut per cornua. Exod. xxx, *Facies altare ad adolendum thymiama de lignis Sethim, cornua ex ipso procedant*. Item quia debent esse pro Christo mori parati, et portare in memoria et affectu, et imitationis affectu effundere sanguinem, sicut in cornibus altaris in lege ponebatur sanguis. Levitici iv, *Pones de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino*. Hæc autem cornua dicuntur quatuor, propter quatuor quæ debent prædicare de Christo. Duo sunt assumptæ infirmitatis, scilicet nativitas et passio: duo sunt divinæ potestatis, scilicet resurrectio et ascensio. Vel quatuor propter quatuor modos expositionis Scripturarum: scilicet modum historicum sive litteralem, et allegoricum, moralem et anagogicum. Vel altare est Ecclesia, super cujus unitate offerendum est Deo omne bonum. Aureum autem dicitur propter cœlestem sapientiam et caritatem quæ est in ea. Hujus altaris cornua sunt prædicatores; quia ipsam defendunt quasi ejus cornua: et dicuntur quatuor propter prædicta. *Quod est etc.* quia Ecclesia quantum ad justos acceptabilis est Deo. De quo autem sit instructio ostenditur cum sequitur, *Dicentem sexto Angelo qui habebat tubam*, idest sexto ordini prædicatorum qui scilicet habe-

bant officium prædicandi in sexto statu, scilicet tempore Antichristi. *Solve*, Id est prædica sive annuncia fidelibus, esse solvendos, idest laxandos quantum ad potestatem. *Quatuor Angelos*, idest universos dæmones, ut sibi fideles caveant ut sint constantes. Aliter posset hæc vox intelligi, scilicet doctrina Evangeliorum; quæ per hoc ipsum quod prædicit tribulationes futuras, sub tempore Antichristi, excitat prædicatores, qui erunt illo tempore ad præmuniendum fideles. *Et audivi vocem unam*, idest concordem doctrinam Evangelistarum, quia in nullo dissentiunt, licet non eisdem verbis loquantur, et de Antichristo concorditer docent, procedentem *Ex quatuor cornibus*, idest a quatuor Evangelistis, vel ipsis Evangeliis; quia omnes Evangelistæ loquuntur de Antichristo, et per hoc quasi invitant prædicatores illius temporis ad annunciandum fidelibus persecutiones Antichristi. *Altaris aurei*, idest Christi vel Ecclesiæ, ut supra. Evangelistæ autem sunt cornua altaris, quod est Christus vel Ecclesia, quia Christum elevaverunt sive extulerunt verbo, scripto, et vitæ exemplo, et intincti fuerunt sanguine Christi. Item fuerunt Ecclesiæ in defensionem. *Quod est ante oculos Dei*, ut prius expone, *dicentem*, per hoc quod de Antichristo loquitur. Nam hoc ipso debent prædicatores, qui tunc erunt, esse instructi ad præmuniendum fideles, *Sexto Angelo*, ut prius, *solve*, idest prædica solvendos. *Quatuor Angelos*, idest universos dæmones, ad persequendum homines corporaliter et spiritualiter; exigentibus meritis malorum, et propter purgationes electorum. Dæmones autem dicuntur Angeli : sive ratione naturæ nobilis, quia naturam habent Angelicam; tum ratione missionis; quia mittuntur a principe imperante, et a Deo permittente; quod tamen non dicitur proprie mitti, sed large. Dicuntur autem quatuor, propter quatuor partes mundi, per quas nocent, vel quod quatuor de Christo prædicta impugnant : supra VII, *Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ. Qui alligati sunt in flumine magno Euphrate*, idest in cordibus divitum et principum mundanorum, in quibus latent et dominantur occulte, restricti tamen interim quantum ad alios ne sæviant sicut poterunt sub Antichristo sævire. Nota quod Euphrates est flumen Babylonis, circumiens Babylonem ut dicit *Glossa*, quod diviserunt Persi et Medi in multos rivos et sic ingressi sunt Babylonem. Est autem hoc flumen vorax et profundum ac magnum : et interpretatur Euphrates, pulverulentus vel humidus, vel crescens, vel fructifer : unde per Euphratem flumen magnum figurantur illi principes mundani, et quidam pravi divites, qui vivunt in pulvere elationis excæcantis, et in humo delitiarum carnis, quæ humus est, et sunt in abundantia rerum et in ea crescunt, et in præmissis sunt profunde et immersi quasi vorati, et ex his fluunt in alia ad modum fluminis; quia proficiunt in pejus. Hoc flumen dicitur magnum propter magnitudinem et multitudinem scelerum. In his habitant dæmones, quia eis dominantur; sed in eis ligantur, quia ita in eis habitant quod nondum permittantur aperte desævire in bonos; sed tunc solventur, quia per ipsos principes et per alios perversos nocere permittentur hominibus, quando potestas diaboli laxabitur. Ideo dicitur : Qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Unde dicit beatus Gregorius : « Hostis antiqui virtus nunc a bonorum cordibus religatur, et in reproborum mentibus reclusus premitur : tempore vero Antichristi de iniquorum cordibus non occulte sævientibus, eductus procedit, et tunc accepta potestate, contra Ecclesiam in vim apertæ persequutionis erumpet. » Hæc Gregorius. Vel secundum *Glossam*, Alligati, idest refrenati a nocumento hominum, ne scilicet tantum noceant quantum possent et vellent. In flumine magno Euphrate, idest in passione Domini, qui habuit abundantiam et impetum magnum angustiæ, ideo comparatur magno flumini. Psal. : *De torrente in via bibet*. Item frugem salutis attulit mundo, scilicet reconciliationem et dona : ergo et præmia gloriæ, quod signatur per Euphratem, quod interpretatur frugifer. Rom. V, *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*. Et sequitur : abundantiam gratiæ

et hominibus et justitiæ sculpentes in vitia regnaturi per ipsum Jesum Christum. Vel solve, idest perversos, qui solvi sed per flumen magnum Euphratem signantur, circumvenientes, ut sic solventur. *Et soluti sunt.* Habito de prædicatione, quæ fit per prædicatores, agitur hic de persequutione, quæ fiet per Antichristum et suos complices : et describitur sub similitudine belli, ubi congressus equitum equis et acies pugnantium. Primo ergo ponitur descriptio equitum. Secundo describitur eorum quæ erunt eis in adjutorium, *Et ita vidi equos.* Tertio congressus eorum, *Et de ore eorum.* Quarto damnum ex congressu illatum, *Et ab his.* Circa primum primo describuntur equites, scilicet dæmones, quantum ad laxatam potestatem. Secundo, quantum ad nocendi sive pugnandi aviditatem, *Qui parati erant.* Tertio quantum ad exercitus numerositatem, *Et numerus.* Dicit igitur, *Et soluti sunt etc.*, idest solventur tempore statuto et præfinito a Deo, idest permittentur infestare multum homines spiritualiter et etiam corporaliter, propter nocumentum spirituale. Infra xx, *Solvetur satanas de carcere suo. Qui parati.* Hic notatur nocendi aviditas, quæ maxima erit, quia omni hora nocere appetent. Unde dicit, *Qui parati erant*, idest qui erunt prompti et avidi, scilicet ad nocendum, sicut post subditur ut occiderent etc. *Inter horam et diem*, idest in omni parte horæ et diei et mensis et anni sine interpolatione : quasi dicat : Non est inter partes horæ vel diei, vel mensis vel anni, aliquid temporis, in quo non sint parati ad nocendum hominibus. Unde *Glossa*, Continue et diu. Augustinus II libro *de civitate Dei* : « Dæmones ad decipiendum vigilantissimi sunt. » Vel per hoc potest tota duratio persequutionis intelligi. Durabit enim persequutio Antichristi tribus annis et dimidio : unde per horam intelligitur dimidius annus, per diem autem annus, per mensem alius tertius annus intelligitur. Item notatur etiam qualitas et processus persecutionis in prædictis temporibus. Persequutio enim quæ videbitur primo, non videbitur gravis, respectu ejus quæ erit ultimo; ut quasi hora videbitur unius diei : sequens vero erit gravis super hanc, sicut dies excedit horam ; subsequens autem erit gravior, sicut mensis major est quam dies ; ultima vero gravissima, sicut annus superexcedit horam diem et mensem : unde illi tres anni et dimidius recte per hæc quæ gradum important, significantur. Item talibus minutiis signatur illud tempus, ut ostendatur illam persequutionem fore sine interpolatione. Infra xii, *Per tempus et tempora et dimidium temporis*, idest tribus annis et dimidio. Daniel. vii, *Et tradentur in manu ejus usque ad tempus et tempora et dimidium temporis.* Ad quid autem erant parati ostenditur, cum subditur, *Ut occiderent tertiam partem hominum*, idest reprobos, qui non sunt activi, nec contemplativi, vel non sunt justi secundum statum perfectionis vel imperfectionis. Occiderent, inquam, morte culpæ in præsenti, et morte gehennæ in futuro. Supra viii, *Et tertia pars terræ combusta est.* Habacuc. i, *Semper interficere Gentes non cessat. Et numerus.* Hic agitur de numero equitum diaboli : et ponitur iste numerus propter mysterium. Equites enim hujus exercitus sunt dæmones, equi horum equitum sunt pravi homines, princeps horum omnium est diabolus qui dicitur Lucifer. Isti autem equites, scilicet dæmones, ponuntur sub tali numero propter numerum sacratum. Dæmones enim faciunt hæreticos quibus præsident, simulare se perfectos in observantia divinorum præceptorum, cum tamen ipsi hæretici transgrediantur præcepta, et omittant ipsam perfectionem de qua gloriantur, cum fidem non habeant, sine qua præcepta servare non possunt. Per hoc ergo quod dicuntur dena millia, ostenditur simulatio perfectionis in observantia decalogi, quæ simulatio est in hæreticis, procurantibus ipsis dæmonibus, qui insident eis. Per millenarium enim perfectio. Per decem vero Decalogus præceptorum. Et dicuntur dena millia, non propter perfectionem observantiæ Decalogi quæ sit in hæreticis, sed quam simulant secundum doctrinam dæmonum, sicut supra vi, dicitur : *Ecce equus niger, et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua.* Ubi attri-

buitur diabolo, quod per ejus suggestionem faciunt hæretici, qui dicunt se habere rectum Scripturæ intellectum, cum non habeant. Per numerum vero additum, scilicet *Vicies millies*, ostenditur defectus perfectionis prædictæ : quia vicenarius numerus eo quo recedit a denario, sicut binarius ab unitate ; signat transgressionem Decalogi, et omissionem perfectionis significatæ per millies. Isidorus I libro *de Summo bono* : « Hæretici quamvis legem et prophetas operæ implere contendant, a vultu Dei projiciuntur, et a justorum cœtibus separantur. » *Et audivi.* Quia dixerat numerum exercitus equestris, idest exercitus equitum esse tantum : nunc ut quod dixit certius sit, dicit se hæc audisse. Sæpe enim dicit se vidisse vel audisse, ad certitudinem testimonii, *Et audivi,* in visione, auditu interno, *Numerum eorum*, scilicet equitum, supple : esse illum qui dictus est. Ponitur autem numerus ille, propter significationem, ut dictum est. Vel aliter, secundum quod *Glossa* innuere videtur, ut hic numerus equitum diaboli et equitum Dei intelligatur ; et equites diaboli intelligantur hæretici, qui equitant contra fideles : equites Dei viri justi. Per dena millia signantur boni, qui vere habent perfectionem observantiæ decem præceptorum, ad minus perfectionem sufficientiæ. Per vicies millies, mali : quia plures sunt mali quam boni. Item quia vicenarius numerus sic se habet ad denarium sicut binarius ad unitatem : unde sicut binarius ab unitate recedens signat transgressionem, sic ille numerus a denario recedens signat transgressores Decalogi, et omissores perfectionis, quæ signatur per mille. Dicit igitur secundum hunc modum, *Et numerus exercitus equestris*, idest equitum scilicet Dei et diaboli, qui invicem pugnant, est vel erat. Vicies millies dena millia ; ita quod vicies millies referatur ad equites diaboli, dena millia ad equites Dei, ut dictum est. De hoc duplici exercitu, I Machab. VI : ubi dicitur, quod exercitus Antiochi et Judæ comparaverunt se in prælium. Et audivi numerum eorum, idest intellexi quid per eorum numerum signaretur : vel intellexi compluros esse malos quam bonos, secundum *Glossam*, quia numerus malorum ponitur major, licet uterque ponatur ratione mysterii. Sed tunc quæritur Quare mali signantur per adverbia, boni vero per nomina? Item quare duplicatur numerus malorum quantum ad modum dicendi, supra numerum bonorum? Item quare sub tanta obscuritate dicitur quod manifeste dici potuit? Respondeo. Ad primum dici potest, quod malum per se non stat, sed coalescit in bono naturæ rationalis. Item adverbium est pars non principalis, nomen autem est pars principalis ; similiter mali quiddam vile sunt, boni autem aliquid magnum. Ad aliud potest dici quod hæc est ratio, quia malum est multifarium et accidit superfluitate et diminutione : bonum autem est indivisibile, et virtus in mediate consistit. Ad aliud dicendum, quod cum ille sit liber Revelationum, voluit divina sapientia, quæ omnia decenter ordinat, hæc obscure tradere, propter perversos, scilicet hæreticos, ne hæc pervertere‍nt, si essent aperta Item propter fastidiosos, ut scilicet reverentius et gratantius accipiantur. Item per talem modum magis manifestatur divina sapientia quæ sic convenienter sua mysteria celat. De his magis dictum est supra VII, *Et ita vidi.* Hic agitur de eis quæ erunt dæmonibus in adjutorium nocendi. Hæc autem sunt equi, scilicet pravi homines ; et arma, scilicet sententiæ erroris. Primo autem agitur de equis equitum. Secundo de armis eorum, *Et qui sedebant.* Tertio de dispositione equorum, *Et capita.* Dicit igitur, *Et ita vidi*, quia sic vidi equites sub illo numero : et ita sicut videram equites sub numero illo, *Vidi equos in visione* : quasi dicat : secundum numerum equitum vidi numerum equorum ; et intelligatur de numero signante, non de numero numerante. Si aliquis quæreret quare potius agitur de numero signante? Et dicendum quod cum liber iste sit de revelationibus factis ad ædificationem Ecclesiæ, et numerus numerans non sit ad ædificationem, sed numerus signans, ideo etc., *Et qui sedebant.* Hic agitur de armis equitum : vidit enim eos loricatos loricis igneis, hyacinthinis et sulphureeis ; per quod signantur mentes

perversæ et obstinatæ, quibus dæmones roborant hæreticos contra fideles. Unde primo ostenditur, quomodo eos possidebunt per dominationem. Secundo quomodo excitantur ad diversam disceptionem, *Habebant loricas*. Et primo tangitur obstinata perversitas. Secundo accumulata iniquitas, *Igneas*, quæ triplex ostenditur. Prima est ardor iræ: quia ira et malitia ardent hæretici contra fideles; unde dicitur Igneas. Secunda simulatio vitæ hyacinthinæ. Tertia fœtor doctrinæ, *Et sulphureas*. Hæc enim tria sunt annexa obstinatæ perversitati hæreticorum, et per hæc dæmones præparant eos ad decipiendum fideles. Dicit igitur, *Et qui sedebant super eos*, scilicet dæmones, qui dominabuntur hæreticis et pravis hominibus, tempore Antichristi, et per quos sicut per equos sibi subjectos, pertrahuntur ad alios expugnandos. *Habebant loricas*, idest habebunt obstinatam perversitatem, sicut sensibus loricatos, non tantum in se, sed in hæreticis: quia procurabunt quod hæretici sint obstinati, ita quod se vinci a catholicis non permittant, ut perversitas obstinata, sit eis quasi lorica fortis. I Reg. xvii, dicitur de Goliath, quod lorica hamata induebatur. *Igneas*, idest igne iræ sive malitiæ; quia sicut ipsi dæmones sunt igne accensi contra justos, ita accendent magis ac magis hæreticos contra ipsos. *Hyacinthinas*, idest colorata simulatione vitæ. Hyacinthus enim est lapis pretiosus habens colorem cœli, per quem signatur similitudo vitæ sanctæ sive cœlestis. *Et sulphureas*, fœtore doctrinæ, quia doctrina a mentibus hæreticorum, procurantibus dæmonibus procedens fœtida est in conspectu Dei et hominum fidelium. Fœtida autem est ratione erroris. Sulphur enim fœtet. Hæc tria sunt annexa mentibus eorum induratis. Vel loricæ possunt intelligi sententiæ quibus dæmones muniunt hæreticos. Quæ sententiæ describuntur multipliciter; quia dæmones per hujus sententias erroris reddunt hæreticos munitos ad sui defensionem: unde dicit: habebant loricas, idest sententias fortes secundum apparentiam, quibus hæreticos muniunt sub quibusdam rationibus. Item igneas, ad aliorum deceptionem. Igneas, quia accendunt hæreticos ad inducendum alios, et etiam multos catholicos inflammabunt ad consensum erroris. Supra viii: *Cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula*. Item excæcantes eos et fumosos reddentes. Hyacinthus enim est lapis fumidi coloris. Alia littera habet fumidas. Job xli, *De naribus ejus procedit fumus*. Item fœtidas apud Deum et etiam apud fideles per ipsam perfidiam, per blasphemiam, per infamiam. Et sulphureas; et ideo dicitur infra xxi, *Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure*. Vel expone de pœna æterna secundum *Glossam*. *Et capita*. Hic agitur de dispositione equorum qui habebunt capita ad modum leonum: unde dicit: *Et capita equorum*, idest majores super hæreticos, ut sunt hæresiarchæ et principes. *Erant tanquam capita leonum*, idest erunt crudeles in actu persequendi et superbi et vitiis fœtidi. Leo enim est animal crudele et rugiens et fœtorem habet in hiatu oris in capite. Habacuc ii, *Suscitabuntur lacerantes te et eris in rapinam eis*. Multum enim repræsentabunt crudelitatem diaboli regis sui. De quo Jerem. vi, *Crudelis est et non miserebitur*. *Et de ore*. Hic agitur de congressu, secundum quod fit per doctrinam erroris. Pugnabunt autem tam majores quam minores aliis modis: scilicet blandiendo, comminando corporaliter, et temporaliter persequendo: quod habetur per illud quod præmissum est de capitibus leonum. *Et de ore eorum*, idest de eorum prædicatione, scilicet equorum, scilicet hæreticorum qui portant dæmones ad homines decipiendos: ut patet infra eodem, *Potestas equorum in ore eorum*. *Procedit ignis*. Doctrina eorum ostenditur esse inflammativa: unde dicitur: *Ignis*, idest doctrina alios accendens, quia nova placebunt hominibus, unde accendentur corda hominum. Item comburentur igne devorante per errorem. Item excæcativa, *Et fumus*, idest doctrina fumosa excæcans. Item infectiva, *Et sulphureas*, idest doctrina fœtens, et per hoc inficiens multos. Vel per hoc potest intelligi doctrina quæ est eis et aliis causa pœnæ æternæ: ubi sunt hæc tria, secundum

Glossam : scilicét ignis excrucians. Isa. ult. *Ignis eorum non extinguetur*. Item caligo obtenebrans : unde dicitur : *Et fumus*. Isa. XXXIV, *Ascendet fumus ejus in generatione et generationem*. Item fœtor penetrans, *Et sulphureas*. Psalm. *Ignis sulphur et spiritus procellarum*. *Et ab his*. Hic ostenditur damnum ex congressu illatum : et quia hoc damnum est de damnatione hominum, et multi alii damnabuntur, præter eos qui per Antichristum seducentur ; ideo incidenter agit de prædicatione aliorum. Primo ergo agit de perditis hac persecutione. Secundo de perditis alia ratione, *Et ceteri homines*. Circa primum Primo ostendit malorum perditionem. Secundo replicat perditionis originem, *Et de igne*. Tertio subdit ampliorem originis descriptionem, *Potestas enim equorum*. Dicit igitur : *Et ab his tribus plagis*, scilicet ab igne, fumo, sulphure, idest ab inflammatione, excœcatione et fœtore doctrinæ hæreticorum per quæ inferentur plagæ animabus. Vel per ignem potest intelligi suggestio hæreticorum, ad avaritiam vel cupiditatem quæ est ignis accendens. Per fumum suggestio ad superbiam quæ elevatur in altum et excæcat et evanescit ut fumus. Per sulphur suggestio ad actionem pravam quæ habet fœtorem in conspectu Dei, quia pravi homines in illo suggerent facere multa mala. *Occisa est*, idest occidetur morte culpæ, et tamdem morte gehennæ. Supra VIII, *Multi homines mortui sunt de aquis etc. Tertia pars hominum*, idest multitudo reproborum, quia boni non illo modo occidentur, quia in adversis merebuntur. Rom. VIII, *Omnia cooperantur in bonum etc.* Reprobi dicuntur Tertia pars, quia nec sunt in activa nec contemplativa : vel quia non sunt in statu justorum perfectorum vel imperfectorum. Vel una pars est quæ incœpit pœnitentiam et complevit, huic statim reddetur paradisus. Alia quæ incœpit sed non complevit, huic debetur purgatorius. Alia quæ nec incœpit finaliter nec complevit, cui debetur infernus. *Et de igne*. Hic replicat hujus perditionis originem sive causam ad expressionem malitiæ eorum et ad indicium rectitudinis, et ut magis caveatur. Et ponitur *Et*, pro idest de igne etc., et expone modo præmisso. *Ex ore*, idest suggestione ipsorum dum prædicant, vel suggerunt errorem, vel aliud peccatum. Genes. XLI, *Quod autem vidisti secundo, ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis judicium est*. *Potestas enim*. Hic describit plenius originem sive causam perditionis prædictorum : hanc autem ostendit duplicem : scilicet per doctrinam et astutiam : quia cum non poterunt primo per doctrinam pervertere, per astutiam machinabuntur tandem decipere. Primo ergo ostenditur perniciosa doctrina. Secundo machinationis astutia, *Et in caudis*. Tertio astutiæ nequitia, *Nam caudæ*. Quarto nequitiæ efficacia, *Et in his nocent*. Dicit igitur : *Potestas enim :* quasi dicat : vere ex ore eorum procedet malum unde alii damnentur. *Nam potestas equorum*, idest hæreticorum super quos sedent et dominantur dæmones, et per quos alios impugnant, *Est*, idest erit : sed loquitur ac si jam esset, quia certum est esse futurum : vel quia jam de præsenti in parte hoc impletur in quibusdam hæreticis. *In ore*, idest in prædicatione seu suggestione eorum, quia dolose et blandis verbis et allectivis rationibus suggerent errores hominibus. Antichristus enim mittet suos prædicatores ad decipiendum homines. Prov. V, *Favus distillans labia meretricis etc.*, et hæc meretrix est hæresis. Gregorius *super hunc locum :* « Nequissimi prædicatores, perversa suadendo prædicabunt. » *Et in caudis eorum*, idest in occultis deceptionibus qui astute machinabunt decipere, vel promissis, vel astutis nimis, vel aliter. Erunt enim quidam, sive prædicatores Antichristi, sive alii, qui videntes se non posse aperte quosdam fideles seducere, astute per aliam vitam procedent, sicut vult *Glossa* : et tales comparantur caudis, quia cauda non sic apparet ut facies, et de-rum cooperit corporis turpitudinem : sic tales astutiam suam abscondunt et turpitudinem erroris sui cooperiunt. Eccles. XI, *Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala*. *Nam caudæ*. Hic ostenditur astutiæ nequitia. Primo quia machinabuntur contra fideles per se decipiendo. Se-

caudis quia per potentiores affligendo, habentes capita. Dicit igitur : *Nam*, vere *in caudis est eorum potestas*. *Nam caudæ eorum*, idest illi qui inter eos sunt adulti deceptibiles aliorum. Et bene dicuntur caudæ eorum, quia omnes mali sunt quasi unum corpus : sed secundum diversos actus comparantur diversis partibus corporis. Sunt vel erunt *Similes serpentibus*, quia scilicet venenum erroris latet in eis et astute student ad immittendum. Et in sententiis varii sunt, quia multiplices sententias habent perfidiæ, sicut serpens varium colorem. Item quia terrenis delectantur, sicut serpens terram comedit. Isa. LXV, *Serpenti pulvis panis ejus*. Alia littera habet, draconibus, qui scilicet occulte insidiantur. Jer. LI, *Absorbuit me quasi draco*. *Habentes capita*, scilicet ad modum serpentum, idest principes et divites qui sunt aliis priores et altiores per potentiam et mordentes fideles per sævitiam, quia hæretici, cum non poterunt per se decipere fideles, facient eos per alios majores affligi, sicut insinuat *Glossa*. Unde Gregorius : « Multi potentum studebunt fideles sæviendo et affligendo terrere. » *Et in his*, scilicet capitibus, *Nocent*, idest nocebunt caudæ cum non poterunt per se nocere, quia multi per sævitiam principum seducentur. *Gregorius* : « Quicquid tunc Antichristus callide machinabitur etiam cum virtute sæcularis potentiæ exequetur. » Vel aliter, ut per os equorum, idest hæreticorum, designetur prædicatio prædicatorum. Unde sensus est, secundum Beatum Gregorium : Potestas equorum, idest hæreticorum, ut supra. *Est*, idest erit in ore eorum, idest in suggestione doctorum, *Et in caudis eorum*, idest in potentibus, ut erunt principes : qui erunt caudæ eorum quia juvabunt eos ad seducendum homines. Unde Gregorius *super hunc locum* : « In ore doctorum scientia ; in cauda vero sæcularium potestas signatur. » Potentes autem per caudam signantur, quia potestas sæcularis retro est sicut cauda, idest inter vilia et condemnanda computanda est. Unde Beatus Gregorius *super hunc locum* : « Retro est omne quod transit, ante vero omne quod veniens permanet. » Nam caudæ eorum, idest principes hæreticos juvantes per potentiam contemnendam et vanam. Similes serpentibus, quantum ad venenum perfidiæ in deceptione animarum, quia intoxicati erunt hæresibus principes multi. Obedient Antichristo et alios errore venenabuntur quantum ad animas habentes capita per crudelitatem malitiæ in afflictione corporum. Dicit igitur : *Habentes capita*, idest multiplices ac crudeles malitias, per quas mordebunt et affligent corpora fidelium. Notandum igitur quod, sicut dicit Beatus Gregorius : Antichristus dupliciter studebit fideles pervertere : scilicet per doctrinam suorum prædicatorum et per potentiam principum. Unde dicit Beatus Gregorius *super verba præmissa* : « Duplici calliditate contra fideles agetur : quia quod eis ab aliis verbis blandientibus dicetur, hoc ab aliis gladiis ferientibus imperabitur. » Sed quare diabolus temporibus ultimis magis sæviet per se et per suos ministros, quam nunc, cum semper crudelissimæ malitiæ sit? Respondeo. Dicendum, quod erit duplici ratione : scilicet propter laxationem potestatis, quia tunc permittetur a Deo uti sua potestate, cum nunc non permittatur : quæ permissio fiet exigentibus meritis impiorum et ad probationem electorum. Infra XX, *Post hæc oportet illum solvi modico tempore*. Item propter brevitatem temporis, quia cognoscet in ultimis temporibus quod breve tempus ei restat, ad nocendum saluti hominum ; et ideo tunc faciet quicquid poterit mali. Infra XII, *Væ terræ et mari quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet*. Gregorius : « Antiquus hostis atrocius extrema mundi tentaturus aggreditur, quia considerat quod juxta sit ut licentiam amittat nequissimæ libertatis. » *Et ceteri*. Hic agitur de eis qui damnabuntur sine persecutione Antichristi, quæ damnatio erit propter peccata, de quibus non pœnituerunt finaliter. Unde hic multiplex peccatum ostenditur ; quia omne peccatum vel contra fidem vel contra mores. Peccatum autem contra fidem, tangitur duplex : scilicet adoratio dæmoniorum in seipsis, vel in

corporibus assumptis, procurant enim se adorari. Item adoratio simulacrorum, *Et simulacra.* Peccatum vero contra mores ostendit multiplex : tangit autem specialiter peccata actus exterioris ; et per hoc magis ostendit eos inexcusabiles, quia etiam actu ipso peccaverunt, nec tamen de actu pœnituerunt. Ponit autem expresse peccata quibus peccatur in proximum, sicut per infidelitatem, de qua primo loquitur, peccant in Deum : et in his intelligitur peccatum in seipsum. Item fornicatio de qua sequitur, non tantum est in proximum, sed in semetipsum. Peccatum autem quo peccatur in proximum, aut nocet proximo quantum ad personam, aut quantum ad rem. Si quantum ad personam, aut quantum ad esse naturæ, aut quantum ad esse moris. Si quantum ad esse naturæ, sic est occisio, quæ fit dupliciter : aut aperte, et sic vocatur hic homicidium ; aut occulte, et sic fit quandoque per veneficium. Si quantum ad esse moris, sic est fornicatio, per quam destruitur esse moris, non tantum in se, sed etiam in alio. Si quantum ad rem personæ, sic est furtum. Dicit igitur : *Et ceteri :* quasi dicat : ita multi peribunt decepti per Antichristum et suos. *Et*, similiter ceteri, *homines*, supple secundum *Glossam*, peribunt. *Qui non sunt occisi in his plagis*, contra quos scilicet non fuit conatus diaboli in persecutione Antichristi, ut qui erunt ei subditi per infidelitatem vel aliud peccatum : quos quia de jure quieto possidebit, non persequetur. Vel qui erunt vel fuerunt ante tempus Antichristi, neque pœnitentiam egerunt. *De operibus manuum suarum*, scilicet de malis actibus. Hæc est causa quare peribunt, scilicet peccata cum impœnitentia, Luc. XIII, *Si pœnitentiam non habueritis, omnes similiter peribitis.* Ostendit autem quæ sunt illa mala opera, subdens. *Ut non adorarent dæmonia*, quia non egerunt pœnitentiam ut non adorarent dæmonia, scilicet deinceps ; quia si pœnitentia salubris abjicitur, deinceps actum malum. Et adoratio dæmoniorum vocatur opus manuum tum propter annexum, quia manibus colunt dæmonia idololatræ sacrificando eis et supplicando et aliis modis. Tum quia ita damnatur homo, per talem adorationem, sicut per aliud grave opus manibus commissum, Deuteronom. XXII, *Immolaverunt et non Deo.* Dæmones enim multum volunt et procurant adorari ab hominibus. Matth. IV, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* *Et ut non adorarent simulacra*, idest idola a simulando, quia non est in eis veritas divinitatis, sed simulatio est prorsus. *Aurea et argentea etc.*, tangit multiplicem materiam de qua fiunt idola : et hoc facit ad irrisionem, quia de diversa materia corporea faciunt sibi Deos ut volunt, scilicet de auro vel argento, vel aere, vel lapide, vel ligno. Psalm. *Simulacra gentium argentum et aurum. Quæ neque videre.* Removet ab idolis triplicem actum quem non videntur posse habere propter organa corporea quæ habere adhuc videntur, scilicet visum, auditum et gressum. Tactum autem et odoratum et gustum non exprimit, quia in exclusione præcedentium intelliguntur excludi. Item in expressione materiæ idolorum excluduntur omnes actus sensuum : sed tamen quidam actus exprimuntur qui sunt magis nobiles et evidentes in re sensibili. Psal.: *Oculos habent et non videbunt.* Dupliciter ergo tangitur peccatum idololatriæ, quia diabolus multos gentiles decepit. Sap. XIII, *Infelices sunt et inter mortuos spes illorum etc.* Dicit ergo corporeitatem simulacrorum ex parte materiæ ; et ideo non possunt esse dii, quia Deus est nobilis et invisibilis naturæ. Item vanitatem sive inefficaciam ex parte formæ, quia in forma sua videntur habere virtutem ad quosdam actus et non habent. *Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis*, quod peccatum est grave. Exod. XX, *Non occides*, *Neque a veneficiis suis*, scilicet per quæ quandoque procuratur occulte mors alterius, ut dando venenum, vel alio modo. Est enim veneficium species maleficii, infra ultimo : *Foris canes et venefici. Neque a fornicatione sua.* Ecce quod fornicatio peccatum mortale est. Hebr. ult. *Fornicatores et adulteros judicabit Deus. Neque a furtis suis*, idest a se factis quæ sunt contra legem Dei. Exod. XX cap., ubi scriptum est : *Non furtum facies.* Sed dubitatur de hoc quod dici-

tiæ : Neque pœnitentiam egerunt ab suis adulteriis dicendum ; quia nulla videtur quod ad pœnitendum sufficiat actum mortalem relinquere, cum tamen oportet se per actum pœnitentiæ punire. Unde Augustinus : « Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. » Item de hoc quod dicitur : Ut non adorarent dæmonia, et quæritur, unde est quod dæmones volunt et procurant adorari, cum sciant hoc soli Deo deberi, et inde sibi pœnam augeri? Item cum adulterium et incestus et hujusmodi sint graviora quam fornicatio, quæritur quare non loquatur de illis? Respondeo, ad primum, quod non vult dicere, quod sufficiat ad pœnitentiam dimittere pravum actum, cum oporteat se pro peccatis punire, ut dicit Augustinus. Et Joel II. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio* etc. Sed per hoc ostendit quod ad veram pœnitentiam et salubrem, necesse est actum pravum dimittere, aliter enim non esset salubris. Unde Gregorius : « Pœnitere est acta peccata deflere et flenda non committere. » Unde patet quod etsi aliquis bene peccata sua defleat, non tamen vere pœnitet, nisi ipsum actum malum relinquat. Unde Isidorus : « Irrisor est et non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Multi lacrymas indesinenter fundunt et peccare non desinunt. » Ad aliud dicendum, quod illud est propter superbiam et propter malitiam : propter superbiam volunt tanquam dii honorari. Psalm. *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Item Augustinus in x lib. *de Civitate Dei.* « Qui divinitatem sibi arrogant spiritus, non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur. » Propter malitiam vero procurant homines per hujusmodi grave peccatum damnari et sibi in inferno sociari. Unde Augustinus, x lib. *de Civitate Dei* : « Indignantur dæmones, sicut nobis notum est in litteris sacris, negotium eorum agere ut pro diis habeantur et colantur : ut hi qui exhibent unam pessimam causam cum eis habeant in judicio Dei. » Ad objecta dicendum, quod per superbiam usurpat, quod est soli Deo convenire ; per malitiam vero dejicit hominem, licet sciat, inde pœnam sibi accrescere. Unde super illud Job XLI, *Qui factus est ut nullum timeret*, dicit Beatus Gregorius : « Nec Deum timet, neque hoc quod passus est metuit. » Ad ultimum dicendum, quod ideo de illis gravioribus non loquitur, quia breviter sub nomine fornicationis, illa majora includit : unde nomine fornicationis, intelligitur et simplex fornicatio soluti cum soluta et adulterium et alia majora. Unde notandum quod est duplex fornicatio, scilicet spiritualis, et hæc est in omni mortali, cum scilicet anima recedit a suo sponso. Psalm. : *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te.* Item corporalis : et hæc aliquando dicitur communiter, scilicet pro actu illicito carnali. I Corinth. VI : *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Similiter hæc aliquando accipitur spiritualiter, scilicet pro illicito actu cum soluta.

CAPUT X

Et vidi alium Angelum etc. Habito de persecutione quæ erit sub tempore Antichristi, agitur hic de consolatione fidelium, quam tunc habebunt et etiam nunc possunt habere. Dividitur autem hæc pars in quatuor. In prima ponitur consolatio ex dominici regiminis ordinatione. Et hæc consolatio est contra adversa illius temporis generaliter ; quia qui pro Ecclesia incarnatus et passus, et eam semper regit nec dimittet suos in illis adversis. Specialiter tamen est contra defectum sive subtractionem prædicationis. In secunda parte ponitur consolatio, ex æternæ mercedis certitudine, sive præordinatione : *Et Angelus quem vidi.* In tertia ex salubris doctrinæ præmunitione, *Et vox quam audivi.* In quarta, ex futura fidei testificatione. Infra XI, *Et dabo duobus testibus.* Consolatio autem ex dominici regiminis ordinatione est ; quia scilicet Dominus sic rexit Ecclesiam, quod pro ea regenda et custodienda et salvanda, incarnatus et passus est, et prædicatores per mundum instituit, quando conveniens fuit : et prædicatio-

nem subtrahet, quando non erit congruum prædicare; quia prædicatio, si ita solemnis et multa esset tempore Antichristi ut modo est, contemneretur et margaritæ ante porcos penerentur : et ideo sustinere debebunt fideles; quia Dominus per sapientiam sic ordinabit; et misericordia, qua pro hominibus se humiliavit, et eis prius prædicatores dedit, suis electis non deerit. Nota *Glossam*, infra eodem super illud, *Et audivi vocem de cælo etc.* Quia tempore Antichristi etc. Sic autem proceditur in prima parte. Primo ostenditur dominicum regimen, quantum ad statum Ecclesiæ initialem vel medium; quia aliqua pertinent ad primum statum, aliqua ad medium. Secundo quantum ad finalem sive ultimum, *Et cum locuta fuissent.* Circa primum ostenditur Primo quomodo Dominus regit per se Ecclesiam. Secundo quomodo per suos, *Et facies.* Per se autem regit et rexit Ecclesiam; quia per carnem assumptam se Ecclesiæ conjunxit, et eam pie redemit; et eadem pietate promovet et protegit : unde de incarnatione et passione hic tangitur. Primo agitur de ejus regimine implicite et in generali. Secundo explicite et in speciali, *descendentem.* In generali vero, quantum ad duo. Tum quantum ad Mediatoris pietatem, propter quam dicitur Angelus, Tum quantum ad liberationis potestatem, propter quam dicitur Fortis. In speciali vero ostendit dominicum regimen hoc modo; quia cum ab incarnatione totum bonum proveniat, Primo estendit incarnationis caritatem. Secundo emanantem utilitatem; et hæc ponitur duplex. Una est munimentum contra vitia, ex parte humanitatis : unde dicitur : *Amictum nube.* Secunda est benevolentia ad salubria ex parte divinitatis, *Et iris*, Ex his autem diligenter consideratis, magna consolatio surgit in anima, quæ vexatur adversis. Dicit igitur, *Et vidi;* quasi dicat : ita vidi Angelos malos paratos nocere tempore Antichristi, et e contra, Vidi, interno oculo, *alium*, idest bonum Angelum contrarium : qui sunt avidi ad nocendum, iste vero ad adjuvandum : *Angelum*, scilicet Christum, qui venit ut annunciaret hominibus quæ sunt salutis, et sua caritate impleret officium Mediatoris : et ideo dicitur Angelus, quia quasi nuncium Patris se nobis in prædictis exhibuit. Christus autem dicitur Angelus, inquantum homo, non inquantum Deus. Dicitur inquam, Angelus, non natura, sed officio. Isaiæ IX, secundum aliam litteram : *Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Ex hoc autem colligitur quod suis non deerit, quia tam dulciter eos dilexit. Rom. VIII, *Qui enim proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? fortem*, cujus fortitudo apparuit, quomodo per infirmitatem carnis, et passionis in carne diabolum vicit, et hominem liberavit. Lucæ XI, *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.* Si *autem fortior illo superveniens, vicerit eum : universa arma ejus auferet in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.* Unde patet quod fortis est ad protegendum suos in adversis, et tempore Antichristi, et alio quocumque. Job IX, *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Sed contra. Habacuc III, *Ibi abscondita est fortitudo ejus;* ergo non in cruce apparuit ejus fortitudo, cujus contrarium vult, *Glossa.* Respondeo. De Christo patiente in cruce est loqui tripliciter : scilicet quantum ad suppliciorum perpessionem, quantum ad mortis consummationem : et quantum ad hæc duo abscondita est et non apparuit ejus fortitudo, sed caritatis magnitudo. Item quantum ad humanam redemptionem : et sic ejus fortitudo multum in cruce apparuit, si tunc esset qui eam cognosceret; quia magna fortitudo fuit, per infirmitatem carnis patiens vincere fortem diabolum et hominem liberare. Psal. *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio, Descendentem de cælo*, scilicet se per carnis assumptionem humiliantem de sublimitate suæ majestatis. Psal. : *Inclinavit cælos et descendit.* Item dicitur descendisse de cælo, quia se hominibus in terra fecit cognoscibilem, qui ante fere a solis Angelis cognoscebatur in cælo. Non enim dicitur descendisse de cælo localiter; cum ubique sit. Jeremiæ XXIII, *Cælum et terram ego impleo.* Unde

Glossa: « Coæqualis Angelorum etc. » *amictum*, idest coopertum, *nube*, idest humanitate assumpta, quæ nubes est refrigerium contra vitia, sicut nubes protegit ab æstu. Isaiæ xix: *Ascendet Dominus super nubem levem*. Hæc enim nubes effundit pluviam doctorum in Evangelio. Matth. xxiii: *Magister vester unus est Christus*. Item facit interpositionem exemplorum: sicut nubes interponitur inter nos et æstum solis. Dat igitur nobis refrigerium contra vitia et adversa, per exemplum innocentiæ a malis. I Petri ii: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus*. Item per exemplum justitiæ in bonis. Joan. viii: *Quæ placita sunt ei facio semper*. Item per exemplum patientiæ in adversis. I Petri iv: *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini*. Denique offert efficaciam meritorum; quia per merita sua offert sui remedium contra vitia: unde Psal.: *Sub umbra alarum tuarum protege me*. *Et iris*, idest divina propitiatio et benevolentia: cujus signum est redemptio per passionem, et purificatio per regenerationem: quæ duo signantur per colorem rubeum et cæruleum sive aquaticum, qui sunt in iride, ut dictum est supra iv: *Et iris erat in circuitu sedis*. Item iris fuit signum pacis inter Deum et homines. Similiter assumptio humanitatis, fuit signum benevolentiæ Dei ad homines. Genes. ix: *Ponam arcum meum etc. In capite ejus*, idest divinitate, quæ est caput Christi inquantum homo. I Cor. ix: *Caput autem Christi Deus*. Hæc autem benevolentia divinitatis dedit efficaciam redemptionis; quia non esset sufficiens pretium, nisi esset simul homo et Deus, ut ostendit Anselmus. II Corinth. v: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Ipsa etiam divinitas benevolentiæ est hominibus in eis quæ sunt salutis, ratione incarnationis et meriti passionis. Unde beatus Bernardus *in sermone*: « Cur ad Jesum trepidas accedere? frater tuus est, et caro tua: hunc tibi fratrem Maria dedit. » *Facies ejus*. Hic ostenditur, quomodo regit Ecclesiam per suos. Specialiter autem loquitur de majoribus membris. Primo ergo ostendit quomodo Christus regit Ecclesiam per exemplum contemplativorum. Secundo quomodo per doctrinam prædicatorum, *Et pedes*. Ubi primo agit de ipsis prædicatoribus. Secundo de materia prædicationis, *Et habebat*. Tertio de missione ad prædicandum, *Et posuit*. Quarto de ipsa doctrina prædicantium, *Et clamavit*. Dicit igitur, *Et facies ejus*, idest illi in quibus relucet ipse per imitationem, qui sunt ei conformes per configurationem: et per hoc sunt quasi facies Dei, quia ipsum ostendunt et repræsentant in se sicut facies manifestat hominem. *Sicut sol*; quia tales qui sunt perfecti imitatores Christi, sicut sunt contemplativi, in se sunt illuminosi, et alios claro suo exemplo illuminantes, sicut sol inferiora: propter perfectionem contemplationis, et opera sanctæ rogationis. Talibus maxime dicitur Matth. v: *Vos estis lux mundi*. Vel *Facies ejus*, idest præsentia in carne, per quam se hominibus præsentem reddidit. Sicut sol idest illustrat mundum, documentis, exemplis et donis. Joan. viii: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me non ambulat in tenebris*. Supra i: *Et facies ejus sicut sol lucet in virtute*. *Et pedes ejus*. Hic agitur de regimine per doctrinam prædicatorum. Et primo de ipsis prædicatoribus: quos describit primo quantum ad præconium nominis dominici. Secundo quantum ad fructus sui præconii, qui fructus est triplex: scilicet Roborationis ad firmandum irascibilem, quod signatur per columnam. Item illuminationis, ad clarificandum rationalem. Item inflammationis, ad accendendum concupiscibilem. Et hæc duo nomine ignis designantur, cujus est illuminare et accendere. Dicit igitur, *Et pedes ejus*, idest prædicatores, ipsum per mundum suo præconio portantes. Act. ix: *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram Gentibus et regibus et filiis Israel*. Vel quia corpus Christi mysticum sustentant vi doctrinæ. Rom. xv: *Debemus nos firmiores imbecillitatem aliorum sustinere*. *Tamquam columnæ ignis*, idest illuminant alios inflammant et roborant: quod signatur per ignem formam columnæ habentem. Columna enim solet dare firmitatem. De illuminatione et inflamma-

tione. Joan. v : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* De Roboratione supra v : *Qui vicerit, faciam illum columnam meam etc. Et habebat in manu sua*, quia opere complevit quod docuit. Item per efficaciam passionis implevit Scripturam quantum ad prænunciationem humanæ redemptionis. *Librum apertum*, idest Scriptura quæ est liber in quo legitur quidquid est salutis : et est liber apertus ; quia ipse Dominus prædicando populis manifestavit secreta mysteria Scripturæ. Item in partibulo crucis implevit ea quæ de humana redemptione fuerant præfigurata et prædicta. Item suis documentis aperuit discipulis Scripturam, et per eos aliis. Propter hæc tria dicitur liber apertus, secundum *Glossam.* Dicitur ergo Christus habere librum apertum in manu ; quia scilicet habet Scripturam ad opus fidelium informandorum et prædicatorum de Scriptura haurientium. Dicitur autem Scripturam habere, quia ipse est dux et princeps totius Scripturæ, quia et ipse eam dedit, et ipse ejus intellectum ostendit : quam Scripturam dicitur habere in manu, quia quod docet in Scriptura, et quod prædicavit, sicut legitur in Scriptura, opere complevit. Vel, In manu, idest in dominatione et potestate ; quia ejus est dare Scripturam et ejus intelligentiam, vel omnino subtrahere, si velit. Scriptura autem dicitur liber apertus prædicto modo : scilicet ipso actu prædicationis : ipsa etiam efficacia passionis, verbo etiam suæ informationis, quando aperuit Apostolis et discipulis sensum ut intelligerent Scripturas. Lucæ ultimo. Supra v : *Vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem etc.* De hoc autem libro dat prædicatoribus materiam prædicationis. Sed quare dicit Libellum et non librum ? Respondeo. Potest dici quod ideo, quia ea quæ sunt in Scriptura, pro magna parte sui ad Christi humilitatem referuntur. Vel propter statum Ecclesiæ, qui per hunc librum informatur ; quia scilicet præsens status Ecclesiæ modicus est, respectu status futuri in gloria. Matth. xi : *Qui autem minor est in regno cælorum, major est illo. Et posuit pedem dextrum*, idest firmiores prædicatores, secundum *Glossam :* quia in dextera parte hominis magis viget virtus. Prædicator autem dicitur Christi, quia ipsum portat per mundum, prædicando ejus nomen ; vel quia sustentat, ut prædictum est, corpus ejus mysticum, *Super mare*, idest super maximos peccatores, qui sunt in majori amaritudine et profunditate et fluxibilitate vitiorum, sicut Petrus et Paulus positi sunt Romæ, ubi erat populus crudelis et durus. *Sinistrum autem*, idest prædicatores minores et imperfectiores, quia sinistra non ita nobilis et fortis est ut dextra pars. *Super terram*, idest super peccatores, terrenorum amatores : licet non in gravissimo gradu criminum. Terra enim licet peccatores significet ; tamen Mare peccatorem signat sub majori gravitate scelerum, propter amaritudinem, profunditatem, fluxum ; quasi dicat, majores. Sapient. viii : *Et disponit omnia suaviter. Et clamavit.* Hic agitur de ipsa doctrina prædicantium. Et primo de doctrina præcedentium, scilicet Apostolorum et discipulorum, et aliorum qui prædicaverunt in principio Ecclesiæ primitivæ. Secundo de doctrina subsequentium, Et cum clamasset. Dicit igitur : *Et clamavit. Glossa :* per eos scilicet prædicatores, quos per mundum misit et instituit, idest ipsi ejus virtute clamaverunt. Prædicatio autem dicitur clamor ; quia vehementer debet animam excitare et terrendo per comminationem, et alliciendo per promissionem, et divinæ bonitatis manifestationem. Isaiæ lvi : *Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam.* Unde sequitur, *Voce magna*, idest de magnis agente, cum de præmiis loquitur, et supplicia comminatur. Unde quantum ad comminationem, ponitur exemplum, *Quemadmodum cum leo rugit;* quasi dicat : Dominus per suos prædicatores terret peccatores comminatione suppliciorum, sicut leo suo rugitu animalia terret, ut tangit *Glossa.* Timor enim pœnæ primo terret peccatorum. Deinde subtrahitur ad amorem. Amos iii : *Leo rugiet, quis non timebit ? Et cum clamasset*, idest cum clamore prædicationis homines comminando et attrahendo vocasset per suos prædicatores, *Septem tonitrua*, idest universi prædicatores, aliis

praecedentibus succedentes: sicut illi qui post Apostolos et discipulos et alios, qui in primitiva Ecclesia praedicaverunt, venerunt: ut tenent *Glossa*. Et dicuntur Tonitrua, ratione terroris quem inferunt comminando supplicia. Psal.: *Vox tonitrui tui in rota*. *Locuta sunt*, praedicando. *Voces suas*, idest suo tempori congruas. Vel, *suas*, idest quae conveniunt ratione officii praedicationis, idest voces salutis, non fabularum et vanitatis. Praecedentibus enim praedicatoribus conformant se praedicatores qui post eos veniunt, quia primi fuerunt sancti a Deo missi. Canticor. ultimo: *Fac me audire vocem tuam*. Sed quare vocat tonitrua praedicatores, cum non tantum terrere sed etiam allicere debeant ad amorem? Respondeo: Non ideo vocantur praedicatores tonitrua, quia solum debeant comminari mala, cum sit etiam vocare, praemia annunciare, et multiplicare: sed quia non pauci sunt qui plus inducuntur ad bonum timore poenae quando praedicatores minantur, quam amore gloriae: et ideo sic loquitur. *Et cum locuta*. Habito de regimine dominico in Ecclesia quantum ad statum Ecclesiae initialem vel medium; hic agitur de eodem quantum ad statum finalem sive ultimum; quia licet praedicatores illius temporis, scilicet sub tempore Antichristi, ex zelo praedicare velint: tamen Dominus sic reget statum illum Ecclesiae, quod subtrahet praedicationem, quia inde infideles in pejus proficerent. Primo ergo ostenditur praedicatorum affectio ad praedicationem. Secundo praedicationis subtractio per divinam ordinationem. *Et audivi*. Dicit igitur: *Et cum locuta fuissent* etc. Nota tenorem visionis. Audiebat tonitrua tonantia, et ipse voluit scribere illud quod sonabant: et dictum est ei per vocem de caelo, ne scriberet, sed occulta teneret ea quae clamaverant illa septem tonitrua. Per hoc, sicut dicit *Glossa*, signatur quod praedicatores, qui erunt tempore Antichristi, quorum typum gerit in hoc loco Joannes, volent praedicare ex zelo, sed Dominus oppositum ordinabit. Sensus igitur est secundum *Glossam*. Et audivi quasi dicat: ita universi praedicatores praedicare ante tempus Antichristi. Cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, idest cum universi praedicatores ante tempus Antichristi praedicassent sicut suo tempori vel suo officio congruebat. *Et*, idest etiam, *Ego scripturus eram*, scilicet voces tonitruorum, id est praedicatorum tempore Antichristi, quorum personam gero, volent praedicare, sicut alii ante eos praedicaverunt. Scribere enim in hoc loco est manifestare praedicando: qui enim scribit praeparat viam ad notitiam rei quae scribitur. Similiter qui praedicat, praeparat viam hominibus ad intelligenda divina quae praedicat. Hoc autem erit ex zelo. *Glossa*. Tempore Antichristi praedicare volent ex praecedentium imitatione Psalm.: *Zelus domus tuae comedit me*. *Et audivi*, idest intellexi. Hoc est, praedicatores intelligent illo tempore. *Vocem*, idest inspirationem. *De caelo*, idest facta a Deo, qui habitat in sublimitate suae majestatis. Vel de caelo, idest de Ecclesia: quia Deus in Ecclesia habitat, et habitans in Ecclesia, tamquam in suo caelo, inspirabit praedicatoribus, quod non praedicent, ut *Glossa* vult. Tamen, secundum quod accipitur de ipsa visione Joannis, vox illa intelligitur locutio Angelica quae ad Joannem fiebat. *Dicentem mihi: Signa*. Hoc sigilla, id est claude, sicut illud quod sub sigillo absconditur. *Quae locuta sunt septem tonitrua*, idest quae praedicaverunt universi praedicatores, scilicet ea quae dirigunt ad salutem, ut de vitiis de cavendis, de bonis agendis, de suppliciis, de praemiis, de bonitate et beneficiis Dei, et de aliis multis. *Glossa*. Sigilla ut amicis pateat et inimicos lateat. Isaiae VIII: *Liga testimonium, signa legem, in discipulis meis*. *Et noli ea scribere*, idest manifestare infidelibus: quia inde in pejus proficerent, et ut dicit Apostolus II Timoth. IV: *Sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus*. Et ex hoc datur consolatio; quia scilicet Christus, qui ante, cum expediebat, dedit doctrinam in ore praedicatorum, tunc eam subtrahet, quando non erit tempus congruum praedicationi publicae, sicut nunc sit: quasi dicat: tunc intelligent divina virtute quod praedicare non debeant, quia doctrina eorum non admitteretur, sed conculcare-

tur. Matth. VII : *Nolite sanctum dare canibus*. Sed contra : quia tunc prædicabunt Enoch. et Elias ut habetur infra XI. Respondeo dicendum quod prædicatio dicitur tunc esse subtrahenda, non quia omnino non prædicetur, sed quia non erit prædicatio generalis ut nunc, sed particularis. Item quia non sic erit solemnis ut nunc. *Et Angelus quem vidi*. Hic ponitur secunda consolatio, quæ est ex æternæ mercedis præordinatione, quæ præordinatio ostenditur in prophetarum pronunciatione, et suo tempore complebitur. Unde primo ostenditur stabilitas divinæ præordinationis. Secundo tempus complendæ retributionis, *sed in diebus*. Tertio testimonium propheticæ pronunciationis, *sicut Evangelium*. Sed primo et tertio est duplex certitudo dandæ mercedis; ex secundo autem ostenditur, quando erit completio exhibitionis dicit igitur, *Et Angelus :* quasi dicat : ita subtrahetur prædicatio tempore Antichristi sed non ad detrimentum salutis electorum : qui enim patienter sustinebunt, et corobuntur. Et hoc est, et Angelus, scilicet Christus. *Quem vidi stantem*, scilicet suis pedibus, scilicet per suos prædicatores, *Supra mare et supra terram*, tangit illud quod supra eodem dictum est, posuit pedem suum dextrum etc., idest paratum juvare peccatores, tam illos qui sunt i . mari gravitate scelerum, quam illos qui sunt in terra per suos prædicatores, ut supra expositum est. *Levavit manum suam ad cœlum*. Sic vidit de Angelo qui sibi hoc ostendebat. Et exprimitur in hoc modus jurandi. Per hoc signatur, sicut dicit *Glossa*, quod Christus levavit, hoc est exaltavit humanitatem suam, ad sublimitatem gloriæ ad dexteram Patris, per quam humanitatem operatus est quasi per manum salutem humanam : et per hoc paravit nobis ingressum ad gloriam, de qua post subdetur. Hebr. VI, *Præcursor introivit pro nobis Jesus*. Vel levavit manum suam ad cœlum, idest Christus levavit et offert auxilium suum per gratiam Ecclesiæ militantis, quæ cœlum est, per fidei et caritatis ac vitæ sublimitatem et claritatem, ut perveniat ad statum triumphantis, de quo sequitur infra, *Et juravit per viventem in sæcula sæculorum*, idest per Patrem et per se Deum : quasi dicat : virtute suæ divinitatis, per quam suam carnem resuscitavit, faciens eam vivere in æternum, firmiter statuit sive præordinavit illud quod sequitur, scilicet præmium immutabile esse dandum electis, quia jurare Dei, est firmiter statuere, sicut vult *Glossa*. Et per hoc quod dicitur, *Viventem in sæcula sæculorum;* innuitur quod sicut ipse non solum ex parte divinitatis, sed etiam humanitatis, vivit in æternum, sic vivent et sui. *Qui creavit cœlum*, scilicet empyreum. *Et ea quæ in eo sunt*, scilicet Angelos et animas beatas. Vel cœlum, scilicet sidereum. Et ea quæ in eo sunt, scilicet sidera omnia. *Et terram*, ad litteram. *Et omnia in ea quæ in ea sunt*. Ut gressibilia et reptilia. Ex hoc autem eliditur error quorumdam hæreticorum, qui dixerunt creaturas corporales, maxime viles, non esse factas a Deo bono. Joan. primo, *Omnia per ipsum facta sunt*. Act. XVII, *Deus qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt*. *Et mare*, ad litteram, *Et ea quæ in eo sunt*, ut pisces : quasi dicat : qui omnia creavit, de nobis firmiter statuit et potenter implevit. Genes. I, *In principio creavit Deus cœlum et terram*. Psalm. : *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt*. Quid autem Angelus, quem Joannes videbat, juravit, hoc est, quid Christus de electis stabiliter præordinavit, ostenditur cum subditur, *Quia*, idest quod, *tempus*, id est varietas sive mutabilitas, quæ in tempore fieri solet. *Amplius non erit :* scilicet postquam justi pro meritis bonorum actuum, et sustinentiæ adversorum, receperint mercedem : quasi dicat : merces immutabilis, sine status et rerum varietate, sine aliquorum adversorum imissione dabitur justis, qui in tentationibus et adversis fortes fuerunt : quia immortales et impossibiles fient, et status eorum invariabilis erit, qui tamen nunc mutabilitati subjacent. Rom. VIII, *Vanitati subjecta est creatura etc*. Et sequitur, *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei*. Ecce qualis merces dabitur sanctis; scilicet plenitudo totius boni cum omnimoda invariabilitate in perpetuum. Psal.:

in pace ac [illegible], [illegible] et [illegible], hoc est immutabiliter. *Sed in diebus vocis septimi Angeli*, id est ultimorum prædicatorum, quorum vox, id est prædicatio, erit ultimo tempore, sicut infra XI patet, tunc enim prædicabit septimus ordo prædicatorum. *Cum cœperit*, scilicet septimus Angelus, id est septimus ordo prædicatorum, *Tuba canere*, idest prædicare, hoc est quando ultimi prædicatores ultimo tempore prædicabunt. Et dicit, *Cœperit*, quia parum durabit illa prædicatio, quæ erit post mortem Antichristi: quia non diu post durabit mundus. *Consummabitur mysterium Dei*, id est, complebitur secreta Dei præordinatio de præmiatione justorum. Illa autem præordinatio dicitur mysterium, id est, secretum, quia ineffabile est. Item quia ipsum præmium præordinatum est inenarrabile. I Corinth. II, *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*. Isa. LXIV, *Oculus non vidit* etc. Postquam enim erit conversus populus Judæorum qui sunt electi, (quia reliquiæ convertentur) et gentes ad fidem intraverint virtute prædicationis, tunc erit judicium et retributio universorum. *Sicut evangelizavit*, idest annuntiavit sive prædixit. Evangelizatio enim est bona annuntiatio. Propriissime autem Christi doctrina dicitur Evangelium: sive evangelizatio: tamen etiam doctrina Apostolorum et etiam prophetarum potest dici evangelizatio, secundum quod nomen accipitur in communi significatione. *Per servos suos prophetas*, fore scilicet consummandum. Daniel XII, *Evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium ut videant semper*. Zachar. XIV, *Et erit dies una quæ nota est Domino, non dies neque nox*. Psal.: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Isa. XXXV, *Gaudium et lætitiam obtinebunt et fugiet dolor et gemitus*. Ex hoc igitur præmio perseverantibus exhibendo, surgit consolatio in adversis. Augustinus in lib. *de bono Patientiæ*: « Vis desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum. » Sed objicitur: ad quid agitur de ascensione Christi cum agitur de ejus juramento, cum nihil videatur facere ad propositum? Nam secundum *Glossam*: « Levatio manus est exaltatio dominicæ humanitatis. » Respondeo. Dici potest quod idem de ejus ascensione hic agitur, quia in ejus ascensione quam fecit propter nos, apparuit præordinatio qua disposuerat præmiare suos electos; propter eos enim ascendit. Item quia præordinavit suos electos introducere in locum incommutabilis mercedis, de qua post loquitur, et per ipsam ascensionem complebitur ut præordinatum est. Joan. XIV, *Si abiero et præparavero vobis locum*. Hæc autem præordinatio intelligitur per juramentum, quia juratio Dei est firma dispositio, ut vult *Glossa*. Secundo quæritur de hoc quod dicitur: *Qui creavit cœlum etc.*: quare non loquitur de aere et igne, sicut de aliis duobus elementis et de cœlo, cum Deus omnia fecerit? Respondeo. Videtur dicendum quod cum loquatur hic de creatione rerum ad manifestationem divinæ potentiæ, quatenus potest implere quod disposuit de homine, agit specialiter et expresse de illis creaturis quæ habent sensibilem magnitudinem, ut est terra et mare et cœlum: aer autem non est visibilis ita aperte, ut terra vel mare vel sidereum cœlum; quod videtur saltem per hoc quod ejus corpora, scilicet stellæ, videntur. Si autem intelligitur de Empyreo, illud est corpus nobilissimum, unde merito de eo fit sermo. Ignis autem, ut est in sua sphæra, non est manifestus hic inferius oculo corporali. Ignis autem qui est apud nos intelligitur in eis quæ sunt in terra. Licet autem de aere non loquatur, tamen nominatis cœlo et terra, datur intelligi illud quod est in medio, scilicet aer. Vel cum dicitur cœlum datur intelligi aer, quia nomine cœli quandoque signatur. Item objicitur de hoc quod dicitur: Tempus amplius non erit, quia dicitur in Psalm.: *Et erit tempus eorum in sæcula*. Respondeo. Tempus dupliciter potest dici: Uno modo dicitur tempus mensura motus primi mobilis; et sic tempus non erit post judicium, quia motus firmamenti cessabit. Habacuc III, *Sol et luna steterunt in habitaculo suo*, idest stabunt in cœlo. Alio modo dicitur tempus men-

sura motus rerum mutabilium : et sic fuit tempus cum primum mobile esset conditum, quia fuit motus sive mutabilitas in rebus, quia mutatio sive variatio aliquia in rebus est causa temporis. Unde Augustinus, XII lib. *Confessionum* : « Rerum mutationibus feriunt tempora dum variantur. » Hoc modo non erit tempus in electis post judicium, quia non erit in eis variatio nec mutabilitas, quia erunt incorporales et immortales, nec status eorum vel præmium variabitur, sed semper immutatum manebit. Nunc autem multiplex fit variatio. Modo enim bonum crescit, modo decrescit, modo malum culpæ vel pœnæ succedit, modo timor, modo quasi securitas, modo est tepor, modo fervor, et in sic aliis multis. Et ideo dicitur, tempus non erit amplius, scilicet nec motus primi mobilis, cujus mensura est tempus, nec motus vel mutabilitas in electis, qui nunc subjacent multiplici varietati temporum et pœnarum : et de hoc intelligitur principaliter. Ponitur enim hic tempus pro mutatione seu varietate quam tempus comitatur. In reprobis autem in inferno erit per tempus, quia variatio et mutatio erit in eis, quia *transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium*, Job. XXIV : et sic accipitur illud Psalmistæ, *Et erit tempus eorum in sæcula*, ut tempus dicat variationem quæ erit in eis, quantum ad pœnas. Quod autem hic dicitur, tantum de electis intelligitur. *Et vocem quam audivi.* Hic ponitur consolatio ex salubris doctrinæ præmunitione. Ipse enim Joannes tenens typum prædicatorum præcipitur interim prædicare, ut fideles magis sint cauti cum venerit Antichristus, quia minus feriunt jacula quæ prævidentur. Et licet hoc intelligatur de persona ipsa Joannis, tamen in hoc ipso intelligitur quod Dominus vult Ecclesiam suam per alios prædicatores similiter instrui et præmuniri : et est hoc ad consolationem fidelium qui sunt ante tempus Antichristi, et etiam eorum qui tunc erunt, quia facilius vincent et resistent, quia scient illud tempus esse prænunciatum per prædicatores et per Scripturam sacram. Nota Glossam, *Ostensa etc.* Sic autem proceditur. Primo agitur de Scripturæ informatione, quia necessaria est ad prædicandum. Secundo de prædicationis testificatione, *Et dixit mihi*, *Oportet te iterum.* Tertio de prædicatoris discretione, infra XI, *Et datus est mihi.* Circa primum, quia ad informationem prædicatoris necessaria est notitia quantum ad intellectum et devotio quantum ad affectum, Primo agitur de informatione quantum ad notitiam ex parte intellectus. Secundo quantum ad aviditatem ex parte affectus, *Et dixit mihi : Accipe.* Circa primum Primo ostenditur præceptum datum Joanni. Secundo subditur impletio præcepti, *Et alii.* Dicit igitur : *Et vox*, supple fuit illa quæ sequitur cum subditur, *Vade etc. Quam scilicet audivi de cœlo*, idest de sublimitate divinæ bonitatis. *Iterum loquentem.* Quia prius audiverat vocem Angelicam ; ideo dicit, iterum. Dictum est enim ante *Audivi vocem.* Hæc autem vox est vox Angeli qui Joannem instruebat, ut librum acciperet de manu cujusdam Angeli, quem prius viderat descendentem. Et videbatur de cœlo venire vox illa : unde dicitur. *Audivi de cœlo.* Vel vox ista est divina admonitio quæ loquitur de cœlo, idest de celsitudine suæ bonitatis, quia humanæ necessitati condescendit. *Et dicentem, vade*, aliqui libri habent, *Et vocem.* Et secundum hoc potest sic ordinari. *Et vocem :* quasi dicat : vox quam audivi fuit illa quæ sequitur : *Audivi* inquam, *Iterum loquentem etc.*, ut prius. Per hoc signatur quod multiplex allocutio interna, sive Angeli, sive Dei, fit prædicatori zelanti animas et sancte viventi. Psalm. : *Vox Domini præparantis cervos. Vade*, idest accede magis ad Christum ut promerere gratiam intelligentiæ elongando a mundo. Matth. XIII, *Abiit et vendidit omnia quæ habuit etc. Et accipe librum apertum*, idest Scripturam per Christum impletam fidelibus intimatam : idest pete et accipe intelligentiam Scripturæ, quam Christus aperuit et prænuntiata implendo et suis declarando, *De manu Angeli*, idest de potestate Christi, idest a Christo, qui eam habet in potestate sua. Ipse enim Christus dat suis sapientiam et intelligentiam Scripturæ. Prov. II, *Ex ore ejus prudentia et scientia, Stantis super*

mare et super terram, idest parati juvare omnes peccatores, si ad ipsum accedant, sive sint in majori gradu vitiorum, sive in minori. Psalm. : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Sed objicitur de hoc quod dicitur : *Vade.* Glossa : « Procedere per gratiam. » Nam Beatus Joannes habebat abundantiam gratiæ. » Item objicitur de hoc quod dicitur : *Accipe librum.* Glossa : « Scripturam. » Habebat enim intelligentiam Scripturæ, cum suscepisset simul cum aliis Spiritum sanctum illuminantem et accendentem. Respondeo. Ad primum dicendum, quod de gratia est loqui dupliciter. Aut quantum ad gratiæ primæ donum, quod scilicet primo datur homini cum a peccatis justificatur; et sic non accipitur quod hic dicitur ; aut quantum ad gratiæ augmentum, et sic intelligitur. Licet enim abundantem gratiam suscepisset in missione Spiritus sancti, tamen poterat augeri tam gratia gratificans quam gratia illuminans, ad majorem intellectum Scripturæ. Item hoc dicitur ad signandum quod quilibet prædicator debet abundare gratia et magis ac magis promereri eam. Ad aliud dicendum, quod licet haberet Beatus Joannes, sublimis aquila, sublimem intelligentiam Scripturarum, tamen augeri poterat, et quantum ad hoc potest intelligi. Item hoc dicitur, non tantum propter Beatum Joannem, sed etiam propter alios prædicatores : necessaria enim est intelligentia Scripturæ ; et ideo eam et ejus augmentum quærere debent a Deo. Unde Damascenus IV lib. x, cap. : « Et qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. Pulsemus igitur in optimum paradisum Scripturarum, quæ odorifera et dulcissima et speciosissima. » *Et abii*, sicut mihi visum fuerat. *Ad Angelum*, refert tenorem visionis. Per hoc signatur quod prædicator debet ad Christum accedere magis ac magis per terrenorum contemptum et majorem amoris effectum et meritorum profectum, petens ab eo orando et bene operando, librum idest intellectum Scripturæ, sicut fecit Beatus Joannes. Unde dicit : *Et abii etc.* Jacob. I, *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter. Et dixit mihi.* Hic agitur de aviditate affectus. Et primo ostenditur præceptum injunctum Joanni. Secundo completio præcepti : *Et accepi.* Dicit igitur : *Et dixit mihi : Accipe.* Nota tenorem visionis. Per hoc significatum est, quod Deus exigit a prædicatore, ut ab ipso accipiat donum intelligentiæ, quod Deus paratus est dare, et ut cum aviditate imprimat cordi et meditetur ac inquirat et opere observet quod, aliis prædicat. Dicit igitur : *Et dixit mihi*, scilicet Angelus, idest Christus. *Accipe*, scilicet librum, ut post sequitur cum subditur *Librum*, hoc est accipe intelligentiam Scripturæ, ut quid alios docere debes, hoc Dominus dicit prædicari [1]; et si non verbo, tamen ipso facto, quando dat vel offert ei gratiam intelligentiæ. Luc. XXI : *Ego enim dabo vobis os et sapientiam etc.* Item cum exigit præcepto vel naturali, vel in Scriptura expresso, ut prædicator se præparet ad accipiendum intellectum Scripturæ, ut Scripturam ferventer sibi imprimat. Unde de ignorantibus te tepidis dicitur Isa. LVI : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi. Et devora illum*, idest in memoria firmiter, profunde et avide imprime, ut illa mediteris salubriter et actu impleas efficaciter. Nota quod tria sunt proposita : scilicet vade, accipe et devora. Vade per desiderii et vitæ profectum. *Accipe* Scripturæ intellectum. *Devora* per sitientem affectum. Devorare enim librum est in mente avide amplexari ad considerandum devote et implendum in re : unde Ambrosius : « Devorare librum est Scripturarum intelligentiam secretis visceribus recondere. » Ezechiel. II : *Comede volumen istud.* Vel devora, idest cum effectu pertracta, masticando per inquisitionem, et sic transglutiendo ut nutriaris, quia illud quod devoratur comeditur. Comestio autem signat masticationem difficilium in Scriptura et devoratio aviditatem addit. Unde Gregorius exponens illud verbum devora : « Petracta et intellige, idest prius mande et tunc deglutti. » Et nota quod, sicut dicit Beatus

[1] Lege « dicit prædicatori. »

Gregorius : Scriptura cibus et potus est. In locis obscuris est cibus, quia mandendo et ruminando sumitur, ut hic tangitur : devora illum. In locis autem apertis, potus est, quia facile intelligitur, sicut potum sine masticatione sumimus. » Prov. v : *Bibe aquam de cisterna tua.* Sed quare hic potius dicit devora quam bibe? Respondeo. Dicendum,secundum Beatum Gregorium, quod loquitur hic de difficilibus, non de facilibus. Difficilia autem Beatus Joannes diligenter et affectuose pertractabat ad exponendum aliis, et sic debet quilibet prædicator. *Et faciet amaricari*, idest amare dolere. *Ventrem suum*, idest sensualitatem sive carnem infirmam. Sensualitas enim mollis est et infirma, sicut est mollior pars corporis. Sensualitas ergo per librum devoratum amaricatur, quia cum consideratur verbum Dei ad implendum in se, generatur horror in sensualitate, seu carne, propter afflictionem quæ intelligitur esse in observantia verborum. Item quando verbum Dei impletur (tunc enim devoratur et comeditur ad nutrimentum) sensualitas affligitur. Item cum investigatur verbum, ut aliis prædicetur, cum cogitatur tribulatio sustinenda,sensualitas amaricatur,Jerem. IV : *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo.* Consideratio tamen verbi Dei et ejus impletio, dulcis est rationi : unde sequitur : *Sed in ore tuo*, idest in mente sive ratione, quæ dicitur os, quia eam dum masticat verbum Dei, venit nutrimentum ad animam. *Erit dulce tamquam mel*, quia verbum Dei, dum devote consideratur et ferventer prædicatur dulcedinem parit in mente, licet faciat amaritudinem in carne. Ezechiel. III : *Comedi illud et factum est in ore meo quasi mel dulce. Et accepi librum*, idest intelligentiam Scripturarum *De manu Angeli*, idest de potestate Christi sive bonitate ; quia Christus sua de virtute et bonitate facit intelligere Scripturam. Accepit autem quia petierat, ut supra dixit. Matth. VII : *Omnis qui petit accipit.* Vel, De manu Angeli, idest de operatione Christi ; quia ipsa Christi operatio, qua Scripturam quam prædicavit, opere complevit, juvat ad intellectum Scripturæ ; dum quis ipsum imitando operatur. De quo dicitur Act. I : *Cœpit Jesus facere et docere. Et devoravi eum*, idest in memoria avide recondidi ; quia illud quod comedendo devoratur, cum aviditate trajicitur. Tunc enim devorat homo librum, quando verbo Dei se satiat et nutrit per impletionem verbi, sicut innuit *Glossa*. Vel *devoravi eum*,idest operando complevi avide ad spiritus nutrimentum. Illud enim quod devoratur comedendo, avide incorporatur ad corporis nutrimentum. Vel, *Devoravi*, secundum Gregorium, idest avide inquirendo, quasi masticando pertractavi, ut sic glutirem ad reficiendum. *Et erat in ore meo* etc., idest dum ore cordis comederem considerando et pertractando avide, erat mihi dulce sive suave ; quia dulcis est sermo Dei animæ bene dispositæ dum devote consideratur. Psal. : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Vel dum opere implerem, quod est devorare, secundum unum modum, erat sermo Dei dum opere implebatur, dulcis in ore cordis, ubi sentitur sapor boni operis et divini sermonis. Psal. : *Judicia Domini vera, justitificata in semetipsa, et dulciora super mel et favum.* Tamen licet verbum Dei dum intra consideratur, et exterius impletur, dulce sit rationi propter fervidam caritatem ad Deum : tamen grave est sensualitati propter sensualitatem : unde sequitur, *Et cum devorassem eum*, idest mente avide recondidissem, vel inquirendo ruminassem, vel operando complessem ad nutrimentum animæ, *Amaricatus*, idest amara afflictione cruciatus, *Venter meus*, idest sensualitas, quæ debilis est et infirma ; quia dum verbum Dei consideratur, vel implendum in mortificatione carnis, vel denunciandum aliis, unde quandoque timetur tribulatio, fit in carne horror amarus. Item quando verbum impletur opere, licet dulce sit menti quantum ad rationem : amaritudinem tamen gignit in carne, propter gravitatem pœnitentiæ, quæ est in verborum impletione ; quia *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Matth. XXVI, Morale. Notandum circa illud, *Accipe librum, et devora illum :* hoc dicitur cuilibet Christiano. Iste enim liber est ipse Christus vel ejus vita. Job. XXXI : *Librum scribat ipse qui judicat.* Iste liber

de manu Angeli, idest de gratia et misericordia Christi accipitur. Ipse enim est qui dat seipsum ad possidendum, ad diligendum, ad meditandum, ad imitandum. Facile autem potest legi in hoc libro; quia scriptus est liber iste literis grossis et legibilibus, scilicet humilitate, patientia, paupertate, vilitate, innocentia, benignitate, constantia, caritate, sapientia, livore vulnerum, et grossis guttis ac rivis sanguinis immaculati, et aliis litteris multis. Habacuc. II : *Scribe librum, explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit.* Tabulæ istæ sunt lignum crucis. In hoc libro scriptum fuit stylo clavorum perforantium manus pedes ac latus, et stylo flagellorum pertrahentium sanguinem in corpore ejus. Hic liber devoratur, quando magna amoris aviditate, meditando ad interiora trajicitur ut anima nutriatur. Debet autem devorari, quia dulcissimus est interno affectui ad meditandum et revolvendum, et ad servandum per imitationem, Galat. VI : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi*, licet inde gravetur sensualitas. Galat. VI : *Stigmata Domini Jesu etc.* Item secundum quod de libro Scripturæ intelligitur, licet prædicatori principaliter dicatur, *Accipe librum et devora illum*, scilicet propter aliorum instructionem; tamen cuilibet fideli dicitur, ut librum Scripturæ devoret, propter propriam salutem : vel per se meditando, si novit, vel ab aliis audiendo. Tunc autem devorat, quando avide considerat. Unde super hunc locum dicit beatus Gregorius : « Librum devoramus cum verba vitæ cum aviditate sumimus. » Sunt autem qui librum accipiunt, dum apud se meditantur, vel ab alio audiunt ; sed non devorant, quia avidi vel affectuosi non sunt et implere negligunt ; et ideo jejuni multi legunt, et ab ipsa lectione jejuni sunt. Multi audiunt, et post vocem vacui et jejuni recedunt. Qui autem librum devorat, licet sensualitas abhorreat, et eum impletio verborum affligat : tamen liber devoratus, idest verbum avide in mente impressum, dulcedinem facit in ore affectionis interius, ut dictum est supra. Unde Gregorius *super hunc locum* : « Veritatis pabulum dulciter intrinsecus ruminant, » Item etiam dulcedinem introducit in re externa, dum dulci affectu salubria proponit aliis. Unde *super hunc locum* Gregorius : « De eorum ore prædicatio tanto audientibus dulcis est, quanto eorum actio suis prædicationibus nota est. Nam sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. » *Et dixit mihi : oportet te.* Hic agitur de restitutione prædicationis, et intelligitur hic de ipsa persona beati Joannis. Dixit ergo, *Et dixit mihi*, scilicet Angelus, *oportet te*, quia Dei voluntas, quam te ejus servum oportet implere : oportet etiam quia hominibus necessarium, *prophetare*, idest prædicare. Prophetare enim quandoque accipitur pro prædicare, ut I Corinth. XIV : *Nam qui propheta, hominibus loquitur ad ædificationem : Iterum*, prius enim ante relegationem prædicaverat : et ab exilio in quo hæc vidit et scripsit liberandus erat. Non erat autem paucis prædicaturus : unde subditur, *Populis et gentibus*. Prædicavit enim tam minoribus quam majoribus. Majores inquam, secundum gradum altissimum, qui vocantur hic reges. Minores sunt omnes qui eis subsunt. Isti autem sunt de Judæis, et nomine Populorum, quia nomen Populi eis appropriatur quandoque sicut Gentibus nomen Gentis, aut de gentibus. Et sic sunt Gentes et Linguæ. Sed per hoc quod dicitur, *Gentes*, ostenditur diversitas nationum et regionum : per hoc vero quod dicitur, *Et linguis*, subdividit quod dixerat *Gentibus*; ut in uno regno est una gens, et tamen diversa idiomata ; et ita sub una gente, sunt diversarum linguarum homines. Beatus igitur Joannes, postquam rediit ab exilio in Asiam, prædicavit multum ; quia et Judæis et Gentilibus, tam regibus quam subjectis ; et hoc vel verbo vel scripto. Cum enim rediit de Pathmos in Asiam, invenit Asiam corruptam per hæreses in multis, unde instanter prædicavit, et Evangelium scripsit, in quo errores destruxit, et omnes in veritate instruxit. In ipso Joanne intelliguntur alii prædicatores, quos Dominus ante tempus Antichristi, vult instanter prædicare majoribus et minoribus, etiam postquam diu laboraverunt vel adversa sustinuerunt,

Unde dicitur : Per Angelum, per quem Christus signatur : *Oportet te iterum prophetare etc.* : quia Christus præcipit prædicatoribus annunciare verbum Dei. Unde dicit per Apostolum II Timoth. IV : *Prædica verbum, insta opportune importune.*

CAPUT XI

Et datus est mihi calamus etc. Hic agitur de prædicantis discretione ; quia discrete prædicandum est, juxta capacitatem audientium, et qualitatem vitæ ipsorum. Et primo agitur de discretione, quantum ad ipsius discretionis donum, quod scilicet datur a Deo. Secundo quantum ad doni usum. *Et dictum est mihi.* Dicit igitur, *Et datus est mihi* : per hoc patet quod discretio prædicatoris, qua novit non solum quid sit prædicandum, sed etiam qualiter, et quibus, et quando, et quantum, donum Dei est. Job. XXXVIII : *Quis dedit gallo intelligentiam?* super quem locum dicit beatus Gregorius : « Veritatis doctori, discretionis virtus, ut noverit quibus, quid, quando, vel quomodo inferat, divinitus ministratur. » *Calamus*, idest discretio. Sicut enim mediante calamo apto et disposito bene scribitur ; sic mediante discretione convenienter et salubriter scribitur verbum Dei in cordibus auditorum ; quia non omnia omnibus conveniunt. Unde Gregorius : « Non una eademque cunctis exhortatio convenit : quia nec cunctos una morum qualitas astringit. » Item sicut calamus, nisi interius incaustum habeat non scribit : sic et discretio prædicatoris in intellectu, nisi repleatur gratia, in affectu vacua remanet, nec affectum habet, Psal.: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Item sicut calamo recte mensuratur res ; sic recta discretione mensurat prædicator hominum capacitatem et vitæ qualitatem : unde sequitur, *metire*, Ezechiel. XL : *Calamus mensuræ in manu ejus. Simili virgæ* : quia si vera est discretio, recta est, et facit recte docere, secundum conditionem rei ac personæ et temporis ; et tunc ad modum virgæ, recta est. Item virga est instrumentum regiminis : similiter per discretionem alii docendo bene reguntur. Psal. : *Virga directionis virga regni tui.* Item facit reges eos, qui bene et discrete alios docent : unde hæc est virga scriptum regale, ut *Glossa* tangit. Nota quod calamus discretionis, non est rectus ut virga, quando tam parva est discretionis regula ut regulare prædicatores non possint. Item si utitur discretione, vel propter favorem sæcularem, vel propter substantiam, vel gloriam temporalem : non est calamus rectus. II Corinth. IV : *Non enim nosmetipsos prædicamus sed Dominum Jesum.* Valde autem necessaria est rectitudo hujus calami, idest discretionis : ut non solum quantum ad intentionem, sit rectitudo, sed etiam quantum ad exequutionem, quia quandoque unus recipit quod alius contemnit. Sæpe alicui obest, quod alteri prodest. Unde Gregorius : « Sæpe aliis officiunt quæ aliis prosunt ; pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum. » *Et dictum est mihi.* Hic agitur de discretione quantum ad usum. Debet enim prædicator, per normam discretionis, quibusdam sapienter doctrinam dare, aliis vero omnino subtrahere ; qui scilicet contemnunt. Unde primo agitur de usu discretionis, quantum ad prædicationis convenientem distributionem. Secundo quantum ad ejusdem omnimodam subtractionem, *Atrium autem.* Circa primum, Primo ostenditur quoddam præambulum. Secundo ostenditur usus discretionis in informatione fidelium, *Et metire.* Dicit igitur, *Et dictum est mihi.* Audiebat vocem sibi dicentem, *surge*, idest erige te, vel præpara ad prædicandum ; hoc enim præambulum, exigitur ad actum discretum prædicandi. Per hoc namque quod Joanni dictum est, *Surge*, signatur quod prædicator prius debet se erigere virtutibus, per vitæ rectitudinem et proficiendi zelum, deposito mentis torpore, ut prius alios erigat per verbum. Ezechiel. III, *Surge et egredere in campum. Et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo.* Tria jubet : Metiri scilicet templum, per quod intelligitur Ecclesia. Item altare, quod est Christus : Rursus adorantes in templo, idest eos qui adorare debent in Ecclesia. Metiri templum

est, per lucem discretionis statum Ecclesiæ prudenter considerare, secundum capacitatis diversitatem, ut prædicentur majora provectis, facilia vero simplicibus. I Corinth. III, *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis dedi potum, non escam.* Et I Corinth. II, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Item secundum vitæ qualitatem, et sic juxta capacitatem intelligentiæ et qualitatem, doctrinam ministrare : quia aliter est prædicandum justis, aliter eis qui non recte ambulare videntur, aliter sæcularibus, aliter religiosis, aliter clericis, aliter laicis, aliter superbis, aliter voluptuosis, aliter cupidis, aliter fidelibus, aliter infidelibus. Unde Gregorius : « Sanctus quisque prædicator, prius in auditoribus suis qualitatem vitæ considerat, et tunc demum ad erudiendum vocem prædicationis format. » Metiri altare, est considerare quæ sunt dicenda de Christo, et sic ea aliis proponere, quia non omnia quæ sunt de Christo, sunt omnibus communiter prædicanda, quia vel non intelligerent vel male intelligent, vel non inde proficerent. Magna enim est discretio necessaria circa prædicanda. Unde Gregorius. « Considerare debemus quid loquamur, ut sermo noster sale gratiæ sit semper conditus. » Metiri adorantes in templo, scilicet eos qui adoraturi sunt vel adorare debeant ; est fidelium, qui sunt in Ecclesia, capacitatem et vitæ qualitatem considerare ; et sic eos instruere, qualiter Deum in unitatem Ecclesiæ venerentur. Dicit igitur, *Metire templum*, idest calamo discretionis mensurare, et considera Ecclesiam catholicam, in qua Deus sicut in suo templo colitur, attendens singulorum capacitatem et vitæ qualitatem ; et sic prædica et per hoc Ecclesiam magis ac magis ædifica, ut sit amplius templum Dei. Gregorius : « Pensare debet doctor quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, et qualiter loquatur : si enim unum defuerit, locutio apta non erit. » *Et altare*, idest Christum, super quo, in templo Ecclesiæ, offerre debemus munera nostra ipsi inquantum est Deus, et Patri, et Spiritui sancto. De hoc altari, Exod. XX. Quasi dicat : Mensura et considera quæ sunt Ecclesiæ prædicanda de Christo, et sic prædica, et prædicando fac ut Christus sit Ecclesiæ in altare. Et metire adorantes in eo, scilicet in templo, idest considera modum fidelium et prædicando doce qualiter in Ecclesia, quæ est templum Dei, adorent : idest Deum humiliter et devote venerentur. Et potest hoc intelligi de adoratione speciali, ut cum quis se devote humiliat coram majestate divina. Psal. : *Venite adoremus et procidamus ante Deum.* Vel de adoratione generali, secundum quod servire Deo humiliter et devote est ipsum adorare. Hoc autem habet fieri in templo, idest in Ecclesiæ unitate. Unde Gregorius. « Sola est Ecclesia in qua bonum opus fructuose peragitur. » *Atrium autem.* Hic agitur de discretionis usu, quantum ad prædicationis subtractionem, quia doctrina subtrahitur obstinatis. Primo, præcipitur prædicationis subtractio. Secundo dicitur ratio subtractionis, *Quoniam datum est.* Circa primum, quia mali in malo obstinati merentur ab Ecclesia separari, et a doctrina salutis elongari : ideo primo injungitur Joanni subtrahere perversis Ecclesiasticam communionem. Secundo subtrahere salutis prædicationem. Dicit igitur, *Atrium autem* : quasi dicat, benevolos cum discretione informa. Atrium autem, idest falsos christianos, qui ficti sunt in malo indurati, simulantes se esse de Ecclesia, cum non sunt, hos comparat Atrio, quia dicunt se adhærere Ecclesiæ, sicut atrium adhæret templo ; tamen non pertinent ad Ecclesiam secundum veritatem. Unde dicuntur esse foris templum. Item quia sicut Atrium sanctum est, tamen in eo sepeliuntur cadavera : ita isti fuerunt aliquando sacramentaliter sanctificati per baptismum, cum intus fœtent fœtore vitiorum. *Quod est foris templum*, idest extra Ecclesiam juncto : licet non numero, quantum ad speciem exteriorem. *Ejice, foras*, idest excommunicando ostende esse foras secundum *Glossam*. Hæc ejectio quæ fit per excommunicationem signata fuit per ejectionem Adæ de paradiso, Genes. III. Et in ejectione Agar ancillæ Saræ, Genes. XXI. Galat. IV, *Ejice ancillam.* Vel *ejice*, idest prædica esse

foras, et non esse de fidelium numero, secundum veritatem. Jeremiæ xv, *Ejice illos a facie mea.* Quasi dicat : Illos qui sunt falsi Christiani, simulantes se esse veros filios Ecclesiæ, cum non sint; quia vel fide carent, vel si fidem habent, in moribus pravis obstinati sunt, manifesta esse extra Ecclesiam, vel excommunicando vel prædicando. Sed quomodo dicitur Atrium quod est foris templum, ejici foras? Quod enim extra est, quomodo ejici potest? Item quomodo dicitur, ejice, excommunicando secundum *Glossam*, cum excommunicatio non ita cito sit ferenda, cum vel non est certa contumacia, vel quando aliud remedium potest haberi? Item fit ne aliud per excommunicationem nisi quod ostenduntur esse extra Ecclesiam? videtur quod non, per *Glossam*, quæ dicit, Excommunicando ostende esse foras. Item ejectio de Ecclesia fit per mortale. Eo enim ipso quo peccat quis mortaliter, ejicit se de unitate fidelium, quæ est per gratiam et caritatem. Sed contra : quia excommunicare, est extra communionem ponere. Item I Cor. v, *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?* ergo non potest eos, qui foris sunt, excommunicare. Respondeo. Ad primum dicendum, quod atrium quod est foris secundum veritatem præcipitur ejici quantum ad manifestationem, idest manifestari esse foras, quod fit excommunicando, ut dicit *Glossa*, vel prædicando. Vel qui sunt extra Ecclesiam quantum ad communionem caritatis, quia non sunt sub unitate gratiæ et caritatis cum fidelibus, præcipiuntur ejici, per exclusionem a communione christianæ societatis, quæ est insimul loquendo, bibendo, comedendo, et simul sacramenta Ecclesiæ participando; quæ exclusio fit per excommunicationem. Ad aliud dicendum quod hic loquitur de obstinatis qui cessare nolunt, nec ad statum gratiæ redire : et quorum crimen notorium vel legitimis testibus probatum vel confessione propria in judicio detectum, et non invenitur aliud efficax remedium. Licet enim brevi sermone dicatur, ejice, intelligendæ sunt tamen, in præcepto divino vel angelico, circumstantiæ debitæ, quas debet attendere qui excommunicat. Hic enim ostenditur quod spirituali gladio Ecclesiæ sunt feriendi, qui a magnis offensis contemnunt corrigi. Hoc tamen nihilominus ad personam beati Joannis pertinere videtur, qui multos perversos, post regressum de exilio in ecclesiis Asianis invenit. Ad aliud dicendum quod triplex est communio fidelium in Ecclesia : scilicet unitivæ caritatis. Item sacramentalis participationis, scilicet qua communicant in sacramentorum participatione. Item christianæ societatis, scilicet tam in sacramentorum participatione, quam in conversando per mutuam loquelam, cibum et potum, et sic in aliis. Et secundum hoc est triplex excommunicatio sive ejectio de Ecclesia. Una est per quodlibet mortale, quod tollit primam communionem; quantum ad hanc nihil facit excommunicatio primo et per se, nisi quod eam manifestat; et sic accipit *Glossa*. Alia est excommunicatio sive ejectio quæ dicitur minor, et hæc tollit secundum communionem, scilicet sacramentorum : sed de hac sola non est hic sermo. Hanc tamen ejectionem facit Ecclesia ferendo excommunicationem minorem. Tertia est, quæ dicitur excommunicatio major, quæ privat sacramentis et suffragiis Ecclesiæ et societate fidelium in loquela, et in aliis hujusmodi, nisi in casibus a jure exceptis; et hanc ejectionem facit Ecclesia propter perversitatem malorum ut corrigantur propter confusionem et damni considerationem; vel ut alii, ne attentent similia, terreantur : et hanc ejectionem ostendit *Glossa* cum ponit ipsum vocabulum excommunicationis. Quantum ergo ad primam ejectionem, non fit aliud per excommunicationem, quam ostensio illius ejectionis factæ per mortale; quæ ejectio prius facta, declaratur magis per excommunicationem majorem. Non enim videtur aliquatenus ferenda, nisi pro mortali. Tamen simpliciter plus fit per excommunicationem, quam ostensio; scilicet exclusio a christiana societate, ut dictum est. Ad *Glossam* patet : quia cum dicit *Glossa*, Ostende esse foras, loquitur quantum ad primam ejectionem : tamen per hoc quod dicit, Excommunicando, ostendit quod plus est ibi quam ostensio.

Ad aliud patet; quia objicitur de prima quæstione, et illam non facit Ecclesia, sed declarat. Secundam autem et tertiam declarat et facit. Ad aliud dicendum quod hic loquitur de his qui aliquo modo sunt intus; scilicet quia susceperunt Ecclesiæ sacramenta, saltem baptismum; et ideo Ecclesia eos excommunicat cum magna causa hoc exigit: unde hæretici excommunicantur. Apostolus autem loquitur de eis qui omnino sunt foris, nec unquam intus fuerunt, quia pagani sunt, et tales non judicat feriendo gladio spirituali. *Et ne metiaris illud*, id est nullam circa eos discretionem adhibeas ad prædicandum, sed omnino prædicationem subtrahe: quia non sunt dandæ *margaritæ ante porcos*. Matth. VII. Aliter per calamum potest intelligi Scriptura secundum *Glossam*, quia calamo metitur quis longitudinem, latitudinem et altitudinem construendæ domus; sic qui habet Scripturæ intelligentiam, metitur cum ea singulorum capacitatem, ut majoribus majora, minoribus minora proponat. Exod. XXII. *Si quis aperuerit cisternam et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam: reddet Dominus cisternæ pretium jumentorum.* Cisterna est Scriptura, bos et asinus fidelis et infidelis; cadere in cisternam, est cadere in errorem; et qui stulte, quod non debuit, prædicavit, tenetur ad restitutionem animarum in multis casibus. Item quia Scriptura sacra, quasi calamo scribitur in anima, fides, caritas, et alia bona. Item sicut calamus non scribit, nisi habeat incaustum in se; sic nec Scriptura scribit virtutes in anima, nisi adjungatur ei gratia. Item de bona littera non laudatur calamus, sed manus: sic de bona prædicatione Scripturæ non est laudandus prædicator sed Spiritus sanctus. Unde beatus Bernardus: « De bona litteræ formatura, laudatur manus non calamus: sic de bona sententia non laudatur prædicator, sed Spiritus. » Et dicit, *Datus est*, quia Scriptura sacra donum Dei est. Ecclesiastici I, *Omnis sapientia a Domino Deo est*. Similis virgæ, propter rectitudinem. Proverb. VIII. *Recti sunt sermones mei etc.* Item propter dignitatem; quia reges constituit, quia virga sceptralis, signum est dignitatis regalis. Proverb. VIII, *Per me reges regnant*. Propter flexibilitatem, in omnem expositionem convenientem. Daniel. XII, *Et multiplex erit scientia*. Et dictum est etc. *Metire*, scilicet calamo Scripturæ; quia Scriptura docet considerare capacitatem hominum et sic prædicare. Joan. XVI, *Multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo*. Templum etc., ut prius. *Quoniam datum est*. Hic ponitur ratio quare non est eis prædicandum; quia conformes sunt in vita Gentilibus; unde verbum non reciperent ad salutem, sed contemnerent. Dicit igitur, Quoniam: quasi dicat: ideo non prædices falsis Christianis obstinatis. *Quoniam datum est*, scilicet Atrium, *gentibus*, idest Deo eos deserente, facti sunt similes Gentibus in vitiorum profunditate sepultis, et ideo conculcarent margaritas. Psal.: *Commisti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum. Et civitatem.* Hic ponitur consolatio ex futura fidei testificatione, quæ fiet per Enoch et Eliam, qui tempore Antichristi fortiter testificabuntur, veritatem catholicam prædicando; et hoc est in consolationem fidelibus etiam qui sunt ante tempus Antichristi, et erit in consolationem eis qui tunc erunt. Primo autem tangitur futura tribulatio Ecclesiæ. Secundo ostenditur consolatio in tribulatione. *Et dabo*. Dicit igitur, *Et civitatem sanctam*, scilicet Ecclesiam fidelium, quæ est civium unitas, per fidei et caritatis uniformitatem. Psal.: *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.* Quæ sancta est conjunctione ad sponsum, qui est sanctus sanctorum: sanctificata sanguine sponsi. Ephes. V, *Christus dilexit Ecclesiam et semetipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret etc. Calcabunt*, scilicet Gentiles, idest persequentur, et suppeditabunt temporaliter et corporaliter. Et dicit *Calcabunt*, non comminuent: sed sicut silex cum calcatur pedibus elimatur. Ezechielis III. *Ut adamantem et silicem dedi te.* Proficiunt enim justi ex persecutionibus. II Corinth. XII, *Cum autem infirmor, tunc fortior sum et potens. Mensibus quadraginta duobus*, idest tribus annis et dimidio, secundum computationem anni solaris. Nam tribus annis et dimidio re-

gnabit Antichristus, et per se et per suos Ecclesiam persequetur, sicut Christus tanto tempore prædicavit, ut dicit *Glossa* Daniel. VII : *Tradentur in manu ejus usque ad tempus et tempora et dimidium temporis.* Præterea, sicut populus Israel quadraginta duobus mansionibus pervenit ad terram promissionum, Num. XXXIII, et in illis mansionibus multa mala prius sustinuit ab hostibus : ita Ecclesia per persecutiones quas in istis quadraginta duobus mensibus sustinebit, perveniet ad terram viventium. *Omnia enim in figuram contingebant illis.* I Cor. X. Et nota, quod post quam dictum est Joanni qualiter debet prædicare post reditum de exilio : redit ad describendum statum Ecclesiæ sub tempore Antichristi, de quo principaliter in hac parte intendit, de quo et supra IX, cœperat loqui : et ostendit quantum illa persecutio durabit. Deinde subdit consolationem fidelium, cum subdit, *Et dabo.* Agens autem de Elia et Enoch, qui erunt in magnam consolationem fidelibus, procedit sic. Primo agit de eorum prædicatione. Secundo de potestate, *Hi habent potestatem.* Tertio de passione, *Et cum finierint.* Quarto de retributione, *Et post tres dies et dimidium.* Circa primum, Primo agit de ipsa eorum prædicatione. Secundo de adjunctis prædicationi, quæ scilicet eorum prædicationem commendabilem reddent, Amicti etc. : quia in prædicatione ad actum prædicationis reddendum commendabilem, multa concurrere debent. Circa prædicationem vero tria tanguntur. Primum est Gratia ad prædicandum, *Dabo.* Secundum ipse actus prædicandi *Et prophetabunt.* Tertio duratio prædicationis. *Diebus etc.* Dicit igitur, *Et dabo :* quasi dicat, ita calcabuntur fideles, et in illa tribulatione, *Dabo duobus testibus meis*, scilicet Eliæ et Enoch, ut dicit *Glossa*, qui nunc sunt in paradiso terrestri, et tunc, scilicet tempore Antichristi, venient in publicum ad testificandum veritatem catholicam, et cum suum testimonium finierint, interficiet eos Antichristus, ut infra eodem dicitur. Per hoc quod dicit Duobus, ostendit sufficientiam testium. Matth. XVIII, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum.* Vel duobus, quia de duobus testimonium perhibebunt in Christo ; scilicet quod est Deus et homo. Vel de duobus, scilicet de magnificatione Christi, et reprobatione Antichristi. Testes autem Christi erunt hi duo, et in vita recte vivendo, et recte docendo : et in morte pro Christo patiendo : unde et secundum Haymonem duplex martyrium erit in eis : Alterum in mente, multa enim erit angustia eorum pro his quæ videbunt, et multa adversa sustinebunt. Alterum in carne. De Enoch dicitur Genes. V, *Ambulavit Enoch cum Deo, et non apparuit, quia tulit eum Deus.* De Elia, IV Reg. II, *Ascendit Elias per turbinem in cœlum.* Quid autem est daturus Dominus, non dicitur ; sed intelligitur gratia ad prædicandum et idoneitas ad testificandum. Non autem dicitur, quod eis dabit, quia non est facile narrabile. Magna enim dabitur eis gratia ad testificandum convenienter de Christo ; unde in hoc quod donum non exprimitur, intelligitur magnitudo doni. Similiter dicitur in Psal. : *Ponam in salutari;* non dicitur quid ponet. *Et prophetabunt*, idest prædicabunt, sicut accipitur I Corinth. XIV, *Nam qui prophetat hominibus loquitur ad ædificationem.* Per eorum autem prædicationem, convertentur Judæi qui tunc erunt, et intelligent se fuisse deceptos, expectando suum Messiam. Roborabuntur etiam per eos multi fideles in fide Ecclesiæ. Unde beatus Gregorius : « Temporibus Antichristi, gentibus ad plenum susceptis, Elia et Enoch prædicantibus, quoquot ex plebe Judaica fuerint inventi convertentur, et fideles quique roborati, in soliditate sanctæ Ecclesiæ persistent. » Hoc etiam dicitur, sicut dicit Gregorius, de Elia per Malachiam. Malach. I, *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam etc.*, *Diebus mille ducentis sexaginta,* idest tribus annis et dimidio, sicut Christus prædicavit tanto tempore, ut dicit *Glossa.* Notandum tamen, quod iste numerus dierum non complet per integrum tres annos et dimidium, ut dicit alia *Glossa;* imo deficiunt viginti unus dies : sicut et Christus non complevit dimidium annum prædicationis post tres annos quibus prædicaverat, quia Christus post quam fuit bap-

tantum supervixit tribus annis et dimidio, non tamen integro : quia pro dimidio anno computatur tantum temporis quantum de Epiphania Domini usque ad Pascha. Tamen Scriptura non facit vim sæpe de minutiis ; unde posito majori numero, non fit vis de minori : unde ponuntur tres anni et dimidius, licet ille dimidius non sit integre completus. Per istos duos, qui tunc prædicabunt, intelliguntur etiam alii qui prædicabunt similiter illo tempore, ut vult *Glossa*. Enoch enim interpretatur dedicatio ; unde signat sanctos prædicatores illius temporis, qui erunt Deo sanctitate amoris dedicati, et alios dedicabunt. Elias interpretatur Robustus dominator ; et signat eosdem prædicatores, qui sibi ipsis, et omni vitio dominabuntur. Proverb. XII, *Manus fortium dominabitur*. Sed potest quæri de Elia et Enoch ad quid translati sunt in paradisum, cum alii homines non tam longo tempore vivant ? Item quomodo ibi vivunt ? Item si morituri sunt, ad quid tamdiu protenditur vita eorum, cum diu vivere quædam afflictio sit ? Item quare isti specialius mittentur ad prædicandum tempore Antichristi, quia de his specialius fit mentio, licet et alii sunt qui prædicent ? ut innuit *Glossa*. Respondeo. Ad primum videtur dicendum secundum beatum Gregorium, quod ideo illi positi sunt ex divina voluntate, ut illi serventur ad testificandum tempore Antichristi, nomen Christi et fidei catholicæ veritatem. Tunc enim procedent in medium, et ita fortiter et fideliter prædicabunt quod mortem propter hoc ab Antichristo sustinebunt. Unde Gregorius *in Gregoriano*, et habetur in *Moral.* : « Tam crudelia ac dura Antichristus facturus est, ut priores patres qui in ejus expugnatione servati sunt, carnalis mortis dolore transigat. » Loquitur autem de Elia et Enoch : unde ibi dicit : Elias et Enoch in exprobrationem Antichristi reducentur ad medium : hoc etiam dicit Magister in historiis *super Genesim*. Ad aliud dicendum, quod creduntur in paradiso vesci ligno vitæ : vivunt autem in magna quiete carnis et spiritus, et dant operam delectationi, quæ est ad Deum. Unde de Elia dicit beatus Gregorius in *Gregoriano* : « In cœlum aereum, quod terræ est proximum, Elias sublevatus legitur, ut in quamdam terræ secretam regionem repente duceretur, ubi in magna jam carnis et spiritus quiete viveret, quousque in fine mundi redeat et mortis debitum solvat. » Vult etiam Augustinus, IX libro *super Genesim*, quod quasi in quodam medio statu sunt inter statum viæ, quem habent alii mortales, et inter statum gloriæ. Ad aliud patet jam, quod secundum Gregorium adhuc videntur illa divina voluntate tam longo tempore vivere, ut tempore Antichristi testificentur efficaciter nomen Christi. Nec eorum vita longa est eis afflictio sicut est in aliis hominibus multis : quia secundum animam sunt in jucunditate quietis internæ, sicut vult Gregorius, et etiam secundum corpus habent quietem : in fine tamen multa amarissima sustinebunt cum prædicabunt. Ad aliud videtur dicendum, quod ideo specialius isti mittentur quam alii, licet alii sint zelantes pro veritate catholica tempore Antichristi ; quia scilicet unus est de tempore ante Legem, scilicet Enoch ; alius de tempore sub Lege ; et per hoc erit eorum testimonium solidum, quod homines antiquorum temporum secundum diversos temporum status, de quibus in Scriptura legitur, quod translati fuerunt et quorum vita per Scripturam commendatur, de Christo cum magna soliditate animi testificabuntur : et ita homines cujuslibet temporis dabunt testimonium Christo, et contradicent Antichristo : Enoch qui pertinet ad tempus ante Legem ; Elias, qui est de tempore Legis, et Christiani prædicatores, qui erunt de tempore gratiæ. *Amicti*. Hic agitur de adjunctis prædicationi eorum, per quæ eorum prædicatio commendabilis reddetur. Extolluntur autem hic quantum ad multa, quibus eorum prædicatio fulcietur. Primum est, humilitas austeræ pœnitentiæ. Secundum est inunctio perfectæ gratiæ *Hi sunt duo olivæ*. Tertium diffusio caritatis publicæ, *Et duo candelabra*. Quartum fervor affectionis devotæ, *In conspectu*. Quintum virtus invictæ constantiæ, *Et si quis voluerit nocere*. Sextum pondus divinæ benevolentiæ, *Et si quis velit eos*

lædere. Hæc prædicta florebunt in eis : agent enim in corpore ingentem pœnitentiam, habebunt in anima perfectam gratiam, dabunt aliis claritatem apertam, verbo scilicet et exemplo ; habebunt ad Deum affectionem intimam, tenebunt ad persecutores immobilem constantiam, et in his omnibus obtinebunt acceptabilitatem divinam, quod patebit in pœna persecutorum. Dicit igitur, *Amicti;* quasi dicat : prædicabunt ipsi, dico, *Amicti*, idest cooperti sive induti, *saccis*, idest vilibus pannis. In præconibus enim secundi adventus, erit vilitas habitus exterioris indicium humilitatis et sanctitatis, sicut in præcone primi adventus. De quo Marci I : *Erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus.* Prædicabunt enim Elias et Enoch pœnitentiam, et exemplo, eam ostendent, sicut dicit *Glossa.* Item in hoc notatur quod ultimis temporibus Ecclesia revertetur ad humilitatem primi status. Item per saccum intelligitur humilitas et austeritas pœnitentiæ, quæ erit in Elia et Enoch, et quæ ulterius debent esse in viro pœnitente. Gregorius : « Si abjectio vilis indumenti virtus non esset, Evangelista tam vigilanter non diceret de Joanne Baptista : Erat indutus pilis cameli, » *Hi sunt duæ olivæ*, idest duæ arbores spirituales unctionem gratiæ perfectæ in se habentes, et aliis ministerialiter dantes. Oliva est arbor in qua invenitur oleum. Per oleum quod supernatat aliis liquoribus signantur gratia et virtutes et dona ; quia hæc omnibus bonis temporalibus et corporalibus supereminent, et animam inungunt et pinguem faciunt. Psal. : *Sicut adipe et pinguedine etc.* Magna enim gratia erit in eis. Zachariæ IV, *Quid sunt duæ olivæ istæ?* etc. Per hoc etiam ostenditur quod prædicator debet habere excellenter dona gratiæ. Nota quod ad hoc quod aliquis sit idoneus testis, requiritur quod habeat veritatis notitiam. Item quod habeat fidelitatem et audaciam : quia si veritatem quam sciret dimidiaret vel celaret, et non fideliter et audacter diceret testimonium ; bonus testis non esset. Item quod non posset replicari contra ejus vitam. Hæc tria ostenduntur de his testibus, scilicet Elia et Enoch. Primum per hoc quod dicitur : *Dabo*, scilicet gratiam prædicandi et ea quæ ad actum prædicandi concurrunt. Item etiam quæ est notitia mentis divinæ. Secundum per hoc quod dicitur : *Testibus meis;* quia testis non est, qui in dicendo testimonium fidelis non est. Tertium per hoc quod dicitur, *Amicti*, et cetera quæ sequuntur, *Et duo candelabra*, idest dantes aliis lumen, quasi apertum et publicum, scilicet verbo et exemplo manifesto, sicut candelabrum manifeste lumen suum ostendit. Gregorius : « Elias et Enoch, uterque per Zachariam duæ olivæ, et per Joannem duo candelabra nominantur. » Per hoc autem notatur lumen apertum doctrinæ et vitæ, quod debet esse in prædicatoribus. Matth. V, *Vos estis lux mundi.* Item : *Luceat lux vestra coram hominibus. In conspectu Dei.* Hic ostenditur fervor affectionis devotæ : unde dicit, *stantes*, per rectitudinem et promptitudinem affectionis, et elevationem mentis. *In conspectu Domini terræ*, idest in conspectu Dei qui est dominator totius orbis terrarum : quasi dicat : Prompti erunt implere beneplacitum universalis dominatoris : nec in sua actione intendent, nisi ut placeant divino conspectu. Vel secundum Haymonem : « Sancti intimæ contemplationi Conditoris inhærent. Propter hæc omnia dicitur quod stabunt in conspectu Dei. » Item per hoc quod dicitur, Domini terræ, confutatur error hæreticorum, qui dicunt quod corporalia non sint a Deo, sed a principe tenebrarum. Si hoc esset, non esset Deus Dominus terræ. Item per hoc confutatur superbia Antichristi qui sed licet Dominum terræ, cum solus Deus sit verus universorum Dominus. Zachar. IV, *Isti sunt duo filii olei, qui assistunt dominatori universæ terræ.* Hic informatur prædicator, ut habeat rectam intentionem. II Corinth. II, *Non sumus* (sicut plurimi) *adulterantes verbum Dei, ut sit promptus ad divinæ voluntatis impletionem.* Ephes. VI, *Facientes voluntatem Dei ex animo*, ut sit etiam erectus in sursum per contemplationem. Philipp. III, *Nostra autem conversatio in cælis est. Et si quis.* Hic ostenditur eorum invicta constantia in confessione veritatis : quasi dicat : si qui velint

eos pervertere per virtutem verbi divini, confutabunt ipsos, nec aliquatenus desistent a proposito. Unde dicit : *Et si quis*, de numero malorum, *voluerit nocere eis*, scilicet spiritualiter, scilicet a proposito revocare : *Ignis*, idest spiritualis virtus divini verbi, quæ comparatur igni, quia bonos accendit et impios quasi comburit dum eos retundit et refellit, *Exiet de ore eorum*, ad confutandum perversos. *Et devorabit inimicos eorum*, idest quasi devoratos reddet, dum eos refellet et impotentes ostendet ad resistendum. Luc. xxi, *Dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri*, Jerem. v, *Dabo verba mea in ore tuo in ignem, et populum istum in ligna, et vorabit eos.* Vel *ignis*, idest spiritualis sententia de æterno ardore. *Exiet de ore eorum*, comminando vel prædicando eis pœnam æternam constanter, sicut legitur de multis martyribus. *Et devorabit eos*, idest damnabit, idest damnandos esse ostendet : quasi dicat : persuasionibus pravitatis constanter comminabuntur vel prædicent pœnam æternam, nec aliquatenus acquiescent. In hoc datur prædicatoribus exemplum constantiæ, ut propter metum non cedant. Unde de Elia dicitur Eccles. xlviii : *Verbum illius quasi facula ardebat* ; et sequitur : *In diebus suis non pertimuit principem*, nec superavit eum verbum aliquod. Sic etiam erit tempore Antichristi. *Et si quis voluerit eos lædere*, scilicet morte corporali, ut Antichristus, quando inveniet eos inflexibiles. *Sic*, idest sine sententia, scilicet sententia mortis : licet illa quam inferunt sit corporalis, illa quam sustinebunt sit spiritualis et æterna. *Oportet eum occidi*, scilicet morte æterna. Matth. xxvi : *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Dominus enim interfectores electorum obstinatos damnabit : et hoc complebitur spiritualiter in Antichristo. II Thessal. ii : *Quem Dominus Jesus interficiet etc.* In hoc autem manifestatur benevolentia divini amoris ad electos, quia non sustinet eorum occisionem transire inultam. Hoc autem quod hic dicitur, differt ab eo quod dicitur ante immediate ; quia ibi agitur de nocumento spirituali, hic vero de læsione corporali. *Hi habent.* Hic agitur de eorum potestate, quæ ostenditur quantum ad tria. Primo quantum ad cœli clausionem. Secundo quantum ad aquarum mutationem. *Et potestatem.* Tertio quantum ad plagarum immissionem, ibi : *Et percutere terram.* Dicit igitur : *Hi*, scilicet Elias et Enoch, *Habent*, loquitur pro tempore Antichristi, idest habebunt *Potestatem claudendi cœlum*. Idest aerem ad litteram. *Ne pluat*, si ipsi noluerint. *Diebus prophetiæ ipsorum*, idest tempore eis dato ad prædicandum, scilicet tribus annis et fere dimidio. Hoc videtur intelligendum ad litteram, quia et hoc legitur fecisse Elias : unde legitur III Reg. xvii, quod ad preces Eliæ clausum fuerit cœlum, ne daret rorem vel pluviam tribus annis et sex mensibus. Jacob. v : *Elias erat homo similis nobis etc.* Vel potest intelligi de clausione spirituali qua Scripturam abscondent pro tempore : unde dicitur : *Hi habent potestatem claudendi cœlum*, idest abscondendi Scripturam quæ dicitur cœlum a celando quia divina arcana celat. *Ne pluat*, idest ne fiat pluvia doctrinæ. *Diebus prophetiæ*, idest prædicationis, *Ipsorum :* quasi dicat : in potestate eorum et voluntate erit prædicare, quando erit opportunum et congruum, et non prædicare quando non erit congruum. Hæc autem gratia non ita datur aliis prædicatoribus, ut possint et sciant prædicare quando est congruum et tacere quando non congruit prædicare. Ipsi autem, ut dicit *Glossa*, non nisi congruo tempore prædicabunt. Eccles. viii : *Omni negotio tempus est et opportunitas. Et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem :* hoc etiam videtur intelligendum ad litteram, sicut factum est per Moysen, Exod. vii : Vel spiritualiter. Habebunt potestatem super aquas doctrinæ quæ irrigat fideles et fecundat ad modum aquarum. Potestatem inquam, convertendi eas in sanguinem, idest habebunt potestatem prædicandi virtuose, constanter et efficaciter, ita ut aqua doctrinæ convertatur malis in sanguinem, idest in peccatum ; quia ex hoc quod ipsi audacter et confidenter prædicabunt, mali fient pejores et in eos erunt crudeliores : et sic ponitur consequens pro

antecedente. De his aquis, Prov. XVIII : *Aqua profunda ex ore viri etc. Et percutere terram*, idest habitatores terræ. *Omni plaga, quotiescumque voluerint*, forsitan ad litteram intelligitur, sicut legitur de Moyse, Exod. VII, VIII, IX, X, XI. Spiritualiter autem potest hoc intelligi de potestate convincendi et confutandi impios, licet non propter hoc resipiscant. Dicit igitur : *Et potestatem habebunt percutere terram*, idest impios terrenos. *Omni plaga*, idest omni genere confutationis sive convictionis, quod erit gravis plaga. *Quotiescumque voluerint*, scilicet quoties eis videbitur opportunum. Magna enim virtus doctrinæ et prædicationis erit in eis. Vel *Omni plaga*, scilicet per comminationem gravem omnium pœnarum inferni. Unde propter virtutem prædicationis quæ dabitur eis, dicitur supra eodem, *Et dabo duobus testibus meis. Et cum finierint*. Hic agitur de morte sive passione ipsorum. Nam interficientur ab Antichristo. Primo autem describitur eorum mors, quantum ad temporis congruitatem : quia postquam finierint testimonium suum de Christo ; non ante, quia Deus suaviter disponit omnia. Secundo quantum ad mortis sive passionis auctorem, *Bestia etc*. Tertio quantum ad ordinem sive modum, *Faciet adversus*. Quarto quantum ad humanum spectaculum sive opprobrium, *Et corpora eorum*. Quinto quantum ad malitiam gaudentium, *Et inhabitantes*. Dicit igitur : *Et cum finierint testimonium suum*, scilicet prædicationis, cujus finitio in eis erit post tres annos et dimidium, ut dicit *Glossa*, *Bestia*, scilicet Antichristus, bestialiter vivens et crudeliter contra fideles sæviens. Daniel. VII : *Aspiciebam et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis etc. Quæ ascendit*, idest ascendet per superbiam ad regnum sive potestatem obtinendam. *De abysso*, idest de Judæis in infidelitate profundis et tenebrosis scilicet de tribu Dan. Genes. XLIX : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*. Per hoc quod dicitur Coluber, notatur dolus Antichristi. Per hoc quod dicitur Cerastes, notatur potentia. Vel, De abysso, idest per abyssum, idest per homines tenebrosos et profundos erroribus et peccatis, secundum *Glossam*, quia tales ipsum juvabunt. Unde Gregorius : « Quicquid tunc Antichristus superbe extolletur, etiam cum virtute potentiæ sæcularis exequetur. » *Faciet adversus*. Hic ostenditur ordo et modus passionis eorum. Primo enim erit studium subversionis. Secundo erit ipse actus interfectionis. *Et vincet*. Dicit igitur : *Faciet adversus illos bellum*, scilicet disputationibus, miraculorum operationibus, persuasionibus et promissionibus et corporalibus tormentis. Haymon : « Adhibebit diversa genera tormentorum : et quos non poterit vincere, conabitur doctrina superare. » Dabit dona, promet verba suavia, adhibebit falsa miracula. *Et vincet illos*, corporali violentia non spirituali victoria, quia non succumbent, nec per erroris consensum, nec per defectum rationum. Non enim deerit eis qui dicit : *Ego dabo vobis os et sapientiam etc*. Luc. XXII : Unde sequitur : *Et occidet eos*, ad litteram morte corporali, quam tamen libenter suscipient, juxta illud Matth. X : *Nolite timere eos qui corpus occidunt*. Gregorius *in Moralibus* : « Elias et Enoch ad medium revocabuntur, et crudelitatis ejus sævitiam in sua adhuc mortali carne patientur » *Et corpora*. Hic agitur de eorum morte, quantum ad subsequens spectaculum, sive humanum opprobrium. Primo ergo ostenditur spectaculi locus. Secundo tempus, scilicet per tres dies et dimidium. *Et videbunt*. Tertio modus, quia scilicet erunt corpora inhumata, et per hoc erunt hominibus in spectaculum sive opprobrium. *Et corpora*. Dicit igitur : *Et corpora eorum*, scilicet jam mortua. *Jacebunt*, inhumata. *In plateis civitatis*. Nomen platearum plurali, accipitur pro singulari propter magnitudinem plateæ. Aut dicitur in plateis, quia in diversis locis interficientur. Aut ab una platea deportabuntur, ut plures videntes eos timeant imitari. *Civitatis magnæ*, idest Jerusalem, quæ dicitur magna propter abundantiam malitiæ. Jerem. VI : *Hæc est civitas visitationis, omnis calumnia etc*. Ad ostendendum civitatis nequitiam subdit : *Quæ vocatur spiritualiter Sodoma*, quia muta, scilicet a laude Dei : vel propter abominationes quæ fient in Jerusalem,

per quas Sodomæ in culpa assimilatur. Isa. I : *Audite verbum Domini principes Sodomorum etc.* *Et Ægyptus*, quia tenebrosa in infidelitate. Psalm. : *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Sodoma enim interpretatur muta ; Ægyptus tenebræ. *Ubi*, idest in qua civitate, scilicet Jerusalem. *Dominus eorum*, scilicet Eliæ et Enoch, scilicet Christus. *Crucifixus est*, corporali crucifixione, et ita erunt ei conformes, et morte et mortis loco. *Et videbunt.* Hic agitur de eorum morte quantum ad spectaculi tempus. *Et videbunt de populis* : quasi dicat : non omnes, sed quidam de populis etc. Videbunt inquam, quidam oculis, quidam fama. Hæc autem quatuor quæ ponit possunt distingui secundum quadruplicem diversitatem quæ est in hominibus. Est enim in hominibus diversitas loci, et sic sunt diversi populi : unde dicit : *De populis*, idest quidam de diversis multitudinibus hominum, secundum loca diversa distinctis. Diversi enim populi sunt diversæ multitudines secundum diversa loca, sive regionum, sive civitatum, vel particularium habitationum distinctæ. Item est diversitas generis : unde dicit : *Et tribubus*, idest diversis multitudinibus hominum, secundum diversas cognationes. Item est diversitas idiomatis : unde sequitur, *Et linguis*, idest ex hominibus diversarum linguarum. Item est diversitas ritus sive actionis in cultu numinis, sive veri, sive effeminati, unde subdit : *Et gentibus*, scilicet diversis, secundum diversitatem rituum. Gentes enim proprie gentiles ; et diversæ gentes sunt diversi gentiles, diversos ritus et cultus habentes. Diversi enim gentiles, diversas sectas habent. *Per tres dies et dimidium* : ad litteram intelligitur et exponitur hoc de Elia et Enoch. *Et corpora eorum non sinentur*, idest non permittentur, *Poni in monumentis*, idest in sepulcris, ut scilicet hominibus sint spectaculum et opprobrium, et ne eorum memoria habeatur quia monumenta sunt ad memoriam eorum qui in eis humati sunt : et ut alii terreantur, ne eos imitentur. Et est probabile, quod fœtorem non dabunt, quia comederunt de fructibus paradisi qui sunt virtutis conservativæ. Sed quare Dominus talia permittit de suis electis? Respondeo. Est enim ex parte impiorum : quia eorum perversitas exigit et meretur, ut permittantur implere suam malitiam, ut per consequens immergantur in majorem damnationis miseriam. Infra ultimo : *Qui in sordibus est sordescat adhuc.* Item ex parte bonorum, quia Deus ampliori cumulo gloriæ tam in corpore quam in anima suos præmiabit. Quia dum pro honore Dei patiuntur, vel viliter tractantur, Dominum honorificant. I Reg. II : *Qui me honorificaverit, glorificabo eum.* Licet enim tunc anima in corpore non sit, et tamen anima existens in corpore similiter Deo adhæret, quod propter hoc ipsum corpus ita viliter tractatum fuit. *Et inhabitantes.* Hic agitur de malitia gaudentium. Primo autem ostenditur gaudium in animo. Secundo in signo. *Et jucundabuntur.* Tertio in facto. *Et munera.* Quarto subditur hujus gaudii ratio. *Quoniam hi.* Dicit igitur : *Et inhabitantes terram*, et corpore et animo. *Gaudebunt*, interius in mente. *Super illos*, idest super morte et opprobrio eorum. In hoc ostenditur malitia eorum. Prov. XXIV : *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas. Et jucundabuntur*, exterius in signo. *Et munera mittent invicem*, idest unus alii, propter gaudium. Tangit consuetudinem congaudentium. *Sed extrema gaudii luctus occupat.* Proverb. XIV : *Quoniam hi duo prophetæ*, scilicet Elia et Enoch. *Cruciaverunt eos*, scilicet contradicendo, ac sine timore resistendo eis, et corripiendo et cruciando, prædicando audacter. Proverb. XV : *Non amat pestilens eum qui se corripit. Eos qui inhabitant.* Vel *inhabitabant* carne, *super terram*. Mente tamen sub terra. Ex hoc quod dicit, *Cruciaverunt*, patet quod quasi cruciatus est malis doctrina sapientiæ. Ecclesiastici VI : *Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus ! Et post dies tres.* Hic agitur de eorum retributione. Retributio autem ipsorum erit quantum ad resurrectionem, quia corpora reformabuntur ; et quantum ad gloriam, quam anima simul et corpus sublimabuntur. Primo ergo ostenditur eorum retributio quantum ad corporum resurrectionem. Secundo quantum ad gloriæ sublimationem. *Et*

audierunt. Resurrectio autem Eliæ et Enoch describitur : Primo quantum ad tempus. Secundo quantum ad causam, *Spiritus vitæ.* Tertio quantum ad signum, *Et steterunt.* Quarto quantum ad effectum, quia inde timor generabitur in aliis, qui videbunt, *Et timor.* Dicit igitur, *Et post tres dies et dimidium.* Quidam voluerunt hoc intelligi de generali resurrectione. Ergo *Et post tres dies et dimidium.* Et sumitur dies pro anno, juxta illud Ezechiel. IV : *Diem pro anno dedi tibi.* Hoc autem erit in judicio. Daniel. VII : *Post tempus et tempora et dimidium temporis judicium sedit. Spiritus vitæ*, idest anima æternaliter et essentialiter in se vivens et vivificans corpus. *A Deo intravit in eos*, idest operante divina virtute intravit in corpora ipsorum. Ezechiel. XXXVII : *Ecce intromittam in vos Spiritum et vivetis. Et steterunt super pedes suos*, scilicet virtute sua, idest sibi a Deo data stabunt sancti incorruptibiles et immortales, non indigentes humano auxilio, sed in se firmi. Et in hoc ostenditur stabilitas resurrectionis. Augustinus in lib. *de vera Religione :* « Corpus stabilitatem habebit per animam stabilitam in Deo, quæ non per se stabilitur, sed per Deum, quo firmatur. « *Et timor magnus cecidit*, idest cadet. *Super eos qui viderunt*, idest videbunt. *Eos,* ita scilicet glorificatos. Sapient. V : *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur etc.* Vel expone ad litteram. *Post tres dies et dimidium,* ad litteram Spiritus vitæ etc. ut supra. *Et steterunt etc. Et timor magnus*, scilicet Dei vel æterni supplicii, *Cecidit super eos*, idest cadet ut pondus opprimens. *Qui viderunt eos*, prius mortuos et post glorificatos. Job. XXXI, *Semper quasi timentes super me fluctus timui Deum.* Sed quæritur utrum Elias et Enoch resurgant glorificati in corpore, aut iterum morituri ut Lazarus? Quod non iterum morituri, videntur; quia cum martyrium sustinuerint prius, non videtur conveniens, quod iterum transeant per mortis afflictionem. Sed glorificati. Quomodo ergo videri poterunt oculo mortali? Item quæritur, unde erit quod resurgent ante corpora aliorum? Respondeo. Dicunt quod resurgent non morituri, sed in corporibus glorificatis; quia propter speciale testimonium Christo exhibitum, privilegiati erunt. Ad objectum respondetur, quod licet corpus glorificatum a mortalibus videri non possit, quantum est ex parte mortalium : potestas tamen est ex parte corporis glorificati, quando vult et cui vult se manifestare, et visibile exhibere. Ad aliud respondetur, quod hoc erit, quia nobilitabit eos Dominus hoc privilegio, ut ante alios resurgant propter prærogativam gratiæ et meritorum in speciali testimonio, in vita, doctrina et martyrio, sub tempore tam acerbæ persequutionis : sicut et privilegiati fuerant prius in longitudine vitæ, et loco et modo vivendi. *Et audierunt.* Hic agitur de gloriæ sublimatione, quæ fit divina virtute et voluntate, et sequentur ad eam motus hominum. Unde primo ostenditur gloriæ causa, quæ est divina virtus, sive voluntas; quæ in illa voce intelligitur. Secundo ipsa gloria sive corona, *Et ascenderunt.* Tertio ejus sequela, *Et viderunt.* Dicit igitur, *Et audivi,* scilicet Elias et Enoch, id est audient. *Vocem magnam*, idest magnæ potestatis. *De cœlo*, idest de celsitudine divinæ majestatis. Vel, de *cœlo*, idest de Christo procedente vel Archangelo. *Dicentem illis,* scilicet Eliæ et Enoch. *Ascendite,* vos qui fuistis in valle humilitatis, *Ascendite huc*, scilicet ad consortium sanctorum. Lucæ XIII, *Qui se humiliat exaltabitur.* Forsitan sicut quædam vox, scilicet vel ipsius Christi vel alicujus Archangeli suscitari faciet corpora hominum generaliter, ita vocabit aliqua vox vel Christi vel Archangeli, Eliam et Enoch post suam resurrectionem specialem, ut ascendant in cœlum ad gloriam sanctorum. Vel per hujus vocem signatur nutus vel reale imperium divinæ voluntatis, cujus voluntatis efficacia sive nutu sublimabuntur ad gloriam. Quasi dicat : percipient sive cognoscent nutum divinæ voluntatis, de sui sublimatione ad cœlum, et sic fiet quia ascendent. Unde sequitur : *Et ascenderunt*, idest ascendent. *In cœlum*, scilicet empyreum. *In nube*, potest de nube materiali intelligi. In hoc sunt conformes Christo : de quo Act. I, *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Vel, in

nube, idest in corpore subtili et agili. Potest etiam secundum Glossam, per nubem intelligi refrigerium gloriæ. Sic igitur ista vox, aut erit ad litteram vox aliqua vox sensibiliter sonans ad perceptionem gloriæ. Aut si non erit vox sensibilis et corporalis, erit vox realis, scilicet nutus divinæ voluntatis. Et signatur per vocem quam audivit auditu interiori in sua visione beatus Joannes, dicentem quibusdam testibus Dei, *Ascendite huc*. Simile est supra vii, *Clamavit quatuor Angelis quibus datum est nocere etc.* Ubi dicit *Glossa* : « Clamare Dei, est facere. » *Et viderunt*. Hic ostenditur sequela gloriæ ipsorum; quia cognita gloria Eliæ et Enoch, sequetur magnum malum in multis. Primo ergo ostenditur cognitionis aspectus. Secundo sequens effectus; scilicet magnum malum quod sequetur in reprobis; ex quo tamen malo proveniet fructus electis. *Et in illa hora*. Unde primo ostenditur effectus sequens in reprobis. Secundo ostenditur fructus ex illo effectu consequens in electis. *Et reliqui*. Effectus autem secuturus in reprobis ostenditur triplex : scilicet motus, casus et interitus. Motus est concitatio per malitiam. Casus est lapsus per culpam quæ sequitur ex illa concitatione. Interitus autem obstinatio per impœnitentiam. Dicit igitur, *Et viderunt*, idest videbunt. *Eos*, scilicet Eliam et Enoch ascendentes ad locum gloriæ. Videbunt inquam, vel oculo corporali, vel aspectu interno per aliquod signum datum a Deo, ut miraculum vel aliquid aliud. *Inimici eorum*, scilicet infideles qui odio habent fideles. Proverb. xxix, *Abominantur impii eos qui in recto sunt via*. Propter hoc dolebunt de eorum gloria, et procedent ad persequendam Ecclesiam. Unde sequitur, *Et in illa hora*, idest in illo tempore glorificationis istorum. *Factus est terræmotus magnus*. Utrum ad litteram ita fiet, non satis certum videtur; sed spiritualiter fiet, sicut dicit *Glossa*. Sensus ergo est, Factus est terræmotus magnus, idest magna commotio terrenorum hominum; quia occisis magistris Ecclesiæ, concitabuntur per malitiam ad persequendum et subvertendum ipsam : et ad hoc sequetur lapsus multorum. Unde sequitur, *Et decima pars civitatis*. Hæc civitas est tota numerositas, sive multitudo Angelorum et hominum. Decima pars hujus civitatis est multitudo hominum; homines enim supra numerum novem ordinum Angelorum sunt quasi decima pars civitatis. Unde homo per drachmam decimam signatur, *Lucæ* xv. Sensus ergo est : Decima pars civitatis, scilicet homo, qui est quasi decima pars civitatis, idest totius multitudinis Angelorum et hominum supra novem ordines Angelorum. Vel secundum *Glossam*, quia ad hoc constitutus est homo, ut decimus ordo qui ceciderat restauraretur. *Cecidit*, idest cadet. *Glossa*, de Ecclesia, idest de unitate Ecclesiæ, vel quantum ad fidem, vel quantum ad gratiam lapsu culpæ, vel erroris vel alterius peccati in illa præmissa persequutione; quia multi funduntur sicut plumbum in ignem. Luc. viii, *Ad tempus credunt et in tempore tentationis recedunt*. Hoc autem intelligendum est de homine, non universaliter, sed quantum ad reprobos, qui finaliter cadent, sicut postea sequetur. *Et occisi sunt*, occisione spirituali et finali; quia scilicet non resipuerunt, sicut dicit *Glossa*. Unde occisio supra casum addit obstinationem, sive impœnitentiam finalem. *In terræmotu*, scilicet præmisso, idest in illa persecutione, scilicet per consensum erroris, vel ad peccatum mortiferum. *Nomina hominum septem millia*, idest universi in malitia perfecti; solum nomen non rem salutaris boni habentes. Septenarius signat universitatem. Millenarius perfectionem, sive in bono, et sic frequenter accipitur, sive in malo, secundum quod aliquis dicitur bonus vel perfectus latro. Unde per septem millia signatur hic multitudo malorum quæ finaliter tunc interibit morte finalis impœnitentiæ. Quandoque accipitur in bono iste numerus : III Reg. xix, *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua Baal*. Dicit autem : *Occisi sunt nomina etc.*, quia mali nomen habent non rem nominis. Supra iii, *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*. Hoc autem adjectivum *Occisi*, respicit substantivum *Nomina*, non quantum ad consignificatum vocis sed quantum ad consignatum; quia sensus est,

Nomina, idest homines habentes nomina sola; ut cum dicitur Christianus, vel fidelis, vel cultor Dei, et hujusmodi denominatione. Simile de Dathan et Abyron quos terra absorbuit, Numer. XVI : ubi dicitur quod per nomina vocabantur. Vel, *Ceciderunt*, scilicet in pœna gehennæ. Et occisi sunt, idest omnino in inferno detrusi. Sed objicitur de hoc quod dicitur, *Decima pars civitatis cecidit*. Decima enim intelligitur vel omnis homo vel electi ut habetur ex Parabola Lucæ XV, *Aut quæ mulier habens drachmas decem etc.* Sed nec omnis homo cadet spiritualiter et finaliter, nec electi. Item objicitur de hoc quod dicitur in *Glossa* : « Quod homo ad hoc constitutus est, ut decimus ordo qui ceciderat restitueretur : quia homo factus est ad fruendum Deo, ergo non propter suppletionem Angelicæ ruinæ. » Dicit enim Anselmus, II lib. *Cur Deus homo*, cap. IV : « Fecit Deus rationalem naturam ad gaudendum de se. » Item fieret homo etiam si non peccasset aliquis Angelus. Unde Anselmus I lib. *Cur Deus homo* : « Humana natura pro seipsa facta est : unde palam est, quod etiam si nullus Angelus periisset, homines tamen in civitate cœlesti locum suum habuissent. » Item objicitur de hoc quod dicit *Glossa* de decimo ordine Angelorum : quia etiam si nullus Angelus peccasset, non essent nisi novem ordines, ut dicit Magister in *Sententiis*. Respondeo. Homo dicitur tertia pars civitatis, ut dictum est, quia post novem ordines Angelorum est quasi decimus : etiam quia Angeli sunt in nobiliori statu, scilicet gloriæ : ideo distincti sunt, et secundum varios ordines dispositi : unde sunt quasi novem partes civitatis, idest numerositatis, quæ est simul ex Angelis et hominibus. Homo autem, quia in statu viæ est, non distinguitur ita certa distinctione : unde ponitur pro decima parte civitatis. Vel posset poni ratio quam ponit *Glossa* : quia scilicet homo factus est, ut numerus Angelorum lapsorum per eum restituatur : qui numerus tantus est, quod de ipso posset constitui decimus ordo. Tamen prima ratio principalior est; et colligitur ex *Glossa super Lucam* XV. Ad aliud autem quod objicitur, Notandum quod cum homo sit decima pars civitatis, quia omnis homo, quantum est ex parte Dei, ordinatur ad beatitudinem : possumus loqui de hac decima, sive de homine, communiter quantum ad bonos et malos; et sic non est dicere, quod tota pars civitatis cadat : aut specialiter quantum ad electos, et sic proprie accipitur Lucæ XV. Et si quis velit illam Parabolam de drachma decima inventa, de omnibus hominibus accipere : intelligitur illa inventio secundum sufficientiam; quantum ad electos vero, secundum efficaciam. Aut specialiter quantum ad reprobos; et sic accipitur hic. Dicendum ergo, quod licet decima pars intelligatur homo, tamen non prorsus eodem modo per omnia accipitur hic et XV. Lucæ : quia inquantum ad electos qui sunt inventi secundum efficaciam. Vel quantum ad omnes communiter : omnes enim invenit quantum ad sufficientiam, quia omnes reparavit quantum fuit in se. Hic autem accipitur quantum ad reprobos. Ad aliud dicendum, quod Deus est finis sive causa finalis hominis, scilicet finis per se sive principalis, scilicet divina fruitio, sive Deus inquantum fruibilis. Item finis per accidens sive secundarius, scilicet reparatio Angelicæ ruinæ. Potest autem res una habere duplicem finem, dummodo unus sit principalis et per se : de secundo loquitur *Glossa* : non tamen excluditur primus, cum sit principalis. Et concedendum, sicut dicit Anselmus, quod etiam si nullus cecidisset Angelus, homo tamen conditus esset; et ex hoc non sequitur nisi quod homo non est factus propter Angelicæ ruinæ reparationem principaliter, sed secundario per accidens; est enim illa causa nonnulla, quare factus est homo. Ad aliud dicendum, quod etiam si nullus Angelus cecidisset, non essent nisi novem ordines Angelorum; et hoc est propter expressiorem repræsentationem beatissimæ Trinitatis per ternas hierarchias, quare quælibet ternos ordines habet. Quod autem dicit *Glossa*, de decimo ordine per homines reparando et prius lapso, potest dici, sicut Magister dicit in *Sententiis*, quod de hominibus restaurabitur decimus ordo qui cecidit, idest re-

perditum illud quod de Angelis lapsum est, de quibus tot corruerunt, unde possent fieri decimus ordo. *Et reliqui.* Hic ostenditur fructus ex præmisso effectu sequens in electis; qui erit duplex: scilicet metus pro se ipsis, et affectus in Deum qui manifestabitur in laude ejus, *Et dederunt gloriam.* Dicit igitur, *Et reliqui,* a præmissis. Reliqui tamen, qui non ceciderunt; *In timore sunt missi,* idest timuerunt ne caderent simili casu malorum. Ex hoc patet, quod cum quis videt casum alterius, debet sibi compati, et præcipue timere, I Corinth. x, *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Item debet Deum glorificare, cujus gratia stat. Unde sequitur, *Et dederunt gloriam,* idest glorificaverunt, hoc est laudaverunt, gratias agendo, quia eos non permisit cadere sicut alios; vel extollendo ejus justitiam, quæ semper recte agit. Deuteron. xxxii, *Date gloriam Deo nostro. Deo cœli;* et si cœli, multo magis terræ; sed cœlum exprimitur quia dignius; et ideo dignius est omnibus a cunctis extolli. Act. xvii, *Deus qui fecit cœlum et terram, hic cœli et terræ cum sit Dominus est. Væ secundum.* Hic ponitur conclusio hujus partis. Væ secundum, inter illa tria væ, de quibus supra viii, *Væ væ væ.* Hoc autem væ, est damnatio Antichristi et suorum: quæ descripta est per hoc quod ostensa est nequitia ipsorum, ratione cujus damnandi sunt. *Abiit,* scilicet quantum ad narrationem; quasi dicat: ostensum est secundum væ. *Et ecce,* nota est certitudinis, *Væ tertium,* idest damnatio malorum communis in judicio, quæ est tertium væ inter tria væ præmissa, *Veniet cito,* et quantum ad narrationem et secundum rem: quia post mortem Antichristi, instabit judicium. Vel, Væ secundum est tribulatio, quæ hominibus infertur, non tantum corporalis, sed etiam spiritualis; quia et corporaliter affligentur multi, et spiritualiter multi subvertentur. Abiit, idest abibit, hoc est complebitur tempus Antichristi. Et ecce tertium væ, scilicet damnatio malorum communiter in judicio. Veniet cito; quia post tempus et mortem Antichristi instabit judicium et damnatio impiorum, ut dictum est. *Et septimus.* Hic agitur de cantu septimi Angeli, et similiter agitur hic de judicio et fine mundi. Notandum igitur quod post mortem Antichristi, prædicabunt sancti prædicatores, et fideles magnificabunt Deum, cujus potestas in destructione Antichristi jam manifestata erit, et amplius apparebit in judicio instanti. Primo ergo ostenditur prædicatio sanctorum, *Et septimus Angelus,* idest septimus ordo prædicatorum existentium in septimo statu Ecclesiæ, scilicet post mortem Antichristi, et dicitur septimus ordine narrationis et temporis, *Tuba cecinit,* idest canet, hoc est prædicabit; quia interfecto Antichristo, prædicabunt fideles prædicatores. Secundo ostenditur divinæ laudis præconium. Et primo ostenditur laus divina in justis communiter. Secundo in majoribus specialiter. *Et viginti quatuor.* Circa primum tria tanguntur. Primo ostenditur laudantium affectus. Secundo laudis locus, *In cœlo.* Tertio laudandi modus, *dicentes, factum est.* Dicit igitur, *Et factæ sunt,* idest fient, *Voces magnæ,* idest devotæ laudes, scilicet de conservatione suorum et confusione impiorum, quos confundet cum Antichristum interficiet; vel de suorum salvatione, quæ tunc instabit. Per hoc autem quod dicitur, Magnæ, ostenditur effectus magnæ devotionis, et alti desiderii. Gregorius: « Tanto quis majorem vocem in aures incircumscripti spiritus exprimit, quanto se in ejus desiderium plenius fundit. » *In cœlo,* idest in Ecclesia per cœlestem conversationem excelsa. Philip. iii, *Nostra conversatio in cœlis est.* Bene dicit, *In cœlo,* quia in sola Ecclesia fidelium est laus Deo acceptabilis; quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. xi. Unde Gregorius loquens de Ecclesia, dicit: « Hunc omnes sancti summo studio locum quærunt, quærentes inveniunt, invenientes tenent. » *Dicentes etc.* Hic ostenditur forma sive modus laudandi. Est enim hæc laus quantum ad duo: scilicet universalitatem, et quantum ad ejusdem æternitatem. *Et regnabunt.* Dicit igitur, *Dicentes, factum est regnum,* idest dominatio et imperium. *Hujus mundi:* factum est inquam, *Dei nostri,* scilicet Patris, qui Deus justorum dicitur, per devotam di-

lectionem et humilem subjectionem, *Et Christi ejus*, idest Filii qui est Christus Patris, quia Christus, inquantum homo, nihil habet vel habuit, nisi quod Patris est; quia diabolus nihil habet in eo, sed Pater. Joan. XIV, *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quicquam*. Vel, Christus ejus dicitur, idest unctus ab eo, inquantum homo, Psal.: *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ:* quasi dicat: Jam manifestatur in dejectione Antichristi et suorum, et exaltatione electorum, quod ad Patrem et Filium pertinet dominatio universalis omnium. Ex hoc enim quod justi post mortem Antichristi videbunt Deum dejecisse impios, qui ante persequebantur Ecclesiam: quia interficiendo Antichristum, manifestabit eos vane in eos sperasse: videbunt etiam Deum suos de persecutione impiorum liberasse et pacem reddidisse: jam in parte ostensum erit, quod universalis dominatio ad ipsum pertinet. Rursus quia sperabunt judicium in brevi futurum, recte dicent, *Factum est regnum* etc. Hæc autem dominatio universalis semper durabit. Unde sequitur: *Et regnabit*, scilicet Pater et Filius, *In sæcula*, consequutiva, *sæculorum*, hoc est in æternum, *amen*, idest vere fiet quod dictum est. Vel, *Amen*, hoc est, ita fiat. Psal.: *Et dominatio tua in omni generatione et generatione*. Et ideo sancti semper cum eo regnabunt. Danielis VII, *Suscipient regnum Dei Altissimi et obtinebunt usque in sæculum*. Sed quid est quod dicitur: *Factum est regnum* etc., cum ab initio mundi regnaret Deus universaliter super omnia? Item quare hic non fit mentio de Spiritu sancto? Respondeo. Ad primum dicendum, quod Deus secundum rem Dominus fuit et rex universorum ab initio mundi: verumtamen quando impii dominari videbantur impediendo ejus cultum, et persequendo cultores, non manifestabatur plene plena dominatio Dei, sicut manifestabitur post destructionem Antichristi, quando etiam expectabitur major manifestatio in brevi per judicium futura, ut dictum est. Loquitur ergo hic quantum ad manifestationem. Ad aliud dicendum, quod ea quæ dicuntur de Patre et Filio, quantum ad regnum dominationis, æque conveniunt Spiritui sancto; unde etiam de ipso sunt æqualiter intelligenda. Ubicumque enim nominatur una persona, in his quæ sunt essentialia, non personalia vel vocationalia, intelliguntur aliæ personæ, sicut dicit Augustinus; quia est una trium essentia, virtus, dominatio et majestas. In Patre ergo et Filio intelligitur Spiritus sanctus, sicut nexus et unitas et caritas amborum. Specialiter autem hic exprimitur Pater, quia ei appropriatur potentia. Dominatio autem potentiam dicit. Item exprimitur Filius et non Spiritus sanctus, quia Filius in passione visibiliter in carne sua fuit tractatus. Et tempore Antichristi specialiter ejus nomen et dominationem perimere intendebant impii; et ideo ejus dominatio exprimitur hic. Quando autem de bonitate agitur, quæ attribuitur Spiritui sancto; tunc nominatur specialiter Spiritus sanctus, ut Rom. VIII: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Et supra I, *Et a spiritibus etc*. Notandum quod mundus uno modo dicitur universitas creaturæ, tam rationalis, sive sit in gratia sive non, quam irrationalis. Joan. I. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est*. Quandoque dicitur mundus numerositas electorum. Joan III, *Sic Deus dilexit mundum*. Licet posset accipi tam pro bonis quam pro malis; quia pro omnibus est Christus passus secundum sufficientiam, pro electis autem tantum secundum efficaciam. Quandoque numerositas malorum. Joan. I, *Et mundus eum non cognovit*. Idem XII, *Nunc princeps mundi hujus etc*. Omnibus his modis est Deus Dominus mundi, secundum veritatem; tamen hoc, ut dictum est, fit tunc magis manifestum. Primo modo potest hic accipi; maxime autem quantum ad omnes homines, sive boni sive mali sunt. *Et viginti quatuor*. Hic describitur laus in majoribus specialiter, quorum est Deum magnificare reverenter et devote. Primo ergo describitur hic magnificatio quantum ad reverentiam humiliationis. Secundo quantum ad devotionem adorationis. Tertio quantum ad formam ipsius magnificationis, *Dicentes, agimus tibi*. Dicit igitur, *Et viginti*

quatuor seniores. Per hos intelliguntur patres et rectores aliorum, qui auctoritate officii, maturitate vitæ, et doctrina sapientiæ alios regunt. Hæc omnia in nomine seniorum intelliguntur. Possunt autem intelligi tam patres veteris Testamenti quam novi, per hunc numerum, quantum est de ipso numero, ut habetur in Glossa supra iv: tamen hic videtur, propter illa quæ sequuntur, intelligi tantum de patribus novi Testamenti, qui tunc erunt in carne mortali, qui per hunc numerum signantur. Duodenario enim qui est numerus abundans, signatur perfectio. Sive perfectio in pastoribus: quæ duplex est: scilicet vitæ quantum ad actus supererogationis. Item pastoralis curæ in diligentia perfecti regiminis. Unde recte duplicatur numerus, ut dicantur viginti quatuor, scilicet propter perfectionem vitæ et pastoralis curæ. *Qui in conspectu Dei*, idest considerantes quod placet Deo. In conspectu enim Dei stat, qui ejus voluntatem considerat, promptus ad implendum, attendendo Deum ubique præsentem. Haymon: « In conspectu Dei sedent qui in cunctis quæ agunt Deum sibi præsentem attendunt. » *Sedent*, idest præsident vel judicant, quia sedere quandoque importat auctoritatem et judicium. Matth. xix, *Sedebitis et vos super sedes. In sedibus suis*, idest in officiis seu gradibus dignitatum. Dignitas enim seu pastorale officium, quasi sedes est ejus qui præsidet: quia sedes quandoque dignitatem significat, sicut de Deo dicitur in Psalm.: *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi*. Vel, *In sedibus suis*, idest in suis subditis, in quibus sicut in sedibus sedent, quando eis recte præsident, et eos judicant, idest disponunt et regunt convenienter. Item in hoc quod dicitur *Sedent*. Nota quod boni pastores vigilanter incumbunt ovibus regendis; non propter terrena negotia propria vel aliena suum officium negligunt. Tales enim non sedent in sedibus suis, sed eas relinquunt. Act. xx, *Attendite vobis et universo gregi*. Item nota quod sunt qui sedent in sedibus suis, idest dignitatibus vel subditis, quantum ad dominatum, non quantum ad curæ pastoralis actum; et de ipsa sede non curant, nisi ut in eis sublimes appareant, tales non sedent in sedibus in conspectu Dei. De his dicit Gregorius: « Plerumque qui præsunt in dominatu, sibi metum a subditis exigunt, totus se tumore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciunt. » *Ceciderunt*, idest cadent *In facies suas*, idest intus in corda sua; quasi dicat: boni pastores humiliabunt se in conspectu Dei. Hoc est enim cadere in faciem, idest in ipsum cor, quod dicitur facies, quia sicut homo per faciem cognoscitur, sic per voluntatem cognoscitur cordis, utrum sit homo de ovibus Dei. Item quia cor hominis debet respicere ea quæ sunt ante se, non quæ retro, sicut facies habet aspectum ad ea quæ sunt ante. Nota *Glossam*, « In facies etc. » Eccles. iii, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Et adoraverunt Deum*, cui debetur sola adoratio latriæ. Matth. iv, *Dominum Deum tuum adorabis. Dicentes gratias etc.* Hic ostenditur forma sive modus magnificationis. Dupliciter autem habet magnificare creatura rationalis Deum: scilicet ei pro beneficiis regratiando, et ejus magnificentiam extollendo: ut qui est Dominus omnium et Deus verus, et est omnipotens et bonus. Primo ergo ponitur forma magnificationis quantum ad gratiarum actionem pro beneficiis. *Dicentes, Gratias agimus tibi Domine Deus noster omnipotens*, quia nos aliis cadentibus servasti, quod inimicos fidei confudisti, et tuos exaltasti et pacem eis dedisti. Erunt enim in magna quiete post mortem Antichristi: supra vii, *Factum est silentium etc.* Hic docemur gratias agere Deo de donis suis. I Thessal. ultimo, *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, hæc est enim etc.* Secundo quantum ad præconium magnificentiæ ipsius beneficii, ne sit nuda gratiarum actio. Primo autem ponitur magnificatio divinæ magnificentiæ succincte et quasi in generali. Secundo diffuse et in speciali, *Qui es*. Circa primum tria tangit quæ sunt unum omnino in Deo, scilicet præsidentiam, naturam, potentiam. Præsidentiam qua dominatur. Naturam qua est Deus. Potentiam qua potest operari quicquid vult, *Domine*, præsidentia, Esther xiii, *Dominus omnium*

etc. Deus natura. Hæc est laus soli Deo conveniens et nulli communicabilis, scilicet quod habeat divinitatis naturam. Isa. XLV, *Non est Deus ultra absque me. Omnipotens* infinita potentia. Exod. XV, *Omnipotens nomen ejus*. Quia vero ex natura divinitatis præest omnibus, et omnes et omnia ei subjici debent : Dicitur Deus noster, quia tibi subjicimur, *Noster*, quia te super omnia diligentes colimus. Hæc tria valde sunt honoranda. Universalitas præsidentiæ. Sublimitas naturæ. Infinitas potentiæ. Infra XIX, *Et audivi quasi vocem etc. Qui es et qui eras*. Hic diffuse et in speciali ponitur præconium divinæ magnificentiæ. Et primo quantum ad naturam. Secundo quantum ad potentiam. *Et accepisti*. Tertio quantum ad præsidentiam, *Et regnasti*. Quarto quantum ad justitiam, *Et advenit*. Licet autem de justitia ante expresse dictum non sit, tamen infra exprimitur, quia tunc erit proprie justitiæ tempus. Natura divinitatis magnificatur, tum quantum ad immutabilitatem in essendo. *Qui es*, immutabiliter. Jacob. I, *Apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio*. Exod III, *Ego sum qui sum*. Tum quantum ad æternitatem in durando, quia caret principio et, per consequens, fine. *Et qui eras*, quando adhuc mundus non erat. Joan. I, *In principio erat Verbum*. Aliqui libri habent : *Et qui venturus es :* tamen multi non habent, quia sequitur : *Et advenit etc. Quia accepisti virtutem tuam*, idest manifestasti potestatem tuam in dissipando hostes fidei qui prius fideles premebant. Multum enim manifestabitur potestas Christi, quando interficiet impium Antichristum, et fidelibus dabit magnam tranquillitatem, qui prius valde pressi fuerunt. Dicitur autem Deus accipere virtutem suam quando eam manifestat : quasi enim eam deposuisse videtur, quando cultum suum impediri et impios regnare permittit. Sap. XII, *Virtutem ostendis etc. Magnam*, quia incomparabilem. Psalm.: *Domine Deus virtutum quis similis tibi? Et regnasti*, idest regnare, hoc est dominari ostendisti, supra impios, qui ante persequebantur fideles, et supra justos, quia per operationem divinæ potentiæ manifestatur dominatio ejus. I Paralip. ultimo : *Tuum, Domine, regnum? tu es super omnes principes*. Vel, Accepisti virtutem a Patre secundum humanitatem, scilicet resurgendo, quam nunc manifestasti ; et per hoc regnasti, idest te regnare ostendisti, ut prius. De dominatione autem Christi dolebunt impii, videntes suum principem viliter interfectum et ejus dominatum, quem sequebantur, periisse. Unde sequitur. *Et iratæ sunt gentes*, idest gentiliter viventes, scilicet de tuo regno, idest de tua dominatione, per quam amiserunt, qua quasi regnabant sub Antichristo. Psalm.: *Dominus regnabit, irascantur populi. Et advenit*. Hic magnificatur divina magnificentia, quantum ad justitiam in retributione meritorum. Et primo ostenditur specialiter in justitia quantum ad malos. Secundo communiter quantum ad malos et bonos, *Et tempus*. Ubi primo agit indistincte et simul de retributione omnium. Secundo separatim et distincte, *Et reddere*. Ubi primo agitur distincte de præmiatione bonorum. Secundo de damnatione malorum, *et exterminandi*. Dicit igitur. Et advenit ira tua, idest instat vindicta tua quæ est signum iræ, contra eos qui de tuo regno irati sunt, Eccles. V : *Subito veniet ira illius etc. :* quia autem tunc quasi præsens reputabitur judicium quia instabit; ideo dicitur : *Advenit*, jam præsens factum est, idest cito veniet. Hoc dictum est quantum ad malos specialiter : quantum vero ad omnes communiter subditur : *Et tempus mortuorum*, quia tunc mortui tam boni quam mali, vel omnes vel major pars antequam fiat judicium. Tempus inquam, scilicet opportunitas : vel tempus a te præordinatum. *Advenit judicari*, idest ut judicentur, judicio discretionis, scilicet ut separentur mali a bonis; et judicio retributionis, ut quilibet judicetur ad pœnam vel gloriam secundum merita. Vel Judicium, alia littera, idest ut judices eos scilicet omnes. Psalm. : *Judicabit orbem terræ in æquitate etc. Et reddere*. Hic agitur distincte quantum ad bonos. Et advenit tempus reddere, idest ut reddas. *Mercedem*, scilicet æternam et infinitam et ineffabilem. De qua Matth. V : *Gaudete et exultate*

quoniam merces vestra copiosa est in cœlo. Per hoc autem quod dicitur reddere, nota meritum ex parte justorum et justitia retribuens ex parte Dei. II Timoth. IV : *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex*. *Servis tuis*, idest eis qui tibi servierunt. Matth. XXV : *Euge serve bone et fidelis*. Deinde tangit quædam in quibus servitur Deo : quæ sunt annuntiatio veritatis, unde dicitur : *Prophetis*, idest qui talis veritatem annuntiaverunt. Et potest nomen prophetæ hic accipi, tam pro eo qui prædicit futura, quam pro eo qui annuntiat ea quæ sunt salutis prædicando : supra X : *Oportet te iterum prophetare*, quia nomen prophetæ quandoque large accipitur. Item imitatio bonitatis. *Et sanctis*, in actibus vitæ bonæ et sanctæ. Levit. XIX. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*. Item reverentia potestatis. *Et timentibus nomen tuum*, quod est magnum et potestativum. Psalm. : *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum*. Primum, scilicet prophetia, est speciale scilicet in prædicentibus futura et prædicantibus divina. Et quod dictum est servis tuis posset specialiter referri ad prophetas, vel generaliter ad omnes justos, ut supra tactum est. Sanctitas vero large dicta secundum quod ponit statum gratiæ, et timor Dei, sunt communia ad omnes justos. Vel aliter. De justis est loqui tripliciter. Aut quantum ad doctrinam ; et sic sunt prophetæ, expone ut prius, et est intelligendum de eis qui Deo servierunt, sicut ante dicitur, servis tuis. Aut quantum ad vitam, sicut illi quibus non est datum officium prædicandi aliis vel prædicendi futura : tales considerantur aut quantum ad specialem statum, scilicet perfectionis, et sic sunt prophetæ sancti ; aut secundum generalem, qui est in omnibus justis, scilicet statum gratiæ, sive sunt perfecti sive non ; et sic sunt timentes Dominum. Ut autem intelligatur justos esse præmiandos sine acceptione personæ, tam parvos quam magnos, subditur, *pusillis*, idest parvis quantum ad ea quæ sunt mundi. *Et magnis*, idest qui in his quæ mundi sunt videntur magni, ut in nobilitate vel dignitate, vel divitiis. Et explanantur hoc quod præcedit, timentibus etc. Sap. VI : *Pusillum et magnum ipse fecit et æqualiter etc. Et exterminandi eos*. Hic agitur de pœna malorum. Et adventi, idest imminet tempus *Exterminandi*, idest extra terminum ponendi, scilicet ejiciendo eos consortio sanctorum, ut in perpetuum gloria priventur, et a vanitate mundanorum quæ dilexerunt, ut in æternum crucientur. Matth. III : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur et in ignem mittetur. Eos qui corruperunt terram*, idest homines habitantes in terra. Corruperunt inquam, per documenta, per exempla, sicut illi qui per hæreses corrumpebant alios tempore Antichristi. Jerem. LI : *Ecce ego ad te mons pestifer qui corrumpis universam terram*. Sed quare non agitur de laude Dei in prædicatoribus qui signantur per quatuor animalia, supra IV, sicut in pastoribus qui signantur per viginti quatuor seniores? Respondeo. Secundum aliquos, non tantum pastores, sed etiam prædicatores intelliguntur hoc in loco per vigintiquatuor seniores. Vel potest dici, quod laus prædicatorum illius temporis intelliguntur in eorum prædicatione cum dicitur : *Et septimus Angelus*. Secundo objicitur, quod exterminare est actus diaboli, supra IX : *Cui nomen Hebraice etc.* : ergo non pertinet ad Deum. Respondeo. Dicendum, quod exterminare eo modo quo est actus diaboli, non est actus Dei. Diabolus enim exterminat, quantum est de se, justos et injustos ; Deus solum injustos. Diabolus exterminat a gratia suggerendo peccatum, et a gloria ne obtineatur, per hoc quod in peccatum inducit. Deus autem nunquam exterminat a gratia, nec suadet malum, sed vocat ad gratiam, et dat ipsam gratiam et suadet bonum. Nec, quantum est de se, exterminaret ab ingressu gloriæ : sed hanc exterminationem facit, non impediendo hominem a profectu meriti, cum omnino merita quærat, sed ulciscendo et puniendo peccata hominis qui hoc meretur. Item diabolus exterminat hominem sitibundus et ex invidia. Deus autem quasi coactus et ex justitia ; quoniam *justus Dominus et justitias dilexit* etc. Tertio objicitur de hoc quod dixit : *Qui corruperunt terram* : quia

non solum illi damnabuntur qui alios documento vel exemplo, aut corpora sua, quæ terrea sunt, peccato carnali corruperunt ; sed etiam alii qui occulte peccatis spiritualibus peccaverunt. Quomodo ergo fit solum sermo de ipsis? Respondeo. Dicendum videtur, quod de istis loquitur autonomastice qui alios corruperunt per exemplum vitæ vel errorem doctrinæ, sicut factum est ante adventum Christi, et fiet maxime sub Antichristo : unde et major eis pœna debetur : non tamen propter hoc a damnatione excluduntur alii, cum dicatur etiam de eis qui bona omittunt. Matth, III : *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*. *Et apertum est*. Hic describitur quarta visio quæ est de pugna mulieris et draconis. Nota igitur de differentia septimæ visionis ; quod quatuor primæ respiciunt universalem statum Ecclesiæ, tres vero ultimæ finalem. In primis iterum est differentia. Prima enim continet correptionem septem Ecclesiarum, et est correctoria, unde frequenter monet ad pœnitentiam, et sæpe dicitur : *Age pœnitentiam*, supra II et III et sic excitat ad affectum doloris. Secunda est consolatoria per revelationem mysteriorum, et sic allicit ad affectum amoris. Tertia est comminatoria per Angelos elongantes tubas, ostendens damnationem malorum, et sic trahit ad affectum timoris. Quarta quæ hic describitur, est exhortatoria ad constantiam in pugna exemplo mulieris, idest Ecclesiæ ; et erigit ad affectum spei de adversario Dei ; et sic quatuor visiones quatuor generant in nobis ordinatas et salubres affectiones. Prima, affectum doloris de peccatis. Secunda, affectum amoris vel gaudii, de divinis beneficiis. Tertia, affectum timoris, de suppliciis. Quarta affectum spei, de tentationibus superandis. In hac igitur visione, agitur de pugna mulieris cum dracone, et ejus victoria, et profectu meriti : hoc est de pugna Ecclesiæ contra hostes, et ejus victoria, et profectu. Materia ergo hujus visionis, est mulier bene ornata, bona auxilia habens in bello spirituali et vincens, et vincendo proficiens ; et per hoc fideles armantur ad constantiam, in tentationibus et adversis, et eriguntur ad fiduciam de auxilio Dei. Sic autem proceditur. Primo ponit quædam præambula ad principale visionis. Secundo describit ipsam visionem, videlicet quantum ad illud, quod principaliter intendit in ea. Licet enim a principio capituli totum sit de hac visione, tamen illud quod sequitur est principale in visione. Unde sequitur : *Et signum magnum*. Præambula autem ad principale visionis ponuntur duo. Primum, templi apertio. Secundum, multiplex mutatio. *Et facta sunt*. Primum signat occultorum reserationem. Secundum prædicationis diffusionem. Et ab his dependet visio, quæ post describitur, ut dicit *Glossa*. Dicit agitur. *Et apertum :* quasi dicat : Ita vidi præmissa, et adhuc vidi amplius : et hoc est quod dicit, *Et apertum est*, idest manifestatum et reseratum, cum prius esset clausum. *Templum Dei*, id est occultum sive mysterium Dei dignum et venerandum, in quo consistit virtus divini cultus. *In cœlo*, idest in Ecclesia, quæ cœlum est per virtutum et vitæ claritatem et meritorum sublimitatem. Supra IV : *Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo*. Templum dicitur illud, quod est secretum sive occultum de Deo, et sacramentum venerabile ac dignum, sicut templum clausum secreta continet. Sacramentum est venerabile quoque ac dignum. Unde, sicut *Glossa* innuit, Templum Dei dicitur hic occultum, sive mysterium Dei dignum ac venerandum, quod ante adventum Christi clausum erat in Scriptura ; quia nondum manifestatum. Tunc autem hoc templum Dei apertum fuit in cœlo, quando secreta divinorum mysteriorum in Scriptura clausorum, manifesta fuerunt per Christum carnem assumentem ; quia tunc cœpit aperire templum, id est mysteria. Item per ipsum Christum prædicantem, patientem, ac morientem. Tunc enim apertum est quod primo in Scriptura erat occultum. Item per ipsum Christum post resurrectionem aperientem discipulis sensum ut intelligerent Scripturas. Item per ipsum dantem Spiritum sanctum discipulis et aliis fidelibus, per quem intelligentur quæ prius clausa erant, ut tangit *Glossa*. Ezechielis XLIII : *Fili hominis ostende templum domui Israel. Et confundantur*

ad perquirendum eum. Quid autem ex apertione templi visum fuerit, ostenditur cum sequitur : *Et visa est*, idest hominibus manifestata in carne visibili. *Arca*, idest Christus qui est arca, quæ continet omnes thesauros sapientiæ. Coloss. II : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*. Item gratiæ. Joan. I : *Plenum gratiæ et veritatis*. Item fit hæc mentio de arca Testamenti, quæ fuit sub lege. Hoc enim videtur tangere hæc visio. Hæc autem arca Christus est, ut dictum est : et continet urnam auream continentem Manna, idest habet in se humanitatem purissimam, cui est unita divinitas, cujus est dulcedo super mel et favum. De urna, Exod. XVI. Item continet virgam Aaron, plenariæ potestatis, cujus est dominari in præsidendo. Psal. : *Virgam virtutis tuæ, emittet Dominus ex Sion*. Matth. ultimo : *Data est mihi omnis potestas etc.* Item regere, in informando scilicet documentis et exemplis et deducendo donis. Psalm. : *Virga directionis, virga regni tui*. Item corrigere flagellando. Psal. : *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Hebr. XII : *Quis enim filius, quem non corripiat pater ?* Rursus, continet tabulas Testamenti : quia ipse habet plenam notitiam veteris ac novi Testamenti, et docet nos, sicut Magister certissimus, Matth. XXIII : *Magister vester unus est Christus*. Dicitur autem arca Testamenti ejus, scilicet Dei ; quia continet in se vetus Testamentum et etiam novum, idest utriusque habet notitiam, quam etiam dat fidelibus, et vetus in se complevit, et novum instituit. Tangitur historia de arca Testamenti, quæ scilicet continebat Testamentum vetus : quæ erat in secundo tabernaculo, quod dicebatur sancta sanctorum, ut habetur Hebr. IX. Post velamentum autem secundum tabernaculum quod dicitur sancta sanctorum. Illud secundum tabernaculum, quod hic secundum *Glossam* videtur vocari templum, signat mysteria Dei de humana redemptione, sicut innuit *Glossa* : in quibus mysteriis, erat hæc arca idest Christus latens in eis : quia de ipso erant illa mysteria legis, quæ erant sub figuris et prophetiis velata. Hæc igitur arca visa est, quia Christus, qui prius erat in sua divinitate invisibilis, et in mysteriis Scripturæ occultus, factus est visibilis et manifestus in carne assumpta, per hoc quod templum est apertum, idest mysteria, ut supra est expositum, reserata. Unde sequitur, *In templo ejus*, scilicet aperto, idest in mysteriis revelatis. Quasi dicat : aperto templo, idest revelatis mysteriis, quæ in divina præordinatione et in Scriptura latebant, visus est Christus, idest cognitus oculo fidei et amoris. Psal. : *Notum fecit Dominus salutare suum* : viderunt omnes fines terræ, salutare Dei nostri. Pulcherrima est arca hæc et delectabilis ad videndum. Canticor. I : *Et totus desiderabilis*. Pulcher autem oculus est necessarius, scilicet oculus amoris. Bernardus : « Carus est oculus, quo videtur Deus. » *Et facta sunt*. Hic ponitur secundum præambulum, scilicet multiplex immutatio, scilicet fulgura etc. Hæc enim viderat in visione per quæ signatur diffusio prædicationis per Apostolos et alios, postquam Christus templum aperuerat et se cognosci fecerat : sicut superius est expositum. Primo autem tangitur id quod fuit ex parte prædicatorum. Secundo, id quod fuit ex parte auditorum, *Et terræmotus*. Ex parte prædicatorum fuerunt tria : scilicet, operatio miraculorum. Unde dicitur : *Et facta sunt*, per prædicatores, quos misit Dominus post dationem Spiritus sancti, cum templum jam apertum esset. *Fulgura*, idest miracula, quæ in primitiva Ecclesia fuerunt necessaria. Et dicuntur fulgura ; quia illuminabant ad fidem, terrebant inducendo ad amorem, scindebant ad contritionem, fœtere faciebant peccata ad detestationem, confessionem, et satisfactionem. Psal. : *Alluxerunt fulgura ejus etc.* Item lævitas admonitionum. Unde sequitur : *Et voces*, idest exhortationes cum mansuetudine propositæ. Canticorum II, *vox tua dulcis*. Item terror comminationum. Unde subditur, *Tonitrua*, idest comminationes deterrentes : supra IV, *Et de throno procedunt fulgura et voces tonitrua. Et terræ motus*. Hic tangitur illud quod fuit ex parte audientium. Et primo agitur de obstinatis et pœnitentibus communiter, quia utrique moti sunt licet differenter, quia quidam

ad bonum, quidam ad malum ; unde dicitur, *Et terræmotus*, supple factus est, idest terreni moti sunt, quidam ad fidem, quidam ad iram. De utrisque Act. XII, circa finem. Supra VIII, *Facta sunt tonitrua etc.* Secundo agitur de obstinatis specialiter. Unde dicitur : *Et grando*, supple facta est. Hoc dicitur quantum ad obstinatos, hæc enim prædicatio in se et bonis suavis, visa est quibusdam contundens et intolerabilis. Vel, grando, idest contumelia et gravitas verborum et persecutionum : supra VIII, *Et facta est grando et ignis etc.* De hoc Act. VIII, *Facta est persecutio magna in Ecclesia.* Aliqui codices non habent hic tonitrua : tamen secundum Haymonem ponuntur hic quinque prædicta, scilicet, Fulgura, voces, tonitrua, terræmotus, et grando. Aperte tamen non videtur tangere illud nomen tonitrua. Ex his autem præambulis duobus præmissis sequutum est illud, quod in visione infra describitur. Ex his enim quæ Dominus docuit, fecit, pertulit, et dedit, aperiens per hoc templum, nec non et ex documentis et miraculis Apostolorum, facta est Ecclesia sponsa divina, facta est potens ad proficiendum et triumphandum ; et ex his iisdem, incitans est diabolus ad persequendum, unde subditur visio.

CAPUT XII

Et signum magnum etc. Notandum quod quandoque aliquid unum et idem particulare videbat in diversis visionibus, quia faciebat ad diversa, in aliis tamen erat differentia visionum. Primum ergo præambulum tactum fuit supra secundum partem IV capite in visione secunda. Secundum vero supra VIII, ut tangit *Glossa.* In hac igitur quarta visione, agitur de pugna mulieris et draconis, et victoria et profectu mulieris, idest Ecclesiæ in persecutione. Sic autem proceditur. Primo agitur de profectu Ecclesiæ in persecutione. Secundo de finali retributione, scilicet bonorum sustinentium et malorum inferentium persequutionem, infra XIV, *Et vidi et ecce nubem.* Persecutionem autem sustinet Ecclesia a diabolo, sustinebit et ab Antichristo. Unde primo agitur de profectu Ecclesiæ in persecutione diaboli. Secundo de profectu ejus in persecutione Antichristi, XIII capite *Et vidi de mari bestiam.* Rursus circa primum Primo agitur de profectu Ecclesiæ sub persecutione diaboli occulta. Secundo de ejus profectu sub manifestatione, secundum *Glossam*, hic et inferius. De manifesta persequutione habetur, ibi : *Et post quam vidi draco.* In prima parte Primo describuntur pugnantes, scilicet mulier et draco. Secundo ostenditur aviditas hostis repugnatoris, *Et draco stetit.* Tertio auxilium impugnatæ mulieris, *Et peperit masculum.* Quarto dejectio ipsius draconis *et projectus est draco.* Quinto sanctorum jubilus de triumpho dejectionis, sive adjutoris scilicet Dei, *Et audivi vocem.* Circa primum Primo describitur mulier bellum sustinens. Secundo draco bellum inferens, *Et visum est aliud.* Mulier autem describitur quantum ad quatuor quæ decent eam quæ regi desponsatur. Primo autem describitur implicite et in generali. Secundo explicite et in speciali : *Mulier amicta :* ubi describitur quantum ad figuras designantes Ecclesiæ laudem. Primo quantum ad ornatum speciositatis. Secundo quantum ad dominationem potestatis, *Et luna.* Tertio quantum ad indicium sive insigne dignitatis, *In capite.* Quarto quantum ad virtutem fecunditatis, *Et in utero.* Dicit igitur : *Et signum :* quasi dicat : *ita vidi* præmissa et præter illa vidi aliud, scilicet magnum : scilicet quædam mulier apparuit amicta sole, et sic de aliis ; et hoc est quod dicit : *Et signum magnum*, scilicet figura quiddam magnum signans, *Apparuit in cœlo*, idest in Ecclesia militante : quasi dicat : vidi per visionem quasi in cœlo quamdam figuram magnam, significantem aliquid. Hoc signum sive hæc figura, fuit illud quod sequitur, scilicet de muliere amicta sole et habente lunam sub pedibus, et sic ulterius. Apparuit autem hoc signum in cœlo, quia illud signum sive hæc figura est de Ecclesia significata per cœlum.

Signum autem dicit apparuisse, quia hæc et alia videbat sub figuris sive signis, sicut supra in prologo dicetur, ut ea sub congruis similitudinibus scriberet et traderet nobis. Hoc autem signum magnum dicitur, quia magna signat de Ecclesia : scilicet amabilem speciositatem, dominativam potestatem, regiam dignitatem, sobolis fecunditatem. Hæc autem quatuor magni ponderis sunt apud Deum et magnæ utilitatis in Ecclesia ipsa, et hæc per hujusmodi signa signantur. Augustinus, II *de Doctrina christiana* : « Nemo ambigit per similitudinem libentius quælibet cognosci. Sed cum hæc signa obscuram significationem habeant, nec sit certum quis intellectus sit accipiendus, videtur fuisse utilius, si aperte signis nobis veritas exprimeretur. » Item unus intelligit uno modo, alius alio : et videtur quod saltem unus deviet ab intellectu recto. Respondeo : Dicendum, quod hæ visiones sub figuris obscuris scriptæ sunt convenientissima ratione ; et est ad hoc ut ad alias plurimas Scripturæ obscuritates ratio multiplex. Tum ex parte legentium, ex parte quorum est quadruplex ratio, ut dictum est supra VII. Tum ex parte Scripturæ, ut scilicet fecundius veritas per ipsa signa detur intelligi : quod fit dupliciter : scilicet quantum ad ipsam rem in se, quia ipsa res plenius ostenditur per ipsa signa, quia signa plus important quam vocabulum nudum, sicut plus importatur cum dicitur, *Mulier amicta sole et luna sub pedibus ejus*, quam si diceretur : *Ecclesia decora spiritualiter et contemnens temporalia* ; sicut plus sonat ignis quam amor. Luc. XII, *Ignem veni mittere in terram*. Item quantum ad intellectuum multiplicitatem ; quia ipsa obscuritas dat viam ad multiplicem intellectum, et sic majus documentum elicitur. Unde Augustinus, XI lib. *de Civitate Dei* « Divini sermonis obscuritas, ad hoc utilis est, quod plures sententias veritatis parit, et lucem notitiæ producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit. » Ad primum objectum dicendum, quod sicut dicit Augustinus XI lib. *Confessionum* : « Non frustra voluit Deus scribi tot paginarum opaca secreta : unde Dominus sanctis doctoribus revelavit intellectum Scripturæ quantum judicavit esse necessarium nobis. » Per ipsos autem datur via ad intelligentiam Scripturarum, ut patet de Beatis Gregorio, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo et aliis sanctis expositoribus. Item quotidie aliis studiosis qui sunt ad docendum ceteros idonei revelat quantum placet suæ sapientiæ, omnia congrue dispensanti. Dat etiam quandoque intellectum indignis, propter commodum aliorum. Maxime autem dat Dominus intellectum humilibus et orationi instantibus. De humilibus Matth. XI, *Abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis*. De orantibus Damascenus IV lib. cap. X : « Pulsemus avide, sic enim aperietur. Licet igitur homini certum non sit de se et per se quis intellectus in Scriptura habendus sit, tamen per documenta sanctorum cognoscitur, et etiam per donum illuminationis internæ. » Ad aliud dicendum, secundum Augustinum, quod non est deviatio propter hoc a recto intellectu, licet unus intelligat alio modo quam alter, vel licet unus intelligat pluribus modis. Scriptura enim, secundum Augustinum : « Fons est educens rivulos multos. » Et non est dubitandum quin Beatus Joannes perfectius et clarius intellexerit ea quæ scripsit quam doctor exponens : et probabile est, quod omnes convenientes expositiones quæ ponuntur in eis, ipse in ipsis verbis intellexit, cum per ipsum hæc ad nos manaverint et prius ipse receperit. Item etiam si non omnes intellectus qui habentur in his, non novit ille per quem liber aliquis Scripturæ est editus, non propter hoc latuit Spiritum sanctum aliquis utilis et congruus intellectus. Unde Augustinus loquens de Moyse, et de illis verbis, *In principio creavit Deus etc.* dicit XII lib. *Confessionum* : « Si quid homo minus videt, numquid spiritum tuum bonum in terram deducentem latere potuit, quicquid eras in eis verbis tu ipse revelaturus legentibus ? » *Mulier*. Hic in speciali describitur mulier : et hoc quantum ad quatuor præmissa : quia signum apparuit, scilicet, *Mulier amicta sole*, idest Ecclesia induta sive ornata Christo illuminante et

decorante. Ecclesia dicitur mulier, quia scientia verbi divini generat filios sponso suo et nutrit eum diligentia et labore. Hæc est Esther quam *rex amat super omnes mulieres*, sicut dicitur Esther II, Quia Christus plus diligit Ecclesiam quam congregationes fidelium ante legem et legem. Hujus est indumentum et ornamentum Christus, Rom. XIII, *Sed induimini Jesum Christum*, quia regit, calefacit, protegit, decorat et honorificat eam, sicut vestis nobilis hominem indutum. Christus autem dicitur sol, propter claritatem quam habet in se, et quam efficit in Ecclesia sive in justis. Pulcher talis ornatus et delectabilis aspectu. Malachiæ ultimo. *Orietur vobis timentibus sol justitiæ*, Eccles. X, *Dulce lumen et desiderabile est oculis videre solem. Et lunam,* idest rerum temporalitas sive temporalia quæ subjacent multiplici mutationi, sicut luna multipliciter mutatur. Eccles. I, *Vanitas vanitatum et omnia vanitas. Sub pedibus ejus*, idest sub affectionibus, quia non subjicitur temporalibus Ecclesia, quantum ad justos, per amorem et cupiditatem, sed eis dominatur. Affectus autem sunt pedes, quia eis tota anima et omnia merita innituntur et sustentantur. Item per eos inceditur, proficiendo in meritis. Item cum eis quasi cum pedibus calcanda sunt vana : unde dicitur hic, luna sub pedibus ejus. Gregorius *super hunc locum :* « Quia Ecclesia cuncta temporalia despicit, lunam sub pedibus premit, » Nota quod Ecclesia despicit sive calcat pedibus lunam, propter amorem solis. Philipp. II, *Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam*. De hoc Hieronymus : Humanas terrenasque opes contemne, ut illi placeas pauper cui difficile opulentus placere potes. » *Et in capite*. Hic ostenditur insigne regiæ dignitatis ; quia in capite suo habet coronam duodecim stellarum. Ornatus enim capitis coronat et decorat ac nobilitat eam. Dicit igitur : *Et in capite ejus*, scilicet in Christo, qui est caput Ecclesiæ ipsam regens et providens, in ea influens sensum fidei et motum dilectionis et operationis. Coloss. I, *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Corona stellarum duodecim,* idest nobilis victoria duodecim Apostoli in se lucidi, et aliorum illuminativi ; in oculis terrenorum minimi, coram Deo magni : contra vitia et contra diabolum, et contra hostes fidei victoriosi. Quæ victoria per coronam signatur, quia victoribus dari solet. Et dicitur hæc corona esse in Christo, quia hoc cedit ad honorem ipsius et ad ostensionem regiæ dignitatis in eo, cujus virtute et ad cujus gloriam vicerunt omne vitium et diabolum et fidei impugnatores quos vicerat efficacia doctrinæ operatione, potestate et miraculis et virtute constantiæ, quia propter adversa non cesserunt. II Corinth. II : *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu*. Comparantur autem stellis, quia in se luminosi aliis præbent lucem in nocte adversitatis et infidelitatis : Baruch. III, *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis :* sicut Thomas in India majore, ipse Joannes in Asia, Andreas in Achaia, similiter de aliis. Dicitur autem hoc ad laudem Ecclesiæ, quia per hoc ostenditur ipsa habere dignitatem regiam, quod caput suum est coronatum, quia corona capitis cedit in honorem totius corporis. Vel *corona duodecim stellarum* est gloria duodecim particularium præmiorum quæ sunt in Christo. Etiam Ecclesia habet hanc coronam in suo capite, idest Christo, et ab eo eamdem recipient in se ipsa. Hæ duodecim stellæ sunt septem dotes : tres animæ, scilicet visio aperta, I Joan. III, *Videbimus eum sicuti est*. Dilectio plena. Isa. XXXI, *Dixit Dominus cujus ignis in Sion et caminus ejus in Jerusalem*. Item tentio sive comprehensio æterna. Philipp. III, *Sequor autem si quo modo comprehendam etc*. Sunt autem quatuor corporis : scilicet claritas. Matth. XIII, *Fulgebunt justi sicut sol*. Impassibilitas, I Corinth. XV, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Agilitas, Sap. III, Tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Subtilitas, Joan. XX. *Stetit Jesus januis clausis*. Item cum his septem dotibus erunt alia quinque : scilicet gaudium de evasione totius mali. Psalm. : *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus*. Item filiatio Dei in perceptione hæreditatis, Rom. VIII, *Quod si filii, et hæredes*. Item

securitas jubilosa. Ephes. iii, *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis* ve-. Pax perpetua. Psalm. : *In pace in idipsum, dormiam et requiescam.* Securitas firma. Zachar. xiv, *Sedebit Jerusalem secure.* In his continetur abundantia totius boni ; et in his intelliguntur omnia bona patriæ. Vel *in capite ejus*, idest in ejus primordio ; quia in primitiva sua habuit Apostolos Ecclesia, ex quibus fuit quasi coronata, quia magnam auctoritatem obtinebat per eos et victoriam. Vel *in capite*, idest in mente. *Corona duodecim stellarum*, idest duodecim fructus ipsam reddentes victoriosam et claram. De quibus Galat. v, *Fructus autem spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, mansuetudo, bonitas, longanimitas, fides, modestia, continentia, castitas.* Quilibet Ecclesiæ verus filius, hos duodecim fructus habet, vel in mente sua habet duodecim articulos quæ sunt Ecclesiæ in coronam, idest dignitatem et victoriam, cum per eos cum annexa caritate Christo conjungitur et vitia debellantur. I Joan. ult. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Allegorice de Beata Virgine. Signum, scilicet illud quod sequitur, scilicet de Beata Virgine, quod fuit amicta sole, et habuit lunam sub pedibus et coronam duodecim stellarum in capite. Hoc enim fuit signum divinæ bonitatis et sapientiæ, signum caritatis et pietatis ad genus humanum. Isa. vii, *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum etc. Magnum*, quia valde magnum judicium bonitatis suæ et caritatis ad homines ostendit in ipsa. *In cælo*, idest in Ecclesia, de qua fuit Virgo Beatissima perfecte. Quod autem fuit hoc signum ostendit mulier, scilicet Virgo Beata benedicta super omnes mulieres, quæ salutis auctorem peperit, viris ac mulieribus. Prov. xi, *Mulier gratiosa inveniet gloriam. Amicta*, idest ornata, *sole*, idest Christo qui de seipso ipsam ornavit, decoravit et fecit totam luminosam, non suis radiis solum, sed et seipso ; unde Virginis claritas in alios redundabat. Unde Beatus Bernardus *in quodam sermone* : « Mariæ præsentia totus illustratur orbis adeo, ut et ipsa jam cælestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis illustrata fulgore. » Sed contra. Jerem. xxxi, *Femina circumdabit virum* ; ergo potius ipsa circumdedit Christum, non fuit eo circumdata vel amicta. Respondeo. Utrumque verum est, nec sunt contraria, sed unum potius est alterius causa. Fuit enim circumdatus Christus in quantum ejus filius, dum ipsum de se genitum virgo in utero circumdedit. Circumdedit etiam eam inquantum ejus ornatus, dum eam seipso spiritualiter decoravit. *Et luna*, idest temporalia mutabilia et defectibilia ut luna. *Sub pedibus*, idest affectibus, *ejus*, idest omnia temporalia calcavit per eorum contemptum, ne quomodo fuscarent ejus dilectionem ad filium. Ideo de ipsa dicitur Ecclesiastici xxiv, *Ego mater pulchræ dilectionis.* Amor enim commutabilis boni, aliquo modo semper derogat amori boni incommutabilis. Unde Augustinus, x lib. *Confessionum.* « Minus te amat, qui tecum aliquid amat. » *Et in capite etc.*, idest ipsam sublimavit sive honorificavit dignitas privilegiorum ; sicut corona in capite, caput et ipsum hominem honorificum facit. Hæ duodecim stellæ sunt, secundum Bernardum, duodecim prærogativæ beatæ Virginis. Quatuor de cælo, quia super eam erant. Quatuor ex parte animæ. Quatuor ex parte corporis. Primæ quatuor prærogativæ sunt sanctificatio ipsius Virginis, Salutatio Angeli, Obumbratio Spiritus sancti, Inenarrabilis conceptio filii Dei. Aliæ quatuor fuerunt, Donum humilitatis, Magnanimitas fidei, Mansuetudo pudoris, sive zelus humanæ salutis ; quia sacro pudore salubriter pudorata fuit. Item salutem humanam multum zelavit. Quartum fuit martyrium cordis. Lucæ ii, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Alia quatuor sunt, quia fuit virginitate purissima, sine corruptione fecunda, sine gravamine gravida, sine dolore puerpera. Et bene dicuntur Stellæ, quia eam claram et sublimem reddebant. Extollitur ergo his verbis universalis Regina, quantum ad amabilem speciositatem, immutabilem sanctitatem, et admirabilem dignitatem. *Et in utero.* Hic agitur de fecunditate Ecclesiæ. Novos enim filios, Christo sponso parit. Ad hoc autem concurrit

semen divini Verbi, quod suscepit Ecclesia a sponso Christo. Item doctrina prædicationis, quæ homines disponit ut fiant filii Dei per adoptionem. Item quandoque prædicatores et pastores se affligunt per mortificationem carnis, ut homines convertant. Primo ergo ostenditur verbum in corde. Secundo, doctrina in ore, *Et clamabat.* Tertio, afflictio in corpore, *Et cruciatur.* Dicit igitur, *Et in utero*, *Glossa*, in jugi memoria, *habens*, *Glossa*, verbum Dei. Iste est fœtus quem Ecclesia suscepit a suo sponso, de quo satagit formare filios pulchros et novos. Unde Anselmus in libro *de Concordia gratiæ et liberi arbitrii :* « Est autem semen verbum Dei.» Matth. XIII, *Semen est verbum Dei. Et clamat*, idest Ecclesia in prædicatoribus et pastoribus bonis. Clamat Ecclesia in majoribus, prædicando cum affectu, qui in clamore intelligitur, Isaiæ LVII, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Parturiens*, idest cum labore satagens ad pariendum filios spirituales. Parturitio, est præparatio partus, quæ fit cum frequenti cruciatu et dolore ; et per hoc signatur diligentia et laboris frequentia in officio prædicandi et adjuvandi animas. Galat. IV, *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Clamori autem prædicationis, debet adjungi clamor orationis, quæ prorsus est necessaria. Psal.: *Clamavit ad me et exaudiam eum.* Augustinus, IV libro *de Doctrina Christiana :* « Priusquam exerant proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem. » *Et cruciatur*, interiori desiderio, et exteriori carnis maceratione, *Ut pariat,* scilicet spirituales filios Deo. Partus enim est quando proles nascitur : unde præcedit parturitio, idest præparatio ad partum, et sequitur partus. Sancti enim prædicatores, quandoque se affligunt corporaliter, ut efficaciter animas convertant et Deo pariant. I Corinth. IX, *Castigo corpus meum et in servitutem redigo etc.* II Corinth. XI, *In fame et siti etc.* Hæc verba non conveniunt beatissimæ orbis Reginæ, quantum ad partum filii ; quia sine dolore peperit ; sed quantum ad compassionem Dominicæ passionis. *Et habens in utero*, idest in intimis cordis, per plenum amorem. Et *clamabat*, per compassionem instante filii passione. *Parturiens*, idest ad modum parturientis afflictionem sustinens quando per acutum doloris gladium martyr effecta est, ut prædixerat Simeon. Lucæ II, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Unde beatus Bernardus : « Vere tuam ergo animam pertransivit vis doloris, ut plus quam martyrem non immerito prædicemus ; in qua nimirum corporeæ sensum passionis excessit compassionis affectus. » *Et cruciatur ut pariat*, ut intelligatur pro tempore passionis, idest flagrat afflictivo desiderio, ut parturitionis ejus finis veniat. Parturitionis ejus finis fuit, cessatio doloris Filii, et redemptio generis humani : unde sibi convenit illud Isaiæ LXVI, *Antequam parturiret, peperit,* antequam veniret partus ejus peperit masculum. *Antequam parturiret*, idest ad modum parturientis doleret, compatiendo filio patienti. *Peperit :* verum est quia in ipsa partus præcessit parturitionem ; quia peperit sine dolore, et antequam veniret partus, idest finis parturitionis, scilicet redemptio humana, peperit masculum. *Et visum.* Hic describitur draco bellum inferens. Et primo implicite et in generali. Secundo explicite et in speciali, *Ecce.* Dicit igitur, *Et visum est*, idest apparuit, *Aliud signum*, aliud dico a primo ; quia primum fuit signum bonitatis et dignitatis Ecclesiæ quæ impugnatur : hoc autem est signum perversitatis diaboli, a quo impugnatur. *In cœlo :* tangit igitur tenorem visionis : quia scilicet vidit aliud quoddam signum in cœlum, scilicet draconem magnum rufum, et sic de aliis quæ sequuntur. Hoc signum signat malitiam diaboli in Ecclesia, idest contra Ecclesiam, quæ cœlum est, propter splendorem meritorum in justis. Unde super hunc locum dicit Gregorius. « Cœlum est Ecclesia, quæ in nocte vitæ præsentis, dum innumeras in se sanctorum virtutes continet, radiantibus de super sideribus fulget. » *Et ecce.* Hic describitur draco impugnator in speciali. Et primo describitur quantum ad potestatem in habitu. Secundo quantum ad malignitatem in actu, *Et cauda.* Circa primum primo agitur de ejus potentia quam

habet in se. Secundò de ejus præsidentia super principes. *Habens septem capita.* Ipse autem potentiam quam habet in se, habet annexam astutiam, et utraque magna est; habet et annexam sævitiam. Unde circa primum ponitur conjunctio potestas cum astutia. Secundo utriusque vehementia, *magnus.* Tertio, malitiosa sævitia. *Rufus.* Dicit igitur, *Et ecce.* Specificat hic quod est illud signum. Per hoc quod dicit *Ecce*, notatur præsentia visionis: quasi dicat: ante oculos vidi draconem talem. Per hoc etiam potest intelligi, quod diabolus semper præsto est ad nocendum, quia *Ecce* adverbium est demonstrandi, *draco*, scilicet diabolus fortis astutus. Nomen enim draconis, dicit fortitudinem; quia draco cum astutia fortitudinem habet: unde dicitur draco, hoc est diabolus, pugnare cum Michaele. Job XLI. *Non est potestas super terram etc.* Item Draco dicit astutiam. Unde Augustinus in *quodam sermone.* «Leo aperte irascitur, Draco occulte insidiatur.» *Magnus*, propter magnitudinem utriusque. Ezechiel XXIX, *Ecce ego ad te, Draco magne, qui cubas in medio fluminum.* Vel, Magnus, propter elationem. Job XLI, *Ipse est rex super filios superbiæ. Rufus*, idest sævissimus. Color enim rufus, signat crudelitatem in effusione sanguinis, idest in interfectione spirituali. Joan. VIII, *Ille homicida erat ab initio. Habens septem capita*, idest universos pravos principes possidet, et per ipsos nititur subvertere multos. Et quia per illos et per alios principibus subjectos facit decalogum violari, recte sequitur, *Et cornua decem*, idest omnes perversos homines, legis decalogum impugnantes. Numerus enim denarius, quia numerus est completus, signat universitatem perversorum, qui decalogum præceptorum salutis et in se et in aliis impugnant. Cornu enim impugnationem signat. Et sic principes dicuntur capita in quantum aliis præsident. Ipsi etiam et eorum subditi, dicuntur Cornu, inquantum decalogum impugnant. Vel, Cornu possunt intelligi secundum *Glossam* alii eis subditi, per quos faciunt legem frangi ab hominibus. Unde *Glossa.* Reges etc. Quia vero principes plusquam alii nocent, multos fideles dejiciunt in infidelitatem, vel aliud commissum, et se videntur victores, subditur, *Et in capitibus suis*, idest in principibus suis habet, *Diademata septem*, idest universas victorias, de subversis, secundum *Glossam.* Universas inquam, quia de universis vitiis. Item secundum omnem modum tentandi; quia perversi principes, maxime infideles, multipliciter seducunt homines; scilicet per astutiam, per potentiam, per documenta, per blandimenta, per minas, per dona, per flagella. Hoc etiam nunc fit, maxime autem fiet sub Antichristo. Talis autem victoria apparens est, non vera; quia qui videtur in hujusmodi vincere, post ipse a diabolo vincitur. Unde supra IX, additur *Tamquam. Et super capita eorum tamquam similes auro. Et cauda.* Hic ostenditur malignitas in actu: quia multos qui lucere per vitam videbantur seducit: unde dicitur, *Et cauda ejus*, idest deceptio fraudulenta, qua celat vitia, et vitiorum incommoda, sicut cauda celantur turpia, *trahebat*, idest trahit de fide ad infidelitatem, per suggestionem et blandimenta et astutiam multiplicem. *Tertiam partem stellarum*, idest illos qui lucem vitæ habere videbantur et alios illuminare. Eorum enim qui videntur lucere per doctrinam et vitam, quidam habent lucem vitæ activæ, quidam contemplativæ, et hoc stabiliter et finaliter; quidam neutram, sed solum phantasticam, licet fidem informem habeant; et hi sunt tertia pars: supra IX, Tertia pars hominum occisa. *Et misit in terram*, scilicet tractos allexit terrenorum amore. Primo enim draco ille homines seducit trahendo a fide vel a statu gratiæ, et sic eos aliquo tempore per blandas tentationes seducit; postmodum ut magis eos involvat, allicit terrenorum amore, et facit aperte peccare, ad pervertendum ulterius alios. Unde Gregorius *super hunc locum*: «Stellas de cœlo in terram cadere est, relicta spe cœlestium illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare.» Secundum aliquos exponuntur hæc verba præter modum præmissum de reprobis Angelis. *Cauda ejus*, idest naturalium excellentiam, qua alios traxit, sicut aliquid trahitur cauda. *Trahebat,* idest

traxit dejiciendo per superbiam. Ipse enim diabolus, cum primo esset omnibus excellentior, videns suam naturalem excellentiam, superbuit. Multi autem ex aliis videntes eum tam excellentem, consenserunt ejus superbiæ, et ei adhæserunt. *Tertiam partem stellarum*, idest omnes Angelos reprobos, qui stellæ erant per claritatem ac volubilitatem naturæ. Una pars Angelorum est multitudo eorum qui assistunt, ita, quod si mittuntur, raro mittuntur. Alia est eorum qui ita assistunt, quod frequenter mittuntur. Tertia pars sunt illi, qui nec sunt de illis nec de istis. Hos traxit diabolus de primis et secundis. Danielis. VII, *Millia millium et decies centena millia etc.* Per hoc autem quod dicitur, trahebat, intelligitur motus violentior ; quia motus quo declinaverunt aliqui post ipsum, fuit contra naturam. Potius enim naturale est converti ad suum factorem. Unde Augustinus de homine loquens in II lib. *contra Faustum* dicit : « Sed nec ipse homo contra naturam facit quicquam, nisi cum peccat. » *Et misit eos in terram*, quia propter excellentiam naturalium ejus, adhæserunt ei et ceciderunt in hunc aerem inferiorem propinquum terræ, ut seducerent homines. Vel, *In terram,* idest in infernum, qui est sub terra, et etiam terra vocatur, propter firmitatem, quia semper durabit. Job X, *Terram misit etc. Et draco.* Hic ostenditur aviditas hostis impugnatoris, qua sitit devorare fideles. *Et draco :* quasi dicat : ita fortis est draco, et jam multos seduxit, et sua potestate confisus, et experientia edoctus ; adhuc sitit bonos pervertere. Et hoc est, *Et draco*, idest diabolus, cum fortitudine et veneno malitiæ, habens insidiosam astutiam, *stetit.* Per hoc notatur mora et aviditas nocendi. Unde Augustinus, II libro *de Civitate Dei :* « Dæmones semper sunt ad decipiendum vigilantissimi. » *Ante mulierem*, idest contra Ecclesiam Deo filios parientem ; quia semper Ecclesiæ insidiatur ut fidelibus noceat. I Petri V, *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. Quæ paritura erat,* idest quæ quantum ad aliquos convertendos, propinqua erat partui ; quia quantum ad aliquos longe est a partu, quantum ad aliquos prope, quantum ad aliquos est in pariendo ; cum scilicet eos cum effectu convertit ; quantum ad aliquos post partum, cum scilicet aliqui jam sunt fideles et justi, et eos educat Ecclesia lacte documenti et exempli. Isaiæ ultimo : *Parturivit et peperit Sion filios suos.* Quod autem dicit, *Paritura*, potest intelligi pro tempore præterito, quia olim jam diu incepit filios Deo procreare. Intelligendum etiam pro præsenti : hoc enim habet quotidie locum. Quid autem intendit draco, ostenditur cum subditur, *Ut cum peperisset*, idest aliquem in fide vel mores bonos generasset, *Filium ejus*, scilicet spiritualem, *Devoraret*, idest ad peccatum traheret ; tenet similitudinem draconis, qui devorat. Per hoc patet quod in principio, cum quis inchoat bene agere, diabolus sitit eum devorare. Jeremiæ LI, *Replevit ventrem suum teneritudine mea.* Sed quid est quod dicit, stetit ? Aut enim dicitur, stetit, secundum locum, aut secundum affectum. Si secundum locum, contra. I Petri V, *Tamquam leo rugiens circuit etc.* Si secundum affectum : sed stare affectu est habere rectum affectum. Unde supra VIII, *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei.* Respondeo. Stare est dupliciter. Aut secundum locum ; et sic non accipitur hic secundum sensum mysticum, quia non semper stat eodem loco : Aut secundum affectum, et tunc aut accipitur in bono, et sic dicit affectum rectum et promptum ad bonum, ut supra VIII : aut in malo, et sic dicit affectum intentum et sitibundum ad malum, et sic accipitur hic. *Et peperit.* Hic agitur de auxilio in pugna mulieris. Et primo ostenditur auxilium ei præstitum a Filio per se. Secundo a ministris Filii, *Et factus est.* Circa primum Primo ostenditur partus Filii auxiliantis. Secundo potestas ad auxiliandum, *Masculum.* Tertio ipsum auxiliandum præstitum, *Et mulier.* Potestas autem ostenditur quantum ad quatuor. Primo quantum ad gratiæ validitatem, cum dicitur *Masculum.* Secundo quantum ad præsidentiæ dignitatem, *Qui recturus.* Tertio quantum ad divinitatis majestatem, *Et raptus est.* Quarto

quantum ad judiciariam auctoritatem, *Et ad thronum ejus*. Nam secundum hæc quatuor habet Christus magnam potestatem ad stabiliendum Ecclesiam. In ipso enim secundum humanitatem fuit et est plenitudo gratiæ, per quam habet robur ad resistendum diabolo, ne Ecclesiæ noceat. In ipso enim est sublimitas præsidentiæ; quia etiam secundum quod homo, dux est et princeps Ecclesiæ: unde eam defendere potest. Item in eo est majestas divinæ naturæ, quia æqualis est Patri et per hoc omnia potest. Item in eo est dominium auctoritatis judiciariæ, per quam poterit de diabolo vindictam accipere, de his quæ contra Ecclesiam machinatur. Dicit igitur: *Et peperit filium*, quasi dicat: Ita Ecclesia paritura erat et quotidie parit. Inter multos autem filios quos peperit, genuit unum, aliis digniorem. Et hoc est quod dicit, *Et peperit*, scilicet mulier Ecclesia, *Filium*, idest Christum per Virginem matrem, quæ fuit membrum et pars Ecclesiæ: unde hoc attribuitur toti, quod est parti; corpori quod est membri. Dum enim Virgo Beata filium peperit, ipsa Ecclesia per Virginem ipsum peperit, scilicet inter multos quos genuit. Dupliciter enim parit Ecclesia filium: scilicet vel spiritualiter, et sic peperit et quotidie parit fideles per virtutem doctrinæ et exemplum vitæ; vel corporaliter, et sic peperit Christum per Virginem, quæ erat pars ipsius Ecclesiæ; et hoc fuit per virtutem ipsi Virgini datam mirabiliter: unde de Virgine dicitur Matth. i, *Et peperit filium suum primogenitum et vocavit nomen ejus Jesum*: quasi dicat: paratus erat draco ad devorandos filios Ecclesiæ, sed natus est ei filius qui draconem arceret. *Masculum*, idest nihil infirmitatis contrariæ virtuti habentem nihilque femineum in operibus suis; quia in ipsa sua infantia, ab ipsa incarnatione plenam gratiam habuit, et in ætate sequente fortia opera fecit: unde per fortitudinem gratiæ plenæ in se, et secundo in meritis potens est resistere diabolo, impugnanti Ecclesiam. Isa. lxvi: *Antequam veniret partus ejus, peperit masculum*. Partus, idest potestas pariendi secundum cursum naturæ. *Qui recturus erat*, in actu et via recte vivendi. *Gentes*, idest electos ex gentilibus. Ex quo patet latitudo suæ præsidentiæ, quia supra Gentiles et Judæos dominabatur etiam inquantum homo. Rom. xv, *Qui exurget regere gentes etc. In virga ferrea*, idest potentia infrangibili et invincibili; unde cum sit potens rector suorum, certum est quod eos defendere potest. Vel, *Virga*, idest justitia, propter rectitudinem. *Ferrea*, idest inflexibili; et quia suos regit juste, non declinabit ab eorum defensione. Psalm.: *Reges eos in virga ferrea. Et raptus est filius ejus*, scilicet Christus qui est filius Ecclesiæ, per hoc quod est Filius Virginis Beatissimæ quæ membrum est et nobilis pars Ecclesiæ. *Ad Deum*, idest ad æqualitatem Dei Patris: quasi dicat: ascendit in cœlum et sic manifestavit se Patri esse æqualem inquantum Deus, licet ad carnem suscipiendam se humiliaverit, Philipp. ii, *Non rapinam est arbitratus esse æqualis Deo*. Per hoc autem quod dicitur, *raptus*, potest intelligi nobilitatio naturæ humanæ, quæ supra propriam conditionem facta est nobilis dum Filius in ipsa natura humana existens cognoscitur Patri æqualis, quia per hoc magis manifestatur dignitas humanitatis. *Raptus* enim dicit virtutem quæ quasi quamdam violentiam conditioni naturæ facit, dum ipsam naturam tam nobiliter extollit. Sed quomodo dicitur raptus ad æqualitatem Patris, cum inquantum Deus semper eam habuerit, secundum humanitatem autem nunquam? Respondeo. Raptus iste ad æqualitatem Patris est secundum manifestationem, quia post ascensionem magis apparuit ejus divinitas inquantum est Patri æqualis, quam ante: et intelligitur de ipso secundum divinitatem humanitati unitam, propter quam unionem nihil amisit. Sed ejus divinitas ante ascensionem a paucis cognoscebatur: postmodum autem manifestata fuit, cum Spiritum sanctum effudit et discipulos per mundum prædicare fecit. *Et ad thronum ejus*, scilicet Patris, est raptus, idest potestatem judiciariam se habere ostendit. Totum hoc post ascensionem patuit magis quam ante, et potest intelligi tam de potestate judicandi inquantum Deus,

quam habet eamdem cum Patre, vel de potestate judicandi quam habet a Patre inquantum homo : et secundum hoc dicitur esse raptus, propter altitudinem hujus dignitatis quæ est supra naturam humanam, secundum se acceptam. Dicitur autem raptus ad thronum Patris, quia etiam inquantum homo participat judiciariam potestatem Patris, Joan. v, *Pater omne judicium dedit Filio.* Hoc autem magis claruit per ascensionem, quia tunc fides dilatata est. *Et mulier.* Hic ostenditur ipsum auxilium præstitum ; et hoc in tribus. Primo quantum ad confugium, quia dedit Christus Ecclesiæ gratiam confugiendi ad secretum mentis et declinandi a tumultu mundano. Secundo quantum ad locum, quia facit Ecclesiam manere in loco spirituali sibi congruo, et ipsum locum præparat. *Ubi habet.* Tertio quantum ad pastum, *Ut ibi pascat.* Dicit igitur : *Et mulier* : quasi dicat : talem filium peperit mulier, cui draco insidiabatur : et per auxilium hujus filii, *mulier*, idest Ecclesia, virtutibus et filiis spiritualibus fecunda, *Fugit*, volens cavere insidias et nocumenta draconis, *In solitudinem*, idest secretum mentis : ibi sola est per exclusionem tumultus mundanorum desideriorum. Hoc autem confugium est per auxilium Christi, quia ex Dei dono est. Job XXXIX, *Cui dedi in solitudine donum.* Gregorius : « Bene conversantibus solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, et quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant. » *Ubi habet locum*, idest in qua solitudine interni secreti habet Ecclesia, quantum ad viros justos, mansionem spiritualem, qua tamquam loco quietatur. *Paratum a Deo :* quia non potest haberi locum interni secreti, in quo anima quiescit, nisi ex magno Dei dono : qui hunc locum suis paravit, quia per exemplum vitæ et passionis omnia contemnere docuit, et sibi a Deo interius vacare. Paravit etiam per meritum et efficaciam ipsius passionis, per quam suis gratiam tribuit. Parat etiam amplius quando gratiam ad hoc tribuit : et sic animam in hoc loco manere facit, et ibi cum ea familiariter loquitur. Oseæ II, *Adducam eam in solitudine et loquar ad cor ejus.* Et per hoc quod dicitur, *Habet locum*, ostenditur quod non est egrediendum unquam exterius per amorem vanitatis mundanæ : sed interius morari debet. In solitudine enim est anima, quando non inhiat exterioribus, sed interius æternis, licet corporaliter sit homo inter homines. Unde Gregorius. « Si prematur aliquis corporaliter popularibus turbis et tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe.» *Ut ibi :* quasi dicat : Deus paravit vel parat locum Ecclesiæ, *Ut ibi pascat illam*, scilicet partu doctrinæ ; quia qui apud se in interno secreto habitat, efficacius pascitur verbo Scripturæ vel prædicationis ; quietius enim et sapidius et plenius capit. Et bene dicitur, *pascat,* quia ipsa doctrina Scripturæ a Deo est ; et quod anima inde reficiatur, ex dono ejus est, Psalm. : *In loco pascuæ ejus ibi me collocabit.* Item pascit Deus Ecclesiam quantum ad justos interna consolatione, ut cum dat delicias spiritus. Isa. LI, *Ponet desertum quasi delicias et solitudinem quasi hortum Domini etc.* Item cœlesti pane, idest seipso spiritualiter et sacramentaliter. Sap. XVI, *Angelorum esca nutrivisti populum tuum etc. Diebus mille ducentis sexaginta*, idest toto tempore quo subsistet Ecclesia, per virtutem dominicæ prædicationis, tribus annis et dimidio. Ipse Christus enim tanto tempore prædicavit, ex cujus prædicatione ortum habet prædicatio Scripturæ, ex qua prædicatione pascitur Ecclesia. Totum ergo tempus Ecclesiæ a passione Domini usque ad finem mundi signatur per dies mille ducentos sexaginta ; quia scilicet in omni tempore suæ prædicationis sustentatur Ecclesia doctrina dominicæ prædicationis, quam Christus tribus annis et dimidio fecit. Vel potest referri specialiter ad tempus Antichristi, quando Ecclesia pascetur prædicatione Eliæ et Enoch , et etiam interna refectione, maxime quantum ad perfectos qui tunc erunt. Hoc autem erit per dies mille ducentos sexaginta, idest per tres annos et dimidium quibus regnabit Antichristus. Supra XI, *Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.* Potest aliter intelligi

hæc solitudo de qua dicitur: *Fugit in solitudinem*, de solitudine pœnitentiæ: quæ bene dicitur solitudo, quia deserit homo per eam omnia peccata, in quibus est multa societas; et quia ipsa pœnitentia deseritur a multis, quia pauci incedunt pœnitentiæ desertum. Ad hoc desertum confugit Ecclesia, quando videt draconis insidias: quia justi quando videntur tentari, ad pœnitentiam recurrunt augentes ejus austeritatem. Psalm.: *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine.* Iste locus datur eis a Deo, et pabulo verbi Dei in eo pascuntur, sicut sequitur, *Ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascat eam, etc.*, expone ut prius. Ex præmissis colligitur documentum, quod cum quis tentatur a dracone, debet fugere ad solitudinem quietis internæ, idest in secretum mentis, ubi in oratione meditatione et contemplatione loquatur solus cum Domino sine societate mundanorum cogitationum et desideriorum: hanc solitudinem Deus dat et ibi animam secum loquentem pascit. Gregorius: « Bene conversantibus solitudo mentis tribuitur: ubi cum Domino exteriore cessante strepitu, per interna desideria silenter loquatur. » Job III, *Qui ædificant sibi solitudines.* Debet etiam confugere ad solitudinem pœnitentiæ, quam debet augere. Iste enim est locus quem Deus animæ parat, ut in latitudine cordis habitet ibi. Psalm.: *Statuisti in loco spatioso pedes meos.* Maxime autem expedit confugere ad solitudinem claustri: ibi enim Dominus animam pascit quousque perveniat in fortitudinem cibi ad montem Dei Horeb. III Reg. XIX. Sed objicitur, quia dicitur Eccl. IV, *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem.* Respondeo: præter solitudinem corporalem sive localem, est triplex solitudo sive desertum: scilicet solitudo status culpæ, in qua est homo solus, quia sine Deo est et sine societate justorum: non enim est de numero justorum, qui sunt sub una societate secundum animum, licet divisi sunt secundum locum. De hac solitudine dicitur Eccles. IV, *Væ soli.* Bernardus *in epistola ad Carthusienses*: « Vere solus est, cum quo Deus non est. » Item est solitudo status gratiæ in qua homo solus est quantum ad strepitum mundanæ vanitatis. Vana homo nec cogitet nec affectet, nec proferat, nec audiat, nec agat; et in hac solitudine cum Deo loquatur. » De hac solitudine dicitur hic. Gregorius: « Nihil prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis. » Est etiam solitudo sive desertum status gloriæ: qui dicitur desertum, quia a multis deseritur, et quia nil vanum est ibi: unde recte dicitur desertum vel solitudo a vanis. Luc. XV, *Nonne relinquit nonaginta novem in deserto?* idest in cœlo. *Et factum est.* Hic ostenditur auxilium Ecclesiæ præstitum a ministris Filii, scilicet Christi, scilicet ab Angelis: et agitur de bello quod est inter bonos Angelos et malos circa salutem hominum. Et primo describitur bellum. Secundo ostenditur impotentia bellantium adversariorum. *Et non valuerunt.* Circa primum Primo tangitur prælium in generali. Secundo in speciali, *Michael.* Ubi primo describitur prælium ex parte Angelorum bonorum qui student ad adjuvandum. Secundo ex parte reproborum qui satagunt ad nocendum. *Et draco.* Dicit igitur: *Et factum est*, postquam Filius ad cœlum est raptus. Post passionem enim, videns se diabolus ab electis foras ejectum, studuit nocere homini: maxime autem post ascensionem quando vidit fidem prædicari. *Prælium*, scilicet illud de quo sequitur; quia Michael et ejus Angeli pugnant cum diabolo et dæmonibus ad protegendum homines: dæmones autem contra sanctos Angelos ad damnificandum homines. *Magnum*: quia sancti Angeli student nos juvare, mali autem nocere. Vel, *Magnum*, propter diuturnitatem, quia durat a passione Domini usque ad finem mundi. *In cœlo*, secundum aliquos intelligitur de prælio quodam quod factum est in cœlo, quando in principio mundi, Angeli boni et mali, diversis affectibus et consensibus movebantur, quando Lucifer dixit: *Ascendam in cœlum etc.* Alii autem steterunt in affectu contrario. Tamen alius intellectus magis consonat litteræ, scilicet de Angelis bonis juvantibus Ecclesiam contra malos. Unde notandum quod Beatus Joannes in hac visione vidit Michaelem, cum Angelis sibi subjectis pugnare in

cœlo cum dracone, idest diabolo et aliis dæmonibus. Et Michael et Angeli ejus vicerunt. Hoc autem prælium signat bellum quod est inter sanctos Angelos et reprobos Angelos. Angeli enim boni pugnant pro homine, reprobi ad nocumentum hominis, et tamdem reprob succumbunt. Hoc autem prælium fit in cœlo, idest in Ecclesia, quæ claritate, sublimitate et stabilitate est cœlum. *Michael.* Hic exponitur in speciali quod est illud prælium. Nota igitur quod prælium, quod vidit beatus Joannes, signat bellum quoddam inter sanctos Angelos et malignos circa humanam salutem, quod durat a passione Domini usque ad finem mundi. Dicit igitur, *Michael;* huic adscribitur pugna, quia ipse est princeps Ecclesiæ. Daniel. x, *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael princeps vester. Et Angeli ejus*, scilicet minores qui Ecclesiam tuentur et custodiunt, *præliabantur*, idest præliantur cum dracone, idest cum diabolo per malitiam venenato, et ad venenandum astuto. Michael Archangelus est princeps ac præpositus Ecclesiæ : et ipse et Angeli qui sunt sub eo, Ecclesiam protegunt ab Angelis malis. Hebr. I, *Omnes administratorii spiritus sunt.* Maxime autem hoc erit tempore Antichristi secundum Gregorium. Daniel XII, *In tempore illo consurget Michael etc. Et draco*, idest diabolus, *pugnabat*, idest pugnat. Quod enim Joannes tunc vidit, signat illud, quod a passione Christi fit, usque ad finem mundi. *Et Angeli ejus*, idest alii Angeli apostatæ ei subjecti, quia non cessant nocere Ecclesiæ. Habacuc II, *Semper interficere gentes non cessat.* Præliantur boni Angeli contra malos Angelos suadentes bona hominibus, ac revelantes utilia, et roborantes contra vitia, et orando pro ipsis, et dæmones arcendo ab eis. Præliantur mali Angeli contra bonos Angelos, immittendo hominibus occasionaliter, licet non causaliter, cogitationes malas, et persuadendo mala, et debiles reddendo contra vitia, et nocendo eis quantum possunt. De his dicit Haymo : « Pugnant ad invicem ; quia sicut dæmones parati sunt ad impugnandum, ita sancti Angeli ad resistendum. Erigamus ergo arma securi, quia fortissimos nostræ patriæ concives, et invictos adjutores habemus. » Aliter secundum *Glossam* potest intelligi de majoribus qui sunt in Ecclesia et minoribus. Per Michaelem ergo, cujus nomen interpretatur, quis ut Deus? intelliguntur majores in Ecclesia qui debent magna opera facere, per quæ ostendatur magnitudo Dei, et quod Deo nullus est similis ; per ipsum enim fiunt omnia opera magna suorum. Angeli sunt minores, sub majoribus in minori officio pastorali, animas tamen zelantes : vel etiam simplices subditi, tamen vita magni. Omnes tales Ecclesiam juvant contra diabolum et dæmones, documentis exemplis, meritis, et orationum suffragiis. Non debent igitur pacem habere cum dracone prælati, sed pugnare cum eo, sed pacem cum eo habent. Lucæ XXII, *Facti sunt amici Herodes et Pilatus.* Et non dicunt, Quis ut Deus, sed, Quis ut mundus? quem scilicet omnino sequuntur. Auctor pacis est, Genes. XIV, *Da mihi animas, cetera tolle tibi.* Sed objicitur, quod non tantum Michael et ejus Angeli nos juvant, sed et omnes Angeli, supra VII, Et omnes Angeli vincunt, mali vincuntur, quoniam omnes Angeli stabant in circuitu throni, idest in protectione, secundum *Glossam.* Respondeo. Dicendum quod omnes Angeli nos adjuvant vel orando vel bona suadendo, vel dæmones arcendo. Unde Augustinus, X *de Civitate Dei* : « Nos pro suis viribus juvant Angeli quique, virtutesque superiores. » Potius tamen hoc dicitur de Michaele, quia ipse est præpositus specialiter, et princeps Ecclesiæ militantis, sicut fuit princeps synagogæ. Daniel. XII, *In tempore illo consurget Michael etc. Et non valuerunt.* Hic agitur de impotentia adversariorum ; quia mali Angeli impotentes sunt contra bonos Angelos, et contra homines electos. Ideo primo ostenditur impotentia adversariorum contra Angelos bonos. Secundo contra homines electos, *Neque locus* : quasi dicat : ita pugnant, *Et non valuerunt*, idest invalidi sunt contra adjutoria bonorum Angelorum, idest resistere eis non possunt. Item nec electos dejicere : unde sequitur, *Neque locus eorum inventus est amplius in cœlo*, idest in Ecclesia quan-

fum ad [illegible] : quasi dicat : diabolus non potest invenire amplius locum, idest dominium et mansionem in electis, qui per vitæ claritatem, altitudinem, et firmitatem sunt cœlum. Et dicit, *Amplius*, quia aliquando multos possederat in peccatis, sed per Dei donum et angelicum auxilium expellitur, nec potest eis prævalere : quia Deo adhærentes fulciuntur per Angelos. Licet enim diabolus quandoque transeat per membra Ecclesiæ cruciando vel tentando, tamen non habet locum vel mansionem in eis, quia firmamentum est Dominus timentibus eum, et per Angelos juvat. Et si aliquando permissione divina contingat electos cadere, adhuc non habet locum in eis : quia non potest detinere quantum vult, sed Dei gratia fortiores resurgunt. II Petri II, *Novit Deus pios de tentatione eripere*. *Et projectus est*. Hic ostenditur draconis et suorum dejectio, quæ plus dicit quam impotentia. Ostendit enim ab Angelis bonis dejectos. Primo autem ostenditur dejectio diaboli. Secundo, famulantium sibi, *Et Angeli ejus*. Dicit igitur, *Et projectus est*, idest procul ejectus est ab hominibus per adjutorium Angelorum, ut eis non prævaleat ; quia sancti Angeli eum efficaciter arcent, quantum est ex parte sua, nisi culpa hominis hoc impediat. *Draco ille*, scilicet diabolus. *Draco*, per violentiam, *magnus*, propter malitiæ vehementiam, *serpens*, propter astutiam. II Corinth. XI, *Timeo ne sicut serpens seduxit Evam etc*. *Antiquus*, propter experientiam : et ideo cavendum est ab eo, qui expertus est, et exercitatus in malitia. Joan. VIII, *Ille homicida erat ab initio*. *Qui vocatur diabolus*, propter superbiam, cujus merito cecidit. Diabolus enim interpretatur deorsum fluens : fluit etiam a malis ad malos, et eos fluere facit. *Et satanas*, per invidiam sive nequitiam, per quam adversatur humanæ saluti. Satanas enim interpretatur adversarius. I Petri V, *Adversarius vester diabolus etc*. Deinde exponit qualiter adversatur. *Qui seducit*, idest decipit, seorsum ducens, idest separans a Deo et statu salutis, *Universum orbem*, quantum ad reprobos, qui sunt major pars orbis. Ecclesiastes I, *Et stultorum infinitus est numerus*. *Projectus est*. Hic agitur de dejectione aliorum dæmonum. Replicat autem de diabolo, ut ostendat in quid projectus est : unde dicit, *Projectus est*, scilicet draco, idest procul ab electis per Angelos ejicitur, et sic vincitur et dejicitur, *In terram*, idest in homines terrenos ; quia terrenorum amatores gravius impugnant, quando vident se ab electis expelli, et non habere locum in eis. Dictum enim est serpenti, Genes. III, *Terram comedes*. Non autem est intelligendum, quod sancti Angeli immittant diabolum in homines terrenos, sed non permittunt eos habere locum in justis, et ideo dicuntur eos projicere. Dæmones autem sic projecti, immittunt se in terrenos, ut tangit *Glossa*. Vel, *Projectus est*, idest projicitur. In terram, idest terrenos, quia Angeli hoc non prohibent. *Et Angeli ejus*, idest alii dæmones, *Cum eo missi sunt*, permissione divina, vel Angelica, scilicet in terram ; quia permittuntur possidere reprobos, qui Deo non adhærent : quia porci sunt. Matth. VIII, *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum*. Potest et hæc projectio intelligi de damnatione. Projectus est, idest projicietur, scilicet in infernum in die judicii, ne de cetero aliquem possit tentare. Tunc in perpetuum detrudetur cum dæmonibus in profundo inferni. Unde Gregorius : « Immanissima bellua, ante justorum oculos, æternis gehennæ ignibus mancipabitur. » Draco etc., ut prius. Deinde ostenditur, in quid projicietur. Projectus est, idest projicietur, scilicet in fine ; tunc enim sancti Angeli et homines electi devincent diabolum operante divina justitia, quando in judicio demergetur in infernum. Unde sequitur, *In terram*, idest in infernum, qui intra terram est secundum Gregorium : et ipse etiam infernus quandoque terra dicitur, ratione firmitatis. Job. X, *Terram miseriæ etc*. Et Angeli ejus cum illo missi sunt, quia dæmones cum suo principe mittentur in gehennam, ut de cetero non evagentur per mundum, ad decipiendum homines. Matth. XXV, *Qui paratus est diabolo et Angelis ejus*. Prima expositio videtur principalis in *littera*, per ea quæ sequuntur. Secunda autem superabundans ;

tamen vera. Sed objicitur, quia super illud, Draco, Dicit *Glossa*, pro violentia. Contra. Damascenus, II lib. : « Ubi violentiam alicui inferre non prævalent. » Item non seducit universum orbem; quia multi sunt quos Dominus ab eo custodit. Respondeo. Ad primum dicendum quod violentia dupliciter dicitur : scilicet stricte, ut cum quis ad quid cogitur, ita quod nullo modo voluntas est ad illud ; ut si quis moveat manum ad thurificandum idolo violenter ; et sic dæmones non possunt facere violentiam, ut dicit Damascenus. Alio modo potest dici large et minus proprie ; ut cum per terrores et importunas ac longas tentationes et hujusmodi tentant hominem ; et sic est quædam violentia, et sic loquitur *Glossa*. Juxta hoc dicit Gregorius : « Prius leviter subrepit, postmodum vero etiam violenter rapit. » Ad aliud dicendum, quod aliter judicantur vocabula quantum ad locutionis significationem, aliter quantum ad loquentis acceptionem. Quod ergo dicitur, *Universum orbem*, intelligitur quantum ad reprobos qui sunt major pars orbis, ut dicit *Glossa*. Non tamen sine causa sic dicitur. Per hoc enim ostenditur nequitia diaboli, qui fere totum mundum decipit. *Et audivi*. Quinta pars est, in qua ostenditur sanctorum exultatio de triumpho dejectoris, scilicet Dei. Et primo ponitur exultatio de dejectione hostium. Secundo subditur invitatio aliorum ad gaudium, *Propterea lætamini*. Tertio invectio contra malos dejicientes in vitium, *Væ terræ*. Circa primum Primo tangitur sanctorum exultatio sive congratulatio. Secundo materia exaltationis, *Dicentem : nunc facta est*. Dicit igitur, *Et audivi :* quasi dicat : ita projecjectus est draco, et ex hoc sancti in patria exultant ; et hoc est quod dicit : Et audivi auditu interno, *Vocem magnam*, idest exultationem magnam. Psal. : *Vox exultationis et salutis, in tabernaculis justorum, quia dextera Domini fecit virtutem*. Secundum Haymonem : « Hæc vox est desiderium magnum sanctorum de nostra victoria. » *In cœlo*, idest in Angelis sanctis et animabus beatis. Nota *Glossam* : « Cum ostendisset. » De quo sit hæc exultatio, ostenditur cum dicitur, *Dicentem*. Primo autem ostenditur exultationis materia in generali. Secundo in speciali, *Quia projectus*. Materia exultationis est in generali de dominatione et victoria Dei et Christi hominis. Unde circa primum primo ostenditur dominatio Dei in sua divinitate. Secundo dominatio Christi in assumpta humanitate, *Et potestas*. Dicit igitur, *Dicentem*, Hæc dictio est intrinseca et mentalis in Angelis et animabus beatis. *Nunc*, scilicet tempore gratiæ, *Facta est salus*, idest dominatio et honor, in salvando a malo per remissionem peccatorum, et conservationem in lucta tentationum. Isaiæ XII, *Ecce Dominus salvator meus*. *Et virtus*, idest dominatio secundum quam suos juvat in bono, ad operationem bonorum. Isaiæ XL, *Qui dat lasso virtutem*. *Et regnum*, idest dominatio secundum quam regit suos in profectu meritorum. Non enim sufficit operatio bona, nisi proficiat ulterius. Supra V, *Fecisti nos Deo nostro regnum etc. Dei nostri :* quasi dicat : non draco, sed Deus noster obtinet dominatum. Et intelligitur hoc de Patre, cui per appropriationem attribuitur potentia, licet æque conveniat tribus personis. Potest etiam intelligi de tota Trinitate. Et dicit, *Dei nostri*, ratione devotæ dilectionis, et reverentis subjectionis. Supra V, *Salus Deo nostro*. Item dicit, *Facta est*, quia ante adventum non erat victus diabolus ; sed post per passionem Christi et merita justorum et adjutoria Angelorum. Hæc autem tria prædicta facit Deus dominans in justis. Liberat a malo, adjuvat in bono, promovet in merito. Vel, Salus quantum ad incipientes qui a malo liberantur. Virtus, quantum ad proficientes, qui in bono fortiter progrediuntur. Regnum, quantum ad perfectos, qui ei devote subjiciuntur ; in eis enim completur illud Matth. VI, *Adveniat regnum tuum*. *Et potestas*, idest potestativa dominatio, *Christi ejus*, idest filii incarnati ; qui est Christus Patris, quia ab eo secundum humanitatem unctus. Psal.: *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ*. Vel quia ab eo singulariter dilectus. Matth. IV, *Hic est filius meus dilectus*. Quasi dicat : Christus expulso dracone dominatur in justis pro

quibus est locutus et passus. Daniel. vii, *Potestas ejus potestas æterna. Quia projectus.* Hic in speciali ostenditur materia exultationis; et exponitur quomodo paradisus Deo conservatur, quia videlicet justi Angelis mixti dejecerunt diabolum, et sic regnat Deus in eis. Et primo ostenditur dejectio diaboli. Secundo ostenditur a quibus sit dejectus seu victus, *Et ipsi.* Tertio per quid, *Propter sanguinem.* Unde ostenduntur justi vincere diabolum per tria. Primum, in considerando et diligendo passionem. *Propter sanguinem.* Item per fidei confessionem. *Et propter verbum.* Item per fidei operationem, quia fides facit justos mortem subire vel paratos esse, *Et non dilexerunt.* Dicit igitur, *quia*: quasi dicat: vere Deus in justis dominatur, quia *Projectus est*, idest procul ab eis ejectus divina virtute, *Accusator fratrum nostrorum*, idest justorum qui per cognationem caritatis sunt fratres Angelorum. Diabolus dicitur accusator justorum: quia laborat facere eos accusabiles apud Deum; et ideo se homo accusare debet, ne coram Deo sit accusabilis. Proverb. xviii, *Justus prior accusator est sui. Qui accusabat eos.* Hic ostenditur quod officium accusandi exercet in actum quando potest: quasi dicat: tentando, instigando, faciebat eos accusabiles, cum ipsos aliquo tempore decipiebat, sed jam eis fidelibus projectus est. Vel accusabat, idest accusabiles facere laborabat. *Ante conspectum Dei nostri*, cui omnia nuda sunt. Hebr. iv, *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Quasi dicat: ad hoc accusabat, ut Deus offensas aspiceret et puniret. *Die ac nocte*, idest in prosperis et adversis, secundum Gregorium, quia satagit per prosperitatem mollire, per adversa frangere. Vel, *die ac nocte*, *Glossa*, continue. Nam nocte et die invigilat nocere hominibus. Job. xxx, *Qui me comedunt non dormiunt. Et ipsi*: quasi dicat: ita accusabat pugnando tentationibus. *Et ipsi* e contrario, *Vicerunt illum*, peccata abjiciendo, et deinceps tentationibus resistendo, et in meritis proficiendo. Notatur autem in hoc industria liberi arbitrii. Roman. xii, *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. Propter sanguinem*, idest propter fidem et considerationem et amorem sanguinis Christi. Passio enim Christi devote considerata et amata, roborat animam contra diabolum. I Petri iv, *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini. Agni*, idest Christi purissimi, innocentissimi pro hominibus immolati. Unde præcepit Dominus ut postes domus liniventur sanguine agni paschalis, ut sic liberarentur ab exterminatore. Exod. xii. Postes sunt intellectus et affectus. ***Et propter verbum testimonii sui***, idest propter verbum quo testificati sunt fidem et veritatem catholicam, vel prædicando vel in tormentis persistendo. *Glossa*: « quia non tacent ubi necesse est. » Act. iv, *Virtute magna reddebant etc.* Roman. x, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et non dilexerunt animas suas*, idest vitas animales, hoc est corporales. *Usque ad mortem*, exclusive, idest, Non ita dilexerunt vitam corporis, ut mortem renuerent pati pro Christo. Joan. xii, *Qui amat animam suam etc.* Act. xx, *non facio animam meam pretiosiorem me.* Vel non foverunt carnem, ita quod animæ perirent, ut dicit *Glossa*. Matth. x, *Qui autem perdiderit.* Propterea quia diabolus devictus est, et a justis expulsus. *Lætamini*, pro honore Dei et salute hominis. *Cœli*, idest majores justi, per vitam altam cœlestes. *Et qui habitatis in eis*, scilicet minores justi. Minores enim ut activi, habitant in viris perfectis, ut in contemplativis; quia eis innituntur, et ab eis doctrinam, exemplum, et suffragium suscipiunt. Vel, cœli, sunt Angeli per gloriam clari et alti. Omnes autem justi habitant in eis, quia Angeli omnes justos tuentur et juvant. Magna utique lætitia agenda est de dejectione diaboli, et salute humana. Isaiæ ultimo: *Lætamini cum Jerusalem, et exultate cum ea omnes qui diligitis eam.* Nota quod Joannes audivit vocem quamdam magnam dicentem: *Nunc facta est*: et videtur vox illa dixisse omnia quæ sequuntur, usque ibi, *Et postea vidi.* Per hoc autem intelligitur quod Angeli gaudent de dæmonum ejectione, quia scilicet justis non prævalent, et se invicem invitant ad gaudium et omnes justos, qui debent in

ipsis Angelis habitare, per desiderium et fulcimentum. Vel invitant justos perfectos et imperfectos. Per hoc etiam quod vox illa subdit, *Væ terræ*, et cetera, intelligitur quod Angeli zelo justitiæ indignantur contra malos, qui Deo, justorum protectori, non adhærent, et diabolo subjiciuntur. Ex hoc etiam intelligitur, quod diabolus circa finem mundi, gravius malis nocebit. *Væ terræ*. Hic ponitur invectio contra malos, qui per diabolum sunt demergendi in vitium. Sancti enim Angeli non acceptant, quod reprobi a Deo suo recedunt. *Væ terræ :* quasi dicat : vos boni lætari potestis, sed *Væ*, id est magnum malum accidet *Terræ et mari,* idest universis reprobis. Terra dicuntur falsi christiani, qui terram amant, licet fidem informem retineant. Mare, sunt infideles, qui sunt in profunditate et amaritudine errorum. Vel terra, sunt obstinati in vitiis, etsi non multa genera vitiorum multiplicent, ut alii multi. Mare, fluentes de vitiis, etsi non multa genera vitiorum multiplicent, ut alii multi. Mare, fluentes de vitiis in vitia, ut qui multa genera peccatorum accumulant. Unde autem erit væ, ostenditur cum sequitur : *Quia descendit*, jam de præterito, cum vident se a justis expelli. Descendit, inquam a justis, in quibus fuerat per suggestionem, *Ad vos*, ut in vobis faciat mansionem. Matth. XII, *Cum immundus spiritus exierit ab homine etc.* Quid autem ex hoc væ accidat ostenditur cum subditur : *Habens iram magnam :* quia videt sibi multos subtrahi, et ideo nititur alios occupare, ne solus damnetur, ut dicit Gregorius. Ex hoc autem augetur iræ malitia ; quia videt modicum tempus restare usque ad finem mundi. Unde sequitur : *Sciens*, per hoc quod antiquum est a principio, et videt mundum jamdiu durasse. Item videt plurima quæ in Scriptura prædicta vel præfigurata fuerant, jam impleta esse, et forsan aliis modis. *Quod modicum tempus habet*, scilicet ad seducendum homines. Modicum inquam, usque ad consummationem sæculi ; quia a passione Domini usque ad diem judicii, modicum tempus est, respectu temporis quod præcessit. Multæ enim ætates mundi præcesserant. I Joan. II, *Filioli, novissima hora est.* I Cor. X, *Nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt.* Tanto autem gravius tentat, si permittatur, quanto propinquius finis mundi instat, ut tangit *Glossa*. Potest autem aliter hoc intelligi pro tempore ultimo, scilicet pro tempore Antichristi ; quia tunc gravius tentabit, videns modicum tempus restare usque ad judicium : et secundum hoc dirigitur sermo ad eos, qui in ultimis temporibus erunt. Væ terræ etc. Gregorius super hunc locum dicit : « Antiquus hostis extrema mundi atrocius aggredietur : considerat quippe quod juxta sit, ut licentiam amittat nequissimæ libertatis. » Tunc in magnæ iræ fervorem se dilatat; ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foveam cum paucis ruat. Objicitur primo de hoc quod dicitur, *Projectus est;* quia nondum est a justis devictus ; quandoque enim prævalet eis, et quidam ruunt. Respondeo. Dicendum quod duplex est dejectio diaboli. Semiplena. Et hoc modo est in statu viæ : quia licet justos tentet, et quibusdam quandoque prævaleat, tamen plurimi justi omnino ipsum devicerunt ; ita quod post justificationem a peccatis, nunquam postea mortaliter peccant : et in statu Ecclesiæ uno die multa millia justorum, martyrium sustinebant. Et ideo dicitur, *Nunc facta est salus etc.* De hoc valde lætandum est. Si autem aliqui cadunt ex electis, non prævalet eis finaliter, quia resurgunt. Item est plena ; et hoc erit in fine mundi. De prima principaliter videtur littera loqui. Secundo objicitur de hoc quod dicit, *Accusator*. Numquid enim vocat vel adducit coram judice ? Respondeo. Diabolus dicitur accusare potius facto et desiderio quam verbo accusatorio ; scilicet quia homines accusabiles facit, per tentationes dejiciendo, vel accusabiles facere laborat. Unde Haymo : « Accusatio diaboli nil aliud est, quam ad malum præcipitatio : tunc accusat, quando dignos accusatione reddit, non loquendo exterius, sed interius odiendo. » Hoc etiam modo exponit *Glossa*. Verumtamen si opportunum sibi videret, accusaret coram sanctis Angelis vel Dei homines, vel verbo interiori vel

verbo exteriori, in corpore assumpto. Tertio objicitur de *Glossa*, quæ dicit, officium diaboli est accusare. Contra. Nullus habet officium peccandi, cum omnibus peccatum interdicatur. Item a quo habet illud officium? Respondeo. Officium potest dupliciter dici : scilicet stricte vel large. Proprie vel stricte dicitur deputationem alicujus rationalis creaturæ a superiori factam ad actum licitum vel salubrem ; sicut hominis et Angeli officium est servire Deo, et prælati officium est vigilare pro subditis. Large, dicit deputationem alicujus creaturæ ad aliquem actum licitum vel illicitum ; sive deputatio sit a superiori, vel ab alio vel a seipso facta ; sicut officium latronum est furari. Non ergo primo modo, sed secundo officium diaboli est accusare ; quia scilicet ipse per suam malitiam, se ad accusandum hominibus deputavit. Ad aliud dicendum, quod a sua malitia illud officium habet, et a permissione divina, quantum ad potestatem nocendi ; quia nihil potest, nisi permissus. Quarto objicitur de hoc quod dicunt : *Fratrum nostrorum* : quia nomen fratres importat unitatem naturæ, sicut omnes homines dicuntur fratres, quantum ad unitatem naturæ humanæ, Dominus et omnes homines dicuntur proximi. Respondeo. Est fraternitas naturæ, et hæc importat naturæ unitatem sicut objicitur. Item gratiæ, sicut justi sunt fratres etiam non habito respectu ad communitatem naturæ humanæ ; et sic justi sunt fratres Angelorum, scilicet fraternitate gratiæ et caritatis et participationis ejusdem hæreditatis. De primo objicitur. Quinto objicitur de hoc quod dicitur, *Non dilexerunt animas suas* : quia qui Deo servit, animam suam diligit ; unde de injusto dicitur in Psalm. : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Respondeo. Nomen animæ dupliciter accipitur : quandoque pro substantia spirituali. Deuteronom. IV, *Custodite sollicite animas vestras*, et sic justi animas suas diligunt, et sic objicitur. Quandoque pro vita corporali. Levit. XVII, *Anima omnis carnis in sanguine est*, quia scilicet sanguis operatur ad vitam naturalem corporis ; et sic justi odio habent animam, quantum ad hoc ut propter eam non pereant. Joan. XII, *Qui odit animam suam etc.* Et sic accipitur hic.

Et postquam vidit draco. Hic agitur de profectu Ecclesiæ in persequutione aperta, secundum *Glossam*. Primo autem de persecutione Ecclesiæ quantum ad majores. Secundo quantum ad minores. *Et iratus est.* Circa primum Primo agitur de persecutione diaboli. Secundo de importunitate persecutionis, *Et misit serpens*. Utrobique autem proficit Ecclesia ad vitam per gratiam : unde circa primum Primo agitur de persecutione diaboli contra Ecclesiam. Secundo de profectu Ecclesiæ per gratiam, *Et datæ sunt*. Dicit igitur : *Et postquam*, ita succubuit draco in persecutione occulta, *Et postquam vidit quod projectus est*, idest divina virtute et auxilio Angelorum a justis procul expulsus. *In terra*, idest terrenos. *Persecutus est mulierem*, aperta persecutione. Nota *Glossam*, cum videt diabolus etc. *Quæ peperit masculum*, ut supra. Ab hoc filio habet Ecclesia adjutorium contra persecutionem apertam, sicut contra occultam, sicut dicit *Glossa*, Prov. III. *Dominus erit in latere tuo etc.* *Et datæ.* Hic ostenditur profectus Ecclesiæ in ipsa persecutione. Et primo tangitur gratia data Ecclesiæ. Secundo effectus ipsius gratiæ, *Ut volaret*. Hujus autem effectus est, quia gratia mentem elevat in contemplationem, et per hoc facit in persecutione proficere : unde tangitur duplex effectus. Primus elevatio mentis. Secundus profectus in meritis, *Ubi alitur*. Dicit igitur : *Et datæ sunt*, in remedium contra persecutionem. Per hoc patet quod si quis non succumbit in adversis, hoc donum Dei est. Psalm. : *Salus justorum a Domino, et protector eorum in tempore tribulationis*. *Mulieri*, scilicet Ecclesiæ. *Alæ duæ*, scilicet contemptus mundi et desiderium præmii, quæ animum elevant quasi alæ. Vel duo Testamenta, vel dilectio Dei, propter quem sustinet, et dilectio proximi etiam a quo persecutiones sustinet. Justi etiam suos persecutores diligunt. Matth. V, *Diligite inimicos vestros etc.* Vel vita activa et contemplativa quæ signantur per Magdalenam et Martham, Joan. XI, Specialiter autem et maxime duæ alæ sunt,

meditatio intima et affectio calida. Hæc enim duo valde elevant ad contemplationem. Propter hæc duo dicitur Job. XXXIX : *In arduis ponet nidum suum. Aquilæ magnæ.* Per has alas magnam elevationem sui facit Ecclesia ad divina, sicut aquila magnas alas habet per donum sibi datum fixum habet intuitum in Deum. Isa. XL : *Assument pennas ut aquilæ. Ut volaret*, idest celebriter et expedite virtuose in altum se per contemplationem elevaret. Psalm. : *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, et volabo et requiescam? In desertum,* idest in cœlum, quod desertum est ab Angelis apostatis et desertum ab hominibus injusti. Quando enim justi tribulantur, elevant mentem ad considerationem præmii ut levius ferant. Gregorius : « Consideratio præmii minuit vim flagelli. » *In locum suum :* quasi dicat : volans in desertum volat in locum suum, quia in cœlo sicut in loco suo debet anima quiescere, quia propter cœlum facta est. Philipp. III : *Nostra conversatio in cœlis est.* Ostenditur autem hic manifeste profectus Ecclesiæ. Superius enim dictum est quod *mulier fugit in solitudinem :* hic autem dicitur quod *volavit in desertum alis sibi datis :* per quod notatur augmentum gratiæ et major profectus Ecclesiæ, quia volare plus dicit quam fugere, quia avis volans celebriter et expedite transit, nec terram pedibus tangit. *Ubi alitur*, idest in quo loco sive deserto existens per contemplationem. Nutritur autem a suo nutritio patre ac sponso, alimento Scripturæ, cibo internæ doctrinæ cælitus infusæ, et pastu intimæ consolationis et manna sacramentalis refectionis. Nam contemplativi magnam spiritus refectionem suscipiunt ex ipsius dominici corporis refectione. Hoc est manna quo pascit Dominus filios Israel in deserto. Sap. XVI : *Per tempus*, idest per annum : *Et tempora*, idest duos annos. *Et dimidium temporis,* idest dimidium annum. Hoc est, Dominus pascit Ecclesiam, toto tempore quo subsistit Ecclesia fundata per Christi prædicationem tribus annis et dimidio factam : et sic intelligitur tota duratio Ecclesiæ in statu viæ a passione Domini usque ad finem mundi. Vel potest intelligi de tempore Antichristi, quia tunc apertissime draco Ecclesiam persequetur, et tunc perfecti volabunt per contemplationem in cœlum ubi nutrientur quam diu durabit Antichristus, scilicet tribus annis et dimidio. Utroque modo expositum est supra eodem, diebus mille ducentis sexaginta. *A facie :* quasi dicat : ita alitur Ecclesia a facie *Serpentis,* idest ut per hoc protegatur a præsentia impugnationis quæ fit per diabolum, qui dicitur serpens, propter astutiam et venenum malitiæ, quo intoxicat per errorem et peccata. Vel ut volaret a facie serpentis. Psalm. : *Propter nomen tuum deduces me et enutries me.* Aliter ab illo loco, ut volaret in desertum, idest in quietem sive internum secretum mentis, ubi non est tumultus vanitatis mundanæ sive in cogitatu importuno, sive in affectionibus et desideriis. Ideo recte dicitur desertum. In hoc deserto inveniunt consolationem justi in pressuris : ibi enim cognoscuntur omnia esse vana quæ sunt mundi. Haymon : « Solet hoc esse sanctorum proprium, ut quo magis pressuris angustiantur in terra, eo magis penna contemplationis eleventur ad summa. » *In locum suum ;* quia internum secretum sive quies mentis est animæ locus, ubi quiescere debet ; de quo supra eodem. Ubi habet locum etc. Ubi, idest in quo interno secreto, alitur etc., ut prius. *Et misit.* Hic agitur de importunitate persecutionis, quia non semel tantum persequitur, sed pluries : et semel victus non desistit. Postquam enim in occulta pugna devictus est, pugnat persequutione aperta. Et cum in illa solus devictus est, ut jam præmissum est, datæ sunt mulieri etc. adhuc persequitur, ut hic dicitur : *Et misit.* Primo autem ostenditur importunitas persequutionis diabolicæ. Secundo auxilium præstitum Ecclesiæ, *Et audivit,* Quasi dicat : ita mulier volavit ad evadendum persequutionem diaboli ; et tamen, *misit*, idest emisit serpens, idest diabolus astutus et malitia venenosus. *Ex ore suo*, idest ex inspiratione, qua inspirat impiis ut persequatur justos. Vel, *Ex ore suo*, idest ex persuasione malorum qui suadent aliis persequi justos. Mali enim sunt quasi os diaboli, quia per os loquitur et suadet mala. *Post*

mulierem. Bene dicitur post; quia tribulatio eam non attingit, quia non dejicit. Emisit inquam, *Aquam tanquam flumen*, idest tribulationem inundantem et magnam ad modum fluminis. Thren. III: *Inundaverunt aquæ super caput meum*. *Ut eam*, scilicet mulierem, idest Ecclesiam. *Faceret trahi*, ad peccatum. *A flumine*, idest a vehementia tribulationis: quasi dicat: Licet Ecclesia habeat adjutorium contra persecutionem diaboli et ipsum vincat, tamen inspirat et suggerit impiis, ut Ecclesiam per tribulationes persequantur, ut scilicet Ecclesia cadat in aliquod peccatum; sed Dominus conservat Ecclesiam. Cant. ult. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere*. *Et adjuvit*. Hic ostenditur auxilium præstitum Ecclesiæ. Et primo ostenditur in generali. Secundo in speciali, *Et aperuit*. Dicit igitur: *Et adjuvit terra*, idest Christus factus particeps nostræ terrenitatis, idest mortalitatis. *Mulierem*, idest Ecclesiam, dando ei vires patiendi adversa merito et exemplo suæ passionis, et virtute suæ resurrectionis, et refectione intimæ consolationis. Psalm.: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Deinde in speciali subditur: *Et aperuit terra os suum*, idest Christus omnia sibi inflicta in passione, sustinuit gratanter, omnia libenter bibens ad modum hominis aperientis os suum: et per hoc, tum merito, tum exemplo, dedit Ecclesiæ virtutem finaliter sustinendi. Unde sequitur, *Et absorbuit*, idest fecit absorberi, idest lætanter sustineri. *Flumen*, idest inundationem tribulationum. *Quod misit draco ex ore suo*, idest diabolus de sua inspiratione sive suggestione, qua suggerit malis ut persequantur Ecclesiam. Et sic de ore suo mittit flumen contra eam: quasi dicat: Ecclesia persecutionem sustinet a diabolo per impios; sed a passione Christi habet adjutorium ad bibendum gratanter omnia, I Petr. II: *Christus passus est pro vobis relinquens exemplum*. Vel, *Absorbuit*, idest per gloriam suæ resurrectionis omnes tribulationes Ecclesiæ consumpsit, quia per resurrectionem omnia sustinere docuit cum ipsum præmium ostendit. Augustinus in lib. *de Patientia*: « Vis desideriorum facit tolerantiam laborum et dolorum. » Vel, *Aperuit etc.*, idest Christus aperit latitudinem misericordiæ suæ ministrans electis intimam consolationem. Vel per hoc absorbuit, idest annullat tribulationem immissam contra Ecclesiam, hoc est facit eam libenter ferre. Potest et aliter terra intelligi scilicet perfectiores in Ecclesia, qui stabiles sunt et portant Ecclesiam, ut terra quæ supra sunt. *Terra*, idest perfectiores. *Adjuvit*, idest adjuvant; quia quod tunc vidit, signabat illud quod in Ecclesia fit. *Mulierem*, idest Ecclesiam. Et aperuit terra os suum, idest justi perfecti se paratos exhibent ad sustinendum adversa, sicut qui os aperit in siti se parat ad bibendum. Et absorbuit flumen, idest gratanter tribulationes magnas sustinet: et sic Ecclesia juvatur, et per hoc stat Ecclesia et dejicitur draco. Hoc autem fiet maxime tempore Antichristi, et fit nunc quantum ad aliquos et factum fuit tempore martyrum. Act. XXXI: *Ego autem non solum alligari etc.* quomodo agit de passione et resurrectione Christi, cum post eam contingant hujusmodi tribulationes? Respondeo. Quia in passione et resurrectione data fuit carnaliter virtus ad sustinendum. Item etsi passio et resurrectio transierunt tempore, manent tamen effectu et virtute. De his ergo agitur consequenter ex eis contra adversa. *Et iratus*. Hic agitur de persecutione, quantum ad minores contra quos pugnat diabolus, maxime cum non potest majores dejicere. Et primo ostenditur motivum ad præliandum. Secundo ipsum prælium, *Et abiit*. Tertio ostenditur quibus prævalet in præliando. *Et stetit*. Motivum autem est ira, quia non prævalet majoribus. Et iratus: quasi dicat: ira juvatur Ecclesia. *Et draco*, idest diabolus violentus fortis et astutus. *Iratus est*, idest ira contra motus. *In mulierem*, idest contra Ecclesiam, scilicet quia majora membra non potest dejicere. Genes. III: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et incitatus ira*. *Abiit*, ab istis recedens cum eos vincere non potest. *Facere*, idest parat facere. *Prælium*, immittendo tribulationes corporales vel impias persuasiones per hæreticos vel alios. *Cum reliquis*, scilicet cum minoribus. *De*

semine ejus, idest de ejus progenie spiritualis, quos scilicet procreavit semine verbi Dei, I Petr. I : *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi etc.* Acrius autem persequitur bonos quam malos : unde dicit : *Qui custodiunt mandata Dei*, per operationem ; et ideo vult eos ad frangendum pervertere,sicut in primis parentibus.*Cur præcepit vobis Deus ? etc.* Gen. III : *Et habent testimonium Jesu*, per audacem confessionem : quasi dicat : illos minores specialius impugnat qui sunt obedientes in mandatorum impletione et sunt constantes in fidei confessione. Primum pertinet ad mores. Secundum ad fidei expressionem, cum necesse est inter tormenta. Rom. X : *Corde creditur ad justitiam,ore confessio fit ad salutem.Et sedit.* Hic ostenditur quibus prævalet : scilicet quibusdam qui sunt infructuosi et reprobi : unde dicitur : *Et sedit :* quasi dicat : ita pugnat cum minoribus. Et hoc est quod dicit : *Et sedit,* idest sedet, scilicet moram faciens et dominans, *Super arenam*, idest super hominem malos, infructuosos, viles, fluidos sive labiles et retinentes vestigia vitiorum, sicut arena sterilis est, vilis fluida, et retinens impressa vestigia. *Maris*, idest mundi. Mali enim sunt arena maris, quia ad mare, idest ad mundum pertinent quem diligunt, cujus amaritudinem quasi dulcedinem bibunt. Psalm. : *Hoc mare magnum et spatiosum etc.* Non dicit, supra petram, quia non dominantur nec prævalent solidis ; et ideo convertuntur se ad arenam. Sed quid est quod dicitur, Abiit? scilicet a majoribus. Unde *Glossa*, Istos jam deserens. Non enim videtur dare quietem justis, cum sit nequitia plenus. Respondeo. Dicendum, quod licet semper desideret nocumentum justorum, tamen quandoque quosdam ad tempus saltem modicum deserit, duplici ratione. Una est, ut cum eos videt constantes alios dejicere laboret, sicut hæc littera dicit. Alia est ut justos securiores reddat et post facilius decipiat. Gregorius : « Ad tempus recedit, non ut malitiæ potestatem præbeat, sed ut corda quæ per quietem secura reddiderit, repente facilius evertat. » Tertia ratio, quia Dominus non permittit ut semper tentet, eosdem justos maxime. Gregorius : « Formidari non debet, qui nihil nisi permissus valet. » Item objicitur de ordine : quia fides est ante opera. Quare ergo prius de operibus loquitur ? Respondeo. Etsi fides prius sit, tamen opera cum fide sunt digniora et utiliora quam fidei confessio in ore.Item caritas, per quam fit observantia mandatorum, major est, ut dicit Haymon, quam aliæ virtutes. Item ipsa opera faciunt hominem constantem ad confitendum nomen et fidem Christi.

CAPUT XIII

Et vidi de mari etc. Hic agitur de profectu Ecclesiæ sub tempore Antichristi. Quoniam autem non est perficere sine divino adjutorio, ideo primo ad præmunitionem ostenditur tribulatio fienda sub Antichristo. Secundo ad consolationem subditur auxilium conferendum a Christo, quartodecimo capite, *Et vidi et ecce agnus.* Circa primum Primo ostenditur persecutio facienda ab Antichristo mediantibus principibus. Secundo mediantibus pseudoprædicatoribus, *Et vidi aliam bestiam.* Circa primum notatur quod persequutio fiet per ipsum et per alios multos qui erunt subjugati diabolo ; unde de aliis perversis et de ipso Antichristo, agitur sub similitudine bestiæ habentis multa capita et cornua. Hæc bestia est corpus hominum multum perversorum. Capita sunt principes qui eis præsidebunt ; unum autem illorum capitum principale erit Antichristus. Primo ergo describitur ipsa bestia. Secundo potestas eidem exhibita, *Et dedit illi draco virtutem.* Tertio pugna bestiæ cum Ecclesia. *Et datum est illi bellum facere*, Quarto pœna bestiæ debita, *Si quis habet aures.* Quinto profectus, sive meriti materia ; hic est patientia. Bestia vero describitur Primo quantum ad originem, *Et vidi de mari.* Secundo quantum ad elevationem, *Ascendentem.* Tertio quantam ad capitum dispositionem, *Habentem capita septem.* Quarto quantum ad coloris varietatem, *Et bestia quam vidi.* Quinto

quantum ad pedum qualitatem, *Et pedes*. Sexto quantum ad oris voracitatem, *Et os ejus*. Dicit igitur : *Et vidi* : quasi dicat : Ita draco laborat ad decipiendos homines, et ad hoc multitudinem perversorum sibi instituet, maxime tempore Antichristi, per quos alios decipiat. Et hoc est quod dicit : *Et vidi*, scilicet interiori visu, *Bestiam*, idest corpus sive numerositatem hominum perversorum bestialiter viventium et alios crudeliter devorantium, scilicet vel nocumento spirituali vel corporali. Videtur autem hæc bestia intelligenda multitudo malorum, non omnium, sed eorum qui sunt perversiores et per quos diabolus decipit alios, hoc enim significat nomen bestiæ. In hac autem intelliguntur et minores in dignitate sæculi, et etiam majores, quorum capita quidam sunt aliorum, scilicet principes, et inter hos unus maximus erit Antichristus, sicut infra sequitur : unde de hac bestia videtur hic principaliter agi, ratione Antichristi qui est unum principale caput ipsius bestiæ. De bestia hac quantum ad corpus perversorum, Isa. xxxv, *Mala bestia non ascendet per eam*. *Ascendentem*, idest se elevantem sive extollentem ad mala, vel ad nocendum fidelibus, sed tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant. Luc. xiv, *Qui se exaltat humiliabitur*. *De mari*, idest de mundo tempestuoso per tribulationes et tentationes et amaro per transgressionem, quia ex diversis nationibus mundi colligetur hæc bestia. De hoc Mari Psalm. : *Hoc mare magnum et spatiosum*. Vel *de mari*, idest de consortio malorum ; quia de toto consortio malorum, erunt quidam pejores et perversiores, qui hic dicuntur bestia, et per alios malos juvabuntur ad elevandum se contra fideles. Unde *Glossa* : « Per alios malos se extollentem. » *Habentem capita*. Hic tertio agitur de bestia quantum ad capitum dispositionem, quia vidit bestiam habentem septem capita cum decem cornibus et decem diadematibus. Sub similitudine autem capitum et aliorum prædictorum describitur bestia, quantum ad quatuor. Primo quantum ad principum multitudinem. Secundo quantum ad malitiæ perversitatem, *Et cornua decem*. Tertio quantum ad jactantiæ fastuositatem, *Et super cornua*. Quarto quantum ad blasphemiæ temeritatem, *Et super capita*. Dicit igitur, *Habentem capita septem*, idest universos perversos principes, septem vitiis repletos, qui erunt capita aliorum in hac bestia. Et sicut majores erunt dignitate, ita et perversitate. Ita periculosa est dignitas. Amos vi, *Væ vobis qui opulenti estis super Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum*. Horum autem unum principale caput erit Antichristus, sicut infra dicitur, et per hos principes multum nocebit draco. *Et cornua decem*, idest omnes perversos, per quos ipsi principes malitiose impugnabunt decalogum. Principes enim per suos ministros et alios adjutores, sive per regna sibi subjecta, compellent vel minis vel damnis vel flagellis vel alio modo per malitiam fideles ad transgrediendum præcepta divina, sicut animalia cornuta suis cornibus impugnant alia. Ideo tales ministri et adjutores per decem cornua signantur, secundum *Glossam* supra xii, *Ecce draco magnus rufus*. Vel per cornua intelliguntur ipsi principes, qui dicuntur capita inquantum super homines sibi subditos regnant. Dicuntur etiam cornua inquantum divina præcepta impugnant, frangendo in se, et faciendo frangi in aliis, sicut *Glossa* vult. *Et super cornua ejus*, idest super adjutores et ministros principum, vel similiter ipsos principes, *Decem diademata*, idest victoriæ de projectione fidelium per transgressionem decem præceptorum : quasi dicat : Jactabunt se fastuose de victoria, quam dicent se de fidelibus obtinuisse, facientes eos decalogum violare. Supra ix, *Et super capita earum tamquam coronæ*. *Et super capita ejus*, idest super principes, *bestiæ*, idest multitudinis perversorum, erunt *Nomina blasphemiæ*, quia principes valde blasphemabunt Christum, et hoc manifeste : ideo dicitur : Super capita ; quia illa blasphemia erit maxima, ideo dicitur, *Nomina blasphemiæ*. Quod enim videt nomina blasphemiæ in illis capitibus, signat magnitudinem blasphemiæ, quia expresse dicitur, *Nomina*. Per hoc enim ostenditur, quod magna et expressa et aperta erit blasphemia.

Maxime autem blasphemabit unum ex illis capitibus, scilicet Antichristus, de quo infra eodem, Et aperuit os suum etc. *Et bestia quam vidi*, idest perversorum multitudo. *Similis erat*, idest erit, *pardo*, in varietate sententiarum ; quia unus habebit unam, et alius aliam, et in eodem variabuntur errore, sicut solet fieri in hæreticis ; in quibus tamen sententiis multi convenient. Vel, Similis, in varietate simulationum, quibus celabunt quædam vitia. Item in impatientia et crudelitate. Pardus enim est bestia varietate discolor, impatiens et sævissima. Jeremiæ XIII, *Si mutare potest Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas etc. Et pedes ejus*, idest illi, qui mittentur a principibus deputati ad pergendum vel obsequendum sicut pedes. Qui, inquam, erunt pedes bestiæ, quia alios juvabunt ad malum, erunt sicut *Pedes ursi*, idest fortiter et ferociter conculcabunt fideles. Ursus enim est animal. ferox et fortissimum in pedibus, quibus et pedibus conculcat. Daniel. VII, *Et ecce bestia alia similis urso. Et os ejus*, idest malitia inhians ad devorandum fideles tormentis, et errorum documentis, sicut *Os leonis*, per crudelitatem devorantem. Supra IX, *Dentes earum sicut dentes leonum erant*. Vel, Os ejus, idest majores in peritia loquendi. Sicut os leonis, quia devorabunt alios voragine doctrinæ, fœtebunt errore in doctrina, ut tangit *Glossa. Et dedit illi*. Hic agitur de potestate bestiæ quam dabit ei draco, et cujus usum permittet : et tamen Antichristus simulabit se habere majorem potestatem quam hanc : per hoc decipientur non pauci. Primo ergo agitur de potestate data bestiæ a diabolo. Secundo de potestate permissa a Deo. *Et datum est ei os*. Circa primum agitur de potestatis collatione. Secundo de majoris simulatione, *Et vidi unum*. Tertio de hominum deceptione, *Et admirata est*, Dicit igitur, *Et dedit illi*, idest dabit multitudini perversorum, *draco*, idest diabolus ferox, violentus, astutus ut draco, *Virtutem suam*, ad operationem miraculorum, *Et potestatem magnam*, ad seductionem hominum. Dabit inquam, juvando perversos ad actus perversitatis ; quia faciet eos operari adjutorio potentiæ suæ. Nam in miraculis potest, quia novit naturas rerum, et quia magnam habet potentiam. Item potest dare divitias et alia facere multa : tamen miracula quæ faciet, non proprie dicuntur miracula ; quia non subito ea faciet, sed repente. Item multa faciet falso non vere, sicut et falso simulabit se resurrexisse, ut sequitur. De potestate autem diaboli, quæ dabitur Antichristo, dicitur specialiter II Thessal. II, *Cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute etc.* Job XLI, *Non est potestas super terram. Et vidi*. Hic agitur de majoris potestatis simulatione ; quia Antichristus qui erit unum magnum caput hujus bestiæ, simulabit se habere majorem potestatem quam habeat ; et ideo simulabit se per tres dies mortuum, et tunc latebit ; post vero apparebit dicens se resurrexisse, sicut dicit Ambrosius, et habetur in *Glossa*. Primo ergo tangitur simulatio mortis. Secundo simulatio resurrectionis, *Et plaga*. Dicit igitur, *Et vidi unum de capitibus suis*, *Glossa* ; « Antichristum. » *Quasi occisum*, idest fingentem se tamquam mortuum, ut per hoc possit postea credi resurrexisse : *In mortem* : hoc additur ad ostendendum, quod fingeret se esse vere et plene mortuum, ne credatur. Beatus Joannes loquitur communiter, secundum quod dicitur aliquis quasi occisus, vel quasi mortuus, quando est morti propinquus. Proverb. III, *Abominatio est Domino omnis illusor. Et plaga mortis ejus*, quia mors plaga est, quia naturam lædit, *Curata est*. Ly Quasi, est repetendum, secundum Haymonem : idest Antichristus qui prius per triduum credebatur mortuus, postea credetur resuscitatus. Non tamen secundum veritatem erit curata plaga mortis in eo, quia non prius habuerat veram mortem ; sed potius eum absorbebit ; quia post *occidet eum Dominus spiritu oris sui*. II, Thessal. II, Finget autem se ascendere in cœlum, unde ascendet in aera ferentibus eum dæmonibus, ut dicit *Glossa*. Sed postquam se multum inter homines magnificaverit, interficietur vili morte divina virtute, ut dictum est. *Et admirata est*. Hic agitur de hominum deceptione. Multi enim ex

phantastica Antichristi resurrectione decipientur. Deceptio autem hæc describitur. Primo, quantum ad erroris considerationem. Secundo, quantum ad cultus exhibitionem, *Et adoraverunt draconem*. Ubi primo ostenditur cultus qui exhibetur diabolo. Secundo qui Antichristo, *Et adoraverunt bestiam* : et hoc tum quantum ad reverentiam adorationis, tum quantum ad verbum magnificationis, dicentes : *Quis similis*. Dicit igitur, *Et admirata* : quasi dicat : Ita se resurrexisse finget Antichristus, *Et admirata est universa terra*, idest omnes terreni homines per hoc decepti et illusi admirabuntur quod talem habeat Antichristus potestatem. Admirata est inquam, *Post bestiam*. *Glossa*: post Antichristum. Bestia hic videtur poni pro ipso Antichristo qui erit principale caput præmissæ bestiæ multitudinis perversorum : et ipsum multitudinem perversorum approbabunt, et imitando sequentur : quasi dicat : Postquam se resurrexisse finxerit, multi ex hoc mirabuntur et ibunt post Antichristum ejus errores sequendo. Gregorius in *Gregoriano* super Job, et habetur in *Moralibus* : « Bestia antiquus reprobum hominem tunc ingressurus, cunctos quos carnales invenerit, sub suæ jugo dominationis rapit. » Sed numquid homines omnes, et electi, ipsum sequentur ? Constat quod non. Quomodo ergo dicitur : *Admirata est universa terra etc.*? Respondeo. Dicendum quod multi, sicut dicit Gregorius, ejus documenta, tormenta, et facta contemnent. Quod vero hic dicitur *Universa terra*, dicitur quantum ad reprobos terram amantes. Unde Gregorius : « Cunctos quos carnales invenerit. » *Et adoraverunt draconem*, idest diabolum qui sub specie boni se adorari procurat, *Qui dedit potestatem bestiæ*, idest Antichristo bestialiter viventi, et crudeliter fideles persequenti. Nomen enim bestiæ quod supra est positum pro perversorum multitudine, hic appropriatur Antichristo qui est omnium impiorum caput, quia ejus apparens potentia redundabit in exaltationem aliorum perversorum potestatem, scilicet resurgendi, ut videbitur. Vult utique multum diabolus adorari. Unde Matth. iv, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Non solum adorabunt diabolum, sed etiam Antichristum : unde sequitur, *Et adoraverunt bestiam*, idest adorabunt Antichristum se eidem humiliantes, quem credent resurrexisse, sicut discipuli Dominum post resurrectionem. Matth. ultimo : *Abierunt in Galilæam, et videntes eum adoraverunt. Dicentes*. Hic ostenditur cultus qui Antichristo exhibebitur quantum ad verbum magnificationis. Et primo ponitur magnificatio quantum ad potestatem operandi. *Dicentes quis similis bestiæ?* idest Antichristo in potestate, ut tanta possit agere, cum ex magna virtute resurrexerit : sed de Deo hoc potius dicitur Ecclesiastici iii, *Magna potentia Dei solius*. Secundo quantum ad potestatem vincendi, quia dicent nullum ei posse resistere, *Et quis poterit pugnare cum ea?* quasi dicant : nulli, sive ejus voluntati resistendo sive aliter. Sed licet potestatem habeat magnam vincendi corporaliter, tamen non erit inde extollendus, tum propter abusum, tum quia non habebit eam nisi procurante diabolo, et permittente Deo : unde infra eodem : *Et datum est illi bellum facere etc. Et datum est.* Habita de potestate quæ dabitur Antichristo a diabolo, hic agitur de potestate permissa a Deo. Et primo ostendit divinam permissionem. Secundo temporis durationem, *Et data*. Tertio permissi exequutionem, *Et aperuit os suum*. Dicit igitur, *Et datum est ei*, idest dabitur ei, *Os loquens magna*, ad magnificationem sui. Psal. : ***Disperdat Dominus universa labia dolosa.*** *Et blasphemias*, idest injuriam Dei : blasphemabunt enim Deum, ut ipse solus colatur ut Deus. Daniel. vii. ***Et sermones contra excelsum loquetur*** : quasi dicat : permittetur a Deo se arroganter magnificare, et dicere se esse Deum excellentem præ omnibus diis qui coluntur ab hominibus, et ipsum Deum verbis injuriosis blasphemare. Valde enim superbus erit, et se etiam Deo præfert, et sicut Deus vel plus quam Deus coli procurabit. II Thessal. ii, *Qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur aut colitur Deus. Data est ei*, idest a Deo permissa, « potestas, » quam habebit procurante diabolo, et per subjec-

tionem principum sub eo, *Facere menses quadraginta duos*, idest permittitur a Deo operari ea quæ sunt nequitiæ, blasphemare Deum extollendo seipsum et persequendo Dei electores per tres annos et dimidium. Ecce quantum durabit persequutio ejus. Supra xi, *Et civitatem sanctam conculcabunt pedibus mensibus quadraginta duobus*. Quod autem dicitur facere, potest sic suppleri, Facere, scilicet opera nequitiæ. Quadraginta duos menses idest per quadragintaduos menses : quandoque enim ponitur accusativus loco ablativi, ut, ille homo vixit centum annos. Vel sic, et magis proprie ut videtur. Facere idest complere, Menses quadragintaduos, idest tempus quadragintaduorum mensium, scilicet, in nequitia sua. *Et aperuit os suum*. Ecce permissi exequutio : hoc est, aperiet, juxta permissionem præmissam. Os suum. Per apertionem oris sui, notatur magnitudo blasphemiarum : sicut in apertione oris Dominici notatur magnitudo documentorum. Matth. v, *Et aperiens os suum etc. In blasphemias*, idest ad dicendas blasphemias, *Ad Deum*, idest contra Deum. Aperiet inquam, os suum, *blasphemare*, idest ad blasphemandum, *Nomen ejus*, idest ad loquendum verba injuriæ contra nomen Dei, dicendo quod statuta Dei sive præcepta, non sunt servanda, et quod non est alius Deus præter se : et hoc dicet ad deprimendum nomen Dei, et ad extollentiam sui. Daniel. vii, *Adversus Deum deorum loquetur magnifica. Et aperiet os suum ad blasphemandum, Tabernaculum ejus*, idest Ecclesiam militantem, quæ militat Deo. Tabernaculum enim dicitur habitaculum pugnantium in bello. Psal.: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo ?* Vel, *Tabernaculum*, idest carnem Christi in qua Christus pro nobis militavit. Psal.: *In sole posuit tabernaculum suum*. Dicet enim Christum hominem fuisse. Propter hoc et propter alia dicitur Antichristus. Et tamen de Christo dicitur Joan. i, *Et Deus erat Verbum*, Roman. ix, *Qui est Deus benedictus in sæcula. Amen*. Colossens. ii, *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et eos qui in cœlo*, idest in cœlesti conversatione habitant : quasi dicat : blasphemabunt Deum et fidelium congregationem, et maxime majores de Ecclesia. Vel eos qui in cœlis habitant, idest sanctos qui sunt in patria, quia dicet eos esse damnatos, cum tamen dicatur Matth. v, *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Item in eodem, *Gaudete et exultate etc.* Philipp. i, *Cupio dissolvi et esse cum Christo*. II Corinth. v, *Scimus quoniam si terrestris etc.* Contra tales dicitur Isaiæ v, *Væ qui dicitis bonum malum et malum bonum; ponentes tenebras lucem et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui fortes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem; qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo*. Gregorius in *Gregoriano :* « Super sanctos quoscumque homines, et super ipsius divinitatis potentiam extollet, ita ut homo peccator, et tamen homo cupiens, æstimari Deum, se super homines mentiatur. » *Et datum est*. Hic agitur de pugna bestiæ cum Ecclesia ex parte Antichristi, quod erit maximum caput illius bestiæ. Et primo ostenditur pugna. Secundo victoria, sive efficacia. *Et vincere*. Tertio victoris potentia, *Et data*. Dicit igitur, *Et datum est illi*, idest permittetur Antichristus a Deo, quia non poterit nisi a Deo permissus, *Bellum facere cum sanctis*, idest cum justis, scilicet disputando, persuadendo, comminando, flagellando. Et intelligitur quod juxta hanc permissionem pugnabit. Daniel. vii, *Cornu illud faciebat bellum adversus sanctos. Et vincere illos*, scilicet corporaliter, ut dicit *Glossa*, quia affliget eos et interficiet. Hanc tamen victoriam non timent servi Dei, et ideo vincunt, non vincuntur spiritualiter. Matth. x. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*. Ut autem ostendatur magnitudo potentiæ ad vincendum, subditur, *Et data*. Et primo agitur de ejus potentia communiter respectu bonorum et malorum : scilicet quantum ad victoriam corporalem vel spiritualem. Secundo specialiter, scilicet respectu malorum ad victoriam spiritua-

lum, *Et adoraverunt.* Dicit igitur, *Et data est ei*, idest a Deo permittitur, *potestas*, quam diabolus subministrabat ei, et per se, et per principes, quos ei subjiciet, *In omnem tribum et populum*, idest in omnem populum Judæorum de omni tribu eorum, ut fiat Judaicus, sicut eum dicitur : « Altus utrumque ... » Per populum enim et tribum intelliguntur hic Judæi : per linguam vero et gentes intelliguntur diversæ Gentilium nationes. Unde sequitur, *Et linguam et gentem*, idest in omnes Gentiles secundum diversitatem omnium linguarum. Vel possunt hæc distingui, secundum quadruplicem hominum diversitatem, ut supra x. Quasi dicat : potestatem habebit vincendi tam Judæos quam Gentiles, scilicet vel corporaliter simul solum quantum ad electos, vel corporaliter simul et spiritualiter quantum ad reprobos, quos vincet spiritualiter per afflictionem corporalem. Daniel. viii : *Et roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis, et supra quam credi potest universa vastabit, et prosperabitur et faciet et interficiet robustos, etc. Et adoraverunt*, idest adorabunt venerando et colendo, *Eum*, scilicet bestiam, idest Antichristum, *Omnes qui inhabitant terram*, idest omnes terrenorum amatores. Unde dicit Gregorius in *Moralibus* de diabolo operante per Antichristum : « Qui bonis præsentibus delectantur, potestati illius se absque retractione subjicient. » Ut autem ostendat se loqui de reprobis, subdit, *Quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ*, idest qui in æterna Dei dispositione non sunt prædestinati ad vitam perpetuam. Liber enim vitæ est æterna dispositio, in qua electi sunt quasi in libro scripti, quia ad vitam præordinati. Vitæ inquam, *Agni*, scilicet Christi, qui ad hanc vitam ab æterno præordinavit et eam tandem dabit. Vel libro, inquam, *Agni*, quia æterna dispositio, licet toti Trinitati conveniat, tamen Filio attribuitur : quare in Filio Pater omnia disposuit, sicut in sua sapientia, et per ipsum in tempore perficit. Item quia disposuit per Filii passionem dare vitam electis. Ipse ergo Liber secundum rem, est ipse Agnus, sicut dicit *Glossa* ; sicut æterna dispositio est ipse Deus. Reprobi autem non sunt scripti in hoc libro Vitæ, sed in libro Mortis. Jeremiæ xvii, *Recedentes a te in terra scribentur.* Per hoc autem quod dicit, *Nomina non sunt inscripta etc.*, removet ab eis familiaritatem divinæ dilectionis et electionis, quam habet ad electos. Propter quod dicitur Lucæ x, *Gaudete autem quoniam nomina vestra scripta sunt in libro vitæ.* Sed objicitur, quia de nominibus reproborum fit quandoque mentio sub affirmatione : supra xi, *occisa sunt in terræmotu, nomina hominum septem millia.* Respondeo. Dicendum quod per illud intelligitur reprobos non habere nisi solum nomen vitæ, dum dicuntur Christiani vel fideles quidam ipsorum, vel dum secundum diversas sectas, nominant se justos et recte agentes. Supra iii, *Nomen habes quod vivas et mortuus es.* Non ergo illud dicitur propter divinam approbationem, sed propter solam nuncupationem : hic autem nomen dicit approbationem et familiaritatem divinam. Exod. xxxiii, *Novi te ex nomine. Qui occisus est*, scilicet in suis, ut Abel Genesis iv, *Ab origine mundi*, Abel enim fuit occisus quasi in origine mundi ; et sic quasi ab initio mundi cœpit persequutio, qua impii Agnum in suis persequuntur. Simile, Act. ix, *Saule, quid me persequeris? Vel, Occisus, etc.*, id est ab origine mundi prævisus occidi ; quia ab æterno dispositum est hunc Agnum esse occidendum. Simile Ecclesiastici xxiv, *Ab initio et ante sæcula creata sum*, idest prævisa creari secundum humanitatem. Per hoc autem excitat beatus Joannes affectum fidelium ad amorem Agni, a cujus vita excluduntur reprobi, non ipsi. Sed quare dicit, *Ab origine mundi*, cum ab æterno hoc dispositum sit? Respondeo. Hoc quod dicitur, Ab, accipitur inclusive, ita quod includat, ita disponi hanc ipsam mundi originem : et dat intelligi dispositionis æternitatem : sed Scriptura quandoque exprimit, id quod melius ab homine mortali capitur. Magis autem capit homo id quod dicitur circa mundum et mundi originem, quam quod dicitur de ipsa divina æternitate. Simile dicitur in Psalmis : *A sæculo et usque in sæculum tu es Deus.* Utrumque

autem tangitur Ecclesiastici xxiv, *Ab initio et ante sæcula creata sum.* Item per hunc loquendi modum datur via ad multiplicem intellectum, ut patet in *Glossa. Si quis.* Hic agitur de pœna bestiæ debita; hic enim ostenditur impios esse damnandos, qui fideles cruciabunt. Sed quia ad considerationem pœnæ malorum sequitur timor per quem vitatur imitatio ipsorum. Ideo primo fit excitatio ad considerationem dicendorum. Secundo subditur ipsa pœna impiorum, Qui in captivitatem. Pœna autem hujus est æternum supplicium quod culpæ debetur. Unde primo ostenditur pœna debita crudelitati affligenti citra mortem. Secundo crudelitati infligenti ipsam mortem, *Qui in gladio.* Dicit igitur, *Si quis :* raritas intelligiur per hoc quod dicit, *Si quis habet aures,* internas, scilicet intellectum et affectum ; quia utrumque concurrit ad salubrem auditum, *audiat,* idest efficaciter intelligat cum affectu, et etiam cum effectu, quæ pœna debeatur impiis ; et ideo eis non adhæreat, nec eos imitetur ne pœnam consimilem incurrat. Unde *Glossa :* quasi dicat, cavete omnes. Supra II, *Qui habet aures audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.* Quid autem sit audiendum, subditur, *Qui in captivitatem,* corporalem, quia impii tempore Antichristi captivabunt fideles, vel etiam spiritualem ut dicit *Glossa, duxerit,* scilicet cultores Dei. Habacuc I, *Congregabit quasi arenam captivitatem, In captivitatem,* æternæ pœnæ, *vadet.* Isaiæ XXXIII, *Væ qui prædaris, nonne et prædaberis? Qui in gladio,* materiali vel spirituali, scilicet persuasionis, *occiderit,* homines, *oportet,* necessitate justitiæ, *Eum gladio,* Divini judicii, vel æterni supplicii, *occidi :* pœna enim æterna mors est. Hoc dicitur propter Antichristum et suos, qui captivabunt et occident fideles, et ideo ipsi captivabuntur et occidentur morte perpetua. Captivatio inferni, est intrusio tartarea. Occisio autem afflictio perpetua, quæ excludet a vita suavissima quæ Deus est. Matth. XXVI, *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt.* Sed objicitur, quia animæ damnatæ semper vivunt : quomodo ergo occidentur? Respondeo. Dicendum quod damnati dicuntur occisi, non propter amissionem naturalis vitæ, sed propter acerbitatem angustiæ tartareæ ; quæ tanta est quod vivere in ea mors est. Unde Augustinus, VII lib. *de Civitate Dei :* « Nam etsi anima in pœnis vivit æternis, mors est potius æterna quam vita. » Item propter privationem vitæ mellifluæ quæ Deus est. Unde Augustinus in *eodem :* « Summa mors animæ est alienatio a vita Dei in æternitate supplicii. » *Hic est.* Hic ostenditur materia profectus Ecclesiæ, quia tribulatio tunc erit materia profectus. Ad hunc autem profectum concurrent duo : scilicet patientia in sustinendo, fides in informando ; quia fides cum dilectione informabit ipsam patientiam, et faciet esse meritoriam. Item patientia in affectu, fides in intellectu, scilicet practico. *Hic,* scilicet in prædicta persequutione, *est,* hoc est, erit, *Patientia,* idest materia patientiæ ; quia patientia excitatur in adversis. Roman. v, *Tribulatio patientiam operatur.* Gregorius : « Sancti corporalem pœnam, lucra putant; quia per hanc æternam evadere non ignorant. » *Et fides sanctorum,* idest materia probandæ fidei justorum. Fides enim probatur adversis cum vincit, non a diversis ; cum vincit non vincitur, sicut aurum igne. I Petri I, *Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur etc.* Fides enim est quæ docet et juvat pati adversa, fugere vitia, agere bona : ostendit præmium simul et supplicium, et alia motiva ad bonum, et sic vincit. I Joan. v, *Hæc est victoria quæ vincit mundum, Fides nostra.* Sancti sunt viri justi, qui sunt a fæce vitiorum sinceri, et, tam a culpa omissi quam commissi, sunt mundi, et per hoc mundo mortui. Unde Isidorus : Sancti viri ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur. Vel, Hic, idest in consideratione pœnæ et gloriæ, *Et patientia,* idest causa patienter sustinendi. *Et fides,* idest causa tenendi fidem. Sed quare non tangitur de caritate, sine qua nec patientia valet, nec fides? Item fides præcedit patientiam ; quia prima virtus est secundum actum. Item quærit Haymo cur Deus suos sic permittit affligi? Respondeo. Ad

primum : quod de caritate tangit implicite in ipsa fide, quia de fide formata agit, ut patet ex hoc quod addidit Sanctorum ; sed quandoque loquitur Scriptura breviter : fides enim non est in sua plena ratione, nisi sit cum caritate ; quia cognitio divinorum de se ordinat ad affectum. Simili modo accipitur Matthæi ultimo : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Ad aliud potest dici, quod fides tripliciter consideratur : aut inquantum movens, aut inquantum informans, aut inquantum effulgens. Inquantum movet alias virtutes, quantum ad actum præcedit ; inquantum autem cum caritate informat actus aliarum virtutum, et se habet in ratione ultimi completivi est posterior ordine naturæ et fine temporis ; quia quod est completivum tenet rationem posterioris ordine naturæ, et sic ponitur hic. Item inquantum effulget, hoc est manifestatur per actum patientiæ, se habet in ratione consequentis ; quia manifestans prius est manifestato, inquantum hujusmodi. Ad aliud respondet Haymo, quia filii sunt et paterna hæreditate donandi : *flagellat autem omnem filium quem recipit* : Hebræor. XII. Reprobi autem in bonis dies suos agunt, et bonos persequuntur, et sic ab hæreditate excluduntur. Haymo : « Ira quæ nunc misericorditer a sanctis incipit, in reprobis sine misericordia conquiescet. » *Et vidi aliam.* Hic agitur de persequutione facienda ab Antichristo, mediantibus pseudo prædicatoribus : unde *Glossa* : « Descripta tribulatione. » Sic autem proceditur. Primo describit pseudo prædicatorum persequutionem. Secundo excitat fideles ad circumspectionem. *Hic sapientia est.* Circa primum Primo ponitur descriptio persequutorum. Secundo subditur persecutio ipsorum. *Et loquebatur.* Describit autem persequutores quantum ad tria. Primo quantum ad vitæ perversitatem sub nomine bestiæ. Secundo quantum ad progressum perversitatis, *Ascendentem.* Tertio quantum ad simulationem sanctitatis, *Et habebat.* Dicit igitur, *Et vidi* : quasi dicat : Ita mihi ostensum est quo modo Antichristus persequetur Ecclesiam per principes. Ostensum etiam mihi est, quomodo persequetur eam per suos prædicatores. Et hoc est, *Et vidi bestiam*, idest cœtum pseudo Apostolorum, quos Antichristus per mundum mittet, ut dicit *Glossa*, qui erunt bestiales, per vitæ brutalitatem quo ad se, et crudelitatem, in catholicos. *Aliam*, a præmissa et ea minorem Gregorius in *Gregoriano* : « Antichristus prædicationem suam, in sapientium carnalium sensibus ponens, prædicatores suos, in sæculo per populos sparget. » *Ascendentem*, per progressum de malo in malum ; quia in principio ascendent de malo in malum proficiendo, *De terra*, idest de amore terrenorum : hoc enim facit eos proficere in perversitate : scilicet amor divitiarum, delitiarum et honorum. Diabolus enim revelabit Antichristo thesauros absconditos auri et argenti. Gregorius loquens de malis qui erunt sub Antichristo : « Nonnulli fidem rerum cœlestium ad vitæ temporalis desiderium inclinabunt. » Vel, *Ascendentem*, idest se per superbiam elevantem. *De terra*, idest de terrena dignitate. Unde Gregorius super hunc locum : « De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire. » *Et habebat*, idest habebit, *Duo cornua*, scilicet sapientiam in doctrina et perfectionem in vita, quibus cornibus impugnabit fideles hæc bestia : simulabunt enim se habere sapientiam et vitam. *Similia agni*, idest similia cornibus agni. Vidit beatus Joannes bestiam quamdam habentem cornua, quasi cornua agni : hoc autem vidit propter mysterium, quia pseudo prædicatores dicent se habere sapientiam et vitam quæ vere in Christo fuerunt : in ipsis autem solum phantastice : unde dicit *Similia*. Gregorius super hunc locum : « Prædicatorum Antichristi multitudo eam quam in se veraciter Dominus habuerit sibi singularem inesse sapientiam mentietur et vitam. Hæc sunt cornua Agni nostri, scilicet sublimitas sapientiæ et eminentia vitæ, quibus impugnavit et adhuc impugnat impios. » Vel hæc duo cornua sunt duo Testamenta quæ sibi usurpabunt, quæ tamen sunt agni vere ; et per hoc male exposita impugnabunt fideles quæ non implebunt, licet hoc simulent. Unde Gregorius super hunc locum : « Prædicatores Antichristi clari erunt per justitiæ simulationem, sed

obscuri per nequitiæ perpetrationem. » *Et loquebatur.* Hic agitur de persequutione impiorum. Et primo agitur de persecutione verbi. Secundo de persequutione operis, *Et potestatem.* Dicit igitur : *Et loquebatur*, idest loquetur. *Sicut draco*, idest perversa suadendo et blasphemando Deum et sanctos. Erit hæc bestia conformis diabolo loquenti in Antichristo. Loquentur tamen simulando se habere cornua agni, ut sic decipiant. Unde Gregorius *super hunc locum :* « Ista ergo bestia, idest prædicantium multitudo, assumet agni speciem ut draconis exerceat operationem. » Item nomine draconis intelligitur venenum et astutia infundendi. Loqui ergo sicut draco, est, loquendo perversa, secundum conformitatem diaboli sub simulatione veritatis venenum infundere. Psalm. : *Venenum aspidum sub labiis eorum. Et potestatem.* Hic agitur de persequutione operis : quia non tantum verbo, sed et facto persequentur fideles. Hæc autem persequutio principaliter erit spiritualis. Licet enim corporaliter et temporaliter persequentur Ecclesiam, totum tamen fiet ad Ecclesiæ subversionem. Primo autem fiet persequutio operis in generali. Secundo in speciali, *Et fecit terram.* Dicit igitur : *Et faciebat*, idest cœtus prædicatorum Antichristi, *Faciebat omnem potestatem prioris bestiæ,* idest exercebit omnem operationem potestatis Antichristi. Omnes enim modo decipiendi exercebunt quibus et Antichristus potestate diabolica : quæ erit principaliter in Antichristo, erit tamen et in aliis. *In conspectu ejus,* idest secundum beneplacitum ejus. II Corinth. II : *Ex Deo coram Deo in Christo loquimur.* In omnibus enim præponent caput suum, idest Antichristum, ut dicit *Glossa.* Ex hoc patet quod eum suum Dominum et caput vocabunt. *Et fecit terram.* Hic ostenditur persequutio operis in speciali. Hæc autem persequutio fiet hoc modo. Prædicatores enim Antichristi facient homines Antichristum adorare. Item facient miracula per quæ inducent multos a fide recedere. Item facient homines statuam Antichristi colere. Item compellent multos characterem sive signum Antichristi portare. In his quatuor magna erit persequutio animarum ; et ad hanc adjungetur persequutio corporum. Primo ergo ostenditur persequutio quantum ad Antichristi adorationem. Secundo quantum ad miraculorum operationem, *Et fecit signa.* Tertio quantum ad statuæ venerationem, *Dicens habitantibus.* Quarto quantum ad subjectorum consignationem, *Et faciet omnes.* Dicit igitur : *Et facit*, idest faciet promissis, vel donis, vel minis, vel flagellis, vel aliis modis. *Terram,* idest terræ amatores, *Et inhabitantes in ea*, idest perseverantes in amore terræ, hoc est terrenæ vanitatis. Vel, Terram, idest homines de terra secundum corpus conditos, et ideo ad terram per affectum inclinabiles : unde sequitur : *Et inhabitantes in ea*, scilicet terra secundum animam, hoc est amatores terrenorum. *Adorare bestiam primam,* idest de qua prius narratum est, scilicet Antichristum. *Cujus curata est*, idest curata videbitur. *Plaga mortis*, idest qui resurrexisse credetur. Nota *Glossam :* Quia hi simulata resurrectione etc. » De hoc supra eodem, Et plaga mortis ejus curata est. Et sequitur *Et adoraverunt bestiam etc.* Valde enim superbus erit Antichristus, et per suos prædicatores procurabit se coli et nomen suum diffundi. Unde Gregorius in *Gregoriano :* « Nomen suum longe lateque ante mortem suam conabitur Antichristus diffundere ; et in terrena gloria appetet, si possibile esset, in perpetuum permanere. » *Et fecit signa.* Hic agitur de persequutione quantum ad miraculorum operationem : per hoc enim multi pervertentur. Primo autem ostendit ipsam miraculorum operationem. Secundo consequentem hominum subversionem, *Et seduxit.* Miracula autem tangit primo in generali. Secundo describit in speciali, *Ut etiam.* Dicit igitur : *Et fecit*, idest faciet, scilicet cœtus pseudo prædicatorum Antichristi. *Signa magna*, idest magna miracula, quæ videbuntur signa magnæ potestatis in Antichristo, ad cujus honorem fient per operationem dæmonum ex permissione divina. Unde dicit Gregorius in *Gregoriano :* « Illo tempore complebitur, quod veritatis ore per Evangelium dicitur : Surgent pseudo christi et pseudo prophetæ, et

dabunt signa magna et prodigia, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. *Et faciat*: quasi dicat: multa signa faciet hæc bestia ita *Ut etiam ignem*, ad litteram. *Faceret*, idest faciat. *De cœlo descendere in terram*, scilicet super eos qui Antichristo obedient, quia confirmationem suæ prædicationis dabunt spiritum malignum in specie ignis, sicut dicit *Glossa*, sicut Apostolis datus est Spiritus sanctus in specie ignis. Act. II: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*. *In conspectu hominum*; quasi dicat: hoc fiet aperte, ut per hoc inducant homines ad credendum quod ipsi erunt sanctiores quam discipuli Christi qui acceperunt in conclavi. Antichristus et sui facient secundum simulationem facta Christi, ut fidem christianorum pervertant et eos antichristianos faciant. Simulabit enim Antichristus mortem et resurrectionem et ascensionem, ut habitum est supra, et finget Spiritus sancti missionem, ut hic habetur. *Et seduxit*, scilicet bestia, idest seducet, idest seorsum a virtute ducet. Per præsens notatur studium et insistentia. *Habitantes in terram* per amorem, hoc est terræ amatores, propter signa, idest miracula quæ data sunt, idest permissa a Deo. *Illi*, scilicet bestiæ, idest cœtui pseudo prædicatorum. *Facere*, idest quæ permittetur facere. *In conspectu bestiæ*, idest secundum beneplacitum et justum Antichristi, vel ad præsentiam nominis invocati, quia ad invocationem nominis Antichristi facient hujusmodi miracula, ut vult *Glossa*: tamen totum fiet operatione diaboli, sicut dicitur II Thessal. II: *Cujus est adventus secundum operationem satanæ in prodigiis etc.* De hujus seductione, Matth. XXIV: *Multi pseudo prophetæ surgent et seducent multos*. Et sequitur: *Et dabunt signa magna et prodigia etc.* *Dicens*. Hic agitur de persequutione quantum ad statuæ reverentiam; quia compellent pseudo apostoli, homines facere statuam Antichristi: et videbitur statua loqui et futura prædicere: et compellentur homines eam adorare. Primo ergo tangit statuæ formationem. Secundo formatæ loquutionem, *Et datum*. Tertio humanam venerationem, *Et faciet, ut quicumque*. Dicit igitur: *Dicens*; quasi dicat: seducet homines, dicens, idest præcipiens. *Habitantibus in terra*, idest amatoribus terrenorum, quia tales erunt Antichristo subjecti et per istos seducent alios. *Ut facerent*, idest faciant *Imaginem*, idest ad litteram statuam aliquam. *Bestiæ*, idest Antichristi. *Quæ*, scilicet bestia. *Habet plagam gladii*, idest cicatrices sive vestigia vulnerum quæ sunt signa præteritæ mortis, quæ mors per gladium intelligitur, sicut legitur de Christo. Joan. XX: *Infer digitum tuum huc etc.* *Et vixit*, idest simulate resurrexit. Potest etiam aliter intelligi sic. Dicens, idest prædicans. Ut facerent imaginem etc., idest ut faciant se conformes Antichristo sequendo ejus documenta; qui resurrexisse videbitur; sicut prædicatores Christi prædicant hominibus, ut ei se conforment, I Petr. II: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. *Et datum est illi*, idest dabitur pseudo prædicatoribus a diabolo divina permissione. *Ut daret*, idest ut dent, *Spiritum*, scilicet malignum. *Imagini bestiæ*, idest statuæ Antichristi; quia prædicatores Antichristi facient spiritum malignum esse in illa statua, et per illum spiritum loquetur statua phantastice. Unde sequitur: *Et datum est ei, scilicet multitudini*, pseudo prædicatorum facere. *Ut loquatur imago bestiæ*, idest statua Antichristi; quia, sicut dicit *Glossa*, arte magica per virtutem dæmonis facient statuam loqui et futura prædicere. Sed ex hoc quod dicitur, *Ut daret spiritum imagini*, videtur quod imago sive statua hujusmodi sit viva, si in se spiritum habeat. Item si statua loquatur, ergo erit creatura rationalis, quia loqui est creaturæ rationalis. Respondeo. Ad primum dicendum, quod statua non erit viva; quia licet habeat spiritum malignum inhabitantem, non tamen naturaliter unitum. Habebit ut motorem, non ut formam perficientem. Ad aliud dicendum, quod loqui non sumitur proprie, sed secundum quod per spiritum præsidentem idolis dicebantur olim idola loqui, cum dæmones in eis dabant responsa. Loqui enim est cum intentione proferre per organum rationali animæ unitum naturaliter.

Aliter potest intelligi sic. Datum est, idest dabitur illi cœtui pseudo prædicatorum, ut prius. Ut daret, idest ut det, scilicet spiritum, scilicet malignum. Imagini bestiæ, idest hominibus qui erunt conformes Antichristo, et per hoc erunt ejus imago. Et dabitur ei facere ut loquatur imago bestiæ variis signis : quia sicut dicit *Glossa*, Faciet Antichristus vel sui prædicatores spiritum malignum super homines descendere et variis linguis loqui, sicut de Apostolis legitur, Act. II, et de aliis fidelibus, Act. X : *Audiebant illos loquentes linguis etc.* Et heu multi hodie portant imaginem bestiæ, idest Antichristi vel diaboli per conformitatem. Matth. XXII : *Cujus est imago hæc et inscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris. Et faciet*, hæc bestia, scilicet multitudo pseudo prædicatorum, per principes qui eis obedient. *Ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ*, idest statuam Antichristi ad litteram. *Occidatur*, morte corporis. Quos enim pseudo Apostoli non poterunt documentis vel miraculis pervertere, per principes trucidabunt et occident. Unde Gregorius : « Quos prædicatores appetent loquendo seducere, multi potentum studebunt et sæviendo et affligendo terrere. » *Et faciet omnes.* Hic agitur de persequutione, quantum ad consignationem ; quia compellent homines habere signum Antichristi. Primo autem ostendit consignandorum numerositatem. Secundo ostendit compulsionem ad consignationem, *Quod ne quis.* Dicit igitur : *Et faciet.* prædicta bestia, per principes vel alio modo. *Omnes pusillos*, idest parvos potestate, ut sunt minores. *Et magnos*, potestate, ut sunt majores. *Et divites et pauperes*, in rebus, *Et liberos et servos*, secundum personalem conditionem. Et ita eos qui signum Antichristi habebunt, describit quantum ad potentiam, quantum ad fortunam, quantum ad personam sive conditionem personæ, ut est libertas et servitus. Quod autem dicitur : *Omnes pusillos etc.*, facit distributionem non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, quia de pusillis et magnis multi pervertentur ; similiter et de aliis, non tamen omnes. Vel, *Pusillos* apud Deum, *magnos* apud homines. *Divites*, rebus. *Pauperes*, virtutibus. *Liberos* a Deo. *Servos* sub peccato vel diabolo. *Habere characterem*, idest signum Antichristi. *In dextera manu*, idest in aperta operatione. *Aut in frontibus*, idest in confessione oris, ita quod non erubescant confiteri nomen et dominium Antichristi. Sicut enim veri christiani habent signum Christi per fidem formatam in corde et rectitudinem in opere et expressionem fidei in ore : ita compellentur homines portare signum Antichristi, quod signum erit iniquitas in opere ; quod est habere signum in manu. Vel audaciam confitendi nomen ejus ore, quod est portare signum in fronte, per quam intelligitur audacia. Unde *Glossa :* « In manu. Per dexteram autem manum signatur opus malum apertum, quia manus dextera magis est in promptu. » Hoc est signum contrarium signo electorum. De quo supra VII. *Quoadusque signemus etc.* Ad hujusmodi autem signum compellent per pœnam : unde sequitur : *Et faciet ne quis possit emere*, ab aliis. *Aut vendere*, aliis. *Nisi habeat characterem*, idest signum, scilicet in opere. Signum enim Antichristi portabit, qui ei per opera se conformabit. *Aut nomen bestiæ*, scilicet Antichristi in denominatione vel expressione ; quia compellentur portare nomen Antichristi, ut scilicet denominentur ab eo Antichristiani, ab Antichristo vel alio nomine, sicut a Christo dicuntur christiani. Item ut ejus nomen ore confiteantur. *Aut numerum nominis ejus*, scilicet in corde expectando, scilicet a Deo remunerationem minorem quæ signatur per sex, vel mediocrem quæ per sexaginta, vel maximam quæ per sexcentos ; et credendo ipsum posse sic suos remunerare. Iste enim est numerus nominis Antichristi, sicut post sequitur. Nota *Glossam :* « Qui expectant etc. » Ad litteram intelligitur, quod non permittentur vendere vel emere nisi signum Antichristi portent in opere aperto, quod est portare characterem vel ejus nomen in sua denominatione, aut in oris confessione, quod est portare nomen bestiæ ; aut se ostendat habere verbo vel alio modo fidem potestatis ejus in corde, credendo, quod Antichristus potest remunerare suos præmio

minori vel mediocri vel maximo : quod etiam est portare numerum nominis ejus, quia numerus nominis Antichristi est sexcenti sexaginta sex, sicut post sequitur. Hunc enim numerum habet qui credit illud quod per numerum signatur Antichristo convenire, cum tantum usurpative ei conveniat non vere. Sed quare dicitur sub disjunctione habere characterem in manu aut in frontibus? Nonne sicut Deus requirit actum rectum et confessionem veræ fidei, sic ille dolosus requiret malum actum et malam expressionem oris? Respondeo. Dicendum, quod utrumque requiret Antichristus ab hominibus per se et per suos prædicatores : tamen per alterum solum poterunt multi evadere pœnas quæ ab ipso et a suis infligentur : quia ipsi non semper opera videbunt, nec semper verbum quo homines confitentur Antichristum audient, sed recipient alterum. Deus autem qui omnia videt et cujus sunt omnia, et actum operis et confessionem oris et devotionem cordis requirit. Bernardus in libro *de diligendo Deo* : « Si me totum debeo pro me facto, quid addam pro me refecto? » *Hic sapientia est.* Hic excitat fideles ad circumspectionem ; quia per investigationem numeri nominis Antichristi potest cognosci, quod non erit nisi tentator pessimus et deceptor dolosus, et per hoc potest caveri. Primo autem excitat difficultatem, ostendendo, quia difficile est hujusmodi numerum intelligere. Secundo ad investigationem exhortando, *Qui habet.* Tertio ipsam veritatem docendo, *Numerus enim.* Dicit igitur : *Hic*, idest in hujus numeri investigatione. *Sapientia est*, idest in inquisitione hujus numeri manifestatur sapientia in inquisitore, quia difficile est. Vel, Sapientia est necessaria propter difficultatem ad inveniendum numerum, et iterum numeri significationem. Sed quare non ponit expresse significationem numeri, sicut et ipsum numerum ponit ; sicut etiam exponit de dracone, supra XII, *Projectus est draco ille serpens antiquus qui vocatur diabolus et satanas etc.*? Respondeo. Ne pro sua manifestatione apud superbos vilesceret, et ut ad intelligentiam numeri magis excitet, quia res obscura (sicut dicit *Glossa*) attentos facit. Illud autem de diabolo non sic contemnitur, quia ipsa nomina diaboli generant horrorem. Item per hoc quod sic obscure loquitur, et tamen dat intelligi quod hic numerus ponitur propter significationem, docemur quod numerus in Scriptura sæpe ponitur non causa numeri, sed significationis. Deinde admonet ad investigandum. Voluit autem Beatus Joannes hic sollicitare lectorem ipsa monitione. *Qui habet intellectum*, idest sapientiam, per quam obscura intelligat. *Computet numerum bestiæ* : quasi dicat : quid per nomen Antichristi importatur, computet, et numeri significationem cognoscat. Ne autem per illum numerum credatur Antichristus esse Deus cum sit tantum homo, ostendit quis sit numerus ; et quod Antichristus est purus homo, non Deus. *Numerus* : quasi dicat : numerum bestiæ, idest Antichristi computet, ut sic deceptionem Antichristi percipiat qua se Deum dicet, cum sit tantum homo. Et hoc est : *Numerus enim*, scilicet nominis ejus Antichristi, *Est hominis*, non Dei ; quia ipse erit homo, non Deus : quasi dicat : non Deus, sed homo erit. Gregorius : « Antichristus super ipsius Divinitatis potentiam extolletur, ita ut homo peccator ; et tamen homo despiciens æstimari Deum se super homines mentiatur. » Deinde subdit ipsum numerum. *Et numerus ejus*, scilicet Antichristi, qui numerus in ejus nomine intelligitur. *Est sexcenti sexaginta sex.* Non ponit significationem numeri, nec ostendit quomodo in ejus nomine sit iste numerus ; quia per hoc magis excitatur attentio, ut dicit *Glossa* : « Ne fiat de substantivo quod respondeat huic adjectivo, sexcenti, et ille numerus ponatur ratione significationis, non numeri. » Nota ergo quod cum liber iste Græce scriptus sit, secundum Græcos est hic numerus quærendus, apud quos omnes litteræ numerum signant, sicut apud nos quædam. Nomen Antichristi Græce dicitur : Antemus, quod interpretatur contrarius, quia Christo contrarius erit et ejus honori. Numerus hujus nominis est sexcenti sexaginta sex : hoc enim nomen tantum numerum signat. Sicut enim apud nos

V, signat quinque. C, centum. X, decem, ita apud Græcos. A, signat unum. N, quinquaginta. O, septuaginta. S, ducenta. T, signat trecenta. E, quinque, M, quadraginta. Horum omnium summa est sexcenta sexaginta sex. Item aliud nomen Antichristi Græcum est Arnoyme, quod interpretatur nego, quia Christum negabit esse Deum. Hoc nomen importat prædictum numerum. A, signat unum. R, signat centum. N, quinquaginta. O, septuaginta. Y, quadringenta. M, quadraginta. E, quinque : hæc omnia faciunt illum numerum qui ponitur in *littera*. Item aliud nomen ejus est Teitan, quod interpretatur sol, vel gigas, quia dicet se solem justitiæ et gigantem geminæ substantiæ, quia ea quæ Christo, vere conveniunt, sibi falso attribuet quia superbissimus erit. T, signat trecenta. E, quinque. I, decem : item. T, trecenta. A, unum. N, quinquaginta : et ita hæc tria Græca nomina Antichristi prædictum numerum signant. Item nomen ejus quoddam in litteris latinis eumdem numerum reddit, quod est Dielux ; quia dicet se lucem, dicet enim se esse Deum. D apud latinos signat quingenta. I, unum. C. centum. L, quinquaginta. V, quinque. X, decem. Sic ergo habemus numerum nominis bestiæ, scilicet Antichristi. Nunc videamus quid signat : propter hoc enim agitur hic de ipso numero. Notandum ergo secundum *Glossam*, quod senarius qui est primus numerus perfectus, signat minus perfectos, qui licet sint in conjugio, tamen cavent a mortali et divina præcepta servant, non tamen consilia implent. Isti habent perfectionem sufficientiæ, sine qua non est salus ; et dicuntur imperfecti respectu perfectorum. Per simplicem ergo senarium, signatur minima perfectio. Sexagenarius autem numerus signat mediocriter perfectos qui sunt in castitate et divina præcepta servant cum perfectione consiliorum, non tamen secundum altiorem perfectionis gradum. Denarius enim signat observantiam decalogi. Senarius vero denariorum, qui jam non est simplex, signat perfectionem consiliorum. Sexcentenarius autem numerus signat perfectissimos qui et præcepta et consilia perfectissime servant. Centenarius enim magnam perfectionem signat, quia multos numeros continet, et ad ipsum terminatur cursus præcedentium numerorum : unde retro incipere oportet centenario terminato. Cum vero additur senarius centenorum per quem multiplicatur centenarius, signatur perfectio cumulata. Per sex ergo signantur minus perfecti, sive perfectio minima in bonis quæ est fructus trigesimus in statu viæ. Matth. XIII, Per sexaginta perfectio mediocris quæ est fructus sexagesimus. Per sexcenta perfectio maxima, quæ Matth. XIII, dicitur fructus centesimus. Per hunc ergo talem numerum qui in nomine bestiæ intelligitur, signatur quod Antichristus dicet se Deum cui servire debeant homines in omni gradu vitæ, tam minus perfecti quam mediocriter perfecti, quam perfectissimi : ita ut qui ei altero modo non servierit serviat modo alio : qui etiam possit secundum diversos gradus vitæ remunerare homines præmio minori vel mediocri vel maximo : et ita per hunc numerum poterit æstimari Deus ab erroneis, cum tamen tantum sit homo : unde dicitur hic : *Numerus enim hominis est*. Nec apud eos qui ei servient erit alius gradus bonæ vitæ, licet videatur. Unde ipse Antichristus cum ipso corpore malorum vocatur bestia, propter bestialem vitam : supra eodem in principio capitis, *Et vidi de mare bestiam ascendentem*. Aliter sic. In hoc numero est triplex senarius : scilicet senarius unitatum, senarius denariorum, senarius centenorum. Primus senarius signat perfectionem naturæ quæ sex diebus creatæ fuerunt et completæ. Senarius vero denariorum, signat perfectionem meritorum quæ est in observantia decalogi, cum impletione consiliorum ; quia denarius signat observantiam decalogi, senarius vero, per quem multiplicatur denarius, signat perfectionem ejusdem observantiæ cum additione consiliorum. Senarius vero centenorum signat perfectionem præmiorum, quia consummata perfectio est in præmio. Centenarius autem dicit perfectionem, cujus cumulus signatur per senarium centenorum. Per hunc ergo totalem numerum, signatur quod Antichris-

tus dicet se esse Deum et principium omnis perfectionis, scilicet perfectionis naturæ omnium rerum et perfectionem gloriæ. Hæc est computatio numeri nominis bestiæ. Numerum ergo nominis bestiæ habebit qui ipsum Antichristum credet esse Deum, cui sit ab omnibus secundum omnem gradum vitæ serviendum, et qui possit dare præmia secundum diversos gradus obsequiorum, et qui sit principium sive auctor omnis perfectionis. Ut autem necessitate compulsi cogantur adhærere Antichristo, vel ejus opera agendo, vel nomen ejus portando in ejus denominatione, aut oris expressione, vel fidem ejus tenendo quod sit Deus, prohibebit vendere et emere, nisi assentiant et vel ejus prædicatoribus. Ipse tamen Deus non erit, sed homo; et erit peccator impiissimus: unde Apostolus vocat eum *filium perditionis*, II Thessal. II, *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur aut quod colitur Deus*, et in ipso omnis plenitudo malitiæ et omnis iniquitas abundabit, sicut dicit ibi *Glossa*. Et quod pessimus peccator fuerit, patebit tandem, quando viriliter dejicietur et interficietur a Domino, sive per se, sive per Michaelem. Occidetur autem (ut doctores credunt) in monte Oliveti in papilione et in solio suo, in illo loco contra quem Christus in cœlo ascendit, sicut dicit *Glossa* super illud II Thessal. II, *Quem Dominus Jesus etc.* Quæritur hic, cum multi credant juxta hunc numerum, Antichristum esse Deum, quomodo sapiens poterit cognoscere ipsum esse falsum et impium deceptorem, cui non sit adhærendum, licet multi credant contrarium? Item videtur quod non sint culpabiles qui ei adhærebunt. Cum enim ex una parte sint tormenta, ex alia parte sint miracula multa et magna, ut quod statuam suam faciet loqui et futura prædicere et alia multa signa, cum tamen fideles miracula faciant nulla vel pauca, ex alia parte magna divitiarum et honorum munera, ex alia sanctitatis et perfectionis indicia, non videtur mirum si multi decipiantur. Ergo cum fideles tunc et in miraculis et in aliis videantur inferiores Antichristo, non erit excusabilis qui Antichristum sequetur. Respondeo. Ad primum dicendum, quod licet juxta hunc numerum qui falso Antichristo conveniet, aliqui credant ipsum Deum esse; tamen sapiens homo poterit cognoscere ipsum esse hominem purum, et hoc per ipsum numerum ad ejus opera comparatum. Erit enim crudelissimus, quia crudeliter homines trucidabit et interficiet. Item erit superbissimus. Dignitates enim et honores sæculares exquiret. De Christo autem contrarium legitur, fuit enim piissimus: unde mulierem quæ secundum legem lapidanda erat, prudentissime et piissime liberavit. Joan. VIII; et Matth. V, *Si quis te percusserit in unam maxillam etc.* Item fuit humillimus. Matth. XI, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Item cum vellent eum habere in regem, fugit. Joan. VI. Item in passione humanitatem incomparabilem exhibuit. Philipp. II, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Comparantes ergo numerum ad ejus opera, poterunt cognoscere numerum non signare in Antichristo divinitatem nisi falso. Item ipsum esse purum hominem poterunt cognoscere per Scripturam, quæ Antichristum ostendit esse peccatorem hominem: quod non potest convenire Deo. II Thessal. II, *Et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis etc.* Item per illuminationem internam; quia qui ad Deum toto corde clamabunt recipient internam eruditionem. Psalm.: *Clamavit ad me et exaudiam eum etc.* Ad secundum patet per hoc: licet enim multi cæci fiant ut non intelligant, tamen sapiens poterit percipere ipsum esse pessimum deceptorem ex operibus impiis. Licet enim in multis simulet se sanctum, tamen opera crudelitatis et elationis et alterius nequitiæ multiplicis, manifestabunt qualis ipse erit, si sit qui intelligat. Matth. VII, *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Item ex Scripturis sanctis quæ prædicant ejus nequitiam ut patet in hoc libro et II Thessal. II, et Daniel. VII et XI, et in multis aliis locis. Et hoc multum poterit proficere fidelibus. Unde Isidorus, I lib. *de Summo bono*, exponens illud Matth. XXIV, *Ita ut in errorem inducantur etc.*

Ibunt electi in errorem titubationis ad modicum pro multitudine prodigiorum; sed cito resipiscentes cordis errorem religione coercebunt, scientes prædictum a Domino esse, ut dum hoc fecerint adversarii non conturbentur sancti. Item ex illuminationibus internis, quia Deus suos in adversis non deseret, si ad ipsum confugiant; sed quid credere debeant docebit, scilicet fidem catholicam. Augustinus secundo libro de *Sermone Domini in monte :* « Deus semper paratus est dare suam lucem nobis intelligibilem et spiritualem. » Ad tertium jam patet quod non erunt excusabiles, si Antichristo adhæreant; quia ex his tribus, et forsan ex aliis multis poterit ejus nequitia deprehendi. Et ideo potius tormenta mortis erunt sustinenda quam ei adhærendum.

CAPUT XIV.

Et vidi, et ecce etc. Habito de tribulatione immittenda ab Antichristo, hic agitur de auxilio dando a Christo. Nam sine ejus auxilio impossibile est stare in gratia inter adversa, vel in adversis merendo proficere. Agnus autem adjutor est amabilis et ratione sui, et ratione familiæ, quæ est dignissima et valde nobilis; quæ etiam familia adjuvat hominem in adversis. Unde agitur de Agno adjutore et de ejus familia. Quoniam autem Agnus est tantus et talem habet familiam, ideo sibi famulandum est ab omnibus; ex quo famulatu provenit merces immensa. Unde primo ostenditur auxilium mulieris. Secundo subditur monitio ad famulatum adjutoris, *Et vidi alterum.* Tertio subjungitur ratio ex parte remunerationis, *Et audivi.* Circa primum primo describitur Agnus dator adjutorii. Secundo describitur familia Agni, *Et cum eo.* Agnus autem describitur quantum ad tria. Primo quantum ad misericordiam in redimendo, sub nomine Agni. Secundo quantum ad benevolentiam in adjuvando, *Stabat.* Tertio quantum ad excellentiam in præsidendo, *Super montem.* Describitur ergo quantum ad redemptionem, defensionem et dominationem; et hæc omnia faciunt ad propositum. Dicit igitur, *Et vidit* : quasi dicat : ita vidi tribulationem quæ justis infertur; vidi etiam consolationem adjutorii quod dabitur. Et hoc est *Et vidi*, aspectu interno. Quid autem viderit subdit. *Et ecce*, notat præsentiam et certitudinem visionis; quia vidit sub oculis, quæ sequuntur. Item per hoc potest intelligi promptitudo ejus ad adjuvandum. Isa. LVIII : *Clamabunt, et dicet, ecce adsum. Agnus*, idest Christus ad modum agni pro nobis immolatus; et ideo suis non deerit, quos tam care redemit. I Petri I : *Non corruptibilibus auro vel argento etc. Stabat*, idest stat, *Glossa* ut adjuvans. Stare enim juvantis est. Act. VII : *Vidit gloriam Dei et Jesum stantem.* Et ideo fortiter standum est in adversis. Psal. : *Dominus mihi adjutor, non timebo etc. Super montem Sion*, idest supra Ecclesiam quæ mons est, propter virtutis sublimitatem; mons autem Sion, propter contemplationis speculationem. Sion enim interpretatur specula vel speculum; quia Ecclesia quantum ad justos speculatur Deum oculo fidei et amoris et contemplationis. Psal. *Psallite Deo nostro qui habitat in Sion.* Dicitur autem Dominus stare supra Ecclesiam. Tum quia superior est et dignior tota Ecclesia. Joan. III : *Qui de cœlo venit, super omnes est.* Tum quia præsidet et dominatur Ecclesiæ. Ipse enim Christus rex noster est, etiam inquantum homo; et ideo sicut bonus rex conservat servos. Psal. : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem Sion. Et cum eo.* Hic agitur de familia Agni. Dignitas enim familiæ ostendit quantus sit adjutor iste; et item ipsa familia est in adjutorium : et ideo debet stare homo fortiter in adversis. Describitur autem familia, Primo quantum ad vitæ sanctitatem sub figura illius numeri. Secundo quantum ad excellentiæ dignitatem : *Habentes nomen.* Tertio quantum ad adjunctam jucunditatem, quæ sequitur ex prædictis, *Et audivi.* Dicitur, *Et cum eo*, scilicet cum Agno, erant, idest cum Christo sunt per conformitatem imitationis, et per adhærentiam dilectionis. Non enim dicit *Cum eo*, quasi sint supra Ecclesiam, cum ipsæ virgi-

nes sint de Ecclesia; sed cum eo sunt per animæ sanctitatem. Vel, *Cum eo*, scilicet supra montem Sion scilicet supra Ecclesiam, quantum ad aliquos, qui non habent pretium virginitatis. *Centum quadraginta quatuor millia*; idest virgines in integritate plena abundantes; in pœnitentia, ferventes ad documenta Evangelica, perfecti in perseverantia. Hic enim agitur de familia Agni, quantum ad quædam nobilissima membra Ecclesiæ, scilicet virgines, quæ cum virginitate habent fervorem ad Deum. Beatus enim Joannes virgo fuit, unde recte ei ostensus fuit virginum status. Nota ergo quod per Centum signatur integritas perfectæ virginitatis; quia fructus centesimus est perfectio status virginum. Numerus enim centenarius, quia terminat numero et est numerus completus, signat perfectionem; hic autem specialiter perfectionem status virginitatis, sicut et Matth. xiii. Numerus autem quadragenarius, significat fervidam pœnitentiam; hic est enim numerus pœnitentium; partes enim aliquotæ quadragenarii surgunt in quinquagenarium, qui est numerus remissionis, quæ habetur per pœnitentiam. Licet autem virgines sanctam virginitatem servent tamen propter aliqua venialia pœnitentiam agunt. Per quaternarium signatur Evangelica doctrina, quam attente observant. Per millenarium autem, qui est numerus completissimus, signatur perfectio perseverantiæ, quæ omnia prædicta perficit. Vel, per centenarium perfectio intemeratæ virginitatis, per quadragenarium labor pœnitentialis austeritatis. Per quaternarium fervor Evangelicæ sanctitatis, ut in dispergendis rebus propriis, et calcandis divitiis, et relinquendis, saltem affectu, carnalibus propinquis, et hujusmodi, hæc tria non mutantur. Per millenarium vero, perfectio intimæ charitatis, qua scilicet calent in Deo, quæ informat omnia prædicta; qua etiam diligunt proximum. Isidorus, II libro *de Summo bono*: « Sine amore charitatis, quamvis quisque credat, ad beatitudinem pervenire non potest. » Notandum autem quod licet supra vii, numerus iste significet omnes fideles sub tempore gratiæ, sicut vult ibi *Glossa*, tamen hic signat sanctos virgines in utroque sexu, ut patet ex *Glossa* et etiam et littera sequenti. Hos etiam dicit Gregorius super hunc locum. *Habentes*. Hic describitur familia quantum ad excellentiæ dignitatem, quia scilicet portant nomen sui regis, scilicet Agni, et Patris ejusdem Agni. A Christo enim dicuntur Christiani, et a Deo Patre sunt dii per adoptionem. *Habentes nomen ejus*, scilicet Agni, quia a Christo dicuntur Christiani, hoc est nomen honoris et gratiæ, amoris et novitatis, supra ii: *Et in calculo nomen novum scriptum etc. Et nomen patris ejus*, scilicet nomen Dei Patris, quod est Deus, quia a Deo dici possunt dii. Magna enim vis amoris, quæ nomen ipsius Dei facit amantibus communicari. Psal.: *Ego dixi, dii estis*. Vel, *Habentes nomen ejus*, idest fidem humanitatis. Nomen enim importat notitiam. Et nomen Patris ejus idest notitiam sive fidem divinitatis. Quocumque autem modo dicatur nomen, recte sequitur, *Scriptum*, idest firmiter impressum. *In frontibus suis*, idest in audacia constantia confitendi, quia in publico constanter confitentur. Per frontem enim audacia sive constantia signatur. Non enim sufficit credere corde, nisi et ore exprimatur, cum necesse fuerit. Roman. x: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Unde etiam dicit Nomen ejus et Patris, non proprium sicut quidam de quibus Psal.: *Vocaverunt nomina sua in terris suis*. Genes. xi: *Faciamus civitatem etc*. I Mach. v: *Faciamus et ipsi nobis nomen etc*. Sequitur: *Et facta est plaga magna in populo*. Sic ergo ostenditur dignitas virginum; quia sunt insigniti nomine venerandæ christianitatis; nomine etiam præcelsæ divinitatis, cum constantia confitendi. Sed objicitur, quia hoc convenit omnibus justis; ergo non est laus specialis virginum. Item æque est Filius Deus, similiter et Spiritus sanctus ut Pater; quia tres personæ sunt unus Deus. Augustinus xi libro *de Civitate Dei*: « Et hæc trinitas est unus Deus: » Quomodo ergo nomen deitatis hic attribuitur soli Patri? Respondeo. Ad primum dicendum, quod in omnibus justis magna est dignitatis denominari a nomine regis æterni; specialiter

autem in sacris virginibus secundum utrumque sexum est hæc dignitas excellentior; quia in eis est perfectius res nominis; quia Christo, a quo dicuntur Christiani, perfectius conformantur in incorruptione integritatis; et Deo, a quo possunt dici dii, adhærent altius glutino caritatis : cujus vis facit, ut nihil quærant nisi Deum : cujus etiam caritatis virtus facit ut nomen divinitatis participent; quia caritas est transformare amantem in amatum. Unde Augustinus : « Talis est quisque, qualis sua dilectio : si terram diligis, terra eris : si Deum diligis, quid dicam? Deus eris? Non audeo hoc dicere ex me, sed Scripturas audiamus : Ego dixi dii estis. » Ad aliud dicendum videtur, quod licet æqualiter conveniat tribus personis, nomen divinitatis, et omnia essentialia; tamen quandoque id quod est commune omnibus personis appropriatur alteri ex speciali aliqua ratione. Nomen ergo divinitatis hic attribuitur Patri; quia Pater est aliarum personarum origo, et habent ab ipso divinitatem et omnia. *Et audivi.* Hic describitur status virginum quantum ad jucunditatem adjunctam virginitati et dignitati. Hæc autem jucunditas signatur sub Cantico Canticorum II. Quoddam internum est tripudium jucunditatis. Sic autem proceditur. Primo describitur tripudium internæ jucunditatis. Secundo ostenditur convenire solis inviolatis, *Et nemo poterat.* Circa primum sic proceditur. Cum enim isti cantatores sint in statu sublimi, et sint ex diversis populis collecti; sit etiam eorum status jucundus, impiis in utilem terrorem; vigilent etiam circa carnis mortificationem, et habeant jucunditatem veram et novam, et hoc ante Deum et majores Ecclesiæ : Ideo primo describitur canticum internæ jucunditatis quantum ad status sublimitatem. Secundo, quantum ad cantantium multiplicitatem, *Tamquam vocem.* Tertio quantum ad consequentem utilitatem, *Et tamquam vocem.* Quarto quantum ad profectus sedulitatem, *Et vox.* Quinto, quantum ad ipsius jucunditatis qualitatem. *Et cantabant.* Sexto, quantum ad loci congruitatem, *Ante sedem.* Hæc enim omnia ad easdem personas, scilicet ad virgines videntur referri, et de voce cantici interni, scilicet gaudii intelligi. Cum enim primo de voce tangat, nullam aliam subjungit, nisi vocem cantici, cum subdit. *Et cantabant.* Dicit igitur, *Et audivi :* quasi dicat : ita vidi familiam Agni cum Agno : Audivi etiam vocem interni gaudii. Et hoc est quod dicit, *Et audivi,* auditu interno, *vocem*, scilicet interni cantici cum desiderio adjuncto : de qua voce sequitur infra, *et cantabant etc.* Gaudium enim internum vox est quædam cantici spiritualis, maxime quando est cum desiderio intimo, Ephes. V : *Cantantes et psallentes in cordibus vestri Domino.* De cœlo, idest ab illis virginibus egredientem. *Glossa* : « Ab illis qui cum eo erunt. » Dicuntur autem virgines cœlum propter status sublimitatem et meritorum claritatem. Unde Isidorus II libro *de Summo bono :* « Non dubium quod qui caste perseverant et virgines, Angelis Dei similes efficiantur æquales. » *Tamquam vocem aquarum multarum*, idest quasi vocem populorum multorum; quia sancti virgines de multis populis divina gratia colliguntur. Aquæ autem multæ signant populos multos; quia homines per se labiles sunt et defectibiles; quos tamen Dominus solidat, cum ei adhærent. Et per hoc manifestatur divina bonitas quæ tantam societatem virginum congregat et solidat, licet tales pauci sint respectu aliorum. De hujusmodi aquis, infra XVII : *Aquæ, quas vidisti, populi sunt. Et tamquam vocem tonitrui magni.* Attende tenorem visionis, audiebat enim quamdam vocem quasi tonitruum : per hoc signatur quod jucunditas quæ est in virginibus et etiam in aliis justis, generat terrorem utilem in impiis, qui statum suum videntes, et cordis amaritudinem sentientes; et e contrario veram jucunditatem justorum quæ exterius per signa, verba, et opera manifestatur, considerantes; utiliter terreri possunt. Gregorius *in Gregoriano* : « In via Dei a timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via sæculi timor debilitatem, ita in via Dei timor fortitudinem gignit. » *Et vocem.* Hic describitur vox internæ jucunditatis, quantum ad profectus sedulitatem. Sacræ enim vir-

ginum, qui Agno ferventer cohærent, carnem suam sæpe mortificant ut thesaurum non perdant, et ut semper in merito proficiant. Unde dicit, et vox, *Quasi tonitrui magni*. Modus loquendi est sæpe in Scriptura, erat, *Sicut citharœdorum* : idest vox interni gaudii virginum, in via, est sicut melodia citharœdorum idest hominum, qui cum cithara dulciter sonant, *Citharizantium in citharis suis*. Nota quod in cythara est lignum et chordæ convenienter et apte supra lignum extensæ. Per lignum crux Christi, per chordas singula membra corporis, vel ipsa chorda. Hæ chordæ super lignum extenduntur, quando ad imitationem Dominicæ crucis, per devotam meditationem jacent extensæ cogitationes, et affectiones mentis Matth. x, *Qui non accipit crucem suam etc.* Qui ergo carnem suam mortificant sunt optimi citharœdi, quia canticum jucunditatis internæ, cum qua se mortificant, et laus qua Deum magnificant, quia fiunt cum cithara, idest carnis mortificatione devota, dulciter resonant, quasi dulcis melodia cytharæ in auribus Dei citharœdus ergo est qui per internam jucunditatem, vel per divinam laudem, cum carnis mortificatione Deo cantat. Tales citharizant in citharis suis, idest suavem Deo melodiam reddunt, dum intimo gaudio jucundantur in mortificationibus propriis. Dicit autem, in citharis suis, idest in mortificationibus suis, austeritatibus propriis, non alienis; contra illos, qui semper petunt communicationem meritorum, et suffragia orationum : et ipsi cytharizare nolunt, idest per jucunditatem mentis cum carnis mortificatione. Galat. II, *Christo confixus sum cruci*. Hoc autem valde est necessarium virginibus : scilicet mortificatio carnis; quia virginitas facile amittitur. II Corinth. IV, *Habemus thesaurum istum*. Gregorius etc. in *Gregoriano* : « Peccata carnis ignorantes, tanto sollicitius debent præcipitem metuere ruinam, quanto altius stant. » *Et cantabant*. Hic ostenditur qualitas jucunditatis virginum : quia est jucunditas vera et innovans et quæ non veterascit. Ostendit autem quæ est illa vox de qua præmisit : unde dicit : *Et cantabant*, idest sacri et sacræ virgines cantant, *Quasi canticum novum*, idest de integritate corporis et animæ exultant : quæ exultatio est comparabilis cantico exteriori novo; quia jucunditas est quoddam canticum interius quod æquivalet vel præfertur cantico exteriori. Unde dicit, *Quasi canticum novum*. Vel dicit, *Quasi canticum novum*, quia jucunditas gratiæ in via imperfecta est, similiter et novitas. In patria vero jucunditas erit canticum mentis perfectum, et novitas plena, quando nulla omnino erit vetustas. Dicitur autem novum, quia gaudium non veterascet, sicut dicit *Glossa*, sed semper erit novum. In futuro enim conservabitur et illa erit aureola virginum; quia specialem gloriam honoris et gaudii in patria obtinebunt præ aliis. Unde Isidorus, II libro *de Summo bono* : « Virgines in vita æterna feliciores erunt. » Et probat hoc per illud quod legitur Isaiæ LVI : *hæc dicit Dominus Eunuchis, dabo eis melius nomen a filiis et filiabus, nomen sempiternum dedi eis, quod non peribit. Ante sedem*. Hic ostenditur congruus locus hujus cantici, quia scilicet jucundantur ante sedem, idest ante Angelos in quibus Deus sedet, quibus se per virginitatem conformant, et quorum societatem expectant. Item ante majores de Ecclesia quorum auxilio stant : quasi dicat : cantant virgines per jucunditatem mentis; et hoc ante sedem, idest in præsentia Angelorum. In quibus Deus sedet. Hoc potest intelligi tum quia Angeli assistunt maxime sanctis virginibus, et eos custodiunt; unde cum virgines gaudent de flore virgineo, et quod tam nobiliter adhærent Christo; sic gaudere est ante Angelos, qui eos custodiunt, cantare. Hieronymus : « Angelis semper est cognata virginitas : » tum quia gaudentes de tam nobili statu, cogitant se Angelis sociandos; et sic in interna jucundatione et consideratione, quasi ante Angelos cantant. *Et ante quatuor animalia*; idest ante prædicatores; qui dicuntur animalia, quia animati sunt, idest vivi, vita gratiæ et sapientiæ divinæ, et alios animant, idest vivificant. Item quia sub figura animalium describuntur quatuor; quia per quatuor partes orbis præ-

dicant. De hoc plenius dictum est supra iv. *Et seniores*, idest ante pastores, qui maturitate vitæ et virtute doctrinæ et auctoritate officii, alios regunt. De his supra iv, Quasi dicat : ante de proprio statu jucundantes se per doctrinam prædicatorum et regimen pastorum et merita utrorumque juvari considerant; et de hoc simul gaudent, et quasi patronos sui meriti, amplexantur mente. ii Corinth. i, *Gloria vestra sumus, sicut et vos nostra.* Aliter possent prædicta intelligi ut referrentur ad diversas personas, sicut aliqui exponunt; et *Glossa* videtur aliquid tangere, licet parum et obscure. *Et audivi vocem*, idest admonitionem sive prædicationem, *Exeuntem de cœlo*, idest de prædicatoribus vita et doctrina claris et altis. *Tamquam vocem aquarum multarum;* quia vox prædicationis sumitur de aquis multis sacræ Scripturæ, mundativis et fecundativis. Canticorum iv, *Fons hortorum, puteus aquarum viventium.* Potest autem hæc vox intelligi prædicatio, quæ fit virginibus, ut humiliter vivant et perseverent in proposito sancto. Augustinus in libro *de Sancta virginitate :* « Hoc agite virgines Dei, humiliter ad humilem venite, si amatis; et ne discedatis ab illo ne cadatis. » Vel prædicatio quæ fit et fiet tempore Antichristi fidelibus, ut in adversis persistant. Ecclesiastici ii, *Sustine sustentationes Dei, conjungere Deo et sustine etc.* Et tamquam vocem tonitrui magni; quia prædicatores terrent eos qui virginitatem vovent, nec servant. Ecclesiastes iv, *Displicet ei stulta et infidelis promissio; sed quæcumque voveris redde.* Vel quia terrent eos qui in adversis succumbunt, vel eos qui ad talis familiæ consortium venire negligunt. Supra iv, *Et de throno procedunt fulgura, et voces et tonitrua. Et vox quam audivi, erat sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis;* quia vox prædicatorum, per hoc est acceptabilis et efficax, quod scilicet carnem suam mortificant sicut alios docent : expone ut supra, quantum pertinet ad propositum. I Corinth. ix, *Castigo corpus meum et in servitutem redigo etc. Et cantabant* : hoc refertur ad virgines de quibus præmiserat, *Et cum eo centum quadraginta quatuor millia*, et expone de virginibus ut prius. Notandum quod triplex est status excellens secundum meritum in Ecclesia, scilicet Prædicatorum, Martyrum, et Virginum : quibus redditur in patria triplex aureola propter triplicem incorruptionem : scilicet propter incorruptionem virginitatis, quo ad rationalem; propter incorruptionem magnanimitatis, quo ad irascibilem; propter incorruptionem carnis, quantum ad concupiscibilem. Primus est Prædicatorum, secundus est Martyrum, tertius Virginum : hunc triplicem statum signant quædam in verbis præmissis. De Prædicatoribus agitur cum dicitur : *Et audivi vocem etc.:* de Martyribus cum sequitur, *Et vocem quam audivi.* Tamen si hoc intelligitur de martyribus, oportet referri ad Prædicatores, qui fiunt martyres; quia cum dicit, *Et vocem quam audivi*, de illa voce loquitur de qua dixerat, *Et audivi vocem de cœlo etc.* De virginibus agitur cum subditur, *Et cantabant.* Præmissa igitur verba ab illo loco, *et audivi vocem etc.*, possunt intelligi de virginibus totaliter, sicut series in contextu litteræ innuere videtur ut primo dictum : vel possunt secundo modo intelligi, partim de prædicatoribus, quorum vox est doctrina prædicationis, qui sunt citharœdi inquantum mortificant se ipsos, vel inquantum martyrium sustinent : partim de virginibus, quæ cantant in cordibus suis Domino, dum in Deo jucundantur et ei gratias agunt, et ejus magnitudinem et bonitatem mirantur. Canticum autem præmissum, secundum *Glossam*, est exultatio cordis : tamen quandoque est canticum oris; quia quandoque in laude vocali vel verbo exteriori manifestant gaudium mentis. *Et nemo.* Descripto cantico internæ jucunditatis, hic ostenditur convenire solis inviolatis : et hæc est ipsorum prærogativa, quam habent ex virtute passionis Dominicæ, et ex merito perfectionis propriæ. Primo ergo ostenditur virginum prærogativa. Secundo prærogativæ causa, *Qui empti.* Hæc autem causa ostenditur duplex : scilicet virtus Dominicæ passionis, et meritum suæ perfectionis : de qua dicitur, *Hi sunt qui.* Dicit igitur, *Et nemo*, idest nullus homo in utroque sexu, *poterat*,

idest potest dicere canticum, idest illam mentis jucunditatem habere. Gaudere enim in Domino cantare est. Coloss. III, *In gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Nisi illa centum quadraginta quatuor millia*, idest virgines perfecti pudicitia, ferventes in pœnitentia, florentes in sanctitate Evangelica, stabiles perseverantia; sive perfecti caritate intima, ut supra expositum est: quasi dicat: Soli virgines, qui cum virginitate habent vitæ perfectionem, habent prærogativam hujus gaudii procedentis de integritate corporis et mentis. Gloria autem hujus gaudii inchoatur hic; in futuro autem perficietur, quando virginitatis aureolam obtinebunt. Pro præsenti autem videtur hic loqui principaliter; licet hoc perfectius in patria compleatur. Augustinus in libro *de Sancta virginitate*: « Gaudia propria virginum Christi, non sunt eadem non virginum Christi: Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. » Ex hoc patet, quod in via et maxime in patria habent virgines specialem gaudii prærogativam. Sed objicitur, quia secundum Augustinum: « Cœlibatus Joannis non præfertur conjugio Abrahæ »: ergo si quis recte vivat in conjugio, non præfertur ei alter virginitatem servans. Item per conjugium multiplicatur numerus electorum, non per virginitatem: ergo conjugium prævalet. Item multi qui non sunt virgines, ardentiores sunt in Deo, quam multi virgines: ergo majus præmium habebunt, cum charitati respondeat præmium. Respondeo. Ad primum dicendum quod his temporibus, quando jam ex omnibus Gentibus colligi possunt homines qui salventur, virginitas longe melior est conjugio, etiam si quis recte in conjugio vivat, sicut dicit Augustinus in libro *de Sancta virginitate*. Ratio est, quia conjugii non est nunc illa necessitas quæ olim fuit; et magna est sinceritas virginitatis ac dignitas quæ valde Deo placet. Unde Augustinus in *eodem libro* dicit: « Jure divino contingit connubio et nuptiis, quod pia virginitas anteponitur. » Ad objectum dicendum, quod hoc dicit Augustinus ratione temporis et personæ; quia tempore Abrahæ erant pauci cultores Dei, unde tunc conjugium fidelium necessarium fuit. Item ipse Abraham temperate utebatur conjugio, et propter amplificationem cultus divini. Nunc autem magna est copia fidelium; unde plus placet Deo jam fructus mentis quam ventris. Ad aliud jam patet; quia etsi per virginitatem non fit procreatio hominum carnalis, fit tamen spiritualis; et per eam multiplicatur spiritualiter numerus electorum; quam Deus nunc plus diligit quam aliam. Augustinus in libro *de Sancta virginitate*: « Virginalis integritas angelica portio est; cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. » Ad aliud dicendum quod, sicut in patria est duplex præmium, scilicet aurea, quod est præmium substantiale, et aureola quod est præmium excellens accidentale; ita in via potest esse duplex meritum, scilicet meritum aureæ et aureolæ. Meritum aureæ consistit in charitate et actu charitatis; meritum aureolæ in aliquo bono voluntario, conjuncto charitati, ut in virginitate, prædicatione et martyrio, quando adest charitas sine qua nullo omnino est meritum. Dicit igitur quod multi qui non sunt virgines habebunt majus gaudium sive præmium aureæ, scilicet in visione et fruitione divina, sicut habent hic majus meritum quam multi virgines, ratione majoris charitatis in qua vivunt; tamen virgines, sive sint majoris charitatis sive minoris, habebunt præmium aureolæ pro virginitate quod alii non habebunt, cujus aureolæ meritum jam habent. *Qui*: hoc refertur ad substantivum subintellectum in eo quod dicitur centum quadragintaquatuor millia, scilicet homines, *Empti sunt*, pretio sanguinis Christi, *De terra*, idest de vanitate terrena: quasi dicat: ad statum virginitatis sunt elevati de vilitate status mundani per virtutem sanguinis Christi. Primæ Corinthiorum VI: *Empti enim estis pretio magno*. Sed nonne empti fuerunt omnes quando Dominus passus est? hic autem dicuntur empti, quando de statu mundano assumuntur. Respondeo. Dicendum videtur quod in passione fuerunt carnaliter sive secundum sufficientiam; sed non statim ad omnes transiit emptio per efficaciam quia nec dispositi erant, nec

multi adhuc jam nati; per baptismum autem et alia sacramenta transiit hæc emptio ad homines secundum efficaciam, quia tunc passio efficaciam habet in eis. Amplius autem transiit per efficaciam prædicta emptio ad homines, quando quibusdam merito Dominicæ passionis datur cum efficacia gratia ad servandam virginitatem. Quia igitur emptio facta in passione secundum causam sive secundum sufficientiam in assumptione hominis ad virginitatem servandam habet excellentem efficaciam ; ideo dicuntur virgines empti quando sunt de terrenis vanitatibus elevati. Item objicitur, quia cum omnes electos Dominus redemerit secundum sufficientiam et etiam secundum efficaciam, suo tempore dandam ; si ex virtute passionis est assumptio ad observantiam virginitatis ergo qua ratione datur quibusdam observantia virginitatis, et aliis non ? Respondeo, dicendum quod omnibus electis datur efficacia emptionis quantum ad præmium aureæ, quia hoc est præmium necessitatis : et similiter hæc efficacia est necessitatis : non tamen omnibus datur efficacia illius emptionis factæ per sanguinem Dominicum, quantum ad præmium aureolæ, quia hoc est præmium excellentiæ seu dignitatis, non necessitatis ; similiter et ipsa efficacia. Meritum ergo et præmium aureolæ, dat omnibus electis, sed quibus vult et quando et quomodo vult, secundum convenientissimam distributionem, quam ordinatissime facit sua sapientia. Quare autem potius dat hanc gratiam isti quam illi, ipse novit, qui suaviter omnia disponit. *Hi sunt.* Hic ostenditur secunda causa præmissæ prærogativæ ; scilicet meritum perfectionis. Perfectio autem virginum describitur Primo quantum ad incorruptionem ex parte corporis vel operis. Secundo quanto ad incorruptionem ex parte oris, *Et in ore.* Tertio quantum ad incorruptionem ex parte cordis, *Sine macula.* Circa primum primo ostendit integritatis sinceritatem. Secundo adjunctam dignitatem. *Hi sequuntur.* Dicit igitur, volens ostendere quod recte eis solis dabitur prærogativa præmii specialis, quod jam est in eis inchoatum, *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Ad litteram, per hoc patet, quod actus carnalis inquinat. Item ex hoc innuitur, quare Deo placet virginitas ; scilicet propter pulchritudinem sinceritatis. Isidorus II libro *de Summo bono :* « Castitas est inviolata pulchritudo Sanctorum, castitas sinceritas mentis, sanitas corporis : luxuriosa namque vita carnem cito debilitat, fractamque celeriter ad senectutem ducit. » Quod autem dixit, subdens manifestat : *Virgines enim sunt*, et ita incoinquinati. Augustinus in libro *de Sancta virginitate :* « Virginalis integritas est in carne corruptibili, perpetuæ incorruptionis meditatio. Felix qui virginitatem amplectitur, quia Deo est accepta. » Unde supra dictum est, quod virgines etiam in statu viæ sunt cum Agno, quia per gratiam ei conjuncti sunt et per conformitatem uniti. Item in se pulchra. Item homini oblectativa. Unde Isidorus II libro *de Summo bono :* « Amanda est pulchritudo castitatis, cujus delectatio pulchrior invenitur quam carnis. » Item excellenter honorata. Repræsentat enim quodammodo statum gloriæ. Unde beatus Bernardus in *Epistola ad Erricum :* « Sola est castitas, quæ hoc mortalitatis tempore, statum quemdam immortalitatis et gloriæ repræsentat, in qua non nubent neque nubentur. » Item eminenter fructificat, quia acquirit divinam familiaritatem in statu viæ : unde beatum Joannem familiarius diligebat Jesus, sicut sæpe dicitur de Joanne in cujus sinu recubuit in cœna. Joan. XIII. Item meretur præcipuam familiaritatem ; unde jam dictum est quod soli virgines cantabunt illud canticum. Unde Augustinus in libro de *Sancta virginitate :* « Pergite sancti Dei pueri ac puellæ, pergite perseveranter ; in fine vos afferetis ad nuptias Agni canticum quale nemo poterit dicere nisi vos. » Sed objicitur de hac quod virgines ita hic extolluntur, quantum ad meritum, cum tamen multi et multæ virgines non tantum corpore sed etiam mente sunt steriles. Unde Isidorus in II libro *de Summo bono :* « Multi sunt reproborum qui carnalis copulæ contagium nesciunt ; qui sicut infecundi corpore, ita steriles manent mente. » Item quæ

sunt quæ concurrunt ad meritum virginitatis? Respondeo. Notandum quod virginitas, ad hoc quod sit digna illo præmio, debet esse recta intentione, ut scilicet non appetatur gloria mundana. Virgines enim fatuæ non habentes oleum, idest lætitiam rectæ intentionis, excluduntur a regno. Isidorus : « Virgines apud homines de suis meritis gloriantes hypocritis comparantur. » Item fecunda operatione. Unde Gregorius in quadam homilia : « Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum est opus sine castitate. » Item lata integritate, ut scilicet sit in mente et carne. Unde Isidorus *in eodem* : « Nihil prodest incorruptio carnis, ubi non est incorruptio mentis. » Et de tali virginitate dicitur hic. Item fervida vel informata caritate : unde beatus Bernardus *ad Ericum* : « Castitas sine caritate, nec pretium habet nec meritum. Castitas sine caritate, lampas est sine oleo ; subtrahe oleum, lampas non lucet ; tolle caritatem, castitas non placet. » Item subnixa humilitate, ut scilicet apud se non superbiat de tanta excellentia. Augustinus *de Sancta virginitate* : « Non solum prædicanda est virginitas ut ametur, verum etiam monenda ne infletur. » Item *in eodem* : « Pergite virgines viam sublimitatis, pede humilitatis. » Ad primum patet ; quia non loquitur de omnibus virginibus, sed de his in quibus virginitas habet debitas conditiones. Patet etiam ad aliud. *Hi sequuntur*. Hic ponitur dignitas adjuncta integritati, quæ est duplex. Una dignitas consistit in Christi conformitate. Secunda in excellentiæ sublimitate, quia præ aliis excellentiam habent. Prima dignitas est in comparatione ad Christum. Secunda in comparatione ad aliorum statum : unde sequitur : *hi empti sunt*. Dicit igitur : *Hi*, scilicet virgines. *Sequuntur*, per imitationem. *Agnum*, idest Christum pium innocentem et pro hominibus victimatum. *Quocumque ierit*, idest quocumque ambulaverit per virtutem exempli. Licet enim nunc Agnus non ambulet in actibus quos egit in carne mortali, tamen ambulat quantum ad virtutem exempli. Exempla enim quæ olim exhibuit ipse actu, nunc ostendit fidelibus per fidem, per Scripturam, per gratiam, per affectum imitandi, quem eis præbet : et sic quasi ambulat ante fideles ut ipsum sequantur per imitationem. Ipsum autem, quocumque ambulet, per virtutem exempli sequuntur virgines. Imitantur enim ipsum in actibus omnium virtutum, ut in caritate ad Deum et proximum, in pietate, prudentia, fortitudine, justitia, in contemptu mundanorum quæ relinquunt, vel secundum rem ut viri religiosi, vel secundum affectum. Item in carnis mortificatione ; et sic quasi quamdam mortem sive martyrium sustinent. Item sequuntur eum itinere virginali per quod ambulavit Christus. In aliis etiam ipsum sequuntur, secundum quod congruit humanæ infirmitati. Et notandum quod in aliis possunt eum sequi alii etiam conjugati, præter excellentiam virginalem in qua soli virgines eum sequuntur ; et ideo ipsi soli eum sequuntur quocumque ierit : unde Augustinus in lib. *de Sancta virginitate* : « Ecce ille Agnus graditur in itinere virginali ; vos ergo, vos ite post eum virgines ejus, quia propter hoc unum quocumque ierit sequimini eum. Ad quodlibet enim aliud sanctitatis donum quo eum sequantur hortari possumus conjugatos. » Sed objicitur de hoc quod dicitur : *Sequuntur Agnum quocumque ierit*. Quia autem actu redimendi genus humanum non imitatur eum, cum hoc ad solum mediatorem pertineat. Item non omnes virgines sustinent mortem pro Deo : item non omnes virgines prædicant, sicut Christus prædicavit. Item in virginitate Christi non fuit inordinatio aliqua carnis vel mentis. Item objicitur de hoc quod dicitur : *Quocumque ierit* : quia Christum ire est operari actum virtutis in exemplum imitationis fidelibus. Sed hoc fuit ante passionem et in ipsa passione ; nunc autem non sic, quia nunc non sustinet aspera, non fatigatur, non esurit, non sitit, non flagellatur, et sic de aliis multis ; ergo tunc ivit, non nunc ; quid ergo est quod dicitur : *Quocumque ierit ?* Respondeo. Ad primum dicendum, quod homo dicitur Christum sequi in quibus Christus Dominus ante eos ivit in ducatum exempli, ut sunt actus virtutum. Non autem fecit

redemptionem, ut redemptionem, in exemplum humanæ redemptionis, sed in efficaciam liberationis. Ipsa tamen passio per quam facta est redemptio datur homini in exemplum mortificationis vel sustinentiæ passionis cum est necessitas. Ad secundum dicendum, quod hæc imitatio intelligenda est secundum quod congruit homini : unde non est per æqualitatem ; et ideo non oportet omnes virgines mortem subire pro Christo, nisi in casu necessitatis. Sequuntur eum in passione quantum ad carnis mortificationem, quæ est quasi quædam mors et martyrium. II Corinth. iv, *Mortificationem Jesu Christi semper in corpore vestro portantes*. Item hæc imitatio videtur intelligenda quantum ad actus virtutum, ut supra expositum est, non necessario quantum ad actus dogmatum sive officiorum Ecclesiasticorum, qualis est actus docendi sive prædicandi. Item videtur hæc imitatio intelligenda de actibus quæ respiciunt hominem pro sua persona, non necessario de eis quæ sunt principaliter respectu alterius, ut est docere et hujusmodi. Item etsi multi virgines non prædicant verbo, docent tamen exemplo. Ad aliud patet quod non est hæc imitatio secundum æqualitatem, sed secundum quod homini congruit juxta possibilitatem humanæ infirmitatis. Licet autem aliqua inordinatio venialis contingat in mente vel carne virginum, tamen in eis qui veri virgines sunt, remanet integritas virginitatis. Ad aliud dicendum, quod dupliciter dicitur ambulatio Christi spiritualis de qua est sermo : scilicet vel actualiter vel virtualiter. Actualiter ivit per viam justitiæ sive per actum virtutis dum esset in carne mortali. Virtualiter autem nunc usque ad finem ambulat ante fideles, ut supra expositum est : scilicet quia per virtutem Christi, quam in carne mortale exhibuit : et hunc per fidem et Scripturam et gratiam et affectum imitandi ostendit, quasi dux præcedit et homines excitat ad sequendum : supra ii, *Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*. Primo modo objicitur. Secundo autem modo videtur hic accipi. *Hi empti sunt*. Ostenditur hic alia dignitas, quia scilicet alios justos excellunt. *Hi empti sunt*, idest per virtutem emptionis factæ sanguine Christi et ejus passione, per quam sumus empti in servos ipsius Dei. *Ex omnibus*, scilicet nationibus vel populis, tam ex Judæis quam Gentibus ; quia ex diversis nationibus assumuntur sacri et sacræ virgines : unde *vox eorum* dicitur *vox aquarum multarum*. Supra eodem. *Empti inquam*, *sunt Primitiæ*, idest ut sunt primi et excellentes alios. *Deo*, scilicet Patri, *Et Agno*, scilicet Christo ; idest ad honorem Dei Patris et ad honorem Christi hominis quem sequuntur virgines virginem. Ex hoc ostenditur quod virgines sunt magis jucundi et grati Deo quam alii, sicut primitiæ sanctorum, ut primitiæ fructuum gratantius accipiuntur, ut tangit *Glossa*. Augustinus in lib. *de Doctrina christiana :* « Nunc vobis o virgines sermo est, Ecclesiastici generis decus et ornamentum gratiæ spiritalis, honoris opus integrum atque incorruptum, imago Dei, illustrior portio gregis Christi. » Per hoc autem quod dicitur, *empti*, ostenditur quanta vigilantia servari debeat donum Dei quod nobis emit Agnus Sanguine suo. Augustinus : « Ex quo me Christus emit, non me vendam ; ne qui sanguine Christi sum redemptus, venalis fiam. » Sed quomodo dicuntur virgines primitiæ quasi habentes præcellentiam supra alios, cum secundum majorem caritatem sit major excellentia et acceptabilitas apud Deum ? cum secundum Apostolum caritas sit major virtus et excellentior via ? I Corinth. xiii. Multi autem qui virgines non sunt, habent ad Deum caritatem majorem quam virgines multi. Item cum status prædicatorum et martyrum sit altus, quare non dicuntur primitiæ ? Item objicitur quia dicitur I Corinth. xv, *Primitiæ Christus :* hoc autem dicitur in laudem Christi ; ergo nulli alii convenit. Respondeo. Ad primum dicendum : qui habent majorem caritatem sunt Deo gratiores, quantum ad meritum aureæ : virgines autem quantum ad meritum aureolæ, quod consistit in integritate virginitatis quæ valde placet Deo. Ad aliud dicendum, quod homo non est ad prædicationem vel meritum idoneus, nisi in adulta ætate ; virginitas autem

servatur ab infantia, sed non est virginitas, et ideo petit universalitatem temporis, et ideo quantum ad hoc habet virginitas excellentiam. Item virginitas de sua ratione importat quamdam acceptabilitatem potius quam prædicatio vel martyrium : unde recte potius virgines dicuntur primitiæ justorum. Non tamen dico virginitatem supra excellere martyrium, sed quantum ad aliquid. Augustinus in libro *de Sancta virginitate* : « Nemo, quantum puto, ausus fuerit virginitatem præferre martyrio. » Ad aliud dicendum, quod Christus simpliciter est primitiæ, et quantum ad omnem conditionem laudabilem et respectu omnium hominum : virginesque sunt primitiæ, quantum ad gratiam virginitatis et respectu emptorum. Item Christus in verbis Apostoli dicitur primitiæ quantum ad prioritatem resurrectionis : virgines autem dicuntur hic primitiæ quantum ad integritatem incorruptionis. *Et in ore eorum non est inventum mendacium*, per violationem ejus quod in verbo promiserunt, per se vel per alios : quia pactum baptismi servaverunt quantum ad corporis integritatem et ultra promissum : et si in aliis fuit mendacium in ore ipsorum, non tamen mansit. Vel mendacium erroris qui frangit integritatem mentis, vel aliquod aliud, non est inventum jam deletum ex quo Deo adhæserunt, quia scilicet sic deletum est ; et ideo non est inventum. *Glossa* : « In illis invenitur in quibus manet. » Prov. x. *Universa delicta operit caritas*. Ecce quantum placeat Deo labium verax. Psalm.: *Ecce enim veritatem dilexisti*. *Sine macula*, scilicet mentis et per consequens operationis. *Sunt*, ut ex omni parte sunt mundi. Cantic. iv, *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. *Ante thronum Dei*, idest ante Deum judicem, secundum *Glossam*, quia thronus sedes est judicis. Exhibent enim se immaculatos in præsentia Dei qui ubique est et omnia videt et omnia merita judicabit. Vel hoc dicitur, quia Deus qui omnia judicat et disponit, acceptat eorum sinceritatem quæ in corde est et operatione. Psalm.: *Beati immaculati in via* : et intelligatur hoc de malitia peccati mortalis intus et extra. Loquitur autem de virginibus qui multum in via meriti processerunt. Psalm : *Et ero immaculatus coram eo*. Magna igitur est consolatio de Agno qui stat promptus ad juvandum et qui talem et tam nobilem habet familiam ; et ideo propter aliqua adversa vel tentamenta non est ab Agno recedendum. Item ipsa familia suis meritis et suffragiis juvat eos qui vexantur adversis. *Et vidi alterum*. Ostenso auxilio mulieris, hic subditur admonitio ad famulatum auxiliatoris. Sed quia sunt quædam quæ hunc famulatum impediunt ; ideo primo fit admonitio ad exhibendum famulatum. Secundo ponitur motivum ad tollendum impedimentum, *Et alius Angelus*. Circa primum Primo ponitur descriptio monitoris, sive prædicatoris. Secundo subditur forma sive modus monitionis, *Timete*. Admonitor autem describitur Primo quantum ad officii auctoritatem sub nomine Angeli. Secundo quantum ad vitæ sublimitatem, *Volantem*. Tertio quantum ad informationis communitatem, *Per medium*. Quarto quantum ad doctrinæ dignitatem, *Habentem Evangelium*. Quinto quantum ad intentionis sinceritatem, *Ut evangelizaret*. Sexto quantum ad zeli vivacitatem, *Dicens voce magna*. Dicit igitur : *Et vidi* : quasi dicat : talis est Agnus et talem habet familiam : unde Agno famulandum est et ejus familiæ adhærendum : et hoc per revelationem mihi factam intellexi debere fieri et debere per prædicatores annunciari. Et hoc est, *Et vidi alterum Angelum*, idest ordinem prædicatorum : unus enim ordo prædicatorum, qui scilicet prædicant glorificare Deum et famulari, signantur nomine Angeli ratione auctoritatis. Angelus enim interpretatur nuntius. Non enim debet prædicare qui non est institutus ad annuntiandum, quemadmodum indicat Apostolus, Rom. x : *Quomodo prædicabunt nisi mittantur* ? Quando autem est jam factus Angelus per auctoritatem et vitæ rectitudinem, debet currere et nuntiare. Isa. xviii, *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam et dilaceratam, ad populum terribilem etc.* Iste autem Angelus est alter ab Angelo præmisso, scilicet Christo,

quia inferior est eo et ejus est nuntius. Ipse enim Christus Angelus est magni consilii, supra x, *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo etc. Volantem*, idest elevantem se a terrenis, alis virtutum, et sic in meritis velociter progredientem ad modum avis volantis. Hoc enim nomen ad prædicatores pertinet. Isa. xl, *Qui sunt isti qui ut nubes volant? Per medium cœlum*, idest communiter per omnem Ecclesiam, quæ cœlum debet esse per altitudinem et claritatem meritorum. Medium enim communitatem notat. Omnibus debet prædicator lucere per exemplum ; et sic omnes informare debet per verbum ; quia communitas ædificationis per exemplum, parat viam ad communitatem informationis per verbum. Hoc est contra eos qui non curant de exemplo nisi ad quosdam, ut ad divites vel nobiles; nec prædicare dignantur, nisi multitudini magnæ. Eccles. xv, *In medio Ecclesiæ aperiet os ejus etc.* Vel, Per medium cœlum, idest per mediam Scripturam, scilicet non declinando ad extrema, scilicet vel ad dexteram adulationis, vel ad sinistram objurgationis. Item non ascendendo nimis per curiositatem, nec descendendo nimis per ignotorum inutilem manifestationem. Ezech. i, *Unumquodque duabus alis velabat corpus suum.* Duæ alæ sunt duæ conditiones quæ debent prædicatorem dirigere scilicet circumspectio contra præcipites, et mansuetudo contra fulminantes et cum iracundia docentes. Scriptura autem recte dicitur cœlum, quia celat in se divina secreta. Item clara est per continentiam claritatis cœlestis. Item alta et solida, quia cassari non oportet veritas catholica. Supra vii, *Et cœlum recessit etc.* Aliqui libri habent, Per medium cœli : idem sensus est, idest per medium Ecclesiæ vel Scripturæ, ut scilicet communiter Ecclesia exemplo prædicatorum ædificetur et verbo informetur, et in Scriptura medium rectitudinis teneatur : ut dictum est supra viii, *Audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœlum est. Habentem Evangelium*, idest Evangelicam doctrinam bona salubria annuntiantem. Evangelium enim dicitur bonus nuntius, sive bona annuntiatio, scilicet eorum quæ sunt salubria ; idest prædicatio salutis dicitur Evangelium. *Æternum,* per effectum, idest æterna promittentem et suos observatores ad æterna ducentem, ut dicit *Glossa*. Lex autem vetus promittebat temporalia. Isa. i, *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis.* Hoc Evangelium habet prædicator, quando scientiam eorum quæ debet annuntiare simul cum vita consona doctrinæ tenet. Alioquin habet et portat litteras Uriæ, quando scilicet doctrinam salutis, quæ hic dicitur Evangelium, habet in cognitione et sermone, non in opere. II Reg. xi, habetur de litteris Uriæ. De scientia Isidorus, III lib. *de Summo bono :* « Desinat locum docendi suscipere qui nescit docere. » De vita, Idem in eodem : « Indigne vivens aliis quidem utilis est docendo, se autem interficit prave vivendo. » Sed quæritur quid est Evangelium secundum rem? videtur quod tantum doctrina Christi quam ipse prædicavit, quæ in Evangelio scripta est, sit Evangelium, per Augustinum dicentem de nomine Evangelii sic in I lib. *contra Faustum :* « Proprie hoc vocabulum obtinuit annuntiatio salutaris. » Sed quod largius dicatur, videtur Rom. ult. *Ei autem qui potens est confirmare vos juxta Evangelium nostrum;* ergo Evangelium est etiam doctrina prædicatorum novi Testamenti. Quod autem in plus se habeat, videtur supra x, *Sicut evangelizavit per servos suos prophetas.* Ergo etiam doctrina prophetarum sit Evangelium. Item objicitur de hoc quod dicitur : *Æternum;* quia post judicium non erit opus Evangelio ; ergo non est æternum. Respondeo. Ad primum dicendum, quod Evangelium est salubrium annuntiatio : unde Augustinus I lib. *contra Faustum :* « Evangelium quidem cum aliquid boni annuntiatur semper dici potest. » Ulterius annotandum quod Evangelium potest dici tripliciter : scilicet proprie sive appropriate, communiter et concessive. Proprie sive appropriate dicitur Evangelium doctrina sive nuntiatio Salvatoris, sicut dicit Augustinus. Communiter autem tam doctrina Christi quam prædicatorum novi Testamenti, qui expressius et plenius annuntiaverunt ea quæ sunt salutis, dici-

tur Evangelium; et sic accipitur Rom. xvi, et sic accipitur hic: unde Evangelium dicitur in littera doctrina sive prædicatio salubrium facta a prædicatoribus novi Testamenti. Posset etiam hic accipi primo modo: quia sancti prædicatores habent doctrinam quam Dominus annuntiavit, quæ in volumine Evangeliorum continetur, quia noverunt eam et vivunt juxta eam. Concessive autem dicitur Evangelium doctrina quorumcumque salubria annuntiantium, sive in veteri Testamento, sive in novo, ut supra x, *Sicut evangelizavit etc.* Nullo tamen horum modorum videtur dici improprie; quia secundum omnem modum prædictum est annuntiatio bona sive salubrium. Per hoc patet ad objecta. Ad aliud dicendum, quod æternum dicitur aliquid materialiter, scilicet et formaliter, scilicet quod non habet finem. Joan. x, *Et ego vitam æternam do eis.* Item materialiter, quia scilicet est de æternis, sicut in forma calicis in missa dicitur novi et æterni Testamenti, idest quo confirmatur nova et æterna promissio, secundum Innocentium III, idest promissio de æternis. Similiter Evangelium dicitur æternum, quia promittit æterna, ut dicit *Glossa*. Item similitudinarie; quia scilicet nihil succedit per quod evacuetur, quod sit dignius et maneat, sicut dicitur in Psalm.: *Tu es sacerdos in æternum*, quia scilicet non successit aliud sacerdotium. Similiter Evangelium dicitur æternum quod non succedit ei nova lex aut dignior quæ prædicatorum doctrinam evacuet, sicut lex nova successit veteri. Item effective, sicut fides dicitur æterna. Eccles. xl, *Fides in sæculum stabit.* Hoc dicitur ratione effectus sive præmii. Similiter dicitur Evangelium æternum, quia ad æternitatem ducit, ut dicit *Glossa*; non formaliter, quia sit æternum, idest semper duret et sine fine annuntietur: in judicio enim terminabitur prædicatio. Unde Gregorius in *Gregoriano*: « Tunc erit novi Testamenti finis cum ea quæ promisit impleta fuerint. » Idem *in eodem*: « In illa suscepti contemplatione gaudiorum jam nullatenus indigebimus audire verba docentium. » Non igitur primo modo, sed aliis tribus modis Evangelium dicitur æternum. *Ut evangelizaret.* Hic ostenditur intentio sancta: quasi dicat: ad hoc habebat Evangelium Angelus, *Ut evangelizaret*, idest salubria annuntiaret: quasi dicat: ad hoc debet habere prædicator scientiam cum auctoritate et vita, ut prædicet hominibus ea quæ sunt salutis. Luc. iv, *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me.* II Corinth. iv, *Non nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum.* Item in hoc ostenditur, quod non debet talentum per ignaviam abscondere in terram. Matth. xxv, *Servum inutilem ejicite in tenebras exteriores. Sedentibus super terram*, idest bonis terram contemnentibus, et per hoc quieta mente requiescentibus. Non enim est quies in vanis, sed in Deo cum contemptu vanorum. Augustinus vi *Confessionum*: « Dura sunt omnia, et tu solus requies. » *Et super omnem gentem*, idest ut evangelizaret omni generi hominum secundum diversitatem ritus et generis et idiomatis et loci: quantum enim ad hanc quadruplicem diversitatem distinguit malos: expone ut supra xi. *Et videbunt.* Dicit autem, super omnem gentem, quia prædicatio ex divina gratia mittitur hominibus. Jacob. i, *Omne datum optimum etc.* Item ex hoc patet quod bonis et malis prædicandum est. Rom. i, *Sapientibus et insipientibus debitor sum. Dicens voce magna*, idest magna persuasione et magno desiderio ac fervore. Magna enim vox est quæ persuasionem habet valde motivam. Magnum etiam desiderium ac fervorem, in quo notatur vivax zelus. Joan. vii, *Stabat Jesus et clamabat. Timete.* Hic ponitur forma sive modus admonitionis: fit enim hoc modo. Nam cum ad famulandum Deo sive adhærendum, sit vitandum malum et agendum bonum; Primo est admonitio ad declinationem mali. Secundo ad operationem boni, *Et date.* Ubi primo fit monitio ad bonum in generali. Secundo in speciali, *Et adorate.* Ad bonum autem in generali fit monitio sic. Primo ponitur monitio. Secundo subditur obediendi ratio, *Quia venit.* Similiter in altera parte Primo ponitur monitio. Secundo subditur ratio,

Qui fecit. Dicit igitur : *Timete Dominum*, ut declinetis a malo. Prov. xv, *Per timorem Dei declinat omnis a malo.* Per hoc autem quod dicitur, *Dominum* ostenditur, ratio timendi. Malach. i, *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* pondere accipiendum est : quasi dicat : Timete Dominum qui Dominus universalis est, non illas bestias. Matth. x, *Nolite timere eos qui corpus occidunt.* Sed contra : Beatus Joannes Chrysostomos dicit in quadam homilia, super illud : Diliges Dominum Deum tuum etc. : Non vult Deus ut timeatur ab hominibus quasi Dominus, sed ut diligatur quasi pater. Item ibidem : Donec homo timet Deum, non eum diligit. Item quare non dicitur, Diligite, cum majus sit diligere quam timere? Respondeo. Timor Dei triplex est : scilicet servilis, qui habet oculum tantum ad pœnam : in hoc timore est voluntas peccandi, licet actus cohibeatur, qui tamen sequeretur, sicut dicit Augustinus, si speraretur impunitas. Item initialis, qui habet oculum partim ad pœnam, partim ad offensam divinam, sed principaliter ad offensam. Item filialis qui habet oculum ad offensam simul et reverentiam, principaliter tamen ad reverentiam. De primo loquitur Joannes Chrysostomus : unde dicit idem : « Timere servorum est, diligere filiorum. » Timor sub necessitate est dilectio in libertate. De timore autem secundo vel tertio agitur hic. Primus vitat pœnam, sed non mereretur gloriam, ut dicit ipse Chrysostomus ; et ideo dicitur quod non vult timeri ut Dominus, quia talem timorem non acceptat ad meritum ; non quia iste timor non sit bonus, inquantum facit cavere ab actu peccati. Ad aliud dicendum, quod per timorem, sicut dicit Augustinus, veniunt ad amorem ; nec potest Deus bene diligi, nisi timeatur. Psalm. : *Initium sapientiæ timor Domini.* Iste etiam timor dicit amorem et plus. *Et date illi honorem*, scilicet verbo et obsequio, secundum *Glossam.* Hoc enim est debitum creaturæ rationalis ad Deum. Psalm. : *Afferte Domino gloriam et honorem.* Honorans honorabitur. I Reg. ii, *Qui me honorificaverit glorificabo eum etc. Quia venit :* quasi dicat : timete et honorate Deum, et non deficiatis per adversa vel tentamenta. Quia venit, idest instat in brevi. Omne enim tempus breve est, respectu æternitatis. *Hora judicii ejus*, quo judicabit omnes, quo timentes et honorantes præmiabuntur et contemnentes damnabuntur. Isa. iii, *Stat ad judicandum Dominus etc. Et adorate eum.* Hic in speciali fit monitio ad speciale bonum, scilicet ad adorandum, *Et adorate eum,* adoratione latriæ. Matth. iv, *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Non diabolum vel Antichristum, sicut quidam supra xiii *Et adoraverunt draconem etc.* Quod autem sit adorandus ipse solus, ostenditur. *Qui fecit cœlum et terram.* Ratio est, quia ipse totum mundum condidit : et expressius tangit creaturas corporales, quia sunt subjectæ sensui tam fidelium quam infidelium ; omnia tamen dat intellectui[1]. Creatura igitur vel est continens vel contenta : si continens, aut est superior, sicut cœlum, aut inferior ; et talis aut est naturæ solidæ, sicut terra, aut fluidæ sicut mare, quod continet multa genera piscium et hujusmodi. Supra x, *Qui creavit cœlum et ea quæ in eo sunt, et terram et ea quæ in ea sunt, et mare et ea quæ in eo sunt.* Si contenta : Hoc potest signari aut in generali : unde subditur, *Et omnia quæ in eis sunt*, scilicet cœlo terra et mari : et potest intelligi de cœlo sidereo et empyreo. Psal. : *Qui fecit cœlum et terram etc.* Aut in speciali : unde sequitur, *Et fontes aquarum*, in quibus manifestatur meritum divinæ potentiæ. Daniel iii, *Benedicite fontes Domino etc.* Sed cum omnes aquæ et fontes aquarum sint ex mari, ut dicit Damascenus, videretur sufficere quod dixit, *Qui fecit mare.* Respondeo. Licet omnes aquæ et fontes ortum a mari habeant, tamen aquæ diffusæ per meatus subterraneos depurantur et dulcorantur, et sic fontes efficiuntur, unde cadunt. Quantum ad hoc, sub aqua dicitur ; unde recte exprimitur nomen Fontis. Præterea ex hoc quod aquæ sic per

[1] Al. : « Intelligi. »

mentus subterraneos exundatæ et dulcoratæ emanant decentius et pulchre a profundo terræ ad superficiem ipsius terræ in usum hominum : manifestatur divina sapientia, bonitas et potentia. Unde Daniel. III : *Benedicite fontes Domino*. Et ideo ad divinæ magnificentiæ manifestationem recte ponitur specialiter nomen fontium. *Et alius*. Hic ponitur motivum ad tollendum impedimentum quo multi retrahuntur a divino famulatu ; quod debet homo tollere. Duo autem sunt impedimenta, scilicet amor male accendens, et timor male humilians humilitate. Propter hoc introducuntur hic duo Angeli : quorum unus denuntiat casum Babylonis, per quem excitatur homo ad tollendum amorem male accendentem, scilicet amorem mundi, et hoc primo. Alius vero denuntiat pœnam reproborum, qui scilicet adhærebunt Antichristo ; et per hoc excitat ad amovendum timorem male humiliantem, ne scilicet propter timorem adversariorum fideles adhæreant Antichristo, et hoc secundo, ibi, *Et tertius*. Primo ergo fit excitatio ad abjectionem amoris male accendentis. Secundo timoris male humiliantis. Circa primum ergo Primo tangitur ordo prædicatorum. Secundo pœna mundanorum. *Dicens : Cecidit*. Tertio culpa ipsorum, *Babylon*. Dicit igitur, *Et alius* : quasi dicat : ita quidam prædicatores movent homines ad divinum famulatum specialiter. Persuadent alii specialiter tollere impedimentum : et hoc per visionem intellexi. Et hoc est *Et alius Angelus*, idest alius ordo prædicatorum. Et potest intelligi Alius secundum diversitatem personarum, vel alius secundum diversitatem materiæ prædicationis : unus enim et idem prædicator potest prædicare præmissa et ea quæ ibi dicuntur, ut *Glossa* innuit. *Sequutus est*, quia prædicatores sibi invicem succedunt secundum tempora. Vel, Sequutus, secundum ordinem docendi : quia unus et idem primo docet unum, postmodum aliud. *Dicens cecidit*, idest cadet anima a mundano gaudio in infernum. *Cecidit*, idest cadet corpore. Vel geminatio ostendit certitudinem et perfectionem casus, quia irreparabiliter. Isaiæ XXI : *Cecidit cecidit Babylon etc*. *Babylon*. Hic ostenditur culpa mundanorum propter quam cadent : et describitur eorum culpa sive nequitia ut multa, cum dicitur, *Babylon illa* : ut magna *Magna*, ut contagiosa sive corruptiva, *Quæ a vino*. Dicit igitur, *Babylon*. Ecce quid cadet et quare : scilicet multitudo mundanorum mundum sequentium, ideo, quia confusi et involuti sunt in vitiis. Babylon ergo est multitudo mundanorum, qui vanitatem mundi amplexantur, et alios ad peccatum trahunt, vel exemplo vel verbo, vel aliter. Unde per Babylonem videntur signari illi, qui magis infixi sunt vitiis multiplicibus. Unde *Glossa* : « Omnes confusi vitiis » : et in hoc notatur culpæ multiplicitas. Jeremiæ LI : *Subito cecidit Babylon et contrita est*. *Illa*, hoc dicitur despective, et fit demonstratio ad intellectum, ut societas malorum condemnetur. Jeremiæ LI : *Fugite de medio Babylonis etc*. *Magna*, propter vitiorum magnitudinem : infra XI : *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum*. *Quæ*, scilicet Babylon, idest numerositas mundanorum in vitiorum confusione et voragine absorptorum, *Potavit*, idest quasi potando inebriavit sive pervertit. Loquitur per similitudinem hominis qui alium inebriat. *Omnes gentes*, idest gentiliter viventes, unde facilius decipiuntur ; quia qui sunt perversiores alios malos magis pervertunt vino, idest delectabili et inebriativa vanitate vitiorum ; quorum maximum est idololatria. Vinum enim dicitur vanitas vitiorum inquantum delectat et inebriat. Hoc est, pervertit homines quantum ad rationem et voluntatem. Jeremiæ LI : *De vino ejus biberunt omnes Gentes*. Hoc vino potati homines errant a recta semita. Isaiæ XLVIII : *Præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt*. Potavit inquam, *Vino iræ*, idest quod provocat iram divinam, quia meretur vindictam. Ecclesiastici V : *Etenim peccatores respuit ira ejus*. Vino inquam, *Fornicationis suæ*, idest per quod separat se et alios a Deo, sicut sponsa fornicans recedit a sponso suo. Quælibet enim anima debet esse sponsa Dei. Fornicatio hic dicitur large, secundum quod pertinet ad omne mortale. Psal. : *Perdes omnes qui fornicantur abs te*. Triplex ergo est affec-

tus vanitatis mundanæ, qua multi perversi alios quasi potando decipiunt; quia pervertit animum; quod signatur per vinum. Item meretur supplicium. Ideo dicitur : Vinum iræ. Item aufert Deum, ideo dicitur : Vinum fornicationis. Isti tales amatores hujus vini, idest mundanæ vanitatis et deceptores aliorum cadent anima et corpore in infernum a flore mundi quem dilexerunt; et per hoc fit excitatio ad abjiciendum amorem mundi qui male ascendit. I Joan. II : *Nolite diligere mundum etc. Et tertius.* Hic fit excitatio ad tollendum timorem male humiliantem, per considerationem pœnæ illis infligendæ, qui Antichristo servient : unde non erit ei serviendum propter aliquem timorem pœnæ, quem inferat, ut major vitetur. Primo ergo tangitur ordo prædicatorum. Secundo zelus ipsorum, *Dicens*, Tertio denunciatio, *Si quis adoraverit.* Quarto materia profectus justorum, *Hic est patientia.* Dicit igitur, *Et tertius Angelus*, idest tertius ordo prædicatorum; quia post alios prædicatores loquetur quidam ordo prædicatorum : maxime contra eos qui adhærebunt Antichristo. Primus ergo ordo prædicatorum monet ad agenda bona. Secundus et tertius denunciat supplicia : sed secundus generaliter, tertius specialiter; quia ultimi prædicatores prædicabunt contra Antichristum et ejus sectatores. *Secutus est illos*, etiam ordine temporis, *Dicens voce magna*, idest audaci et constanti persuasione; quod erit ex zelo. Job. XXXIX : *Exultat audacter, in occursum pergit armatis. Si quis.* Hic ponitur denunciatio suppliciorum. Supplicia autem sunt ex merito culpæ. Unde primo ponitur culpæ meritum. Secundo ostenditur gehennale supplicium, *Hic bibet.* Culpa autem describitur quantum ad tria. Primo quantum ad Antichristi adorationem. Secundo quantum ad ejus statuæ venerationem, *Et imaginem ejus.* Tertio quantum ad notandam consignationem, *Et acceperit. Hic bibet.* Primo hic describitur supplicium in generali. Secundo in speciali, *Et cruciabitur.* Dicit ergo, *Si quis adoraverit bestiam*, idest Antichristum bestialiter viventem, et alios crudeliter persequentem. Hoc dicitur quantum ad illos qui illum in sua præsentia adorabunt. *Et imaginem ejus*, idest idolum sive statuam. Hoc dicitur quantum ad illos qui in absentia adorabunt imaginem sive statuam Antichristi. Vel adorare imaginem Antichristi, erit adorare ejus sectatores, vel facere se ei in errore conformem, quod erit ex reverentia ad ipsum : et ideo adoratio dicitur : *Et acceperit characterem*, idest signum ejus, *In fronte sua aut in manu sua.* Forsitan illi qui non habebunt imagines, habebunt aliquod signum Antichristi manifestum in fronte vel manu. Quicquid autem sit de hoc, mysticus sensus est. *In fronte sua*, idest ejus signum in aperta confessione. *Aut in manu sua*, idest in manifesta operatione. Utroque modo erunt consignati signo ejus. De his supra XIII : *Et fecit terram etc. Et faciet ut quicumque etc. Et faciet omnes etc. Hic*, qui talis erit, *Bibet de vino*, idest de æterna damnatione, quasi inebriante, idest replente et dejiciente et subvertente utrumque hominem ad modum vini. *Iræ Dei*, idest quod est ex divina justitia in cujus effectu Deus videtur iratus. Cum autem dicit, *Bibet etc.*, loquitur per similitudinem hominis qui bibit malum vinum et multum, unde inebriatur : et per hoc intelligitur multiplicitas et magnitudo pœnæ, quæ impios implebit dejiciet et sepeliet. Isaiæ XXIV : *Amara erit potio bibentibus illam. Quod*, scilicet vinum malum, *Mixtum est*, idest conjunctum, *Mero*, idest vino puro, scilicet pœnæ temporali quæ infertur hic ad correctionem, *In calice*, idest in vindicta, *Iræ ipsius*, idest justitiæ Dei in cujus pœna videtur Deus iratus. Nota secundum *Glossam*, quod calix Dei est vindicta qua potat peccantes sive ad correctionem in præsenti, sive ad damnationem in inferno. Iste est calix iræ Dei; quia hæc vindicta provenit ex divina justitia. Omnis enim pœna est ex justitia Dei inquantum pœna, licet ex misericordia sit temperatio pœnæ, et quod infertur ad correptionem. In hoc calice est quasi merum desuper; scilicet pœna temporalis quæ hic infertur ad correctionem : dicitur enim merum quia ordinatur ad humanam salutem. Quando autem non vult impius corrigi, tunc Do-

mixtum adjungit merum sive administrat vinum amarum damnationis. Nam si aliquis vino puro adjungat sive admisceat vinum malum, et sic fit vinum turbidum. Merum gratiæ est pœna præsens quæ adhibetur ad correctionem; vinum mixtum est damnatio æterna, quæ adjungitur in futuro. Threnor. IV : *Ad te perveniet calix, et inebriaberis atque nudaberis. Et cruciabitur.* Hic ostenditur supplicium in speciali; et hoc quantum ad quinque. Primo quantum ad pœnæ gravitatem. Secundo quantum ad justitiæ æquitatem, *In conspectu*. Tertio quantum ad horrendam tenebrositatem, *Et fumus*. Quarto quantum ad interminabilem perpetuitatem, *Ascendet in sæcula sæculorum*. Quinto quantum ad indefessam continuitatem, *Nec habent*. Dicit igitur, *Et cruciabitur*, qui peccata fecerit. Per cruciatum ostenditur gravitas. Item per illud quod sequitur, *Igne*, concremante, *Et sulphure*, idest fœtore amaricante. In duobus ergo ostenditur gravitas, scilicet in igne comburente, et fœtore inficiente. Infra XXI : *Pars eorum erit in stagno ardenti igne et sulphure*. Hæc autem est pœna debita ardori omnis peccati. Respondet ignis cremans, fœtori fœtor penetrans. In omni enim mortali est fœtor spiritualis. Maxime autem peccato luxuriæ respondet hæc pœna : quod signatum est Genes. XIX : *Pluit Dominus super Sodomam sulphur et ignem*. Haymo : « In igne ardor, in sulphure fœtor, quæ pœnæ maxime carnis vitiis respondent. » *In conspectu Angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni;* hoc est, videntibus hanc pœnam Angelis sanctis, quorum monitionibus in visionibus non acquieverunt, et ipsi Christo quem impugnaverunt. Ostenditur autem hic æquitas justitiæ, quæ exigit ut coram Angelis sanctis, quorum monita respuuntur, torqueantur, et coram ipso Christo, quem, cum passus pro eis fuisset, vita et signo blasphemaverunt. Hoc autem erit miseris in augmentum pœnæ, quod scient pœnam suam manifestam esse eis, quorum consilium contempserunt. Item justitia et æquitas exigit, ut ab Angelis sanctis et ab ipso Christo, in quorum conspectu cruciabuntur, nullum remedium percipiant. Item hoc erit ipsis Angelis et aliis beatis in gloriam. Psal. : *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Sed quare hoc dicitur de Angelis, cum verum sit etiam de electis hominibus? Item quare non dicitur in conspectu Dei, sed Christi? Respondeo. Ad primum videtur dicendum, quod quia magna gratia fit hominibus justis et impiis, quod Angeli dantur eis in custodes, ideo magnus est contemptus cum non desistunt a malis, et ideo coram eis specialiter merentur affligi: licet etiam verum sit de viris beatis. Item cum Angelus sit dignioris naturæ quam homo, secundum Augustinum XI, libro *de Civitate Dei*, per hoc ostenduntur ab auxilio destitui et opprobrio expositi. Ad aliud dicendum, quod certum est omnia patere Deo, secundum divinitatem : de Christo autem potius agitur, quia specialius ipsum Christum blasphemabunt. *Et fumus*, idest tenebrositas, secundum *Glossam*, *Tormentorum eorum*, idest impiorum. Ibi enim sunt tenebræ. Matth. XXV : *Servum inutilem projicite in tenebras exteriores. Ascendet*, in duratione, idest perseverabit sive durabit. *In sæcula*, consequutiva, *sæculorum*, idest semper : quasi dicat : tenebrositas quam patientur mali, in illis tormentis, æterna erit. Isaiæ XXIV : *Ascendet fumus ejus in generatione et generationem. Nec habent*, idest non habebunt, *Requiem die ac nocte*, idest in aliquo momento temporis : quasi dicat : continue sine intermissione cruciabuntur. Et ita ostenditur hic supplicii continuitas. Posset enim aliqua pœna esse æterna et non continua; sicut febricitans tertianarius, semper dicitur habere febrem, quia semper habet causam febris, non tamen continue dolet; non sic erit ibi, sed continue dolebunt. Augustinus : « Quod nolunt modo salubriter cogitare, necesse habent sine ullo remedio sustinere. » Ex prædictis patet quod erraverunt qui dixerunt pœnam reproborum non esse æternam, sed reprobos post mille annos redituros ad vitam. Joan. V : *Ibunt hi in supplicium æternum.* De quibus autem intendat loqui, ostendit replicans culpam præmissam, ut magis vitetur, ex quo ei tanta pœna debetur. Unde subdit,

Qui adoraverunt : quasi dicat : non habebunt requiem illi qui adoraverunt bestiam, idest Antichristum, dum viverent. *Et imaginem ejus*, idest statuam vel ejus famosiores sectatores. Et similiter non habebunt requiem. *Si quis acceperit characterem nominis ejus*, in fonte vel manu, ut supra expositum est. Propter nullam pœnam igitur temporalem erit adhærendum Antichristo, ne contingat æternam incurrere. Job. VI : *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Sed quid dicit, die ac nocte, cum in inferno non sit dies? Respondeo. Non hoc dicitur ad signandum quod dies sit ibi ; sed per talem modum loquendi ostendit doloris continuitatem ; ut sit idem ac si diceret, Continue omni hora qua solet esse apud homines dies ac nox. *Hic est*. Hic ostenditur materia profectus justorum : et videntur esse verba Joannis, ut supra XV, hic est patientia etc. Hic est, idest in consideratione hujus pœnæ prædictæ. *Est patientia*, idest materia patientiæ. *Sanctorum*, idest justorum qui puri sunt a facie peccati. Consideratio enim pœnæ perpetuæ materia est sive occasio patientiæ in adversis. Gregorius : « Sancti temporalem pœnam lucrum putant, quia per hanc æternam evadere non ignorant. » Describit autem justos per ea quæ juvant ad patientiam : scilicet quantum ad diligentiam in obediendo, et quantum ad constantiam in credendo : unde dicit : *Qui custodiunt*, idest diligenter opere complent. *Mandata Dei*, quæ servata servant per patientiam in adversis. Eccles XV : *Si volueris mandata conservare, conservabunt te.* Item patientia juvat etiam ad obediendum Deo. Hebr. X : *Patientia vobis necessaria est etc. Et fidem Jesu*, idest Salvatoris qui eos suo sanguine redemit, quem non relinquunt propter adversa : unde cum eam custodiunt, adversa tolerant, I Corinth. ult. *State in fide, viriliter agite et confortamini.* Item ipsa fides ordinat in adversis ad patientiam. I Joan. V : *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides vestra.* Aliqui libri habent, et custodiunt præcepta Dei : et secundum hoc justi dicuntur sancti per declinationem mali, observatores autem præceptorum per operationem boni, diligendo Deum et Christum, ut dicit *Glossa*, tam affectu quam effectu. Et potest referri totum ad eosdem justos : idem enim et unus justus habet prædicta. Sed ad describendum justos fit expressio quantum ad illa quæ faciunt ad propositum. *Et audivi*. Ostenso auxilio mulieris, facta etiam monitione ad famulatum adjutoris hic subditur ratio expertæ retributionis; quia qui Christo adhærebunt et adversa pro eo sustinebunt, optime præmiabuntur. Primo autem ostenditur merces esse intellectu consideranda, per hoc quod præcipitur scribi. Secundo ostenditur esse affectu desideranda, per hoc quod describitur ejus perfectio, *Beati mortui*. Ubi primo describitur merces per comparationem ad meritum perseverantiæ. Secundo quantum ad conditionem ipsius gloriæ, *Amodo*. Ubi primo ostenditur conditio gloriæ in speciali ; quia scilicet gloria non compatitur aliquem laborem, sed prorsus evacuat. Secundo in generali, *Opera* : ubi ostenditur : quod cum in via non recipiatur merces plena, in futuro plena et perfecta reddetur. *Et audivi* : quasi dicat : ita adhærendum est et famulandum Christo et patienter sunt omnia sustinenda pro ipso : ex hoc enim obtinebitur vita æterna, sicut mihi per revelationem ostensum est. Et hoc est quod dicit : *Et audivi*, auditu interno, *Vocem de cœlo*, idest venientem de sublimitate divinæ majestatis vel bonitatis. Ad litteram audiebat in visione quamdam vocem spiritualem dicentem sibi illud quod sequitur : *Dicentem mihi : scribe*, in corde tuo et aliorum. *Scribe* etiam in libro materiali, ut merces justorum a pluribus cognoscatur et consideretur, ut per hoc rectius vivatur et patientia teneatur. Per hoc quod dicitur *Scribe*, ostenditur merces diligenter consideranda, et nunquam oblivioni tradenda. Res enim inscribitur ad memoriam habendam. Habacuc II, *Scribe visum et explana eum.* Argumentum quod quæ utilia sunt ad salutem, utile est scribere, non solum in animo, sed etiam in libro. *Scribe* inquam ea quæ sequuntur : *Beati*, sunt. *Mortui*, morte naturæ. Vel, Mortui mundo. *Qui in Domino*, idest in confes-

nione et obsequiis Domini. *Moriuntur*, per dissolutionem animæ et corporis, quando anima a corpore separatur. Tales qui obsequiis Dei decedunt, beati sunt, quia vitam æternæ beatitudinis intrant. Propter quod dicebat Apostolus, Philipp. i, *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*. Sunt autem qui moriuntur sine Domino. Joan. viii, *Et in peccatis vestris moriemini*: vere (inquam) sunt beati. *Amodo enim*, hoc est autem tempore mortis. *Dicit*, idest præcipit nutu suæ voluntatis, idest facit cum effectu: quia suum velle est facere. Et vocatur dictio sive locutio, quia ita facile facit omnia sua voluntate, sicut quis facile dicit aliquid. Psalm.: *Dixit et facta sunt*. *Spiritus*, idest Deus Trinitas. Joan. iv, Spiritus est Deus. *Ut requiescant a laboribus suis*, idest ut requiescant ita ut amplius non laborent, quod erit merito laborum præteritorum. Isa. xxxii, *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis et in tabernaculis fiduciæ et in requie opulenta*. Augustinus: « Labor est pretium regni cælorum: quasi dicat: voluntas Dei est, ut in sabbato æternaliter requiescant, quia olim laboraverunt. » Sap. iii, *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Operandum ergo est in senario hujus temporis, ut sabbatum assequamur; quod signatur Genes. ii, *Requievit ab universo opere quod patrarat*. Et vere requiescent. *Opera enim illorum sequuntur illos*, quantum ad fructum sive mercedem: quasi dicat: post merita habebunt plenum præmium. Hæc enim verba cum pondere sunt accipienda. Prov. ultimo, *Date ei de fructu etc.* Ambrosius: « Non sunt hominis quæ secum portare non potest; sola misericordia comes est defunctorum. » Et bene dicit, sequuntur, scilicet post mortem: quia hic in via non datur præmium plenum, quia non potest hic esse plenum, sed potius oportet aspera pati, ut dicit *Glossa*. Item sunt qui portant opera sua ante se, et ita opera præcedunt eos, quia hic gloriam vel lucrum quærunt ex eis. Matth. vi, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. *Et vidi et ecce*. Habito a xiii capitulo de profectu Ecclesiæ in persequutione, hic agitur de finali retributione qua boni patientes præmiabuntur et mali persequentes condemnabuntur. Primo autem describitur persona judicis. Secundo ordo sive series judicii, *Et alter Angelus*. Judex autem, scilicet Christus, describitur quantum ad tria: scilicet quantum ad naturam, quantum ad gloriam, *Similem*. Tertio quantum ad potentiam. *Et in manu sua*. Natura autem ejus ostenditur duplex: scilicet humana per nubem. Item divina cum sequitur: *Et super*. Dicit igitur: *Et vidi*, quasi dicat: ita ostensa est mihi pugna draconis et perversorum contra Ecclesiam: ostensa est etiam retributio eorumdem, quæ fiet in judicio per judicem Christum: et hoc est, *Et vidi*, interno visu. Quid autem viderit subjungit. *Et ecce*, notatur præsentia visionis: quasi dicat: sub oculis apparuit. Potest etiam in hoc intelligi quod judex prope est. Jacob. v, *Ecce judex ante januam assistit*. *Nubem candidam*, idest humanitatem Christi levem sine peccati onere et a terrenis elevatam: unde pluvia gratiæ ad nos descendit et refrigerium provenit. Propterea dicitur nubes. Isa. xix, *Ascendet Dominus super nubem levem*. Supra x, *Amictum nube etc.* Item plenam innocentia et virtutum affluentia decoram; et ideo dicitur: *Candida*. Cant. v, *Dilectus meus candidus et rubicundus*. *Et super nubem sedentem*, idest vidi Filium Dei quantum ad naturam divinam præsidentem naturæ humanæ quam assumpsit, regimine et dignitate: præsidet enim inquantum Deus, suæ humanitati, et regendo et præcellendo. Et nota quod dicit, sedentem. Per hoc intelligitur plena acceptatio, qua plene inquantum Deus, acceptat suam humanitatem, in qua nihil est nisi acceptabile. Propter quam etiam acceptationem dicitur sedere in justis. Item nota quod carnem quam assumpsit, nunquam deposuit. Item per hoc intelligitur quod ejus humanitas est quasi thronus in quo judicabit, III Reg. x, *Fecit sibi Salomon thronum de ebore grandem*. *Similem*. Hic ostenditur ejus gloria: et primo implicite et in generali. Secundo explicite et in speciali, *Habentem*. Dicit igitur: *Similem filio hominis*, idest jam immortalem et glorificatum: propter

quod jam non dicitur filius hominis, secundum statum mortalem, sed similis. Rom. vi, *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Vel similem filio hominis, idest Angelum repræsentantem in se filium hominis, scilicet Christum. Vidit enim quamdam nubem, et vidit Angelum sedentem super nubem, et habebat speciem filii hominis, quia Angelus apparebat in persona Christi; et ideo sedens super nubem signat Christum. Per Angelum enim fuit hæc ostensa Beato Joanni. De hoc dicitur in *Glossa*, supra i, *Similem filio hominis etc.* Deinde ostenditur ejus gloria explicite. *Habentem in capite suo*, idest in sua divinitate, quæ est caput suæ humanitatis. *Coronam*, idest gloriosam victoriam de hostibus; quia post passionem et resurrectionem patet Christi divinitatem de dæmonibus triumphasse. *Auream*, idest veram et pretiosam, nec fictam et vanam, sicut supra ix, *Et super capita earum tamquam coronæ similes auro.* Item auream, quia in se et in mente fidelium et beatorum fulgidam. Item per sapientiam vicit Job. xxvi, *Prudentia ejus etc.* Vel per nubem signantur sancti perfectiores, per quos et cum quibus Dominus judicabit; qui dicuntur nubes, quia elevati sunt a terrenis per sanctitatem et volant per contemplationem. Isa. lx. *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* Super hanc nubem sedet Christus, quia sedebit in eis virtualiter quasi in sua sede, quia in eis et cum eis judicabit. Job xxxvi, *Et pauperibus judicium præbuit. Similem etc.* ut prius, *Et in capite suo etc.*, idest in seipso, habentem victoriæ gloriam, decorantem et honorificantem ipsum et secundum humanitatem, sicut corona existens in capite alicujus ipsum exaltat. Ipse etiam inquantum homo, apparet gloriosus de victoria qua diabolum pro homine vicit: et de hoc tota cœlestis curia est ei subjecta; unde de eo dicitur in Psalm.: *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Auream*, ut prius, *Et habentem in manu sua*, idest in potestate. *Falcem*, idest judiciariam sententiam: quæ dicitur falx, quia scindit, idest dividit bonos a malis et e contrario, sicut fœnum a terra secatur. Item quia quicquid falce inciditur infra falcem concluditur, ad quamcumque partem se vertat: similiter nullus est qui Dei judicium evadere possit. Unde Gregorius *super hunc locum*: « Potestas divini judicii, quia omnia inter se incidendo complectitur, Falcis appellatione signatur. » *Acutam*, idest virtuosam et potentem ad secandum sicut falx bonam aciem habens, quia potenter omnes judicabit retribuendo, nec aliquis poterit ei resistere. Jerem, l, *Et quis est iste pastor qui resistet vultui meo? Et alius.* Hic ostenditur ordo sive series judicii. Fiet autem judicium secundum desiderium sanctorum qui hoc desiderabunt, ut cœlestis curia compleretur. Exequutio autem judicii fiet per Angelos qui potestatem habent exequendi quando Dominus suo nutu imperabit eis. Primo ergo ostenditur sanctorum desiderium. Secundo ipsum judicium, *Et misit.* Tertio angelica potestas ad judicium exequendum, *Et alius Angelus exivit de templo.* Quarto exequendi præceptum, *Et alius Angelus exivit de altari.* Quinto ipsius exequutionis actuale mysterium. *Et misit Angelus falcem.* Circa primum Primo ostenditur apparitio sanctorum. Secundo ipsorum desiderium, *Clamans.* Tertio ipsum desideratum, *A voce.* Dicit ergo: *Et alter*: quasi dicat: ita mihi revelata est persona judicis quam magnifica sit: ostensum etiam est mihi desiderium sanctorum qui in judicio apparebunt. Et hoc est *Et alter Angelus*: scilicet cœtus sanctorum, qui dicuntur Angeli propter excellentiam vitæ vel propter conformitatem gloriæ. Matth. xxii, *Erunt quasi Angeli Dei in cœlo.* Dicuntur autem Angelus singulariter propter unitatem voluntatis et vinculum caritatis. Galat. iii, *Omnes autem vos unum estis in Christo Jesu.* Et dicitur *Alter*, scilicet a Christo, quia minor eo, quia sancti servi sunt Christi. *Exivit*, idest exibit. *De templo*, idest de primo et sacro secreto intimæ contemplationis sine fruitionis in qua prius ante judicium erant occulti. Exitus iste est apparitio sive manifestatio sanctorum in judicio in magna claritate qui ante erant in occulto divinæ fruitionis, non tamen frui sive contemplari cessabunt. Apparebunt autem judicaturi cum Christo. Matth.

XIV, *Sedebat et erat super etc.* Vel, Exitus iste potest intelligi motus spiritualis a contemplatione divinæ misericordiæ ad contemplationem justitiæ quam optabant, quia desiderabant judicium fieri; unde sequitur: *Clamans voce magna*, idest motus magno desiderio. *Ad sedentem super nubem*, idest ad Christum. Expone ut supra. Sancti enim circa tempus judicii et antequam veniant cum judice, desiderabunt efficaciter judicium fieri: et sic exitus eorum intelligitur motus internus a contemplatione divinæ misericordiæ ad contemplationem justitiæ, licet etiam nunc illud desiderent. Item apparentes cum judice cum claritate magna desiderabunt hoc fieri ut compleatur patria cœlestis, et sit gaudium plenum ex consortio aliorum. Supra VI, *Clamabant voce magna dicentes: usquequo non judicas etc. Mitte.* Hic ostenditur etiam ipsum desideratum. Et primo tangitur res desiderata. Secundo subditur ejusdem rei complendæ causa. *Quia venit.* Res autem desiderata, scilicet judicii actus et judicii effectus quæ est collectio electorum in gloriam, hæc autem sequetur ex judicio. Dicit igitur, *Mitte falcem*, idest exerce judicium, *Tuam*, idest ad te pertinentem, quia ad Christum in humanitate pertinet judicare. Joan. V, *Pater omne judicium dedit filio.* Fit autem sermo de judicio, juxta similitudinem hominis applicantis falcem agro et secantis. Ager mundus in quo Deus seminavit filios regni; Diabolus autem zizania. Et totum secabitur et separabitur in judicio. Matth. XIII, *Ager est mundus, bonum vero semen, filii sunt regni etc. Et mete*, idest collige granum tuum et palea comburatur. Matth. III, ***Permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Quia venit hora***, idest jam est tempus. *Ut metatur.* Spiritualiter ponitur, idest ut fiat separatio bonorum a malis, cum jam sit completus numerus electorum, supra XI, *Advenit tempus mortuorum judicari etc.* Quod autem jam hora judicandi sit, tunc ostenditur cum subditur, *Quoniam aruit messis terræ*, idest jam matura est in sua nequitia multitudo malorum qui terrena dilexerunt. Quando messis aruit, tunc signum est maturitatis; similiter instante judicio, completa erit malitia malorum, quia post completionem numeri electorum quibus proficit iniquitas impiorum, non est permittendum malos amplius regnare. Vel in bono sic, *Quoniam aruit*, idest jam maturata est in meritis quia jam sunt completa, *messis*, idest multitudo electorum, qui sunt metendi, idest per judicium colligendi in gloriam; messis inquam, *Terræ*, idest Ecclesiæ; quia non nisi in Ecclesia possunt merita haberi vel compleri. Sed objicitur de hoc quod dicit expositio, *Mete*, cum hoc ad Angelos pertineat. Matth. XIII, *Messores sunt Angeli.* Item propter messionem, non videtur oportere judicium fieri, cum messio fiat in statu viæ: unde dictum est Apostolis, Joan. IV, *Ego misi vos metere quæ non laborastis.* Respondeo. Notandum quod est Messio multiplex: scilicet efficacis prædicationis, quando scilicet virtute prædicationis recipiuntur sive colliguntur ad fidem, vel ad statum gratiæ, illi qui ante ad hoc sunt dispositi per doctrinam vel exemplum vel Scripturam. De hoc dicitur Joan. IV, *Ego misi vos metere etc.* Item internæ refectionis. Exod. XXIII: *Septem diebus azima comedetis, tempore messis novorum.* Quia universo tempore vitæ hujus, in quo justi metunt nova, dum de suis meritis habent a Deo novas et internas refectiones, debent habere opera azima, idest sine fermento, quæ opera sunt in nutrimentum animæ: et ideo dicuntur azima comedi. Hæc duplex messio fit in præsenti, de hac non agitur hic. Item judicialis retributionis. Hæc messio fiet a Christo, quando per judicium superabit bonos a malis: de hac dicitur hic: Mitte falcem; et infra eodem; Et misit falcem suam in terra, et messuit terram. Item ministralis exequutionis: hæc fiet ab Angelis, qui exequentur judicium Christi. Matth. XIII, *Messores sunt Angeli:* et sequitur: *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum et mittent eos in caminum ignis.* Item æternæ fruitionis: sic metent omnes electi, idest semper percipient æternam gloriam. Galat. ultimo, *Qui se-*

minat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam : bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Ad primum patet ; quia non agitur de illa messione. Similiter patet ad aliud. *Et misit ille.* Hic ostenditur ipsum definitivum judicium : quod describitur quantum ad duo præmissa : scilicet quantum ad judicii actum, unde dicitur, *Et misit ille qui sedebat super nubem candidam*, idest Christus qui in quantum Deus præsidet suæ humanitati vel sanctis, *Falcem suam*, idest sententiam judicialem, *In terram*, idest in homines, qui habitaverunt vel corpore, ut boni, vel corpore simul et mente in terra, ut mali : quasi dicat : juxta sanctorum desiderium exercebit suum judicium. Item quantum ad judicii effectum, *Et messuit*, idest metet, *terram* : quasi dicat : separabit bonos a malis. Metere illam, est separare bonos a malis : quorum utrique habitaverunt in terra : illi corpore ; isti et corpore, et mente : et boni colligentur in horreum Dei. Joel. III, *Sedebo ut judicem omnes gentes etc. Et alius.* Hic ostenditur Angelica potestas ad judicium exequendum. Et primo ostenditur exitus Angelorum. Secundo potestas ipsorum, *Habens.* Dicit igitur, *Et alius Angelus*, idest cœtus Angelorum qui sententiam judicii exequentur ; qui Angelus est alius a præcedente ; quia numerositas Angelorum alius est a numerositate sanctorum qui cum Domino judicabunt : *Exivit*, idest exibit, *De templo*, idest de sacro et intimo ac venerando secreto contemplationis, in quo Deus colitur. Contemplatio enim æterna, cum amore ineffabili, perpetuus cultus Dei est. *Quod est in cœlo,* scilicet empyreo, sive in Ecclesia triumphante. Exibunt enim Angeli et venient ad judicium, ut judici assistant, et quod judicabitur impleatur exequendo. Matth. XIII, *Exibunt Angeli etc. Habens et ipse*, sicut et Christus, secundum quod ei congruit. *Falcem acutam*, idest virtuosam potestatem scindendi bonos a malis et e contrario ; quia potestatem habent Angeli exequendi quod judex judicabit. Matthæi XIII, *Messores sunt Angeli.* Sed objicitur, Quomodo justi exibunt de secreto contemplationis, si contemplari non desinunt? Item Angeli non habent æqualem potestatem cum Christo. Quomodo ergo dicuntur habere falcem sicut ipse? Respondeo. Ad primum dicendum quod non dicuntur exire Angeli de secreto divinæ contemplationis quasi contemplationem relinquant. Continue enim, ubicumque sint, Deo fruuntur, eo quod Deus est ubique per essentiam. Unde Gregorius in *Gregoriano :* « Et mittuntur et assistunt : quoniam et si circumscriptus est spiritus Angelicus, summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. » Dicuntur ergo exire in tempore judicii ; quia cum prius essent in cœlo Empyreo hominibus occulti, tunc venientes de Empyreo in judicio comparebunt. Ad aliud dicendum est, quod non notatur æqualitas, sed quædam conformitas, sive convenientia. Potest et aliter intelligi secundum *Glossam* : scilicet cœtus sanctorum, qui cum Deo judicabunt de quo sicut jam dictum est. *Et alter Angelus* Dicitur autem ille Angelus alius ab isto, licet utrobique numerositas Sanctorum perfectorum significetur, propter alium actum, scilicet judicandi : sicut enim dictum est de eis, quantum ad actum orandi ; hic autem quantum ad actum judicandi. *Exivit*, idest exibit, *De templo,* quod est in cœlo, ut prius. Sancti enim judicaturi cum Domino, exibunt ad judicandum. Habens et ipse : *Glossa* : « sicut Christus. » Exponitur ly, Et falcem acutam, idest potestatem judiciariam, quam tunc exercebunt. I Corinth. VI, *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* Sed per quem modum judicabunt perfecti, et quæ erit eorum auctoritas ad judicandum? Respondeo : dicendum quod perfecti qui omnia dimiserunt et Christum sequuti sunt, habebunt auctoritatem et potestatem judicandi, et judicabunt, sicut habetur Matth. XIX : *Sedebitis super sedes etc.* Item super illud I Corinth. VI, *An nescitis etc. Glossa ;* « Judicabunt etiam auctoritate et potestate. » Quæ autem sit illa auctoritas et potestas, et per quem modum judicabunt, valde occultum est : probabile tamen est, et ita creditur, quod dicuntur judicaturi potestate et auctoritate, quia altiores

erunt cum judice in aere, et propinquiores judici, tanquam assessores, et tanquam auctoritatem habentes. Item quia majorem causæ cognitionem habebunt quam alii sancti minores; quia magis cognoscent summam retributionis bonorum et malorum. Item quia sententiam judicii approbabunt, vel verbo vel signo manifesto, vel alio modo nobis occulto. Utrum autem plus sit in illa auctoritate judicandi, sive judicio, quo sancti judicabunt, non est certum. *Et alius*. Hic ostenditur exequendi præceptum. Et primo describitur ipse imperans. Secundo, ostenditur imperium, *Et clamavit*. Tertio, ipsum imperatum, *Mitte*. Imperans autem describitur tum quantum ad apparitionem, tum quantum ad potestatem. Dicit igitur, *Et alius Angelus*, scilicet Christus, Angelus magni consilii, qui alius est ab Angelo præmisso, quia major est, etiam inquantum homo, Angelis et sanctis. Hic est ille qui supra visus est a Joanne, sedens supra nubem. *Exivit*, idest exibit: quia veniet et se manifestabit in judicio. *De altari*, idest de secretiori loco, hoc est secretiori ac majori subtilitate gloriæ. Nota quod sicut de alio Angelo dicit quod exivit de templo, hoc dicit de Christo quod de altari. Per quod intelligitur quod sicut altare est intimum in templo, sic gloria Christi major est et profundior et ineffabilior quam gloria Angelorum vel sanctorum. Iste ejus exitus, est manifestatio sui in humanitate. In judicio enim apparebit bonis et malis. Supra I, *Videbit eum omnis oculus etc.* Vel, Altare potest dici altitudo ipsius divinitatis, a qua exiet manifestando se ipsum in sua humanitate, ut dictum est. Exo. ultimo: *Posuit altare aureum sub tecto testimonii*: idest divinitatem in humanitate, quæ optime dedit testimonia divinitati. *Qui habebat*, idest habet. *Potestatem super ignem*, idest super pœnam æternam, quæ per ignem erit. Isaiæ ultimo, *Et ignis non extinguetur*. Ecce quanta potestas Christi: ecce quod poterit imperare Angelis et sanctis: ecce quod ipse potius est timendus quam homo mortalis. Matth. X, *Eum potius timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*. *Et clamavit*, idest clamabit. *Voce magna*, idest magno imperio. *Ad eum*, scilicet certum Angelorum. *Qui habebat*, idest habet vel habebit. *Falcem acutam*, idest potestatem exequendi judicium sine aliqua resistentia: quasi dicat: Christus in judicio præcipiet Angelis ut suum judicium exequantur. Hoc autem præceptum sive clamor, erit, vel per exteriorem expressionem verbi, vel signi ad indicium suæ magnificentiæ, vel per fortem et vivacem inspirationem suæ voluntatis. Quod autem imperabit, subditur, *Dicens, mitte*. Et primo ostenditur res imperata. Secundo exequendi causa, *Quoniam*. Res autem imperata erit Angelica executio; unde dicitur, *Dicens: mitte falcem tuam acutam*, idest potestatem tuam efficacem applica ad actum et seca, *mitte*, inquam in *messes*, idest in malos; qui dicuntur messis, quia primo seminavit eos diabolus tanquam zizaniam, postea vero creverunt in malitia; et quando erit hominum completa malitia, tunc erit messis matura, et tunc erunt metendi per Angelos, idest separandi a bonis. Matth. X, *Tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania*. Hoc dicitur quantum ad peccatores minores: quantum vero ad peccatores enormiores subditur, *Et vindemia*, idest separata a bonis falce tua. Loquitur autem juxta similitudinem metentis et vindemiantis; et potest eadem falce meti et vindemiari. *Botros*, idest uvas quæ procedunt ex botris. Botrus quippe dicitur illud quod est in acino. Botrio autem botrionis, dicitur illud quod exit a sarmento turgente. Large autem dicitur illud turgidum quod exit de palmite, quod postea floret. Canticorum I, *Botrus Cypri*. Largissime autem accipitur pro uva, ut Numer. XIII, similiter hic. Per botros autem, idest uvas, signantur homines pleni vino nequitiæ inebriati, qui primo floruerunt per iniquam potestatem, postea vero facti sunt uvæ, quia successit in eis fructus malus per operis perversitatem. Hic ergo accipitur botrus in malo, quandoque autem in bono, ut Michææ I, *Non est botrus ad comedendum*. *Vineæ*, idest mundi, qui est vinea producens malas uvas, scilicet peccatores qui habent vi-

num diaboli quo inebriabuntur, de qua hic; et Deuteron. xxxi, *De vinea Sodomorum vinum eorum.* Item bonas, scilicet Ecclesia, vel status justitiæ. Matth. xx, *Ite et vos in vineam meam etc.* Vineæ inquam, *Terræ*, quia hæc vinea sita est in terrena vanitate; quia mundus terram sapit, terram ingerit. Isti botri vineæ terræ vindemiabuntur per Angelos. Matth. xiii, ***Exibunt Angeli et separabunt etc.*** Quoniam autem major opera datur vineæ quam terræ, ideo per botros vineæ signantur mali perversiores. Vel per messes possent intelligi boni qui sunt in horreum reddendi. Per botros autem vineæ, mali : quia respectu utrorumque habebunt ministerium Angeli sancti. Ratio autem subjungitur, *Quoniam maturæ sunt,* in nequitia, « Uvæ ejus, » idest peccatores quos in culpa produxit vinea : quasi dicat : completa est nequitia malorum, et ideo scindendi sunt sicut uvæ maturæ. Joelis iii, *Exultant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum. Et misit.* Hic ostenditur ipsius exequutionis actuale ministerium. Separabunt enim sancti Angeli impios homines a bonis et mittent in terram, ubi semper punientur; non tantum minores sed etiam majores; et hoc secundum quod quisque meruit. Primo ergo ostenditur separatio malorum. Secundo intrusio separatorum, ***Et misit.*** Tertio pœna intrusorum, ***Et calcatus.*** Quarto communitas suppliciorum, ***Et exivit.*** Dicit ergo : ***Et misit Angelus,*** idest mittet numerositas Angelorum, juxta jussum Christi, *Falcem suam*, idest potestatem exequendi, *In terram*, idest in terrenos, idest potestatem suam applicabit ad actum. Quid autem faciet subjungitur : ***Et vindemiavit***, idest vindemiabit, *Vineam terræ*, idest scindit uvas vineæ terræ, id est separabunt de consortio bonorum malos, qui in se continent vinum mundi, ubi non est nisi terrena vanitas. Deuteronom. xxxi, *Fel draconum vinum eorum etc. Et misit,* idest mittet, hoc est dejiciet, *In lacum iræ Dei*, idest in infernum, in quo mali sentiunt iram, id est vindictam Dei. Dicitur autem infernus lacus, propter vilitatem; et illic involventur miseri e suffocabuntur, vel ibi mali sicut in torculari prementur. Unde alia littera habet, in torcular, Isaiæ xxiv, *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum etc.* Hoc est quod dicitur Matth. xiii, *Mittent eos in caminum ignis. Magnum*, quia magnam hominum multitudinem capere potest. Isaiæ v, *Dilatavit quasi infernus animam suam. Et calcatus est.* Hic ostenditur pœna ipsorum; et primo pœna sensus. Secundo pœna damni, *Extra civitatem.* Dicit igitur, *Et calcatus est*, id est calcabitur, *Lacus*, id est torcular, idest illud quod erit in torculari, scilicet damnati. Loquitur per similitudinem uvarum maturarum quæ colliguntur, et mittuntur in torculare, et ibi premuntur sive calcantur. Juxta hoc mali scindentur a mundo et etiam a consortio bonorum et mittentur in infernum, ubi multa supplicia eos calcabunt, idest vexabunt et prement, quia non vinum est in eis, quod in Dei cellario sit ponendum : quasi dicat : Damnati graviter affligentur, et pœnis seu labore subdentur : et ponitur continens pro contento. De hac pœna dicit Gregorius in *Gregoriano* : « Supplicia in se demersos ultra vires cruciant; fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia mors semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit. » *Extra civitatem.* Hic notatur pœna damni; quia in inferno semper punientur, ita quod semper erunt exclusi a civitate cœlesti : quasi dicat : ita calcabuntur impii in lacu, et hoc extra civitatem cœlestem; scilicet, quia ad eum nunquam redibunt. Animæ enim in purgatorio affliguntur, sed quandoque ad civitatem supernam evolabunt. Non sic impii. Isaiæ xxvi, secundum aliam litteram : Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Infra ultimo, Foris canes etc. « Et exivit. » Hic ostenditur communitas suppliciorum; quia tam majores quam minores punientur secundum diversitatem meritorum. Communitas autem erit, non æqualitas. Igitur dicit, *Et exivit*, idest procedet, *Sanguis*, idest æterna pœna pro peccato quod per sanguinem signatur; quia peccatum colorem habet et infectionem ut sanguis. *De lacu,* idest de inferno, *Usque ad frenos equorum*,

idest usque ad majores rectores aliorum, etiam usque ad dæmones. Equi sunt mali qui portant super se diabolum qui eis insidet. Supra VI, *Et ecce equus pallidus* etc. Freni equorum sunt rectores malorum, sive homines majores, sive dæmones, qui eos in malitia regunt, quod est distorquere, sicut equus freno regitur et ducitur huc vel illuc : quasi dicat : ex inferno procedet punitio sive afflictio, non solum ad minores, sed etiam usque ad principes et dæmones, quia aliorum ductores in nequitia fuerunt. Sapient. VI, *Potentes autem potenter tormenta patientur*. Vel, sanguis, idest vindicta, quæ per sanguinem signatur, quia effusio sanguinis quandoque solet fieri in vindictam ; idest æternam vindictam signat. Loquitur autem beatus Joannes sub velamine similitudinum. *Exivit*, id est exibit, de lacu usque ad frena equorum, ut prius. De inferno enim procedet vindicta contra malos, etiam usque ad principes perversos et dæmones. Sapient. VI, *Fortioribus autem fortior instat cruciatus*. Hæc autem pœna erit communis omnibus, licet non æqualis. Unde sequitur, *Per stadia mille sexcenta*. Stadium est spatium continens passus centum vigintiquinque, scilicet octavam partem milliarii ; et dicitur a stando, quia Hercules cum cucurrisset uno halitu centum vigintiquinque passus, tunc respiravit et stetit. Propter hoc græci hac mensura metiebantur loca in quibus ludebant. Stadium ergo signat homines per viam vitiorum currentes, et ludis mundanæ vanitatis insistentes, secundum *Glossam*. Quidam autem sunt in hoc ludo minus perfecti : quod signatur per simplicem senarium, qui signat quandoque minorem perfectionem, sive in bono sive in malo. Quidam perfectiores, quod per centenarium, qui numerus magis signat perfectionem, quam senarius, quia multos numeros continet et terminat ; est enim numerus in se completus. Unde retro incipere oportet in numerando. Quidam perfectissimi : quod signatur per millenarium, qui est numerus magis completus quam centenarius, quia et eum et alios multos in se continet et terminat. Continua sic, quasi dicat : vindicta procedet de inferno, non solum ad minores, sed etiam ad majores, qui freni equorum dicuntur. Vindicta dico, currens. Per stadia mille sexcenta, idest per homines qui ludis vitiorum detenti, diversum vitæ cursum, male vivendo, tenuerunt, scilicet vel in gradu vitiorum minori vel medio vel maximo. Ex quo patet, quod omnes reprobi æternaliter punientur. Distincte tamen secundum diversa demerita. Infra XX, *Judicatum est de singulis secundum opera eorum etc.* Gregorius in *Gregoriano* : « Unumquemque damnatum juxta modum criminis etiam retributio sequetur ultionis. » Sed objicitur. Ignis enim gehennæ unus et idem est ; ergo uno et eodem modo agit in omnes. Item quomodo vel quare per creaturam ignobilem, scilicet per infernum, ministratur pœna creaturæ, scilicet Angelis malis et hominibus, quorum tam nobilis est natura ? Item objicitur de his tribus visionibus : scilicet secunda, tertia, quarta ; quia cum in eis agatur de persequutionibus Ecclesiæ, videtur aliqua earum superfluere. Respondeo. Ad primum dicendum, quod activum agit in patiente disposito ; et ideo agens agit secundum dispositionem patientis : unde secundum quod differenter dispositi sunt ad pœnam secundum diversa demerita, sic differenter torquentur etiam ab eodem instrumento, scilicet igne vel alio, sicut sol manens unus diversas res calefacit et exurit. Unde Gregorius in *eodem* : « Sicut uno sole omnes tanguntur, nec tamen sub eo uno ordine omnes æstuamus, sic damnatos una gehenna afficit, et tamen non omnes una qualitate comburit. » Præterea ignis et alia instrumenta pœnæ infernalis agunt in reprobos homines et dæmones, secundum ordinem justitiæ : et quia justitia non punit æqualiter eos qui in culpa non fuerunt æquales ; ideo reprobi differenter torquentur. Ad aliud dicendum, quod licet natura rationalis sit dignissima, tamen vilis facta est per peccatum, subjiciendo se videlicet per affectum ; et ideo viliter per vilem creaturam torquetur, quia a summe digno recedens se per vilia vilem fecit. Ad aliud dicendum, quod nulla visio est superflua. Ordinatissimæ

enim datæ sunt a sapientia summa. Nam in prima istarum trium agitur de persequutionibus Ecclesiæ, inquantum per illas distinguentur status Ecclesiæ. In secunda ad cautelam sanctorum. In tertia inquantum in illis proficit Ecclesia.

CAPUT XV

Et vidi aliud signum etc. Cum in hoc libro contineantur septem visiones : Primæ quatuor pertinent ad statum Ecclesiæ universalem, sive initialem, sive medium, sive finalem. Tres vero residuæ spectant ad statum Ecclesiæ finalem, sicut dicit *Glossa*. Istæ autem tres sic distinguuntur. Prima est de Angelis effundentibus phialas iræ Dei, in quibus continentur septem plagæ; et hæc ad tempus refertur Antichristi. Secunda de damnatione Babylonis, et bestiæ, et pseudo apostolorum. Et hæc refertur ad tempus judicii. Tertia de innovatione electorum et glorificatione sanctorum, et pertinet ad statum præmii. In hac ergo visione quæ tria capitula continet, agitur de septem Angelis tenentibus et effundentibus septem phialas, in quibus continentur septem plagæ, idest damnationes impiorum qui erunt tempore Antichristi; et ex hoc fideles animari debent ad bonum. Dividitur autem hæc pars in tria capitula. In primo agitur de potestate effundendi phialas. In secundo de ipsa effusione, cap. XVII, *Et venit unus de septem.* Circa primum notandum, quod Angelis, hoc est prædicatoribus, habentibus potestatem effundendi phialas adhærent alii fideles. Utrique autem sunt in statu manifestandæ veritatis. Ipsos autem Angelos oportet esse idoneos ad actum prædicandi, ut sint digni effundere phialas, idest annuntiare pœnas divinæ iracundiæ peccatoribus, quibus damnatio debetur propter eorum perversitatem : unde prima pars in sex dividitur. In prima tangit Angelos habentes hujusmodi potestatem. In secunda describit adhærentes eisdem per fidei unitatem, *Et vidi tamquam mare.* In tertia ostendit manifestatam unitatem, *Et post hæc vidi, et ecce apertum est.* In quarta præmissorum Angelorum idoneitatem, *Quia exierunt.* In quinta plagarum infligendarum qualitatem, *Et unum.* In sexta hominum his plagis affligendorum perversitatem, *Et impletum est.* In prima parte. Primo agit de Angelis hujusmodi potestatem habentibus implicite et in generali. Secundo explicite et in speciali, *Angelos septem.* Dicit igitur : *Et vidi :* quasi dicat : ita vidi præmissa; et præter illa, *Vidi*, interno aspectu per revelatoriam visionem, *Aliud signum.* Aliud inquam, ab illo de quo supra XII, *Et signum magnum apparuit in cœlo, Mulier etc.* Et bene dicitur Aliud ; quia illud est signum perfectum Ecclesiæ; hoc autem est signum quo intelligitur damnatio malorum, quæ per prædicatores denuntiatur. Vel, aliud a signis de quibus XIII et XIV capitibus; quia sub signis vidit ea de quibus illic habitum est. Signum, idest figuram, aliquid mysticum significantem. Quorum autem dixit signum, explanat post cum subdit, *Angelos septem etc. In cœlo*, idest in Ecclesia per cœlestem vitam excelsa. Ad Ecclesiam enim pertinet illud quod vidit de septem Angelis, idest de universis prædicatoribus, et alia multa quæ sequuntur : *Magnum*, significatione; quia magnum in Ecclesia signat visio quæ sequitur : *Mirabile*, consideratione, quia ex eis quæ consequuntur, surgit materia admirandi, considerando divinam sapientiam quæ per talem modum revelavit, et tam sapienter omnia disponit. Item potentiam qua ita fortiter regit bonos et dissipat malos. Item misericordiam in bonos et justitiam in malos. Eccles. XLII, *Et admirabilis magnificentia ejus.* Cujusmodi autem signum viderit, ostendit in speciali dicens : *Angelos septem*, hoc est universos prædicatores septiformi spiritus imbutos. Vel, *Septem Angelos*, idest septem ordines prædicatorum, sicut infra patebit; qui dicuntur Angeli propter officium annuntiandi hominibus quæ sunt salutis, quia Angelus interpretatur nuntius; et propter excellentiam vitæ, quæ debet eminere in eis. Supra VIII, *Vidi septem Angelos stantes etc. Habentes septem plagas*, hoc

est potestatem infligendi malis universas pœnas divinæ justitiæ, ut excæcatione in præsenti et damnatione in futuro, ubi erunt pœnæ multiplices. Pœnæ autem dicuntur plagæ, quia valde acerbe natura rationalis læditur in pœnis quas divina justitia in perpetuum infert. Jerem. xxx: *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Pœnarum autem reproborum universitas per septenarium signatur, sive sint in præsenti, sive sint in futuro. Si autem ad infernum referamus, septem pœnæ possunt notari in eodem. Una est carentia divinæ visionis. Isa. xxvi, secundum aliam litteram: Tollatur impius ne videat gloriam Dei. Secunda anxietas vermis. Isaiæ ultimo: *Vermis eorum non morietur.* Tertia est ardor ignis. Matth. iii: *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Quarta vehementia frigoris. Job xxiv: *Ad calorem nimium transeat ab aquis nivium.* Quinta horror caliginis. Matth. xxii: *Ligatis manibus projicite eum in tenebras exteriores.* Sexta fœtor intolerabilis. Isa. xxxiv: *De cadaveribus eorum ascendet fœtor.* Septima societas abominabilis, quod signatur Sap. xvii: *Personæ tristes illis apparentes, pavorem illis præstabant.* Bernardus in suis *Meditationibus*: « Nihil ibi videbitur nisi vermis, atque teterrima monstra dæmoniorum. » Prædictas plagas dicuntur prædicatores posse infligere, quia auctoritatem habent denuntiandi eas impiis infligendas, ut habetur infra xvi: *Et primus Angelus effudit etc.* *Novissimas*, quia post pœnas quæ inferentur malis a Deo in die judicii, sicut prædicatores interim annuntiant, non infert Deus alias, sicut dicit *Glossa*. Vere autem dico novissimas. *Quoniam in illis*, scilicet *Plagis consummabitur*, idest complebitur, ut ultra non addat alias pœnas ira Dei, idest justitia Dei in effectu, quia malis per judicium a mundo ablatis et in imo terrarum conclusis, non infert Deus amplius sententiam judicii. Ezechiel. vii: *Nunc finis super te, et immittam furorem meum in te, et judicabo te juxta vias tuas.* *Et vidi.* Habito de Angelis habentibus prædictam potestatem, agitur hic de his qui eis adhærent per fidei unitatem: et loquor de fide formata. Prædicatoribus enim adhærent alii fideles, eamdem fidem cum caritate et gratia tenentes, et sub eodem Domino militantes. Et ex hoc commendatur et ostenditur acceptabilis status fidei catholicæ. Quoniam autem status statim et omnia merita tam prædicatorum quam eis adhærentium ortum habent a virtute baptismi: ideo primo ostendit originem meritorum, scilicet baptismum. Secundo ipsa merita fidelium, *Et eos.* Baptismum autem qui est meritorum origo, describit quantum ad triplicem effectum, contra tria quæ facit peccatum originale, quod facit in anima horrendam fœditatem, internam obscuritatem, ineptam tepiditatem. E contrario autem baptismus introducit sinceritatem; ideo dicitur Mare, idest vas lavatorium. Unde dicit: *Et vidi*, quasi dicat: ita vidi Angelos habentes septem plagas. *Et vidi*, similiter. *Glossa*, cum illis Angelis. Ideo non tantum vidit Angelos, sed etiam quoddam vas vitreum cum igne; quia ipsi prædicatores per baptismum facti sunt filii adoptivi et baptismum prædicant. Item quia illi qui eis adhærent, de quibus sequitur, per virtutem baptismi proficiunt et salvantur. *Tamquam mare*, idest quoddam signum simile vasi lavatorio. Dicit autem *Tamquam*, quia non videbat verum vas materiale, sed simile. Sciendum autem quod mare, quandoque dicitur aqua multa congregata. Psalm.: *Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud.* Quandoque vas lavatorium, propter continentiam multæ aquæ; sicut in templo Salomonis positum est mare ut ibi sacerdotes abluerentur, III Reg. vii. Per hoc mare signatur baptismus, quia vim habet mundativam. Act. ii: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Christi Jesu in remissionem peccatorum vestrorum.* Ambrosius in II lib. *de Sacramentis*: « Baptismate peccata omnia diluuntur. » Item baptismus infundit claritatem, contra culpæ caliginem: unde dicitur: *Vitreum*, vitrum perspicuum est et clarum, et solis claritas ultra se transcendit: per quod signatur quod baptismus animam claram facit per fidem et gratiam. Supra iv: *Et in conspectu sedis, tamquam mare vitreum etc.* Item accendit caritatem contra le-

porem : unde sequitur : *Mixtum igne*, per Spiritus sancti inflammationem. Spiritus enim sanctus datur copiose in baptismo, maxime adultis se bene disponentibus. Ipse autem est ignis, ignem caritatis ad Deum et proximum accendens. Matth. III : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Ambrosius, in lib. *de Sacramentis* : « Ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, et omnes quidem virtutes ad spiritum pertinent. » Posset etiam hoc mare intelligi Scriptura sacra quam prædicant præmissi Angeli et per quam informant fideles, de quibus sequitur : « *Et eos.* Sacra vero pagina purificat. Joan. XV : *Jam vos mundi estis propter sermonem meum.* Item clarificat. Psalm. *Præceptum Domini lucidum etc.* Item inflammat. Prov. XXX : *Omnis sermo Dei ignitus etc. Et eos.* Hic ostendit merita fidelium adhærentium præmissis Angelis : specialiter autem videtur agere de justis qui erunt tempore Antichristi : quos describit multipliciter. Primo quantum ad tentationum expugnationem. Secundo quantum ad innocentiæ conservationem, *Stantes supra mare*. Tertio quantum ad carnis mortificationem. *Et cantantes*. Mali autem e contrario succumbunt tentationibus : quod erit specialiter sub Antichristo ; et per hoc elongant se ab innocentia baptismali, et per consequens non habent actus Deo acceptabiles, sive quantum ad mortificationem propriæ carnis, sive quantum ad præconium divinæ laudis. Dupliciter autem vincent tentationes Antichristi : scilicet quia neque servient ei exterius, nec credent in eum interius. Unde circa primum primo ostenditur victoria tentationum quantum ad contemptum cultus exterioris : quia nec colent eum in se : unde dicit : *Et eos etc.*, nec in sua imagine unde subditur : *Et imaginem ejus.* Secundo quantum ad contemptum erroris, *Et numerum*. Dicit igitur : *Et vidi*, cum illis Angelis. *Eos qui vicerunt bestiam*, idest Antichristum, resistendo et non acquiescendo ejus documentis vel persuasionibus præmissis, minis vel donis vel flagellis, et propter aliquod adversum vel miraculum non coluerunt eum. Multi autem alii servient ei : unde supra XIII : *Adoraverunt eum omnes, qui inhabitant terram dicentes : quis similis bestiæ, etc.* Sed contra, supra XIII. *Adoraverunt etc.* : ergo omnes colent Antichristum. Respondeo. Quod non omnes colent Antichristum, sicut hic habetur ; quia Deus non deseret penitus suam Ecclesiam. Illud vero quod objicitur intelligitur de malis qui habitant in terra per affectum ad vana, quia tales se Antichristo subjicient, sicut dicit Gregorius. *Et imaginem ejus*, non adorando statuam Antichristi, licet ad hoc compellere studeat homines. Supra XIII : *Et faciet, ut quicumque non adoraverit imaginem bestiæ, occidatur*, Et vicerunt similiter *Numerum nominis ejus*, scilicet Antichristi ; non credendo ipsum esse Deum, sed hominem peccatorem. Numerus nominis Antichristi, videtur stultis significare Antichristum esse Deum cui servire debeant homines secundum omnem gradum vitæ suæ ; scilicet gradum minus perfectum, et mediocrem, et perfectum, et a quo credant se præmiandos secundum merita, vel minori vel mediocri vel maximo præmio, et a quo credatur productam esse sive conditam omnem perfectionem, sive naturæ, sive gratiæ, sive gloriæ. Numerus autem Antichristi vincitur per fidem primæ et summæ virtutis, dum justus per hunc numerum non decipiatur, sed semper veram fidem tenebit. De hoc numero supra XIII : *Et numerus ejus sexcenti sexaginta sex* : ubi de hoc magis dictum est. Vel aliter in parte. Unde notandum quod quidam adorabunt bestiam, idest Antichristum, reverendo ejus potentiam, et hoc timore confracti, scilicet timendo magis eum quam Deum. Quidam imaginem bestiæ per conformitatem malignitatis. Quidam habebunt numerum nominis ejus per seductionem erroris. Vincitur ergo a justis bestia per magnanimitatem quæ erit in confidentia summæ potestatis : vincitur imago, idest ejus conformitas, per caritatem quæ accenditur imitatione summæ bonitatis, ut non imitentur Antichristum : vincitur numerus nominis ejus, per fidem summæ virtutis, ut supra dictum est. *Stantes*, per mentis vitæ rectitudinem et innocentiæ conservationem. *Supra mare*, præmissum, idest

super gratiam innocentiæ baptismalis. Hoc fit dum vigilanter homo incumbit gratiæ prius susceptæ servandæ et promovendæ. Psalm. : *Super aquam refectionis* (scilicet gratiam baptismalem) *educavit me*. *Habentes cytharas*, idest carnis austeras mortificationes, idest carnem suam mortificantes. Coloss. III : *Mortificate membra vestra etc.* Cythara inquam *Dei*, tamquam causæ exemplaris, quia ipse hoc exemplo docuit, I Petr. II : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*. Galat. V : *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis*. Vel, Dei, tamquam esse finali. Augustinus, ultimo *de Civitate Dei* : « Præmium virtutis erit ipse qui dedit virtutem. » Talis cytharæ sonus dulcis est in auribus Dei. Ad hujusmodi sonitum fugatur spiritus malus, quandoque etiam ab alio per vim exit. I Reg. XVI : *Quandocumque spiritus malus arripiebat Saul, David tollebat cytharam etc.* Dicit autem cytharas pluraliter quia quilibet justus habet suam cytharam, idest mortificationem carnis. Item recte dicitur Dei, quia Deus et salvator noster cytharam insonuit, ad cujus cytharæ sonitum, Pater ad misericordiam flexus est. Hebræor. V : *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Item *petræ scissæ sunt, et terra mota est, et monumenta aperta sunt, et multa corpora surrexerunt* Matth. XXVII : *Et cantantes*. Hic describitur meritum fidelium, quantum ad divinam magnificationem, quam faciunt gaudentes, et ideo cantare dicuntur. Primo autem describitur hujusmodi magnificatio in generali : quia scilicet laus illa pertinet ad vetus Testamentum et novum. Secundo in speciali, *dicentes etc.* Dicitur, *Et cantantes canticum Moysi*, idest cum gaudio laudantes Deum, sicut docet Lex vetus, quæ est canticum Moysi ; quia in ipsa Moyses spiritualiter Deo cantavit, et Deum laudare docuit. Ad commendationem autem Moysi subditur, *Servi Dei*. Josue I, *Moyses servus meus mortuus est*. Et *canticum Agni*, idest laudantes Deum gaudenter juxta documentum novæ legis, quæ est canticum Christi pro hominibus immolati ; qui in Evangelio, inquantum homo, laudat Deum Patrem et docet nos et cantare. Qualiter autem magnificent Deum, ostenditur in speciali, cum subditur, *Dicentes magna sunt etc.*, hæc enim in novo et veteri Testamento inveniuntur licet non sub his verbis. Vel Canticum Moysi, idest cum gaudio laudantes Deum de effectu justitiæ juxta canticum Moysi, de quo Exod. XV : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus projecit in mare*. Et canticum Agni, idest laudantes Deum de effectu misericordiæ exhibito maxime in humana redemptione, sicut Agnus docet Patrem laudare in Evangelio : ipse enim gratias agit pro homine. Matth. XXVI : *Et accipiens calicem gratias egit etc.* In speciali autem ostenditur illud canticum, idest laus gaudiosa, cum subditur, *Magna et mirabilia etc.* : ubi fit mentio de justitia et misericordia divina. Aliter secundum *Glossam* potest hic notari Primo magnificatio in opere. Secundo in sermone. *Dicentes, magna etc.* Dicit igitur, *Et cantantes*, *Glossa*, cum exultatione adimplentes *Canticum Moysi*, idest legem veterem, in qua, ut dictum est, Moyses Deo cantavit, idest Deum laudavit. *Et canticum Agni*, idest Evangelium, ut supra : quia justi tam legem veterem quam novam spiritualiter observant. Sed contra Matth. XI : *Omnes prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt* : ergo post prædicationem Joannis cessavit lex. Item Hebræor. VII : *Translato sacerdotio etc.* : sed sacerdotium veteris legis translatum est quia nunc manet sacerdotium Christi. Psal. : *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech* : ergo et lex ; ergo non manet Vetus, sed Nova. Respondeo. Dicendum, quod de lege est loqui quantum ad moralia ; et quantum ad hoc servanda est lex simpliciter. Matth. XIX : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Item quantum ad ferialia sive cæremonialia, ut de agno, hædo, et hujusmodi. Et hæc possunt attendi, vel secundum litteram, et sic non sunt observanda ; quia umbra cessat veritate præsente. Unde Hieronymus : « Ego pronuntio cærimonias omnes esse mortiferas ; finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti. » Vel secundum spiritum, scilicet quantum ad spirituale

signantur, et sic lex servanda est, quantum ad ceremonialia, quia illa sunt facienda quæ pro ferialia signantur implenda a nobis, præter veritatem credendorum quam Christus exhibuit in seipso : et sic loquitur *Glossa*. Unde Roman. III : *Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus. Dicentes*. Hic in speciali describitur magnificatio in sermone. Primo autem ponitur magnificatio sive laus quantum ad divinæ operationis fastigium. Secundo quantum ad exhibendi cultus debitum, *Quis non timebit?* Fastigium sive sublimitas divinæ operationis extollitur. Primo, quantum ad sapientiam et potestatem. Secundo, quantum ad justitiam sive bonitatem. Sapientia enim et potentia et bonitas, sunt in operatione divina. *Juste et vere*. Dicitur igitur, *Dicentes*, ad Dei honorem, et ad aliorum excitationem, *Magna*, in creatione, *Et mirabilia*, in recreatione hominis, *Sunt opera tua :* et sic intelligitur de diversis operibus. Vel, *Magna*, in se. *Mirabilia*, in consideratione, propter magnitudinem, sapientiæ et potentiæ : et sic de eisdem, Job. v *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero*. Qualis autem et quantus sit opifex ipse, subjungitur. *Domine*, per præsidentiam. *Deus*, per naturam, *Omnipotens*, per infinitam potentiam. Supra IV : *Sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, *Domine Deus Omnipotens etc*. *Viæ tuæ*, idest operationes tuæ, quibus ad nos venis, vel nos ad te ; ut sunt præcepta, sacramenta, et illa quæ Deus operatur circa hominem, quantum ad profectum meritorum sunt « Justæ, » idest rectæ in se : quia nihil habent distortum, *Et veræ*, in promissione ; quia reddunt quod promittunt ; idest Deus reddit præmium quod promittit observantibus suorum præceptorum et sacramentorum institutiones. Vel de operibus punitionis, sic. *Viæ tuæ*, idest pœnæ sive flagella sive reprobationes, cum malos impœnitentes abjicis, quæ docent nos redire ad te, sunt justæ, quia punis propter culpam. *Veræ*, idest nullatenus ad falsitatem judicii declinantes ; quia non punis supra culpam, imo semper infra. Daniel. III : *Viæ tuæ justæ et judicia tua vera. Rex sanctorum*, scilicet Angelorum et hominum ; quia sancti et justi sunt familia tua, super quam regnas; mali enim non sunt de familia Dei. Levetici XIX : *Sancti estote, quoniam sanctus sum Dominus Deus vester*. Sed quomodo dicitur rex sanctorum, cum sit universaliter Dominus et rex omnium et etiam malorum et omnium rerum? Esther. XIII : *Domine rex omnipotens*, *in ditione tua etc*. Respondeo. Dicendum quod Deus est rex omnium universaliter per generalem dominationem. Ad commendandam tamen ejus bonitatem, quia non habet familiam, nisi sanctam, dicitur quandoque specialiter rex sanctorum sive justorum, per familiarem dilectionem et specialem gubernationem ; quia familiariter diligit justos, et diligitur ab eis ; et specialiter eos gubernat ; quia subjiciunt se ipsius dominationi. Propter hoc etiam dicitur *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob*. Marci XII. Alia littera habet : Sæculorum, idest omnium rerum in omnibus sæculis ab initio mundi in perpetuum. Tobiæ XIII : *Regemque sæculorum exaltate in operibus vestris*. Ex quo patet quod vivens et dominans in æternum suos præmiat æternaliter. Sapient. v : *Justi in perpetuum vivent. Quis non*. Hic extollitur Deus quantum ad exhibendi cultus debitum. Ad cultum autem qui Deo debetur, concurrunt duo : scilicet affectio timoris, intra, et obsequium magnificationis extra in ore et opere. Cujus ratio est magnitudo misericordiæ. Primo ergo tangitur affectio timoris. Secundo obsequium magni ficationis, *Et magnificabit*. Tertio subditur efficacia rationis, *Quia solus*. Dicit igitur, *Quis :* quasi dicat : Cum tantus opifex sis, ergo, *Quis non timebit te Domine?* timore casto, per quem vitatur malum, et fit bonum. Jeremiæ x, *Quis non timebit te rex gentium? quis non magnificabit*, verbo et facto, *Nomen tuum?* quod est Deus, quod tibi soli convenit : quasi dicat : Nullus debet esse qui te non timeat, et magnificet nomen tuum. Psal. : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum*. Ad magnificandum autem excitari debemus maxime propter viscera suæ misericordiæ. Unde

sequitur, *Quis*: quasi dicat: vere magnificari debes ab omnibus, *Quia solus pius es*: quod patet in redemptione generis humani, et quia gratis salvat, ut dicit *Glossa*. II Paralipomenon xxx: *Pius et clemens est Dominus Deus noster*. Dicit autem, *solus*, quia summa et ineffabilis misericordia non convenit nisi Deo. Sed objicit aliquis contra hoc quod dicitur *Solus*; quia quilibet justus pius est, unde de quolibet *confessore* dicitur: Qui pius prudens. Responsio patet. Est enim pietas in genere, quæ scilicet est finita et limitata, et non est summa sive infinita; et hæc convenit homini et Angelo. Est etiam pietas extra genus, quæ scilicet non cadit sub limitatione, quia infinita; et hæc est solius Dei: de hac agitur hic. Item hic loquitur de pietate quæ est per essentiam non per participationem. *Quoniam omnes*. Hic ostenditur debitum divini cultus esse implendum in re; quia coletur Deus ab omni gente. Coli autem non potest sine fide interiori et actu exteriori, si fieri possit: hoc autem fieri debet, quia semper Deus est in suis judiciis justus, et hoc est omnibus certum. Primo ergo tangitur accessus in credendo. Secundo reverentia in adorando, *Et adorabunt*. Tertio reverendi ratio, *Quoniam judicia*. Dicit igitur, *Quoniam*: quasi dicat: ita debet te creatura magnificare, et vere sic fiet. Quoniam, non est terminativum sed explanativum, *venient*, gressu fidei, *Omnes gentes*, idest aliqui de omnibus gentibus. Hæc non solum habet veritatem pro tempore primitivo, et medio in quo sumus, sed etiam pro statu ultimo potest hoc intelligi; quia licet sub Antichristo multi decipiantur, tamen prius revertentur ad fidem electi de diversis nationibus, et ipsi etiam Judæi convertentur. Psal.: *Ad te omnis caro veniet*. *Et adorabunt*, vera fide et devotione, *In conspectu tuo*, idest in beneplacito tuo præsentabunt se ad implendum tuum beneplacitum. Isaiæ lx: *Et adorabunt vestigia pedum tuorum*. Dignum autem est te adorare et venerari. *Quoniam judicia tua*, quibus quosdam reprobas, quosdam eligis, etiam ante judicium generale, *Manifesta sunt*, idest manifestum est quod justa sunt; et ideo cum reverentia adorandus es, et decet tibi [illegible]. Psal.: *Justus es Domine, et rectum judicium tuum*. Sed contra: Roman. xi: *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Respondeo. Judicia Dei in electione quorumdam et reprobatione aliorum sunt manifesta, loquendo de iis in generali; quia certum est quod justa sunt. Considerando autem ea in speciali, valde occulta sunt, *scilicet* quare hunc potius eligit quam illum; quare hunc erigit de fæce, illum non; et sic accipitur illud Roman. xi. Unde Augustinus II libro de *Civitate Dei*: « Cujus plene judicia nemo comprehendit, nemo juste reprehendit. » *Et post hæc vidi*. Hic ostendit manifestam veritatem in novo Testamento, quæ latebat sub figuris et prophetiis, quam prædicant præmissi Angeli. Propter quam etiam est optimum, ut Angeli, idest prædicatores, per totum mundum prædicent. Item ex veritate manifesta, patet impios qui nolunt credere recte esse damnandos, ut patet in *Glossa*. Dicit igitur, *Et post hæc*, scilicet post præmissa de Angelis et adhærentibus eis, *Vidi*, interno visu. Quid autem vidit, subjungit, *Et ecce*: notatur præsentia rei visæ, tamen sub figura. *Apertum est templum*, idest revelatum est mysterium, sive illud quod prius fuit occultum, quod est sacrum ac venerabile, quod continet virtualiter cultum Dei, quod erat prius quasi templum clausum ante quam Christus ea quæ sub figuris in lege latebant aperuisset, implendo humanam redemptionem et aperiendo Scripturas. II Corinth. iii: *Nos autem revelata facie etc.* Templum inquam *Tabernaculi testimonii*, idest mysterium Ecclesiæ militantis. Illa enim mysteria ad Ecclesiam pertinent, similiter et ad sponsum suum. Et dicitur Ecclesia Tabernaculum; quia ad honorem Dei militat contra vitia et contra hostes fidei, et in ea Deus sicut in tabernaculo habitat pugnans pro suis. Psal.: ***Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?*** Tabernaculi inquam Testimonii, per similitudinem quamdam ad tabernaculum figurale et materiale, quod fuit sub veteri lege. Exod. xxvii: *Et ardeat semper lucerna in Tabernaculo*

Testimonii, quod panem de cœlo dedit eis. Tabulæ, in testimonium quod legem naturalem sopitam in eis suscitaverat in scripto. Virga Aaron, in testimonium quod omnis potestas est a Deo. Juxta hæc Ecclesia dicitur Tabernaculum testimonii : quia in se habet humanitatem Christi plenam. Manna Deitatis, quod est testimonium divinæ bonitatis Ecclesiam pascentis verissimo cibo. Item habet legem novam scriptam in tabulis cordis, quod est testimonium divinæ bonitatis simul et veritatis, Ecclesiam erudientis cœlesti documento. Item habet potestatem ligandi et solvendi, quod est testimonium divinæ bonitatis simul et potestatis extollentis Ecclesiam dignitatis fastigio. *In cœlo :* quasi dicat : Mysterium apertum est, et hoc in cœlo, idest in ipsa Ecclesia. Mysteria enim quæ ad Ecclesiam pertinent et primum latebant, manifestata sunt per Christum in Ecclesia ipsa, ut scilicet sint nota fidelibus, qui sunt de Ecclesia. Supra xii, *Et apertum est templum Dei in Cœlo. Et exierunt.* Hic ostendit præmissorum Angelorum, idest prædicatorum idoneitatem. Et hoc primo quantum ad zeli promptitudinem ; quia prompti sunt ad adjutorium animarum : unde dicitur, *Et exierunt.* Secundo quantum ad officii auctoritatem, *Septem Angeli.* Tertio, quantum ad internam soliditatem, *Vestiti lapide.* Quarto, quantum ad vitæ sinceritatem, *Mundo.* Quinto, quantum ad virtutum speciositatem. *Et candido.* Sexto quantum ad conservativam caritatem, *Præcincti.* Prædicatores enim debent esse ad prædicandum prompti. Item debent habere auctoritatem prædicandi. Debent etiam esse solidi contra tentamenta et adversa. Item sinceri et virtutibus speciosi. Hæc autem omnia non conservantur nisi per caritatem quæ vanos cogitatus compescit. Dicit igitur : *Et exierunt :* hoc intelligatur pro tempore præterito, præsenti et futuro ; quia quod tunc vidit septem Angelos exisse, signat quod prædicatores sancti olim se præparaverunt ad prædicandum, et tunc præparant et præparabunt. *De templo,* idest de secreto contemplationis, in quo quasi in templo habitant et colunt Deum. Vel de interno cubiculo conscientiæ. Quasi dicat : prædicatores sancti reddunt se præparatos ad proficiendum aliis; se enim præparare quasi quoddam exire est. Non enim loquitur hic de ipso actu prædicandi, sed infra xvi, *Ite et effundite et abiit etc.* Cantic. ii, *Egrediamur in agrum etc. Septem Angeli,* idest universi prædicatores qui sunt nuntii salutis ad homines. Et sic ostenditur auctoritas in generali, deinde in speciali. *Habentes septem plagas,* idest potestatem inferendi universas pœnas divinæ iracundiæ, quod intelligitur per comminationem. De hoc dictum est supra in principio capituli. • *Vestiti,* idest circumdati, *Lapide,* idest firmitate, ut dicit *Glossa,* quia lapis quid firmum est. Vestitus hominem undique circumdat et protegit ; sic undique debet prædicator esse circum munitus fortitudine contra omnem tentationem et adversitatem, ut protegatur a nocumento peccati. Supra v, *Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna etc. Mundo,* a malitia peccati. Gregorius in *Gregoriano :* « Necesse est ut manus esse munda studeat, quæ diluere sordes curat. » *Et candido,* virtutibus et meritis. Isa. lii, *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis etc.* Vel, vestiti lapide, idest Christo. Galat. iii, *Quotquot baptizati estis, Christum induistis.* Christus autem dicitur lapis propter firmitatem. Daniel. ii, *Abscissus est de monte lapis sine manibus.* Ipse etiam est mundus per humanitatis sinceritatem. I Petr. ii, *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus,* candidus per divinitatem pulchram ineffabiliter. Sap. vii, *Candor enim est lucis æternæ etc.* Alia littera habet, Vestiti linteo mundo : in quo notatur puritas castitatis. Linteum enim ex terra nascitur et justo labore ad candorem ducitur : sic est de castitate. *Et præcincti circa pectora,* idest restringentes vanas cogitationes, sicut aliquod cingulum pectus stringit. In hoc autem notatur quod non sufficit restringere libidinem operis, sed oportet etiam cogitationis : unde oportet habere castitatem carnis et sanctimoniam mentis. Ephes. vi, *State succincti lumbos mentis vestræ.* Isidorus, II lib. *de Summo bono :* « Quod si ab opere malo quisque

vincet, per actus tamen cogitationis malitia non erit innocens. « *Zonas aureas*, idest cingulo castitatis, quod restringit vanas cogitatus, sicut zona corpus : zona autem aurea dicitur propter pretiositatem quia alias virtutes excedit, sicut aurum alia metalla. I Corinth. xiii, *Major autem horum est caritas*. Coloss. iii, *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Dicitur autem in plurali zonis aureis, propter diversitatem subjectorum, in quibus multiplicatur caritas secundum numerum. Sed zonas aureas pauci habent : multi autem loteas, idest affectiones terrenorum corda eorum stringentes : pro hac zona dabitur eis funiculus, quo semper in inferno ligati teneantur. Isa. iii, Et pro zona funiculus. *Et unum*. Hic ostendit pœnarum infligendarum qualitatem, quia illæ pœnæ sunt magnæ et asperæ : sunt enim ex divina iracundia, et quia prædicatores novi Testamenti habent ex institutione priorum patrum quod prædicent divinam iram ; ideo dicit : *Et unum*. Quasi dicat : ita vidi Angelos se ad prædicandum parantes. *Et unum ex quatuor animalibus*, idest unus ordo prædicatorum. Quatuor animalia sunt universi prædicatores, et possunt hic accipi tam prædicatores veteris Testamenti quam novi Testamenti : et dicuntur quatuor propter prædicationem quæ per quatuor orbis partes fieri debet : unde ex his quatuor animalibus est unus ordo prædicatorum : scilicet prædicatores priores, ut fuerunt sancti Prophetæ, ex quorum doctrina alii sequentes informati fuerunt ad prædicandum iram divinam impiis : unde Psalm. : *Disperdet eos etc*. Item. Injusti autem disperibunt. Isa. iii. *Væ impio in malum retributio etc*. Similiter et alii Prophetæ. *Dedit septem Angelis*, idest universis aliis prædicatoribus sequentibus : vel specialiter universis prædicatoribus qui erunt tempore Antichristi. *Septem phialas*, idest abundantiam divinorum sermonum et doctrinæ ad annuntiandum iram Dei. Phiala est vas de quo accipitur vel datur potus alii : unde phiala hic intelligitur abundans scientia. De hoc sumitur prædicatio potans impios amaritudine comminationum, sive prædicatio pœnarum quibus potandi sunt impii. Dicuntur autem septem phialæ propter numerum qui ponitur in septem Angelis prædictis : scilicet propter septenarium ordinem prædicatorum in diversis temporibus, ita quod quilibet Angelus dicitur habere suam phialam, sicut patet infra xvi. Possunt etiam intelligi septem, propter scientiam prædicandi universas pœnas reproborum. *Aureas*, quia hujusmodi abundantiam scientiæ et sapientiæ cœlestis non mundanæ. Aurum enim propter pretiositatem et fulgorem sapientiam cœlestem designat. *Plenas iracundiæ Dei*, quia doctrina prophetarum docet alios prædicatores annuntiare malis magnitudinem divinæ iracundiæ quæ patebit in pœnis. Ut autem ostendatur ira ejus non dissimulanda, sequitur : *Viventis in sæcula* consecutiva. *Sæculorum*, idest in æternum : unde patet magnitudo punientis, et quod potest in æternum punire. Supra xiv, *Et ascendet fumus tormentorum in sæcula sæculorum*. Quasi dicat : ex doctrina priorum patrum informantur alii prædicatores, magna et cœlesti scientia, ad prædicandum magnitudinem iræ divinæ super impios. Vel, Unum de quatuor animalibus, scilicet Christus qui fuit nobilissimus inter omnes prædicatores ; qui licet super omnes prædicatores sit et doctor omnium, tamen per hoc quod homo esse voluit, non dedignatur inter eos annumerari. Item ipse Christus potest dici unus ex quatuor animalibus secundum quod consideratur in uno statu. Potest etiam dici quatuor animalia, per signatum, secundum quod est in quadruplici : factus est enim homo temporaliter nascendo, vitulus patiendo, leo resurgendo, aquila ascendendo. Dedit, idest dat. Septem Angelis, idest universis prædicatoribus. Septem phialas, idest corda continentia abundantiam divinorum sermonum. Aureas, propter cœlestem sapientiam, ut prius. Plenas iræ Dei, idest continentia quasi vasa iram Dei, scilicet ad annuntiandum pœnas hominibus. Ipse enim Christus sanctis prædicatoribus dat directionem ad prædicandum et annuntiandum communiter peccatoribus pœnas eis debitas. De phia-

lis dictum est supra v. Sed objicitur, quia supra eodem dicuntur prædicti Angeli habere septem plagas : quid igitur intelligitur datum eis hic? Item supra v de prædicatoribus dicitur : *Habentes singuli cytharas et phialas plenas odoramentorum etc.*; hic autem dicitur plenas iracundiæ Dei. Quomodo hæc simul vera sunt? Item dicitur hic aureas, et subditur plenas iracundiæ Dei : hæc a se dissonare videntur. Item iracundia terrorem dicit, saltem pœnalem, ergo non est in Deo. Respondeo. Ad primum dicendum, quod supra agitur de potestate prædicatorum, hic de informatione per priores patres, vel per ipsum Christum. Ad secundum dicendum, quod prædicatores habent phialas plenas odoramentorum quantum ad se in respectu ad Deum apud quem redolent ex vi devotionis : habent et phialas plenas iracundiæ Dei quantum ad peccatores in respectu quantum ad eorum perversitatem, cui debetur pœna damnationis. Ad tertium dicendum, quod phialas aureas habent quantum ad directum annuntiationis, quia divina sapientia eos dirigit ad annuntiandum : habent autem plenas iracundiæ Dei, quantum ad rem annuntiatam, scilicet pœnam. Ad aliud dicendum, quod etsi in homine aliquam turbationem dicat, non tamen in Deo, sed justitiam punientem, vel punire disponentem, vel comminantem ubi videtur iratus. Unde Isidorus I lib. *de Summo bono* : « Apud Deum turbatio nulla est, apud quem tranquillitas summa est : sed ipsam æquitatem justitiæ qua reos punit iracundiam sacra lectio nominavit. » De hoc magis dictum est supra vi. *Et impletum.* Hic ostendit impiorum affligendorum perversitatem, quia in tenebris erroris sunt irrevocabiliter : unde debetur eis damnatio. Primo ergo ostenditur caligo erroris. Secundo duratio calignis, *Et nemo.* Dicit igitur : *Et impletum est :* quasi dicat : ita sunt aperta mysteria fidelibus; tamen infidelibus sunt clausa. Hoc est quod dicitur : *Et impletum est templum*, idest sacrarium divinorum mysteriorum quæ sunt aperta fidelibus, ut supra dictum est. *Fumo*, idest obscuritate excæcativa quantum ad infidelem : quasi dicat : mysteria quæ sunt aperta fidelibus obscurata sunt infidelibus, propter eorum errorem : et hoc est. *A majestate Dei*, idest per altitudinem divinæ majestatis; quæ tanta est, quod infideles non possunt eam agnoscere, etiam per fidem, propter cæcitatem cordis eorum. Potest quidem infidelis, licet sit cœcus, per fidelitatem cognoscere magna autem ut corporalia quæ sunt scientiarum sæcularium, quia non sunt infinitæ altitudinis; sed divina majestas non potest in eis cognosci per fidem nisi mentis oculo illuminatæ. *Et de virtute ejus*, idest propter virtutem Dei, qui claudit sua mysteria indignis. Supra iii, *Claudit et nemo aperit.* Differunt autem majestas et virtus per rationem intelligendi; quia majestas dicitur in se : virtus vero inquantum operatur vel potest operari in creatura, vel claudendo, vel aperiendo, vel alio modo. *Et nemo*, scilicet de reprobis. *Poterat*, idest potest. *Introire in templum*, idest cognoscere mysteria Ecclesiæ, ut ea quæ sunt nostræ redemptionis et alia multa, quia excæcavit eos malitia eorum. Sap. ii, *Donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum*, idest donec consummentur, hoc est donec completæ sunt comminationes universorum prædicatorum, de universis pœnis peccatoribus infligendis : tunc enim sensus pœnarum et experientia faciet eos intelligere. Sicut enim dicit Gregorius : « Pœna oculos aperit, quos culpa claudit. » Tunc enim dicent illud Sap. v, *Erravimus a via veritatis etc.* Vel, In templum, idest in Ecclesiam per fidei susceptionem, quia scilicet obstinati. Donec consummarentur etc., idest donec consummentur, hoc est, completæ sunt in judicio universæ pœnæ damnationis, quas universi prædicatores comminati sunt : constat autem, ut dicit *Glossa*, postea non intraturos. Sed objicitur, quia si non potest infidelis effici membrum Ecclesiæ; ergo per impotentiam excusantur. Item si non potest donec damnatio malorum compleatur; ergo postea poterit; quod est falsum. Respondeo. Ad primum dicendum, quod hic agitur de infidelibus omnino in se obstinatis et a Deo reprobatis : tales enim

propter mentis declinationem, et divinam destinationem non possunt tendere ad illam; non quia non possent si vellent intrare; sed supposita malitia impossibile intrare illam possunt. Simile Joan. xii, Propterea non poterant credere etc. Aliter autem impossibile hoc exponitur, quia est ex vulgo sermo. Ad secundum dicendum, quod donec accipitur exclusive, ut in Psalm.: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos etc., secundum unum modum; unde scilicet consilio. Quandoque inclusive, ut Matth. viii, Non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum, idest nec ante nec post. Similiter cum dicitur, Iste non genuit donec mortuus est. Similiter etiam accipitur hic, sicut innuit Glossa; quia nec ante intrabant gremium Ecclesiae nec post. Possunt etiam hoc aliter intelligi de fidelibus, sicut in parte innuit Glossa: quasi dicat: Ita templum, idest mysterium divinum apertum est fidelibus, et ita praedicatores instituuntur per prophetas et per Christum, nondum tamen habent plenam notitiam quae erit in patria; et hoc est quod dicit: Et impletum est templum, idest sacramentum divini mysterii, fumo, idest obscuritate; quia licet mysteria sint revelata a novo Testamento, tamen in magna obscuritate sunt respectu patriae. I Corinth. xiii, Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Specialiter autem quare hunc eligit, illum reprobat; hoc plenum est fumo. Rom. xi, O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! Quod autem mysterium Dei sit nobis obscurum, hoc est A majestate Dei, idest propter infinitatem divinae majestatis quae a mortali clare non potest cognosci. Et de virtute ejus, idest propter infinitatem suae virtutis de qua non potest in via cognosci, quare hoc faciat potius quam illud. Jerem. xxxii, Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu. In fine tamen saeculi dabitur omnibus plenius cognoscere; unde sequitur: Et nemo aliorum fidelis in via, Poterat, idest potest, Introire in templum, idest in secretum divinum cognoscendum, scilicet quare hunc ab aeterno praedestinaverit non illum; donec consummarentur etc., idest donec compleatur judicium, in quo poenae universae infligendae sunt malis, sicut praedicatores comminati sunt; et tunc electi cognoscent divina secreta prius ignota, sicut dicit Glossa, Philipp. iii, Tunc cognoscam sicut et cognitus sum.

CAPUT XVI

Et audivi vocem magnam etc. Habito de potestate infligendi plagas, hic agitur de inflictione ipsarum, quae fit per praedicatores ad nutum, sive praeceptum divinae inspirationis. Primo ergo tangitur praeceptum infligendi. Secundo executio praecepti, *Et abiit.* Dicit igitur: *Et audivi*; quasi dicat: Ita vidi Angelos habentes potestatem plagandi cum aliis praemissis. *Et audivi*, interno auditu, *Vocem magnam*, idest inspirationem divinam fortiter instigantem; quia sanctos et spirituales praedicatores docet divina inspiratio quando et quomodo et quid debeant praedicare. Job, iv, *Porro ad me dictum est verbum absconditum etc. De coelo*, idest de sublimitate deitatis vel de Ecclesia, in qua Deus habitat. Aliqui libri habent de templo, idest de sacro ac venerabili secreto divinae majestatis, vel de Ecclesia in qua Deus habitat ut in suo templo. Vel, Vocem magnam, idest aliquam commonitionem, sive per Angelum, sive per praelatum superiorem, sive per visionem in somno, sicut legitur, Act. xvi, *Vir quidam Macedo etc.* Et dicitur Vox magna, quia magna suggerens, *De coelo*, idest de Ecclesia, idest de praelato vel de Deo, qui in Ecclesia habitat. Vel de templo, idest de Ecclesia sub eodem intellectu. *Dicentem septem Angelis*, idest universis praedicatoribus, vel specialiter universis praedicatoribus qui erunt tempore Antichristi, *Ite*, notatur missio actualis, in actu praedicent. Isaiae xviii, *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam etc. Et effundite*, per diversas partes ostendendo. Per hoc enim quod dicit *Effundite*, notatur modus praedicandi, scilicet cum abundantia comminationum. *Septem phialas irae Dei*, universam

scientiam continentem comminationes pœnarum, quæ sunt ex ira, idest ex justitia Dei, *In terram*, idest in terrenos : quasi dicat : Abundanter comminamini peccatoribus pœnas eis ex divina iracundia infligendas. Supra VIII, *Væ, væ, væ habitantibus in terra, Et abiit.* Hic ostenditur executio præcepti. Dividitur autem hæc pars in septem partes secundum numerum Angelorum. In prima agitur de effusione phialæ primi Angeli. In secunda secundi, et sic de aliis : partes in litera patent. Ad intelligentiam autem litteræ. Notandum quod hic agitur de prædicatione sanctorum prædicatorum contra reprobos : et de ipsorum reproborum damnatione. Et introducuntur hic septem Angeli, per quos septem ordines prædicatorum intelliguntur ; et septem phialæ, per quas intelligitur multiplex sive abundans scientia et doctrina continens comminationes nniversarum pœnarum damnationis. Dicuntur etiam septem propter numerum septem Angelorum ; quia quilibet describitur habens suam phialam. Ponuntur etiam septem loca, per quæ universitas reproborum intelligitur. Item ex ipsa littera videtur, quod isti septem Angeli sint intelligendi pro tempore Antichristi. Post effusionem enim phialæ primi Angeli dicitur : *Factum est vulnus sævum ac pessimum in homines etc.* Item in principio capitis XV dicit *Glossa :* « In hac quinta visione, missi sunt septem Angeli tenentes phialas in quibus continentur plagæ, idest destructiones iniquorum qui tempore Antichristi erunt. » Item infra, in principio sequentis capituli dicit *Glossa :* « Cum descripisset plagas quas inferent prædicatores tempore Antichristi etc. » Possunt autem sic distingui hi septem Angeli : Primus prædicabit contra Judæos qui Antichristum recipient. Secundus contra Gentiles, qui Christicolas affligent. Tertius contra pseudo apostolos Antichristi qui scripturas pervertent. Quartus contra ipsum Antichristum, qui supra Deum se extollet. Quintus contra infideles, quos Antichristus sibi subjiciet. Sextus, contra divites, qui similiter Antichristo obedient. Septimus contra dæmones, qui prædicta mala fieri [illegible]

rent. In prima parte sic proceditur. Primo tangit phialæ effusionem. Secundo Judæorum damnationem, *et factum est.* Tertio damnationis rationem, *In omnes.* Dicit igitur quod *Primus Angelus,* idest primus ordo prædicatorum inter eos qui erunt tempore Antichristi, *Abiit,* idest ad obediendum se præparabit, *Et effudit phialam suam in terram*, idest imminentem iram Dei annunciabit Judæis, qui debent fructum ferre, sicut terra, cum fuerint exculti per legem et prophetas et dominicam prædicationem. Hæc est terra de qua Hebræor. VI, *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem etc.* Quid autem consequetur ostenditur, quia juxta prædicationem damnabuntur : unde sequitur, *Et factum est*, idest fiet, *Vulnus sævum*, idest damnatio, quæ omnino lædit corpus et animam ; quæ damnatio erit durissima. Ideo dicitur Sævum. Item irrevocabilis : ideo dicitur, *Ac pessimum.* Jeremiæ XXX, *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. In omnes*, idest super omnes, scilicet Judæos, *Qui habent*, idest habebunt, *Characterem*, idest signum, *Bestiæ*, idest Antichristi, ut in confitendo ejus potentiam, vel operando secundum ejus doctrinam. Hoc dicitur quantum ad reverentiam hominum ad Antichristum in seipso. Quantum vero ad reverentiam datam ejus imagini, subditur, *Et eos qui adoraverunt imaginem ejus,* idest statuam. Judæi enim Antichristum, cum venerit, recipient et eum valde honorificabunt. Joan. V, *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me.* Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Vel habere characterem Antichristi, erit habere signum sui erroris, ut in profitendo ejus potentiam vel portando ejus nomen ut ab eo denominetur : adorare autem imaginem ejus, est cum reverentia imitari pravitatem suæ operationis, Sed obcitur : quia *reliquiæ Israel convertentur.* Romanorum IX : ergo Judæi qui erunt tempore Antichristi, convertuntur, non damnabuntur. Item quomodo dicit Vulnus sævum, cum nihil crudele a Deo fiat ? Respondeo. Ad hoc dici potest quod hic agitur de illis Judæis, qui erunt incorrigibiles, vel erunt defuncti in errore ante tempus quo Judæi convertentur per Eliam

et Enoch. Ad aliud dicendum, quod per hoc quod dicitur *Sævum* non notatur crudelitas, quæ vere fit, sed quæ potest videri: unde idem est *Sævum*, quod gravissimum; quasi posset videri crudele ab homine qui non recte considerat: et loquitur sic ad ostendendum magnitudinem damnationis. *Et secundus.* Hic agitur de effusione phialæ secundi Angeli; per quam signatur prædicatio, quæ fiet contra Gentiles, qui fideles persequentur tempore Antichristi. Primo autem tangit phialæ effusionem. Secundo Gentilium damnationem, *Et factus est sanguis.* Primo ostendit damnationem a parte persequentium. Secundo eis consentientium, *Et omnis anima.* Dicit igitur, *Et secundus Angelus*, idest secundus ordo prædicatorum, *Effudit phialam suam*, idest annunciabit divinam ultionem, *In mare*, idest in Gentiles persequentes fidelium tempore Antichristi, et amaros ac profundos in erroribus. Mare enim contundit littora. Mare etiam amarum est et profundum. *Et factus est sanguis, tamquam mortui*, idest damnatio eis inferetur irrevocabilis; sicut mortuus non redit ad vitam. Job xv: *Non credat frustra errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.* Damnatio autem signatur per sanguinem; quia sanguis extra corpus, indicium est mortis. Item horrorem habet, unde signat mortem æternam; ubi est sempiternus horror inhabitans. Vel quia infertur damnatio impiis, pro sanguine justorum, quem effuderunt: unde infra eodem: *Sanguinem sanctorum et prophetarum etc. Et omnis anima vivens*, idest omnis homo qui videtur habere animam spiritualiter viventem; quia non aperte persequitur justos, sed tamen non vivit cum consentiat. *Mortua est in mari*, idest in societate persequentium Ecclesiæ, damnabitur propter consensum. Rom. i: *Qui talia faciunt, digni sunt morte; non solum qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Possent isti primi duo Angeli aliter intelligi, sicut solet exponi: scilicet duplex ordo prædicatorum; quorum unus ordo prædicavit Judæis in primitiva Ecclesia: alius ordo prædicavit Gentibus. Et dicitur Secundus ordo, quantum ad diversitatem prædicationis, et differentiam eorum quibus prædicabant, licet idem prædicatores fuerint. Dicit igitur, *Et abiit primus Angelus*, idest præparavit se, dispositione propinqua ad prædicandum, *Et effudit phialam suam*, idest prædicavit iram Dei venturam, *In terram*, idest Judæos qui fructum dare debent ut terra propter legem quam acceperant, et dominicam doctrinam quam audierant, et mirabilia quæ viderant. Iste fuit ordo Apostolorum et discipulorum, qui Judæis primo prædicaverunt. Super hos phialam suam effudit, qui dixit: *Progenies viperarum, quis docebit vos fugere* etc. Matth. iii. Factum est vulnus, idest facta est vindicta Dei magna lædens graviter: quia prædicationem abjecerunt, *Sævum*, idest grave, quantum ad præsentem excommunicationem; quia destituti a divina gratia. *Ac pessimum*, ad æternam reprobationem. *In omnes*, idest super omnes *Qui habebant characterem*, idest signum, *Bestiæ* idest Antichristi per conformitatem erroris. Signum enim Antichristi portant, qui errorem habent in mente; quia per hoc sunt quasi ejus membra et ministri. *Et eos qui adoraverunt imaginem ejus*, idest dilexerunt et eum affectu observaverunt cum conformitate suæ operationis, etiam antequam veniat; quia jam multi præcesserunt ejus ministri, et qui jam sunt, quasi ejus imitatores, priusquam apparuerit: quod locum habet in Judæis qui sanctos occiderunt, sicut Antichristus fideles occidet. Matth. xxiii: *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas, et ex illis occidetis etc. Et secundus effudit phialam suam*, idest secundus ordo prædicatorum annunciavit damnationem æternam. *In mare*, idest Gentiles confundentes sanctos. Profundos amaritudine et infidelitate. Hoc fuit, quando fuerunt Apostoli et discipuli repulsi a Judæis, et prædicaverunt Gentilibus; et quidam crediderunt, alii autem obstinati manserunt: unde sequitur, *Et factus est sanguis tamquam mortui*, idest damnatio illata est irrevocabilis, ut supra tactum est. *Et omnis anima vivens*, idest omnis Gentilis, qui videbatur vivere spiritualiter, propter altitudinem scientiæ, vel propter

quædam excellentia opera vitæ, sicut fuit in quibusdam philosophis, *Mortua est,* morte culpæ infirmitatis, tandem moritura morte æternæ acerbitatis : et hoc quia verba salutis non receperunt. « In mari, » idest in societate Gentilium, in amaritudine erroris existentium. Supra VIII, *Et mortua est tertia pars creaturæ, quæ habebant animas in mari.* Alii Angeli intelliguntur, quantum ad tempus Antichristi, ut supra tactum est. *Et tertius.* Hic agitur de effusione phialæ tertii Angeli, contra pseudo apostolos Antichristi, ut dicit *Glossa.* Primo autem tangit phialæ effusionem. Secundo pseudo Apostolorum sive hæreticorum damnationem. *Et factus est sanguis.* Tertio, catholicorum congratulationem, *Et audivi.* Dicit igitur : *Et tertius,* idest tertius ordo prædicatorum, qui scilicet zelum specialem habebunt ad fidem defendendam. *Effudit phialam suam,* idest annunciabit divinam ultionem venturam, *Super flumina,* idest super hæreticos, per errores abundanter fluentes, quorum error ab hæresiarchis emanat ut flumina a fontibus. *Et super fontes aquarum,* idest super hæresiarchas, a quibus, ut a fonte, procedunt alii hæretici et eorum doctrinæ, unde dicit, *Et fontes aquarum,* idest doctrinarum, quibus alios ad mortem potant; doctrinam autem sanam dare nesciunt. II Petri II, *Hi sunt fontes sine aqua.* Ille igitur cœtus prædicatorum, disturbabit hæreticos, et pseudo Apostolos; qui tamen non acquiescent et ideo damnabuntur : unde sequitur, *Et effudit.* Phiala fracta, *Factus est sanguis.* Littera videtur innuere, quod videbat beatus Joannes flumina et fontes verti in sanguinem; quia tales a statu erroris transibunt ad damnationem. Sensus ergo est : Factus est sanguis, idest damnatio horribilis infertur eis. Sanguis enim et mortem indicat et horrorem. Vel sanguis ideo dicitur damnatio; quia infertur quibusdam pro sanguine quem effuderunt corporaliter vel spiritualiter, scilicet occidendo corpora vel animas, ut tangit *Glossa.* Exod. VII, *Percussit aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem. Et audivi.* Hic ostenditur fidelium congratulatio, qui applaudunt divinæ justitiæ. Primo majorum. Secundo minorum, *Et audivi vocem.* Dicit igitur, *Et audivi Angelum aquarum,* idest cœtum doctorum, sive ipsorum prædicatorum, ut dicit *Glossa,* qui sunt Angeli aquarum, idest præsident aquis sacræ Scripturæ, et eas aliis in refectionem propinant. *Dicentem,* scilicet Deo in laudem divinæ justitiæ : *justus es,* per æquitatem in condemnationem malorum. Psal. : *Justus es Domine etc. Domine,* per præsidentiæ potestatem. I Paralip. ultimo, *Tua est gloria, tu dominaris omnium. Qui es,* per immutabilitatem. *Et qui eras,* per æternitatem : quasi dicat : Tu es immutabilis in essendo, et æternus in durando. Supra I, *Qui est et qui erat etc.* Tu etiam es *Sanctus,* per bonitatem; quia omnis culpa a te est relegata, nec judicas nisi sancte. I Reg. II, *Non est sanctus ut est Dominus etc.* Deinde hæc quæ in generali dicta sunt exprimuntur in speciali. *Qui hæc judicasti,* idest tuo recto judicio his pœnas damnationis hæreticis inflixisti. Et merito, *Quia sanguinem sanctorum,* idest minorum justorum. *Et prophetarum,* idest majorum, qui prophetabant ad litteram, vel prædicabant. Utroque enim modo accipitur prophetare. *Effuderunt,* ad litteram; quia hæretici et pseudo apostoli Antichristi non solum pervertent quos poterunt; sed multos occident. Aliqui libri habent, Apostolorum, id est majorum, qui sunt quasi Apostoli, idest nuncii missi a Deo ad prædicandum. Apostolus enim interpretatur missus. Et propter hoc scelus *Dedit eis sanguinem bibere,* idest ad bibendum : quasi dicat : pro effusione sanguinis, pœnam æternam dedisti eis in potum mortiferum. Damnatio autem sanguis vocatur; quia sanguis est signum mortis. Item ratione horroris. Item quia debetur effusioni sanguinis, ut dictum est supra. Dicit autem, bibere, secundum similitudinem potus, qui hominem inebriat; quia pœna æterna inebriabit impios, idest replebit et subvertet ac dejiciet eos et reddet impotentes surgere : sicut est de homine consopito ex multo potu. Jeremiæ LI, *Inebriabo eos ut sopiantur et dormiant somnum sempiternum, et non consurgant,*

dicit Dominus. *Ut*, idest sicut *Digni sunt*; quia præeffuso sanguine corporis, debent bibere sanguinem damnationis, Matth. xxvi, *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt*. Quæritur autem, quare non dicitur : *Qui erat et qui venturus est*, sicut supra i et iv. Item ex his verbis videtur, quod justi gaudeant de damnatione malorum. Respondeo. Ad primum respondet *Glossa* : « quia ideo non dicunt venturum, quia cito venturum intelligunt sancti prædicatores existentes tempore Antichristi. » Ex quo patet quod hic agitur de statu bonorum et malorum sub tempore Antichristi. Hæc tamen de omnibus consimilibus recipi possunt. Ad aliud dicendum, quod justi non gaudent de damnatione malorum, inquantum est damnatio; sed gaudent de justitia Dei damnante malos, quæ nullum inordinatum relinquit. Psal. : *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. *Et audivi*. Hic agitur de congratulatione minorum, qui subjecti sunt majoribus. Unde *Glossa*, « quod magistri dicunt, discipuli confirmant. » *Et audivi vocem*, vel corporalem vel mentalem. *De altari*, idest de intima affectione cordis, quod est altare Dei, in quo omne bonum Deo sacrificatur. Unde Augustinus, X lib. *de Civitate Dei*. « Cum sursum est, ejus altare est cor nostrum. » *Dicentem*, Deo, ad quem devotionis diriguntur verba. *Etiam*, certe vel vere. *O Domine*, per præsidentiam, *Deus*, per naturam, *Omnipotens*, per infinitam potentiam. *Judicia tua*, quibus malos punis, sunt *Vera*, inquantum judicando reddis quod comminaris vel promittis. *Et justa*, quia non nisi pro culpa punit. Supra xv, *Justæ et veræ sunt viæ tuæ etc*. Alium modum distinguendi litteram videtur *Glossa* innuere, sic : « *Etiam*, idest verum est quod dicitis : et sic minores loquuntur majoribus. » Deinde convertunt sermonem ad Deum. *Domine etc.*, ut supra. Multi libri habent : Et audivi iterum Angelum, idest cœtum minorum justorum; qui recte per Angelum signantur; quia sancte vivunt et Deum extollunt, ut patet in sequentibus. *De altari etc.*, ut supra. Sed cum hic fiat sermo pro tempore ante judicium, quomodo dicunt, *Justa sunt judicia tua?* et supra eodem, *Quia hæc judicasti* : cum tempore Antichristi nondum sit factum judicium. Respondeo. Potest dici, quod loquuntur quasi de præterito; quia non dubitant in brevi esse inferendam impiis damnationem æternam, quæ juste infertur. *Et quartus*. Hic agitur de effusione phialæ quarti Angeli in Antichristum qui quoscumque poterit pervertet. Et primo tangit phialæ effusionem in Antichristum. Secundo ostendit ejus potestatem in afflictione hominum, *Et datum*. Tertio ostendit consequentem effectum, *Et æstuaverunt*. Dicit igitur *Et quartus Angelus*, idest quartus ordo prædicatorum. *Effudit phialam suam*, idest denuntiabit pœnam æternam. *In solem*, idest super Antichristum, qui se dicet solem mundi et illuminatorem hominum. Dicet enim se esse Deum. II Thessal. ii, *Ostendens se tanquam sit Deus*. Hic ergo ordo prædicatorum prædicabit pœnam Antichristo inferendam et hypocritis, qui se aliquid magnum facient : non tamen propter hoc Antichristus desistet, sed affliget homines et multos pervertet. Unde ostendens causam damnationis ejus subdit : *Et datum est*, idest permittetur. *Illi*, scilicet Antichristo a Deo, sine cujus permissu nullum malum fieri potest. *Affligi*, pœnis corporalibus ut sibi adhæreant. Aliqui libri habent : Afficere : et est idem, hoc est cruciare. *Homines æstu*, idest minori tribulatione, quæ cremat sustinentem, nisi patientia ipsum firmet. « Et igni, » idest tribulatione majori, quæ multum cruciat, ut ipsis Matth. xxiv, *Erit tunc tribulatio magna, qualis etc*. *Et æstuaverunt*. Hic ostenditur effectus consequens ex potestate Antichristi, quantum actu excedit. Iste autem effectus ostenditur triplex. Primus est, tribulatorum apostasia in mente. Secundus blasphemia in sermone. *Et blasphemaverunt*. Tertius, induratio finalis impœnitentiæ. Neque egerunt. Dicit igitur, *Et æstuaverunt* : quasi dicat : ita Antichristus affliget homines, et in illa afflictione æstuaverunt, idest æstuabunt homines, humana infirmitate devicti. *Æstu magno*, idest magna concrematione interiori, propter vehementiam tribulationis : quasi

dicat : multum concremabuntur multi quodam arbore impatientiæ in illa tribulatione, ubi peribit spirituale bonum eorum, quia comburetur illo æstu impatientiæ, et Antichristo adhærebunt. Unde *Glossa :* « defecerunt, idest deficient quidam in illa tribulatione. » Jonæ IV, *Percussit sol super caput Jonæ et æstuavit.* Nomen autem æstus propter adjectivum additum signat magnum ardorem impatientiæ ex vi tribulationis. *Et blasphemaverunt*, idest blasphemabunt. *Nomen Dei habentis potestatem super has plagas :* quia præ impatientia dicunt verba magnæ injuriæ contra Deum, qui habet potestatem super illas tribulationes corporales; quia permittit eas inferri quibus vult, et non quibus non vult; et tamen illos non liberavit. Vel potest intelligi de plagis mentium, super quas Deus habet potestatem; quia quibus vult dat patientiam, alios autem permittit comburi igne impatientiæ vel erroris. Rom. IX, *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Loquitur autem de illis hominibus, qui fideles fuerant et cognomen omnipotentis Dei habent, licet propter tormenta deficiant. Multi autem non pœnitebunt. Unde sequitur : *Neque :* quasi dicat : ita deficient et blasphemabunt, et tamen non pœnitebit eos. Unde dicit. *Neque egerunt*, idest non agent, *Pœnitentiam*, veram et sufficientem, quia licet tamdem corde doleant, tamen non audebunt præ timore confiteri nomen Christi, et ejus opera sequi. Non, inquam, agent pœnitentiam ita, *Ut darent*, idest ut dent. *Gloriam Deo*, confitendo ejus nomen, vel etiam peccata, et revertendo ad gremium Ecclesiæ; et ideo damnabuntur. Lucæ XIII, *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.* Et ex hoc patet damnatio et causa damnationis Antichristi, sicut phiala continebat. Sed objicitur; quia pœnitebunt fideles post mortem Antichristi, qui in illa tribulatione erraverant : dabitur enim eis tempus pœnitentiæ, ut habetur in *Glossa* supra finem VII cap. Respondeo. Videtur dicendum, quod multi pœnitentiam agent, cum viderint Antichristum viliter dejectum. Multi tamen in errore remanebunt occulto divino judicio, sicut hæc littera ostendit.

Et quintus. Hic agitur de quinto Angelo, cujus phiala effundetur contra infideles, qui baptismum non susceperunt, et Antichristo adhærebunt; quos vocat sedem et regnum Antichristi. Tales vero per prædicationem non convertentur, sed pejores fient. Primo ergo ostendit phialæ effusionem. *Et quintus Angelus effudit phialam suam*, idest prædicabit quintus ordo prædicatorum divinam vindictam venturam. *Super sedem bestiæ*, idest super congregationem infidelium, in quibus sedebit et quiescet per dominium Antichristus, qui est bestia crudelissima. Supra XIII, *Adoraverunt bestiam.* Secundo, ostendit effectum consequentem non per causam sed per occasionem sumptam non datam. Iste autem effectus ostenditur multiplex. Unus est pœna amplioris excæcationis. Secundus nequitia detractionis, *Et commanducaverunt.* Tertius angustia livoris, *Præ dolore.* Quarto blasphemia Conditoris, *Et blasphemaverunt.* Quinto durities obstinationis, *Et non egerunt.* Dicit igitur : *Et regnum :* quasi dicat : ita prædicantibus contra sedem Antichristi, idest contra infideles, et ex contemptu veritatis catholicæ. *Regnum ejus*, idest congregatione infidelium, in quibus Antichristus regnabit. Idem enim est hic sedes et regnum, secundum *Glossam*, *Factum est*, idest fiet. *Tenebrosum*, idest magis excæcantur dum volunt lumen verbi suscipere, quod illuminat. Psalm.: *Præceptum Domini lucidum etc.* Sap. I, *Excæcavit enim eos malitia eorum. Et commanducaverunt*, idest simul manducabunt. *Linguas suas*, hoc est verba linguarum suarum : quasi dicat : quilibet infidelis delectabitur detrahendo justis, sicut quis delectatur cum cibum sapidum avide comedit : ille enim linguam suam manducat qui in verbo detractorio linguæ suæ delectatur et gaudet, sicut si aliquem cibum suavem comedat. Gregorius in *Gregoriano :* « Reprobi mala bonis ingerunt, et eorum semper actibus derogare non cessant. » Et subditur. « Sed boni linguas derogantium timere non debent, quia stultum valde est si eis placere quærimus, quos non placere Deo scimus. » Bene autem dicitur, *Commanducaverunt.* Ex hoc

enim intelligitur, non tantum universitas detrahentium, sed etiam conjunctio ipsorum; quia unus manducat linguam suam, cum alio in eadem mensa detrahit, ita quod quilibet manducat linguam suam, juxta alium apud quem detrahit bonis; et quanto plures sunt commanducantes, tanto plus gaudent, dum non tantum de suo verbo detractorio, sed etiam de sermone alterius lætantur. Prov. xxiii, *Noli esse in commessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt etc.* Hæc autem detractio fit ex invidia; unde sequitur: *Præ dolore*, idest præ invidia quam habent contra justos, quia fides prædicabitur et tenebitur per eos. Augustinus: « Invidia est dolor felicitatis alienæ. » Bene autem vocatur dolor, quia invidus dolendo de bono alterius, ipso dolore affligitur. Unde Gregorius in *Gregoriano*: « Tabescentem mentem sua pœna sauciat, quem felicitas torquet aliena. » *Et blasphemaverunt*. Ecce quartus effectus, hoc est blasphemabunt, *Deum cœli*, scilicet Christum, in quem complices Antichristi, magnas injurias verborum intorquebunt. *Præ doloribus*, idest præ angustiis invidiæ qua movebuntur contra ejus cultores et contra ipsum. *Et vulneribus suis*, quæ ipsi sibi fecerunt commanducatione linguarum, ut dicit *Glossa*, idest per peccatum detractionis. Sed quæ erunt ista vulnera, cum illa manducatio sit spiritualis? ut supra dicit *Glossa*. Respondeo. Ad hoc potest responderi quod cum per illam detractionem quæ dicitur commanducatio linguarum, non poterunt fideles dejicere et fidem extinguere, hoc ipsum erit eis vulnus magnum et afflictio dura. Sicut enim boni gaudent cum possunt aliquos ad Christum convertere, sic antichristiani valde dolebunt, cum non poterunt fideles quosdam Antichristo subjicere per errorem; et propter hoc ipsum Deum blasphemabunt. Job viii, *Hæc est enim lætitia etc.*, dicitur de malitioso contra animas. Vel aliter. Peccatum animam vulnerat, maxime peccatum nequitiæ et malitiæ: unde de peccato detractionis illi impii vulnerabuntur, quia eorum animæ deteriores fient per naturalium bonorum diminutionem et elongationem a Deo. Quando autem est magna animæ oppressio, generatur amaritudo et anxietas in ipsa anima, licet quandoque causa sit ignota, et ex tali amaritudine blasphemabunt Deum cœli. Jerem. ii, *Scito et vide quia malum et amarum est etc.* Nota quod ex hoc quod dicitur, Deum cœli, ostenditur gravitas peccati blasphemiæ; unde Levit. xxiv, *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus obruet eum etc.* Per hoc autem quod dicitur, Deum cœli, intelligitur etiam Dominus terræ, quæ corpus est minus nobile quam cœlum; intelliguntur etiam contenta in his. Act. xvii, *Deus qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt, hic cœli et terræ cum sit Dominus etc.* *Et non egerunt*: ecce similis impœnitentia. Rom. ii, *Secundum duritiam autem tuam et cor impœnitens etc.* Nota quod invidia bona perimit. Unde Gregorius in *Gregoriano*: « Invidia cuncta quæ invenit bene gesta consumit; quia per livoris vitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. » Subjectum affligit: unde littera vocat hic, Invidiam dolorem. Isidorus III lib. *de Summo bono*: « Livor alieni boni suum perimit auctorem. Nam unde bonus proficit, inde invidus contabescit. » Item mortem infligit scilicet primo culpæ separando a Deo et tandem gehennæ. Job v, *Et parvulum occidit invidia.* Deum configit: quandoque enim blasphemiis et verborum magnis injuriis crucifigit Deum invidus, dum videt alium prosperari, et se eo inferiorem. Unde hic dicitur: Et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus etc. Proximum corrodit, ut dicitur hic: Commanducaverunt linguas suas præ dolore, quia delectantur ad modum manducantis. Dum linguis suis detrahit quis diabolo subjicitur. Unde Isidorus III lib. *de Summo bono*. « Invidus est membrum diaboli cujus invidia mors intravit in orbem terrarum. » *Et sextus*, Hic agitur de sexto Angelo effundente phialam suam, contra divites et potentes qui Antichristo erunt subjecti propter amorem divitiarum et honorum, propter prædicationem autem non fient nisi pejores. Unde primo tangit phialæ effusionem. Secundo effectum consequentem,

Et vidi de ore. Circa primum Primo tangit phialæ effusionem quantum ad pœnam gehennalem. Secundo quantum ad pœnam temporalem, *Et siccavit aquam ejus :* utramque enim pœnam minabuntur prædicatores. Tertio ejusdem pœnæ utilitatem, *Ut præparetur.* Dicit igitur : *Et sextus Angelus,* idest sextus ordo prædicatorum. *Effudit phialam suam,* idest comminationem ultionis æternæ effundet. *In flumen illud magnum Euphratem,* hoc est in divites qui præ fertilitate divitiarum magno fluxu defluunt de peccato in peccatum, et vitiis vorati, alios violenter, vel aliquos inducendo in errores vel aliquod peccatum, vel flagellis, vel minis, vel donis, vel per alium modum vorant ad modum fluminis profundi et magni. Euphrates enim interpretatur fertilitas. Jerem. XLVI, *Victima Domini exercituum in terra aquilonis, juxta fluvium Euphratem.* Per hoc autem quod dicit, illud, ostendit tales esse notabiles in vitiis. *Et siccavit,* idest siccabit, hoc est siccandam cito et annullandam prædicabit. *Aquam ejus,* scilicet fluminis, idest affluentiam talium divitum, quæ recte aquæ comparatur propter defluxum celerem : et si multa sit affluentia, sicut aqua, tamen cito defluit ad modum aquæ. Item multi in hujus affluentia demerguntur, qui natare nesciunt per mundanorum contemptum. Isa. XIX, *Arescet aqua de mari et fluvius desolabitur atque siccabitur. Ut præparetur.* Ecce utilitas ejusdem pœnæ malis infligendæ; quia ex comminatione pœnæ quæ fit malis, multi proficiunt et gratantius ad Deum accedunt : quasi dicat : ita siccandam affluentiam prædicabunt hac intentione, *Ut via,* scilicet salutis, Præparetur per contemptum mundanorum et desiderium cœlestium ; præparetur inquam, *Regibus*, idest fidelibus christianis qui in reges inuncti sunt in baptismo et seipsos bene regere norunt. Ambrosius in lib. *de Initiandis :* « Omnes in regnum Dei et sacerdotium ungimur gratia spiritali. » Sed ex qua parte est, sive præparabitur hæc via ? *Ab ortu solis*, idest ex eo quod Christus orietur magis ac magis in cordibus ipsorum, per gratiam, qui est sol irradians super sequentes se, alibi et aliunde non est. Vel præparatur via qua perveniatur ad salutem, nisi Christus per gratiam ortus sit jam, vel oriatur in mente, et sua luminositate ducat ipse per viam. Joan. VIII, *Ego sum lux mundi etc.* Vel de apostatis christianis potest intelligi : quasi dicat : ideo prædicabunt illas pœnas impiis infligendas, *Ut via*, salutis per conversionem *Præparetur regibus*, idest christianis qui regis characterem in baptismo susceperunt et adoptati sunt per gratiam baptismalem et per prædestinationem ad regnum æternum. *Præparetur* inquam, *Ab ortu solis*, idest per hoc quod sol justitiæ orietur in cordibus eorum qui ipsos illuminabit. Convertentur enim quidam christiani tandem, qui prius Antichristo adhæserant ; et ad hoc juvabit prædicatio quæ erit in comminatione pœnarum divitibus et aliis impiis infligendarum. Potest tertio modo secundum *Glossam* exponi de resurrectione gloriosa. *Ut præparetur*, accipiatur ly ut consequutive : quasi dicat : ad illam siccationem abundantiæ temporalis sequetur, quod præparetur, *Via*, idest ingressus in gloriam per resurrectionem. *Regibus*, idest justis qui bene se rexerunt. Præparabitur autem, *Ab ortu solis*, idest per hoc quod Christus orietur sicut verus sol super suos per plenam sui manifestationem. Finito enim mundo, in cujus fine omnia vana deficient, erit resurrectio fidelium et ingressus in regnum. II Petr. I, *Donec dies illucescat et Lucifer oriatur in cordibus vestris. Et vidi.* Ostensa phialæ effusione, hic ostendit effectum consequentem ; quia dæmones occasione prædicationis, magis student detinere divites et alios in errore et obfuscatione, tum per errorum suggestionem, tum per miraculorum operationem, tum per malitiæ suscitationem, quia principes suscitabunt ipsi dæmones ad detinendum erroneos et ad impugnandum catholicos. Secundum hoc triplex effectus sequens Ecclesiæ prædicationis hic tangitur. Primus est, Suggestio errorum. Secundus Operatio miraculorum, *Sunt enim spiritus.* Tertio suscitatio tyrannorum, *Et procedunt.* Errorum autem suggestio, fiet per dæmones, quandoque invisibiliter per se,

quandoque accenderet, et ipsi incendebant quod dæmones suggerebant [illegible] per alios. [illegible] ad hoc dicitur principe dæmonum et [illegible] Antichristi : quasi dicit : [illegible] prædicabit multa quæ [illegible] et propter quæ Antichristo adhærebunt ; sed per maligna [illegible]. Et hoc est quod dicit : *Et vidi de ore draconis*, idest inspiratione diaboli qui est princeps dæmonum, et inspirat [illegible] mala procurant in hominibus [illegible] homini errores et vitia. Ipse autem diabolus draco dicitur, propter venenum malitiæ et propter dolum astutiæ, quia draco animal [illegible]. *Et de ore bestiæ*, idest de verbis Antichristi affectivis per promissa, vel comminatoriis, vel persuasivis. *Et de ore pseudo Prophetæ*, idest de verbo pseudo prædicatorum Antichristi, qui dicuntur singulariter pseudo propheta, quia omnes [illegible] in malitia, et videbuntur Prophetæ, idest justi prædicatores, cum tamen sunt pseudo. Propheta enim quandoque est idem quod prædicator, I Corinth. xiv. *Et spiritus prophetarum etc.* *Exire*, idest extractos esse. *Tres spiritus immundos*, idest dæmones qui sunt spiritus non solum secundum naturam, sed etiam secundum malitiam, quia non nisi malitiam spirant. Dicuntur autem immundi et in se, quia plene immunditia superbiæ, invidiæ, nequitiæ, iræ, impœnitentiæ et aliorum peccatorum multorum ; et per effectum, quia student ceteros inquinare. Dicuntur autem tres, universi dæmones, quia fidem sanctæ Trinitatis impugnant, vel tres virtutes, in quibus est omne bonum, scilicet fidem, spem, charitatem. Dicuntur autem exire ex triplici ore præmisso, quia inspiratio diaboli qua inspirat hominibus errores et peccata, et ipse etiam dæmonibus qualiter homines tentent, et suggestio Antichristi et pseudo apostolorum ejus : quasi dicat : generabunt dæmones in cordibus hominum spiritualiter, sicut sancti prædicatores sua doctrina generant spiritualiter Christum sive ejus fidem in cordibus aliorum, ut dicit Glossa. Et sic dæmones possidebunt multos per errores ; et ad detinendum eos et amplius depravandum, suggerebant in eorum mentibus multa vitia et per eos alios. Unde sequitur : *In similitudinem ranarum* : quia dæmones importune garriunt in cordibus multa vana persuadendo [illegible] per se et per alios hæreticos garrulatores, et [illegible], et morantur in [illegible] Exod. viii. *Ascenderunt ranæ operueruntque terram Ægypti*. Sic ergo suggestio errorum et per ipsum diabolum et per Antichristum et per ejus pseudo apostolos et per dæmones quorum princeps est diabolus. Vere autem sunt immundi spiritus præmissi. *Sunt enim*, illi spiritus qui exibunt, *Spiritus dæmoniorum*, et ita non possunt esse nisi spiritus immundi : spiritus, dico, *Facientes signa*, idest miracula per quæ decipiunt. Et ecce secundus modus decipiendi. Ipsi enim dæmones operabuntur miracula per hæreticos tempore Antichristi, de quibus miraculis habitum est supra xiii, *Et fecit signa magna*. De hujusmodi etiam miraculis Exod. vii et viii, ubi agitur de Magis qui miracula faciebant arte dæmonum. *Et procedunt*. Hic ostendit malitiæ executionem, quia dæmones sub Antichristo congregabunt potentes specialiter in malitia contra fideles. Primo ergo ostendit congregationem potentum. Secundo ostendit congregationis locum, *Et congregabit illos*. Tales autem congregati ad fidem impugnandam damnabuntur in die judicii : unde necesse est fidelibus ab eorum imitatione cavere, ne in eamdem pœnam incidant. Unde primo ostendit congregationem potentum contra fidem catholicam. Secundo ostendit [illegible] pœnam, *Ad diem*. Tertio subdit persuasionem fidelium ad providentiam sive diligentiam, *Et ecce*. Dicit igitur, *Et procedunt*, idest procedent ipsi dæmones ; sed per præsens intelligitur studium et insistentia ad malum. *Ad reges totius terræ :* dæmones enim studebunt omnes potentes provocare contra fideles. *Congregare*, idest ut congregent. *Illos ad prælium*, contra fideles : quasi dicat, dæmones procurabunt, ut potentes in orbe terrarum, et amatores terrenorum sint unanimes, præliando contra fideles ; præliando inquam, verbis persuasoriis vel disputatoriis, vel flagellis,

vel illatione mortis. Gregorius *in Gregoriano*, loquens de tempore Antichristi, dicit : « Antiquus hostis, quicquid tunc callide machinabitur etiam cum virtute potentiæ sæcularis exequitur. » Sic ergo ostendit congregationem tyrannorum contra fideles et ad detinendum in errore in fideles ; et hoc fiet procuratione dæmonum. Hæc autem congregatio potest intelligi spiritualis, scilicet ut sunt unanimes in persequendo fidem catholicam, *Ad diem*. Hic ostendit eorum pœnam : quasi dicat : ita congregabuntur in prælium contra fideles ; sed malo suo ; quia cito ducentur, *Ad diem magnum Dei omnipotentis*, ubi congregabuntur realiter ad sui perditionem sicut congregati sunt spiritualiter ad justorum impugnationem. Isaiæ XXIV, *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum*. Diem, scilicet judicii in quo omnia erunt clara. I Corinth. IV, *Et tunc illuminabit abscondita tenebrarum*. De hoc die Job XXI, *In diem perditionis servatur malus*. *Magnum* dicit ; quia magna ibi fient, in retributione malorum et bonorum : *Dei*, quia præsentes dies sunt quasi nostri ad merendum ; sed ille dies erit Dei, ad judicandum sive retribuendum. Psal. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo*. *Omnipotentis*, quia nullus poterit ei resistere, et suum judicium omnino dabitur executioni. Exod. XV, *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens etc. Et ecce*. Hic ponit persuasionem fidelium ad providentiam. Et primo ponit rationem persuasivam ex parte adventus judicis. Secundo ex parte ipsius hominis, *Beatus qui vigilat*. Ubi ponitur triplex ratio, quare provide vacandum est sibi. Una ratio est, quantum ad meritum præmii, cum dicitur *Beatus etc*. Secunda quantum ad declinationem damni, *Ne nudus ambulet*. Tertio quantum ad evitationem opprobrium, *Et videant*. Dicit igitur, *Et ecce :* quasi dicat : ita dies judicii instat, et hoc ipse judex testatur. *Ecce :* quasi dicat : certum est et in promptu est ; quia breve est omne tempus. *Venio*, idest in brevi veniam, *Sicut fur*, idest ex improviso ad modum furis. I Thessal. V, *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*. Et per hoc beatus Joannes intendit excitare ad vigilantiam. Unde Marc. XIII, *Vigilate ergo ; nescitis enim quando Dominus veniet etc*. Sed quare ita latet dies judicii, ut ejus tempus penitus ignoretur ? Respondeo, ut semper in timore simus et vigilantius parati simus, ut dicit *Glossa* super hunc locum. *Beatus :* quasi dicat : ita cito veniet ; et *Beatus ;* quia beatitudinem ex hoc meretur, et percipiet, *Qui vigilat*, per sollicitudinem bene operandi, *Et custodit vestimenta*, per constantiam perseverandi : hæc enim duo sunt necessaria. Non igitur dormiendum est, neque oculi claudendi sunt, per negligentiam, sive ignaviam, quæ malum est inæstimabile ; sed vigilandum per diligentiam. Proverb. VIII, *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie etc*. Gregorius super hunc locum : « Vigilat, qui ad aspectum veri luminis oculos apertos tenet ; vigilat, qui a se torporis et negligentiæ tenebras repellit. » Item necesse est servare per stabilitatem contra tentationes, et perseverantiam, vestimenta scilicet innocentiæ baptismalis et virtutum ac meritorum, quæ animam decorant ac protegunt. Ecclesiastes IX, *Omni tempore vestimenta tua sint candida*. Gregorius super hunc locum : « Sicut corpus cooperiunt vestimenta ; sic animam bona protegunt opera, » *Ne nudus*. Hæc est secunda ratio, ex parte hominis ; quia magnum damnum est esse nudum vestimentis virtutum, sine quibus ad nuptias Agni nemo suscipitur. Matthæi XXII, *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ?* quasi dicat : ita vigilandum est homini et vestimenta custodire debet, *Ne nudus ambulet* : quasi dicat : si non custodit vestimenta hic, nudus ambulabit illic, scilicet in die judicii, et ita non erit acceptabilis Deo. Unde Esther volens habere gratiam in conspectu regis, induit se veste honorabili, et ab eo suscepta est, Esther V. Dicit autem *Ambulet*, idest resurgat. Secundum *Glossam* quoddam ambulare est venire a morte ad vitam. Vel *Ambulet*, idest appareat, quia in judicio apparebit omnibus nuditas malorum, ac si coram omnibus incederent nudi. Unde beatus Bernardus in *Meditationibus :* « Cunctaque cunctorum cunc-

ta arcana patebant. » *Et videant turpitudinem ejus*, idest turpitudinem suæ nuditatis et peccatorum, illi qui erunt in judicio; quia tunc nihil erit occultum. Nahum III, *Revelabo pudenda tua in facie tua, et ostendam etc.* *Et congregavit.* Ostensa congregatione tyrannorum, hic ostendit congregationis locum. Iste autem locus intelligitur spiritualiter potius quam localiter; quia congregabuntur ad hunc statum ut defendant sectam Antichristi, et fidem Christi impugnent. Quasi dicat : ita congregabuntur potentes contra fideles. *Et congregavit*, idest congregabit, scilicet diabolus, de quo hic loquitur singulariter, licet supra dixerit de dæmonibus pluraliter, *Congregabunt*; quia diabolus et dæmones unum sunt in malitia, et ipse operatur in omnibus illis, *Illos*, scilicet reges prædictos. *In locum qui vocatur, Hebraice*, idest lingua Hebræa, *Hermagedon*, scilicet Mons furum vel Mons globosus, vel Consurrectio testium iniquorum; et signat Antichristum; quia ipse est mons furum, idest maximus et summus inter fures, idest perversos, qui fidem furantur per astutiam fidelibus. Joannis X, *Omnes quotquot venerunt, fures sunt* et latrones. Vel, Mons idest refugium furum, ut dicit *Glossa*. Ipse etiam erit *Mons* per superbiam, *Globosus* per astutiam, quia conglobabit plurimos ad sui erroris doctrinam. Vel *Congregabuntur* in consurrectionem testium iniquorum; quia diabolus faciet impios homines proferre in Christum verba blasphemiæ. Psal. : *Insurrexerunt in me testes iniqui* : quasi dicat : diabolus congregabit, idest unanimes faciet perversos, ad hoc ut adhæreant Antichristo, qui erit mons *Globosus*; et ad hoc ut Christum blasphemiis oppugnent. *Et septimus.* Hic agitur de effusione phialæ septimi Angeli, qui damnationem dæmonum annunciabit, per quos omnia mala procurabuntur. Ipsorum autem dæmonum et omnium iniquorum damnatio instabit tempore ultimi ordinis prædicatorum; et paulo post dæmones cum hominibus juxta sua demerita damnabuntur. Primo ergo tangit phialæ effusionem. Secundo, ostendit damnationis accelerationem, *Et exivit.* Tertio, ostendit ipsum actualem damnationem, *Et facta est.* Dicit igitur, *Et septimus Angelus*, idest septimus ordo prædicatorum, qui erunt ultimi, *Effudit phialam suam in aerem*, idest prædicabit damnationem dæmonum, per quos procurata sunt omnia scelera; qui per aerem signantur, quia aer est locus ipsorum ut dicit *Glossa*. Item II Pet. II, *Rudentibus inferni de etc.* *Glossa* : « Inferiorem aerem carcerem acceperunt, qui quantum ad cœlos infernus dicitur. » Sed ad quid eis prædicabitur cum sint omnino obstinati? vel ad quid eorum damnatio annunciabitur, cum propter pœnam non desistant peccare? Respondeo. Potest dici quod eis non prædicabitur, nec eis prædicando annunciabitur sua pœna; sed hominibus ostendetur, per prædicatores, damnatio dæmonibus infligenda ut sibi caveant, ne cum eis et cum aliis impiis involvantur. Possunt etiam per aerem intelligi instabiles qui facile agitantur, et ut aer moventur de fide ad errorem. Contra tales enim prædicabunt justi prædicatores, et multos convertent de hujusmodi. Galat. I, *Miror quod sic tam cito etc.* *Et exivit.* Hic ostendit damnationis accelerationem. Et primo ostendit mundi finem jam instantem. Secundo ostendit signa præcedentia ipsum finem, *Et facta sunt.* Dicit igitur, *Et*, facta prædicatione, *Exivit*, idest exibit, hoc est in manifestum veniet, *Vox*, scilicet confortativa, *Magna*. Quia magna annuncians, *De templo*, idest ab Ecclesia; quæ est templum in quo Deus habitat; unde dicitur justis I Corinth. III, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. A quo autem loco specialius exeat, ostendit cum subdit, *A throno*, idest a majoribus prædicatoribus, in quibus sedet Deus regens et disponens per eos Ecclesiam. *Dicens*, ad confortandum fideles, *Factum est*, idest consummata sunt omnia, et mundi finis adest; et ideo o vos fideles, non timeatis sed gaudenter state et præmium expectate. Tunc enim instante judicio majores prædicatores annunciabunt fidelibus mundi finem instantem, ad confortandum. Ezechiel. VII, *Finis venit, venit finis*. Sed quomodo dicitur, factum est, cum adhuc restent fulgura et voces et alia quæ se-

quuntur? Respondeo. Potest dici, quod omnia reputabuntur tunc consummata; quia pauca restabunt complenda, et illa etiam in brevi erunt complenda. *Et facta.* Hic ostendit signa prænunciantia finem mundi; quia miracula quæ facient mali tempore Antichristi, et fraudes verborum, et comminationes adversorum, et persecutiones justorum, quasi prænunciabunt finem mundi instare. Dicit igitur, *Et facta sunt*, idest fient, data confortatione fidelibus per majores, *Fulgura*, idest miracula per malos, qui ad modum fulguris videbuntur lucere, quia complices Antichristi, simul cum ipso multa facient nefanda miracula, ut dicitur supra III. *Et fecit signa multa. Et voces*, idest verborum blanditiæ, ad pervertendos fideles, *Et tonitrua*, idest comminationes flagellorum vel damnorum vel mortis; quia contra confortationem, quam fideles dabunt fidelibus, studebunt fautores Antichristi, fideles seducere multipliciter. Manum etiam addent supra minas: unde sequitur, *Et terræ motus*, idest terrenorum commotio, *Factus est magnus*, idest fient in magna persecutione, *Qualis nunquam fuit, ex quo homo fuit super terram*, ad litteram. Vel, Super terram, per contemptum terrenitatis, scilicet a tempore Abel, qui primus terram contempsit. Nunquam inquam, fuit, *Talis*, idest tam indecens, *Terræmotus*, idest terrenorum impiorum commotio contra justos, *Sic magnus*, hoc est tam gravis, per acerbitatem et multiplicitatem persequutionum; quia tempore Antichristi erit tribulatio incomparabilis præcedentibus tribulationibus. Matth. XXIV, *Erit tunc tribulatio magna, qualis etc.* Possunt etiam hæc intelligi in bono pro tempore post mortem Antichristi. Tunc enim fient fulgura miraculorum per fideles ad illuminandum alios, tam credentes quam eos qui a fide recesserant, ut convertantur. *Et voces*, idest suaves admonitiones, *Et tonitrua*, idest asperæ comminationes, si nolint reverti. Supra IV, *Et de throno procedunt fulgura et voces et tonitrua, Et terræ motus factus est, etc.*, idest fiet magna hominum, prius terrenorum, commotio ad pœnitentiam. Post mortem enim Antichristi, justi facient miracula et prædicabunt, et per hoc multos movebunt ad pœnitentiam. Psal.: *Commota est et contremuit terra, Et facta est.* Hic ostendit ipsam actualem damnationem malorum. Non autem loquitur expresse de damnatione dæmonum, sed de damnatione impiorum hominum, qui Antichristo adhæserunt vel aliter Deum offenderunt; quia intendit dissuadere peccata, quibus iniqui homines Deum offenderunt: simul tamen cum illis intelliguntur dæmones damnandi. Primo autem ostendit pœnarum gehennalium districtionem; quia differens erit pœna, secundum diversitatem vitiorum. Secundo, universalem malorum dejectionem, *Et civitates.* Tertio divinæ justitiæ districtionem, *Et Babylon.* Quarto, felicem bonorum evasionem, *Et omnis insula.* Quinto, præmissarum pœnarum conditionem, *Et grando.* Dicit igitur, *Et facta est:* quasi dicat: ita annunciabitur pœna malis infligenda, et sic actu complebitur: et hoc est, *Facta est*, idest frangetur, dividetur, secundum diversitatem pœnarum in inferno, cum prius integra et solida videretur per prosperitatem, vel dominium super justos, *Civitas* scilicet Babylon, idest multitudo malorum, qui sunt uniformes in malo, licet non æquales. Hic dicitur civitas, idest civium unitas; quia in offensa Dei concordes sunt. Nota quod est civitas bonorum. Ecclesiastes IX, *Est civitas parva et pauci in ea viri etc.* Item malorum, de qua dicitur hic, et infra XVIII, *Væ væ væ civitas illa etc. Magna*, propter scelerum magnitudinem, et propter sceleratorum multitudinem. Ecclesiastici I, *Et stultorum infinitus est numerus. In tres partes*, scilicet Paganos Judæos, Hæreticos: quasi dicat: dividetur pœna, et dabitur unicuique secundum differentiam vitiorum, tam Judæis quam Paganis et Hæreticis. Vel, « In tres partes, » idest secundum triplicem differentiam vitiorum. In se, In Deum, In proximum. Vel Cogitationis, locutionis, et operationis. Gregorius in *Gregoriano:* « Juxta modum culpæ pœna distinguitur, et secundum modum criminis unusquisque damnatus in inferni igne cruciabitur. Nullus autem impius rema-

cedit, sed universaliter omnes deficiebant. — Unde sequitur, *Et civitates*, idest omnes societates, sive collectiones malorum conformes in malo, licet dispartitæ loco, *Gentium*, idest hominum sicut gentili sunt viventium, *Ceciderunt*, idest cadent a mundano flore in terram. Psal. *Et civitates eorum destruxisti*. Sed quomodo dicuntur pluraliter civitates, cum ante dictum sit singulariter, et facta est civitas? Respondeo. Mali unum sunt per convenientiam in amore vanitatis, et in statu damnationis, et in elongatione a Deo, et sic est una eorum civitas; distincti autem secundum diversitatem affectionum, et diversitatem vitiorum : et secundum hoc sunt diversæ civitates eorum : scilicet secundum quod quidam sunt sub uno genere vitiorum, alii sub alio. Item etiam secundum diversitatem locorum. *Et Babylon*. Hic ostendit divinæ justitiæ districtionem, ut terreamur ab imitatione malorum, quos divina justitia tam acerbe damnabit. Dicit igitur, *Et Babylon.* : quasi dicat : Ita civitas malorum damnabitur, et hoc a Deo districte judicante secundum ejus merita. Unde nominans civitatem, de qua ante tetigerat, dicit, *Babylon*. id est multitudo impiorum confusorum et involutorum peccatis. Babylon enim interpretatur confusio, *Magna*, propter magnitudinem vitiorum et multitudinem ipsorum iniquorum. *Venit in memoriam apud Deum*, scilicet ad puniendum : quasi dicat : Deus recordabitur numerositatis impiorum ad condemnandum. Oseæ IX, *Recordabitur iniquitatis eorum etc*. Venit inquam in memoriam Dei. *Dare*, idest dandum. *Illi*, scilicet Babylon. *Calicem*, idest potum, pœnæ mensuratæ juxta mensuram peccatorum. Est enim calix scyphus quo cum mensura distribuuntur potus; et quandoque sumitur pro ipso potu mensurato, ut hic. Loquitur autem juxta similitudinem hominis dantis alii potum amarum cum larga mensura. Calicem inquam, *vini*, idest damnationis inebriantis et replentis sua amaritudine utrumque hominem. Dicit autem vini, non aquæ; quia aqua non inebriat sicut pœna æterna inebriat, idest totaliter replet, et etiam dejicit hominem et sui impotentem reddit. Unde recte per vinum signatur. Supra XIV, *Hic bibet de vino iræ Dei*. Vini inquam, *Indignationis*, idest quasi ministratur ex magna irritatione. *Iræ*, idest justitiæ, *Ejus*, scilicet Dei, qui cum per justitiam punit, videtur indignatus et iratus. Nota autem quod cum sufficeret alterum dicere, scilicet indignationis vel iræ, utrumque tamen posuit, ad ostendendum districtionem divinæ justitiæ, quæ impios punit sicut homo iratus graviter punit. Per hoc autem quod dicit, Indignationis, notat magnitudinem iræ, de qua statim subdit : sicut si dicatur : decor pulchritudinis : licet utrumque idem sit. Decor enim tunc dicit magnitudinem. Pulchritudinis decor, idest decentia magnæ pulchritudinis. Similiter intelligitur in proposito. Nahum I, *Indignatio ejus effusa est ut ignis*. Similiter intelligendum de diabolo et dæmonibus quod detrudentur in infernum cum hominibus : reprobis in judicio. Unde Gregorius in *Gregoriano* : « Antiquus hostis cum suo corpore, reprobis videlicet omnibus, flammis ultricibus traditus, sine fine in eis cruciabitur. » Sed quæritur, utrum oblivio cadat in Deum. Quod sic, videtur per hoc quod hic dicitur, Venit in memoriam apud Deum : ergo ante erat oblitus. Item Ezechiel. XVIII, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Contra, quia sic in divina cognitione fieret aliqua immutatio. Respondeo. Dicitur Oblivio aut per exclusionem memoriæ sive cognitionis; sicut cum quis desinit scire quod prius noverat : sic non potest esse oblivio in Deo, quia in ejus cognitione non potest accidere ulla immutatio. Aut per exclusionem effectus exterioris : et hoc dicit Aut effectus misericordiæ, sicut potens aliquis posset dici oblitus servum suum a quo esset offensus quamdiu nollet ei benefacere, licet offensæ memor esset : Aut effectus justitiæ, sicut si quis nollet punire eum a quo injuriam passus esset, cum tamen posset talis dici oblitus ejus peccatum. Per exclusionem ergo effectus misericordiæ, Deus obliviscitur malorum impœnitentium, quantum ad collationem gloriæ. Ezechiel. XVIII, *Omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*. Per exclusionem autem effec-

tus justitiæ dicitur Deus oblivisci peccata eorum qui vere pœnitent, quia non damnabit eos si sic perseverent. Ezechiel. XVIII, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Oblivio ergo proprie non cadit in Deo ; quia privat proprie memoriam, sive notitiam præcedentem. Sed large loquendo dicitur oblivisci, scilicet quantum ad effectum. Nam quantum ad effectum misericordiæ dicitur oblivisci malorum qui prius boni fuerant : quantum ad effectum justitiæ dicitur oblivisci peccata pœnitentium, qui prius peccaverant. Ad illud quod objicitur de littera, dicendum, quod non supponitur Deum fuisse oblitum peccata Babylonis, proprie loquendo : sed videbatur oblitus, dum pœnam non infligebat : et quantum ad hoc loquitur littera, ut patet in *Glossa.* Ad aliud patet : quia loquitur respectu effectu. Item objicitur de indignatione, quæ dicit animi commotionem, quæ in Deo nulla est : ergo nec indignatio. Similiter potest objici de ira. Respondeo. Indignatio et ira duo dat intelligi : scilicet aliquid primum, et aliquid secundarium. Illud quod primo intelligitur in indignatione est motus aliquis interior, sive affectionis, sive alicujus irritationis : et quantum ad hoc non est indignatio nec affectus nec irritatio in Deo. Illud autem quod secundario intelligitur, est aliquid conjunctum illi mortui qui solet esse apud homines ; scilicet comminatio vel ipsa punitio : et quantum ad hoc dicitur in Deo indignatio, idest justitia, in cujus signis, scilicet cum comminatur vel punit, videtur indignatus. Indignatio ergo dicitur in Deo, non ratione principalis signati ; sed ratione alicujus signi adjuncti, sicut dicit quædam rhetorica ; quia scilicet ratione alicujus effectus videtur indignatus. Isidorus primo lib. de *Summo bono :* Horum motuum apud Deum perturbatio nulla est, sed ipsam æquitatem justitiæ quæ reos punit iracundiam sacra lectio nominavit. Si quæritur ad quid per talem modum loquitur de Deo Scriptura : Respondet beatus Isidorus in *eodem :* « Tam clementer Deus humanæ consulit infirmitati, ut quia cum sicut est non possumus agnoscere ; nostræ loquutionis more seipsum nobis insinuet. » *Et omnis.* Hic ostendit felicem justorum evasionem. Primo activorum. Secundo contemplativorum. *Et montes :* quasi dicat : ita mali damnabuntur. Et e contrario, *Omnis insula*, idest omnis justus, undis tribulationum et tentationum undique percussus, sicut insula undis maris percutitur, quod maxime pertinet ad activos, *Fugit*, scilicet in vita sua culpam malorum, ne conformis fieret, ut vitaret pœnam. Jeremiæ I, *Fugite de medio Babylonis etc*, Vel *Fugit*, idest fugiet, idest evadet pœnam malorum. Sapien. V, *Et brachio sancto suo defendet illos. Et montes*, idest contemplativi, vitæ et contemplationis sublimitate præcelsi. *Non sunt inventi*, in pœna cum malis ; quia non sunt inventi in culpa. De hujuscemodi montibus Psal. : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Et grando.* Hic describit illam pœnarum conditionem, quæ triplex est : describitur enim pœna gehennalis, ut gravissima, ut mensurata *Sicut talentum ut irritativa. Et blasphemaverunt.* Dicit igitur *Et grando :* quasi dicat : ita damnabuntur mali et non boni, et damnatio malorum erit durissima. Unde dicit, *Et grando magna*, idest pœna æterna graviter malos contundens. *Descendit*, idest descendet, *De cœlo*, idest a Deo qui habitat in cœlo per majorem manifestationem. *In homines*, idest in eos qui humum dilexerunt. Per hoc autem quod dicitur, descendit, etc. Notatur expressio. Sapient, V, *Et a petrosa ira, plene mittentur grandines. Sicut talentum*, id est secundum mensuram culpæ. Talentum enim genus est mensuræ. Nota *Glossam.* Talentum etc. Infra XVIII, *Quantum glorificavit se, et in deliciis etc.* Sed contra : quia Deus punit semper circa condignum. Psal. : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* ; ergo non commensuratio pœnæ ad culpam. Respondeo. Loquitur textus et *Glossa* de commensuratione secundum quamdam proportionem in genere : ut si multum peccavit multum punietur : non secundum æqualitatem plenam in specie ; quia sic non puniret Deus citra condignum. *Et blasphemaverunt.* Hic describitur pœna ut irritativa; quia ex magnitudine pœnæ provocabuntur ad

blasphemandum Deum. Et hoc est: *Et blasphemaverunt*, idest blasphemabunt in inferno. *Homines*, idest humana sapientes: « Deum » qui sic eos puniet. Hæc blasphemia potest intelligi mentalis; quia in mente dicent, idest cogitabunt multa injuriosa contra Deum: et licet sciant se pro meritis punitos, dolebunt tamen quod Deus tantam potentiam habeat puniendi malos; et hæc erit blasphemia. Causa autem blasphemiæ subditur, *Propter plagam*, idest magnam pressuram lædentem ipsos reprobos. *Grandinis*, idest pœnæ gravissimæ; et hanc magis exprimit *Quoniam facta est magna vehementer*, scilicet plaga damnationis. Gregorius in Gregoriano: « Sic a damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet. Mors perimit, et non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. »

CAPUT XVII

Et venit unus etc. Habito a quintodecimo capite de potestate effundendi phialas et de ipsa effusione, hic tertio de casu efficaciæ effusionis. Efficacia effusionis est, quia sic effundunt Angeli phialas. Hoc est, sicut prædicatores comminantur pœnam impiis, ita efficaciter implebitur, quia damnabuntur; et hoc erit propter multitudinem et magnitudinem peccatorum. Unde in hoc capitulo, sicut dicit *Glossa*, Ostenditur causa damnationis malorum, quos designat sub figura meretricis magnæ et sub nomine Babylonis. Sic autem procedit. Primo ponit quædam præambula ad visionem. Secundo subdit visionis tenorem, *Et vidi mulierem*. Præambula autem sunt duo. Unum est excitatio Joannis ad se præparandum. Secundum elevatio intellectus ejus ad intelligendum, *Et abstulit*. Circa primum Primo tangitur ipse excitans; scilicet unus ex septem Angelis, quos viderat. Secundo qui excitatur, scilicet Joannes, *Et locutus est mecum*. Tertio modus excitandi, *Dicens, veni*. Quarto ad quid excitatur, scilicet ut se præparet ad cognoscendum causam damnationis malorum, *Et ostendam*. Volens igitur fideles cautos reddere contra peccata, ne incurrant supplicia, ostendit quare mali damnabuntur. Nota *Glossam*, cum descripsisset plagas etc. Dicit igitur: *Et venit*; quasi dicat: ita vidi in visione septem Angelos effundentes phialas. *Et venit ad me unus de septem Angelis qui habebant septem phialas*, de quibus supra xv et xvi. Venit inquam, ut excitaret intellectum meum. Sic ad litteram videbat in visione, scilicet unum ex septem illis Angelis accedentem ad se, et excitantem ejus intellectum ad intelligenda ea quæ consequuntur. *Et loquutus est mecum*, verbo interiori. Ecce quanta Beati Joannis dignitas, ut per Angelos sibi familiares reciperet revelationes, ut pote semper virgo. Hieronymus: « Angelis semper est cognata virginitas. » *Dicens: Veni*: ecce modus excitandi, quia familiariter eum vocat, *Veni*, per intelligentiam mentis. Quasi dicat: Præpara te ad intelligendum ea quæ tibi ostendam. Ecce patet quod ad percipienda documenta Angelica vel divina, oportet ad Deum accedere et intellectum præparare et elevare. Supra iv, *Ascende huc etc.* Nota quod, sicut dicit *Glossa*: « Angelus tenet personam docentis, Joannes personam discentis: unde per hunc Angelum potest intelligi Christus Angelus magni consilii qui sua inspiratione docet Ecclesiam, cujus typum gerit Joannes. » Sed objicitur contra litteram, *Venit ad me etc.*: quia illi septem Angeli, sunt septem ordines prædicatorum: et quomodo unus de illis septem ordinibus intelligitur venisse ad Joannem et eum docuisse? Respondeo, quod hic non agitur de illis septem Angelis quantum ad significationem septem ordinum prædicatorum, sicut supra xv et xvi; sed quantum ad ipsum tenorem visionis: quia cum vidisset septem Angelos, unus ex illis excitavit eum ad præparandum intellectum suum. Juxta hoc potest per hunc Angelum Christus intelligi, ut dictum est. *Et ostendam.* Hic ostendit ad quid excitatur; scilicet ad cognoscendam causam damnationis impiorum, et succincte ostendit hujusmodi causam de qua post agitur diffusius, infra eodem. Causa

autem damnationis est vita iniqua quam habent in se perversi, et qua alios pervertunt. Vitam autem iniquam perversorum describit, quantum ad peccatorum quantitatem. Et primo sub figura meretricis magnæ. Secundo quantum ad deceptorum multiplicitatem, *Quæ sedet*. Tertio quantum ad eorumdem qualitatem, *Cum qua fornicati*. Dicit igitur : *Et ostendam :* quasi dicat : veni per intelligentiam præparatam. *Et ostendam tibi damnationem,* idest causam damnationis. Simile Sap. I : *Deus mortem non fecit*, idest causam mortis, scilicet peccatum. *Meretricis*, malorum quæ supra XVI dicitur civitas magna et idest multitudinis sive numerositatis vocatur Babylon. Supra XV et infra eodem, Babylon magna mater fornicationum. Numerositas autem sive collectio malorum dicitur meretrix, quia relicto Conditore qui est sponsus sanctarum animarum, fornicantur mali cum dæmone, per cultum idolorum, vel cum rebus terrenis per affectum temporalium, vel cum immunda carnis voluptate per immunditiam delitiarum. Dicitur etiam meretrix multitudo perversorum qui perversi faciunt alios secum fornicari spiritualiter per pravam doctrinam, vel exemplum malum, vel consilium pravum, sicut sequitur : *Cum qua fornicati sunt etc. Magnæ*, propter quantitatem peccatorum quibus perversorum congregatio fornicatur, idest separat se et alios a Deo. Peccatorum autem quantitas intelligatur secundum numerum et gravitatem. De hac meretrice spiritualiter quantum ad societatem habere, dicitur Prov. V : *Favus distillans labia meretricis etc. Quæ sedet*, idest dominatur et regnat. *Super aquas multas*, idest super populos multos. Populi autem dicuntur aquæ, quia continue defluunt ad mortem, sicut aqua de se continue defluit. Infra eodem, *Aquæ quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt.* Dicitur autem meretrix sedere super aquas multas, quia multitudo hominum magna perversorum, quasi dominantur super alios malos et trahit eos ad mala, sicut Antichristus et ejus coadjutores dominabuntur aliis hominibus malis qui trahent eos ad mala, et detinebunt eos in ipsis. Etiam quasi regnant super malos præsentes, licet nondum appareat Antichristus. Ipse enim Antichristus, licet nondum manifeste venerit, caput est etiam malorum nunc similiter, sicut vult *Glossa*, *Cum qua fornicati sunt.* Hic ostenditur nequitia meretricis, quantum ad deceptorum qualitatem ; quia non solum minores, sed etiam majores ; non solum subditi, sed etiam principes decipiuntur per eam. Unde primo ostenditur deceptio majorum. Secundo minorum, *Et inebriati*. Dicit igitur : *Cum qua*, scilicet meretrice, hoc est multitudine perversorum alios pervertentium. *Fornicati sunt*, idest ejus doctrinæ et exemplo delectabiliter adhæserunt, et per hoc se magis a Deo separaverunt. Fornicationis enim nomen dat hic intelligi delectationem quæ est in peccatis mortalibus ; sive sint carnalia, sive sint spiritualia per quæ fit magis ac magis separatio a Deo, sicut sponsa fornicans deserit sponsum suum. Psalm, *Perdes omnes qui fornicantur abs te. Reges terræ*, idest principes sæculi terrena amantes. Hæc enim meretrix, idest homines magis in nequitia perversi, ut sunt hæretici et alii in malitia studentes, sua persuasione vel exemplo, faciunt etiam alios principes meretricari a Deo, sicut Antichristus et pseudo-ejus Apostoli, multos principes pervertent qui delectabiliter eorum errores sequentur. Supra III : *qui mœchantur cum ea in tribulatione magna erunt.* Quantum vero ad eos qui sunt sub principibus, dicit : *Et inebriati sunt*, idest repleti cum subversione et excæcatione mentis, ut seipsos non videant, nec Deum nec pœnam timeant cum effectu, sicut ebrius nihil timet. Oseæ IV : *Vinum et ebrietas aufert cor.* Haymon, « Sicut ebrius nihil timet, sic terrenis inhærentes in tantum excæcantur ut nec Deum diligant nec pœnas timeant. » *Qui habitant terram*, idest qui terræ insistunt, et in ea resident per amorem. In verbo enim inhabitandi notatur mora. Sancti autem non inhabitant in terra per affectum, sed transeunt per contemptum. Inebriati inquam, sunt *De vino prostitutionis ejus*, idest de vanitate peccatorum in qua verecundiam quasi meretrix prostituit. Homines enim qui sunt inter alios majoris perversitatis, in-

verecunde trahunt alios quos inveniunt ad hæresim vel aliud peccatum ; et ita quasi prostituunt se spiritualiter aliis, idest ad meretricandum spiritualiter exponunt se aliis, dum inverecunde et manifeste faciunt alios vanitati erroris vel alterius peccati delectabiliter adhærere. Vanitas enim cujusque peccati mortalis dicitur vinum, quia delectat et quia inebriat et subvertit potantes illud. Dicitur autem vinum prostitutionis, inquantum publice sive manifeste quasi meretrix se prostituens, facit homines fornicari a Deo bibentes vinum hujusmodi, id est sectando vanitatem cujuscumque peccati mortalis. Hoc autem fecerunt et facient maxime tempore Antichristi. Isa. xxviii : *Nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino.* Sed objicitur contra litteram. Hæc mulier meretrix est multitudo malorum, ut dicit *Glossa* super finem hujus capituli, quomodo ergo meretrix sedet aquas multas, idest populos multos, cum ipsi mali sint ipsa meretrix ? Item quomodo mali dicuntur cum ea fornicari, cum ipsi mali sint meretrix, sive mulier ipsa ? Respondeo. Videtur dicendum, sicut ipsa littera innuit cum dicitur : *sedet super aquas multas etc.*, et multa alia quæ sequuntur, quod hæc mulier sive meretrix intelligitur multitudo malorum magis perversorum, qui in malitia sunt principaliores et ad pervertendum alios studiosi, et quandoque occulte, et quandoque aperte ad modum meretricis faciunt alios, tam principes quam eorum subditos adhærere sibi, inducendo eos doctrina, vel persuasione, vel exemplo, vel alio modo, ad sequendum delectabiliter errores vel alia peccata ; et hoc factum est et fiet maxime tempore Antichristi per hæreticos vel alios perversos ; et cum his damnabuntur alii quos seducunt. Per hoc patet responsio ad objecta. Posset tamen intelligi hæc meretrix multitudo malorum communiter : singulares autem personæ inquantum adhærent per imitationem perversitatis quæ est in communi multitudine malorum, dicuntur cum ea fornicari. Item inquantum multitudo suo communi exemplo vel speciali aut verbo eorum qui magis sunt inter malos perversi, dejiciunt plurimos in peccata et detinent in eis. Dicitur meretrix sedere super aquas multas, idest super populos particulares malos. Diversitas ergo inter hanc meretricem, sive mulierem, et inter eos qui cum ea debent fornicari, vel ejus dominio subesse, sicut est inter Ecclesiam communem et membra particularia. Per hoc patet ad objecta. *Et abstulit.* Hic ponitur secundum præambulum, scilicet elevatio intellectus ad intelligendum quæ facta est adjutorio Angelico. Dicit : *Et abstulit*, idest elevavit Angelus me, quia humanus intellectus et affectus elevatur ad divina quandoque ex ministerio, sive beneficio Angelicæ benevolentiæ, licet modus non sit omnino planus. *In spiritu*, non in corpore ; quia, ut dicit *Glossa*, talia corporeis oculis videri non possunt. *In desertum*, idest in corda reproborum consideranda, quæ a divina gratia sunt deserta, quia per visionem sequentem intellexit statum reproborum. Vel in desertum, idest in secretum mentis, sine omni tumultu mundanæ vanitatis, sicut in deserto tumultus hominum non est. De quo deserto, supra xii : *Et datæ sunt mulieri etc. Et vidi.* Positis præambulis, hic ponitur tenor visionis. Et primo ponitur visio. Secundo visionis expositio, *Et miratus sum.* Visio autem sic ponitur. Est autem visio de nequitia reproborum, quos nomine mulieris designat ; quæ nequitia est causa damnationis ipsorum. Describit ergo eorum nequitiam sub quibusdam similitudinibus. Primo ergo describit eorum nequitiam in generali sub nomine mulieris. Secundo in speciali, *Sedentem super.* Ubi primo ostendit hujus mulieris impietatem, quantum ad sedem. Secundo quantum ad habitum sive ornatum, *Et mulier.* Tertio quantum ad studium sive officium, *Habens poculum.* Quarto quantum ad nomen, *Et in fronte.* Quinto quantum ad ebrietatem, *Et vidi.* Hæc autem omnia mysterium habent. Dicit igitur : *Et elevatus in spiritu. Vidi*, interno aspectu. *Mulierem*, idest multitudinem impiorum, mollem ad mala et alios emollientem, quia magis perversi alios emolliunt ad malum. Mulier enim dicitur a mollitie vel a molliendo. Nahum iii : *Ecce populus tuus mulieres in medio tui.* Dicit au-

tem mulierem in singulari, propter unitatem conformitatis malorum supra tactam. *Sedentem :* hic describit malitiam mulieris quantum ad sedem : quia scilicet numerositas impiorum sedet et fundatur in diabolo, quasi in sede sua. Hanc autem sedem quam vocat bestiam coccineam etc., describit dupliciter. Primo implicite sub nomine bestiæ. Secundo explicite, *Coccineam.* Ubi primo describit eam quantum ad colorem. Secundo quantum ad inscriptionem, *Plenam etc.* Tertio quantum ad dispositionem, scilicet in capitibus et cornibus, *Habentem etc.* Et in tribus ostenditur diaboli crudelitas, temeritas et potestas. Potestas autem dicitur, tam communiter per septem capita, quam specialiter per decem cornua quæ signant decem regna quæ specialiter erunt tempore Antichristi. Dicit igitur : *Sedentem*, idest stabilitam et fundatam; quia mali ædificant vitam suam super diabolum, sicut boni super Christum. Matth. vii : *Fundata enim erat supra firmam petram. Super bestiam*, idest super diabolum, quæ bestia est, quia crudeliter sævit in homines eum potest. Bestia enim dicitur quasi vastia vastando. Jerem. vi : *Crudelis est et non miserebitur. Coccineam*, idest sanguineam in se et in suis; quia diabolus plenus est peccatis quæ per sanguinem signantur ; similiter et ejus membra. Coccineum enim quasi rubri coloris est, ut sanguis aquatus. Vel Coccineam, idest sanguineam spiritualiter, propter interfectionem animarum et corporum quandoque. Habacuc. i : *Semper gentes interficere non cessat*, *Plenam nominibus blasphemiæ.* Sic vidit in visione, scilicet bestiam coccinei coloris plenam nominibus blasphemiæ, contra Deum. Et sic ulterius per signatur quod diabolus plenus est in se et in membris suis ad inventionem blasphemiarum et hæresum, quibus facit homines blasphemare Deum. Dicit Plenam in se et in membris. *Nominibus blasphemiæ*, idest blasphemiis notabilibus et apertis ; quod per nomen signatur ; quia non solum facit diabolus homines blasphemare Deum occulte, sed etiam aperte : quod maxime fiet tempore Antichristi. Per ipsum autem diabolum bene nomina ponuntur blasphemiæ in malis : unde de multitudine malorum dicitur supra xiii : *Et supra capita ejus nomina blasphemiæ. Habentem capita septem*, hoc est universos principes, per quos malitiam influit diabolus in alia membra sua. De hoc magis habetur infra. *Et cornua decem*, idest decem regna quæ subjicientur diabolo tempore Antichristi, de quibus infra eodem dicetur. *Et mulier.* Hic describit quantum ad habitum ; quia vidit mulierem vestitam indumento purpureo coccineo cum auro et carbunculo et margaritis. Per hoc autem describitur iniquorum nequitia tripliciter. Primo, quantum ad jectantiam potestatis. Secundo, quantum ad perversitatem crudelitatis, *Et coccineo.* Tertio, quantum ad simulationem sanctitatis, sive bonitatis. Et hoc primo specialiter quantum ad duplex donum gratiæ : scilicet quantum ad altitudinem sapientiæ in cognoscendo : unde dicitur, *Et inaurata auro;* et quantum ad virtutem caritatis in diligendo, *Et lapide pretioso.* Secundo, communiter quantum ad alia dona et virtutes. *Et margaritis.* Dicit igitur, *Et mulier*, idest numerositas perversorum, mollis et emolliens ad malum, *Et mulier erat circumdata purpura*, idest induta purpurea veste, quæ est vestis regalis, in indicium dignitatis et potestatis : quasi dicat : iniqui gloriantur de potestate seu dignitate, ut honorificentur, et etiam ut alios in peccatum efficacius dejiciant. Sed dicitur Isaiæ xlv : *Gloriosos terræ humiliabo. Et coccino,* idest veste coccinea : quasi dicat : crudeliter occidunt corporaliter vel spiritualiter alios ; quia coccinum, quasi coloris rubei est, ut dictum est supra : unde signat crudelitatem interfectionis. Roman. i : *Repletos omni iniquitate, absque fœdere, sine misericordia, Et inaurata auro*, idest gloriantur se habere divinam sapientiam, quæ dicitur Aurum, propter fulgorem, decorem et valorem. Sed dicitur, Jerem. x : *Pariter insipientes et fatui probabuntur. Et lapide pretioso*, scilicet carbunculo, ut dicit *Glossa;* per quem signatur charitas, quam dicunt se habere ad Deum et proximum, cum tamen Deo et proximo injurientur. Carbunculus autem est lapis pretiosus, qui in tenebris fulget sicut

carbo succensus : unde charitatem signat quæ lucet in tenebris hujus vitæ et in tenebris adversorum. Unde dicit beatus Bernardus in libro *de Amore Dei* : « Charitas est amor illuminatus. » *Et margaritis*, idest aliis virtutibus, jactanter non veraciter : quasi dicat : Gloriantur se habere, non solum sapientiam veram et caritatem, sed etiam alia dona et virtutes. Margaritæ sunt quidam lapides pretiosi, qui ex rore cœli in conchis generantur : unde virtutes signant quæ sunt pretiosissimæ, quia vitam æternam acquirunt, et ex divinæ misericordiæ rore humanis mentibus infunduntur. Unde Augustinus : « Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus solus in homine operatur. » *Habens*. Hic ostendit perversorum nequitiam, quantum ad studium sive officium quod est homines pervertere pravis doctrinis, prave Scripturas exponendo, vel male aliter suadendo. Et primo, tangitur desiderium fraternæ perversionis, *habens poculum*. Secundo, simulatio salubris cognitionis, *Aureum*. Tertio, dolus nefariæ deceptionis, *Plenum*. Dicit igitur, *Habens poculum*, idest errorem doctrinæ ad potandum homines potu mortifero. Sumitur autem poculum pro continente non pro contento. Hoc maxime in hæreticis locum habet, qui prave exponendo Scripturas, desiderant homines pervertere inebriando potu erroris. *In manu*, idest in potestate, vel opere suæ expositionis. Unde dicitur fideli, Ecclesiastici XIII, *Attende tibi a pestifero etc. Aureum*, quia simulant se habere cognitionem divinorum, quæ cognitio signatur per Aurum, ut supra eodem dictum est : cum dicatur Ecclesiastici XXXIII, *Non est illi a Deo gratia data. Omni enim sapientia defraudatus est. Plenum*. Hic ostenditur dolus nefariæ deceptionis, per errorem doctrinæ : et ostenditur doctrina hæreticorum esse horrida : unde dicitur : *Plenum abominatione*, idest plenum documentis generantibus horrorem rationi sive animæ bene dispositæ. Item ostenditur esse sordida : unde sequitur, *Et immunditia*, quia error hæreticorum immundus est et sordidat homines. Ezechiel XIV, *Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis*. Item ostenditur esse noxia, quia a Deo separat : unde sequitur, *Fornicationis ejus*, idest impietatis, per quam facit hæc mulier secum fornicare homines spiritualiter, hoc est delectabiliter adhærere hæresibus et peccatis ; et sic separat se et alios a Deo. Psal. : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Et in fronte*. Hic describit perversorum nequitiam, quantum ad nomen. Hoc autem nomen est reale non vocale, sub figura autem nominis ostenditur malitia impiorum esse publica. Loquitur autem quantum ad inverecundos, unde dicit, *Et in fronte ejus*. Secundo, indurata sive obstinata, *Nomen scriptum*. Tertio, malitia, *Babylon*. Quarto, *magna*. Quinto, corruptiva, quia alios corrumpit exemplo et documento. Pestis autem documentis et exempli, qua alios pervertunt, ipsa est noxia, quia separat a Deo ; quod notatur nomine fornicationis : unde dicit : mater fornicationum. Item horrida sive fœtida : unde sequitur : Abominationum terræ. Dicit igitur, *Et in fronte ejus*. Per hoc notatur evidentia peccati, quod multi perversi non verentur infamiam nec scandalum. Jeremiæ III, *Frons mulieris meretricis etc. Nomen*, erat, *Scriptum*. Per hoc signatur obstinatio malitiæ, sicut et scriptio signat stabilitatem sanctitatis in bonis. Supra III, *Et scribam super eum nomen Dei mei etc. Mysterium*, idest signatum. Nota igitur quod vidit beatus Joannes in visione mulierem dispositam ut supra dixi. Vidit etiam in fronte ejus nomen quoddam scriptum, scilicet illud quod sequitur : *Babylon etc.* quo nomine signatur nequitia impiorum. Et ideo dicit : *Mysterium*. Quod autem sit illud nomen subditur, *Babylon*, idest multitudo perversorum confusa et involuta in vitiis. Confusio autem, vitiorum multiplicitatem eorumdem signat. Ezechiel. XVI, *Multiplicasti fornicationem tuam etc. Magna*, propter magnitudinem peccatorum. Infra XVIII, *Cecidit Babylon magna*, *Mater fornicationum*, idest causa peccatorum et errorum, quibus alii fornicentur spiritualiter, hoc est recedant a Deo. Supra XIV, *A vino fornicationis suæ potavit omnes gentes. Et abominationum*,

idest peccatorum abominabilium, quia foetorem faciunt in anima et horrorem generant. *Terræ*, idest qui sunt in terra, et in amatoribus terræ. Dicitur etiam peccatum abominatio, quia Deo est abominabile et exosum. Proverb. xv, *Abominabilis est Deo vita impii.* Nota quod est idem secundum rem fornicatio et abominatio; sed differunt respectu; quia Fornicatio dicitur inquantum a Deo separat; abominatio inquantum horrorem generat vel generare debet. Nota quod illud nomen quod vidit in visione, signat nequitiam publicam quasi nominatam; non quod sit illud nomen impiis secundum vocem. *Et vidi.* Quinta particula est, in qua describitur iniquorum perversitas, quantum ad ebrietatem, quia inebriant se sanguine martyrum : unde dicit. *Et vidi mulierum*, idest multitudinem perversorum mollem, et emollientem ad malum, *Ebriam*, idest satiatam et jucundantem; quia perversi inebriant se et jucundantur, sicut ebrius, effusione sanguinis fidelium. Gaudent enim præ crudelitate, cum eos mactare possunt abunde, *De sanguine*, idest de effusione sanguinis, *Sanctorum*, idest justorum qui ante Christi adventum fuerunt occisi. III Reg. xxi, *Sanguinem innoxium effudit Manasses etc. Et de sanguine martyrum Jesu,* idest de occisione martyrum occisorum pro Jesu post adventum Christi. Hebr. xi, *Lapidati sunt, secti sunt etc.* Vel sanctorum idest martyrum minorum. *Et martyrum Jesu*, idest martyrum majorum, qui majora passi sunt, et majus testimonium verbo et passionibus Christo Jesu dederunt. Martyr enim interpretatur testis. Et bene dicitur martyrum Jesu; quia cum ipse sit Jesus, idest salvator hominum per vim suæ passionis, omnino justum est, ut pro eo mortem fideles patiantur. Posset et hæc ebrietas, secundum *Glossam,* aliter intelligi etc. Vidi mulierem ebriam, idest vindicta damnationis repletam. De sanguine, scilicet pro effusione sanguinis sanctorum etc., ut supra dupliciter expositum est : quasi dicat : vidi peccatum mulieris, idest numerositatis impiorum : vidi etiam eam damnatam, pro occisione fidelium : quia sanguis justorum requiritur ab impiis in pœnam, secundum illud Matth. xiii, *Ut veniat super vos omnis sanguis justus etc. Et miratus.* Hic ponitur expositio visionis, quæ facta est per Angelum Joanni, admiranti super his quæ viderat. Unde primo tangitur Joannis admiratio. Secundo Angelica declaratio, *Et dixit mihi.* Ubi primo Angelus dissuadet admirationem. Secundo, subjungit expositionis promissionem, *Ego dicam.* Tertio ponit ipsam expositionem, sive declarationem, *Bestia quam vidisti.* Dicit igitur, *Et miratus sum cum viderem illam,* scilicet mulierem sic monstruose dispositam, *Admiratione magna*, intelligens non esse sine causa magna, et magni mysterii, quod sic erat disposita. Hic secundum *Glossam* gerit Joannes personam eorum, qui cum vident malos in mundo prosperari mirantur cum audiunt magnitudinem pœnarum, quæ eis debetur; et cum tanta pœna sint digni, mirantur quare sic eos exaltari permittat Deus : sed docentur intelligere, hujusmodi prosperitatem sive exaltationem datam ad majorem excæcationem, et tandem juste eis inferri æternam damnationem. *Et dixit mihi Angelus : Quare miraris?* quasi dicat : Noli mirari, quia sic disposita est mulier propter mysterium, quod tibi ostendam : et ideo potius vaca doctrinæ meæ, quam admirationi tuæ. Unde patet quod in spirituali, potius debet homo dare operam cœlitus percipiendo : unde sequitur, *Ego dicam,* idest ergo manifestabo tibi, *Sacramentum,* idest significationem. Nota quod sacramentum multipliciter dicitur. Uno modo dicitur pro dicitur pro sacro secreto, secundum quod Nativitas, Passio Christi et hujusmodi dicuntur sacramenta. Alio modo pro sacramento significante, secundum quod sacramenta veteris legis dicuntur sacramenta, idest sacramentum significantia. Tertio pro sacramento significante et efficiente, sicut sacramenta novæ legis dicuntur sacramenta. Quarto modo accipitur communius sacramentum, scilicet ubi aliud videtur, et aliud intelligitur, ut sit item quod significatio : et sic accipitur hic. Similiter, supra i, *Sacramentum septem stellarum etc. Mulieris et bestiæ, quæ portat eam*, scilicet mulierem,

Quæ, scilicet bestia, *Habet septem capita et decem cornua* : hoc totum viderat supra eadem. Omnia enim quæ viderat, ad hæc duo referuntur; scilicet ad mulierem, quæ signat numerositatem impiorum, et ad bestiam super quam mulier sedet, quæ bestia signat diabolum. Aquæ enim de quibus subjungitur, ad mulierem referuntur; quia dominatur super eas. Quid autem prædicta in speciali significent, aperit Deus Angelis, maxime autem quantum ad bestiam, et ea quæ errant in bestia : unde subditur ipsa expositio : *Bestia quam vidisti etc.* Sic autem proceditur. Primo, exponitur quid sit Bestia. Secundo, quid bestiæ capita, *Septem capita*. Tertio, quid cornua, *Et decem cornua*. Quarto, quid aquæ super quas mulier sedet, *Et dixit mihi : Aquæ*. Quinto, redit ad loquendum responsum de cornibus Bestiæ, *Et decem cornua quæ vidisti*. Sexto, quid sit mulier, *Et mulier*. Circa primum exponens de bestia, quæ designat diabolum, loquitur de eo quantum ad quadruplicem statum. Primo, pro statu tempus gratiæ. Secundo, pro statu temporis gratiæ, *Et non est*. Tertio pro statu ante judicium, maxime pro tempore Antichristi, *Et ascensura est*. Quarto pro tempore judicii, *Et interitum etc.* Ubi primo ostendit damnationem diabolicam. Secundo damnationis sequelam, *Et mirabuntur*. Tertio excitat ad cautelam, *Et hic est sensus*. Dicit igitur, *Bestiam quam vidisti*, supra eadem, hic est diabolus bestialis et crudelis, *Fuit*, scilicet in magna potestate, ante adventum Christi; tunc enim multum dominabatur. Hebræor. II, *Qui habebat mortis imperium*. *Et non est*, in illo dominio potestatis post adventum Christi : quia sicut dicit *Glossa* : « Nato Christo, jus perdidit, scilicet per passionem Christi incarnati. » Jeremiæ LI, *Quomodo confractus est et contritus est malleus universæ terræ?* vel fuit, in statu ante lapsum propter nobilitatem naturæ in qua conditus est. Ezech. XXVIII, *Tu signaculum similitudinis etc.* Et non est, post peccatum, secundum esse gratuitum. Job. XVIII, *Habitent in tabernaculo illius socii ejus qui non est*. Sed secundum *Glossam* objicitur, quia ante adventum Christi diabolus factus erat nihil, Ezech. XXVIII, *Nihil factus es et non eris in perpetuum*. Quomodo ergo dicitur fuisse tunc? Item tempore gratiæ habet adhuc potestatem magnam super mundum : quomodo ergo dicitur nunc non esse, quantum ad potestatem? Respondeo. Ad primum, quod diabolus ante adventum dicitur fuisse, propter magnitudinem potentiæ in dominando malis : non erat tamen quantum ad esse gratiæ, et sic objicitur. Nota ergo quod de diabolo est loqui dupliciter. Aut quantum ad esse primum, et sic nunquam desinit esse, cum sit immortalis; aut quantum ad esse secundarium : et hoc tripliciter. Vel quantum ad supereminentiam in qua fuit conditus, scilicet quantum ad illam claritatem naturalium quam amisit : quantum ad hanc potest fuisse ante lapsum, non post. Aut quantum ad status gratiæ, et sic a tempore peccati sui *factus est nihil et non erit in perpetuum*, sicut dicitur Ezechiel. XXVI : de hoc non fit hic sermo. Aut quantum ad magnitudinem potentiæ; et sic dicitur fuisse ante Christi adventum non post; quia maximum dominium habuit super homines ante longe magis quam post. Ad aliud dicendum, secundum *Glossam*, quod non dicitur nunc non esse quia nullam potestatem habeat super aliquos; sed quia multum debilitata est ejus potestas per passionem Christi : et quia omnes si volunt, possunt ejus manus evadere et salvari : ante autem adventum Christi nullus salvari, et fere totus mundus erat in peccatis. Unde instante passionis tempore, dixit : Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. *Et ascensura est*, idest ascendet idest elevabit se bestia hæc, idest diabolus ante finem mundi, tempore Antichristi, in magnam potestatem. Ascensura, inquam, est. *De abysso*, idest de peccatoribus profundis et tenebrosis in vitiis. Nunc enim latet in multis impiis, sed tunc aperte sæviet in fideles. Vel, de abysso, idest per abyssum, idest per eos qui profundi sunt in peccatis; quia per tales, sicut vult *Glossa*, elevabit se in majorem nequitiam : quod erit tempore Antichristi, quando habebit diabolus potestatem magnam. Infra XX, *Et post hæc*

oportet illum solvi modico tempore. Et in interitum ibit, idest in damnationem æternam, in die judicii, quando detrudetur in æternum supplicium. Gregorius in Gregoriano : « Omnibus electis ad hoc spectaculum deductis, hostis antiquus cum reprobis omnibus, æternis gehennæ incendiis mancipabitur, cum a Deo dicetur : Discedite a me maledicti in ignem æternum. » Vel ibit in interitum post mortem Antichristi, quantum ad amissionem potestatis. Unde *Glossa :* « Mortuo Antichristo, non habebit tentandi locum. *Et mirabuntur inhabitantes terram,* idest homines qui dum vivunt, terræ infixi sunt per amorem. *Quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ a constitutione mundi,* inclusive, idest qui sunt ex divina acceptione prædestinati ad vitam ab æterno. De hoc magis est supra cap. III. Mirabuntur de magnitudine pœnæ diaboli, qui prius magnam potestatem habuerat, et post jam periit morte æterna. Vel, mirabuntur videntes bestiam, idest mali mirabuntur potestatem diaboli et suam, ita annullatam post mortem Antichristi ; et super hoc dolebunt, quia adhuc vellent dominari justis sub militia diaboli : et ille sensus videtur principalior. *Glossa :* cum viderit etc. Sed si quis dubitabit, quomodo videbunt bestiam, quæ non erit, licet ante esset? Respondeo. Si de damnatio primo modo intelligatur, non dicitur diabolus non esse post judicium, quia prorsus desinat esse ; sed quia mortuus est morte æterna : quia propter magnitudinem pœnæ dicitur omnis damnatus, sive diabolus sive alius, perire, sive quasi non esse. Si autem secundo modo intelligatur, scilicet pro statu post mortem Antichristi ante judicium, dicitur diabolus non esse tunc : non per sui annullationem, sed per potestatis amissionem : et est sensus : videntes bestiam quæ erat et non est, idest videntes bestiam quæ prius magnam potestatem habebat, illam potestatem Antichristo mortuo perdidit. Hoc autem cognoscere poterunt, quia tunc mali non ita ut prius florebunt. *Et hic est :* quasi dicat : ita diabolus dejicietur, Et hic, idest in consideratione hujus dejectionis. *Est sensus qui habet sapientiam,* idest profunditatem sapientiæ : quasi dicat : consideratio hujus dejectionis dat materiam magni sensus et profundi, ut scilicet homines sibi ab amore terrenæ prosperitatis caveant ab actione perversitatis, ne similiter dejiciantur, totum amittendo et pœnam æternam sustinendo . *Glossa :* « Respectu etc. » Vel aliter : hic, id est in consideratione hujus dejectionis, est sensus necessarius actu operans et providens ac vigilans illi, qui habet sapientiam, in habitu. Quasi dicat : considerata dejectione diaboli, qui hic prædicitur necessarius esse cuilibet sensus ad cavendum, felices qui faciunt etc. *Septem.* Hic ponitur expositio, quam ad septem capita adjungimus, aut de bestia præmissa, quæ conformitatem habet cum impiis in malitia. Primo ergo agitur de septem capitibus. Secundo replicatur de bestia conformi capitibus, *Et bestia.* Dicit ergo, *Septem capita*, de quibus supra exponitur, *Septem montes sunt :* quasi dicat : septem capita illa designant septem montes, idest universos reges, sive potentes, qui dicuntur montes per altitudinem superbiæ : dicuntur autem capita per influentiam malitiæ ; quia per hos diabolus influit in alios malitiam, sicut caput influit in membra alia sensum et motum. *Super quos*, scilicet montes, idest superbos reges et potentes, *Mulier*, idest congregatio, sive multitudo hominum perversorum, qui alios ad malum emolliunt. *Sedet*, idest dominatur et regnat ; quia perversi, sicut sunt hæretici et hujusmodi, habent iniquos potentes, quasi sub nutu suæ voluntatis, et per eos alios pervertunt, sicut fiet tempore Antichristi. Vel, sedet, idest quasi fundata et stabilita quiescit multitudo impiorum : quia principibus innituntur alii mali et per eos se fulciunt. Universi vero potentes distinguuntur secundum septem tempora. Primum tempus fuit ab Adam usque ad Noe. Secundum a Noe usque ad Abraham. Tertium ab Abraham usque ad Moysen. Quartum a Moyse usque ad transmigrationem Babylonis. Quintum a transmigratione Babylonis usque ad Christum. Sextum tempus gratiæ a Christo usque ad Antichristum. Septimum, sub Antichristo. Septem ergo montes

sive capita, sunt universi potentes, distincti secundum septem tempora. Unde sequitur : et hæc, *Septem capita*, sive montes. *Septem reges sunt* : quasi dicat : septem capita sive montes, signant septem reges, idest universos malos potentes ; qui dicuntur reges, quia præsident aliis et regunt eos in malitia. Quoniam autem sunt distincti secundum diversa tempora ; ideo recte sequitur : *Quinque*, scilicet reges, idest potentes quinque temporum. *Ceciderunt* ; hoc dicit quantum ad quinque tempora quæ transierunt, scilicet usque ad tempus gratiæ ; ex quo patet jam quod omnia transeunt. Ecclesiast. III, *Et suis spatiis transierunt universa*. *Unus est*, cœtus malorum potentum sub sexto tempore, scilicet sub tempore gratiæ, qui impugnant cum possunt Ecclesiam. *Et alius*, scilicet Antichristus, qui septimo tempore regnabit. *Nondum venit*, quia tempore beati Joannis nondum venerat Antichristus. *Et cum venerit*, scilicet Antichristus, de quo jam dixerat quod nondum venit. *Oportet*, propter divinam voluntatem, qui illos dies breviabit, cui non potest resisti. Roman. IX, *Voluntati ejus quis resistit? Breve tempus manere*, idest brevi tempore regnare, scilicet tribus annis et dimidio. Matth. XXIV, *Nisi breviati fuissent etc.* De hoc brevi tempore, supra XXIV, *Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*. Quia vero diabolus est omnibus conformis in malitia, et tamen omnes excedit in malitia, ideo subditur : *Et bestia*, scilicet diabolus in se bestialis, et bestiales faciens. *Quæ erat*, idest videbatur esse aliquid magnum propter magnam potestatem ante Christi adventum. *Et non est*, scilicet in illa potestate post passionem Christi. Et id est etiam, *Ipsa octava est*, idest omnes alios in malitia transcendit, sicut numerus major transcendit minorem : quasi dicat : Cum potentes mali, sint in malitia perversi, diabolus connumeratur cum eis in malitia ; ita tamen quod eos transcendit vel superat in nequitia, juxta illud Joan. XLI, *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*. *Et de septem est*, conformitate culpæ et pœnæ in genere. Dicitur ergo bestia, scilicet diabolus octava supra præmissos reges sive potentes, propter excessum in malitia, et pœna ei debita. Dicitur autem esse de septem, propter conformitatem in malitia et pœna genere, sicut vult Glossa. *Et in interitum vadit*, idest in pœnam æternam, quæ est interitus perpetuus : detrudetur enim diabolus in infernum in judicio cum reprobis. Matth. XXV, *Discedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo etc.* *Et decem cornua*. Hic exponit quæ sint decem cornua : et multa docet de ipsis. Primo ergo exponit quæ sint decem cornua. Secundo ostendit eorum potestatem. Tertio eorumdem perversitatem, *Hi unum consilium*. Quarto ipsorum directionem, *Et agnus vincet*. Dicit igitur : *Et decem cornua quæ vidisti*, supra eodem. *Decem reges sunt*. Isti sunt decem reges de quibus Danielis VII, *Porro decem cornua ipsius regni, decem reges erunt*. Regnum enim romanum dividetur in decem regna ante finem mundi, et erunt subjecta Antichristo. Primo enim interficiet Antichristus tres ex illis regibus, Regem scilicet Africæ, Ægypti et Æthiopiæ : et tunc alii septem Antichristo victori colla submittent. *Qui regnum nondum acceperunt*, quia nondum venerunt. Nota quod isti reges cornua dicuntur, ad significandum bestialem eorum impetum contra fideles ; quia per eos impugnabit fideles Antichristus, sicut sequens littera innuit. Bestiæ enim habentes cornua cornibus impetunt. Item numerus congruit eorum malitiæ, quia legem decalogi impugnabunt. *Et potestatem*. Hic agitur de eorum potestate. Et primo tangitur potestas. Secundo abusus, *Tamquam reges*. Tertio brevitas, *Una hora*. Quarto gradus, *Post bestiam*, qui nondum regnum acceperunt : sed accipient et ea abutentur per malitiam, et hoc est. *Sed accipient potestatem*, scilicet regiam, quando scilicet Romanum regnum in decem regna dividetur. *Tamquam reges* : quasi dicat : non erunt veri et boni reges qui mala dissipare solent. Prov. XIX, *Rex qui sedet in solio etc.*, sed erunt tyranni, per tyrannidem alios opprimentes : unde dicit : Tamquam reges de talibus dicitur, Eccles. X, *Rex insipiens perdet populum suum*. *Una hora*, et modico tempore, sci-

licet tribus annis et dimidio, quibus cum suo capite Antichristi regnabunt. Et dicit : *Una hora*, ad significandum temporis brevitatem. Deinde ostendit gradus potestatis ; quia eorum potestas erit sub potestate Antichristi : unde sequitur : *Post bestiam*, idest post Antichristum sive post diabolum dominantem in Antichristo. Et dicit, post, non ordine temporis, sed ordine sive gradu potestatis ; quia potestas Antichristi, per quem dominabitur diabolus, major erit potestate ipsorum et ipsi erunt Antichristo subjecti : unde Daniel. VII, *Alius consurget post eos et ipse potentior erit prioribus.* Vel, Post bestiam, idest sequentes diabolum regnantem in Antichristo et servientes eidem. *Hi unum.* Hic ostendit eorum perversitatem. Et primo per comparationem ad diabolum cui omnia attribuent, *Et potestatem.* Secundo per comparationem ad Christum quem impugnabunt, *Hic cum agno.* Dicit igitur : *Hi*, scilicet reges prædicti. *Unum consilium*, idest unam voluntatem, unum studium. *Habent*, id habebunt ; loquitur enim pro illo tempore. Unum inquam, consilium ad impugnandum fidem Christi et exaltandum nomen Antichristi. Sed, sicut dicitur in Psalm. *Dominus consilia Gentium dissipat etc. Tradent bestiæ*, idest diabolo regnanti in Antichristo. *Virtutem*, idest potentiam nocendi fidelibus et operandi magna. *Et potestatem suam*, idest dominationem quam super alios habebunt. Virtus ergo respicit operationem. Potestas dominationem : quasi dicat : diabolo præsidente in Antichristo attribuent omnia : attribuendo enim Antichristo cui obedient ; attribuent diabolo, cum tamen dicatur, Rom, XIII, *Non est enim potestas nisi a Deo. Hi cum agno,* idest Christo innocente pio et pro nobis immolato pugnabunt, fidem Christi blasphemiis impugnando et fideles persequendo, ut fides ejus extinguatur et ejus cultores pervertantur. Daniel. VII, *sermones contra Excelsum loquitur et sancta Altissimi conteret. Et agnus.* Hic ostendit illorum cornuum sive regum dejectionem, quæ fiet per Christum et suos fideles. Unde primo ostenduntur dejiciendi a Christo. Secundo a familia Christi, *Et qui cum illo.* Contra primum Primo prædicitur Christi victoria. Secundo ostenditur victoris potentia, *Quoniam Dominus.* Dicit igitur : *Et agnus vincet illos*, dando suis fidelibus constantiam, per quam vincant hostes fidei, et damnando tandem eosdem. Sed quare non dicitur, leo vincet, cum leo potius dicat potentiam ad vincendum? Respondeo : ut sic notetur cum victoria modus vincendi ; scilicet per patientiam et sustinentiam adversorum quæ erit in fidelibus per virtutem exempli ipsius agni, qui omnia patienter sustinuit et quasi agnus coram tendente obmutuit : sic erit in ejus membris. *Quoniam :* quasi dicat : et poterit eos vincere. *Quoniam Dominus dominorum est et rex regum.* Ostenditur ergo habere dominationem super omnes dominantes, tum in generali, tum in speciali : et per hoc patet quod non est aliquis qui possit ei resistere, cum sit Deus et Dominus omnium : infra XIX, *Et habet in vestimento etc. Et qui cum illo sunt*, per adhærentiam amoris et conformitatem unionis. Ipsi dico, vocati per justificationem. Tunc enim vocat efficaciter cum justificat, vel per prædicationem. Et electi per prædestinationem et fideles per fidei perfectionem, ad quam tria requiruntur : scilicet crudelitas cordis, confessio oris. Rom. X, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Item exercitium operis. Jacob. *Fides sine operibus mortua est.* Tales inquam, vincent illos reges, per fidei constantiam et adversorum tolerantiam. Agnus ergo vincet illos, sicut victor principalis ; justi sicut victores secundarii. Agnus vincet illos, suos milites roborando ; justi vero ejus gratiæ cooperando per industriam liberi arbitrii ; et ideo sublimabuntur cum ipso Christo. Supra III, *Qui vincit dabo ei sedere mecum etc. Et dixit mihi.* Hic ponitur expositio de aquis de quibus supra eodem. Dicit igitur : *Et dixit mihi*, scilicet Angelus. *Aquæ quas vidisti*, aliqui libri habent aquas quas vidisti : et sic ordina : aquæ quas vidisti. *Ubi*, idest super quas. *Meretrix sedet,* tangit illud quod dictum est supra eodem : Ostendam tibi damnationem etc. *Populi sunt.* Populi quo ad eos qui habent legem, ut

Judæi; tantum quo ad eos qui sunt diversarum idiomatum in gentibus, ut sit Emphasis. *Gentes et linguæ*, idest gentes diversarum linguarum, vel populi quos distinguunt diversæ civitates. *Gentes*, quas distinguunt diversæ sectæ. *Et linguæ*, idest multitudines hominum, quas distinguunt diversæ linguæ : quasi dicat : aquæ illæ signant malos homines ex omni hominum diversitate collectos. Aquæ enim labilis naturæ sunt et fluidæ; similiter mali per diversa fluunt vitia et decurrunt paulatim ad inferos. Super malos dicitur sedere meretrix, quia multitudo hominum magis perversorum quasi dominatur super alios malos et pertrahit eos ad multiplicia mala : unde Antichristus qui nondum apparuit, jam regnat super malos præsentes, quia omnes mali membra sunt Antichristi, secundum Beatum Gregorium, etiam antequam Antichristus appareat : multitudo autem perversorum alios pervertentium dicitur meretrix, quia fornicantur cum dæmonibus adorando idola, vel sequendo alios errores, vel adhærendo aliis peccatis, et quia alios ad se quasi meretrix attrahunt, faciendo eos sibi per consectationem errorum vel aliorum peccatorum delectabiliter adhærere; et per hoc eos separant a vero sponso, ut dictum est supra. *Et decem cornua*. Hic iterum redit ad exequendum de cornibus bestiæ : et ostendit quod non debemus conformari præmissæ meretrici, quam hic fornicariam vocat, idest societati sive multitudini perversorum alios pervertentium, quia illi qui eidem adhærent tandem dolebunt. Specialiter autem ostendit hic, hoc de cornibus, idest regibus præmissis, et ipsa fornicaria, propter suam nequitiam damnabitur : cujus damnationis erunt participes qui in culpa fuerunt conformes. Primo ergo ostendit odium cornuum ad fornicariam. Secundo ostendit eam per ipsos esse damnandam, *Et desolatam*. Tertio ostendit circa hoc permissionem divinam, *Deus enim*. Damnationem autem fornicariæ quæ erit ex confœderatione et conformitate sui ad potentes in malo, ostendit primo quantum ad pœnam damni. Secundo quantum ad pœnam sensus. *Et carnes ejus*. Pœna autem damni erit, quia omni bono evacuabitur. Hoc autem damnum sive evacuatio describitur, inquantum molestat humanum affectum, cum dicitur : *Et desolatam*. Item inquantum privat bonum dilectum, sive optatum, *Et nudam*. Circa pœnam sensus notatur quod potentes, per hoc quod innuuntur hac nomine fornicariæ, erunt eis causa damnationis, et iterum gaudebunt de malis sive afflictionibus eorum. Primo ergo ostendit eorum gaudium de malo sive afflictione fornicariæ. Secundo ostendit eos futuros eidem causam gehennæ, *Et ipsam*. Dicit igitur : *Et cornua decem*, hoc est præmissi decem reges, in quibus etiam alii pravi potentes intelliguntur. *Quæ vidisti in bestia*, supra eadem, quia bestia, hoc est diabolus per hos impugnat fideles et fidem catholicam. *Hi*, scilicet reges et potentes. Quod autem dicitur, Hi refertur ad illud quod intelligitur et signatur per cornua. *Odient*, idest odio habebunt. *Fornicariam*, idest multitudinem hominum magis perversorum, qui eos stimulaverunt ad malum, sicut sunt hæretici et alii hujusmodi, et sicut erunt pseudo apostoli Antichristi. Talium multitudo dicitur hic fornicaria, et supra meretrix, quia verbo et exemplo facit homines fornicari a Deo vero sponso, per errores et alia peccata. Hanc fornicariam, idest pseudo apostolos Antichristi et alios hominum perversores, habebunt odio reges et alii potentes post mortem Antichristi, quando cognoscent se per eos fuisse deceptos, videntes Antichristum viliter mortuum et dejectum : ipsa etiam fornicatrix, quia decepit eos, damnabitur : cujus damnationis concausa erunt ipsi, quia juverunt eam in malis : unde sequitur : *Et desolatam facient eam*, idest facient eam esse sine consolatione omnis boni in inferno, ubi omnis consolatio quæ fuerat cessat et alia mala recompensantur, per hoc quod fuerunt fornicariæ causa malorum adjuvando per vim potestatis suæ ad nequitiam. *Et nudam*, omni bono quod ante habuerat vel dilexit ante. Omni enim bono quod cedat in complacentiam, nudi erunt damnati in inferno. Ezech. XXIII, *Dimittent te nudam et ignominia plenam*. *Et carnes ejus*

manducabunt, idest delectabuntur in ejus afflictionibus, sive præsentibus sive gehennalibus. Et est modus loquendi. Manducare enim dicitur carnes alterius, qui ita delectatur in ejus pœna ac si cum sapore et desiderio comederet carnes ipsius. Sed si potentes habent odio perversitatem hominum alios pervertentium, videtur quod pœniteant; quomodo ergo gaudent de alieno malo? Respondeo. Dicendum, quod cognoscent perversitatem talium, non tamen vere et sufficienter pœnitebunt multi ex potentibus, sicut sequitur : *Deus enim dedit in corda ipsorum*. Contingit enim videre deceptionem suam sine pœnitentia sufficienti; sicut Judas vidit se male fecisse, sed non vere et sufficienter pœnituit, licet aliqua pœnitentia duceretur : unde Matth. XXVII, *Tunc videns Judas etc*. Tandem autem per participationem et promotionem in peccatis erunt fornicariæ causa ignis æterni : unde sequitur : *Et ipsam igne æterno concremabunt*, idest causa erunt ut perfecte cremetur. Et ita patet quam malum est adhærere impiis; quia adhærentes aliis, faciunt alios damnari, et similiter e contrario et utrique involvuntur. Isa. XXXIII, *Spinæ congregatæ igni comburentur*. Quod autem potentes sint adjutores et promotores aliorum in peccatis, prius tamen excitati ab eis, hoc fiet permittente Deo. Unde sequitur : *Deus enim*, ita dico quod concremabunt eam igni, per hoc quod juvabit ad vitia. *Deus enim dedit in corda*, idest in libero arbitrio, vel voluntate. *Eorum*, scilicet regum et potentum. Dedit inquam per justam permissionem cum potentes essent in fervore malitiæ. *Ut faciant quod placitum est illi*, scilicet fornicariæ. Potentes enim tempore Antichristi obedient fornicariæ, scilicet pseudo apostolis Antichristi et consimilibus in persequendo violenter fideles; et hoc erit permissione divina ad bonum electorum. Dedit etiam Deus *Ut dent regnum suum*, idest dominationem suam attribuant diabolo operanti in Antichristo, et se ab eo regi permittant. Vel aliter. *Dedit in corda eorum*, hoc non mutatur, *ut faciant quod placitum est illi*, scilicet bestiæ, hoc est diabolo : unde quasi exponendo in speciali subditur : *Ut dent regnum suum bestiæ*, idest ut dominationem suam diabolo, qui erunt in Antichristo attribuant, ut dictum est, et ei serviant. Rom. I, *Tradidit eos in reprobum sensum etc*. *Donec consummentur*, idest impleantur. *Verba Dei*, quæ dixit per Prophetas de præmiatione bonorum et damnatione malorum. Quasi dicat : Potentes pravi usque ad diem judicii, permittente Deo, servient diabolo. Job. XXI, *In diem perditionis servatur malus*. Sed quid est quod dicitur, *Deus enim dedit* etc.? Quia secundum hoc Deus videtur esse causa, quod homines sint mali. Respondeo. Quædam dicuntur de Deo positive, ut creare, justificare : quædam negative, ut cum dicitur indurare vel interponere, inducere : hoc enim dicitur, non quia ipse immittat duritiam, vel faciat tentationi succumbere; sed quia non emollit et in tentatione constantiam non tribuit, et sic homo succumbit. Similiter dicitur dare in corda pravorum ut male faciant; idest permittet hoc cadere in corda ipsorum; unde negative non positive accipitur. Dum enim non tenet corda hominum, sine freno currunt ad mala. *Et mulier*. Quia de muliere nondum exposuerat, ideo nunc exponitur : et quia hoc facilius per se potest intelligi, ideo forsan ultimo exponitur. Dicit igitur, *Et mulier quam vidisti*, supra eodem, *Est civitas*, idest collectio sive numerositas perversorum conformium in malo : quod notatur per unitatem civium in civitate, *Magna*, propter numerositatis eorum multiplicitatem, ex vitiorum magnitudine. Multitudo perversorum dicitur Mulier propterea quia ad malum emollit. Civitas, quia multos colligit, Magna, quia quasi numerum excedit, vel quia enormiter offendit. Meretrix, quia homines a Deo disjungit. *Babylon*, quia se in vitiis confudit, sive involvit. *Quæ habet regnum*, idest dominium, *Super reges terræ*, idest super potentes diligentes terram. Societas enim impiorum, qui plus quam alii sunt studiosi ad malum, quæ dicitur hic Mulier et Meretrix et Civitas magna, trahit potentes ad nutum suæ voluntatis; sicut videmus quod hæretici multos principes trahunt : et hoc maxime erit

tempore Antichristi. Si autem mulier dicatur multitudo malorum communiter, tunc mulier dicitur, habere regnum, idest dominium super reges terræ; quia vitia quæ sunt in malis communiter dominantur specialiter in malis majoribus et potentioribus; quia potestas dominationis, dat eis superbiam et audaciam peccandi. Sed objicitur, quia multi reges et potentes sunt qui dominium tenent : quomodo ergo dicitur, Quæ habet regnum super reges terræ? et videtur loqui sine distinctione? Respondeo : per hoc dicitur reges terræ, idest diligentes terram : unde non loquitur de omnibus potentibus, cum multi sint boni, sed de pravis.

CAPUT XVIII

Et post hæc vidi etc. Hæc est visio sexta, quæ est de damnatione ipsa impiorum quæ fiet in judicio, et sustinebuntur in inferno. Unde sicut præcedens visio pertinet ad tempus Antichristi, sic ista ad tempus judicii. Ut autem major fides habeatur, introducitur Christus prædicans ipsam damnationem malorum, in tempore carnis suæ adhuc mortalis. Nota *Glossam* : « In hac sexta visione etc. » Hæc vero visio, continet tria capitula. Notandum autem quod mali qui damnabuntur, aut sunt homines, aut dæmones : si homines, de ipsis est loqui, aut in communi, et sic signantur sub nomine Babylonis; aut in speciali, et sic est Antichristus, qui signatur nomine Bestiæ, et ejus pseudo apostoli, qui dicuntur pseudoprophetæ. Primo ergo agitur de damnatione Babylonis, hoc est Ecclesia malignantium. Secundo de damnatione Bestiæ et pseudo apostolorum, infra XIX, *Et vidi cœlum apertum.* Tertio de damnatione diaboli et dæmonum, XX capite, *Et vidi Angelum descendentem.* Circa primum primo ostendit Babylonis damnationem. Secundo ostendit planctum malorum de eadem, *et flebunt et plangent.* Tertio bonorum exultationem, infra eodem, *Exultate super eam cœli.* Damnationem Babylonis ostendit Primo, in generali. Secundo, in speciali, *Reddite illi.* Circa primum, Primo ostendit impiorum damnationem. Secundo damnationis rationem, *Et facta est habitatio.* Tertio, subjungit fidelium admonitionem, *Et audivi aliam vocem.* Damnationem Babylonis tangit, secundum quod est prædicta a Christo, ut major sit certitudo. Primo ergo describitur ipse Christus prædicans. Secundo ipsa prædicatio damnationis, *Clamavit in fortitudine.* Primo describitur a gratia redemptionis. Secundo a potestate dominationis, *Habentem potestatem.* Tertio, a fructu sive effectu prædicationis; quia sua prædicatione illuminavit mundum, *Et terra.* Dicit igitur, *Et post hæc* : quasi dicat : ita vidi præmissa. *Et post hæc vidi,* visu interno. *Alium Angelum,* idest Christum Angelum magni consilii, qui est alius a præmissis Angelis, de quibus supra XVII, *Et venit ad me unus de septem Angelis, qui major est,* eo quod est Dominus omnium prædicatorum, qui per illos signantur, et Angelorum. Angelus enim Joanni revelabat præmissa, sicut et hæc. *Descendentem,* per carnis assumptionem, ad hominem redimendum de cœlo. *Glossa,* de æqualitate patris. Psal. : *Descendet sicut pluvia in vellus.* Iste descensus non fuit secundum loci mutationem; sed per sui exinanitionem, in assumptione carnis, sicut superius dictum fuit. Sed quomodo dicitur descendisse de patris æqualitate, cum eam non amiserit? Respondeo : duplici ratione. Una; quia cum esset prius in æqualitate Patris, humiliavit se ad carnis infirmitatem, et factus est minor Patre, secundum humanitatem, non tamen amissa æqualitate secundum divinitatem. Alia; quia cum prius existeret in Patris æqualitate invisibilis et occultus, per assumptionem carnis apparuit inter homines visibilis et manifestus. Ad objectum patet; quia non intelligitur amisisse æqualitatem. *Habentem potestatem magnam,* quia dominatur omnibus, et ita poterit complere verbum suæ prædicationis, de damnatione malorum. Daniel VII, *Potestas ejus potestas æterna, etc. Et terra illuminata est,* idest amatores terrenorum, prius in tenebris existentes. Vel, *Terra,* idest Ecclesia, cujus est fructus terræ. *A gloria ejus,* idest a prædicatione ejus gloriosa, in se

et ita mirabilis. Isaiæ IX, *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*, *Et clamavit.* Hic ostenditur ipsa prædicatio damnationis, quæ facta est ex magno zelo Christi : et sicut prædicavit, ita complebitur. Unde primo ostenditur zeli vehementia in clamore. Secundo prædicationis efficacia, quia non carebit effectu, *In fortitudine.* Tertio ipsa damnatio prædicata, dicens etc. Dicit igitur, *Et clamavit*, prædicando. Clamor ostendit zelum Christi ab homines. Psalm. : *Zelus domus tuæ comedit me.* In fortitudine, quia fortiter complebit damnationem quam comminatus est. Aliqui libri habent : In forti voce; et est idem sensus, *Dicens cecidit, cecidit*, idest cadet, hoc est damnabitur corpore et anima : bis enim dicitur, propter animæ et corporis pœnam : vel propter damnationis perfectionem; quia æternaliter : vel propter amissionem gloriæ et supplicium gehennæ. Jeremiæ XVII, *duplici contritione contere eos. Babylon,* idest multitudo iniquorum, qui in peccatis confusi sunt et obvoluti. *Magna,* propter magnitudinem vitiorum, vel numerositatem ipsorum impiorum. Nota quod licet Dominus sub his verbis non prædicavit damnationem malorum, prædicavit tamen aliis : unde Matth. VII, *Omnis arbor qui non facit fructum bonum etc.* Matth. XV, *Ibunt hi in supplicium æternum etc.* Hæc verba Angeli quæ vidit in visione beatus Joannes, *Descendentem de cœlo*, signant prædicationem dictam, qua Christus, quem ille Angelus designat, comminatus est damnationem impiis, etsi non sub eisdem verbis. *Et facta est.* Hic ostenditur causa damnationis : unde *Glossa :* « Et ideo cadet; quia facta est. » Causa autem damnationis, est culpa Babylonis, idest multitudinis impiorum. Primo autem ostenditur ejus culpa per comparationem ad dæmones quibus servit. Secundo per comparationem ad homines quos seducit, *Quia de vino.* Item culpa, secundum quod per eam servit dæmonibus, describitur. Primo, secundum quod est in actu, sive effectu. Secundo secundum quod est in perseverantia actus, *Et custodia.* Dicit igitur, *Et facta est :* quasi dicat : ita cadet Babylon, et hoc ideo, quia, *Facta est*, suo libero arbitrio per peccatum, *Habitatio,* locus et mansio, *Dæmoniorum.* Isaiæ XIII, *Habitabunt ibi struthiones etc.* et loquitur de Babylone. *Et facta est custodia omnis spiritus immundi*, idest custodivit se, omni spiritui immundo, sive omnis spiritus immundus custodivit eam sibi : et hoc fit per obstinationem sive impœnitentiam. Et dicitur spiritus immundus specialiter quantum ad suggestionem luxuriæ. *Et custodia omnis volucris*, idest omnis dæmonis superbi, superbiam suggerentis. Dæmones enim dicuntur volucres propter superbiam quam habent et suggerunt : et dicitur hoc quantum ad suggestionem superbiæ. Sed quia sunt volucres mundæ et bonæ, scilicet viri justi, qui volant ut volucres per contemplationem, recte subditur : *Immundæ*, per superbiam. Etsi enim specialiter luxuria immunditia sit : tamen omne mortale immunditia est. Superbia autem multum inquinat : unde loquens Augustinus de superbia et vana gloria, dicit in V libro *de Civitate Dei :* « Tanto est quisque Deo similior, quanto ab hac immunditia mundior. » *Et odibilis*, quantum ad suggestionem avaritiæ; quia dœmon quilibet, est odibilis Deo; quia per vana temporalia decipit homines, et ipsi homines per amorem mundi odibiles fiunt apud Deum. Jacob. V, *Amicitia hujus mundi, inimica est Deo.* Vel aliter, spiritus malus dicitur Immundus, secundum *Glossam*, inquantum suggerit carnis immunditiam : dicitur. Volucris, inquantum habet et suggerit superbiam ; hoc non mutatur. Quod autem sequitur, *Et odibilis,* potest sumi nominative de Babylone, et sic incipit ibi pars illa, in qua ostenditur ejus culpa per comparationem ad homines. Et hoc videtur rectius; quia statim subditur ratio, quare est Babylon odibilis coram Deo : *Quia de vino*, Dicit igitur, *Et facta est odibilis*, idest digna odio apud Deum propter peccata, specialiter autem propter illa quæ sequuntur. Ecclesia t. XII, *Altissimus odio habet peccatores*, *Quia*, hic agitur de culpa Babylonis, per respectum ad homines, quos seducit. Et primo ostenditur seductio in generali, quantum ad quodcumque mortale peccatum. Se-

eundo, in speciali, quantum ad peccatum cupiditatis. Secundo autem per quodcumque mortale in generali. Primo ostenditur in minoribus. Secundo in majoribus, *Et reges*. Dicit igitur, *Quia*; quasi dicat: ita cadet et merito: Quia etc., vel aliter continua juxta modum praefactum. Quasi dicat: Facta est Babylon apud Deum odibilis, et hoc ideo, *Quia de vino*, idest de vanitate, sive delectatione, quae est in vitiis inebrians et absorbens, amentes faciens homines, *Irae*, idest quod provocat iram Dei. Vino inquam, *Fornicationis*, idest peccati quo anima fornicatur spiritualiter. Omne enim peccatum mortale, fornicatio est spiritualis, qua a Deo receditur. Psal.: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te*. *Ejus*, idest quam fornicationem habet Babylon in se, et ad quam alios verbo documenti vel exemplo facti inducit. *Biberunt omnes gentes*, idest gentiliter viventes. Loquitur per similitudinem alicujus qui potat alios malo potu: similiter multitudo hominum, qui magis sunt perversi et perversores aliorum, inducunt alios persuasione et exemplo ad vitia. Supra XIV, *Cecidit cecidit Babylon illa magna, quae a vino irae etc*. *Et reges*, idest potentes, *Terrae*, idest terram amantes, *Et cum illa*, scilicet Babylone, *Fornicati sunt*, idest ejus documentis et exemplis delectabiliter adhaeserunt, et per hoc a Deo se magis separaverunt. Supra XVII, *Cum qua reges terrae fornicati sunt*. *Et mercatores*, qui merces vendunt et emunt, et animas suas diabolo vendunt inhiando lucro temporalium: unde sequitur, *Terrae*, idest inhabitantes terrenis. *Divites facti sunt*, ad litteram vitiis vanis. *De virtute deliciarum ejus*, idest de peccatis quae Babylon reputat habere virtutem et efficaciam ad felicitatem quam in mundo constituit, quae etiam peccata reputat delitias. Et dicit delitiarum ejus, qui perversi docent alios delitias peccatorum, et per multa genera peccatorum quae delectabilia videntur, fiunt multi divites. Ex hoc patet periculum acquirendi divitias, quia per peccatum saepe aggregantur. Eccles. XI, *Si dives fueris, non eris immunis a delicto*. Seneca. Facilis est mihi via ad divitias, quoties poeniturus bonae mentis. *Et audivi*. Hic subditur fidelium admonitio, ne sint Babyloni conformes, ne cum ea damnentur. Primo ergo ponit admonitionem. Secundo subdit motivam rationem, *Et de plagis*. Monitio autem est quantum ad duo: scilicet ne fideles mala agant, item ne male agentibus consentiant, *Et ne participes*. Monitionem autem ponit, non ex parte suae personae, sed ex parte vocis auditae, ut major sit auctoritas; unde dicit: *Et audivi aliam vocem*, idest divinam inspirationem, quae alia dicitur a praemissa voce Christi malis comminantis, quia haec vox est admonitionis ad electos: illa fuit vox comminationis ad reprobos. *De caelo*, idest de sublimitate divinae majestatis quae fidelibus condescendendo admonet ipsos. Vel per hanc vocem signatur praedicatio quae fideles admonet non conformari malis. Hanc vocem audivit, idest intellexit fieri de caelo, idest de Ecclesia, idest de praedicatoribus Ecclesiae debent esse lucidi excelsi et solidi in vita. *Dicentem: exite de illa*, idest de Babylone, hoc est de impiorum multitudine, o vos fideles qui estis. *Populus meus*, per praedestinationem et adoptionem et obedientiam: quasi dicat: Ne sitis conformes societati malorum male agendo: hoc est enim exire de Babylone spiritualiter. Jerem. LI, *Fugite de medio Babylonis etc*. *Et ne participes sitis delictorum ejus*, idest peccatorum ejus, in quibus delectatur: quasi dicat: Malefacientibus ne praebeatis consensum. Rom. I, *Qui talia faciunt etc*. Et de plagis, hic subdit motivam rationem. Ratio haec est, ut scilicet evitent poenam si caverint culpam. Et primo ponit persuasionem ad poenam vitandam. Secundo ostendit eam vere impiis inferendam, *Quoniam pervenerunt*. *Et de plagis ejus*, idest de damnatione Babylonis quae plaga multiplici percutietur. *Ne accipiatis*: quasi dicat: Cavete ne sitis participes poenae, quam non evadetis, si fueritis socii culpae. I Reg. XV. *Discedite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo*. Et vere plagas habebit damnationis. *Quoniam*, explanatum est: vel potest esse causale, si referatur ad illud quod dictum est, exite etc. *Pervenerunt peccata ejus*

usque ad cœlum : idest peccata ejus venerunt propter sui gravitatem non solum usque ad displicentiam, sed etiam usque ad memoriam Dei habitantis in cœlo per manifestationem ampliorem : quasi dicat : Peccata Babylonis propter sui enormitatem provocaverunt iram Dei regnantis in cœlo, ita ut eorum memor sit ad puniendum. Unde exponendo subditur : *Et recordatus est*, idest recordabitur Deus a cujus offensa cavendum fuit. *Deus*, qui offensam vindicare poterit actualiter puniendo : qui prius cum prosperari permitteret, videbatur oblitus iniquitatum ejus. Oseæ IX, *Recordabitur iniquitatis eorum etc*. Et dicit, iniquitatum, pluraliter, quia nullum peccatum quod prius purgatum non fuerit remanebit impunitum. Ezech. VII, *Et imponam tibi omnia scelera tua*. Vel aliter : merito plagas habebit. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, idest peccata ejus aggravata sunt usque ad contemptum Dei, per obstinationem et impœnitentiam ; et ideo punienda est : unde sequitur : *Et recordatus est* etc. ut prius. *Reddite*. Ostensa damnatione in generali, hic ostenditur in speciali. Hic enim expressius describitur quam supra. Primo autem describitur damnatio secundum quod est inferenda per sanctos judicantes. Secundo secundum quod per Dominum retribuentem, *Et ideo in una*. Circa primum notatur quod perversi homines multi, sanctos afflixerunt, in se prave vixerunt. Item multi sic semper manere putaverunt. Unde primo ostenditur Babylon esse damnanda pro sua sævitia. Secundo pro vita, *Quantum glorificavit*. Tertio pro confidentia vana, *Quia dicit in corde suo*. Damnatio autem juste infertur impiis a sanctis, quia eos afflixerunt. Item illa damnatio erit gravis et major quam fuerit afflictio quam passi sunt justi ab eis : unde damnatio inferenda impiis pro persecutionis sævitia, Primo describitur, quantum ad æquitatem. Secundo quantum ad gravitatem, *Et duplicate*. Dicit igitur, *Reddite* : quasi dicat : Deus memor est iniquitatum Babylonis ad puniendum, et hanc pœnam vult inferri per vos fideles, quos persequuta est. Et ideo, o justi, *Reddite illi*, adjudicando ei pœnam æternam, *Sicut et ipsa reddidit vobis*, inferendo persequutionis angustiam : et sic patet æquitas damnationis. Jeremiæ LI, *Ultionem accipite de ea ; sicut fecit facite ei*. Loquitur autem de eis, qui habebunt potestatem judiciariam in judicio. *Et duplicate*. Hic ostendit damnationis gravitatem ; quia erit in corpore et anima. Et primo ostenditdr damnationis gravitas aperte. Secundo, metaphorice, *In poculo*. Dicit igitur, *Et duplicate duplicia*, idest duplices pœnas inferte impiis, supra pœnas quas vobis intulerunt. Illi enim afflixerunt vos corpore : vos autem adjudicate eis pœnas corporis et animæ. Quia vero quidam minus persequuti sunt sanctos, et minus peccaverunt, alii vero magis ; ideo differenter puniendi sunt : unde sequitur, *Secundum opera ejus*, idest pœna illa duplex corporis et animæ, sit gravior vel minus gravis, secundum quod magis vel minus peccaverunt. Infra XX, *Judicatum est de singulis opera ipsorum*. Deinde ad ostendendum plenius quam graviter peccaverint, et quam graviter damnari meruerint, sub metaphora subdit illud. *In poculo*, idest in mensura afflictionis tamen ampliata, Poculum quandoque dicitur scyphus quo datur potus cum mensura ; quandoque ipse potus ; hic autem videtur juxta primum modum, scilicet pro mensura afflictionis. *Quo*, idest in quo poculo, *Miscuit vobis*, idest propinavit vobis potum multiplicis angustiæ. Per hoc enim quod dicitur *Miscuit*, videtur intelligenda multiplicitas pœnæ sanctis inflictæ. Et loquitur ad similitudinem hominis qui potat alios multiplici potu amaro. *Miscete ei duplum*, neutraliter, idest propinate eis per judicium vestrum potum pœnæ majoris quam vobis intulerint, scilicet æternam pro temporali, sicut duplum excedit simplum, licet non sit perfectum simile ; quia longe plus excedit pœna æterna temporalem. Vel. *Duplum*, idest pœnam duplicem, sive pœnam vobis illatam, scilicet in corpore et anima pro corporum persecutione. Per hoc autem quod dicitur, *Miscete*, potest intelligi pœna multiplex tam animæ quam corporis : quia ubi est mixtio, ibi est adunatio multo-

pœna. Quasi dicat : Sicut eos potavit poto afflictionis multiplicis, ita potate eam poto afflictionis multiplicis ; ita tamen quod pœna eorum gravior, et in corpore et anima tormentantur. Deinde ostenditur Babylon esse damnanda, pro vita prava quam duxit ; unde sequitur : *Quantum glorificavit se*, in honore dignitatum et pompa divitiarum. Homines enim in his deliciis se glorificant, idest gloriantur apud se et ab hominibus glorificari quærunt. *Et in deliciis fuit*, idest in illecebris corporalium, *Tantum date ei*, per judicium. *Tormentum*, in corpore, *Et luctum*, in anima, quia corpore et anima se glorificavit et oblectavit. Vel Tormentum, est pœna principalis, ut cruciatus ignis et hujusmodi. Luctus autem pœna secundaria sequens ex tormento. Lugebunt enim, quia se in tantis tormentis afflictos sentient. Matth. XIII, *Ibi erit fletus* etc. Utrum autem sit in inferno fletus corporalis, non est plene certum, sed de mentali est certum. Quasi dicat : quantum se deordinavit et dementavit in glorificando se honoribus et divitiis, et oblectando deliciis, tantum eam damnationi judicate. Isaiæ XXVII, *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam*. Objicitur autem contra præmissa. Et primo de hoc quod dicitur : *Reddite illi sicut* etc. ; quia cum impii non intulerint justis, nisi temporalem, non debent eis justi reddere nisi temporalem. Item reddere pœnam pro pœna est vindictam accipere, sicut etiam tangit *Glossa* ; quod non videtur convenire beatis. Respondeo. Ad primum dicendum, quod per illam dictionem, Sicut, notatur similitudo in genere, scilicet in afflictione ; tamen dissimilitudo est in specie ; scilicet quia gravior erit afflictio impiorum, quam pœna ab eis illata fidelibus. Quasi dicat. Sicut vos affligit Babylon, affligite eam ; graviorem tamen pœnam inferte. Unde sequitur : *Et duplicate*. Ad aliud dicendum quod accipere vindictam est dupliciter. Aut ex affectu vindictæ ; et sic est illicitum. Aut ex zelo justitiæ ; et sic est licitum in eo qui affectum habet nullo modo distortum, et habet auctoritatem certam et plenam : et sic erit in justis qui malos judicabunt : quia non nisi zelo justitiæ et affectu justissimo movebuntur, et divina auctoritate reddent malis pœnam judicando eosdem. Secundo objicitur de hoc quod dicitur, *Duplicate duplicia*, quia secundum hoc pœna videtur excedere culpam, cum tamen Deus semper puniat citra condignum. Similiter potest objici de eo quod sequitur : *In poculo quo* etc. Respondeo. In culpa persequutionis justorum est quatuor considerare : scilicet ipsum actum persequutionis qui transit. Item afflictionem in persequutione inflictam. Item delectationem in persequendo habitam, quia delectantur impii cum justos affligunt. Item ipsam offensam sive injuriam in Deum et sanctos per præmissa commissam ; quia magna valde offensa et injusta ac contemptus est Deum persequi in suis electis. Magna injuria est contra Deum in quodlibet mortali. Quantum ergo ad tria prima pœna duplicatur supra culpam, et eam excedit : actus enim transit, pœna semper manet in inferno. Item afflictio inflicta minus gravis est quam damnatio ; et illata est in solo corpore ; damnatio autem longe major est quam afflictio justorum in via, tum intensive, quia acerbior, tum extensive, quia in anima et corpore. Rursus delectatio, non sic intensa nec diuturna fuit, sicut erit pœna gehennæ. Tum principaliter quantum ad secundum istorum trium loquitur littera, duplicia etc., ut patet ex *Glossa*. Quantum ad ultimum patet, culpa excedit pœnam. Pro injuria enim tanta commissa in regem summum, et etiam pro qualibet culpa mortali non tanta pœna in inferno infligitur a Deo, quantum impii meruerunt ; quia semper propter infinitam misericordiam, punit citra condignum. Per hoc patet responsio ad objecta. Tertio objicitur de hoc quod dicitur : *Quantum glorificavit se* etc. : quia secundum hoc, cum glorificatio et delectatio fuerit temporalis, tormentum debet esse temporale. Item secundum hoc non debet magis intensa esse gehennalis afflictio quam fuerit peccati delectatio. Item propter hoc quod dicit, tantum et quantum, videtur puniri per æqualitatem ad meritum culpæ, vel citra condignum. Item videtur contrarietas : supra enim

dictum est, *Duplicate et miscete duplum :* hic autem dicitur, *tantum et quantum.* Respondeo. Ad primum dicendum, quod in mortali peccato, in quo quis decedit, est quatuor attendere : scilicet actum malum interiorem. Item delectationem actus. Item injuriam sive offensam per præmissa contra Deum commissam. Item finalem impœnitentiam ; quæ facit quod peccatum deinceps est indelebile in perpetuum. Quantum ad primum et secundum plus cruciabitur peccator, quam se in peccatis glorificavit vel oblectavit ; quia pœna non transit, sicut actus transiit vel delectatio. Item pœna erit acerbior quam delectatio. Quantum autem ad tertium, tantum cruciabitur faciendo comparationem in genere non in specie, quam se glorificavit et oblectavit quia secundum quantitatem injuriæ vel offensæ erit quantitas tormentorum comparando in genere : idest si multum offendit, multum cruciabitur ; si minus, minus : et sic accipitur quod ducitur, *Quantum glorificavit etc.* Unde sic potest intelligi, ut supra tactum est in exponendo : quasi dicat : Quantum offendit vel peccavit in glorificando et delectando se, tantum etc. Quantum autem ad quartum. Respondet pœna culpæ in inferno secundum durationem : quia sicut macula offensæ semper manebit in anima, sic pœna est perpetua : sed hoc non agitur hic. Per hoc patet ad duo primo objecta. Ad aliud similiter jam patet : quia tantum non dicunt æqualitatem in speciali, sed proportionem in generali : idest si multum offendit, multum puniatur ; si minus, minus. Ad ultimum dicendum, quod non est contrarietas : quia secundum diversa quæ sunt in peccato fit sermo supra et hic. In peccato enim mortali in quo quis decedit, sunt quatuor, quæ prius dicta : et super hæc est specialiter in peccato persequutionis justorum quiddam speciale, scilicet afflictio justis inflicta. Cum ergo supra dicitur, *duplicate* etc., hoc dicitur specialiter respectu afflictionis justo illatæ quam excedit cruciatus damnationis persequutorum, sicut supra dictum est. Cum autem dicitur hic *quantum* etc., hoc dicitur ratione offensæ vel injuriæ commissæ in bonum summum ; et ideo pœna debet esse maxima : et fit comparatio secundum proportionem in genere, non secundum æqualitatem in specie. *Quia in corde.* Hic ostenditur damnanda esse Babylon pro confidentia vana, quia confidit se non amittere vana quæ diligit. Et primo ponitur confidentia de permanentia sæcularis dignitatis. Secundo confidentia de permanentia temporalis facultatis. *Et vidua.* Tertio carnalis voluptatis et *et luctum etc.* Dicit igitur. *Quia :* quasi dicat : date ei tormentum et luctum. *Quia in corde suo dicit,* ibi enim mala ebulliunt : ideo dicit Dominus, Matth. IX : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ? Sedeo.* idest stabilis permaneo, nunquam movenda : permaneo inquam, *Ut regina :* quasi dicat : in dignitate et potestate honoris a qua nunquam movebor. Hoc habet locum in perversis existentibus in honore, maxime in infidelibus : cum tamen dicatur Eccles. X : *Omnis potentatus brevis vita. Et vidua non sum,* idest destituta a solatio temporalium. Et intelligitur quod temporalia non putat transire. Tale conjugium dissolvetur. I Joan. II : *Et mundus transibit et concupiscentia ejus. Et luctum non videbo,* in experientia : quasi dicat : non amittam delitias carnis, unde luctus perveniat. Luctus enim amaritudinem habet delitiis contrariam. Sed dicitur aliter Proverb. XIV : *Extrema gaudii luctus occupat. Et ideo.* Hic agitur de damnatione Babylonis, secundum quod infertur per Deum retribuentem, ut patet ex sequenti littera. Et ostenditur primo condemnatio Babylonis. Secundo virtus condemnatoris, quia fortis. Condemnatio autem ostenditur, Primo in generali. Secundo in speciali, *Mors.* Ubi damnatio describitur multipliciter. Primo quantum ad pœnam damni. Secundo quantum ad pœnam sensus, *Et igni.* Pœna autem damni ostenditur per oppositum ad tria præmissa. Et primo ostenditur pœna damni quantum ad amissionem dignitatis. Secundo voluptatis. *Et luctus.* Tertio facultatis, *Et fames.* Dicit igitur. *Et ideo :* quasi dicat : ita habet unam confidentiam de præmissis, *Et ideo in una die,* scilicet in die judicii, venient immissæ a Deo, *Plagæ ejus,* idest

pœnæ sibi debitæ, quæ utrumque hominem deglutit. Deinde exprimit plagas, scilicet, *Mors*, scilicet æterna, quæ utiliter dejicit eos, sicut mors corporalis facit extremum dejectionem. Et hoc est contra hoc quod dictum est, *Sedeo ut regina*. Hæc mors est pœna acerbissima eos ultimo dejiciens, cum carentia divinæ visionis, quæ est vita. Psalm. *Mors depascet eos*. *Et luctus*, idest amarus dolor de amissione delectabilium. Lucæ VI: *Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis et flebitis*. Hoc autem dicitur contra hoc quod dictum est, Et luctum non videbo. *Et fames*, idest defectus consolationis, quam solebat habere in temporalibus. Lucæ VI: *Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis*, etc. Hoc est contra illud quod dictum est, *Et vidua non sum*. *Et igne*, scilicet æterno, *Comburetur*, corpore et anima: hoc est pœna sensus. Isaiæ ultimo: Et ignis non extinguetur. *Quia*. Quasi dicat, vere sic fiet. *Quia fortis est Deus*, cui scilicet non possit ab aliquo resisti. Vel, fortis, idest constans in retribuendo, ut nullis precibus flectatur in judicio. Job IX: *Si fortitudo quæritur, robustissimus est*. *Qui judicabit illam*, idest condemnabit Babylonem. Ezechiel. VII: *Judicabo te juxta vias tuas etc*. *Et flebunt*. Ostensa Babylonis damnatione, hic ostendit planctum malorum de eadem Babylone dejecta et damnata. Damnatione enim numerositatis impiorum considerata, dolebunt particulares personæ: quia cum damnatione Babylonis videbunt ea tormenta quæ dilexerunt ipsi. Sic autem proceditur. Primo ostenditur planctus regum. Secundo planctus negotiatorum. *Et negotiatores terræ*. Tertio nautarum sive gubernatorum. *Et omnis gubernator*. Si autem quæratur, quare potius agat de dolore sive planctu istorum, quam aliorum generum hominum? Dicendum, quod per hos genus humanum intelligitur, quantum ad illos qui plus habere vel possidere videntur: quia per negotiatores terræ intelliguntur illi, qui negotiantur in terra; per gubernatores et nautas, illi qui negotiantur in aqua; per reges, illi qui præsunt utrisque. Vel per reges, illi qui præsunt in regimine temporali: per gubernatores, qui in regimine spirituali; per negotiatores, illi qui subditi sunt utrisque. Circa primum primo tangitur planctus in generali. Secundo in speciali, *Dicentes*, *Væ*. Planctus autem in generali sic describitur. Primo tangitur planctus ipse. Secundo, detrahuntur ipsi plangentes, *Reges*. Tertio, tangitur ipsum motivum ad plangendum, *Cum viderint*. Quarto ostenditur horror sive timor plangentium, *Longe stantes*. Ipsi plangentes describuntur, Primo quantum ad electionem bonorum, cum dicitur: reges. Secundo quantum ad cupiditatem divitiarum, cum subditur, *Terræ*. Tertio, quantum ad adhæsionem errorum, *Qui cum illa*. Quarto, quantum ad dissolutionem delitiarum. *Et in delitiis*. Dicit ergo quod, *Flebunt*: quasi dicat: ita damnabitur et dejicietur Babylon, *Et flebunt*, interius animo, *Et plangent*, exterius signo, *Super illam*, idest super dejectionem et damnationem Babylonis. Nota quod dolor istorum erit pro amissione delitiarum, et aliorum quæ dilexerunt, qui peribunt quando multitudo impiorum damnabitur. Item pro passione gehennæ, sicut ex littera colligitur. *Reges*, idest potentes, sua potentia male ac superbe utentes, *Terræ*, idest terram diligentes. *Qui cum illa fornicati sunt*, idest errori perversorum delectabiliter adhæserunt, et per hoc magis se a Deo separaverunt, *Et in delitiis*, carnis, *Vixerunt*, quæ vita est mors. I Timoth. V: *Vidua quæ in delitiis est etc*. Unde de horum amissione dolent, *Cum viderint*: quasi dicat: ita plangent, et hoc. Cum, idest quando, *Viderint fumum incendii ejus*. Hoc sic solet a quibusdam exponi: idest cum viderint incendium ejus magnum, cujus indicium erit fumus ascendens. Isaiæ XVIII: *Et ascendet fumus ejus in generatione et generationem*. Potest et aliter intelligi secundum *Glossam* sic. Fumum incendii ejus, idest pœnam incendii ejus supra modum altam et magnam: fumus enim incendii magni valde solet inaltari et dilatari. *Longe stantes propter timorem*. Hic ostenditur horror sive timor ipsorum plangentium: quia horror et timor generabitur in ipsis, quando videbunt incendium ignis æternis hoc est quod dicitur, longe. Sed ob-

jicitur. Primo de hoc quod dicitur, longe stantes, cum reges mali sint cum aliis in incendio, infra. Respondeo : stabunt longe voluntate non actu. Sensus ergo est : longe stantes, scilicet ab incendio, scilicet interius voto sive affectu, licet non exterius in affectu : et in hoc notatur magnus horror pœnæ quam vellent fugere si possent. Job. x : *Sed sempiternus horror inhabitat.* Secundo objicitur, de hoc quod dicitur, propter timorem : quia timor est respectu futuri mali ; ipsi autem reges mali tunc erunt actualiter in tormentis : ergo debet dici, propter sensum tormentorum, non propter timorem. Item cum jam incipit pati plene quod timebat, dolor generatur, et timor cessat : ergo cum in inferno sit plena passio pœnæ, non est ibi timor, sed dolo. Respondeo. Notandum quod ad cumulum pœnæ ex ordine divinæ justitiæ, est in inferno dolor acerbissimæ angustiæ et timor cum dolore. Ex ipsa enim acerbitate doloris, sive afflictionis, quam in se et in aliis vident, generatur horror et timor ipsius continuandæ afflictionis : hujusmodi autem timor durissime cruciat eos. Timor ergo auget dolorem, non fugat timorem. Unde beatus Gregorius in Gregoriano : « Dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat. » Ad aliud quod objicitur, quod timor est respectu futuri mali, dicendum quod hoc est verum, secundum ordinem naturæ ; ibi autem dominatur ordo justitiæ. Per hoc patet ad aliud. *Dicentes væ.* Hic ostenditur planctus in speciali ; et hoc est væ, quantum ad amissionem gloriæ. Væ, quantum ad passionem gehennæ. Vel væ, propter pœnam in corpore. Væ, propter pœnam in mente. Vel væ, propter pœnæ acerbitatem. Væ, propter acerbitatis perpetuitatem. Væ inquam habet, *Civitas*, idest congregatio, sive multitudo perversorum in culpa conformium, *Illa*, idest notabilis in malitia, *Magna*, propter magnitudinem vitiorum, vel propter multiplicitatem impiorum. Nominat autem eam : unde sequitur, *Babylon*, idest multitudo perversorum qui in vitiis sunt confusi. Babylon enim interpretatur confusio. Et repetunt ad descriptionem majorem prosperitatis, in qua fuit. *Civitas illa fortis*, ad mala, sive ad explendas voluntates proprias : hæc est mala fortitudo. Isaiæ XL : *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem.* Et vere habet væ, *Quoniam una hora*, idest subito, *Venit*, de præterito, *Judicium*, idest damnatio, *ejus*, scilicet Babylonis. Aliqui libri habent : tuum ; et tunc exponetur sic : *Væ væ tibi o civitas etc.* Tamen melior littera videtur ejus per alios planctus sequentes. *Et negociatores.* Hic agitur de planctu negotiatorum. Et primo in generali, ut prius. Secundo in speciali, *Flentes ac lugentes et dicentes etc.* Circa primum primo ostendit eorum planctum. Secundo motivum ad plangendum, *Quoniam merces.* Tertio ostendit horrorem sive timorem plangentium, *Et mercatores.* Dicit igitur, *Et negotiatores*, ad litteram qui negotiantur vendendo et emendo temporalia, et etiam pro terrenis animas dando : unde sequitur, *Terræ*, idest terram per affectum inhabitantes. Ecclesiastici x : *Nihil est iniquius quam amare pecuniam : hic et animam suam venalem habet. Flebunt*, interius in ore animi, *Super illam*, idest super ejus damnationem, *Et lugebunt*, exterius in signo. *Glossa :* « Quia illa perire dolebunt etc. » *Quoniam merces.* Hic ostenditur motivum planctus ; scilicet amissio temporalium, quæ hic merces vocantur. Et primo ostenditur damnum temporalium in generali. Secundo in particulari, *Merces auri.* Dicit igitur, *Quoniam.* Quasi dicat : ideo lugebunt, *Quoniam merces eorum nemo emet amplius :* quasi dicat : ideo dolebunt vel plangent, quia prosperitatem, quam ex venditionem mercium habebant penitus amiserunt. Et nota quod non ideo dicitur Merces eorum etc. quia tunc merces habeant, et non sit qui emat ; sed quia merces et venditio et emptio deficiunt, in quibus prius jucundabantur. Sapientiæ v : *Transierunt omnia tamquam umbra. Merces auri.* Hic in particulari ostenditur damnum amissionis rerum. Et tangit multa quæ sic possunt distingui. Quædam merces sunt ad opulentiam, de quibus dicit, *Merces auri etc.* Quædam ad honestam, saltem apparentem. *Et byssi et purpuræ.* Quædam ad necessitatem, *Et cinnamomum.* Quædam ad voluptatem, *Et poma tua.*

Circa primum tangit duo rerum genera, quæ pertinent ad opulentiam. Primo enim tangit merces excellentium metallorum, quæ sunt specialiter aurum et argentum. Secundo merces lapidum pretiosorum quos tangit primo sub nomine communi. Secundo sub nomine speciali, *Et margaritæ*. Dicit igitur, *Merces*. Quasi dicat : nemo emet merces eorum, scilicet merces *Auri et argenti et lapidis pretiosi*. Per hoc intelligitur quilibet lapis pretiosus communiter præter margaritam de qua specialiter subditur, *Et margaritæ*. Est autem lapis pretiosus, qui invenitur in conchis maris. *Et byssi*. Hic tangitur quæ faciunt ad apparentem honestatem. Et primo illa quæ faciunt ad honestatem corporum. Secundo ad honestatem domorum, *Et omne lignum*. Dicit igitur, *Et byssi*. Est autem byssus genus lini candidissimi, quod invenitur in Ægypto. *Et purpuræ*. Purpura est pannus sanguine concharum marinarum tinctus. Aliquando etiam Purpura dicitur ipse color quo tingitur pannus hujusmodi. *Et serici*, sicut dicitur a Seros oppido ubi vermiculi qui bombyces dicuntur, nascuntur, secundum Isidorum. *Et cocci*. Coccinum est pannus rubei coloris tinctus in cocco, et dicitur a Cocco. Est autem coccus flos quidam, qui cum maturus est, nutrit in coma sua vermiculum cujus sanguine tingitur lana, II Reg. I, *Filiæ Israel, flete super Saul, qui vestiebat vos coccino in deliciis*. Horum prædictorum merces nemo emet amplius. *Et omne lignum*. Hic tangit merces quæ faciunt ad honestatem domorum : et hoc vel in ædificium vel in ministerium. Et nemo emet amplius. *Omne lignum thyinum*. Thyinum vel thinum est lignum imputribile rotundum et candidum, ut habetur in *Glossa* III Reg. x, Secundum autem Papiam scribitur per simplex i et y : de eo potest fieri ædificium vel instrumentum vel vas. *Et omnia vasa eboris*. Ebur est os Elephantis, quod est animal castum natura. *Et æramento*, idest vasa de ære, quandoque enim idem est æs quod æramentum, quandoque autem idem quod ipsum vas factum de aere, ut Marci VII, *Et æramentorum*, *Et ferro*, quod est necessarium pro ædificio et pro supellectili in domo. *Et marmore*, quod ponitur in multiplici usu. *Et cinnamomum*. Hic tanguntur ea quæ pertinent ad necessitatem sustentationis. *Et vini et olei*, vel ad necessitatem operationis, *Et jumentorum*. Dicit igitur, *Et nemo amplius emet, Cinnamomum*. Cinnamomum est arbor aromatica; et dicitur quasi Cannamomum, quia crescit ad modum cannæ, et est cinerei coloris et fructus spirat suavem odorem. Et Amomum est quoddam genus seminis calidi et confortativum, ut dicunt, et facit effluere menstrua et urinam. *Et odoramentorum* : odoramenta dicuntur quædam quæ reddunt suavem odorem, et per hoc confortant infirmum ut quædam herbæ, et alia hujusmodi. *Et unguenti*, quo ægroti unguntur, ad alleviationem. *Et thuris*. Thus est nomen arboris, et etiam gummi ab eo manantis; et hoc secundo modo accipitur, et habet vim medicinalem, et etiam venditur et emitur in usum divini cultus. *Et vini*. Hic agitur de eis quæ faciunt ad necessitatem sustentationis : unde dicitur, *Et vini*, in potu, *Et olei*, in condimentum, *Et similæ, et tritici*, in cibum : sed simila est in propinqua dispositione : triticum autem in remota. Est autem simila vel similago flos delicatissimæ farinæ. *Et jumentorum*, quæ portant onera, *Et ovium*, quarum carnibus et pretio et emolumento, juvantur homines ad vivendum et operandum. *Et equorum et rhedarum*, idest curruum. Rheda est genus vehiculi quatuor rotarum, et dicitur a redeo redis. *Et mancipiorum et animarum hominum*. Mancipium dicitur, et dicuntur hic mancipia, qui servi sunt corpore non mente, ut Joseph Pharaoni servivit corpore, Deo cœli mente. Genes. XLI. *Animæ hominum* dicuntur qui hic serviunt corpore et mente, ut dicit *Glossa*. Vel Mancipia sunt servi qui ad tempus venduntur. Animæ hominum, qui simpliciter per totam vitam suam. *Et poma*. Hic de his quæ sunt in voluptatem, ut patet ex littera. Et ad exprobrandum convertit beatus Joannes verbum ad Babylonem de amissione rerum, quas negociatores tunc plangent. Vel possunt intelligi verba negotiatorum. *Et poma desiderii animæ*

tuæ, idest quæ erant tibi in profundum desiderium et voluptatem, *Discesserunt a te :* loquitur pro statu gehennæ. Ecclesiastes II, *Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animæ : et nihil permanere sub sole.* Sed cum poma licite desiderari possint, vel ad minus sine mortali, quomodo hic fit mentio de ipsis, cum modicum sit hoc? Respondet *Glossa*, quia etiam pro minimis, si immoderate hærent, damnabuntur. Hoc autem intelligendum quando quis adhæret creaturæ alicui diligendo supra Deum, vel æque Deo. *Et omnia pinguia*, ut quæ sunt delectabilia gustui : *et præclara* ut quæ visui, *Perierunt*, a te o Babylon. I Cor. VII, *Præterit enim figura hujus mundi. Et amplius illa*, scilicet præmissa, *Jam non non venient,* idest non vendentur. Veneo venis habet sensum Passivum in voce Activa. Ex his patet quod omnia temporalia fugiunt, solus autem Deus stat et qui ei adhærent. Unde Gregorius in *Gregoriano :* « Stante Deo in perpetuum omnia transeunt : quisquis ergo defluere devitat, superest, ut quod defluit fugiat. » *Et mercatores.* Hic ostenditur horror, sive timor plangentium. *Et mercatores aurum*, scilicet prædictorum, *Qui divites facti sunt ab ea*, a negotiationibus factis in ea, idest in civitate malorum, *Longe stabunt,* scilicet a pœna, voluntate non actu; quia vellent procul esse a pœna si fieri posset, *Propter timorem tormentorum ejus,* scilicet Babylonis cum qua erunt involuti in pœnis : et tamen magnus timor continuationis pœnæ erit in ipsis valde eos infligens. Vel Qui divites facti sunt longe stabunt ab ea, idest ab ejus pœna, quantum ad effectum. Propter etc. Et plangent damna rerum quas omnino amiserunt in perpetuum : unde replicando eorum dolorem, exprimit planctum eorum in speciali. *Flentes*, pro gehennæ passione. *Ac lugentes,* pro rerum amissione. Vel distingue ut supra, *Et dicentes : væ væ civitas illa magna,* expone ut supra eodem, et tangitur gloria mundi præterita. *Quæ amicta etc.* Loquitur pro statu viæ quantum ad ditiores et potentiores. Væ inquam habet, *Quoniam una hora*, idest subito sive brevi tempore, *Destitutæ sunt*, idest evacuatæ sive amissæ. *Tantæ divitiæ*, Lucæ XII, *Stulte et nocte etc.* Præmissa possunt intelligi spiritualiter, sicut habetur in *Glossa. Et omnis gubernator.* Hic agitur de planctu nutarum, qui horrebunt considerata pœna gehennæ, et plangent transitum rerum temporalium. Primo ergo tangit horrorem sive timorem nautarum. Secundo eorum planctum, *Et clamaverunt.* Tertio, motivum ad plangendum, *Videntes.* Quarto, plangendi modum, dicentes : *Quis similis.* Dicit igitur, *Et omnis gubernator etc.* Item hæc tria sic possunt distingui, ut Gubernator dicatur major rector in nave, Navigatores autem lacus, et nautæ dicantur minores, qui non sunt ita periti : vel si sunt ita periti, non sunt in tanto regimine principales. Tales autem navigant in aqua minori, ut in stagnis et hujusmodi. Unde dicit, *Et omnis qui in lacum*, idest per lacum, *Navigat*, aut in majori, ut in mari. Unde sequitur, *Et nautæ qui in mari operantur,* trahendo merces causa lucri. Aliqui libri habent. Et qui operantur in mari : et tunc nautæ sunt alii quam operantes in mari : ut sit sensus. Et qui operantur in mari pugnando ad lucrum vel rapiendo sicut sunt piratæ et alii qui in aqua alios impugnant vel expoliant : isti prædicti. *Longe steterunt,* idest longe stabunt pro voto, licet non re. Nota quod gubernatores possunt intelligi prælati, qui jam sunt in dignitate optata. Navigantes autem lacus, et nautæ, sunt illi qui aspirant ad hoc. Sed hoc potest esse dupliciter. Vel appetendo aliquid determinate, ut episcopatum. Tales signantur per navigatores in lacu. Vel aliquid indeterminate : et hi signantur per nautas in mari quod habet majorem habitudinem et terminos distantes. Multa revera operantur multi in mari et voragine honorum operantur ut obtineant. Bernardus in III libro de *Consideratione :* « O ambitio ambientium crux ! quomodo omnes torques, omnibus places? nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales crebrius negotiis ejus. » Vel per gubernatores et navigatores lacus, et nautas operantes in mari, possunt intelligi prælati maximi infimi et mediocres, se et alios in cupi-

ditate male regentes. Hi omnes horrebunt, visa pœna inferni : et plangent evacuationem eorum quæ dilexerunt, sicut sequitur. *Et clamaverunt plangentes*, scilicet damnationem malorum quos dilexerunt ; quia in eadem pœna se videbunt. Unde sequitur. *Videntes locum incendii ejus*, scilicet Babylonis : et ideo clamabunt et plangent præ horrore et timore, quia licet in eadem pœna sint, tamen horror pœnæ et timor continuationis, valde affligens erit in eis. De hoc loco et incendio, infra XXI. *Pars illorum est in stagno ardenti igne et sulphure. Dicentes quæ similis*. Hic ostendit plangendi modum. Plangent enim cum commemoratione præteritæ gloriæ. Unde dicit : *Dicentes quæ*, alia civitas. *Similis*, olim in statu viæ. *Civitati huic magnæ*, idest magnæ multitudini impiorum. *Similis* inquam, in prosperitate. Malachiæ III, *Habent felicitatem mundanam, ut dicitur, delitias, et honores*. Ipsi enim floruerunt in mundo, sed totum jam evanuit. Psalm. : *Cum interierit non sumet omnia*. Vel, quæ similis, in pœna, huic jam damnatæ, quæ olim ita floruit? Ezechielis XXVII, *Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?* Item cum affectione informis pœnitentiæ. *Et miserunt*, idest mittent. *Pulverem super capita sua*, idest pœnitebunt ; cujus signum solet esse aspersio pulveris super caput, sicut innuit *Glossa*. Sapient. I, *Pœnitentiam agentes*. Vel *mittent pulverem*, idest majorem miseriam et vilitatem, *Super capita sua*, idest super mentes, hoc est per considerationem pœnæ gehennalis, et amissionis prosperitatis temporalis, dabunt mentibus majorem dejectionem, quia crescet afflictio et vilitas mentis, et desperabunt. Vilitas autem et dejectio per pulverem signatur. Ezechielis XXVII, *Superjacient pulverem capitibus suis*. Item cum mærore vehementis tristitiæ. Unde sequitur : *Et clamaverunt*, plangendo, *Flentes*. Fletu interni mœroris in animo. *Et lugentes*, exterius in signo, scilicet super amissione floris mundani, qui periit Babylone pereunte simul cum ipsis. Ezechiel. XXVII, *Plorabunt te ploratu amarissimo*. Item cum expressione inflictæ miseriæ, quæ expressio erit vel corde vel ore. Unde dicit : *Dicentes : væ væ, civitas illa magna* : expone ut supra eodem. *In qua divites facti sunt omnes qui habitant*, idest habitabant. *Naves in mari*, ad litteram, facti sunt inquam divites. *De pretiis ejus*, idest qui recipiebant ab ea negotiando. Homines enim non timentes Deum, qui signantur per illam civitatem, quærunt divitias et delitias et pompam mundanam, et ideo apud eos multum lucrantur negotiatores maris. Vel, qui habitant naves, idest regimen in mare hujus mundi, scilicet prælati mali qui fuerunt divites de pretiis Babylonis, qui ab aliis malis recipiunt divitias, quas accipiunt tamquam pretium, quia suas animas vendunt ; sed dicitur Lucæ VI, *Væ vobis divitibus quia habetis consolationem vestram*. *Væ*, inquam habet civitas, et vere : *Quoniam una hora*, scilicet in hora judicii. Vel, una hora, idest subito, idest in brevi : quasi dicat : parum duravit gloria ejus. Job XX, *Laus impiorum brevis est etc*. *Desolata est*, idest in desolatione dejecta, et omni consolatione quam olim habuit, privata. Isaiæ XXVII, *Civitas munita desolata erit*. *Exultate*. Ostensa Babylonis damnatione, et malorum planctu de eadem, hic ostendit sanctorum sive justorum exultationem. Primo ergo ponitur monitio ad exultandum. Secundo subditur ipsa exultatio beatorum, XIX capite. *Post hæc audivi*. Circa primum primo ponitur monitio ad exultationem. Secundo, ratio exultationis, *Quoniam judicavit*. Dicit igitur : *Exultate* : quasi dicat : ita damnata est Babylon : et intelligatur pro statu, post judicium : et *O cœlum*, idest sancti secretorum Dei conscii. Jeremiæ LI, *Laudabunt super Babylonem, cœli et terra*. Deinde in speciali distinguit cœlum, idest sanctos, dicens *Et pro* idest *Sancti Apostoli et Prophetæ*. Isti specialiter invitantur ; quia ab Apostolis et Prophetis proprie fuerunt prænunciata, quæ hic ut verificata narrantur. Et præponuntur Apostoli Prophetis ratione dignitatis majoris. Vel, cœlum, idest cœlestes Angeli. Et sancti Apostoli, idest sancti qui fuerunt majores in Ecclesia. Et Prophetæ, idest sancti qui fuistis in dignitate minores, ut qui prædicandi of-

cium habuerunt, non tamen pastores fuerunt. Propheta enim quandoque est idem quod prædicator. I Cor. xiv, *Prophetæ autem duo vel tres etc. Exultate super eam*, idest super Babylonem damnatam. Sed objicitur, quia inhumanum est gaudere de damnatione malorum. Respondeo. De damnatione impiorum est loqui tripliciter : aut inquantum afflictio, aut inquantum juste infertur ex divino judicio, aut inquantum post ipsorum damnationem complebitur sanctorum retributio. Primo modo non gaudent sancti de malorum damnatione : non enim placet eis eorum afflictio ut afflictio; sed secundo modo et tertio, exultant de ea, non absolute sed per comparationem ad divinam justitiam cui concordant, et ad propriam gloriam quam amant. Psalm. : *Lætabitur justus cum viderit vindictam* etc. Utrumque tangit *Glossa*. *Quoniam*. Hic ostenditur ratio exultationis. Ratio autem est justa damnatio reproborum. Unde eam describit. Primo ergo tangit damnationem reproborum. Secundo damnationis modum, *Et sustulit*. Tertio damnationis causam sive meritum, *Quia mercatores tui*. Dicit igitur, *Quoniam :* quasi dicat : *exultate*, quoniam *Judicavit Deus judicium vestrum de illa*, idest : sicut ipsa vos damnavit et cruciavit injuste ; sic Deus damnavit eam juste. Abdiæ unico : *Sicut fecisti fiet tibi etc.* Videtur autem intelligendum, quod beatus Joannes in visione audiebat quamdam vocem hæc dicentem, *Exultate etc. Et sustulit*. Hic ostendit damnationis modum. Modus autem est : quia fortiter intrudentur mali in gehennam, et perdent omnem consolationem prius habitam. Primo ergo ostenditur modus damnationis, quantum ad intrusionem. Secundo quantum ad subjectionem consolationis temporalis. *Et vox citharœdorum*. Ad majorem vero intelligentiam et terrorem introducit exemplum sive similitudinem. Unde primo ponitur exemplum. Secundo exemplatum, *Dicens : hoc impetu*. Circa exemplum notandum, quod illud positum est ad admonitionem præsentium. Ostendit enim per quem modum fiet in judicio illa damnatio, de qua supra eodem habitum est. Dicit igitur : *Et sustulit,* idest elevabit, hoc est elevari in prosperitatem permisit, et ex hoc secuturus est gravior casus. Psal. *Vidi impium superexaltatum etc. Unus*, non habens parem. *Angelus*, scilicet Christus, qui est Angelus magni consilii. Isaiæ ix, *Fortis*, cui non poterit resisti, cum elevatos damnabit, qui et dæmones jam sua passione devicit. Job ix, *Si fortitudo quæritur, robustissimus est. Lapidem*, idest malos vitiis induratos. *Quasi molarem*, a mola quæ volvitur et grana conterit, et per hoc seipsam consumit, sic mali per mundana volvuntur. Psalm. : *In circuitu impii ambulant.* Conterunt etiam bonos persequendo, et in hoc consumunt animas suas. *Magnum*, propter magnitudinem vitiorum et obstinationis in eis. Et sic tangitur prosperitas temporalis, et obstinatio mentalis. Deinde ostenditur retributio finalis, cum subditur, *Et misit*, idest mittet in judicio. *In mare*, idest in infernum profundissimum et pœnas amarissimum. Exod xv, *Currus Pharaonis et exercitum ejus etc.* Sic ergo ponitur exemplum : Deinde ipse Angelus per quem Christus signatur, exponendo subdit exemplariter : unde sequitur : *Dicens*. Angelus quem tunc in visione vidit Beatus Joannes, sustulit lapidem et misit in mare, et dixit Joanni : *Hoc impetu etc.* Per hunc Angelum signatur Christus, sicut expositum est. Per hoc autem quod Angelus dixit, signatur quod Christus qui Magister noster est, idest revelat per Scripturam, vel per inspirationem suæ Ecclesiæ, cujus typum gerit Joannes, quod mali irrevocabiliter in infernum detrudentur. Hoc impetu, idest subito et fortiter et profunde. Lapis enim cum impetu jactatus vadit usque ad fundum. *Mittetur*, idest demergetur, scilicet in infernum. *Babylon etc.* ut supra Jerem. li, *Sic submergetur Babylon et non consurget.* Sic ergo ostendit Babylon esse intrudendam, deinde ostendit non esse liberandam sive relevandam. *Et ultra*, in perpetuum. *Non invenietur*, idest ultra non videbitur in statu mundanæ jucunditatis, quia non redibit illuc, sed æternaliter peribit. Ezechiel. xxvi, *In nihilum redigam te, et non invenieris ultra in sempiternum. Et vox*. Hic ostenditur modus condemnationis, quantum

ad subtractionem consolationis temporalis. Rerum autem quæ sunt hominibus vanis in consolationem, quædam faciunt ad esse, vel bene esse individui. Quædam ad conservationem seu multiplicationem speciei, ut est matrimonium de cujus evacuatione dicitur ibi : *Et vox sponsi.* Rursus eorum quæ faciunt ad esse vel bene esse individui, quædam sunt in jucunditatem, quædam in utilitatem, de quibus ibi : *Et omnis artifex.* Dicit igitur : *Et vox citharœdorum*, idest sonus eorum melodiæ, qui cum cithara sonant, *Et musicorum*, idest eorum qui per se canunt. *Et canentium tibia et tuba*, instrumenta sunt resonantia ad jucunditatem. *Non audietur amplius in ea*, idest in civitate, scilicet malorum. Amos VIII, *Convertam festivitates vestras in planctum, et omnia cantica vestra in luctum. Et omnis artifex.* Hic de his quæ ad utilitatem. Primo autem tangit quod est artis ad operandum quantum ad motivam. Secundo quod est claritatis ad cognoscendum, quantum est cognitivam, *Et lux.* Circa primum ostendit subtractionem tum artificis. *Et omnis artifex*, inquantum artifex, quia cessabit ejus actus. Tum artis, *Et omnis ars non invenietur in ea amplius.* Hic est argumentum quod Philosophi non habent scientiam in inferno. Quod probabile est. Si enim usus rationis quantum ad hujusmodi tollitur per ægritudinem temporalem, vel pœnam, multo fortius per illas quæ erunt in inferno. Tum artificiati : unde sequitur : *Et vox*, idest sonitus. *Molæ*, quæ est ad panes præparandos et quandoque delicatissimo. *Non audietur in te amplius.* Convertit autem sermonem ad Babylonem quasi compatiens ei, vel quasi increpans ejus culpam, propter quam meruit tantam pœnam. *Et lux lucernæ.* Sol et luna et hujusmodi possunt intelligi Lucerna, quia continent in se lucem. Vel lucerna est illud quod dat lucem inter homines, maxime apud divites, ut cerei multipliciter involuti et hujusmodi. *Non lucebit tibi amplius* : ad litteram, quia in tenebris erunt mali. Matth. XXII, *Ligatis manibus etc. Et vox sponsi et sponsæ*, idest vox lætitiæ nuptiarum. *Non audietur adhuc*, idest de cetero, sicut solebat. *In te*, quia nuptiæ deficient cum sua lætitia. Baruch II, *Auferam a vobis vocem jucunditatis et gaudii, vocem sponsi et vocem sponsæ.* Omnia prædicta deficient in perpetuum. Tota autem pœna quæ describitur in hoc capitulo, ideo Beato Joanni ostensa est, et ab eo nobis descripta, ut caveamus divinam offensam, ne contingat incurrere tantam pœnam. Gregorius, ex lib. *Moral.* : « Quid prodest ista prænosse, si non contingat evadere? » et subjungit : « Tota ergo intentione cavendum est, ut cum vocationis tempus accepimus, bene vivendi studio malorum ulteriora tormenta fugiamus. » *Quia mercatores.* Hic ostendit damnationis causam sive meritum, scilicet peccatum ; quod ostenditur multiplex. Primo tangitur inordinatio concupiscibilis. Secundo inordinatio rationalis. *Quia in veneficiis.* Tertio inordinatio irascibilis, *Et in ea.* Primum est avaritia. Secundum perfidia. Tertium malitia sive sævitia. Dicit igitur : *Quia* : quasi dicat : ita damnabitur. Vel, O Babylon, et omni consolatione privaberis, et hoc juste. *Quia mercatores tui*, inhiantes lucris terrenis et pro eis dantes animas suas. *Erant principes terræ*, idest tales principes eligebas tibi. Ezechiel. XXVII, *Principes tui in negotiatione tua.* Juste iterum damnata es. *Quia in veneficiis tuis*, idest maleficiis, ut sunt incantationes vel carmina, quibus quidam perversi alios decipiunt, sicut cum quædam maleficia fiunt quandoque hominibus ut diligant uxores suas. *Erraverunt omnes gentes*, idest quidam de omnibus gentibus. Vel, in veneficiis tuis, idest in veneficis et perversis persuasionibus. Isa. XLVII, *Universa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum etc. Et in ea.* Hic mutat modum loquendi, quasi loquens fidelibus et de terrenis. *Sanguis*, effusus. *Prophetarum*, idest eorum qui futura annuntiabant, sive in veteri sive in novo. Vel Prophetarum, idest prædicatorum futura præmia et supplicia annuntiantium. *Et sanctorum*, idest aliorum justorum : quasi dicat : Majorum et minorum. *Inventus est*, a divina sapientia universa considerante et divina justitia malitias puniente. Hoc dictum est quan-

tum ad occisionem justorum : quantum vero ad occisionem malorum subditur : *Et inventus est*, in ea sanguis. *Omnium*, scilicet malorum qui interfecti sunt per nequitiam. *In terra*, idest in orbe terrarum : quasi dicat : Recte damnaris,quia justos occidisti, et similiter malos per nequitiam. Perversi enim occidunt alios malos quandoque nequiter. Sed numquid licitum est principibus etiam malis occidere homines malefactores? Exod. XXII, *Maleficos non patieris vivere*. Respondeo. Dicendum quod eis qui habent potestatem interficiendi et puniendi malefactores, licitum est occidere, dum tamen hoc faciant affectu justitiæ et secundum meritum offensæ. Non est autem licitum his qui non habent auctoritatem; vel habentibus auctoritatem, si illud faciunt affectu malitiæ et præter meritum culpæ. *Glossa*, Si malus malum etc.

CAPUT XIX

Post hæc audivi etc. Præmissa admonitione ad exultandum, hic subditur ipsa, exultatio sanctorum, qui ad hoc fuerant supra admoniti. Exultant enim sancti in patria de justitia Dei in damnatione malorum. Nota *Glossam*, Damnationem malorum. Item gaudent etiam sancti de sua salvatione : et habet hæc exultatio laudem annexam. Primo ergo ponitur laus exultatoria de affectu justitiæ in reproborum damnatione. Secundo de effectu misericordiæ in Ecclesiæ salvatione, *Et audivi quasi vocem tubæ*. Circa primum, quia ex damnatione malorum, et ex præmissa exultatione sanctorum debent fideles fieri in via cauti et etiam ferventes ad laudem et honorificationem divinam ; ideo post exultationem sanctorum adjungitur admonitio ad fideles. Unde primo ostenditur laus sanctorum divinam justitiam extollentium in patria. Secundo subditur admonitio ad fideles peregrinantes in via, *Et vox de throno*. Circa primum Primo ostenditur laus minorum. Secundo laus majorum, *Et ceciderunt*. Unde ibi *Glossa* : « Non minores sancti etc. » In prima tantum parte Primo ponitur laus exhibita a sanctis. Secundo materia sive causa laudis, *Quia vera*. Dicit igitur : *Post hæc*, scilicet post præmissa, scilicet post intellectam malorum damnationem et post præmissam admonitionem. *Audivi vocem magnam*, scilicet vocem laudis, sicut post subdit. Dicit autem *Magnam*, idest procedentem ex magno affectu ; vel quia de magna re, scilicet de divina justitia malos damnante. *Quasi vocem tubarum multarum*. Per hoc signatur, secundum *Glossam*, quod prædicatores qui tubæ in via fuerunt convocantes ad bellum contra vitia et etiam ad festa perpetua, laudant Deum in patria. *In cœlo*, idest in Ecclesia triumphante : ubi maxime Deus laudatur. Psalm. *Beati qui habitant in domo tua Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te*. Unde sequitur : *Dicentium : Alleluja*, idest laus humanis verbis inexplicabilis sit vel est Deo : et refertur hoc ad essentiam quæ est una, scilicet ad ipsam sacratissimam deitatem. Tob. XIII, *Et per vicos ejus alleluja cantabitur*. Beda dicit quod alleluja est verbum græcum, et est idem quod laus. Secundum autem Hieronymum alleluja interpretatur laudate Dominum, vel laudatio Domini. Sed si quæratur : si alleluja idem est quod laus, vel laudatio Domini, ad quid post subditur laus? Item quare non ponitur aliquod vocabulum significans laudem Dei in lingua Hebræa? Respondeo. Ad primum dicendum quod licet alleluja, idem sit quod laus vel laudatio Domini, tamen supra laudem importat ineffabilitatem ipsius laudis sicut vult *Glossa*, quod non importatur nudo nomine laudis. Item per hoc quod laus Dei tangitur sub nominibus diversarum linguarum, magis ostenditur quantum sit Deus honorificandus. Ad aliud potest dici, quod hoc ideo est, ut designetur quod duplex lingua, scilicet Græca et Latina laudat Deum, Hebræa tacente. *Laus*, hæc referri possunt ad personas quæ sunt plures. Laus ratione bonitatis quæ attribuitur Spiritui sancto. *Gloria*, ratione sapientiæ quæ attribuitur Filio. *Virtus*, idest honor, ratione potentiæ quæ attribuitur Patri. *Deo nostro est*, idest ei

cantari debet. Et bene dicunt Deo nostro, quia Deum totum habent, sicut verbant sancti. Unde Beatus Bernardus in suis *Meditationibus* : « Homo cum Deo beatus erit in cujus conscientia peccatum inventum non fuerit, videbit ad veritatem, habebit ad voluntatem, fruetur ad jucunditatem. » Vel, Laus, pro evacuatione temporalis convocationis. Gloria, pro privatione divinæ visionis. Virtus, idest honor virtutis pro inflictione gehennalis afflictionis quam infert Deus impiis virtuose sine resistentia. Hic enim redditur præconium Deo pro impiorum damnatione quæ erit quantum ad tria præmissa. *Quia vera*. Hic ostenditur causa sive materia laudis. Laudis autem materia est justa damnatio impiorum. Hanc autem damnationem Primo ostendit in generali, *Quia* : quasi dicat : Deo laus et debetur, quia vera, reddendo promissa justis, et justa reddendo pœnam injustis. *Judicia ejus*. Vel utrumque potest intelligi respectu malorum. Vera, idest non declinantia ad falsitatem judicia, quia non damnas supra culpam. Et justa, quia non damnas nisi propter culpam. Supra XVI, *Vera et justa judicia tua*. Secundo in speciali. *Qui judicavit*. Primo describit damnationem impiorum, secundum quod est juste a Deo inflicta. Secundo secundum quod in se æterna. *Et fumus ejus*. Circa primum autem, Primo describit ipsam reproborum damnationem. Secundo subdit laudis sanctorum ingeminationem, *Et iterum*. Damnationem autem juste inflictam ostendit. Primo ratione spiritualis inflictionis, quia scilicet perversi alios pervertunt. Secundo ratione corporalis persequutionis, quia sanctos afflixerunt. *Et vindicavit*. Dicit igitur : *Qui judicavit*, idest judicium condemnationis fecit. *De meretrice*, idest de multitudine perversorum, quæ fecit alios secum spiritualiter meretricari, faciendo eos suis erroribus et peccatis delectabiliter adhærere, idest per hæc a Deo recedere. *Magna*, propter magnitudinem scelerum. Quare autem dixit meretrice, ostendit cum subdit : *Quæ corrupit*, documento et exemplo. *Terram*, idest homines terrenos. *In prostitutione sua*, idest in peccatis suis, in quibus se prostituit spiritualiter diabolo, ad quæ peccata homines traxit. Jerem. LI, *Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis etc.* *Et vindicavit sanguinem servorum suorum*, requirens eum. *De manibus ejus*. Supra XVI, *Sanguinem sanctorum et Prophetarum*. Deinde ostenditur ingeminatio laudis in sanctis ; et per hoc, sicut dicit *Glossa*, intelligitur quod laus est æterna ; unde sequitur : *Et iterum dixerunt : Alleluja*, idest laus sit Deo. Psalm. *In sæcula sæculorum laudabunt te*. *Et fumus :* quasi dicat : ita Deus vindicavit. Judicium autem non fuit inefficax, sed inflixit pœnam interminabilem : et hoc est, *Et fumus*, idest obscuritas localis et etiam spiritualis. *Ascendet*, id est indurando, hoc est procedet durando, *In sæcula sæculorum*, idest semper. Isaiæ XXXIV, *Ascendet fumus ejus a generatione in generationem*. *Glossa* sic exponit : *Fumus*, idest lacrymosus luctus. Ex quo videtur haberi augmentum, quod in inferno sit fletus corporalis. *Et ceciderunt*. Posita laude minorum, hic ostenditur laus majorum. Licet enim prædicatores de quibus supra habitum est, inter membra Ecclesiæ majora computentur, tamen minores sunt secundum dignitatem quam pastores, de quibus hic agitur ; quia ad pastores similiter pertinet prædicare. Additur etiam hic simul de ipsis prædicatoribus. Tria autem hic ostenduntur, de pastoribus simul et prædicatoribus. Primo, reverentia humiliationis. Secundo, de vero cultu adorationis. *Et adoraverunt*. Tertio, præconium magnificationis. Dicentes : *Quoniam*. Dicit igitur : *Et ceciderunt*. Quia illi qui fuerunt minores secundum dignitatem laudant Deum in patria ; et non solum illi, sed etiam majores. *Glossa :* « Non minores etc. » Unde dicit. Et ceciderunt, casu humiliationis bonæ, resilientes a divina magnitudine in propriam parvitatem. *Viginti quatuor seniores*, idest patres novi et veteri Testamenti, qui fuerunt rectores. Hoc expositum est supra IV, *Et super thronum viginti seniores etc.* Addit autem de prædicatoribus. *Et quatuor animalia*, idest omnes prædicatores, quorum est prædicare per quatuor orbis

partes; quorum etiam doctrina, super quatuor Evangelia fundari debet. Supra v, *Quatuor animalia et vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno etc.* Possunt etiam hæc quatuor animalia intelligi illi idem quos ante nomine turbarum designavit; quia ipsi prædicatores, cum laudant Deum in via vel in patria, humiliant se dantes reverentiam Deo. Vel illud quod dictum est, *Quasi vocem tubarum multarum*, posset intelligi de sanctis in patria communiter, quorum vox dicitur magna quasi tubarum multarum; quia laus patriæ est aperta, authentica et solemnis. Quod autem hic dicitur, intelligitur de majoribus sanctis, specialiter; quorum quidam fuerunt pastores per officium prælaturæ, alii prædicatores per officium doctrinæ. *Et adoraverunt*, adoratione latriæ. *Deum sedentem*, idest quiescentem et regnantem. *Super thronum*, idest super Ecclesiam triumphantem quæ tunc erit plane sedes Dei. Vel sedentem nunc, *Super thronum*, super Ecclesiam militantem, quæ est sedes Dei. Supra iv, *Et supra sedem sedens. Dicentes : amen*, idest verum est, quod Deus est laudandus. Et sic confirmat laudem ab aliis exhibitam, dum ipsi per se laudant. Unde sequitur : *Alleluja*, idest laus sit Deo. Et ita duplex ostenditur modus laudis. Unus est in confirmatione laudis exhibitæ. Alius in exhibitione laudis per se. Sed quare magis in laude seniorum exprimitur casus et adoratio quam in laude aliorum? Respondeo. Secundum quod per vocem tubarum supra intelligitur laus minorum sanctorum, qui nec pastores nec prædicatores fuerunt, sicut secundo modo expositum est, dicendum quod hoc fit, ad ostendendum, quod aliqui quanto majores sunt in dignitate, tanto humiliores esse debent : quod signatur per illum casum. Ecclesiastici iii, *Quanto magnus es etc.* Tanto etiam devotiores, quod signatur per adorationem. Sed quantum ad multos caput versum est in caudam. *Et vox.* Descripta laude quæ Deo datur a sanctis in patria, hic ponitur admonitio ad peregrinantes in via. Et vox, idest admonitio. *Exivit*, idest exiit, scilicet ad audientiam hominum. *De throno*, idest de eis in quibus sedet, scilicet de his qui sunt aliorum pastores et prædicatores; talium est enim alios movere ad laudem et obsequium Dei. *Dicens : laudem dicite*, scilicet verbo et animo et opere, *Glossa :* « Laudem dicere est bene operari. » *Deo nostro.* Deo, qui creavit; nostro, qui redemit. Vel, Deo, per divinitatis majestatem, ex parte sui; nostro, per obedientiæ humilitatem vel intimam caritatem ex parte nostri. Ecclesiastici xliii, *Exaltate eum quantum potestis : major est enim omni laude.* Qui autem laudare debeant, ostendit dicens. *Omnes servi vel sancti ejus*, quia *non est speciosa laus in ore peccatoris*, Ecclesiastici xv. Hoc dicitur quantum ad statum rectum, scilicet in recte vivendo. Propter hoc enim dicuntur sancti vel servi Dei. Quantum vero ad status regulativum subditur : *Et qui timetis Deum*, timore casto qui vitam regulat. *Pusilli*, idest parvi, hoc est minores in meritis; qui scilicet non potestis penetrare divina mysteria, nec implere perfectionis consilia. *Et magni*, idest majores in meritis. Omnes enim debent magnificare Deum. Supra xv. *Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum?* Sed ex hoc videtur quod illi qui timent Deum non sunt servi vel sancti Dei, quia copula ponit differentiam. Respondeo. Videtur dicendum quod idem sunt servi sive sancti et timentes Deum. Nec ponitur copula ad notandum differentiam personarum, sed ad notandum differentiam bonorum spiritualium quæ sunt in personis. In justis enim est status sive actus rectus; et ratione hujus dicuntur servi sive sancti. Item regulativum, sive directivum et conservativum status sive actus, scilicet timor Dei; ideo sequitur : *Et qui timetis Deum. Et audivi.* Ostensa exaltatione et laude sanctorum de impiorum damnatione, hic ostenditur eorum laus exultatoria, pro Ecclesiæ sive pro sua salvatione : unde hæc quæ hic dicuntur videntur accipienda pro statu post judicium. Ex hac autem exultatione et laude justi adhuc viantes debent excitari ad bonum. Primo ostenditur laus sanctorum in patria. Secundo subditur exultatio peregrinantium in via. *Et dixit*

mala. Sancti enim non solum laudant Deum, sed etiam verbo vel ipso actu laudandi se invicem hortantur ad laudem. Unde circa primum : Primo ponitur ipsa laus sanctorum. Secundo mutua hortatio ad laudandum, *Gaudeamus*. Laudem autem sanctorum describit multipliciter. Primo enim ostendit laudem majorum. Secundo minorum, *Et sicut vocem aquarum*. Tertio ostendit consequentem effectum, *Et sicut vocem tonitruum*. Quarto laudis materiam : *Dicentium alleluja*. Quinto laudis causam sive motivum, *Quoniam regnavit*. Dicit igitur : *Et audivi quasi vocem tubæ magnæ*, idest vocem laudis eorum qui fuerunt quasi vox magnæ tubæ prædicando. Isa. LVIII, *Quasi tuba exalta*. Et dicitur in signum ad notandum unitatem quam habuerunt in via, et habent in patria. *Et sicut vocem aquarum multarum*, idest vocem populorum multorum. Hoc dicitur quantum ad minores qui non habuerunt officium dignitatis in Ecclesia : tales autem sunt multi, et signantur per aquas multas propter abundantiam et multitudinem. Matth. VIII, *Multi venient ab oriente et occidente etc. Et sicut vocem tonitruum*. Hoc dicitur quia exsultatio et laus sanctorum terrebit impios, sicut dicit *Glossa*. *Dicentium alleluja*, idest laus inexplicabilis sit Deo : et subditur materia sive motivum laudis, *Quoniam* ; quasi dicat : Laus vera sit Deo, *Quoniam regnavit*, idest jam regnum plenæ dominationis sibi accepit. Ante enim judicium impii regnabant impediendo Dei cultum et persequendo ejus cultores ; quod post non erit. *Dominus*, per dominationis præsidentiam. *Deus*, per incommutabilem naturam. Sed quia dedit sanctis seipsum, vel quia subdunt se Deo per obedientiam, subditur : *Noster omnipotens*, per infinitam potentiam. Sed quomodo hoc dicit ? Nonne etiam et modo plene ubique dominatur et regnat ? I Paralip. ultimo, *Tuum, Domine, regnum, et tu es super omnes principes etc.* Respondeo. Dupliciter dicitur Deus regnare. Uno modo per potestatem, quia scilicet omnia subjacent ejus potestati, et de omnibus facere poterit quicquid voluerit, quamvis in quibusdam non exerceat actum potestatis. Sic enim malos permittit persequi ejus cultum et ipsos cultores ; et sic Dominus regnat ante judicium ; dominatur enim per potestatem omnibus rebus universaliter, licet quantum ad quædam non exerceat plene actum potestatis. Alio modo per potestatem simul et plenum actum potestatis in cohibendo omnino nequitiam impiorum et manifestando apertius dominium universale actualiter : et sic regnabit post judicium, quia non solum regnabit per potestatem, sed etiam per actum plenum potestatis, quia non permittet amplius pravos regnare : et sic loquitur hic non primo modo ; et hoc innuit *Glossa*. *Gaudeamus*. Hic ponitur mutua cohortatio sanctorum ad laudem. Et primo tangitur cohortatio ad laudem. Secundo subditur ratio laudis, *Quia nuptiæ*. Dicit igitur : *Gaudeamus*, in mente propter dotes animæ. *Et exultemus*, corpore propter gloriam corporis. Isa. LXI, *In terra sua duplicia possidebunt*. *Et demus ei gloriam*, idest gloriosam laudem, scilicet ore ascribendo tantam gloriam bonitati suæ. Psalm. *Salvum me fecit quoniam voluit me*. *Quia nuptiæ*. Hic ponitur materia sive ratio laudis, quæ est consummata conjunctio Christi et Ecclesiæ per gloriam. Primo ergo tangitur ipsa conjunctio. Secundo præcedens præparatio, *Et uxor*. Tertio præparationis origo, *Et datum est*. Dicit igitur : *Quia nuptiæ agni venerunt*, idest quia Ecclesia juncta est per gloriam Christo prius pro ea innocenter passo. Matrimonium enim est inter Christum et Ecclesiam per unionem amoris. Joan. III. *Qui habet sponsam sponsus est*. Nondum tamen est sponsa plene traducta in amplexus sponsi : hoc autem in gloria plene fiet, et de hoc agitur hic. Harum nuptiarum sponsalia fuerunt contracta in incarnatione. Solemnitas vero fuit celebrata in resurrectione. Traductio vero in thalamum sive in thronum fit modo particulariter in retributione, sed universaliter fiet in extrema consummatione. De hujusmodi nuptiis, Matth. XXII, *Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo*. Sed heu ! hodie aliæ nuptiæ fiunt, quia spiritus contrahit cum terra, cum homines terreni

adhærent : unde recte dicuntur homines viri divitiarum. Psalm.: *Et nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis.* Tales autem nuptiæ vertentur in luctum. II Machab. IX, *Conversæ sunt nuptiæ in luctum.* Quia vero Ecclesia se idoneam ad conjunctionem præmissam fecit ; ideo subditur : *Et uxor :* quasi dicat : ita Ecclesia conjuncta est Christo, et hoc est conveniens. *Quia uxor ejus*, idest Ecclesia uxor agni, *Præparavit se*, in statu viæ per sanctitatem et merita ad illam conjunctionem obtinendam. In hoc autem notatur libertas arbitrii quæ est necessaria in effectu. Anima enim quæ non se præparat, non recipitur ab agno. Matth. XXV, *Et quæ præparatæ erant intraverunt etc.* Quia nec liberum arbitrium per se sufficit, sed necesse et gratiam dari ; ideo sequitur : *Et datum est.* Primo autem ponit mysterium. Secundo mysterii intellectum. *Byssinum enim.* Dicit igitur : *Et datum est illi*, in via a Deo, ad hoc ut se posset præparare. *Byssinum*, idest vestimentum de bysso. Byssus est linum quoddam quod invenitur in Ægypto, de quo fit vestis candidissima : unde signat vitam sanctam et rectam quæ sicut vestis decenter ornat justos. *Splendens*, apud alios per fulgorem famæ. *Et candidum*, in se per puritatem conscientiæ. *Datum est inquam*, ad hoc, *Ut cooperiat se*, scilicet ad decorem ut placeat sponso, et ad protectionem ut non lædatur intro, quod æstuat per tentationes. Prov. ultimo : *Byssus et purpura indumentum ejus.* Multi libri habent : *Datum est illi, ut se cooperiat byssino splendenti et candido.* Utraque littera in idem redit ; et utramque innuit *Glossa.* Deinde subdit mysterii intellectum : quasi dicat : vere byssinum est in animæ ornatum et præparationem. *Byssinum enim justificationes sunt sanctorum.* Byssinum est per significationem virtutes et merita quibus sancti, idest justi, justificantur, idest magis et magis fiunt justi. Cum autem esset planius si diceretur : Byssinum est justificationes sanctorum, tamen dicit sunt, in plurali ; quia in talibus quandoque accipitur numerus verbi a supposito, quandoque ab opposito ; tamen idem est sensus. Posset tamen littera sic ordinari. Justificationes sanctorum sunt byssinum, idest signantur per vestem byssinam. Nota quod byssus primo habet colorem terrenum, et post per multas transitiones ducitur ad candorem, et fit inde byssinum, idest vestis byssina candidissima. Sic cum in Ecclesia primo esset macula et obscuritas ex peccato originali : Ephesior. II. *Eramus natura filii iræ :* post per multas Dominus exercitationes, facit eam pulcherrimam et candidam, dans in virtutem et merita. Et hoc est byssinum. Item sicut vestis byssina ornat corpus, sic virtutes et merita spiritum. Isaiæ LXI, *Et indumento justitiæ circumdedit me. Et dixit mihi,* Hic subditur excitatio peregrinantium in via ut studeant pertingere ad statum laudis æternæ, et ad nuptias promissas. Ponitur autem triplex ratio alliciens ad vitæ sanctitatem, ut per hoc perveniatur ad æternitatem. Prima ratio est ex parte concupiscibilis : scilicet refectio æternæ suavitatis. Secunda est ex parte rationalis ; scilicet certitudo salutiferæ veritatis : *Et dixit mihi : hæc verba.* Tertia, ex parte irascibilis : scilicet sublimitas humanæ dignitatis, *Et cecidi.* Dicit igitur, *Et dixit mihi :* quasi dicat : ita mihi revelata est per Angelum laus et exultatio sanctorum in gloria, et similiter conjunctio Christi et Ecclesiæ. Et ut habeatur desiderium et studium pertingendi ad hoc, *Dixit mihi*, Angelus qui præmissa revelavit, *Scribe*, in libro mentali, et etiam in libro materiali aliis in documentum excitativum. Habacuc II, *Scribe visum et explana etc.* Quid autem scribendum sit subjungitur : *Beati qui ad cœnam Agni vocati sunt*, a Deo, idest quos Deus præordinavit ad hæc. Et recte hic nominatur Agnus ; quia pro illa conjunctione consummanda in gloria immolatus est. Lucæ XIV, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Et nota quod non dicit Prandium sed Cœnam ; quia prandium fit ante cœnam, cœna vero fit post prandium, post cœnam vero non restat alia refectio. Et ideo æterna refectio, quæ non finietur nec alia ei succedet, recte cœna vocatur. Prandium ergo gratiæ est in via ; sed cœna gloriæ datur in patria. Et vere qui ibi erunt,

beati erunt. Tum propter plenitudinem totius dulcedinis. Tum propter securitatem immutabilitatis. Gregorius super hunc locum : « Ad æternum convivium quisquis semel intraverit, ulterius non exibit. » Sed objicitur. Non enim videtur magnum vocari, quia multi vocantur qui non perveniunt. Matth. xx : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Respondeo. Est multiplex vocatio : scilicet Prædestinationis, Inspirationis et Prædicationis. Hic autem loquitur de vocatione prædestinationis : aliæ enim vocationes quandoque non habent plenum effectum. *Et dixit mihi*, etsi non pro me, tamen pro aliorum excitatione, propter quos hæc scribenda erant, *Hæc verba*, scilicet promissa de exultatione sanctorum et nuptiis gloriæ tibi ostensa, *Vera sunt*, et ideo credenda sunt, et per ea fideles excitari debent ad profectum meriti, ut obtineant tantum præmium. Infra ultimo : *Hæc verba fidelissima sunt et vera.* Et sic patet secunda ratio allectiva. Deinde ponitur tertia, Sublimitas humanæ dignitatis ; quia tota natura humana nobilitata est, per hoc quod Christus naturam humanam vere et perfecte assumpsit inseparabiliter, nisi se inquinet per peccatum : unde Angelus non permisit se a Joanne adorari, sed docuit eum ut Deum adoraret. Primo ergo beatus Joannes ostendit suam humiliationem. Secundo Angelicam prohibitionem. *Et dixit mihi.* Tertio consequentem informationem. *Deum adora.* Dicit igitur, *Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum*, scilicet adoratione duliæ ad referendum gratias, et ad dandum ei reverentiam, quia majorem eum me intellexi. Sed quid est quod dicit *Ante pedes ejus*, cum Angelus sit incorporeus? Respondeo. Dicendum quod videbat beatus Joannes visione imaginaria ; quia sub quibusdam figuris videbat : unde Angelum videbat sub specie hominis, sicut supra primo legitur quod vidit Angelum vestitum podere et præcinctum etc. Angelus autem ille de quo supra I, legitur, gerebat personam Christi ; et hæc habentur ex *Glossa* ibi. Dicitur ergo pedes habuisse Angelus, non secundum naturam propriam, sed secundum speciem in qua vidit eum beatus Joannes, *Et dixit.* Hic primo ponit ipsam prohibitionem. Secundo subjungit rationem, *Conservus.* Dicit igitur, *Et dixit mihi : vide ne feceris*, cave ne hoc facias. Sed quare prohibet se a Joanne adorari, cum Josue pronus adoraverit Angelum, nec ipse hoc prohibuerit? Josue v. Similiter et Abraham, Genes. xviii. Respondeo secundum beatum Gregorium et secundum *Glossam*, quod hoc fuit propter reverentiam humanæ naturæ, quæ in Christo supra ipsos Angelos est exaltata. In veteri autem Testamento nondum facta erat incarnatio. *Conservus.* Hic ponit prohibitionis rationem : quasi dicat : non me adores ; quia *Conservus tuus sum et fratrum tuorum.* Conservi dicuntur illi, qui sunt sub uno domino. Quasi dicat : ergo et tu et fratres tui spirituales, scilicet justi tamquam conservi, unum Dominum habemus ; et ideo nolo a te adorari, sed tecum unum Dominum adorare. Hoc dicit Angelus considerando naturam humanam supra se exaltatam, et ideo se conservum justorum, quasi jam non superiorem dicit : et ideo non est adorandus. Quoniam autem est frater natura, et frater gratia ; de qua fraternitate loquatur, ostendit, scilicet gratiæ : unde dicit, *Habentium testimonium Jesu*, quantum ad divinitatem et humanitatem verbo et facto. Et dicit, habentium, quia semper debent ad hoc esse prompti. Isaiæ XLIII, *Vere vos testes mei, dicit Dominus.* Deinde informat quæ debeat adorare. Primo autem ponit informationem. Secundo exequendi rationem. *Testimonium enim.* Dicit igitur, *Deum adora*, non me. Matth. IV, *Dominum Deum tuum adorabis.* Ipse enim est vere adorandus ; quia ipse Christus licet homo sit, tamen est verus Deus, sicut prophetæ testificantur. Unde dicit, *Enim*, idest quia, *Spiritus prophetiæ*, idest quicquid dixerunt prophetæ per spiritum sanctum de Christo, quantum ad ejus ineffabilem majestatem, *Testimonium est Jesu*, idest testimonium perhibent ipsi Christo salvatori hominum quod ipse Deus verus, et ideo digne adorandus. Unde Isaiæ LIII, *Generationem ejus quis enarrabit?* Item Isaiæ XLV, *Vere tu es Deus absconditus*,

Item Psal. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu etc.* Item, *dixit Dominus Domino meo etc. Et vidi cœlum.* Postquam egit de damnatione Babylonis, idest Ecclesiæ malignantium, hic agit de damnatione bestiæ, et pseudo prophetarum, idest Antichristi et pseudo Apostolorum. Sic autem procedit. Primo ponit quoddam præambulum ad visionem. Secundo ipsam visionem, *Et ecce equus albus.* Præambulum fuit, quia vidit cœlum apertum; et cœlo aperto viso, vidit illa quæ sequuntur. Visio vero est principaliter de damnatione Antichristi et suorum complicum. Damnabit autem eos ipse Christus, quem blasphemaverunt et cujus cultum impedierunt; et hoc poterit; quia magnus et potens et sapiens est : cujus etiam bonitas magna est, quam ignoraverunt, et ex hoc rei sunt. Primo ergo describit ipsum Christum. Secundo ostendit culpam sive impietatem Antichristi et suorum, *Et vidi bestiam.* Tertio pœnam sive damnationem ipsorum, *Et apprehensa est.* Quoniam autem Christus talis ac tantus est, ideo omnino ei adhærendum est. Unde circa primum primo describit excellentiam Christi. Secundo subdit admonitionem ad adhærendum sibi, *Et vidi unum Angelum.* Ipsum autem Christum describit tripliciter. Primo quantum ad admirandam bonitatem. Secundo quantum ad sapientiæ sive notitiæ claritatem, *Oculi ejus.* Tertio quantum ad eminentem potestatem, *Et in capite.* Bonitatem autem ejus describit dupliciter. Primo ex parte naturæ humanæ. Secundo ex parte divinæ, *Et qui sedebat.* Dicit igitur, *Et vidi :* quasi dicat : ita intellexi per revelationem, damnationem Babylonis, idest multitudinis perversorum communiter. Intellexi etiam damnationem Antichristi et suorum specialiter, et etiam per quæ sint condemnandi : et hoc est quod dicit, *Et vidi*, in visione, *Cœlum*, idest secretum divinorum mysteriorum. Cœlum enim dicitur a celando, *Apertum*, idest revelatum, scilicet per Christum prædicantem, patientem, resurgentem, ascendentem. Hoc autem cœlum ante Christi adventum fuit clausum; quia adhuc non sic erat veritas revelata. Per hoc autem quod aperto cœlo viso, vidit Joannes ea quæ sequuntur, signatur quod per revelationem mentis factam in tempore veteris Testamenti per Christum, cognoscatur abundantius ipse Christus, et quæ ad ipsum pertinent, et similiter damnatio malorum. Proverb. xxvii, *Aperta sunt prata. Et ecce*, apparuit mihi in visione, *Equus albus*, idest caro Christi : quæ dicitur equus, quia ei insedebat divinitas Christi ad expugnandum diabolum. Proverb. xxi, *Equus paratur ad diem belli.* Dicitur autem Equus albus propter immunitatem peccati. I Petr. ii, *Qui peccatum non fecit etc.* Canticor. v, *Dilectus meus candidus et rubicundus et totus desiderabilis. Et qui sedebat.* Descripta bonitate Christi secundum humanam naturam, scilicet quantum ad finis utilitatem, unde dicitur Equus, et quantum ad excellentem sinceritatem, et sic dicitur Albus : hic ostendit eam secundum divinam naturam. Ejus autem bonitatem secundum divinam naturam ostendit multipliciter. Primo quantum ad completionem promissorum. Secundo quantum ad veritatem sive rectitudinem documentorum, *Et verax.* Tertio quantum ad punitionem malorum, *Et cum justitia.* Quarto, quantum ad protectionem bonorum, *Et pugnat.* Dicit igitur, *Et qui sedebat*, scilicet filius Dei justus, sive ejus divinitas, *Super eum*, scilicet equum, idest super carnem assumptam. Per hoc quod dicitur, sedebat, signatur quod Christus secundum divinitatem insedebat humanitati, quasi equo, ad vincendum diabolum. Item notatur humiliatio filii humiliantis; quia *exinanivit semetipsum* etc. Philipp. ii. Supra vi, *Ecce equus albus. Vocabatur fidelis.* Audivit in visione Christum vocari vel debere vocari fidelem : per hoc signatur quod Christus est fidelis in promissionis impletione, ut patet in redemptionis generis humani. Psal.: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis etc. Et verax*, in sua eruditione; quia nihil docet nisi verum, nec fallere potest, et ideo ei credendum, cum dicitur. Roman. iii, *Est autem Deus verax etc. Et cum justitia judicat*, scilicet in puniendo malos sicut in submersione Ægyptiorum. Exod. xiv

et xv, et similiter in aliis flagellis, sive sint corporalia sive spiritualia. Psal. : *Justus Dominus et justitias dilexit etc.* Potest etiam intelligi de judicio quo retribuet bonis et malis in futuro. Supra xvi, *Vera et justa judicia tua. Et pugnat*, scilicet pro suis contra malos, dando suis constantiam et sapientiam, ut patet in martyribus et in aliis. Pugnat, scilicet in suis et per suos contra diabolum et vitia, dum dat eis virtutem pugnandi et vincendi. Exod. xv, *Dominus quasi vir pugnator etc. Oculi autem ejus.* Hic describit Christum quantum ad sapientiæ sive notitiæ claritatem : quia clare omnia videt : et hoc est, *Oculi autem ejus*, idest ejus plena sapientia, qua tamquam oculis videt omnia. Et dicit in plurali, ad significandum sapientiæ perfectionem, quia plenius et melius duobus oculis quam uno videmus. *Tamquam flamma ignis* : quasi dicat : ejus sapientia clara et plena est in cognoscendo ad modum ignis habentis flammam plenam et claram. Hebr. iv, *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Vel *Oculi ejus*, idest dona Spiritus sancti, quæ ipse dat : quæ recte dicuntur Oculi, quia faciunt hominem oculatum et bene videntem quæ sunt salutis : sunt *Tamquam flamma ignis*, quia animam illuminant et inflammant, et si quid sit rubiginis cremant. Supra i, *Oculi ejus tamquam flamma ignis.* Iterum oculi ejus sunt prælati ; quia debent videre ad opus corporis Christi, scilicet Ecclesiæ, et si boni sunt tamquam flamma ignis sunt, ut luceant ad illuminandum, et ardeant ad inflammandum alios. Joan. v, *Ille erat lucerna ardens et lucens. Et in capite.* Hic describit Christum quantum ad eminentem potestatem ; quia magna valde est ejus potestas. Christi autem potestatem ostendit multipliciter. Primo quantum ad honorificum triumphum. Secundo, quantum ad nominis fastigium, *Et vocabatur nomen ejus.* Tertio, quantum ad subjectum exercitum, *Et exercitus.* Quarto, quantum ad virtuosum verbum, *Et de ore.* Quinto quantum ad potestativum actum, *Et reget.* Sexto, quantum ad universale dominium, *Et habet in vestimento.* Circa primum. Primo, ostendit Christi triumphum. Secundo, triumphandi modum, *Et vestitus.* Circa triumphum. Primo ostendit in Christo dignitatem triumphalem. Secundo ostendit dignitatem esse inexplicabilem, *Habens.* Dicit igitur, *Et in capite ejus*, idest in divinitate ejus, quæ est caput humanitatis in Christo, erant vel sunt *Diademata multa*, idest multæ victoriæ : diadema enim idem est quod corona, quæ solet esse in victoribus signum victoriæ. Ipse autem Christus virtute divinitatis triumphavit de diabolo, de Judæis, de vitiis, maxime in passione : suos etiam electos triumphare facit, quorum victoria ipsius Christi est, quia ab ipso est. Unde recte dicitur in plurali, multa diademata, propter multas victorias ejus per se et per suos. Diadema autem dicitur, corona, quasi duo demens, scilicet principium et finem ; quia potestas ejus per quam triumphavit et triumphat, omnino æterna est. Daniel. vii, *Potestas ejus potestas æterna etc.* Sic ergo ostenditur in Christo dignitas triumphalis. Sed ne credatur quod dignitas sit explicabilis per aliqua jam dicta vel dicenda, ideo recte subditur, *Habens*, supple, scilicet sic et erat habens, *Nomen scriptum etc.* Videbat beatus Joannes nomen scriptum in sessore equi albi, quod nomen nullus scit, nisi ipse : per hoc signatur quod magnitudinem potentiæ sapientiæ et bonitatis ejus nullus perfecte scit præter ipsum. Dicit igitur, *Nomen scriptum*, scilicet *Emmanuel*, sive Deus homo, sive Jesus, in idem redit. Per hoc nomen intelligitur bonitas Dei manifestata in Verbi incarnatione et in humana reparatione : quæ quidem bonitas Dei est ineffabilis. Per hoc autem quod dicitur Scriptum, notatur perpetuitas unionis divinitatis cum humanitate. Scriptum enim stabilitatem habet, *Quod nemo novit nisi ipse :* quia scilicet ineffabile est nomen præmissum : nec potest sciri, quanta bonitas per illud nomen importetur, ab homine. Potest etiam hoc intelligi de nomine quod est Deus, vel verbum Dei, sicut post subditur : hoc enim nomen non plene ab homine cognoscitur. Genes. xxxii, *Cur quæris nomen meum quod est mirabile ?* Sed quid est quod dicit ? Nonne

beatus Joannes illud nomen novit, qui illud vidit scriptum? Item fideles sciunt nomen Christi, sive dicatur Deus, quo nomine non est aliud majus, sive verbum Dei, sive Deus homo. Respondeo. Nemo, idest nullus homo præter ipsum Christum, novit ad plenum ejus nomen; quia incomprehensibile est. Bonitas, sapientia, et potestas importatur per nomen ejus; sive illud nomen intelligatur nomen signans unionem incarnationis, sive ipsam divinitatem præcise ut Deus et verbum Dei. Ipse autem est perfectus sui cognitor; unde Damascenus, I lib. cap. III : « Ipse vero plus sui ipsius est contemplator. » Aliter potest dici, sicut tangit *Glossa*, quod ejus nomen nemo scit in cognitione quæ competit homini, ut ipse et qui sunt unum cum ipso, sicut corpus sive membra sunt unum quiddam cum capite. I Corinth. VI, *Qui adhæret Deo unus spiritus est. Et vestitus.* Hic ostendit triumphi modum, quia per passionem triumphavit de diabolo, et per ejusdem virtutem meritum et exemplum facit electos triumphare : unde dicit : *Et vestitus erat*, idest vestitus est. *Veste*, idest carne qua quasi operuit divinitatem. *Aspersa sanguine*, ad litteram. Caro Domini fuit aspersa sanguine, aspersa in flagellatione ad columnam, et in crucifixione et lateris apertione. Isa. LXIII, *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?* Vel veste etc., idest Ecclesia quæ in suis martyribus occiditur. Eccles. II, *Quasi vestis est ipsius Domini qui ei adhæret, sicut vestis homini.* Et per hoc patet Christi familiaritas ad justos, et e contrario. Item quia honorificat ipsum. Supra I, *Vestitum podere. Et vocabatur.* Hic ostenditur ejus potestas quantum ad nominis fastigium. Altissimum enim est. Nomen est verbum Dei : unde dicit : *Et vocabatur nomen ejus verbum Dei*, scilicet Patris. Per hoc signatur quod Christus est verbum Patris, Joan. I. *Et Verbum erat apud Deum.* Recte autem post passionem agit de tam alto ejus nomine, ut ostendatur ille qui passus est, verus Deus esse. Rom. IX, *Qui est Deus benedictus in sæcula, Amen.* Sed quare dicitur Filius verbum, cum verbum transeat et evanescat? Item aut dicitur verbum Christus secundum similitudinem verbi interioris, aut exterioris. Si interioris; Contra. Verbum interius, scilicet cogitatio, est inefficax per se : quia non elicit effectum per se. Sed Filius habet plenam efficaciam. Ergo etc. Si exterioris; Contra. Quia verbum exterius vanum est et aerem percutit. Respondeo. Secundum Augustinum et secundum Anselmum, dicendum quod Filius dicitur verbum Patris, quia emanat a Patre per modum naturæ sive generationis; et repræsentat in se Patrem perfectissime, sicut verbum interius, scilicet cogitatio sive notitia procedit sive nascitur de mente; et nihil menti similius quam ejus verbum, scilicet cogitatio, vel intelligentia. Unde Anselmus *in Monol.* cap. LXIII : « Restat igitur hoc solum verbum illius esse solius, de quo nascendo habet esse, ad omnimodam similitudinem existit. » Aliæ sunt rationes, sicut jam patebit. Ad primum dicendum, quod non ponitur similitudo quantum ad illud quod est ignobilitatis. Ad aliud dicendum sine præjudicio, quod Filius Dei dicitur verbum Patris principaliter secundum similitudinem verbi interioris, ut dictum est secundum Augustinum et Anselmum. Dicitur etiam secundum similitudinem verbi exterioris, ut patet ex *Glossa*, licet non ita principaliter : et hoc dicitur uno modo per respectum ad creaturam quamlibet quantum ad opus conditionis : quia sicut aliquis facile profert verbum : ita Deus per verbum suum, idest Filium, facit omnia. Psalm. : *Dixit et facta sunt.* Nota *Glossam*. Alio modo per respectum ad creaturam rationalem specialiter quantum ad opus reparationis; quia sicut verbum exterius manifestat aliis secretum mentis : ita Filius manifestavit hominibus Patrem prius eis ignotum. Joan. XVI, *Manifestavi nomen tuum etc.* Hæc duplex ratio ex parte verbi exterioris tangitur in *Glossa*. Ad objecta jam patet quod non tantum sumitur nomen verbi ad divina, quantum ad inefficaciam vel transitum et hujusmodi. *Et exercitus.* Hic ostenditur Christi potestas quantum ad subjectum exercitum, scilicet fidelium qui ei obediunt et ipsum imitantur.

Hunc autem exercitum describit. Primo quantum ad pugnandi communitatem : *Et exercitus*. Secundo quantum ad Ecclesiasticam unitatem, extra quam nihil Deo placet : *Qui sunt in cœlo*. Tertio quantum ad imitativam conformitatem, *Sequebantur eum*. Quarto quantum ad instantem idoneitatem, *In equis*. Ubi describitur eorum idoneitas, tum ex parte corporis, tum ex parte animæ, *Vestiti*. Ex parte corporis dupliciter. Primo quantum ad aptitudinem, respectu operis : ideo corpora dicuntur equi, quia apta ad currendum per opera bona. Secundo quantum ad munditiam ipsius corporis, *Albis*. Similiter ex parte animæ dupliciter. Primo quantum ad decorem meritorum in generali, *Vestiti byssino*. Secundo quantum ad decorem sinceritatis in speciali, *Albo et mundo*. Sinceritas autem duplex est necessaria : scilicet quantum ad intellectum a nigredine erroris : unde dicit : *Albo*. Et quantum ad affectum a sorde affectionis, vel concupiscentiæ : unde sequitur : *Et mundo*. Dicit igitur : *Et exercitus*, idest cœtus sive multitudo fidelium contra diabolum, carnem et mundum pugnantium ad modum exercitus, quia militia est vita hominis super terram. Job. vii. *Qui sunt in cœlo*, numero et merito, quia alibi non fit vera et salubris pugna etiam si mortem quis sustineat. Unde Gregorius in *Gregoriano* : « Quisquis extra Ecclesiæ unitatem patitur, pœnas pati potest, martyr fieri non potest. » Vel, In cœlo per desiderium et intentionem. Philipp. iii, Nostra conversatio in cœlis est. *Sequebantur*, idest sequuntur eum, scilicet Christum, sicut servi dominum, sicut milites principem. Sequuntur inquam, imitando et obediendo. Matth. x, *Qui non accipit crucem suam etc*. *In equis*, idest in corporibus in quibus currunt quasi cum equis, per viam boni operis, quos amor Dei stimulat ad bonum. Zachar. x, *Posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello*. *Albis*, idest mundis, qui ab illicitis cohibentur. Supra vii, *Dealbaverunt stolas suas*, idest corpora *in sanguine Agni*. *Vestiti*, idest ornati. *Byssino*, idest veste byssina : hoc est ornatu meritorum decorantium ad modum vestis byssinæ : quia merita cum magno labore acquiruntur, sicut byssus cum magno labore ad candorem ducitur. Prov. ult. *Byssus et purpura indumentum ejus*. *Albo*, ex parte intellectus contra obscuritatem erroris. Supra eodem : *Datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido*. *Mundo*, ex parte affectus contra sordem concupiscentiæ vel affectionis. Matth. v, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Byssus byssi, genus est lini mollissimi et candidissimi : et est generis feminini : tamen hic ponitur in masculino, quia sacra Scriptura non est subjecta regulis grammaticæ. Aliqui tamen libri habent byssino, et est idem sensus. *De ore*. Hic ostenditur ejus potestas quantum ad virtuosum verbum : quia virtuose prædicavit comminando pœnam judicii, quam virtuose infert malis, sicut prius annuntiavit : unde dicit : *Et de ore*, idest de prædicatione. *Ejus*, scilicet Christi. *Procedit*. Loquitur pro statu Christi in carne mortali quando prædicabat : et quia idem modo prædicat per suos prædicatores, forsan ideo loquitur, quasi de præsenti. Aliqui tamen libri habent, procedebat. *Gladius*, idest sententia divini judicii quæ incidit illicitos cogitatus et motus malos. Dividet etiam malos a Deo et a sanctorum consortio. *Acutus*, quia virtuose separat hominem a vitiis sententia judicii : considerata tamen cum adjutorio gratiæ. Item efficaciter separabit malos a bonis in judicio. Supra i, *Et de ore ejus gladius etc*. *Ut in ipso*, idest cum ipso per prædicationem annuntiatam. *Percutiat*, perdendo. *Omnes gentes*, idest omnes gentiliter viventes, etiamsi sint Judæi genere : percutiat inquam, quosdam ad vitam, qui scilicet convertebantur, quosdam ad mortem, qui scilicet pejores fiebant. Et quod dicit, omnes gentes, potest intelligi de ipso prædicante per se et per suos prædicatores. *Et reget*. Hic describit Christum quantum ad potestativum actum. Et primo quantum ad actum regendi respectu bonorum et malorum communiter. Secundo quantum ad actum reparandi respectu bonorum specialiter, *Et ipse*. Dicit igitur : *Et reget omnes*, scilicet homines tam conversos quam

alios dum sunt in statu viæ. *In virga ferrea*, idest in potestate invincibili vel justitia inflexibili. Bonos enim regit dum sunt in statu viæ, ipsos conservando, nutriendo spiritualiter, et promovendo. Malos vero regit puniendo vel corrigendo. Psalm. : *Reges eos in virga ferrea. Et ipse*, quia alia creatura non poterat. *Calcat*, idest calcavit, hoc est suppeditavit, pressit et destruxit, scilicet per passionem et resurrectionem. *Torcular*, idest mortem æternam, quæ sicut torcular habet pressuram et torturam magni cruciatus. Dicitur autem torcular *Vini*, propter acerbitatem pœnæ quæ inebriat replendo et dejiciendo damnatos. Jerem. LI, *Inebriabo eos ut sopiantur etc.* Vini inquam, *Furoris iræ Dei*, idest vehementis iræ, idest cujusmodi inebriatio erat inferenda ex divina justitia graviter puniente. Ideo ergo divina justitia dicitur furor iræ, quia ea graviter et actualiter puniente, videtur Deus iratus ad modum furiosi. Ad significandum ergo magnitudinem pœnæ quæ debebatur hominibus, nisi Deus pro eis passus esset : et ponitur non tantum nomen iræ, sed etiam dicitur furor iræ. Ex hac similiter ratione dicitur supra XVI, *Date illi calicem vini indignationis iræ ejus. Dei omnipotentis*, scilicet Patris vel Trinitatis. Ex hoc patet quod nisi Filius nos reparasset per clementiam, poterat nos punire per justitiam et invictam potentiam. Ex hoc etiam patet, quia poterit Antichristum et suos damnare, de quibus infra sequitur. Eccles. I, *Unus est Altissimus creator omnium omnipotens. Et habet.* Hic describit Christum quantum ad universale dominium, ad quod significandum, vidit scriptum in vestimento et femore ejus. *Rex regum.* Hoc dicitur specialiter quantum ad dominium super majores dominatores, scilicet reges et hujusmodi multi potentes. *Et Dominus dominantium.* Hoc dicitur quantum ad omnes dominatores communiter ; et per hoc ostenditur esse Dominus omnium rerum universaliter ; quia si est Dominus dominantium, est et Dominus rebus quibus dominatur. Item quod est Dominus dominantium est signum certum majestatis infinitæ quæ omnibus rebus universaliter dominatur.

Vel moraliter, ut tangit *Glossa.* Nota quod vestimentum dicitur humanitas assumpta, qua fuit divinitas quasi vestita, Philipp. II *Et habitu inventus ut homo.* Femur est idem, sed differenti ratione. Vestimentum enim dicitur inquantum assumpta. Femur, inquantum est propagata a parentibus ; ideo enim dicitur femur secundum *Glossam*, ut denotetur de vera progenie parentum fuisse. Per femur enim propago carnis accipitur : unde Genes. XXIV, *Pone manum tuam sub femore meo, ut adjurem te per Dominum Deum etc.* Prævidit enim Dominum de suo femore nasciturum, per quem adjuravit servum. Per hoc autem quod dicitur, scriptum, notatur perpetuitas Dominicæ dominationis. Psalm. : *Et dominatio ejus in omni generatione et generationem.* Est autem sensus prædictorum verborum, ac si diceretur : Christus etiam ex parte humanitatis unitæ divinitati, dominatur omnium universaliter in perpetuum. Vel secundum Beatum Gregorium super hunc locum : « Unde mundo innotuit, ibi de se ultionis sententiam inflixit. » Supra XVII, *Dominus dominorum est et rex regum. Et vidi.* Descripta excellentia Christi, hic ponitur monitio ad adhærendum ipsi : unde inducit Angelum clamantem hominibus ut veniant et congregentur ad ipsum Christum qui dabit eis æternum convivium. Per quem Angelum signantur prædicatores qui monent homines adhærere Deo Christo. Primo ergo tangitur ipse admonitor. Secundo ipsa monitio, *Et clamavit*, Tertio admoniti, *Dicens omnibus.* Quarto modus sive materia admonitionis, *Venite.* Dicit igitur : *Et vidi unum Angelum*, idest cœtum prædicatorum, qui dicuntur Angeli, quia hominibus annuntiant quæ sunt salutis. Intelligitur in nomine Angeli scientia quæ debet esse in prædicatore. Isa. XVIII, *Ite Angeli veloces etc.* Dicit autem, unum Angelum, propter uniformitatem doctrinæ ; quia omnes docent fidem et bonos mores. Eadem ratione dicitur supra VIII, *Et audivi vocem unius aquilæ etc. Stantem*, per vitæ rectitudinem, in contemptu terrenorum, in desiderio æternorum. Tob. V, *Invenit juvenem stantem splendi-*

dum etc. *In sole*, idest in magna claritate exempli. Matth. v, *Vos estis lux mundi*. Et sic tanguntur quatuor quæ debent esse in prædicatoribus : scilicet officii auctoritas, doctrinæ uniformitas, vitæ sanctitas, exempli claritas. Vel, in sole, idest ardore tribulationum, in quo debent stare recti et stabiles sine conturbatione. Jonæ iv, *Exortus est sol super caput*. Vel, in sole, secundum *Glossam*, idest veritatem in manifesto proponentes. Similiter II Reg. xii, *Ego faciam hanc rem in conspectu solis hujus*. *Et clamavit*, prædicando : et notatur in hoc actus animarum. *Voce magna*. Vox prædicationis est magna, quando habet adjunctum desiderium magnum juvandi animas. Item quando confirmatur auctoritate Scripturæ. Matth. xiii, *Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias qui profert de thesauro suo nova et vetera*. Item quando roboratur exemplo vitæ : unde Isidorus III lib. de *Summo bono* : « Qui non vivit sicut docet, ipsam quam prædicat veritatem contemptibilem facit. » *Dicens omnibus avibus*, idest justis a terrenitate elevatis, et agilibus in profectu boni operis. *Quæ volabant*, alis contemplationis. *Per medium cœli*, idest per bona cœlestia, cum mensura et discretione. Per hoc enim quod dicitur medium, notatur mensura contemplationis : ut scilicet non nimis ascendat per temeritatem, nec nimis descendat per pusillanimitatem. Vel, per medium cœli, scilicet empyrei, discurrendo scilicet per ordines Angelorum, considerando, cum intimo sapore, quantus sit ardor Seraphim, quanta lux Cherubim, quanta discretio Thronorum, quanta præeminentia Dominationum, qui Principatibus et Potestatibus præsint, quanto moderamine omnis terrena potestas constituitur per principatus, quanta Virtute potestates contrariæ per potestates coercentur, quantum est donum virtutum a quibus prodigia et signa fiunt : quantum est donum Archangelorum et Angelorum, a quibus secreta Dei hominibus manifestantur. Item debent discurrere per cuneos prophetarum, conventus prædicatorum, choros apostolorum, exercitus martyrum, collegia confessorum, consortia monachorum et anachoritarum, choreas virginum, contubernia matronarum. Deinde transeundum ad fontem qui est in medio paradisi, id est beatam Virginem, quæ inundat plenissime fluminibus gratiæ et gloriæ. Deinde ad virgultum in quo omnes recreantur in gloria, scilicet ad dominum *Jesum*. Inde colligitur vinum dilectionis summæ quo bene potantur ad ebrietatem : et inde etiam emanat sapor vini inebrians justos spiritales in via usque ad terrenorum oblivionem. Item ficus dulcedinis dulcorantis bonos in patria, et etiam justos in via, ut suspirent ad æterna. Item malagranata ordinatæ conversationis et mentis fervidæ, qua parati sunt pro Domino in carcerem et in mortem ire. Sunt autem alæ sex contemplationis. Prima est desiderii expectatio. Secunda circumspectio. Tertia intuitio. Quarta admiratio. Quinta exultatio. Sexta dilectio. Ad longam enim desiderii expectationem sequitur circumspectio, circumspectioni intuitio, et sic de aliis. *Venite*. Hic ostenditur modus sive tenor admonitionis : et primo ponitur ipsa monitio ; secundo allectiva ratio. *Ad cœnam*. Ratio autem ponitur duplex : scilicet duplex refectio quæ dabitur in patria, eis qui Christo adhæserunt in via. Una refectio erit de divina fruitione. Unde dicitur, *Ad cœnam magnam*. Alia de malorum damnatione. Unde sequitur. *Ut manducetis etc.* Dicit igitur. *Venite*, per desiderium mentis. Jacob. iv, *Appropinquate Deo etc. Et congregamini*, scilicet spiritualiter per desiderii unitatem, vel per unitatem caritatis. I Esdræ iii, *Congregatus est populus quasi vir unus*. *Ad cœnam magnam*. Idest ad Deum qui nobis erit plena refectio. Unde beatus Bernardus in lib. *de diligendo Deo* : « Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum. » Unde autem dicit magnam ; quia perfectissima et plenissima erit illa refectio : et quicquid desiderabitur, totum habebitur in fruitione beatissimæ Trinitatis. Psalm. : *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. *Ut manducetis*, scilicet in patria. *Carnes regum et carnes tribunorum;* idest ut delectemini in cruciatu

reproborum, tam majorum quam minorum. Psal.: *Lætabitur justus cum viderit vindictam.* Hoc autem intelligendum de cruciatu malorum, non inquantum est cruciatus sive afflictio absolute; sed secundum quod in ea manifestatur divina justitia, in cujus consideratione beati delectabuntur, quia ordinat peccatum et peccatores in pœna, Unde Augustinus in lib. *de natura Boni :* « Peccantes in suppliciis ordinantur. » Distinguuntur autem hic reprobi multipliciter. Distribuuntur autem secundum statum multiplicem. Primo, secundum statum potestatis sæcularis : et hoc tum majoris, unde dicit, *Regum :* Tum mediocris, unde sequitur, *Et carnes tribunorum.* Tribunus dicitur qui præest uni tribui. Græce autem dicitur Chiliarchus, latine millenarius. Tum minoris; et tales dicuntur *Fortes*, non solum per potestatem illam quam habent; sed per perversitatem ad male agendum; quia multi qui non sunt magnæ potestatis, magnas malitias exercent. Secundo quantum ad statum regiminis spiritualis, quod est in Ecclesia. Et tanguntur subditi, cum dicitur, *Equorum;* quia debent regi a prælatis, sicut equus a sessore. Item prælati, cum subditur : *Sedentium in ipsis*, id est præsidentium eis per effectum regendi, licet male regant eos. Tertio quantum ad statum conditionis corporalis. Tum libertatis : unde dicit : *Liberorum.* Tum servitutis, unde sequitur : *Et servorum.* Potest tamen intelligi spiritualiter utrumque, ut tangit *Glossa.* Quarto, quantum ad statum fortunæ temporalis, quæ est duplex : scilicet indigentiæ. Unde dicitur, *Pusillorum*, scilicet secundum temporalem facultatem. Item opulentiæ : unde sequitur, *Et magnorum*, scilicet magnitudinem mundanæ opulentiæ. De his Ezechiel XXXIX, *Dic omni volucri et universis avibus, convenite, properate etc. Et vidi bestiam.* Postquam descripsit ipsum Christum, hic ostendit impietatem Antichristi et suorum, propter quam digni erunt damnatione; quia scilicet totis viribus impugnabunt Christum et ejus cultores. Unde dicit, *Et vidi*, interno aspectu. *Bestiam*, idest Antichristum. *Et reges terræ*, idest pseudo ejus apostolos, qui videbuntur reges aliorum per doctrinam, et etiam per potentiam; quia magnam potestatem temporalem habebunt; quia principes obedient eis. Et dicit, terræ, quia non quærent nisi terram. Vel, terræ, idest hominum terrenorum, qui eis obedient. *Et exercitus eorum*, scilicet Antichristi et suorum servientes Antichristo et pseudoapostolis. *Congregatos*, per cordium unanimitatem. *Ad faciendum prælium,* per blasphemias, per doctrinas erroneas, per miracula, et alia multa, quibus studebunt fidem Christi extinguere. *Cum illo,* idest contra illum, *Qui sedet in equo,* idest contra Christum : de quo supra eodem, Ecce equus albus et qui sedebat etc. *Et cum exercitu ejus*, idest contra fideles, qui sunt exercitus Christi, contra quos pugnabunt modis prætactis, et etiam disputationibus, promissis ac donis, minis ac flagellis et aliis modis. Daniel IX, *Consurget rex impudens facie, et interficiet robustos et populum sanctorum.* Et post sequitur, *Et contra principem principum consurget. Et apprehensa*, Hic ostendit ipsam damnationem Antichristi et suorum. Et primo damnationem Antichristi et pseudoapostolorum. Secundo damnationem aliorum per eos seductorum. *Et ceteri.* Circa primum primo ostendit damnationem ipsorum. Secundo damnationis modum, *Vivi missi sunt.* Dicit igitur. *Et apprehensa est bestia*, idest captivatus est in æterna pœna Antichristus. Loquitur autem pro statu damnationis ejus. *Et cum illa pseudoprophetæ*, idest cœtus pseudoapostolorum, qui videbantur veri prædicatores, cum essent pseudo, idest falsi. Propheta enim quandoque idem est quod prædicator. Et dicit in singulari, propter uniformitatem in intentione et malitia. Illi enim erunt vulpeculæ Sansonis, habentes caudas colligatas cum facibus. Judicum XV, *Qui fecit signa,* idest miracula. *Coram ipsa*, idest ad beneplacitum et jussum Antichristi Matth. XXIV, *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ etc. Quibus*, scilicet signis. *Seduxit*, idest seorsum a fide catholica duxit. *Eos qui acceperunt characterem bestiæ*, idest fidem Antichristi in mente. Fides enim Antichristi erit character ipsius in mentibus infidelium, licet

invisibilis; sicut fides Christi, est signum Christi in cordibus fidelium. *Et qui adoraverunt*, corpore, *Imaginem ejus*. Unum ergo pertinet ad mentem, aliud ad corpus. Vel, characterem, idest signum Antichristi per potestatis ejus confessionem ex parte oris. *Et qui adoraverunt* etc. per pravitatis ejus imitationem, sive conformitatem. Supra xiii, *Si quis adoraverit* etc. Gregorius in *Gregoriano*: « Antichristus cum omnibus sequentibus suis interveniente mundi fine damnabitur. » *Vivi*. Hic ostenditur modus damnationis Antichristi et pseudoapostolorum, quia scilicet acerbissime flammis sulphureis et fœtentibus cruciabuntur. Unde dicit: *Hi duo*, scilicet bestia et pseudopropheta: quia fuerunt copulati in culpa. *Missi sunt vivi*. Per hoc notatur acerbitas pœnæ: quasi dicat. Acerbissime punientur, et gravius quam alii ad similitudinem ejus, quia vivi comburentur: et hoc est quia gravius offenderunt. *In stagnum*, idest in abundantiam. *Ignis*, scilicet infernalis. *Ardentis sulphure*, idest ardentis cum fœtore, sicut ignis ardens in sulphure fœtorem habet adjunctum. Infra xx, *Diabolus missus est in stagnum* etc. *Et ceteri*. Hic agitur de damnatione minorum, quæ minor erit; quia minus peccaverunt quam illi per quos seducti sunt. Describitur autem horum damnatio. Primo per respectum ad Christum cujus fidem contempserunt, et ideo ab ipso damnabuntur. Secundo per respectum ad sanctos, quorum vitam neglexerunt, et ideo erunt in opprobrium coram eis, et ipsi delectabuntur in consideratione pœnæ ex divina justitia eis inflictæ. *Et omnes*. Dicit ergo, *Et ceteri*, scilicet qui secuti sunt Antichristum et pseudo apostolos, et seducti sunt per eos, sicut ante præmissum est, *Occisi sunt*, morte æterna, *In gladio*, idest in judiciali sententia, quæ quasi gladio separabit malos a Deo et a sanctis. *Sedentis super equum*. Christi præsidentis suæ humanitati: quasi dicat: quia minores sunt in culpa, punientur communi pœna reproborum quæ gladio intelligitur. Job xix, *Fugite a facie gladii* etc. *Qui procedit*, idest processit. *De ore*, idest prædicatione ejus: quia sicut prædicavit, sic implebitur. Vel, Procedit, etiam nunc, *Ex ore*, idest prædicatoribus, qui sunt os ejus. Tangit id quod dictum est supra eodem, *Et de ore ejus* etc. *Et omnes aves cœli*, idest justi, volantes per contemplationem, vel desiderium ad cœlestia. *Saturatæ sunt carnibus eorum*, idest delectati sunt videndo pœnam eorum, considerando divinam justitiam in eis, Isaiæ ultimo: *Et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*.

CAPUT XX

Et vidi Angelum etc. Hic agitur de damnatione diaboli et dæmonum. De diabolo tamen expressius agitur: et in ejus damnatione, damnatio dæmonum simul intelligitur. Christus autem eum damnabit, et poterit ipsum damnare sicut potuit eum in primo adventu ligare, sicut dicit *Glossa*. Primo ergo ostenditur ligatio diaboli facta per Christum in adventu primo. Secundo ejus damnatio facienda per ipsum in adventu secundo, *Et cum consummati fuerint*. Circa ligationem primo ostenditur primus adventus Christi. Secundo ostenditur in eo potestas ligandi, *Habentem*. Tertio ipsa ligatio diaboli, *Et apprehendit*. Quarto fructus ipsius ligationis, *Et vidi sedes*. Dicit igitur, *Et vidi*: quasi dicat: ita per revelationem intellexi damnationem Babylonis et Antichristi ac suorum. Intellexi etiam damnationem diaboli fiendam per Christum, qui ipsum in primo adventu ligavit: et hoc est: *Et vidi Angelum*, idest Christum, *Descendentem de cœlo*, idest de sua altitudine se humiliantem, per carnis assumptionem. Psal.: *Inclinavit cœlos et descendit*. De hoc magis dictum est supra x, *Et vidi Angelum* etc. *Habentem clavem abyssi*, idest potestatem claudendi abyssum, idest corda impiorum tenebrosa, ne scilicet diabolus per eos quantum vellet procedat ad pervertendum alios actu exteriori. Vel, Abyssus, idest ipse diabolus tenebrosus, quem Christus potest claudere, idest ejus malitiæ exitus ad actum. *Et catenam magnam*, idest potestatem magnam ingerendi pœnam in omnes impios. Per

clavem ergo et catenam potestas Christi signatur : sed per clavem inquantum claudit exitum nocumento : per catenam inquantum constringit supplicio. Primum respectu culpæ. Secundum respectu pœnæ. Sed contra : supra IX dicitur, *Vidi stellam*, idest diabolum, de cœlo cecidisse, et data est illi clavis putei abyssi. Quomodo ergo diabolus et Christus in eadem potestate conveniunt? Respondeo. Non est eadem potestas. Diabolus enim dicitur habere clavem putei abyssi ; quia ex permissione divina potestatem habet ad tentandum amplius impios, quos dejicit in ampliora peccata. Christus autem dicitur habere clavem abyssi ; quia potestatem habet claudendi diabolo et impiis egressum ad opera prava, ut non tantum aliis noceant, quantum vellent : hoc autem est bonum, primum vero malum. *In manu*, idest in operatione passionis et resurrectionis, secundum *Glossam*, quia per virtutem passionis et gloriam resurrectionis, per quam factus est potens super dæmones, etiam inquantum homo cohibere potest eos. Vel, In manu, scilicet in libito in facultate suæ voluntatis ; quia illa facultate potest quando vult uti. *Et apprehendit*. Hic ostenditur ipsa ligatio diaboli. Et quia est nunc ligatus, quod tandem solvetur : ideo primo ostenditur ejus ligatio facta per Christi passionem. Secundo ejus solutio futura ante mundi consummationem, *Et post hoc*. Circa primum primo ostenditur necessitas : quia scilicet diabolus est totus sitibundus ad animarum seductionem. Secundo tempus, scilicet quo durabit ligatio, *Et ligavit*. Tertio locus ubi eum scilicet ligavit, *Et misit*. Quarto modus, *Et clausit*. Dicit igitur, *Et apprehendit*, scilicet Angelus, idest Christus, hoc est malitiam tenuit, ne in actum procederet quantum vellet, sicut post exprimit in verbo ligandi. Vel, *Apprehendit*, idest diabolum peccasse, in procuratione mortis suæ manifestavit cohibendo ipsum, *Draconem*, idest diabolum : quem sic vocat propter violentiam ; quia draco est genus serpentis violenter opprimens. *Serpentem*, per astutiam. Genes. III, *Serpens erat callidior etc*. *Antiquum*, per consuetam nequitiam, *Qui est diabolus*, per dejicientem superbiam, quia propter superbiam cecidit. Diabolus autem interpretatur deorsum fluens. *Et satanas*, per incitantem malitiam. Satanas enim interpretatur adversarius. I Petri V, *Adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret*. *Et ligavit eum*, idest potestatem ejus coercuit ne noceat electis, quantum ante ejus adventum. Gregorius super hunc locum : « Potentia divinæ dispensationis astringitur, ne inquantum nocere valet effrenetur. » *Per mille annos*, idest per universum tempus, a tempore passionis Christi, usque ad tempus Antichristi. Numerus enim millenarius est perfectus ; quia terminat numeros præcedentes ; nec ultra eum est alius numerus, nisi per resumptionem : unde recte signat universitatem. Sic exponit Augustinus libro XX de *Civitate Dei*, inducens illud exemplum, Verbum quod mandavit in mille generationes, idest in omnes. Vel secundum *Glossam* : « Tempus a passione Christi, usque ad tempus Antichristi signatur per mille annos ; quia illud tempus hominibus conceditur, ut præmium acquirant per meritorum perfectionem. » *Et misit eum*, permissive, *In abyssum*, idest in corda tenebrosa impiorum. *Glossa*, ejectus a fidelibus. Et bene dicit, *Misit*, quia nihil potest, nisi permissus. Matth. VIII, *Si ejicis nos etc*. Gregorius super hunc locum : « Antiquus hostis in abyssum mittitur ; quia relegatus a bonorum cordibus apud reproborum mentes reclusus eis atrocius dominatur. » *Et clausit*. Hic ostenditur modus ligationis. Ligavit autem eum dupliciter. Tum ipsum fortiter cohibendo, scilicet ut non possit procedere, *Et clausit*, scilicet eum infra limitationem suæ potestatis, vel in cordibus impiorum : quasi dicat : ei potestatem subtraxit nocendi : quandoque tamen permittit occulto et justo judicio. Job XXXVIII, *Quis conclusit ostiis mare?* idest diabolum ; scilicet Christus. Primum ostium fuit Incarnatio, aliud Passio, aliud Resurrectio, aliud Ascensio. Tum fideles firmiter muniendo, scilicet sigillo passionis. *Et signavit super eum*, idest sigillum posuit super ipsum sic clau-

eam. Quod autem dicitur super, notat detentionem et cohibitionem suæ malitiæ. Posuit inquam, Sigillum, idest signum crucis, cujus virtute fideles eum sepelierunt. Ezechiel. ix, *Omnem super quem videritis Tau, ne occidatis*, *Ut non seduceret* per tentationes interiores vel exteriores, per se vel per alios, *Gentes*, idest electos de diversis gentibus. *Donec consummentur mille anni*, idest donec compleatur universum tempus a passione usque ad tempus Antichristi. Sed contra. Nonne modo seducit? Respondeo. Sic, eos qui nolunt bene uti armis sibi a Christo datis, vel quæ darentur si vellent. Ante passionem autem non habebant homines tanta adjutoria, quia tunc non fuit tanta gratia. Item nec tam efficacia sacramenta. Item nec exemplum Christi. Item nec passio sua adhuc fuerat. Item ante adventum Christi, omnes trahebantur ad limbum. Modo aperta est janua: unde modo ligatus est respectu temporis quod præcessit ejus adventum et passionem. *Post hæc*. Hic ostenditur futura solutio jam ligati. *Et post hæc oportet*, necessitate immutabilitatis; quia Deus sic disposuit. Vel, Oportet, idest necesse est necessitate magnæ virtutis, scilicet ad examinationem electorum, *Illum solvi*, idest laxari, quantum ad potestatem prius ligatam. *Modico tempore*, scilicet tribus annis et dimidio, scilicet tempore Antichristi. Matth. xxiv, *Et nisi breviati fuissent etc.* Gregorius in *Gregoriano*: « Tunc antiquus hostis suis membris traditus, pauco quidem in tempore, sed multa contra nos laxabitur virtute. » *Et vidi*. Hic ostenditur fructus ligationis, qui est duplex: scilicet opportunitas merendi in via, et perceptio præmii in patria: et ad utrumque horum debent fideles attingi. Primo ergo tangitur regulatio status. Secundo perceptio æternæ gloriæ, *Et animas*. Tertio subditur excitatio humanæ desidiæ, *Hæc est resurrectio*. Circa primum primo ostenditur obedientia subditorum, cum vocantur sedes. Secundo regimen prælatorum, *Et sederunt*. Tertio, quia necessitas officii ad hoc cogit, ostenditur auctoritas ipsorum, *Et judicium*. Dicit igitur, *Et vidi sedes*, idest subditos paratos subesse prælatis obediendo, juxta illud Psalmistæ: *Ut jumentum factus sum apud te*. *Et sederunt*, scilicet prælati. *Super illas*, sedent prælati in subditis cum eos recte regunt. Supra iv, *Et in circuitu sedis etc.*, sedilia dicuntur ibi subditi. Ne autem sint torpidi, stimulat eos auctoritas officii injuncti: unde sequitur: *Et judicium*, idest potestas judicandi, idest regendi subditos. *Datum est illis*, scilicet a Deo, quia specialiter bonos pastores instituit Dominus. Supra iii, *Faciam illum columnam etc.* Posset etiam intelligi pro statu futuro, *Et vidi sedes*, idest auctoritatem multiplicem perfectorum. *Et animas*. Hic tangitur perceptio gloriæ quæ habetur ex meritis. Unde primo ostenditur meritum. Secundo præmium, *Et vixerunt*. Tertio per oppositum ostenditur damnatio malorum, *Et ceteri*. Circa primum, Primo ostenditur meritum martyrum. Secundo confessorum, *Et qui non adoraverunt*. Vel meritum justorum ostenditur, Primo quantum ad operationem boni. Secundo quantum ad declinationem mali. Dicit igitur: *Et animas*, scilicet vidi. *Decollatorum*, idest martyrum qui decollati fuerunt, et hoc *Propter testimonium Jesu*, idest quod exhibuerunt Christi humanitati, in qua et per quam salvat nos. *Jesus* enim interpretatur salutaris, et est nomen Filii in humanitate assumpta. Luc. ii, *Vocatum est nomen ejus Jesus etc.* *Et propter verbum Dei*, idest propter testimonium quod dederunt Christo, quantum ad divinitatem. I Joan. i, *Quod fuit ab initio etc.* *Et vidi*, similiter. *Animas eorum qui non adoraverunt bestiam*, idest Antichristum in seipso. *Neque imaginem ejus*, idest statuam, ad litteram. Vel, Imaginem, idest Apostolos falsos ipsius in quibus ejus conformitas apparet. *Nec acceperunt characterem* idest signum. *Ejus in frontibus*, scilicet in manifesta confessione. *Aut in manibus suis*, idest in impia operatione: et sic describit confessores, quantum ad declinationem duplicis mali: scilicet nefandæ adorationis, tum in se, tum sua imitatione: sive imago intelligatur corporaliter, sive spiritualiter pro pseudo apostolis. Item impiæ consignationis. Supra xiv, *Si quis adoraverit*

bestiam et imaginem ejus etc. *Et vixerunt.* Hic ostenditur præmium : et hoc quantum ad primam stolam. Et tangit duo bona gloriæ. Unum est vitæ plenitudo. Secundum honoris celsitudo : unde sequitur : *Et regnaverunt.* Dicit igitur : *Et vixerunt :* quasi dicat : Non solum vivent in futuro post judicium, sed etiam jam vixerunt, idest jam vitam receperunt qua vivent. Hæc autem vita est ex conjunctione ad vitam increatam : hæc autem vita habet plenam felicitatem. Unde Augustinus, VI lib. *de Civitate Dei :* « Eam quippe vitam ubi est sine fine felicitas. » *Et regnaverunt*, per regiam dignitatem. *Cum Christo,* qui in æternum regnat, unde similiter et ipsi. Hæc duo bona sunt contra duplex malum pœnale viæ : scilicet contra miseriam mortis, et contra servilitatem vitæ, aut ipsam mortem. Subjacet enim homo hic multiplici servilitati. Propter hæc bona gloriæ ait Apostolus : Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo. *Mille annis*, idest per universum tempus quo paulatim colligitur numerus electorum usque ad finem mundi ; quia usque tunc animæ regnant exutæ sine corporibus cum Christo : postea vero resument corpora et in eis sine fine regnabunt. Per millenarium ergo signatur totum tempus, quo animæ cum Christo regnant in patria, donec impletus sit numerus electorum : et accipiatur large tempus, ut cum dicitur : *Lux perpetua lucebit sanctis tuis et æternitas temporum.* Sed objiciunt Judæi, quod, si verum dicit Joannes, ergo post mille annos terminabitur regnum Christi. Responsio jam patet : quia per mille annos non signatur numerus mille annorum, cum de numero loquatur Beatus Joannes in hoc libro ratione mysterii, ut patet supra XIII in fine et XIV in fine. Igitur per mille annos signatur totum tempus quo colligitur et successive impletur numerus electorum ; post vero animæ simul cum corporibus regnabunt. *Et ceteri :* quasi dicat : ita mortui propter Christum vel in Christo vivent vita gloriæ et e contrario. *Ceteri mortuorum*, idest alii inter mortuos morte naturæ. Alii scilicet a prædictis. Vel secundum *Glossam* ; « Ceteri mortuorum, idest ceteri a prædictis in anima mortui. » *Non vixerunt*, scilicet vita immortalitatis : quasi dicat : in mortem æternam ceciderunt. *Donec consumentur mille anni*, idest donec compleatur tempus quo colligitur numerus electorum : tunc enim simul in anima et corpore morientur. Matth. XXV, *Ibunt hi in supplicium æternum, isti autem in vitam æternam.* Ex præmissis patet fructus ligationis diaboli ; quia per hoc fideles melius proficient in via, et iterum liberius ac facilius percipiunt præmium in patria ; quia per ejus tentationes non sic impediuntur consentiendo, cum potius vincant ; et quia non potest eos trahere ad limbum eo modo quo prius, cum sit aperta janua. Sed quomodo dicitur, *Non vixerunt*, cum anima semper vivat, quia immortalis ? Respondeo. Est vita animæ multiplex, scilicet vita qua in se vivit naturaliter : hanc nunquam perdit : de hac non agitur hic. Item est vita quam tribuit corpori, sine qua vivit in corpore. Hanc non semper habet. Item est vita quam recipit, scilicet supra vitam naturæ : et hæc est duplex : scilicet vita gratiæ in via, et gloriæ in patria. Quod ergo dicitur, *Non vixerunt*, potest intelligi de vita animæ secundum quod vivit in corpore ; et sic ly donec accipitur exclusive. Donec consummentur mille anni, idest donec consummetur tempus quo paulatim completur numerus electorum. Post enim recipient corpora. Item potest intelligi principalius de vita gloriæ ; et ly donec potest accipi inclusive, quia nunc ante, nunc post. Potest etiam hoc modo accipi exclusive, sicut prius expositum est secundum *Glossam, Non vixerunt*, idest mortui sunt in anima per privationem vitæ gloriæ. Donec etc., idest donec compleatur numerus electorum : quia tunc non solum in anima erunt mortui, sed etiam in corpore, per privationem æternæ vitæ et acerbitatem pœnæ perpetuæ. *Hæc est resurrectio.* Hic ponitur excitatio humanæ ignaviæ. Ad quam excitandam, Primo utitur commendatione in generali. Secundo descriptionis in speciali : *In his.* Circa primum, Primo commendat statum bonorum ante judicium. Secundo ipsos bea-

tes habentes hunc statum. *Beatus.* Dicit igitur : *Hæc est resurrectio prima*, scilicet quod ligatus est diabolus ; et quod homines resurgentes a peccatis proficiunt in meritis ; et quod animæ exutæ statim nisi habeant aliquid purgabile, transeunt ad statum beatitudinis. Nota *Glossam*, *hæc est resurrectio etc.* Dicitur autem prima, ad differentiam secundæ, quæ erit resurrectio generalis corporum, de qua I Corinth. xv, *Omnes quidem resurgemus etc. Beatus*, quia beatitudinem consequitur. *Et sanctus*, quia in ipsa beatitudine firmatur, ut nunquam perdat. Sanctus enim uno modo idem est quod firmus, vel confirmatus. *Qui habet partem*, scilicet cum aliis electis. *In resurrectione prima*, quæ in tribus est secundum *Glossam*. Diaboli ligatio. Exitus a peccato cum profectu in bono. Primæ stolæ perceptio. Quantum autem ad hoc tertium, videtur principaliter hic accipi : unde sequitur *In his etc.* Supra vi, *Datæ sunt illis singulæ stolæ etc. In his.* Hic utitur descriptione in speciali. Describit autem resurrectionem primam quantum ad gloriam animarum in patria dupliciter. Primo quantum ad absentiam mali. *In his* ; quasi dicat : vere beatus est, quia in his, qui scilicet partem habent in resurrectione prima per primæ stolæ perceptionem. *Secunda mors*, scilicet mors gehennæ *Non habet potestatem*, scilicet ut absorbeat eum. Prima mors est culpæ, et est in anima. Psal. : *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte.* Secunda est gehennæ, quæ sequitur ex prima ; et est simul in corpore et anima, ut dicit *Glossa*. Supra ii, *Qui vicerit non lædetur a morte secunda.* Secundo quantum ad præsentiam boni, quod tangitur duplex : scilicet dignitas sacerdotalis, in Dei honorificatione. Item dignitas regalis in honoris participatione. *Et regnabunt.* Dicit igitur : *Sed erunt sacerdotes Dei*, scilicet Patris. *Et Christi ejus*, idest Filii, qui est Christus Patris : quia ab eo secundum humanitatem unctus, et quia singulariter ab eo dilectus. Quasi dicat : laudes æternas dabunt divinitati et humanitati. Psal. : *In sæcula sæculorum laudabunt te. Et regnabunt* in æternis honoribus. *Cum illo*, scilicet cum Patre et Filio incarnato. Idem intelligendum est de Spiritu sancto, quia ei sunt conjuncti. *Mille annis*, idest per universum tempus a passione Christi usque ad finem mundi. Post enim regnabunt, non tantum anima, sed anima simul et corpore. *Et cum consummati.* Hic ostenditur diaboli damnatio facienda per Christum in adventu secundo. Primo autem ostenditur meritum supplicii. Secundo ipsum supplicium diaboli, *Et descendet.* Tertio ostenditur forma judicii in quo scilicet damnabitur, *Et vidi thronum.* Circa primum notandum quod ita damnabitur diabolus, quia abutetur potestate sibi a Deo permissa sub Antichristo, præter illa peccata quibus prius Deum offendit. Primo ergo ostenditur laxatio diabolicæ potestatis. Secundo abusus potestatis laxatæ, *Exibit.* Ubi ostenditur abusus potestatis, primo quantum ad seductionem malorum. Secundo quantum ad impugnationem bonorum, *Et congregabit.* Ubi primo tangitur aggregatio adjutorum. Secundo malitia congregatorum, *Et ascenderunt.* Tum in generali, tum in speciali, cum sequitur : *Et circuierunt.* Dicit igitur : *Et cum consummati* : quasi dicat : ita ligavit Dominus diabolum, donec consummentur mille anni, sicut dictum est supra post principium capituli. Et cum consummati fuerint *Mille anni*, idest tempus a passione Christi usque ad adventum Antichristi. *Solvetur Satanas*, idest laxabitur ei potestas ; solvetur inquam, *De carcere suo*, idest de cordibus reproborum in quibus ligatus est quasi in carcere, ne ab eis et per eos irrumpat ad nocendum quantum vellet. Unde Gregorius in *Gregoriano* : « Tempore Antichristi de iniquorum cordibus nunc occulte sævientibus eductus procedet ; et tunc accepta potestate contra Ecclesiam, in vim apertæ persequutionis erumpet. *Et* solutus, *Exibit*, scilicet in apertam et crudelem persequutionem. *Et seducet*, idest seorsum ducendo a Christo decipiet. *Gentes*, gentiliter et impie viventes. *Quæ sunt super quatuor angulos terræ*, idest in quatuor partibus mundi : et nominat has gentes, *Gog et magog.* De hujusmodi Ezech. xxxviii : *Filii hominis etc.* De his sunt opiniones diversæ. Di-

cunt enim quidam Judæi, quod sunt quædam gentes quæ habitant in oriente, quæ in fine sæculi venient ut expugnent Jerusalem, sed vincentur a suo messia, et tunc ædificabunt Jerusalem auream civitatem, juxta illud Tob. XIII : *Portæ Jerusalem ex sapphiero etc.* Alii dicunt has gentes esse aquilonares et quod Alexander inclusit eas in montibus Macedoniæ, et tunc exibunt et per eas Antichristus procedet ad alias superandas. Sed quicquid de hac secunda opinione sit, ad minus in hoc loco non videtur agi de Gog et Magog sub intellectu gentium specialium, sed generaliter per hoc signatur universitas malorum qui adjutores erunt Antichristi ad persequutionem fidelium. Additur enim, quæ sunt super quatuor angulos terræ. Unde dicit Beatus Augustinus XX *de Civitate Dei :* « Gentes istæ quas appellat Joannes Gog et Magog,non sic sunt accipiendæ,tamquam sint aliquæ in aliqua parte terrarum barbari constituti : toto namque terrarum orbe significati sunt isti esse cum dictum est, quæ sunt in quatuor angulis terræ. » Nota igitur quod Gog interpretatur tectum : Magog de tecto : quasi dicat : seducet omnes impios quos poterit, in quibus nunc quasi in tecto latet ipse diabolus, unde nunc sunt tectum diaboli : sed tunc erumpet quasi de tecto, idest de occulto suæ malitiæ in apertam persequutionem. Unde Augustinus exponens hæc verba in eodem ait : « Tectum gentes sunt, quia in eis nunc quodam modo tegitur inimicus antiquus, et de tecto ipsæ erunt, quando in apertum odium de operto eruptæ sunt. » *Et congregabit eos*, scilicet impios. *Glossa*, Non localiter sed mente ; quia scilicet faciet eos unanimes ad persequendum fideles. Unde sequitur : *In prælium*, scilicet contra fideles, per persuasiones, comminationes, promissa, dona, flagella et aliis modis. *Quorum*, scilicet malorum, *Numerus est sicut arena maris*, idest ita innumerabiles et steriles. Supra XVI : *Procedunt ad reges etc. Et ascenderunt*, idest ascendent, hoc est per superbiam elevabunt se. *Super latitudinem terræ*, idest omni orbe exercebunt malitiam suam. Joel. I : *Et gens ascendet super terram meam fortis et innumerabilis. Et circuierunt*, idest circuibunt. Per hoc notatur quod intus non intrabunt per effectum malitiæ, quia nunquam omnino Ecclesia dejicietur. Iste circuitus erit diligens perstructio et conatus ad pervertendum fideles ad instar capitis sui. De quo I Petr. V : *Circuit quærens quem devoret. Castra sanctorum*, idest justos semper ad resistendum vitiis paratos : unde de Ecclesia dicitur Cant. III : *Terribilis ut castrorum acies ordinata. Et civitatem*, idest Ecclesiam : quam vocat civitatem, propter unitatem justorum ad resistendum, secundum *Glossam*. Gregorius : «Omnis pugna unanimiter agressa victoriam pati. » *Dilectam*, scilicet a Deo. Hoc dicit ad consolationem justorum quos nutrit et protegit, quia diligit eos. Prov. XIII : *Ego diligentes me diligo.* Et sic describit justos persecutionem sustinentes tempore Antichristi, quantum ad tria scilicet quantum ad pugnæ strenuitatem, quantum ad strenuitatis unanimitatem, quantum ad divinam charitatem. *Et descendit.* Hic ostenditur supplicium diaboli cum quo mali damnabuntur et Antichristus, et ejus pseudo apostoli. Primo ergo ostenditur damnatio impiorum. Secundo damnatio diaboli seductoris eorum, *Et diabolus.* Tertio ostenditur associatio Antichristi et pseudo apostolorum, *Ubi est bestia.* Dicit igitur : *Et descendit*, idest descendet. *Ignis*, scilicet gehennalis. *De cœlo*, idest a sublimitate divinæ justitiæ et potentiæ : quasi dicat : Deus ex sua justitia altissima inferet eis pœnam ignis æterni. Per hoc autem quod dicitur *Descendit*, intelligitur pondus opprimens. Non enim intelligitur descensus localis. *Et devoravit*, idest devorabit eos, idest ubique occupabit et exuret. Job. XX : *Devorabit eum ignis. etc. Et diabolus qui seducebat eos missus est*, idest mittetur, scilicet in die judicii. *In stagnum ignis et sulphuris*, idest in abundantiam ardoris et fœtoris eum submergentem. Ezechiel. XXXVI : *Ignem et* sulphur pluam super eum et super exercitum ejus. *Ubi*, idest in quo stagno. *Et bestia*, idest Antichristus. *Et pseudo prophetæ*, idest pseudo ejus apostoli. *Cruciabuntur die ac nocte*, idest continue. *In sæcula*, conse-

qualiva. *Sæculorum*, hoc est in æternum. Supra xiv : *Nec habent requiem die ac nocte* : ubi de hoc dictum est. Vide etiam *Glossam*. Recaperta gloriæ etc. *Et vidi thronum*. Hic ostenditur forma judicii : quasi dicat : sic judicabunt homines et dæmones, secundum opera sua, ita quod quilibet cognoscet merita sua. Primo autem tangit quædam quæ erunt circa judicium ; et hoc sive ante, sive post. Secundo ostendit ipsum judicium. *Et judicati sunt*. Tertio judicii executionem sive effectum. *Et infernus et mors missi*. In prima parte, Primo tangit judiciariam potestatem perfectorum. Secundo immutationem electorum. *A cujus conspectu*. Tertio præsentiam judicandorum. *Et vidi mortuos*. Quarto manifestationem meritorum. *Et libri*. Dicit igitur : *Et vidi thronum*, idest Ecclesiam, quæ est thronus Dei, quia sedet et quiescit in ea, et in ea quantum ad perfectos sedebit judicans mundum in judicio. *Magnum*, dignitate. III Reg. x : *Fecit Salomon thronum de ebore grandem*. Vel, Magnum multitudine fidelium. *Candidum*, sinceritate, vel candidum immortalitate. Et vidi *Sedentem super eum*, idest Christum qui in die judicii sedebit in viris perfectis et per eos judicabit et faciet destructionem præmissam. I Corinth. vi : *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* *A cujus conspectu*, idest præsentia, qua tunc omnia conspiciet ad disponendum. *Fugit*, idest fugiet, quantum ad priorem statum terræ quam calcamus. *Cœlum*, idest aer in quo respiramus. Matth. xxiv : *Cœlum et terra transibunt etc.* *Et locus non est inventus*, idest non invenietur. *Ab eis*, scilicet terra et cœlo, videlicet quantum ad priorem speciem : quasi dicat : Non remanebunt in statu vetustatis et deformitatis ut prius. Psalm. : *Mutabit eos et mutabuntur*. *Et vidi mortuos*, morte naturæ. Et sic intelligitur de bonis, tamen imperfectis, propter illud quod sequitur : Et de magnis. Vel mortuos, *Glossa* malos. *Magnos*, olim secundum fortunam et potestatem sæculi. *Et pusillos*, divitiis et potestate. *Stantes*, idest corporaliter præsentes in corporibus resumptis. *In conspectu throni*, idest in conspectu perfectorum, qui tunc conspicient merita singulorum ; qui erunt thronus Dei, quia Christus sedebit in eis, idest per eos judicabit, quia eos faciet judices. Sap. iii : *Judicabunt nationes etc.* *Et libri*, scilicet conscientiarum. *Aperti sunt*, idest aperti erunt : quilibet enim in conscientia sua, quasi in libro aperto cognoscet bona sua vel mala. Daniel. vii : *Judicium sedit et libri aperti sunt*. *Et Alius liber*, scilicet Christus, in quo sicut in libro legent justi se recte fecisse, famulando ei quem tam excelsum videbunt potestate, et mali se male fecisse, cum eum sibi iratum et tam potentem aspicient. *Apertus est*, idest potens et magnus apparebit. *Qui est vitæ*, quia dat vitam suis. Vel libri aperti sunt, idest divina præcepta manifesta erunt, quæ modo multi nolunt cognoscere : tunc enim cognoscent quantæ virtutis et auctoritatis sint divina præcepta, et scient se propter eorum contemptum condemnandos. Et quidam liber, scilicet præscientiæ : in qua qui videt omnia videt quasi in libro. Apertus est, idest tunc erit apertus cum nunc sit clausus, quia mali scient se non esse prædestinatos ad vitam, boni vero scient se prædestinatos fuisse. *Qui est vitæ*, quia in hoc libro vivunt omnium rerum rationes. Joan. I : *Quod factum est in ipso vita erat*. Vel quia in libro præscientiæ electi sunt præordinati ad vitam. *Et judicati*. Hic ostendit ipsum judicium. Et primo per comparationem ad Scripturam præmissorum librorum. Secundo per comparationem ae integritatem ipsorum judicandorum, quia in corpore et anima judicabuntur quantumcumque corpora fuerint dispersa et dilacerata, vel a mari, vel ab alio elemento absorpta. *Et dedit mare*. Ubi primo ostendit divinam potestatem in hominis reformatione : quoniam adhuc unietur anima corpori, ubicumque utrumque fuerit. Secundo judicii æquitatem in justa retributione, *Et judicatum est*. Dicit igitur : *Et judicati sunt*, idest judicabuntur a Christo et a viris perfectis. *Mortui*, morte culpæ, secundum *Glossam*. *Ex his*, scilicet peccatis. *Quæ scripta erant in libris*, scilicet conscientiarum, vel præceptorum, in quibus legent sua peccata, hoc est scripta erunt. Judicabuntur inquam, *Secundum opera ipsorum* ;

quasi dicat : illud judicium erit secundum magis et minus, secundum quod magis vel minus peccaverunt. Supra II : *Dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Et dedit mare*, idest dabit. *Mortuos suos*, idest corpora mortuorum quæ quandoque detinuit : quasi dicat : illi qui mortui sunt in mari, resurgent cum corporibus suis. De his autem minus videtur : unde per locum a minori omnes alii resurgent. Hoc autem dicit ut ostendat, quod omnia corpora mortuorum hominum resurgent quantumcumque videantur absorpta. Nota *Glossam*, Vult aperte etc. *Qui in eo erant*, scilicet submersi vel projecti quantum ad corpora. Et dicuntur hic mortui, tam boni quam mali in mari submersi. Deinde loquitur de animabus, quia homo ex anima et corpore constituetur et reformabitur in resurrectione. *Et mors*, idest diabolus qui causa est mortis, tam spiritualis quam corporalis. Sap. II : *Invidia diaboli mors etc. Et infernus*, scilicet locus infernalis. *Dederunt*, idest dabunt. *Mortuos suos*, scilicet animas mortuorum morte naturæ quos detinent. *Qui in ipsis erant*, ante resurrectionem. Diabolus enim detinet animas reproborum in inferno ; et ita diabolus tenet eas simul et infernus. Et bene jungit hæc duo, quia qui subjicitur diabolo per culpam incidit in infernalem pœnam : quasi dicat : Etiam animæ reproborum redibunt ad sua corpora, nec eas retinere poterit ab unione diabolus nec infernus : multo magis autem constat de animabus sanctis. Reformati autem per resurrectionem judicabuntur secundum merita sua : unde sequitur : *Et judicatum est*, idest judicabitur. *De singulis*, scilicet bonis et malis, sine acceptione personæ secundum opera ipsorum. Psalm. *Tu reddes unicuique secundum opera sua. Et infernus*. Hic ostendit judicii exequutionem, vel effectum : quia sicut judicatum erit per Christum et per sanctos, sic implebitur. Mittet enim Deus reprobos tam dæmones quam homines in infernum. *Et infernus*, idest dæmones quibus gravissima pœna est in inferno. *Et mors*, idest diabolus qui est causa mortis. *Missi sunt*, idest mittentur divina virtute cui resisti non potest. *In stagnum*, idest in abundantissimam et profundissimam pœnam. *Ignis*. Gregorius *in Gregoriano :* « Apostatam spiritum a conspectu districti judicis ad æterna supplicia rapiet tempestas pavenda de qua scriptum est, In circuitu tempestas valida. » Deinde describit illam pœnam ut timeatur. *Hæc est secunda mors*, de qua supra eodem. In his secunda mors etc.: quasi dicat : Cavete a morte prima, ut evitetis secundam. Deinde loquitur de hominibus reprobis. *Et qui non inventus est*, in extremo judicio. *Scriptus in libro vitæ*, quantum ad paginam prædestinationis : unde *Glossa*, idest ad vitam prædestinatus. *Missus est*, idest mittetur. *In stagnum ignis*, ministerio Angelorum. Matth. XIII : *Exibunt Angeli*. Sic ergo per Infernum intelliguntur dæmones, per Mortem Diabolus, per eos qui non sunt scripti in libro vitæ, reprobi homines. Aliter per Infernum, secundum *Glossam*, signantur homines reprobi ; quia sunt profundi in vitiis, et quia debetur est infernus : per Mortem diabolus ut prius. Deinde ut magis terreat, dat quasi regulam, qui damnabuntur : scilicet illi qui non sunt prædestinati ad vitam. Unde subditur, *Et qui non est inventus etc*. Terminatur autem hic visio sexta.

CAPUT XXI

Et vidi cœlum novum et terram novam etc. Terminatis sex visionibus supradictis, hic incipit septima et ultima visio ; in qua specialiter agitur de elementorum innovatione, et de justorum glorificatione. Unde sicut in visione sexta, sub nomine Babylonis subversæ, descripta est impiorum destructio ; in hac visione septima describitur consequenter sub nomine sanctæ civitatis Jerusalem bonorum glorificatio. Unde si quis visionis hujus seriem diligenter attenderet, cor suum ad tantæ gloriæ desiderium excitaret, et tam gloriosæ civitatis habitator fieri, votis omnibus exoptaret. Præsens autem visio partes duas continet principales. In prima quidem insinuatur elementorum innovatio. In secunda justo-*quæ descendit de cœlo a Deo meo*. Et de

rum glorificatio, ibi, *Et vidi civitatem sanctam*. Pars illa secunda in duas partes dividitur. Primo enim describuntur ea, quæ ad civitatis sanctæ Jerusalem, per quam justorum gloriosa collectio designatur, spectant, maxime quantum ad esse. In secunda vero describuntur ea quæ spectant ad ipsam quantum ad bene esse, ibi, *Et ostendit mihi fluvium etc*. Circa partem primam primo describitur civitas supradicta in generali. Secundo in speciali, ibi, *Et habebat murum magnum*. Pars autem prima duas habet partes. Primo enim agitur de ejus glorificatione, quantum ad omne bonum. Secundo de ipsius ostensione, sub nomine sponsæ facta Joanni per Angelum, ibi, *Et venit unus de his Angelis*. Circa partem primam in dictæ glorificationis manifestatione, triplex adducitur testimonium. Primum quidem testimonium Joannis. Secundo sanctorum Patrum, Testamenti novi et veteris, ibi, *Et audivi vocem magnam*. Tertio testimonium Dei omnipotentis, ibi, *Et dixit qui sedebat in throno*. Dicit igitur primo, *Et vidi cœlum novum*, hoc est aerem innovatum, sicut dicit *Glossa*. *Et terram novam*, hoc est ab omni corruptione et fœditate purgatam. II Petri ultimo : *Cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent*. Et Isaiæ LXV, *Ecce enim ego creo cœlos novos et terram novam*. Sequitur deinde, *Primum enim cœlum et prima terra abiit, et mare jam non est*. Tangitur enim hic trium elementorum innovatio : aeris; cum dicit, *Primum enim cœlum*, hoc est aer, quantum ad primum statum, recessit. *Et prima terra*, similiter, *Et mare jam non esse dicitur*, quantum ad rationem corruptionis. Sed modo potest hic quæri, cum fiat in hoc loco mentio de tribus elementis, aqua videlicet, terra et aere; quare non fit mentio de quarto elemento, de igne videlicet? Quæritur etiam de hoc quod dicit, *Et mare jam non est* : quia per hoc videtur quod aqua penitus annihiletur, et quantum ad substantiam, et etiam quantum ad qualitates, cum non esse, removeat rei essentiam. Quæritur tertio, utrum mundus debeat innovari? et videtur quod non : quoniam factus est ad obsequium hominis et propter hominem : sed post glorificationem, non indigebit homo elementorum obsequio : ergo non erit necesse innovari. Respondeo. Ad primum dicendum est, quod non fit de igne mentio in hoc loco, cum parva aut nulla corruptione fœdatus sit, et illius virtute elementa cetera in conflagratione ultima debeant emendari, quoniam ipse maxime activus est, minime habens de materia, maxime vero de specie. Ad secundum dicendum est, quod aqua non intelligitur virtute ardoris illius consumi penitus, per hoc quod dicit, *Mare jam non est* : nec fit ibi negatio ratione substantiæ, sed ratione corruptibilis qualitatis. Unde per hoc subtiliter intuenti datur intelligi, quod purgabitur a corruptione omnimoda, et fœditate, et salsa amaritudine. Ad tertium respondendum, quod mundus innovabitur, non ut homini serviat, sed ut homo renovatori ejus propter hoc gratias æternaliter agat; quoniam mundum præmiari propter hominem, non est aliud quam hominem præmiari in illo. Et sic patet solutio ad illud quod objiciebatur. *Et vidi etc*. Hic consequenter agit de justorum glorificatione describens ipsam, ut dictum est, sub typo, civitatis sanctæ Jerusalem. Et congrue primo ponit beatus Joannes innovationem elementorum, deinde subjungit glorificationem justorum, ut videlicet de mundanis ascendamus ad cœlestia et de visibilibus pertingamus ad invisibilia contemplanda. Dicit igitur, *Et vidi civitatem sanctam*, vidi, videlicet per spiritualem intelligentiam, *Civitatem*, hoc est universam justorum collectionem ab omni corruptione culpæ et miseriæ, *Descendentem de cœlo*. Dicitur enim de cœlo descendere; quia quod habuit boni in tempore præsentis vitæ, et quod feliciter vivit in æternitate, totum cognoscit se a Deo habere. Vidi inquam, civitatem, *A Deo paratam*, *sicut sponsam ornatam viro suo* : quoniam sicut sponsa præparatur ad thronum viri, missis sibi a viro muneribus : sic præparatur Ecclesia ad Christi cœlestem copulam, datis sibi ab ipso donis cœlestibus et operibus bonis. De hujusmodi civitate habetur supra III, *Scribam super eam nomen Dei mei, et nomen civitatis novæ Jerusalem*,

ipsius gloria habetur in Psal. ubi dicitur, *Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei.* Vel aliter potest exponi sic, *Vidi civitatem*, hoc est sanctorum omnium collectionem, ut supra dictum est, quæ civitas dicitur, per participationem divinæ potestatis. Civitas enim dicit fortitudinem et potentiam. *Sanctam*, per participationem summæ bonitatis *Jerusalem,* quæ pacis visio dicitur per participationem æternæ veritatis. *Novam*, quia mundatam ab omni corruptela et miseria. *Descendentem de cælo,* per fluxum a causa prima. *A Deo paratam* per gratiam. *Ornatam viro suo,* per gloriam. *Sicut sponsam,* quia Christo conjunctam inseparabiliter, et sine fine. Hujusmodi vero desponsatio, quæ est inter Christum et Ecclesiam, Inchoatur baptismate, Ratificatur in operibus justitiæ, Consummatur in adoptione gloriæ. Oseæ II, *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in judicio et justitia, et in misericordia.* In his etiam verbis supradictis possunt septem dotes intelligi, quibus post resurrectionem gaudebunt justi. Tres videlicet animæ : dilectio, tentio sive comprehensio, visio : et quatuor corporis : videlicet impassibilitas, agilitas, subtilitas, claritas. Per *civitatem* intelligitur dilectio plena, quoniam civitas dicitur civium unitas, quæ fit per dilectionem maxime. Per hoc quod dicit *sanctam,* notatur perfecta tentio sive comprehensio. Sanctus enim idem est quod firmus : beati vero firmiter adhærent Deo per comprehensionem. Per *Jerusalem* notatur visio, quia Jerusalem visio pacis interpretatur. Per hoc quod dicit *Novam*, insinuatur impassibilitas; quia per amotionem vetustæ corruptionis et passibilitatis, fient impassibiles et novitatem habentes. Per hoc autem quod dicit, *descendentem de cælo*, plane notatur agilitas : sed per hoc quod subdit, *a Deo paratam*, datur intelligi subtilitas : quia sicut res grossitudinem habens parari dicitur cum subtiliatur, sic corpus a Deo specialiter præparabitur faciendo ipsum valde subtile, et quasi spirituale. Per illud autem quod subjungit. *Sicut sponsam ornatam viro suo*, Claritas demonstratur : quia sicut ornamentum reddit pulchrius corpus ; sic claritas reddet corpus glorificatum formosius. Sic igitur per hæc verba, septem dotes, ut patet, demonstrantur. De prima, dilectione videlicet plena, habetur Isaiæ XXXI, *Dixit Dominus cujus ignis est in Sion et caminus est in Jerusalem.* De secunda, scilicet de comprehensione perfecta, habetur ad Philipp. III, *Sequor autem si quo modo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.* De tertia, hoc est de visione manifesta, dicitur I Corinth. III, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* De quatuor aliis quæ spectant ad corpus dicit Apostolus I ad Corinth. XV, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione :* in quo notatur impassibilitas. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria :* in quo ostenditur claritas. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute :* in quo denotatur agilitas. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale :* in quo insinuatur subtilitas. *Et audivi vocem magnam.* Hic consequenter introducitur sanctorum patrum testificatio. Et ostenduntur duo, de quibus adducitur eorum testimonium ; quæ spectant specialiter ad beatitudinem sanctorum. Primum est jucunditas æternæ gloriæ. Secundum est amotio omnis pœnæ, ibi, *Et absterget Deus omnem lacrymam.* Circa primam partem ostenditur gloriæ jucunditas, *Et ipse Deus etc.* Dicit igitur, *Et audivi vocem*, hoc est annunciationem sive promissionem, *Magnam,* quia de secretis et magnis rebus loquitur, *De throno, dicentem*, per thronum enim sancti Patres, qui rectores sunt aliorum, et in quibus Deus præsidendo regnat, intelliguntur. De quo throno vox exire dicitur; quia promissio boni cœlestis, sive annunciatio de sanctis Patribus, usque ad nos venit. De hujusmodi Throno dicitur supra V, *Vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus et foris :* et in Psal. : *Et thronus ejus, sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in diebus suis lucet. Audivi* inquam, *vocem dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, hoc est humanitas Christi præsens est beatis in patria. Tabernaculum quippe Dei cum hominibus erit, quando se nobis, et nos sibi quantum ad humanita-

tem sociabit. Psal. *In sole posuit tabernaculum suum*: et supra XV: *Apertum est templum tabernaculi in cœlo*. Et quoniam illa cohabitatio non erit transitoria, sed æterna, ideo recte subdit, *Et habitabit cum eis*. Sicut æternaliter in eorum societate manebit. Zach. II, *Lauda et lætare filia Sion, quia ecce ego venio et habitabo in medio tui, dicit Dominus*. Hujus autem societatis vinculum manifestat adhuc cum subditur, *Et ipsi populus ejus erunt*, laudem ejus unanimiter concinendo. Psal. *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus*. *Et ipse Deus erit cum eis eorum Deus*. Per hoc innuitur jucunditas gloriæ quam habebunt ex præsentia divinitatis, quoniam divinitas se eis associabit, et eos sibi. Ezechiel. XXXIV: *Et scient quia ego Dominus eorum Deus cum eis, et ipsi populus meus, domus Israel, ait Dominus Deus*. Sed objicitur de hoc quod dicit: *Et ipse Deus erit cum eis*: quoniam ipse Deus nunc est cum suis in hoc mundo. Matth. ultimo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Quomodo ergo dicit, Ipse Deus erit cum eis? cum etiam modo sit cum eis in hac vita. Respondeo: licet Deus modo sit cum suis, nequaquam cum eis esse videtur: quia quamdiu in hac mortalitate vivunt, eum manifeste non conspiciunt; sed tunc vero cum eis esse apparebit, quando se glorificatis illis revelata facie manifestabit. Ad illud Matth. Respondeo, quod Christus promisit se esse cum ipsis omnibus diebus, eis auxilium et protectionem assidue impendendo, non autem se eis manifestando. *Et absterget Deus omnem lacrymam*. Hic consequenter ostenditur amotio omnis temporalis pœnæ seu miseriæ. Et primo ostenditur in generali. Secundo in speciali, ibi, *Et mors non erit ultra*. Dicit igitur: *Et absterget Deus omnem lacrymam*. Hoc est, omnem miseriam, seu pœnam, propter quam oritur omnis lacryma. Supra VII, *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, hoc est sanctorum; quia carebunt penitus in patria omni miseria seu pœna. Augustinus, ultimo lib. *de Civitate Dei*: « Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum! O quam dulcia sunt ista, et animum vehementer, si tamen illis intendat, ad se trahentia! Erubescere debet ergo fidelis quilibet, si in temporalibus appetat delectari, qui sibi tanta ac talia bona credit reservari. » Sequitur, *Et mors ultra non erit*, omnis mali amotio in speciali. Unde quadruplex malum pœnæ hic tangitur, ut patet. Quoniam omnis pœna temporalis, aut provenit dum anima separatur a corpore, aut dum est conjuncta corpori. Si primo modo, sic est mors; si secundo modo, hoc est dupliciter. Quoniam aut latet interius, et sic est dolor: aut apparet exterius, et hoc duobus modis: aut in verbo aut in signo. Si primo modo, sic est clamor; si secundo, sic est luctus. Dicit igitur, *Et mors ultra non erit*, quia nulla erit animæ et corporis separatio. Augustinus *de Civitate Dei* XX lib.: « Corpora ad incorruptionem atque immortalitatem novissime innovata ex veteri corruptione atque mortalitate transibunt. » *Neque luctus*, supple erit ultra. *Neque clamor*, quoniam nulla erit ibi inquietatio. Isaiæ LXV, *Exultabo in Jerusalem et gaudebo in populo meo, et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris*. *Neque dolor erit ultra*: quoniam omne gaudium erit in cordibus sanctorum. Isaiæ LI, *Gaudium et lætitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus*. Et subditur, *Quia prima abierunt*, hoc est, ista jam prædicta, quoniam peccato destructo ex quo proveniunt, penitus non erunt. Nota quod triplices sunt lacrymæ Deo acceptabiles et gratæ. Videlicet lacrymæ compunctionis. Psalm. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*. Sunt lacrymæ compassionis. Unde Jeremiæ IX, *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum; et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Sunt nihilominus lacrymæ devotionis. De quibus in Psal. *Fuerunt lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? Hæc recordatus sum et effudi in me animam meam*. Primæ lacrymæ sunt respectu sui. Secundæ respectu proximi. Tertiæ, respectu Dei. *Et dixit qui sedebat in throno*. Hic consequenter subditur at-

testatio divina de prædicta mundi innovatione, et sanctorum glorificatione. Et tanguntur tria specialiter in hac parte. Primo enim allicit auditorem, quantum ad vim rationabilem per veritatis expressionem. Secundo quantum ad vim concupiscibilem, per bonorum cœlestium promissionem, ibi, *Ego sitienti dabo etc.* Tertio quantum ad irascibilem, per damnationis malorum ostensionem, ibi, *Timidis autem.* Circa primam partem tria facit. Primo veritatem de innovatione specialiter insinuat. Secundo ad credulitatem ostensæ veritatis auditorem excitat, ibi, *Et dixit mihi, scribe.* Tertio ad majorem certitudinem, veritatem ostensam confirmat, ibi, *Et dixit mihi, factum est.* Dicit igitur : *Et dixit qui sedebat in throno*, Hoc est Deus qui regnat et quiescit in sanctis. Supra VII, *Qui sedet in throno habitat super illos*. Quid etiam dixerit, hoc est protestatus fuerit, declarat cum subdit, *Ecce nova facio omnia*, videlicet supra dicta, de quibus dictum est superius hoc eodem capitulo. *Vidi cœlum novum et terram novam.* Isaiæ XLIII. *Ecce ego facio nova, et nunc orientur.* Deinde excitat auditorem ad dictorum credulitatem cum subjungit : *Et dixit mihi : scribe.* Hoc est, in corde tuo repone quod dictum est, et etiam in scriptis redige ad aliorum utilitatem, ut qui viderint, legant, et legentes ad meliora proficiant. Supra I, *Scribe quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ fieri oportet post hæc. Quia hæc verba fidelissima sunt et vera :* quasi dicat : dignum est ut scribas, quoniam supra dicta verba fidelissima sunt, idest apta ut eis fides adhibeatur. Et vera, quoniam verissime complebuntur. Matth. XXIV, *Cœlum et terra transibunt verba autem mea non præteribunt. Et dixit mihi, factum est.* Hoc est, completum est, quod complendum fuerat. Joannis XIX, *Consummatum est, Ego sum alpha et omega, principium et finis :* quasi dicat : certum est, quod ego faciam nova omnia sicut dixi ; quoniam sicut omnia habent per me principium et originem : ita et per me habebunt consummationem. Unde *Glossa* : « Innovationem facere potero ; quia ego omnia creavi, et omnia in me consummabuntur. » Supra I : *Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus. Ego sitienti dabo etc.* Hic consequenter auditorem allicit, per bonorum cœlestium promissionem. Et per hoc ostenditur divinum testimonium de bonorum glorificatione. Dicit ergo, *Ego sitienti dabo, hoc* est desideranti. *De fonte aquæ vivæ gratis*, idest abundantiam æternæ beatitudinis. Isaiæ LV, *Omnes sitientes venite ad aquas.* Et supra VII, *Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Dicuntur etiam aquæ vivæ, quia felicitas gloriæ possessori suo tribuit jucunditatem interminabilis vitæ. Joannes IV, *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Dicit enim gratis se dare : quia nemo felicitatem æternam promeretur nisi ei prius ad promerendam gratia divina detur. Et quoniam ad efficax desiderium æternorum, sequitur perseverantia, ideo subdit : *Qui vicerit,* videlicet hostem antiquum, mundum et carnis vitium. *Possidebit hæc*, hoc est pertinget ad bravium cœleste. Supra III, *Qui vicerit dabo, ei sedere mecum in throno meo. Et ero illi Deus.* Quemadmodum expositum est supra. *Et ipse erit mihi in Filium*. Galat. III, *Omnes enim vos filii Dei estis, per fidem in Christo Jesu.* O quam grandia sunt ista cœlestium bonorum promissa! exuperant omnem sensum, dulciora sunt super mel et favum. *Timidi autem.* Hic postmodum allicit audientem, per damnationis reproborum ostensionem, ne se vitiis et peccatis involvat, sed continue bonis operibus insistat, et ne mali sceleribus obvoluti ad cœlestem gloriam pervenire credant, vel falsis orationibus quas plerumque fundunt, vel eleemosynis, quas aliquando Ecclesiæ vel pauperibus tribuunt, nisi a se vitia penitus expellant. Et in hoc loco octo differentiæ perversorum hominum numerantur ; ut per hujusmodi numerum justis, qui octo beatitudinibus dicabuntur, ipsi prorsus alieni et exortes ostendantur. Et hujusmodi differentiarum numerus et sufficientia sic habetur. Quoniam perversitas in homine, aut est quantum ad actus interiores, aut quantum ad actus exte-

riores. Si quantum ad interiores, hoc dupliciter. Aut per ordinationem affectus respectu agendorum. Aut per ordinationem intellectus respectu credendorum. Si primo modo; sic sunt timidi: si secundo modo; sic sunt increduli. Perversitas quantum ad actus exteriores est triplex. Aut per inordinationem ad proximum. Aut ad se ipsum. Aut ad Deum. Si per inordinationem ad proximum; hoc potest esse duobus modis. Aut quia est contra salutem vitæ naturæ. Aut contra salutem vitæ gratiæ. Si primo modo, sic sunt homicidæ, sive hostes humanæ naturæ. Si secundo modo, sic sunt excommunicati, quia sunt hostes gratiæ. Excommunicati dicuntur, quia extra communionem bonorum positi. Si sit perversitas per inordinationem ad seipsum; sic sunt fornicatores. Si per inordinationem ad Deum, hoc est tripliciter. Aut quia contra divinam bonitatem; et sic sunt venefici, idest malorum persuasores. Aut contra majestatem, et sic sunt idololatræ. Aut contra veritatem, et sic sunt mendaces. Dicit igitur: *Timidis autem*, idest illi qui timore mundano ducti, veritatis opera dimittunt vel fidem acceptam relinquunt, *Pars erit in stagno ardenti igne et sulphure*. Job VI, *Qui timent pruinam, irruet super eos nix*. *Et incredulis*, qui bona futura minime credunt. Pars similiter erit etc. Hebr. XI, *Sine fide impossibile est quemquam placere Deo*. *Execratis*. Hoc est excommunicatis, qui secundum ecclesiasticam consuetudinem manifeste pro suis sceleribus excommunicantur, pars erit, supple etc. II Cor VI, *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? Et homicidis*, qui vel voluntatis pravitate, vel sermonis persuasione, vel operis perpetratione hominem occidunt, pars erit etc. Exod. XXIII, *Innocentem et justum non occides*. *Et fornicatoribus*, qui carnis illecebris, vel hujusmodi delectationibus sæculi illicite se subjiciunt. Galat. V, *Manifesta sunt opera carnis; quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia etc*. *Et veneficis*, illis videlicet qui venenum malitiæ verbo vel exemplo crudeliter infundunt. *Et idololatris*, qui relicto divinæ majestatis cultu per idololatriam se dæmonibus subdunt. Infra ultimo, *Foris canes et venefici, impudici et homicidæ et idolis servientes*. *Et omnibus mendacibus*, qui scilicet relicta veritate proximum suum fraudulenter decipiunt. Psalm. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Istis igitur omnibus supradictis pars erit in stagno ardenti igni et sulphure. Et per hoc ostenditur duplex pœna malorum. Ignis videlicet inextinguibilis et fœtor intolerabilis. Psalm.: *Ignis, sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum*. *Quod est mors secunda*. Morte secunda moriuntur damnati, quia primo mortui fuerunt morte culpæ, sed secundo moriuntur morte gehennæ. Unde in Psalm.: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*. *Et venit unus de septem Angelis*. Descripta superius sanctorum glorificatione, sub nomine civitatis sanctæ, hic consequenter agitur de speciali ejus ostensione, facta Beato Joanni Evangelistæ. Et hæc pars duplicem habet partem. Primo ponitur ostensionis ejus promissio. Secundo subditur ipsa ostensio, ibi, *Et sustulit me in spiritu*. Circa primam partem, Primo describitur persona promittens. Secundo ponitur promissio sequens, ibi, *Et locutus est mecum dicens*. Dicit igitur: *Et venit unus ex septem Angelis*, idest unus ordo prædicatorum unanimis in fide et ministerio prædicationis. De istis septem Angelis habetur supra XV, *Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo*. *Habentibus septem phialas*. Hoc est perfectam scientiam. *Plenas septem plagis novissimis*: continentes scilicet comminationes pœnarum infernalium. *Et locutus est mecum: Veni, ostendam tibi uxorem Agni*. Locutus est inquam, mecum per internam inspirationem. Veni, scilicet per præparatam intelligentiam. Et ostendam tibi uxorem Agni, hoc est sanctam Ecclesiam. Simile habetur supra XVII, *Et venit unus de septem Angelis qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*. Sed modo quæri potest, cum Beatus Joannes superius dixerit se vidisse uxorem Agni, quomodo promittat Angelus se eam ostensurum ei? Respondeo, quod supra viderat

magna de sanctorum glorificatione; sed adhuc majora valde visurus erat : quoniam multa alia gloriosa sacramenta illius societatis sanctorum : unde parva existimanda erant ea quæ viderat respectu eorum quæ visurus erat; et ideo dicit : *Veni ostendam tibi sponsam uxorem Agni :* quasi dicat : magna quidem sunt quæ de future sanctorum statu vidisti; sed eleva et dilata mentem, quia de eodem statu ipsorum visurus es multa mirabilia quæ non vidisti. Ipsa vero sancta mater Ecclesia et sponsa et uxor pariter dicitur : Sponsa, quia cœlesti sponso, Christo videlicet, spirituali dilectione copulatur. Joan III, *Qui habet sponsam sponsus est.* Uxor dicitur : quia per Christi gratiam, ad multorum filiorum procreationem fecundatur. Isa. XLIX, *Dices in corde tuo, quis genuit mihi istos? Et sustulit me in spiritu,* hoc est elevavit me multo sublimius quam fueram prius. *In montem magnum et altum,* quia magna erant et alta quæ mihi ostensurus erat. Isa. XL, *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion. Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem :* ostendit scilicet excellentius quam prius videram. *Civitatem sanctam,* idest sanctorum gloriosam societatem fruentium æterna pace. *Descendentem de cœlo.* Hic ponitur civitatis ostensæ descriptio. Et primo describitur quantum ad dignitatem. Secundo quantum ad pulchritudinem, ibi, *Habentem claritatem,* Et ibi primo ostenditur ipsius pulchritudo. Secundo pulchritudinis magnitudo, ibi : *Lumen ejus simile.* Dicit igitur : *Descendentem de cœlo :* in quo insinuatur, quod quicquid habet boni sancta Ecclesia, cognoscit se accepisse a divina gratia. Simile habetur supra hoc eodem capitulo. *Vidi civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cœlo a Deo. Habentem claritatem Dei :* quoniam non a se claritatem habebit quam in cœlesti beatitudine possidebit, sed a Deo. Quemadmodum ferrum dum in igne mittitur, ab igne coloratur et ipsius speciem sumit, et a se non habet quod accipit : Ita sancta mater Ecclesia claritatem habebit in patria æternæ divinitatis luminosis radiis illustrata. Tob. XIII, *Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te :* loquitur de civitate sancta Jerusalem. Hugo de Sancto Victore : « Æstimet qui potest quanta quamque jucunda concors ac indissolubilis erit creaturæ humanæ creatorisque unita conjunctio : ubi claritas quam creator habet per plenitudinem, creaturæ dabitur per plenitudinis participationem. » Hujus claritatis magnitudinem exprimit, cum dicit : *Lumen ejus simile lapidi pretioso.* Lapis quidem pretiosus Christus recte dicitur : quoniam indissolubilis immortalitate. De hujusmodi lapide habetur Daniel. III, *Abscissus est lapis de monte sine manibus.* Et in Psalm. : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes.* Est etiam pretiosus, quoniam virtutum pulchritudine et plenitudine decoratus. Psalm. : *Speciosus forma præ filiis hominum.* Lumen ergo supernæ civitatis describitur esse simile lapidi pretioso, quia sanctorum universitas in futuro sæculo claritate divinitatis irradiatia assimilabitur Christo. Unde I Joan. III, *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Sequiiur : *Tamquam lapidi jaspidi, sicut crystallum.* Jaspis enim viret, sed crystallum claret : unde Christus et crystallus dicitur et jaspis. Jaspis quoniam immarcescibili virore virtutum viruit : unde Isa. XI, *Requiescit super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et replebit eum spiritus timoris Domini.* Crystallus etiam dicitur, quoniam ex mortuis resurgens gloria immortalitatis clarus effulsit. Joan XIII, *Nunc clarificatus est filius hominis, et Deus clarificatus est in eo.* Et parum post sequitur : *Deus clarificavit eum in semetipso, et continuo clarificabit eum.* Sanctæ igitur civitatis lumen, simile erit lapidi pretioso, idest Christo, et tamquam lapidi jaspidi sicut crystallum, quoniam in cœlesti patria cum Christo nitebit bono immarcescibilis æternitatis et fulgebit dono indissolubilis immortalitatis. Sap. III, *Fulgebunt justi et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Et habebat murum magnum et altum.* Hic consequenter describit statum sanctæ civitatis in speciali. Unde primo describit statum ejus

quantum ad partes suas, et quantum ad se totam. Secundo manifestat nobilitatem ejus et gloriam. Ibi, *Et templum non vidi in ea*. Circa primum primo ponit partium civitatis solam descriptionem. Secundo ostendit partium et totius simul commensurationem. Ibi, *Et qui loquebatur mecum*. Tertio declarat eorum pretiositatem, ibi : *Et erat structura muri ejus*. Circa partem primam. Primo ponitur muri civitatis et portarum descriptio. Secundo insinuatur portarum tantum debita dispositio. Ibi, *Ab oriente portæ tres*. Tertio ostenditur muri congrua situatio, ibi, *Et murus civitatis*. Et ibi : Primo ostendit Beatus Joannes multiplex fundamentum. Secundo fundamenti ornatum. Ibi, *Et in ipsis duodecim nomina*. Dicit igitur primo : *Et habebat murum magnum et altum*. Per murum convenienter Christus intelligitur, qui sanctam Jerusalem undique circumdat et protegit. De quo muro habetur Isa. xxvi, *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale*. Et Zachar. ii, *Ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus*. Iste etiam murus magnus et altus dicitur, quia Christus Dominus magnus est per incomprehensibilitatem immensitatis et interminationem æternitatis. Altus per exaltationem humanitatis et sublimitatem majestatis. Jerem. xxxii, *Fortissime et magne potestatis Dominus exercituum nomen tibi : magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu*. Sequitur : *Habens portas duodecim*. Per portas Apostoli sancti designantur, quia per eorum fidem et doctrinam sanctam civitatem intramus. Prov. xiv, *Jacebunt mali ante bonos, et impii ante portas justorum*. *Et in portis angeli duodecim*. Per angelos minores quosque et meritis excelsiores intelligimus : qui recte in portis esse dicuntur, quoniam in prædicatione et doctrina sanctorum Apostolorum colliguntur. In figura hujusmodi potest intelligi quod in Exodo dicitur xxvi, *Fecit sex tabulas et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro, quæ junctæ erant a deorsum usque sursum et in unam compaginem pariter ferebantur sibi. Fecit ex utraque parte per angulos* etc. In muro igitur dicuntur esse portæ duodecim, et in portis duodecim angeli, quoniam in prædicatione Christi collecti sunt duodecim Apostoli, et in eorum prædicatione minores et meritis excelsiores universi. Angelus enim exaltationem significat, et duodenarius numerus universitatem figurat. Sed ut Apostolos fidem gentis Israeliticæ atque justitiam in sua prædicatione atque doctrina commendasse patenter ostendat, ideo subdit : *Et nomina scripta quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel* : unde in portis, hoc est in sanctis Apostolis, nomina duodecim tribuum Israel scripta dicuntur, quoniam eorum fides et merita per ipsos Apostolos gloriosa fuisse in sacra pagina declarantur. Deinde sequitur : *Ab oriente portæ tres*. Per orientem justi qui fuerunt in principio mundi, intelliguntur. Per aquilonem designantur illi qui ex gentilitate quondam a bono frigidi ad calorem fidei sunt conversi. Per austrum Judæos justos antiquos calentes in fide salvatoris convenienter intelligere possumus ; per occasum illos qui in fine sæculi convertentur. Ab oriente igitur, et ab aquilone, et ab austro, et ab occasu portæ tres esse in civitate congrue demonstrantur : quia quicumque ex prædictis gentibus salvantur, per sanctæ Trinitatis fidem in quatuor mundi partibus apostolica prædicatione divulgatam justificantur. Aliunde vero nullus introitum habere potuit nec poterit, nisi videlicet per fidem sanctæ Trinitatis. Hebr. xi, *Sine fide autem impossibile est* quemquam *placere Deo*. Et quoniam salvator noster ex Patriarchis originem traxit, ideo sequitur : *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim*. Murus quippe civitatis fundamenta duodecim habere dicitur, quia Christus ex genere Patriarcharum carnem assumpsit. De hujusmodi fundamentis dicitur in Psalm. *Fundamenta ejus in montibus sanctis* etc. Sequitur : *Et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum et Agni*. Nomina vero duodecim tribuum in Apostolis et nomina duodecim Apostolorum in Patriarchis duodecim scripta leguntur. Quoniam Apostoli fidem patrum de redemptione generis humani completam prædicaverunt, et sancti Patres per

Apostolos prædicandam fideliter crediderunt. De hujusmodi nominum scriptione habetur Luc. x, ubi dicitur : *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Et notandum quod nomen Agni in fundamentis, hoc est in Patriarchis, et non in portis, idest in Apostolis legitur esse scriptum : quoniam ipsis manifeste fuit exhibitum : sed antiquis patribus qui diu expectaverunt, erat exhibendum. *Et qui loquebatur mecum etc.* Posita superius partium civitatis tantum descriptione, hic consequenter agitur de partium et totius simul commensuratione. Et primo describit mensurantem, et etiam mensuram. Secundo declarat civitatis figuram, ibi. *Et civitas in quadro posita.* Tertio ostendit mensurationem ab Angelo factam, *Et mensus est civitatem.* Dicit igitur : *Et qui loquebatur mecum*, scilicet Angelus : de quo supra hoc eodem capitulo, *Et venit unus de septem Angelis*, habentibus septem phialas plenam septem plagis novissimis, et locutus est mecum. Superius vidit civitatem munitam et ornatam : hic edocetur ut attendat quod alii ab aliis in santa civitate meritis differunt. Et diligenter considerandum est quod multa quæ in descriptione sanctæ civitatis ponuntur, magis ad sanctorum præsentia merita, quam ad futura præmia spectare dignoscuntur ; licet intentio Beati Joannis sit supernæ Jerusalem statum describere. Quædam tamen magnifica de meritis ipsius studet intimare. Unde per Angelum qui cum Beato Joanne loquebatur, cœtus sanctorum doctorum, sive prædicatorum intelligitur, sicut supradictum est. *Et habebat mensuram arundineam.* Per mensuram meritorum differentia designatur. Ezechiel. xi, *Calamus mensuræ in manu ejus.* Per arundinem auream intelligitur sacra Scriptura ; quæ convenienter arundo dicitur, propter sonum prædicationis. Psalm. : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Et dicitur *Aurea*, propter fulgorem divinæ cognitionis, qui, inquam, fulgor illustrat corda fidelium. Psalm. : *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.* Angelus ergo arundinem habebat auream, hoc est sacram Scripturam compositam et fulgidam ad erudiendam plebem dominicam. Isaiæ xxx, *Erunt aures tuæ audientes vocem post tergum monentis : hæc est via ; ambulate in ea. Habebat*, inquam, *arundinem auream*, *Ut metiretur civitatem et portas ejus et murum.* Per civitatem quæ non exprimitur nomine speciali, plebs inferior intelligitur. Portæ quidem, ut superius dictum est, dicuntur Apostoli, per quorum doctrinam alii ingrediuntur ad unitatem fidei : per murum Christus intelligitur, qui undique suos munit et totaliter defendit. Angelus ergo metiri dicitur civitatem, quia sagacitas sanctorum prædicatorum secundum capacitatem audientium temperat prædicationis stilum. Unde I Corinth. iii, *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam.* Et secundo capite dicitur ibidem : *sapientiam loquimur inter perfectos.* Portas etiam metitur dum doctrinam apostolicam introitum esse cœlestis evidenter protestatur. Proverbiorum viii, *Doctrinam magis quam aurum eligite.* Metitur etiam murum, hoc est Christum, scilicet dum ipsum prædicat esse Deum et hominem verum. *Et civitas in quadro est.* Hic ostenditur civitatis sanctæ figuratio : unde in quadro dicitur esse sancta civitas, quoniam quatuor sunt ejus latera : scilicet fides, spes, caritas, et operatio. Unde dicit Hugo : « Quantum quisque credit tantum sperat ; quantum sperat, tantum diligit ; quantum diligit tantum operatur. » In quadro igitur civitas posita est : quia robusta fide, longanimis spe, ampla caritate, efficax opere. Vel quadrum civitatis sunt quatuor principales virtutes in homine : prudentia scilicet, temperantia, fortitudo, justitia ; quæ æquales debent esse in homine, nec alia aliam debet excedere. *Longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo :* quia quantum credit tantum amat ; et in hoc ostenditur quadrationis expositio. *Et mensus est civitatem de arundine, per stadia duodecim millia.* Hic ostenditur mensuratio ab Angelo facta. Et primo ostenditur mensuratio civitatis totius. Secundo mensuratio murum illius, ibi, *Et mensus est muros ejus.* Stadium est longitudo itineris in quo curritur ut bravium acquiratur. Unde I Corinthiorum ix, *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes qui-*

dum mensurat, sed nunc accipit hominum? Duodenarius enim numerus, duodecim Apostolorum doctrinam significat, et millenarius doctrinam figurat. Unde Angelus, idest cœtus prædicatorum, de aurea arundine per stadia duodecim millia metitur; quia prædicatorum auctoritas etiam minores ad bravium supernæ remunerationis currentes Apostolicam doctrinam perfecte secundum vires suas consummare attestatur. Sed quoniam superius de altitudine ejus nihil dixit, ideo longitudinem et altitudinem ejus repetens, etiam altitudinem describit dicens. *Longitudo et altitudo et latitudo ejus æqualia sunt.* Per longitudinem fides intelligitur, per altitudinem spes, per latitudinem caritas. Unde in Psal.: *Latum mandatum tuum nimis.* Et hæ tres virtutes æquales dicuntur, quia quantum quisque credit, tantum sperat, et quantum sperat, tantum diligit. Nec mirandum si spes per altitudinem hic figuretur, cum superius pro uno civitatis latere ponatur, quoniam una et eadem res in sacro eloquio multis intellectibus frequenter deservit. Sequitur, *Et mensus est muros ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis quæ est Angeli.* Superius dixit murum, et hic dicit muros, et bene; quia civitas sancta et habet murum, hoc est principalem defensorem habet Christum: habet etiam muros; quia defensores habet alios, doctores scilicet et rectores Ecclesiasticos. Psal.: *Benigne fac in bona voluntate tua Sion etc.* Ipsorum mensura perfecte declaratur cum dicitur, *Et mensus est etc.* Centenarius enim numerus perfectionem signat; quadragenarius, qui ex quater decem consurgit, completionem quatuor Evangeliorum et decalogi demonstrat. Quaternarius vero quatuor virtutum principalium exercitationem. Cubitus, qui est in brachio, designat operationem. Muri ergo Jerusalem centum quadragintaquatuor cubitos dicuntur habere, quia sanctæ Ecclesiæ defensores implent quatuor Evangeliorum mandata atque decalogum cum exercitatione quatuor principalium virtutum. Et hæc est hominis mensura; quoniam hæc est hominis justitia: unde per eam homo in se justificatur et per eam Angelo socialiter coæquatur: et ideo subditur, Mensura hominis, quæ est Angeli. Hæc est justitia quam habet homo; quæ convenienter dicitur esse Angeli; quia per ipsam, homo reparatus in hoc mundo Angelo sociatur, et socialiter coæquatur, et assimilatur in cœlo. Unde Marci XII, *Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut Angeli in cœlis. Et erat structura muri ejus etc.* Superius ostendit beatus Joannes partium sanctæ civitatis et totius simul commensurationem: hic consequenter declarat eorum pretiositatem fundamentorum, ibi, *Fundamenta muri etc.* Tertio pretiositatem portarum, ibi, *Et duodecim portæ.* Quarto pretiositatem platearum ibi, *Et plateæ civitatis.* Dicit igitur, *Et erat structura muri ejus*, ita viderat civitatem et murum ejus sive muros, portas, et fundamenta, et hæc omnia inter se differre: hic ostendit quam pretiosus sit murus, quam pretiosa civitas, quam pretiosa fundamenta, quam pretiosæ portæ; ideo dicit primo. *Et erat structura muri ejus*, idest conjunctio verbi et hominis assumpti, *Ex lapide.* Dicitur enim esse ex lapide, qui firmiter et indissolubiliter permanet in unitate personæ. De hujusmodi lapide dicitur Lucæ IX, *Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur, super quem autem ceciderit, comminuet illum.* Nec dicitur esse ex quocumque lapide, sed ex *Jaspide*, qui semper virorem æternitatis habet: nobis virorem æternitatis immarcescibilem repromittitur Ezechielis trigesimo tertio capite, ubi dicitur: In montibus excelsis Israel erunt pascua eorum, ibi requiescent in herbis virentibus. *Ipsa vero civitas aurum mundum*, idest rutilans, sicut aurum mundum fulgore divinæ cognitionis. I Corinth. XIII, *Nunc cognosco ex parte: tunc cognoscam sicut et cognitus sum. Simile vitro mundo*, quoniam lucet sicut vitrum mundum puritate confessionis. Vitrum enim nullas in se sordes celat. Sic sancta electorum simplicitas sua peccata pure per confessionem revelat. Unde dicitur Jacobi cap. V, *Confitemini alterutrum peccata vestra. Fundamenta muri ejus*, hic ostendit pretiositatem fundamentorum. Et primo in generali. Secundo in

speciali, ibi, *Fundamentum primum*. Dicit igitur, *Fundamenta muri*, hoc est duodecim Patriarchæ, vel alii sancti veteris Testamenti, qui per duodecim Patriarchas intelliguntur; qui vere omni lapide pretioso ornati sunt, quoniam omni genere virtutum firmiter effulserunt. Ipsi ergo fundamenta muri et etiam lapides pretiosi dicuntur, quoniam Christus qui est murus Ecclesiæ, ex eorum genere sumpsit carnem, et ipsi claruerunt per multiplicem virtutum fulgorem. Psal. : *Fundamenta ejus in montibus sanctis*. Virtutes quidem eorum per ordinem sub figura pretiosorum lapidum consequenter describit, et pretiositatem earum singulariter ostendit. Et ideo dicit, *Fundamentum primum jaspis* : hoc est in fundamento, primus est Jaspis. Jaspis enim, quia viret, fidem signat, quæ est principium et origo omnium virtutum. Hebræor. XI, *Est autem fides sperandarum substantia rerum*, *Secundus sapphyrus*, Sapphyrus enim cœlo sereno similis est, et significat cœlestium bonorum spem : ideo ponitur secundus ; quoniam spes secundum locum tenet post fidem. Hebræor. VI, *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ securam ac firmam, et incendentem usque ad interiora velaminis; ubi præcursor pro nobis introivit Jesus. Tertium chalcedonius*. Chalcedonius vero lucet quasi pallens ignis lucernæ ; et significat caritatem quæ in abscondito bona agit ; sed cum aliis prodesse potest, mox apparet quid fulgoris intus habet. Ponitur autem chalcedonius tertio loco, quoniam caritas tertio loco post fidem et spem ordinatnr. I Corinth. XIII, *Nunc autem manet fides, spes, caritas, tria hæc; major autem horum est caritas. Quartum smaragdus*. Smaragdus nimiæ viriditatis est, et invenitur super herbas et frondes in frigore Scythiæ : significat enim fortitudinem, quæ necessaria est in adversis : et ideo quarto loco ponitur ; quia qui fidem et spem et caritatem habet, necesse est ut sit fortis in sustinendo adversa. Tob. V, *Forti animo esto; in proximo est ut a Deo cureris. Quintum sardonyx*. Sardonyx niger est inferius, unde significat humilitatem : et ponitur quinto loco ; quia congruum est ut qui fortis est in tribulationibus, non inde superbiat, sed magis humiliter se subjiciat. Ecclesiastici III, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Sextum sardius*. Sardius sanguinei coloris est ; et signat martyrii passionem ; et ponitur sexto loco ; quoniam qui prædictas virtutes habet, promptus debet esse animo ad sustinendum martyrium pro Christo. Ideo diritur Act. XXI, de beato Paulo : *Ego autem non solum alligari in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu. Septimum chrysolithus*. Chrysolithus vero scintillas quasi ardentes emittit, unde claritatem miraculorum exprimit : et congrue septimo loco ponitur ; quia qui tot habet bona, et mori pro Christo paratus est, virtute miraculorum nonnumquam clarificatur. Act. VI, *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat signa et prodigia magna in populo. Octavum beryllus*. Hujusmodi lapis urit manum tenentis se ; et per hoc designatur, quod qui talis ac tantus est, eos qui sibi conjunguntur, per sui conversationem ad justitiam accendit. Matth. V, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nonum topazius*. Iste lapis aurei et ætherei coloris est ; unde signat contemplationem cœlestium bonorum : et nono loco merito ponitur ; quia qui supradictis bonis decoratur, ad cœlestia bona contemplanda sublimiter elevatur. Matth. V, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Decimum chrysopassus*. Chrysopassus est viridis et aureæ mixturæ ; et signat desiderium virentis æternitatis et cœlestis gloriæ : et bene decimo loco ponitur ; quia justus postquam æterna gaudia per altam contemplationem conspicit, ad ea possidenda totis desideriis inardescit. Philipp. I, *Desiderium habens dissolvi et cum Christo esse. Undecimum hyacinthus*. Hyacinthus enim cum aere mutatur ; in sereno perspicuus, in nubilo marcescit : unde per ipsum virtus supernæ condescensionis figuratur. Et ideo undecimo loco ponitur ; quia quicumque contemplare æternitatis desideriis flagrat, misericordiæ

et compassionis visceribus flagrat. Job xxx: *Flebam quondam super eo qui afflictus erat, et compatiebatur anima mea pauperi.* *Duodecimum amethystus*, qui purpureum habet colorem, et ideo designat regiam dignitatem: unde in duodecimo loco congrue ponitur, quia qui supradictis bonis enituerit, potenter seipsum et alios regere novit. Tit. II, *In omnibus praebe te ipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.* Bene igitur supradicti lapides hujusmodi ordine disponuntur: quia sanctorum virtutes per eos designatae, secundum ordinem, sicut ostensum est, apte connectuntur. *Et duodecim portae, duodecim margaritae sunt per singulas.* Hic ostendit portarum pretiositatem: unde per portas, sicut dictum est supra, designantur Apostoli; quia per eorum doctrinam habemus ingressum ad gloriam caelestis regni. Dicuntur etiam per singulas portas esse, margaritae, quia per duodecim Apostolorum doctrinam salvantur fideles animae, quae sunt per fidem firmae, et per justitiam lucidae: ideo convenienter dicit: Et duodecim portae duodecim margaritae per singulas; hoc est in unaquaque porta duodecim sunt margaritae: quoniam ex quatuor mundi partibus, ad fidem sanctae Trinitatis per duodecim Apostolorum doctrinam et praedicationem, imitatores eorum in fide et justitia sunt collecti. Jeremiae XVI, *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, et piscabuntur eos.* Unde Matth. IV, dicitur ad Petrum et ad Andream fratrem ejus: *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. Et singulae portae erant ex singulis margaritis.* Ex singulis quidem margaritis singulae portae dicuntur esse, quia sancti Apostoli et in semetipsis fide firmi extiterunt, et splendore justitiae quantum ad alios claruerunt: unde non solum in se fulgebant per propriam virtutem, sed etiam in suis sequacibus fulgent, per ejusdem virtutis imitationem. Ideo dicebat Apostolus ad Philipp. III, *Imitatores mei estote, fratres.* Sequitur, *Et plateae civitatis aurum mundum.* Plateae enim civitatis sunt sancti inferiores, laxius rebus mundanis utentes, et subjecti majoribus propter virtutem obedientiae: ideo dicitur, I Petri II, *Subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi, quasi praecellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis.* Aurum etiam sunt per flammam internae caritatis, adimplentes illud quod ad Romanos XII, dicitur: *Spiritu ferventes, Domino servientes.* Tob. XIII, *Auro mundo omnes plateae ejus sternentur. Tanquam vitrum perlucidum.* Dicuntur etiam vitrum perlucidum, propter manifestae confessionis puritatem. Psalm.: *Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Cum ergo tanta sit minorum et inferiorum speciositas, quis aestimare poterit majorum et superiorum pulchritudinem? *Et templum non vidi in ea etc.* Postquam in parte praecedenti descripsit Beatus Joannes statum sanctae civitatis quantum ad partes suas, et quantum ad se totam: consequenter describit in hoc loco nobilitatem ejus et gloriam. Unde primo ostendit eam esse gloriosam et nobilem, ratione templi sanctissimi quo sanctificatur. Secundo ratione claritatis immensae, qua illuminatur, ibi, *Et civitas non eget sole.* Tertio ratione habitatorum nobilium, quibus honorificatur, ibi: *Et ambulabunt gentes.* Quarto ratione securitatis magnae qua jucundatur, ibi, *Et portae ejus non claudentur.* Quinto ratione amotionis omnis immunditiae, quoniam omni munditia decoratur: et hoc notatur ibi, cum dicit: *Non intrabit in eam etc.* Dicit igitur primo: *Et templum non vidi in ea*, quia locus orationis et oblationis, qui necessarius est in via, non erit in patria. Unde Isa. LXV, *Antequam clament, ego exaudiam.* Et Joan. XVI, *In illo die me non interrogabitis quicquam.* Ratio quare non erit ibi templum materiale, hoc est locus orationis, subditur cum dicitur: *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus*, idest omnimoda sanctificatio et totius petitionis exhibitio. Psalm.: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Et notandum, quod ubique fere cum divinitate humanitatem nomine Agni commemorat, ut utramque naturam homo diligat, et utrique gratias referat. Deinde ostenditur supernae civitatis nobilitas, ratione claritatis immensae qua il-

luminatur ; ideo dicitur : *Et civitas non eget sole neque luna.* Non eget, idest non egebit, sole neque luna ad litteram. *Ut luceant in ea*, videlicet ad illuminandum eam : unde Isa. LX, *Non erit ibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te ; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam.* Et subdit rationem, quare non egebit. *Nam claritas Dei illuminabit eam :* claritas scilicet gloriosæ divinitatis. *Et lucerna ejus Agnus est :* hoc est humanitas continens ipsam divinitatem : unde luminaria hujusmodi non erunt ibi necessaria : verumtamen lucebunt multo clarius quam modo, ad laudem et gloriam ejus qui talia potuit creare et creata in meliorem statum reformare. Ideo dicitur Isa. XXX : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die qua alligabit Dominus vulnus populi sui.* Postmodum insinuatur dictæ civitatis nobilitas, ratione habitantium in ea, cum dicit : *Et ambulabunt gentes in lumine ejus.* Per gentes intelliguntur subditi qui in lumine ejus ambulabunt ; quoniam electi, qui nunc propter amorem cœlestis patriæ majoribus subjiciuntur, tunc in æterna ipsius claritate, libere gaudebunt. Unde in Psalm. : *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Et non solummodo gentes, idest subditi in lumine sanctæ civitatis ambulabunt ; imo etiam *Reges*, hoc est prælati qui non tantum seipsos, sed alios regunt. *Afferent gloriam suam et honorem in illam*, ad similitudinem victorum qui spolia sua in urbes suas apportant. *Afferent* inquam, *gloriam*, hoc est suam bonam conscientiam, per quam erunt gloriosi : *et afferent* inquam, *honorem in illam*, honorem scilicet a subditis exhibitum sibi, juxta illud Psalm. *Afferte Domino gloriam et honorem etc.* Ista quidem afferent in illam quando in resurrectione universali cum sibi commissis habitationem ingredientur supernam. Isa. LX, *Gloria Libani ad te veniet, abies et buxus et pinus simul ad ornandum locum sanctificationis meæ.* His igitur et aliis bonis innumeris ditabitur civitas sancta cœlestis ; quoniam ad illius pulchritudinem et ornatum transferetur totum quod nunc unusquisque justus operatur. Consequenter ostenditur ipsius securitas immensa, cum subdit, *Et portæ ejus non claudentur per diem. Glossa*, omnis timor auferetur. Hic clauduntur portæ civitatis Jerusalem, hoc est militantis Ecclesiæ : ut quando prædicatio juste subtrahitur, vel aliqui pro culpa sua ab introitu Ecclesiæ arceantur : et hoc nullatenus erit ibi. Unde Isa. LXIX, *Aperientur portæ tuæ jugiter, die ac nocte non claudentur.* Rationem vero quare non dixit hic, Non claudentur per noctem, subdit dicens : *Nox enim non erit illic*, ad litteram, quia lucebit æternaliter ibi fulgor immensus divinitatis. Isa. LX, *Non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Vel secundum spiritualem intelligentiam, *Nox non erit illic*, hoc est neque culpa aliqua neque pœna. Dicit Hugo : « O quam clara, quam solemnis erit dies illa quam faciet Dominus ! dies illa nostri doloris terminus. » *Et afferent gloriam et honorem gentium in illam.* Per hoc insinuat latius illud bonum inæstimabile quod erit ibi ; quoniam supradicti reges, idest prælati, afferent gloriam gentium in illam, idest ipsas gentes testimonio bonæ conscientiæ interius gloriosas. II Corinth I, *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Et afferent* inquam, *honorem gentium :* hoc est gentes honorandas exhibitione boni operis exterius. Hoc fiet quando finito mundi termino, boni et sancti prælati gentes modo sibi commissas inducent in cœlestis patriæ mansionem. Psalm.: *Afferentur tibi in lætitia et exultatione, adducentur in templum regis.* Sed quoniam sancti et mundi intrabunt ad beatitudinem, et immundi foris relinquentur ad damnationem, ideo describitur hic superna civitatis nobilitas, ratione totius munditiæ, cum subdit : *Nec intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Et primo ostenditur ejus munditia per carentiam omnium immundorum. Secundo per receptionem et continentiam sanctorum et mundorum, ibi, *Nisi qui scripti sunt.* Dicit igitur : *Nec introibit in illam aliquod coinquinatum :* coinquinatum scilicet per consensum interius in cogita-

tiam. *Faciens abominationem*, exterius, scilicet in operatione. *Et mendacium*, locutione. Isa. xxxv, *Non transibit per eam pollutus*. Et infra ultimo cap. *Foris canes et venefici et impudici, homicidæ et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium*. Modo enim in Ecclesia immundus cum mundo, malus cum bono, mendax cum veridico: tunc nequaquam intrabit: soli quidem intrabunt illi, qui modo recta sectando in munditia vivunt. Et ideo dicitur: *Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*. In libro siquidem vitæ illi soli scripti sunt secundum veritatem, qui per gratiam perveniunt ad gloriam cœlestem. Supra xiii, *Et adorabunt bestiam omnes qui inhabitant terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni*. Et liber vitæ Agni esse dicitur, quoddam bonum cœleste, quod divinitas conferendum justis prædestinavit, humanitas dispensabit: unde Luc. xii, *Et transiens ministrabit illis*.

CAPUT XXII.

Et ostendit mihi fluvium etc. Posita superius descriptione eorum quæ ad civitatem scilicet spectant, maxime quantum ad esse, hic ponitur consequenter eorum descriptio quæ ad eamdem pertinent, maxime quantum ad bene esse: unde in parte ista Primo ostendit supernæ civitatis amœnitatem. Secundo habitantium in ea gloriæ magnitudinem, ibi, *Et servi ejus servient illi*. Circa partem primam quatuor specialiter facit. Primo enim ostendit civitatem amœnam esse valde, propter aquæ meatum delectabilem. Secundo propter arboris vitæ fecunditatem, ibi, *Ex utraque parte fluminis*. Tertio propter mali carentiam et privationem ibi, *Et omne maledictum*. Quarto propter gloriam Dei inhabitantem, ibi, *Et sedes Dei et Agni*. Circa primum Primo describit aquæ fluentis pulchritudinem. Secundo locum meatus ejus et originem, ibi, *Procedentem de sede*. Dicit igitur: *Et ostendit mihi fluvium*. Angelus scilicet qui mecum loquebatur, de quo supra dictum est xxi, *Et venit ad me unus de septem Angelis habentibus septem phialas plenas septem plagis novissimis et locutus est mecum*. Angelus inquam ille, *ostendit mihi fluvium*, hoc est Spiritus sancti gratiam lætificantem civitatem sanctam. Psalm. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. De hoc etiam fluvio potest intelligi, quod in Genes. dicitur ii, *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum*. Et recte fluvio comparatur Spiritus sancti gratia, quia diversas generationes rigando, post unam in alteram fluit: et licet aliquando aliquibus subtrahatur, per aliquos tamen fluere numquam desinit. Psal. *Rigans montes de superioribus tuis*. Dicitur fluvius aquæ vivæ; aquæ videlicet quæ reficiunt contra sitim mundanæ cupiditatis. Joan. iv, *Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet iterum*. Refrigerat, contra ardorem carnalis voluptatis. Proverb, v, *Aqua frigida animæ sitienti*. Purgat, ab immunditia diabolicæ suggestionis. Numer. xix, *Qui aqua expiationis non est aspersus, immundus erit et manebit spurcitia ejus super eum*. Dicitur etiam aquæ vivæ, scilicet quia vivificat, quia numquam deficit, quia semper fluit. Joan. iv, *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Ostendit inquam, mihi fluvium, *Splendidum tamquam chrystallum*. Dicitur enim splendidum ad modum crystalli: quia in illis quos reficit interius et refrigerat, exterius in actione micat. Psal.: *Mittit crystallum suam sicut bucellas*. Fluvium inquam, *Procedentem de sede Dei et Agni*, Procedit enim divina gratia de sede Dei et Agni; quia a sanctis doctoribus et prælatis Ecclesiæ, in quibus Deus præsidendo regnat et alios juste gubernat, quotidie ministratur. I Petri iv, *Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei*. *In medio plateæ ejus*. Per plateas, ut dictum est superius, inferiores intelliguntur, qui rebus mundanis liberius uti possunt, et majoribus subditi sunt. Unde in medio plateæ civitatis procedit, hoc est, in communitate inferiorum sive minorum quantum est de se, et multo fortius in com-

munitate majorum. Matth. XVIII, *Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et ex utraque parte fluminis.* Hic ostenditur sancta civitas esse delectabilis, propter arboris vitæ fœcunditatem. Et primo describitur fructus illius copia. Secundo foliorum efficacia, ibi, *Et folia ligni.* Dicit ergo quantum ad primum : Et ex utraque parte fluminis, *Lignum vitæ :* lignum enim vitæ Christus dicitur; quia semetipsum in refectionem suis tribuit. Matth. XI, *Venite ad me omnes qui laboratis et operati estis, et ego reficiam vos.* Et est ex utraque parte fluminis; quia quamdiu sumus in hac vita, citra fluvium sumus; quia gratia desuper datur, per quam genus humanum justificatur. Qui autem glorificati sunt, ultra fluvium sunt : quia perfecti justificati non indigent amplius justificari : unde lignum vitæ, idest Christus, est hic per gratiam in suis : ibi vero per gloriam : hic vident eum sui per veram fidem : ibi videbunt per speciem. I Corinth. XIII, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Lignum* inquam, *Afferens fructus duodecim.* Per fructus duodecim duodenariam Apostolorum doctrinam intelligimus. Lignum vero vitæ ex utraque parte fluminis duodecim fructus afferre dicitur; quia Christus, qui per lignum vitæ intelligitur, omnibus electis et in via et in patria semetipsum in refectionem tribuit. Quam videlicet refectionem Apostolica turba in mundo prædicavit exhibitam esse ad justitiam, in cœlo exhibendam ad gloriam. Et ut Christum suos incessanter pascere cognoscamus, ideo recte subditur, *Per menses singulos reddens fructum suum.* Fructum enim suum per menses singulos reddit; quia suos continue, et in via et in patria pascit. In via per Corporis et Sanguinis participationem. In patria, per divinitatis et humanitatis suæ perpetuam contemplationem. De hujusmodi ligno habetur in Psal.: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum etc.* Sequitur, *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Per folia ligni, præcepta Christi designantur, quia protegunt et ornant sicut folia. Psal.: *Et folium ejus non defluet etc.* Sunt enim hujusmodi folia ad sanitatem gentium; quia si auxiliante gratia impleantur, justificationem animarum operantur : qui vero justificatur, spiritualiter sanatur. Ezechiel. XLVII, *Erunt fructus ejus in cibum et folia ejus ad medicinam.* Sed quoniam omne bonum tanto est perfectius quanto a malo est longius, ideo consequenter ostenditur civitas superna ab omni malo penitus esse libera, cum subdit : *Et omne maledictum non erit amplius :* quia neque culpa, neque pœna. Isaiæ XLVIII, *Non esurient neque sitient amplius, et non percutiet eos æstus et sol. Et sedes Dei et Agni in illa erunt,* hoc est individua Trinitas in illa gloriosa civitate regnabit, et etiam verbo conjuncta humanitas. Supra XXI, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis; et populus ejus erunt; et ipse Deus erit cum eis eorum Deus.* Psal.: *Paravit in cœlo sedem suam et regnabit. Et servi ejus.* Hic postmodum ostendit gloriæ habitantium in civitate cœlesti magnitudinem. Et primo ostenditur gloriæ eorum magnitudo, quantum ad divinam fruitionem. Secundo quantum ad omnis ignorantiæ amotionem, ibi, *Et vox ulterius non erit.* Tertio, quantum ad perfectam cognitionem, ibi, *Quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Dicit ergo : *Et servi ejus servient ei.* Servi ejus et omnes electi, servient ei, non timore vel formidine; sed perfecta et summa dilectione et securitate, laudem ejus vocibus amoris intimi decantando. Isaiæ LXV, *Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis.* Supra VII, *Hi sunt qui venerunt de tribulatione :* et sequitur : *Ideo sunt ante thronum ejus, et serviunt die ac nocte in templo ejus. Et videbunt faciem ejus,* hoc est præsentiam immediate sine ænigmate, immo manifeste et clare. I Joannis III, *Videbimus eum sicuti est.* Et notandum, quod Facies Dei dicitur tripliciter. Uno modo, dicitur præsentia ejus per naturam humanam. Psal.: *Ostende nobis faciem tuam, et salvi erimus.* Tertio modo dicitur præsentia ejus per gloriam, scilicet in propria forma. I Corinth. XIII, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Et nomen*

erit in frontibus eorum, hoc est in aperto, sicut aperte et manifeste eum confitebantur : supra iii : *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei*. *Et nox ultra non erit*, idest aliqua ignorantia, dixit Glossa. Roman. xiii, *Nox praecessit, dies autem appropinquavit ; abjiciamus etc.* *Et non egebunt lumine lucernæ neque solis*. Per lumen doctrina intelligitur qua intellectus illuminatur. Per lucernam vetus Testamentum. Per solem novum, vel per lucernam, potest intelligi quilibet doctor parvæ scientiæ ; per solem doctor habens excellentiam doctrinæ. Quasi dicat : non erit ibi necessaria doctrina veteris Testamenti vel novi, vel etiam doctrina alicujus doctoris, nec parvi nec magni. Jeremiæ xxxi, *Non docebit vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens, cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum eorum, ait Dominus*. Causa vero quare non egebunt doctrina, ostenditur cum dicit : *Quoniam Dominus Deus illuminabit illos*. Et per hoc insinuatur cognitio perfecta quam habebunt sancti in patria : Dominus enim illuminabit eos lumine perfectæ cognitionis ; et ideo non indigebunt alio doctore nec alia doctrina. Unde Joan. vi, *Et erunt omnes docibiles Dei*. *Et regnabunt in sæcula sæculorum*. *Regnabunt*, quia regnante Deo totaliter inhærebunt in sæcula consecutiva sæculorum. Supra xx, *Erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis*. Et Sapient. vi, *Diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis*. *Et dixit mihi : hæc verba fidelissima sunt*. Liber iste a principio divisus fuit in partes tres : In Exordium, Narrationem et Conclusionem. Terminatis duabus primis partibus, hic incipit pars tertia : et dividitur in partes tres. Primo enim beatus Joannes commendans doctrinam istam, confirmat eam auctoritate triplici. Secundo comminatur pœnas gravissimas eam pervertenti ibi, *Contestor enim omni*. Tertio bonum salutis optat cuilibet fideli, ibi, *Gratia Domini nostri Jesu Christi*. Pars prima tres habet partes. Primo enim confirmat doctrinam istam auctoritate Angeli loquentis mihi. Secundo auctoritate sui, ibi, *Et ego Joannes*. Tertio auctoritate Christi, ibi, *Ego Jesus misi Angelum meum*. Circa partem primam tria tanguntur. Primo quidem astruit Angelus supradictorum veritatem. Secundo Christi personam introducens, ostendit adventus ejus celeritatem, ibi, *Et ecce venio*. Tertio excitat omnes ad doctrinæ hujus observationem, ibi, *Beatus qui custodit*. Quantum ad primum dicit, *Et dixit mihi*, scilicet Angelus, qui mihi supradicta ostenderat, *Hæc verba fidelissima sunt et vera*. Fidelissima : quia quæcumque figuris et verbis ostensa sunt, fideliter implebuntur. Psal. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*. *Et vera* ; quia nullo modo poterunt cassari. Matth. xxv, *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Et supra xix, *Hæc verba Dei vera sunt*. Et quia fidelissima et vera et angelico ministerio declarata ; ideo cum omni fide suscipienda. Unde Angelus de semetipso dicit : *Et Dominus Deus spirituum prophetarum*, idest Dominus Deus qui dat spiritum prophetandi Prophetis. *Misit Angelum suum*, scilicet me, *Ostendere servis suis quæ oportet fieri cito*. Unde supra primo dicitur : *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis quæ oportet fieri cito : et significavit mittens per Angelum suum servo suo Joanni* : *misit* inquam, *Ostendere*, hoc est revelare. Unde Daniel. ii, *Vere Dominus noster Deus deorum est et Dominus regum revelans mysteria*. *Servis suis* ; idest electis. *Quæ oportet fieri cito*, idest in brevi. Isaiæ xlii, *Nova quoque annuntio ego, antequam oriantur audita vobis faciam*. Et quod cito consummanda et complenda sint cuncta quæ in hoc libro continentur, probat ; ipsum Christum introducendo loquentem, et festinationem sui adventus, quo cuncta complebuntur attestantem : ideo subdit, *Et ecce venio velociter* : quia videlicet non diu tardabit ea quæ in adventu ejus consummanda sunt adimplere : infra hoc eodem : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Consequenter excitat omnes ad doctrinæ hujus observationem, cum dicit : *Beatus qui custodit verba libri hujus*. Et valde

bene dicit, *Qui custodit;* quia nihil prodest ad cognitionem veritatis legendo vel audiendo pertingere, nisi addatur bene vivere. Ille quidem solus ad beatitudinem pervenit, qui non solum per memoriam, sed per vitam præcepta custodit. Lucæ x, *Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud.* Et Jacob. II, *Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit.* Prophetia igitur libri hujus omnibus modis est credenda; quoniam angelico ministerio revelata, angelica auctoritate commendata. Nec solummodo commendatur ab Angelo, verum etiam a Beati Joannis testimonio : unde sequitur : *Et ego Joannes qui audivi et vidi hæc.* Hic confirmat doctrinam istam auctoritate sui : et primo ponit testificationem suam, et etiam ostendit suam humiliationem, factam ab Angelo sibi, cum dicit : *Vide ne feceris.* Circa primum primo ponitur Joannis testificatio. Secundo ipsius humiliatio, ibi, *Et postquam audissem.* Dicit igitur, *Et ego Joannes qui audivi et vidi hæc*, scilicet supra prædicta : quasi dicat : non tantum Angelus, sed et ego Joannes magister vester : non quilibet hæreticus, ego vester amicus, non extraneus. *Ego inquam*, cum ipso Angelo, et post ipsum, commendo vobis hanc prophetiam, qui nihil falsum, nihil erroneum, soleo vobis commendare. Joan. ultimo. *Hic est discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus quoniam verum est testimonium ejus.* Sequitur, *Et postquam audissem*, verba scilicet prædicta, *Et vidissem*, tam mirabilem videlicet et incomparabilem beatæ civitatis decorem ac jucunditatem : supra XXI, *Ego Joannes vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo etc.* Cum ita audissem et vidissem, stupefactus præ admiratione, *Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli*, adoratione scilicet latriæ. *Angeli*, inquam, *Qui mihi hæc ostendebat*, hæc supradicta : unde supra XXI, *Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem etc.* Sed quæritur hic, cum beatus Joannes hoc idem facere voluerit, et ab Angelo prohibitus fuerit ut habetur supra XIX, quare iterum eum adorare voluit? Respondeo. Sanctus enim Joannes in hac ultima visione, multo sublimius elevatus fuit quam prius ad contemplandam cœlestem gloriam secundum futurum statum ejus ; et ideo præ stupore nimio et admiratione tantæ pulchritudinis, non fuit recordatus forsitan primæ prohibitionis. Vel etiam per hujusmodi iterationem innuit quantam venerationem prælatis nostris debemus exhibere, cum ipse Angelum cœlestia bona sibi demonstrantem etiam prohibitus voluerit adorare. Verumtamen ipse non propter se, sed propter Deum deberet velle sibi honorem hujusmodi exhiberi. Unde et bene Angelus dixit : *Deum adora;* quia tantum honorem sibi exhibitum, deberet attribuere Deo, nec deberet propter hoc in se extolli, sed magis humiliari. Deinde sequitur : *Et dixit mihi : vide ne feceris.* Hic ostendit beatus Joannes duplicem prohibitionem sibi factam ab Angelo. Et primo tangit prohibitionem respectu ejus quod facere volebat. Secundo respectu eorum quæ viderat et audiverat ibi, *Et dixit mihi : ne signaveris.* Circa primam partem primo ponitur prohibitio. Secundo consequens informatio, ibi, *Deum adora.* Dicit ergo quantum ad primum. *Et dixit mihi, vide ne feceris*, idest cave ne me adores. Hoc idem habetur supra XIX. Rationem autem quare hoc prohibet, subdit dicens : *Conservus tuus sum et fratrum tuorum*, quasi dicat : Ego et tu et fratres tui spirituales, scilicet justi, tamquam conservi unum Dominum habemus : et ideo nolo a te adorari, immo volo tecum unum Deum et Dominum adorare. Hoc etiam dicit Angelus, considerando naturam humanam supra se exaltatam : et ideo se dicit conservum justorum et non superiorem, et hac de causa non esse adorandum. Et quoniam duplex est fraternitas, carnalis scilicet per naturam, et spiritualis quæ est per gratiam, ideo insinuat de qua intendit loqui, cum dixit : *Prophetarum*, idest prædicatorum bonorum. Propheta aliquando accipitur pro prædicatore. Unde I Cor. XIV, Prophetæ autem duo vel tres dicant, et cæteri dijudicent. *Et eorum qui servant verba libri hujus*, idest minorum

prædicatoribus obedientium. Omnium itaque justorum tam majorum quam minorum se recognovit Angelus esse conservum : quia novit omnes eumdem habere Deum. Sed quare Angelus in veteri Testamento se ab homine adorari sustinet, non autem in novo? istud dictum fuit supra XIX, super verbum consimile. Postmodum subditur informatio facta ab Angelo, cum dixit : *Deum adora* : quasi dicat : nullum alium adorare debes, nisi solum Deum, adoratione scilicet latriæ. Matth. IV, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Et dixit mihi : ne signaveris verba prophetiæ.* Ostensa superius angelica prohibitione, respectu ejus quod beatus Joannes facere volebat : hic consequenter subditur Angelica prohibitio respectu eorum quæ viderat. Et primo ponitur angelica prohibitio. Secundo prophetica ejus prænunciatio, ibi, *Qui nocet, noceat adhuc*. Tertio loquens in persona Christi, ut mali timeant, et boni sibi caveant, ostendit iterum se venturum esse ad judicandum in proximo, ibi, *Venio cito*. Quarto per ipsum declaratur bonorum beatitudo et malorum damnatio, ibi, *Beati qui lavant stolas suas*. Dicit ergo, quantum ad primum : Et dixit mihi : *Ne signaveris verba prophetiæ. Libri hujus*, hoc est non occultes penitus nimis obscure scribendo. Unde supra primo dicitur : *Apocalypsis Jesu Christi quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito.* Sed contra hoc potest objici : Quia supra X, dicitur : *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere :* ergo videtur esse contradictio inter istud et illud. Dicendum, quod non est contrarietas inter ista : quoniam sacræ Scripturæ verba, et secundum aliquid sunt signanda, et secundum aliquid non sunt signanda. Sunt enim signanda : quia sunt impiis et infidelibus occultanda, ne sit ejus locus pervertendi. Unde alius : Non propter suos fideles, sed propter fures divitiæ sub sigillo clauduntur. Item plures contemnerent verba sacræ Scripturæ, si totaliter manifesta essent. Unde Isidorus I lib. *de summo Bono* : « Si cuncta paterent, statim intellecta vilescerent ; si cuncta clausa existerent, diffidentiam generarent. » Utrumque autem beatus Joannes, et quod prohibitum, et quod præceptum sibi fuit, diligenter observavit : quia quædam per obscura velamina figurarum malis occultare studuit, et quædam vel absque figuris scripsit, vel per semetipsum figuras exposuit : et sic subtiliter insinuando sub velaminibus latentia mysteria bonis quodammodo revelavit. Sed si objiciatur quod si malos latent occulta mysteria, ergo possunt de ignorantia excusari : Dicendum quod non : quia verba sacræ Scripturæ manifestiora possunt intelligere, et si vellent vitia deserere, et opera virtutum exercere, possunt ad occultorum cognitionem pervenire divina gratia adjuvante : et sic patet solutio. Causam autem quare prohibuit Angelus beato Joanni ne verba libri hujus totaliter occultaret, subdit cum dicit : *Tempus enim prope est* : tempus videlicet adventus Christi, ut factores verbi Dei beatificentur, contemptores vero condemnentur. Isaiæ XIV, *Prope est ut veniat tempus ejus et dies etc.* Supra I, *Tempus enim prope est.* Quod ergo remunerandum est vel etiam condemnandum, necessario est sciendum. Et ideo non debet penitus occultari, sed studiose propalari. Et quia impii prophetiam istam contemnunt vivendo male, et justi eam perficiunt vivendo bene : ideo subditur : *Qui nocet noceat adhuc* : quasi dicat : Ne signes verba ista, sed ea aliis manifesta ; quia tempus judicii prope est, in quo ex eis impii damnabuntur et justi glorificabuntur ; quia cum utrisque dicta verba manifestaveris, mali contemnendo efficientur deteriores, et boni adimplendo meliores. Daniel. XII, *Eligentur et dealbabuntur multi, et quasi igni probabuntur multi, et impie agent impii, neque intelligent omnes impii.* Et notandum quod iste sermo, *Qui nocet, noceat adhuc*, non dicitur voce optantis, sed voce prophetantis, sicut in pluribus sacræ paginæ locis reperitur similiter. Duo vero malorum genera distinguuntur hic cum dicitur, *Qui nocet noceat etc.* : et ex opposito duo genera bonorum : unum enim est respectu proximi, alterum respectu sui. Hoc autem quod dicit, qui nocet, noceat adhuc, spectat ad injuriam bonis per

ipsos malos illatam. Illud vero quod sequitur, *Et qui in sordibus est, sordescat adhuc*, spectat ad propriam ipsorum immunditiam. Duo vero bona quæ sequuntur, duobus malis prædictis contraria sunt et eodem disponuntur. Nam hoc quod dicit, *Et justus justitiam faciat adhuc;* contrarium est huic, quod supra ait : *Qui nocet* etc. Quod autem subinfertur. *Et sanctus sanctificetur adhuc*, repugnat huic quod dictum est, *Et qui in sordibus est* etc. : quoniam primum istorum bonorum respicit proximi commodum, scilicet justitia. Justitia enim est reddere unicuique quod suum est. Sicut nocumentum e contrario respicit proximi damnum. Similiter sanctificatio dicit subjecti proprii munditiam, sanctus vero idem est quod mundus ; sed e contrario sordescere sonat immunditiam. Est igitur sensus : *Qui nocet noceat adhuc*, idest nocebit, malum aliis inferendo ; ut intelligatur Angelus hoc dixisse prophetando, non optando. *Et qui in sordibus est, sordescat adhuc :* hoc est sordescet se ipsum magis ac magis per luxuriam polluendo : et ita de aliis suo modo. Et quoniam, ut ait Apostolus II Corinth. v, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum :* ideo Angelus loquens in persona Christi, ostendit se venturum esse cito ad judicandum, ut mali timeant et boni sibi caveant, cum dicit : *Ecce venio cito.* Per hoc etiam prope esse significat adventum suum : unde supra hoc eodem dicitur : *Et ecce venio velociter.* Sequitur, *Et merces mea mecum est*, ita vero merces et ejus est et hominis est. Ejus, quia eam distribuit. Hominis, quia eam recipit. Et recte cum ipso esse dicitur ; quia ejus potestas et ejus misericordia, unde justus beatificetur, et impius damnetur, Isaiæ XL, *Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. Merces* inquam, *mea mecum est, Reddere unicuique secundum opera sua.* Hoc est secundum quod meruit quilibet vel demeruit. Roman. II, *Reddet unicuique secundum opera sua.* Et Jeremiæ XXV, *Reddam eis secundum opera ipsorum, et secundum facta manuum suarum.* Et ne alium suspicemur esse bonorum et malorum judicem et remuneratorem, ideo dicit : *Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis :* quasi dicat : Revera ego veniam et judicabo et remunerabo, et non alius ; quia ego creavi per potentiam, cum sim primus et principium omnium ; ego discernam judicando per justitiam, cum sim novissimus et finis creaturarum. Supra primo, *Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus.* Hujusmodi vero sententia idcirco frequenter repetitur, ut ei fides firmior adhibeatur. *Beati qui lavant stolas suas.* Hic consequenter per Angelum loquentem in persona Christi declaratur bonorum beatitudo et malorum damnatio. Et primo innuitur retributio bonorum. Secundo damnatio malorum, *Foris canes.* Quantum ad primum dicit, *Beati qui lavant stolas suas*, idest corpora sua, vel opera post baptismum fæce peccatorum polluta : quasi dicat : licet superius dictum sit, *Qui nocet noceat adhuc etc.* non propter hoc desperent peccatores ; quia si mundaverint se a peccatis suis per pœnitentiam, beatitudinem consequentur æternam, sicut et illi qui conservaverunt innocentiam. Isa. I, *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Et supra VII, *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni. Beati* inquam, sunt qui sic faciunt, *Ut sit potestas eorum in ligno vitæ*, idest ut possint esse participes gloriæ Christi, qui dicitur lignum vitæ. Supra II, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Et per portas*, idest in sanctam Jerusalem civitatem cœlestem. Isa. XXVI, *Aperite portas*, et ingrediatur gens justa custodiens veritatem. Deinde ostenditur iniquorum damnatio, cum dicit : *Foris canes :* quasi dicat : si lavari contempseritis, civitatem sanctam non intrabitis. Unde in hac parte, sex peccatorum tanguntur genera, et possunt sic distingui. Quia qui peccator efficitur, aut hoc est per inordinationem sui in se, aut sui in proximum, aut sui in Deum. Si primo modo, sic sunt impudici, hoc est immundi per luxuriam. Si per inordina-

hominem vel quantum ad proximum, hoc potest esse tripliciter : aut opere, aut sermone. Si primo modo, sic sunt homicidæ. Si secundo modo, hoc est in sermone. Hoc contingit tripliciter : aut detrahendo, aut malum persuadendo, aut decipiendo : quando scilicet aliud habetur in corde, aliud in ore. Si primo modo, sic sunt canes, idest detractores qui mordent occulte proximum detrahendo. Si secundo modo, hoc est malum persuadendo ; et sic sunt venefici, idest malorum persuasores. Si tertio modo, decipiendo scilicet, sic sunt mendaces. Si per inordinationem sui in Deum, sic sunt idololatræ qui attribuunt creaturæ quod est creatoris. Foris igitur erunt canes, hoc est detractores. *Et venefici*, idest malorum persuasores qui proximum suum inducunt ad malum. *Et impudici*, qui se polluunt per luxuriam. *Et homicidæ*, qui proximum suum occidunt, vel opere, vel voluntate, vel procurant ut occidatur. *Et idolis servientes*, qui cultum latriæ qui soli Deo debetur, rebus insensibilibus tribuunt. *Et omnis qui amat et facit mendacium* : idest qui corde diligit et ore pronuntiat in quo proximum fallat. Isti igitur et ceteri reprobi qui per istos designantur, ab introitu supernæ civitatis excludentur, et in infernum per consequens mittentur. Supra xx dicitur : *Timidis autem et incredulis, et execratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure. Ego Jesus misi Angelum meum.* In parte præcedenti commendavit Beatus Joannes prophetiam suam auctoritate Angeli et etiam auctoritate sui. In hac autem parte commendat eam auctoritate Christi. Unde Christus loquens in propria persona, Primo ponit suam testificationem. Secundo ut certius ei credatur, describit suam auctoritatem. Ibi, *Ego sum radix*. Tertio invitat nos sponsus cum Ecclesia ad percipiendam salutem, ibi, *Et sponsus et sponsa dicunt, Veni.* Quantum ad primum dicit : *Ego Jesus*, ego scilicet salvator vester, et non alius. *Misi Angelum meum*, de quo dicitur supra primo, *Mittens Angelum suum servo suo Joanni.* Jesus enim Angelo, Angelus Joanni, Joannes Ecclesiis hujusmodi sacrum mysterium revelabit. *Misi*, inquam, *Angelum meum, Testificari vobis hæc in Ecclesiis.* Non enim dicit, in Ecclesia, sed in Ecclesiis propter videlicet Ecclesias Asiæ particulares, quibus librum istum principaliter misit : unde supra i dicitur : *Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia etc.* Ideo in fine libri hujus sermonem suum ad illos dirigit, ad quos in principio direxit. Per hoc itaque quod dicitur, *Ego Jesus etc.*, plane insinuatur quod non solum Angelus et Joannes verba libri hujus nominum suorum inscriptione commendat, sed etiam ipse Christus nominis sui annotatione nobis ea commendat. Sed quia posset aliquis dubitare, quis esset iste Jesus : ideo statim ut certius ei credatur, auctoritatem suam manifeste declarat cum subdit : *Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. Radix David*,, ipsum videlicet creando. Isa. xi : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et genus David* de ejus scilicet genere, carnem assumendo. Matth. i : *Liber generationis Jesu Christi filii David filii Abraham. Ego sum*, inquam, *Stella splendida*, mundo lucem præbendo et splendorem sanctorum excedendo. De hujusmodi stella habetur Num. xxiv : *Orietur stella ex Jacob*. Et stella inquam, *Matutina*. Diem scilicet prænuncians : hoc est æternam beatitudinem per resurrectionem meam, dicit Interlinearis. Coloss. i : *Ipse est caput corporis Ecclesiæ qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Ego igitur tantus et talis verba prophetiæ hujus vobis commendo, qui spiritualia bona vobis tribuo, qui cœlestia et æterna promitto. Sed quanto desiderio, quanta dilectione Christus et sancta mater Ecclesia salutem nostram concupiscant, declaratur cum subditur : *Et sponsus et sponsa dicunt : veni.* Sponsus verus, idest Christus : de quo Joan. iii : *Qui habet sponsam sponsus est.* Dicunt per internam scilicet inspirationem. Et sponsa, hoc est sancta Ecclesia, de qua dicitur supra xxi : *Ostendam tibi sponsam uxorem Agni.* Dicit : videlicet per

prædicationem cuilibet prædestinato ad vitam æternam : *Veni*, per veram fidem et bonam actionem et sanctam conversationem. Sponsus siquidem et sponsa similiter dicunt hoc, quoniam gaudia nuptialia promittunt. Matth. XXII : *Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* Et ut quilibet vocatus alios vocare studeat; ideo subjungitur : *Et qui audit, dicat, veni :* qui audit scilicet recte credendo, et quod credit opere faciendo. Unde supra II : *Qui habet aures audiendi, audiat.* Iste talis auditor alios vocare tenetur, ad minus per exemplum bonæ vitæ, ne lumen boni spiritatualis abscondatur. Unde Matth. V : *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Sed ne aliquis invitus aliqua pusillanimitate ductus vel alia de causa perterritus, ad tanti boni plenitudinem accedere pertimescat; ideo ad confortandum eum subinfertur : *Qui sitit veniat :* qui sitit, idest qui convertendi voluntatem habet, veniat, supple per conversionem, et securus de venia accipiat sacramenta, et gratis remittentur ei peccata, Isa LV : *Omnes sitientes, venite ad aquas. Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis :* quasi dicat : Non est grave neque laboriosum : quia sola voluntas sufficit sine pretio meritorum. *Accipiat aquam vitæ*, idest gratiam vivificantem. *Accipiat*, inquam, *gratis*. Hoc est absque omnibus meritis. Supra XXI : *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Hugo : « O quam pretiosa sunt ista supernæ dignationis oracula ! omni pretio præferenda, omni acceptione digna, omni devotione accipienda, omni memoria retinenda, omni virtute promerenda. » *Contestor ego omni pudienti.* Commendavit superius Beatus Joannes præsentem doctrinam confirmando eam auctoritate triplici. Hic consequenter comminatur pœnas gravissimas eam pervertenti. Et primo ponit suam comminationem. Secundo introducit Christum hoc affirmantem, ibi, *Dicit qui testimonium perhibet istorum.* Circa primum. Primo comminatur addenti contrarium. Secundo subtrahenti de eo quod est hic scriptum, ibi, *Et si quis diminuerit.* Dicit igitur primo : *Contestor ego etc.*, quia plures infideles et hæretici vel apponerent vel diminuerent de facili aliquid in hoc libro, ut melius errores suos fovere possent; ideo ad refrenandam eorum præsumptionem ostendit Beatus Joannes quanta animadversione dignus sit, qui aliquid in eo addere vel auferre præsumit. Dicit propterea : *Contestor ego*, idest testis existo. Prov. XIV : *Testis fidelis non mentietur. Omni audienti verba prophetiæ libri hujus;* ut scilicet sibi caveat, ne aliquid apponere præsumat ad hujus libri verba, corrumpendo ea : unde dicit : *Si quis apposuerit ad hæc :* ille enim apponit qui mendacium adjungit : et talis absque dubio gravissime punietur. Et ideo subditur : *Apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*, idest pœnas æternas sive temporales. De quibus plagis dicitur supra XV : *Vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, Angelos septem habentes plagas septem novissimas. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus.* Ille vero diminuit qui aliquid ex his quæ in eo scripta sunt, subtrahit, vel etiam negando contradicit : et talis etiam valde graviter punietur per bonorum subtractionem : et propterea dicitur : *Auferet Deus partem ejus de libro vitæ*, ut videlicet non habeat partem in his quæ indelebiliter existentia sunt in prædestinatione divina : quæ inquam prædestinatio dicitur liber vitæ. Psalm. : *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur;* et supra XIII : *Quorum non sunt scripta nomine in libro vitæ. Auferet*, inquam, *partem ejus, De civitate sancta*, ut scilicet non sit civis in ea. Supra XXI : *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum faciens abominationem et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni. Et auferet*, inquam, *partem ejus De his quæ scripta sunt in libro isto*, ut non sit particeps bonorum quæ promittuntur in eo, sicut specialiter supra II et III cap., et in his duobus ultimis capitibus. Et licet ex duobus malis jam dictis alterum addenti contrarium attribuatur, alterum per subtractionem diminuenti sive subtrahenti inferatur, uterque tamen utroque malo percutietur : quia qui malis supradictis affligetur, ne-

necesse est ut bonis etiam denudetur; et qui bonis privabitur, malorum illatione graviter punietur. *Dicit qui testimonium perhibet istorum.* Hic introducitur Christus asserens supradictam comminationem: *Et communicationem.* Et tanguntur hæc tria. Primo enim Christus dictum Joannis affirmat. Secundo adventum suum jam esse instantem iterato demonstrat, ibi: *Venio cito.* Tertio rogat eum Beatus Joannes ut veniat, ibi: *Veni Domine Jesu.* Dicit ergo quantum ad primum: *Dicit qui testimonium perhibet istorum*; videlicet Christus qui cuncta quæ in hoc libro sunt attestatur, dicit: *Etiam*, hoc est, dictum certe ita fiet. Etiam, est adverbium affirmandi, per quod affirmatur quod promissum est; quasi diceret Beatus Joannes: si mihi non creditis, saltem testimonio veritatis credite. Joannis III: *Qui de cœlo venit, super omnes est, et quod vidit et audivit hoc testatur.* Sequitur: *Venio cito.* In fine libri facit iterum mentionem de adventu suo, ut audientes et legentes reddat attentiores, ne per aliquam securitatem falsam inveniantur imparati. Unde Luc. XII: *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Amen: Veni Domine Jesu.* Hæc verba sunt Beati Joannis adventum Salvatoris affirmantis et regratiantis. Nam per hoc quod dicit *Amen*, ipsum venturum esse veraciter asserit. Per hoc etiam quod subjungit, *Veni Domine Jesu*, deprecatur ut veniat. Cant. IV: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Per hoc enim nobis ostenditur quod Beatus Joannes in charitate valde perfectus erat, quia Salvatorem ut veniret rogabat. Et quia perfecte diligebat, ideo minime timebat, sicut ipsemet dicit in prima canonica sua, IV cap.: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* In hac parte ultima hujus libri, sicut et in prima, illis omnibus quibus scribit bonum salutis optat, ut se reddat eis benevolum more bene scribentium, et ex benevolentia provocat eos ad meliora. Ideo dicit: *gratia Domini nostri Jesu Chisti, cum omnibus vobis*; ut videlicet sitis grati et accepti in conspectu ejus quod habet fieri per gratiam. *Amen.* Hoc est, fiat. Hujusmodi vero gratiam optat Apostolus omnibus quibus scribit, sicut in fine omnium epistolarum suarum patet evidentissime. Hoc autem Christus Dei Filius, qui est alpha et omega, primus et novissimus, dignetur nobis omnibus elargiri. Amen.

COMMENTUM

SUPER LIB. BOETII DE CONSOLATU PHILOSOPHICO

PROLOGUS

« Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas : » Hæc sunt verba Senecæ, octava epistola *ad Lucillum* : quia vocari philosophiam scientiam veritatis recte se habet ex secundo *Metaphysicæ*, et philosophia affert delectationes mirabiles firmitate et puritate, ex decimo *Ethicorum*. Et multis visa est philosophia res mirabilis et divina, ex *de Cœlo et mundo* Aristotelis. Item quod nulla scientia similis est philosophiæ quæ clarificat animas et facit delectari eam in hoc sæculo in perfectione et rectitudine, ex libro de *Pomo et morte*. Et philosophia trahit homines ab obscuritate ignorantiæ ad scientiam, a tenebris stultitiæ ad lucem sapientiæ et ad claritatem intellectus, ex *eodem* libro Aristotelis. Item quia philosophia a superstitione liberat : metu mortis non conturbat, secundum Tullium in libro *de Finibus bonorum et malorum*. Ideo Seneca has consimiles conditiones et effectus laudabiles philosophiæ advertens, hortatur nos ad servitium philosophiæ in propositione proposita, sic dicens : « Philosophiæ servias oportet. » Quæ quidem propositio potest probari multis rationibus. Primo sic. Illi oportet servire, per cujus servitutem homini contingit vera libertas : sed philosophia est hujusmodi : igitur etc. Major nota : quia libertas est nobilissima conditio quam natura humana desiderat et affectat. Minor patet per eumdem Senecam : qui postquam præmisit propositionem istam, philosophiæ servias oportet, subjungit, ut tibi contingat vera libertas et paucis interpositis dicit : hæc enim, scilicet ipsum servire philosophiæ, libertas est. Probatur secundo sic. Illi oportet servire quod animum perficit, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat, et sine quo nemo est securus : philosophia est hujusmodi : igitur etc. Major nota : nam istæ conditiones sunt de perfectione hominis. Minor declaratur per Senecam decimasexta epistola *ad Lucillum* : qui loquens de philosophia dicit sic. « Hæc animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit et omittenda demonstrat, sedet ad gubernandum errantia, fluctuantium dirigit cursum ; scilicet sine hac nemo est securus. » Probatur tertio sic. Illi est serviendum quod tradit cognitioni ultimi finis magnum incrementum : philosophia est hujusmodi : igitur etc. Major nota : quia cognitio ultimi finis magnum incrementum confert ad vitam, ex primo *Ethicorum*. Minor declaratur : nam ultimus finis vitæ humanæ est beatitudo, cujus cognitionem philosophia tradit. Dicit enim philosophia in tertio de *Consolatione* prosa secunda, quod « beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus : » et in *eodem* tertio ostendit philosophia in quo sit vera beatitudo et quomodo ad eam perveniatur. Probatur quarto. Illi oportet servire quod facit hominem parem Deo : philosophia est hujusmodi : igitur etc. Major nota de se. Minor patet per Senecam, XLIX epistola *ad Lucillum* qui dicit : Hoc enim mihi philosophia promittit ut me parem Deo reddat. Probatur quinto. Illi est serviendum

quod est magistra omnium scientiarum, nutrix omnium virtutum, summum solatium lapsorum animorum, quod est prævia veri luminis, et cujus exhortatio est recta, sed auctoritate dignissima : philosophia est hujusmodi : igitur etc. Major patet : quia rationabiliter propter has conditiones laudabiles alicui servitur. Minor declaratur : nam philosophia est magistra omnium scientiarum, ex primo *de Consolatione* prosa tertia. Ipsa est nutrix omnium virtutum, secundo *de Consolatione* prosa quarta. Ipsa est summum solatium lapsorum animorum, tertio *de Consolatione* prosa prima. Ipsa est prævia veri luminis, quarto *de Consolatione* prosa prima. Et ejus exhortatio est recta, sed auctoritate dignissima, quinto *de Consolatione* prosa prima. Sic ergo patet propositio declarata, quæ dicit, Philosophiæ servias oportet. Sed diceres : quid mihi prodest philosophia si fatum est? quid mihi prodest philosophia si Deus rector est? quid mihi prodest philosophia si casus imperat? Ad hoc respondet Seneca duodecima *epistola* sua : « Sive inexorabili lege fata nos stringant, sive Deus arbiter universi cuncta disponit, sive casus actiones humanas sine ordine permiscet, tamen philosophiæ insistendum est. » Philosophia enim nos tueri habet ; hæc enim exhortatur ut libenter Deo pareamus, ut ipsum sequamur, ut contumaciæ fortunæ resistamus, et ut casum feramus. Licet autem omnes homines, secundum Aristotelem primo *Metaphysicæ*, natura scire desiderent, tamen pauci, de quo dolor est, philosophiæ vacant : quod ideo contingit, quia plures, omissis delectationibus interioribus, ad delectationes refugiunt corporales. Non tamen oportet delectationes corporales esse eligibiliores interioribus ; quia delectationes corporales impediunt a summo bono, interiores autem ad id promovent. Unde Boetius in tractatu de *Summo bono* dicit : Dolere debent qui delectationibus sensualibus detinentur, bona interiora omittendo. Nam dediti bonis sensualibus summa bona non attingunt. Quos homines sensuales Boetius quarto *de Consolatione* prosa quarta comparat vespertilionibus, dicens : « Nequeunt enim oculos suos tenebris assuetos ad lucem perspicuæ veritatis attollere, similesque sunt avibus quarum intuitum nox illuminat, dies excæcat. » Et licet homines sensuales et vulgares non magnificent nomen philosophiæ sed magis blasphement, nihilominus tamen ipsa philosophia in sua dignitate perseverat, teste Seneca quartadecima epistola *ad Lucilium*. Nunquam invalescet ad tantum malitia, neque ad tantum excedetur contra virtutes, ut non nomen philosophiæ sacrum et venerabile permaneat. Sed diceres : philosophari non valeo quia pauper sum, sed si divitias habuero, totum me philosophiæ dabo. Et hoc videtur rationabile : quia natura per se non est sufficiens ad speculandum ; sed oportet cibum et potum et reliquum famulatum præexistere, et pro tanto sacerdotes in Ægypto habitis necessariis, propter admirari ceperunt philosophari, ut dicit Aristoteles primo *Metaphysicæ*. Hæc excusatio ratione paupertatis non valet. Audi Senecam, decima septima epistola ad Lucillium, qui dicit : « Non est quo nos paupertas a philosophia revocet. Toleranda enim est fames quam toleraverunt quidam in obsidionibus. Et quid aliud erat præmium patientiæ illorum, quam in arbitrium non cadere? scilicet inimicorum. Quanto magis est quod promittitur perpetua libertas, nullius hominis timor, et quod animum liberat a furoribus? multis enim ad philosophandum obstitere divitiæ : paupertas autem expedita, secura est. Si vis animo vacari, pauper sis oportet aut pauperi similis : quia non potest studium salutare fieri sine cura frugalitatis. Frugalitas autem est voluntaria paupertas. » Hæc Seneca. Verum est igitur quod ad philosophandum exiguntur necessaria, sed sufficiunt homini pauca. Non enim oportet futurum felicem Deum terræ et maris esse : quia natura paucis minimisque contenta est : ex secundo *de Consolatione* prosa quinta. Projice ergo omnia a te, et ad philosophiam magno conatu totisque viribus intende. Hæc Seneca, decimaseptima epistola *ad Lucillium*. « Philosophiæ ergo servias oportet, ut tibi contingat vera libertas, ut tibi contingat vera securitas, ut tibi innotescat felicitas, ut par Deo fias, et præcipue

ut in adversitatibus et tribulationibus positus per ipsam verissime consoleris, exemplo Boetii quem philosophia in exilium relegatum, ab omnibus bonis pulsum, dignitatibus exutum, multis miseriis afflictum dulcissime consolabatur. De cujus philosophiæ consolatione agitur in hoc libro Boetii qui intitulatur liber *de Consolatione* philosophiæ : de quo ad præsens nostra est intentio. Hæc sufficiant de introductione hujus libri. Sed antequam ad litteram accedamus, quinque sunt præmittenda. Primo de causa suscepti operis. Secundo de causis hujus libri. Tertio de titulo hujus libri et ejus expositione. Quarto de causa intitulationis præsentis libri. Quinto de generali summa et sententia hujus libri.

Circa primum videlicet circa causam suscepti operis, quare Boetius hunc librum conscripsit, est sciendum, quod Boetius vir eximius consul romanus fide catholicus extitit : qui disputans de fide catholica contra duos hæreticos, scilicet contra Nestorium et Eutichem, cum nullus esset qui eis resisteret, Boetius ipsos in communi concilio devicit, sicut patet in libro suo *de Duabus naturis in Christo*. Tempore vero Theodorici regis Gothorum cum idem Theodoricus tyrannidem suam contra romanos vellet exercere, et quoslibet bonos opprimere, Boetius virtute Dei armatus plus omnibus aliis sibi restitit ; et quos tyrannica rabies invaserat, Boetius amore justitiæ exponens se periculis ipsos liberavit. Videns autem Theodoricus rex Gothorum solum ipsum Boetium sibi resistentem, cogitabat qualiter ipsum perderet. Et cum justam causam contra eum non inveniret, duas falsas causas confixit. Dixit enim Boetium impedivisse quemdam delatorem sibi litterarum quæ continebant accusationem senatus romanorum, ut sic senatus redderetur reus læsæ majestatis. Hanc causam tangit Boetius *prosa quarta* hujus primi, dicens : « Delatorem ne documenta deferret quibus senatum majestatis reum faceret, impedissec riminamur. » Secundo accusabatur Boetius quod quasdam litteras direxisset ad imperatorem Constantinopolitanum per quas restitueret libertatem pristinam ipsis romanis. Hæc causam tangit Boetius *eadem prosa*, sic dicens : « Nam de compositis falso litteris quibus libertatem arguor sperasse romanam, quid attinet dicere? » His de causis Boetius per viles personas et infames accusatus, indefensus, reus est judicatus, et a rege Theodorico Papiæ in exilium relegatus. Boetius. autem in exilio positus, præteritam prosperitatem secum reputans, et præsentem adversitatem considerans : ne aliquis homo in simili statu positus desperaret, sed unde consolaretur haberet, philosophicam consolationem composuit contra mutabilitatem fortunæ. Ex quibus dictis patet quod causa suscepti operis est illa : quatenus Boetius se in exilium relegatum, ab omnibus bonis depulsum, dignitatibus exutum per philosophiam se tueretur, volens consolari quemlibet hominem in simili statu positum ne desperet : similiter esse contuendum.

Secundo videndum est de causis hujus libri ; cujus causa efficiens fuit Boetius : qui describens materiam hujus libri utitur tam prosa quam metro, imitatus Martianum Felicem Capellam (*a*) qui in describendo nuptias Mercurii et Philologiæ hoc stylo usus est : de quo fit mentio in *Theodolo :* (*b*) ubi dicitur :

Egregiam sobolem cui per Stilbontis amorem
Vi superum magna sociasti, teste Capella.

Licet ille Boetius multum excellat librum Martiani tam nobilitate materiæ quam privilegio eloquentiæ. Boetius enim nec Tullio in prosa nec Virgilio in metro minor reputatur. Utitur autem Boetius in hoc libro prosa, in qua ponit rationes ad consolandum Boetium : probando quod non sit dolendum de amissione rerum temporalium ; utitur autem metro delec-

(*a*) Marcianus seu Martianus Mineus Felix Capella, patria, ut creditur, Africanus, sive sit Romanus sive Carthaginensis, vir inter Consulares allegatus, ante sæculi VI initium, stylo quodam barbaro, libros septem de nuptiis Philologiæ conscripsit, quos primus, anno 1599, Hugo Grotius, annum agens quartodecimum, accuratius emendatos edidit.

(*b*) *Theodolus*, liber carmine scriptus singulis tetrastichis.

tabili, et dum audiatur, moeror oblivioni tradatur. Causa materialis hujus libri est philosophica consolatio ordinata ad contemptum mundanorum et ad appetitum summae felicitatis. Vel philosophica consolatio persuadens neminem extolli in prosperis, nec deprimi adversis. Vel aliter; causa materialis sive subjectum hujus libri est status miserabilis Boetii philosophica consolatione super inducta. Causa formalis tractatus hujus libri consistit in ejus divisione, de qua videbitur post. Causa autem formalis tractandi est modus agendi Boetii : et est dialogus, idest sermo duorum. Introducit enim Boetius in hoc libro duas personas, scilicet seipsum suam miseriam deplangentem, et philosophiam sibi condolentem, et ipsum super sua miseria consolantem. Et hoc est rationabile. Nam secundum beatum Gregorium, Verus ordo consolationis est, ut cum volumus aliquem a moerore suspendere, primo studeamus luctui ejus concordare. Vel aliter causa formalis est dialogus, quia in quadam parte hujus primi libri philosophia introducit fortunam ipsum Boetium alloquentem : ubi incidit quaedam figura tropi quae vocatur ethopeia, de qua dicit Graecismus, ac introducit aliquos de ethopeia loquentes, et cum fortuna loquitur Boetius ipsa. Vel potest dici, secundum communiter loquentes, quod causa formalis tractandi est quintuplex : definitiva, divisiva, probativa, improbativa, exemplorum positiva, sicut videbitur in libro. Causa finalis hujus libri est, ut ipso cognito, nos ipsos et quoslibet alios in adversitatibus et tribulatione positos philosophica consolatione tueamur. Et ne extollamur in prosperis et deprimamur in adversis.

Tertio videndum est de titulo hujus libri, et de ejus expositione. Unde sciendum, quod titulus, secundum Remigium super *Donato*, est clavis sive ingressus operis sequentis. Et dicitur titulus a Titan quod est sol. Sicut enim sol illuminat mundum, sic titulus librum. Et praeponitur titulus libro ad consummationem operis et ad laudem auctoris. Est ergo titulus praesentis libri talis : « Avitii Manlii Torquati Severini exconsulis patricii ordinarii Boetii viri illustris incipit liber *de Consolatione philosophiae*. » Sed quaeritur quare tot nomina propria ponuntur in titulo. Dicunt aliqui quod forte consuetudo fuit romanorum, ut sic nomina ascriberent suorum avorum et praedecessorum. Vel aliter potest dici quod plura nomina ponuntur in titulo propter honorem et laudem ipsius Boetii; quia secundum Senecam in libro *de Clementia ad Neronem*, Multa cognomina honori data sunt. Sicut enim vilis persona non vult nominari nisi uno nomine, quia quanto plus nominatur, tanto plus cognoscitur et tanto magis sordescit; sic honesta persona vult nominari pluribus nominibus, ut sic magis innotescat et clarescat aliis sua fama. Nam omne bonum in commune deductum magis elucescit. Exponitur autem iste titulus sic. Boetius dictus Avitius a quodam nobili romano sic dicto de cujus genere ipse fuit. Vel dictus Avitius quasi invictus, ab a quod est sine, et vicos victoria. Nunquam enim Boetius vinci potuit ut flecteretur a jure ad injustitiam, sicut ipse testatur, quarta prosa hujus libri primi dicens : « Nunquam a jure ad injuriam me quisquam detraxit. » Secundo Boetius dictus fuit Manlius, quia de genere Manliorum fuit qui erant nobiles romani. Tertio Boetius dictus fuit Torquatus a quodam nobili romano sic dicto, qui cum singulare bellum iniret cum quodam de Gallia, ipsum devicit et torquem in collo habentem sibi abstulit : cujus ratione dictus fuit Torquatus : de cujus genere fuit Boetius. Quarto Boetius dictus fuit Severinus a severitate : Severus enim fuit cum Theodorico regi Gothorum se opposuit. Vel dictus fuit Severinus quasi sequens veritatem : nunquam enim in judiciis vel amore vel odio flecti potuit a veritate. Quinto Boetius dictus fuit Ex consul, quasi unus ex consulibus romanorum : vel ex consul quasi extra consulatum positus quem prius habuit. Exconsulares dicebantur qui jam deposuerant consulatum ; et licet ab honore consulatus cessarent, tamen postea plus aliis in magna reverentia habebantur. Sexto dictus fuit Patritius a nobilissimo romano sic dicto, de cujus genere fuit Boetius. Vel alio modo patricii dice-

bantur nobiles romani qui providebant reipublicæ sicut pater filio : quorum nomina scripta erant aureis litteris ; et ideo dicebantur patres : de quorum numero fuit dictus patricius ; propter quod Boetius fuit dictus patricius. Septimo dicebatur Ordinarius quia rempublicam ordinavit. Vel aliter ordinarii dicebantur qui tantæ dignitatis erant ut quolibet ordine digni essent : et sic fuit Boetius. Octavo nomine proprio dictus fuit Boetius : quod interpretatur adjutor; quia in necessitate pauperibus subveniebat.

Quarto videndum est de causa intitulationis hujus libri. Intitulatur iste liber *de Consolatione philosophica.* Ubi sciendum, quod philosophica consolatio dicitur rationabilis demonstratio declarans de cujus amissione non est dolendum, et de cujus possessione non sit gaudendum : et quia hoc pertractatur in presenti libro, ideo sic intitulatur.

Quinto videndum est de generali summa hujus totius libri. Ubi sciendum quod Boetius in hoc libro ostendit bona temporalia esse transitoria, et non consistere totaliter in eis totalem veram felicitatem : et per consequens non est dolendum de eorum absentia, nec gaudendum de eorum presentia : et neminem debere extolli in prosperis, nec deprimi in adversis. Ostenditur etiam in præsenti libro quid sit summum bonum, ubi sit situm, et quomodo ad ipsum perveniatur. Etiam ostenditur quod boni semper sunt potentes et mali semper sunt impotentes, et quod bonis nunquam desunt sua præmia, malis nunquam sua supplicia. Post hoc ostenditur quid sit divina providentia, quid casus, quid fatum, quid liberum arbitrium. Et ponit Boetius rationes quibus probat liberum arbitrium non posse stare cum providentia divina. Et ponit quorumdam falsam solutionem et eam improbat : postea ostendit veram solutionem quam rationibus confirmat. Ista et alia plura pulchra determinantur in hoc libro sicut patebit in sequentibus.

LIBER PRIMUS

METRUM I.

Carmina qui quondam studio florente peregi,
Flebilis, heu, mœstos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant scribenda Camenæ,
Et veris elegi fletibus ora rigant.
Has saltim nullus potuit pervincere terror,
Ne nostrum comites prosequerentur iter.
Gloria fellicis olim viridisque juventæ
Solatur mœsti nunc mea fata senis.
Venit enim properata malis inopina senectus,
Et dolor ætatem jussit inesse suam.
Intempestivi funduntur vertice cani,
Et tremit effœto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit, et mœstis sæpe vocata venit.
Eheu, quam surda miseros avertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæva negat!
Dum levibus malefida bonis fortuna faveret,
Pene caput tristis merserat hora meum.
Nunc quia fallacem mutavit nubila vultum,
Protrahit ingratas impia vita moras.
Quid me felicem toties jactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

« Carmina qui quondam. » Præsens liber Boetii, prima sui divisione dividitur in quinque partes, secundum quod ponit quinque libros partiales quos continet. In primo conqueritur se miseriis subjectum. In secundo ponit remedia consolativa. In tertio determinat de vera felicitate in quo sit sita, et quomodo ad eam perveniatur. In quarto movet quasdam quæstiones ipsi philosophiæ. In quinto determinat de casu et providentia divina. Primus liber incipit hic. « Carmina. » Secundus liber incipit ibi, « Post hæc paulisper. » Tertius ibi, « Jam cantum illa finiverat. » Quartus ibi, « Hæc cum Philosophia. » Quintus ibi, « Dixerat orationisque cursum. » Quid et de quo agatur in quolibet libro, patebit loco suo. Primus liber dividitur in tredecim partes ; quia hujus primi libri sunt septem metra et sex prosæ, quæ partes patebunt. Quæ autem sit materia et intentio cujuslibet partis similiter

patebit. Notandum autem quod primum metrum hujus primi libri vocatur elegiacum. Est autem metrum elegiacum, quod constat ex uno versu hexametro, idest sex pedum, et alio pentametro, idest quinque pedum. Et dicitur elegiacum ab elegia, quod est miseria: elegia enim est miseria. Metrum enim elegiacum inventum fuit pro describenda miseria, quamvis nunc modo aliqui utuntur ad alia describenda. Unde Horatius:

Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.

Quis autem fuerit primus adinventor talis metri elegiaci dubitatur. Unde Horatius:

Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

Et dividitur hoc primum metrum in quatuor partes. Primo Boetius deplangit statum suæ miseriæ ex parte permutationis studii. Secundo ex parte defectus corporalis. Tertio ex parte prolongationis vitæ miserabilis. Quarto apostrophat contra suos amicos. Secunda ibi, «Gratia felicis.» Tertia pars, ibi, «Mors hominum felix.» Quarta ibi, «Quid me felicem.» Primo facit quod dictum est. Secundo approbat dictum suum, ibi, «Ecce mihi laceræ.» Dicit primo: Ego Boetius qui quondam tempore prosperitatis studio meo florente, peregi, idest composui, carmina, supple delectabilia et jocunda, nunc tempore adversitatis, flebilis, idest dignus ut defleam. Vel flebilis, idest tristis, cogor inire, idest inchoare mœstos modos, idest tristia metra de mea miseria. Notandum, sicut dictum fuit prius, Boetius utitur in hoc libro tam prosa quam metro: metro, quia talis modus scribendi magis fuit conveniens suæ materiæ. Sicut enim potio curativa quæ amara est, delectabilius sumitur, si fuerit aliqua dulcedine permixta, sic rationes philosophiæ in prosa traditæ libentius a Boetio suscipiuntur si fuerint jucunditate metri dulcoratæ. Et ideo Boetius nunc utitur metro, nunc prosa; quia alternatio illa delectabilior est. Unde auctor poetriæ: Quod sapit, insipidum vilescit frequentia reddit. Item nota quod Boetius potius incepit librum suum a metro, quam a prosa, quia modus scribendi metricus magis fuit usitatus apud antiquos quam prosaicus. Vel ideo quia metrum est delectabilius prosa; ut ergo magis alliciat audientes ad suum librum, ideo in principio libri sui utitur metro. Item nota circa litteram, quod carmina uno modo dicuntur scripta metrica certis pedibus mensurata. Alio modo dicuntur quæcumque dicta vel scripta, etiam prosaica, quæ sunt de re delectabili. Boetius autem florente studio composuit ut plurimum carmina prosaica de re delectabili. Edidit enim quædam carmina physica, quædam logicalia, quædam theologicalia, sicut patet respicienti ejus diversos libros. Tempore autem adversitatis cogebatur Boetius ad componendum carmina metrica tristia. Item nota, studium est vehemens applicatio animi ad aliquid agendum cum bona voluntate. Dico cum bona voluntate, quia *in malevolam animam non introibit sapientia*: hæc Salomon. Et perfectio discipuli in tribus consistit, ex Boetio *De Disciplina scholarium*: in attentione, docilitate et benivolentia. Homini enim nolenti scientiam, et ut oportet studenti, impossibilis est possessio boni: Eustratius *primo Ethicorum*. Item nota quod duplex est studium: florens et aridum. Ad studium florens tria exiguntur. Primo requiritur juventus; quia juvenes perspicaciores sunt senibus, senes autem magis sunt immemores. Secundo requiritur habitus necessariorum; quia natura per se non est sufficiens ad speculandum, sed oportet necessaria existere, ex *quarto Ethicorum*. Tertio requiritur animi tranquillitas, quæ contingit per sedationem passionum, quia anima in quiete et residentia fit prudens: *septimo Physicorum*. Ubi enim passiones dominantur ibi intellectus obscuratur. Ideo Boetius in fine hujus primi libri hortando nos ad fugam passionum dicit: «Gaudia pelle, pelle timorem, Spemque fugato, nec dolor adsit. Nubila mens est vinctaque frenis, Hæc ubi regnant.» Studium autem ari-

dum est ad quod concurrunt oppositæ conditiones ; scilicet senectus, necessariorum defectus et animi perturbatio. Nota quod versus de miseria dicuntur mœsti modi. Dicuntur enim modi a modulando quia pedibus modulantur ; et dicuntur mœsti ratione materiæ, quia sunt de tristi materia, scilicet adversitatis.

Nota quod in primis duobus versibus, notatur antithesis, idest contrapositio : dicitur enim in primo « versu quondam peregi, » cui contrariatur in secundo versu « cogor inire, » idest inchoare. Item dicitur in primo versu « florente studio, » cui contrariatur in secundo « flebilis. » Item dicitur in primo versu « carmina » supple jucunda, cui contrariatur in secundo « mœstos modos. » Item notandum quod Boetius rationabiliter deplangit statum suum ex parte permutationis studii philosophici, quod versum fuit in studium poeticum quo nunc cogebatur uti : proposuit enim Boetius dolorem suum metrice conscribere et non philosophice consolari. Nam studium philosophicum est studium veritatis ; quia *secundo Metaphysicæ*, vocari philosophiam scientiam veritatis recte se habet. Studium autem poeticum est studium falsitatis. Nam ex *prohœmio Metaphysicæ*, secundum proverbium, mentiuntur multa poetæ. Item per studium philosophicum acquiritur beatitudo, *ex decimo Ethicorum*. Per studium autem poeticum falsitatis certitudo, ex *secundo Metaphysicæ*.

« Ecce mihi laceræ dictant scribenda etc. » Hic Boetius approbat dictum suum. Dixit enim quod cogatur inire mœstos modos : hoc ipse probat. Secundo respondet quæstioni, ibi, « Has saltem. » Primo dicit : Bene dixi quod cogor inire mœstos modos. Ecce demonstratio hujus ad sensum, « Nam Camœnæ, » idest musæ poeticæ, laceræ, idest lacerantes mentes hominum : illæ dictant mihi dicta scribenda, supple carmina metrica. Et « elegi, » idest versus miseriæ quos musæ mihi dictant, illi inquam « elegi rigant, » idest humectant ora, idest faciem meam, veris fletibus. Notandum quod secundum poetas, novem finguntur fuisse musæ in monte Elicone juxta fontem Caballinum ; de quo fonte loquitur Persius *in principio libri sui dicens :* Fonte caballino etc. Quæ musæ finguntur poetis ministrasse scientiam componendi carmina metrica. Et istæ musæ poeticæ vocabantur Camœnæ, quasi canentes amœne, eo quod multum delectant homines ratione metri. Nota quod illæ musæ poetice dicuntur laceræ active quia lacerant, idest distrahunt mentes hominum, subjicientes ipsas diversis passionibus ; nunc passioni amoris nunc doloris ; sicut patet per Ovidium *de amore* tractantem, et per alios poetas. Vel dicuntur laceræ passive ratione poematum suorum ; quæ pœmata dicuntur lacera, quia non sunt firmitate et ratione stabilita. Ubi notandum quod quædam carmina dicuntur integra, quædam lacera. Integra sunt carmina philosophica nulla falsitate permixta sed firmitate rationum stabilita, et animum firmant. Lacera sunt carmina poetica quæ non instruunt hominem nec consolantur, sed lacerant, idest distrahunt mentes hominum, nunc reducendo homini ad memoriam voluptates, nunc dolorem, nunc alias passiones. Item notandum : versus elegi principaliter inventi fuerunt propter miseriam describendam. Et quia hos versus musæ dictabant Boetio, per quos Boetius magis suam miseriam reduxit ad memoriam quam per eos consolaretur ; ideo elegi erant causa ipsi Boetio veri fletus. Item notandum : duplex est fletus, adulatorius et verus. Adulatorius qui est fictus qualis est fletus amasiæ. Si enim dixerit amasius ad amasiam, non diligis me, ipsa incipit flere : quare ? ut per fletum firmius ipsum possit tenere. Cum autem nummos non poterit extorquere ab ipso, dicit : vade, garrio, te non novi vere. Alius est fletus verus qui ex vero cordis dolore et ex vera pietate procedit. Et ad talem fletum Boetius provocatus fuit per musas dictantes sibi carmina. Notandum quod hæc dictio, elegi, potest exponi dupliciter : uno modo quod teneatur nominative : et tunc est sensus : elegi, idest versus miseriæ rigant ora mea fletibus. Alio modo quod teneatur genitive : tunc est sensus : camœnæ rigant veris fletibus ora elegi, idest miseri hominis ; quia elegus-a um, idest miser-ra-rum, secundum Huguitionem.

« Has saltem nullus etc. » Hic Boetius respondet tacitæ quæstioni. Quæreret aliquis : quomodo musæ dictant tibi carmina scribenda, cum sis in exsilium relegatus, quia laterali sine omni comitiva ? Ad hoc respondet Boetius : licet omnes amici mei dereliquerunt me in exsilio propter timorem imperialem, tamen has musas nullus terror imperialis potuit vincere quin sequerentur nostrum iter, idest me usque in exilium, dictantes nobis carmina. Notandum : licet bona exteriora possunt auferri ab homine per violentiam, sicut per furtum, per rapinam, per incendium, tamen scientia non potest auferri ab homine. Non enim scientia violentia aufertur, nec vetustate consumitur, nec tristitia minuitur. Unde Seneca, *nona epistola ad Lucilium* recitat, quod cum Stilbon capta patria, amissis liberis, amissa uxore sua et aliis bonis solus ab incendio exiret, requisitus fuerit a Demetrio, numquid omnia perdidisset, respondit : nihil perdidi ; sed omnia bona mea mecum sunt ; justitia, virtus et prudentia. Et hoc innuit Boetius dicens, Musas se non reliquisse. Unde etiam Alanus *de Planctu naturæ*, de scientia dicit : Super omnem possessionem generosa eminet possessio, quæ sparsa colligitur, erogata revertitur, publicata suscipit incrementum : per quam nobilis thesaurus secretis penetralibus asservatur, effectus æternæ delectationis acquiritur. Hæc est sol per quem mens discedit a tenebris, cordis oculus, deliciosa animi paradisus. Hæc immortalem ex mortali facit, et caducum hominem in Deum deificæ mutationis auctoritate convertit. Nota circa hanc dictionem saltim, quod tres dictiones proferri possunt per *tim* quæ deberent proferri per *tem* : unde proferimus saltim pro saltem, timpus pro tempus, extimplo pro extemplo : quod est contra Hugutionem qui dicit : Tim tria detestor : extimplo, timpora, saltim.

« Gloria felicis etc. » Hic Boetius deplangit statum suum ex parte defectus corporalis. Et primo proponit eum in generali. Secundo in speciali. Secundo ibi, « Venit enim. » Dicit primo : quondam consolabantur me gloria felicis juventæ, idest prospera juventutis et gloria viridis juventutis, idest delectabilis juventutis ; sed nunc fata, idest eventus, mœsti senis, idest tristis senectutis, solantur, idest consolantur mea, idest meam partem : quasi diceret : prius consolabar dulci juventute, nunc autem consolor tristi senectute. Secundum illam sententiam sic exponitur littera. Gloria felicis juventæ, idest prosperæ juventutis, viridis, idest delectabilis juventutis, olim, idest quondam, supple consolabatur me : nunc fata, idest eventus, mœsti senis, idest tristis senectutis, solantur mea, idest meam partem. Notandum quod communiter illa littera aliter exponitur referendo eam ad musas poeticas, sic : Camenæ quæ quondam tempore juventutis erant gloria felicis et viridis juventutis : quod dicitur pro tanto, quia juvenes olim solebant informari in arte poetica in qua proficientes gloriabantur in usu metrorum et rythmorum : nunc autem camenæ solantur mea fata inquam mœsti senis. Notandum quod felix juventus est quæ bonis exterioribus est adornata : de quibus bonis loquitur Aristoteles, circa principium libri *de Bona fortuna*, dicens : « Sine rebus exterioribus quorum fortuna est domina, non contingit esse felicem. » « Sed viridis, » idest delectabilis juventus est illa quæ est bonis naturæ decorata ; scilicet fortitudine, pulchritudine et agilitate. Unde Aristoteles *in Ethicis* : « Non omnino felix est qui specie turpis, aut solitarius, aut carens prole. » Nota quod Boetius repræsentat in se statum miseriæ cum dicit fata mœsti senis se consolari, cum minime hominem consolantur sed magis perturbant. Etiam cum dicit musas poeticas se consolari, similiter repræsentat statum miseriæ ; quia musæ poeticæ non cedent alicui in solatium, sed potius in alimentum doloris. Item de significationibus fati ponit Hugutio duos versiculos, dicens :

« Constellatio, mors, Parcæ, responsa Deorum
Eventus rerum, signantur nomine fati. »

« Venit enim properata malis etc. ; » Hic Boetius declarat in speciali defectum corporalem dicens : Bene dico quod fata mœstæ senectutis nunc consolantur me ;

enim pro quia : senectus inopina, idest inopinata per apocopam : properata, idest festinata, venit in malis, idest cum suis malis et incommodis : et dolor, supple quem patior, jussit inesse, idest induxit mihi suam ætatem. Per quod innuitur, quod non solum ætas inducit dolorem, sed e converso dolor inducit et causat ætatem et senium. Et tunc Boetius ponit duo signa suæ senectutis, dicens : cani, supple capilli, intempestivi, id est ante debitum tempus, funduntur in vertice, idest in capite meo. Aliud signum senectutis, ibi, quod cutis mea laxa, idest soluta tremit corpore et effœto, idest carne consumpta et vacuata. Nota quod hominem senem multa mala et incommoda circumveniunt. Nam pellis ejus contrahitur, cor ejus concutitur, pulmo ejus debilitatur, lumbi ejus indurantur, dorsum incurvatur, membra tremunt.

Optamus senium : cum venerit est male ventum.
Hoc est gibbosum, surdum, cœcumque, morosum.

Propter hoc dicit Boetius, quod senectus venit mihi cum suis malis. Notandum circa illam partem, « et dolor ætatem » quod triplex est causa senectutis : scilicet ætas, infirmitas, et adversitas. Senectus quæ inducitur per ætatem naturalis est : quæ autem inducitur per infirmitatem vel adversitatem accidentalis est : qualis senectus fuit in Boetio, qui senuerat propter multitudinem doloris et tristitiæ. Notandum quod canities Boetii fuit intempestiva. Huguitio dicit : intempestivum est quod est incongruum, inconveniens, inutile, vel sine tempore. Unde intempestivum dicitur illud quod non habeat idoneum tempus, vel quod non est conveniens pro tempore. Et quia Boetius juvenis erat ætate et consenuerat ex adversitate, jam canities ejus fuit intempestiva. Notandum quod in juvenibus cutis est densa propter multitudinem sanguinis, ex quo sanguine generatur caro : sed quia sanguis diminuitur in senibus, diminuitur etiam caro in eis. Ideo cutis senum est laxa. Notandum circa hoc vocabulum, « effœto, » quod ipsum tractum est a mulieribus prægnantibus, quæ cum pepererint, dicuntur effœtæ, idest fœtu evacuatæ. Unde dicit Huguitio, quod fœtus est natus mulieris adhuc in utero existens; et dicitur a foveo, eo quod ibi foveatur inde fœtus-ta-tum, idest plenus-a-um. Inde effœtus, idest debilis, quasi sine fortitudine virium vel viribus evacuatus. Inde fœtosus-a-um, idest plenus fœtu. Unde in Psal. : *Oves eorum fœtosæ*, idest plene fœtu. Et senes possunt dici effœti, quasi extra foetum positi, quia senectus non est apta ad generandum fœtum.

« Mors hominum felix etc. » Hic Boetius deplangit statum suum ex parte durationis vitæ miserabilis. Et primo præmittit quæ mors hominum sit felix et quæ non : et dicit sic. Illa mors hominum est felix quæ nec inserit, idest non immittit se dulcibus annis, idest temporibus prosperis cum delectat hominem vivere. Similiter illa mors est felix quæ sæpe vocata venit mœstis, supple annis, idest tristibus annis, quia in annis adversitatis miseri consueverunt vocare mortem. Tunc ostendit quæ mors hominum sit crudelis, dicens : Heu quam surda aure, idest reclusa aure sæva mors, idest crudelis, avertitur, idest spernit miseros homines, et negat, idest non vult claudere flentes oculos eorum. Quasi dicat : crudelis mors est quæ non permittit miseros mori. Et dicit, claudere flentes oculos; per hoc innuens, quod in morte oculi hominum clauduntur. Et tunc Boetius deplangit prolongationem suæ vitæ, dicens : Dum fortuna male fida, idest perfida, mihi faveret, idest arrideret, levibus, idest transitoriis bonis, tristis hora, supple mortis, pœne merserat, idest oppresserat meum caput. Quasi dicat : tempòre prosperitatis semper acceleravit mors opprimere me : nunc autem quia fortuna nubila, idest adversa, mutavit fallacem vultum, impia, idest misera vita, protrahit, idest prolongat moras, supple vivendi, ingratas, idest odiosas mihi, quia propter miseriam tædebat ipsum Boetium vivere. Notandum quod licet secundum vulgares et secundum apparentiam, hæc sententia de morte felici et crudeli videatur vera, tamen secundum rei veritatem est falsa ; quia mors

etiam tempore prosperitatis potest esse bona. Nam secundum Senecam, optimum est mori cum delectat vivere: et tempore adversitatis potest mors esse mala, quia adversitas sæpe inducit desperationem. Boetius autem repræsentando statum miseri hominis, istam sententiam posuit tanquam veram. Notandum quod mors comparatur vel ad vitam præsentem vel ad futuram. Primo modo illa mors dicitur felix quæ fugit tempore prosperitatis et accelerat tempore adversitatis. Si autem comparatur mors ad vitam futuram, tunc ipsa potest dici bona et mala tempore prosperitatis et etiam adversitatis: quia si mors ducit ad gloriam, dicitur bona; si ad pœnam, dicitur mala. Notandum, secundum Remigium *super Donatum*: « Heu » aliquando est monosyllabum, aliquando dissyllabum, sicut metri necessitas requirit. Unde in proposito est dissyllabum, dicendo, eheu quam surda miseros avertitur aure. Notandum quod hoc verbum, « avertor, » quandoque est passivum constructum cum ablativo mediante præpositione; ut dicendo, avertor a te: et est idem quod removeor. Aliquando est verbum deponens constructum cum accusativo, ut dicendo, avertor te: et tunc idem est quod sperno te, et sic accipitur in proposito, cum mors avertitur, idest spernit miseros. Unde versus:

« Si sit passivi, notat avertor removeri
Si sit deponens, avertor spernere signat. »

Notandum, Boetius appellat fortunam, quia est deceptiva. Unde Seneca: « Neminem adversa fortuna comminuit nisi quem secunda decipit. » Et alibi Seneca: « Fortuna nemini fidem servat, nulli semel oblata contenta est: quem nimius fovet, hunc stultum facit. » Nota, fortunæ bona dicuntur levia quia transitoria. Non enim perdurant circa hominem, secundum Senecam. Illud non est tuum quod dare potuit, potuit et auferre. Notandum quod Boetius appellat fortunam nubilam, idest obscuram sive cæcam: depingebatur enim antiquitus fortuna cæca, quia ex improviso accedit et recedit. Vel quia cæcum reddit hominem, extollendo eum in prosperis et reprimendo in adversis. Notandum quod Boetius dicit fortunam olim circa se mutasse fallacem vultum, quia fortuna olim depingebatur duplici facie: anteriori alba, posteriori autem parte nigra. Per albam designabatur prosperitas, per nigram adversitas. Mutavit ergo fortuna circa Boetium fallacem vultum prosperitatis; postea ostendit ei vultum adversitatis.

« Quid me felicem etc. » Hic Boetius deplangit statum miseriæ suæ apostrophando contra amicos, dicens: O amici mei, quid, idest, propter quod jactastis, idest jactando dixistis me, totiens, felicem? frustra enim hoc dixistis; quia felicitas mea non erat stabilis: quod patet ex hoc quia ego cecidi: et iste qui cecidit de prosperitate in adversitatem, non erat in stabili gradu prosperitatis. Notandum, duplex est felicitas: politica, quæ consistit in bonis exterioribus: et talis non est stabilis, sicut nec bona exteriora. Alia est felicitas speculativa, quæ consistit in actu sapientiæ, scilicet in speculatione substantiarum separatarum; et talis felicitas est stabilis et immutabilis, cum sit bonum optimum, pulcherrimum delectabilissimum, ex primo Ethicorum.

PROSA I

Hæc dum mecum tacitus ipse reputarem, querimoniamque lacrymabilem stili officio designarem, adstitisse mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus, et ultra communem hominum valentiam perspicacibus, colore vivido, atque inexhausti vigoris; quamvis ita ævi plena foret, ut nullo modo nostræ crederetur ætatis; staturæ discretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat, nunc vero pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur: quæ cum caput altius extulisset, ipsum etiam cœlum penetrabat, respicientiumque hominum frustrabatur intuitum. Vestes erant tenuissimis filis subtili artificio, indissolubilique materia perfectæ; quas, uti post, eadem prodente, cognovi, suis manibus ipsa texuerat. Quarum speciem, veluti fumosas imagines solet, caligo quædam neglectæ vetustatis obduxerat. Harum in extrema margine *p*, in supremo vero *t* legebatur intextum. Atque inter utrasque litteras in scalarum modum, gradus quidam insigniti videbantur, quibus ab inferiore ad superius elementum esset ascensus. Eamdem tamen vestem violentorum quorumdam sciderant manus, et particulas quas quisque potuit, abstulerant. Et dextera quidem ejus libellos, sceptrum vero sinistra gestabat. Quæ ubi

poeticas Musas vidit, nostro assistentes toro, fletibusque meis verba dictantes, commota paullisper, ac torvis inflammata luminibus : Quis, inquit, has scenicas meretriculas ad hunc ægrum permisit accedere? quæ dolores ejus non modo nullis foverent remediis, verum dulcibus insuper alerent venenis? Hae sunt enim quæ infructuosis affectuum spinis uberem fructibus rationis segetem necant, hominumque mentes assuefaciunt morbo, non liberant. At si quem profanum, uti vulgo solitum, nobis blanditiæ vestræ detraherent, minus moleste ferendum putarem. Nihil quippe in eo nostræ operæ læderentur. Hunc vero Eleaticis, atque Academicis studiis attigistis innutritum? Sed abite potius, Sirenes usque in exitium dulces, meisque eum Musis curandum sanandumque relinquite. His ille chorus increpitus, dejecit humi mœstior vultum ; confessusque rubore verecundiam, limen tristis excessit. At ego, cujus acies lacrymis mersa caligarat, ne dignoscere possem, quænam hæc esset mulier tam imperiosæ auctoritatis ; obstupui, visuque in terram defixo, quidnam deinceps esset actura, expectare tacitus cæpi. Tum illa propius accedens, in extrema lectuli mei parte consedit ; meumque intuens vultum luctu gravem, atque in humum mœrore dejectum, his versibus de nostræ mentis perturbatione conquesta est.

« Hæc dum mecum tacitus etc. » Hic incipit prosa prima hujus primi libri : in qua Boetius introducit philosophiam super suam miseriam consolantem. Ubi nota : quod Boetius dolens et ipsa philosophia ipsum consolans non sunt aliud nisi animus dolens ex oppressione sensualitatis, et ratio consolans ex vigore sapientiæ. Et dividitur. Primo ostendit Boetius quod philosophia sibi apparuit. Secundo quid circa ipsum egerit. Secunda ibi, « Quæ ubi poeticas musas. » Primo describit apparitionem philosophiæ quo ad tempus et ad locum : et describit ejus dispositionem quo ad vultum, quo ad aspectum, quo ad colorem et vigorem, et quo ad ætatem. Secundo describit philosophiam quantum ad habitum exteriorem. Tertio quantum ad ornamenta et insignia quæ manibus gestabat. « Secunda ibi, Vestes erant. » Tertia ibi, « Et dextera quidem. » Dicit primo : « Dum ego, » Boetius, « hæc » quæ supra in metro dixi, tacitus mecum reputarem, idest cogitarem, et querimoniam lacrymabilem, idest provocantem ad lacrymas designarem, idest describerem officio stili, visa est mihi mulier astitisse supra verticem, idest supra caput, admodum, idest valde reverendi vultus, oculis ardentibus et perspicacibus, idest claris ultra communem valentiam hominum, idest ultra homines : quæ apparuit in colore vivido, idest delectabili ; et apparuit mihi tamquam inexhausti, idest incomsumpti vigoris, quamvis ipsa foret ita plena ævi, idest durationis, ut nullo modo crederetur esse nostræ ætatis : statura ejus ambiguæ, idest dubiæ discretionis, idest cognitionis. Nam nunc, idest aliquando cohibebat, idest extendebat, sese ad communem mensuram hominum, idest longitudinem : nunc, idest aliquando, videbatur pulsare, idest attingere cœlum cacumine summi verticis, idest altitudine capitis : quæ cum caput altius extulisset, ipsum etiam cœlum sua longitudine penetrabat. Notandum, quod Boetius describit philosophiam sibi apparuisse sub specie mulieris : quia philosophia apud græcos et sapientia apud latinos est generis feminini. Vel ideo quia sicut mulier infantes lacte nutrit, sic philosophia minus perfectos nutrit facilibus doctrinis. Vel ideo quia Boetius erat æger, mulier autem magis est compassiva et magis habilis ad consolandum ægrum quam vir. Nam secundum Salomonem, ubi non est mulier ibi ingemiscit æger. Notandum : stare est erecto modo se habere : et quia philosophia erigit hominem ad delectationes intellectuales, faciens cadere sensuales : ideo ipsa describitur stetisse ; et dicitur stetisse supra verticem, quia philosophia est in anima intellectiva quæ non habet organum in vertice. Nam anima intellectiva nullius organi corporalis est actus. Vel dicitur ideo stare supra verticem, quia de supero cardine elapsa venit, ut dicit Boetius tertia prosa hujus primi. Notandum : philosophia dicitur reverendi vultus, quia suos possessores, reverendos facit. Nam secundum Tullium, sola sapientia est quæ meretur honores. Item secundum Tullium, reverentia est quædam decens ac matura gravitas, quæ habetur per philosophiam. Ergo dicitur reverendi vultus. Notandum : illud quod est ardens, est penetrativum : et quia per rationem et intellectum quæ sunt oculi philosophiæ, penetramus intima rerum et quidditates earum : ideo philosophia dicitur apparuisse ardentibus oculis. Et quia per philosophiam speculamur ea

quæ vulgares et communes non speculantur, idest dicitur habuisse oculos perspicaces ultra communem hominum valentiam. Notandum : color vividus est color naturalis pulcher et delectabilis ; et quia philosophia in se pulcherrima est, cum sit res mirabilis et divina, et delectabilis quia moralibus affert delectationes : ideo describitur apparuisse vivido colore. Item philosophia apparuit inexhausti vigoris : quia philosophia cum sit perpetua, exhauriri non potest. Vel idest inexhausti vigoris : quia quantumcumque homines cognoscant de philosophia, adhuc tamen restant plura cognoscenda : quod patet ex diversitate opinionum in philosophis, quarum una destruit aliam. Item quia philosophia est æterna et prævenerat ipsum Boetium : idest dicit eam non fuisse suæ ætatis. Notandum : tres sunt partes philosophiæ essentiales ex sexto *Metaphysicæ* : naturalis, mathematica et divina. Secundum naturalem philosophiam dicitur philosophia se cohibere ad communem mensuram hominum, inquantum tractat de naturalibus quæ communiter via sensus cognoscuntur : inter quæ statura hominis est communem ad quod pertinet. Dicitur autem philosophia pulsare cœlum quo ad mathematicam, idest quo ad astronomiam, inquantum tractat de motibus et figuris astrorum. Dicitur autem penetrare cœlum quo ad metaphysicam, inquantum dirigit in cognitionem Dei et substantiarum separatarum. Et dicitur philosophia frustrare intuitum hominum respicientium : quia perfectam cognitionem substantiarum separatarum in hac vita habere non possumus. Nam sicut se habet oculus nycticoracis ad lumen solis, sic intellectus noster ad manifestissima in natura ; ex secundo *Metaphysicæ*.

« Vestes erant tenuissimis filis etc. » Hic Boetius describit philosophiam quantum ad habitum exteriorem. Primo quantum ad materiam vestium : secundo quantum ad picturam vestium : tertio quantum ad violentiam vestibus illatam ; et loquuntur partes simul. Dicit primo : Vestes philosophiæ erant perfectæ tenuissimis, idest subtilissimis filis : et erant ex subtili artificio et ex materia indissolubili : quas vestes ipsa texuerat suis, idest propriis manibus, uti, pro sicut, ego cognovi, eadem philosophia prodente, idest revelante mihi in tertia prosa. Quarum, supple vestium, speciem, idest pulchritudinem, quædam caligo, idest obscura ignorantia, neglectæ vetustatis, idest negligentiæ veterum, obduxerat, idest obscuraverat, veluti solet, supple obducere, caligo fumosas imagines, idest stantes in fumo. Nunc ostendit quid fuerit depictum in vestibus ejus, dicens : In extremo margine, idest in inferiori parte harum vestium, legebatur intextum P, idest practica : in supremo, supple margine, idest in superiori parte vestium, erat intextum T, idest theorica quod interpretatur speculativa : et inter utrasque litteras, inter T et P, erant quidam gradus insigniti, idest impressi, in in modum scalarum quibus gradibus ascendebatur ab inferiori littera ad superiorem. Nunc tangit violentiam vestibus illatam, dicens : Eamdem vestem sciderant, idest laceraverant manus quorumdam hominum violentorum, supple facientium violentiam ; et quisquis, idest unusquisque, abstulerat particulas a veste quas poterat auferre. Notandum quod per vestes philosophiæ intelliguntur partes essentiales et artes liberales. Sicut enim corpus vestibus ornatur, sic philosophia suis partibus decoratur. Per fila autem subtilissima intelliguntur præcepta philosophicalia sive propositiones philosophicales. Sicut enim unum filum in vestibus ordinatur circa aliud, sic una propositio juxta aliam : quæ propositiones dicuntur subtilissimæ, quia per eas homo subtilia investigat. Dicuntur et hujusmodi præcepta subtili artificio contexta, ratione ornatus verborum et sententiarum quæ in eis inveniuntur. Et sunt ex materia indissolubili : quia licet a quibusdam male exprimantur, tamen in se ipsis habent veritatem indissolubilem. Notandum, per manus philosophiæ, per quas suas vestes texuerat, intelliguntur philosophi qui præcepta philosophica conscripserunt. Et dicuntur rationabiliter manus philosophiæ : quia nisi fuissent istructi præceptis philosophicis, ea exprimere minime valuissent. Notandum

quod vestes philosophiæ dicuntur fuisse obductæ quadam caligine, quia tempore Boetii artes ad tantam negligentiam devenerant quod pauci eas curabant. Sed Boetius eas transtulit et exposuit sive commentatus est. Vel ideo vestes philosophiæ fuerunt fumosæ, quia ab antiquis obscure fuerit tradita philosophia, ab Empedocle poetice, a Platone ænigmatice, ab Aristotele sub verborum obscuritate. Notandum quia duæ sunt partes principales philosophiæ : scilicet practica et theorica. Ideo in veste philosophiæ erant duæ litteræ intextæ, scilicet P et T. P autem erat in inferiori parte vestis, et T in superiori : per quod innuitur quod philosophia practica est inferior speculativa ordine dignitatis. Per gradus autem medios qui erant inter utrasque litteras, intelliguntur scientiæ eloquentiæ quæ sunt grammatica, logica, rhetorica. Notandum quod dicitur ascensum fuisse per gradus a practica ad speculativam : per hoc innuitur quod homo primo debet esse sufficienter instructus in praticis, ut post ascendere valeat contemplativis. Notandum quid sit scindere vestes philosophiæ. Illi tantum dicuntur vestes scindere philosophiæ qui putant habentes unam scientiam se esse perfectos philosophos sine aliis. Si aut aliqui sciant unam artem sine alia : dummodo se cognoscant non esse perfectos philosophos, tales non scindunt vestes philosophiæ. Vel illi scindunt vestes philosophiæ, qui per exortas expositiones trahunt veras propositiones ad suas falsas opiniones.

« Et dextra quidem ejus etc. » Hic Boetius describit philosophiam quantum ad insignia et ornamenta quæ manibus gestabat, dicens : Et dextera manus philosophiæ gestabat libellos, sinistra vero gestabat, idest portabat, sceptrum, idest virgam regalem. Notandum quod omnis cura et intentio viri sapientis versatur vel circa contemplationem sapientiæ, quod designatur per libellos, vel circa regimen reipublicæ, quod designatur per sceptrum. Et quia contemplatio sapientiæ potior est quam regimen reipublicæ : ideo philosophia dicitur in dextra habere libellos, in sinistra vero sceptrum.

« Quare ubi poeticas musas etc. » Postquam Boetius ostendit quomodo philosophia sibi apparuit, hic ostendit quid circa ipsum egerit. Et primo ostendit quomodo musas poeticas fugavit. Secundo ostendit quomodo ipse de hoc obstupuit. Tertio quomodo philosophia sibi appropinquans statum ejus deplanxit. Secunda ibi, « At ego. » Tertia ibi, « Tum illa. » Dicit primo : quæ (supple philosophia) ubi (pro postquam) vidit poeticas musas assistentes nostro toro, idest lecto : quia Boetius tamquam æger in lecto decubuit : et cum vidit musas dictantes verba, idest carmina, meis fletibus, ipsa philosophia paulisper, idest aliquantulum, commota et inflammata, idest incensa, torvis luminibus idest crudelibus vel terribilibus oculis, inquit : quis permisit has meretriculas scenicas, idest umbrosas, accedere ad hunc ægrum, quæ dolores ejus non modo, idest non tantum, foverent idest sanarent, nullis remediis, idest medicamentis, verum (pro sed) alerent, supple dolores ejus, dulcibus venenis. Hæ sunt enim musæ quæ infructuosis spinis affectuum, idest passionum, necant, idest suffocant, uberem, idest fertilem, fructum rationis fructibus, idest in fructibus suis, et mentes hominum assuefaciunt morbo, non liberant. Nunc alloquitur musas dicens : O musæ, si vestræ blanditiæ detraxissent nobis quem, idest aliquem, virum profanum, idest illitteratum, uti (pro tamquam) solitum, idest similem, vulgo ; ego putarem id ferendum, idest patiendum ; minus moleste quippe in hoc nihil læderentur nostræ operæ, idest nostræ sedulitates : sed vos allexistis nobis hominem hunc enutritum studiis, idest scientiis eleaticis, idest Aristotelicis, atque academicis, idest Platonicis. Nunc fugat eas dicens. Sed abite potius, idest recedite, vos syrenes, dulces usque in exitium, idest in mortem, et relinquite eum curandum meis musis, idest doctrinis salutiferis. Tunc iste chorus, idest turba musarum, increpitus, idest redargutus, mœstior, idest tristior, existens, vultum suum dejecit, idest inclinavit, humi, idest terræ, et rubore confessus verecundiam tristis excessit, idest exivit, limen, idest domum, in quo decubuit Boetius. Notandum quod ideo musæ poe-

tæ dicebantur assistere toro Boetii, quia Boetius studuit metrice dolorem suum conscribere. Item philosophia dicitur paulisper commota; per quod innuitur quod ira immoderata non debet cadere in virum sapientem; quia virtus consistit in immoderatione passionum. Unde, licet irasci sit homini naturale, tamen irasci quando oportet, et ut oportet, et quantum oportet, est hominis virtuosi et sapientis. Unde Seneca : « quid crudelius ira? » Similiter in de *virtutibus cardinalibus* : « Esto tardus ad iram. » Item interrogatio quandoque fit causa ignorantiæ alicujus ; aliquando ut ex responsione facta aliquid probetur ; quandoque fit propter increpationem faciendam : et hoc ultimo modo philosophia interrogat, dicens : quis has scenicas meretriculas etc. Notandum quod musæ poeticæ dicuntur meretriculæ : sicut enim meretrix allicit hominem delectando nihil utilitatis sibi conferendo, et commiscet se cuilibet non ex amore sed spe lucri : ita poetæ non scribunt amore scientiæ : sed ut aliquid laudis vel præmii consequantur : et delectant ratione metri, modicum utilitatis conferendo sed diversas passiones inducendo. Appellat autem philosophia musas meretriculas scenicas : quia carmina poetica in scena consueverunt pronuntiari. Ubi nota quod scena dicebatur locus umbrosus in theatro ubi abscondebantur personæ pronunciantes carmina tragica vel comica : unde scena interpretatur umbratio vel umbra. Vel ideo musæ poeticæ dicuntur scenicæ, idest umbratiles, quia sunt umbra scientiæ non vera scientia, cum obumbrent mentes hominum. Item metrica descriptio doloris non sanat dolorem sed magis auget, quia consideratio miseriæ est provocativa tristitiæ. Unusquisque autem cum diligentia considerat quod scribere vult. Item metrica descriptio dicitur esse dulce venenum, quia placet et nocet : ratione metri placet, sed propter recordationem doloris nocet. Item affectus est vehemens animi passio animum torquens et verum judicium rationis impediens. Et sunt quatuor affectus animi : gaudium, dolor, spes et timor : qui dicuntur infructuosæ spinæ, quia suffocant segetem rationis, quæ est scientia et virtus. Item licet de omni errore dolendum sit, potius tamen de errore sapientis quam insipientis : nam error sapientis alios exemplo corrumpit, error autem insipientis non, quia ab insipiente non trahitur exemplum. Propter quod dixit Sallustius : « Omnia mala exempla a rebus bonis orta sunt. » Ergo dicit philosophia, magis esset dolendum de errore Boetii quam alterius profani. Item secundum Huguitionem, fanum idem est quod templum. Inde profanus idest sacrilegus, quasi procul a fano idest a templo. Profanum etiam dicitur quicquid non est sacrum, unde omnes laici et illiterati dicuntur profani, quasi procul a fano sapientiæ. Item secundum Huguitionem, opera operæ est sedulitas in rebus agendis. Opera autem philosophiæ est intentio vel labor ad aliquid philosophicum addiscendum. Item Eleys est civitas Græciæ in qua studuit Aristoteles : unde studia sua dicuntur eleatica. Academia autem fuit civitas vel villa in qua studuit Plato, unde studia sua dicuntur academica. Utrisque autem studiis Boetius fuit enutritus. Item philosophia musas appellat syrenes : sicut enim syrenes dulcedine cantus attrahunt naves periclitando eas, sic musæ delectatione metri alliciunt homines vel mentes hominum, et rationem aliquo affectu submergunt et obscurant. Item quod una philosophia conventum musarum expulit, signatur quod unus sapiens sua virtute et sapientia infinitos errores stultorum extinguit.

« At ego cujus acies etc. » Hic Boetius ostendit quomodo obstupuit de actu philosophiæ, dicens : At ego Boetius cujus acies, idest visio, mersa lacrymis caligarat, idest obscura fuerat, ut nec posset dignoscere, idest investigare, quænam, idest quæ esset hæc mulier tam imperiosæ auctoritatis, idest potentiæ, ego obstupui, idest miratus fui, et defixo, idest inclinato visu in terram, tacitus cepi expectare, quidnam deinceps, idest consequenter, esset actura circa me. Notandum : quia Boetius doluit de amissione rerum temporalium, ejus acies, idest ratio et intellectus, caligarat, ita quod non potuit cognoscere philosophiam. Notandum

quod licet Boetius de actu philosophiæ obstupuit, tamen tacitus expectavit quid deinceps facere vellet ; per hoc innuens se esse talem qui consolationem acciperet. Qui enim refutant alios audire, nec audita ratione acquiescunt, tales sibi ipsis obstaculum consolationis faciunt.

« Tum illa etc. » Hic Boetius ostendit quomodo philosophia sibi appropinquans statum ejus deplanxit, dicens : « Tum illa philosophia accedens proprius « consedit in extrema parte lectuli » idest cordis mei : et intuens meum vultum gravem, idest gravatum luctu, atque dejectum, idest inclinatum in humum, idest in terram, mœrore, idest tristitia, conquesta est his versibus sequentibus de perturbatione nostræ mentis. Nota quod philosophia dicitur sedisse in extrema parte lectuli, idest cordis Boetii. Nam cum esset in tristitia, et doleret propter amissionem rerum temporalium, parum vel nihil sapientiæ habebat ; et quia tota cura ejus erat circa terrena amissa, ideo dicitur habuisse vultum mœrore dejectum in humum.

METRUM II.

Heu, quam præcipiti mersa profundo
Mens hebet, et propria luce relicta,
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quoties flatibus acta
Crescit in immensum noxia cura !
Hic quondam cœlo liber aperto,
Suetus in ætherios ire meatus,
Cernebat rosei lumina solis,
Visebat gelidæ sidera lunæ,
Et quæcumque vagos stella recursus
Exercet, varios flexa per orbes,
Comprensam numeris victor habebat.
Quin etiam caussas, unde sonora
Flumina sollicitent æquora ponti,
Quis volvat stabilem spiritus orbem,
Vel cur Hesperias sidus in undas
Casurum rutilo surgat ab ortu :
Quis veris placidas temperet horas,
Ut terras roseis floribus ornet :
Quis dedit ut pleno fertilis anno
Autumnus gravidis influat uvis,
Rimari solitus, atque latentis
Naturæ varias reddere caussas :
Nunc jacet effeto lumine mentis,
Et pressus gravibus colla catenis,
Declivemque gerens pondere vultum,
Cogitur, heu ! stolidam cernere terram.

« Heu quam præcipiti mersa profundo etc. » Hic incipit metrum secundum hujus primi libri, quod vocatur metrum dactylicum a pede prædominante : et dicitur tetrametrum a numero pedum, a tetra quod est quatuor, quia quatuor pedes continet : et dicitur ypercatalecticum propter syllabam abundantem post duos pedes in medio versus. Verbi gratia : Primus pes est, « Heu quam : » secundus « præcipi, » sed syllaba « ti » hujus nominis præcipiti, superabundat : tertius pes est, « mersa pro ; » quartus « fundo. » Similiter est in aliis. In hoc ergo metro, philosophia deplangit statum Boetii, dolendo perturbationem suæ mentis : et facit duo. Primo universaliter philosophia deplangit perturbationem mentis hominum. Secundo specialiter convertit planctum suum super Boetium, ibi, « Hic quondam. » Primo dicit : Heu quam, » idest quantum mens hominum hebet, idest obscuratur, « mersa præcipiti profundo » idest cura rerum temporalium quæ præcipitat hominem : et talis mens, relicta propria luce, idest contemplatione, tendit, idest laborat, ire in tenebras externas, idest in ignorantias exteriores. Hoc autem contingit homini quoties, supple mens acta, idest agitata, terrenis flatibus, idest prosperitatibus vel eventibus, cura, idest sollicitudo rerum temporalium, noxia, idest nociva, crescit in immensum, idest supra modum. Nota quod in nobis est duplex virtus, rationalis et sensualis : sensus autem semper adversatur rationi, quia caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Cum autem sensualitas vincit rationem, tunc homo est in malo statu regiminis, et efficitur bestialis. Unde Albertus *super tertio de Anima* dicit : « Turpe est nobis abjicere regimen superioris et induere regimen inferioris virtutis, quod nobis commune est cum bestiis. » Ideo scribitur *tertio Ethicorum*, in antiqua translatione : « valde conandum et laborandum est nobis, ut virtus nostra concupiscibilis subjecta sit rationi. » Quemadmodum enim pueri perverse vivunt si non a suis pædagogis fuerint coacti ad recte vivendum, sic appetitus sensualis ducit nos ad insolentiam, nisi regula rationis fuerit coarctatus. Plures autem homines sequuntur sensualitatem quam rationem, insudantes bonis exterioribus et delectationibus sensualibus, per quæ impediun-

tur in speculatione et cognitione summi Boni. Ideo philosophia hoc deplangens dicit in metro : « Heu quam præcipiti. » Item cum animus ingerit se curis rerum temporalium, profunde præcipitatur et hebet, quia a constitutione rerum et sui creatoris destituitur, et destitutus cadit in tenebras externas, idest in ignorantias exteriores. Ubi nota quod duplex est ignorantia : quædam naturalis quæ est in juvenibus et decrepitis, et vocatur ignorantia interna, quia ex naturali defectu contingit. Alia est ignorantia quæ causatur ex negligentia hominis quando sollicitatur circa exteriora ; et talis dicitur externa, quia est extra naturam ; de qua dicitur quod omnes homines naturaliter scire desiderant. Prima ignorantia cum sit naturalis, non est vitiosa, quia turpes a natura nemo increpat neque bonos laudat. Secunda est vitiosa cum sit per hominis negligentiam ; de qua loquitur Boetius *secundo* hujus libri *prosa quinta* : « Cæteris animantibus sese ignorare natura est ; hominibus vero vitio venit. » Item dicit, « noxia cura. » Unde Seneca *in Proverbiis* : « Magnam partem perturbationis sibi dedit qui exterioribus se injicit. » Item ratio et intellectus dicuntur lux hominis, quia illuminant hominem ad cogitationem creaturæ et creatoris ; dicuntur autem propria lux hominis, quia solum genus hominum vivit arte et ratione, ex *primo Metaphysicæ*.

« Hic quondam cœlo etc. » Hic philosophia specialiter convertit se ad deplangendum Boetium. Et primo ostendit quanta contemplatione Boetius quondam viguit. Secundo ostendit quomodo destitutus a tali contemplatione solum de terrenis cogitabat, ibi, « Nunc jacet effeto. » Primo philosophia commendat Boetium ab astronomia. Secundo a naturali philosophia. Tertio a metaphysica. Secunda ibi, « Quin etiam causas. » Tertia ibi, « Quis volvat stabilem. » Primo dicit : Boetius quondam liber, idest solutus a cura rerum temporalium cœlo sibi aperto per cognitionem suetus fuit ire per rationem in æthereos meatus, idest in motus corporum cœlestium ; et ipse cernebat, idest speculabatur lumina, idest radios rosei solis ; visebat, idest cum desiderio videbat sidera, idest constellationes gelidæ, idest frigidæ lunæ ; et ipse Boetius, victor ignorantiæ, habebat omnem stellam comprehensam numeris, idest certis computationibus, quæcumque stella erratica exercet, idest operatur vagos, idest varios recursus, nunc progrediendo, nunc regrediendo ; stella inquam flexa, idest mota per varios orbes, idest circulos. Nota quod animo liberato a curis exterioribus concessum est philosophari ; ideo quædam artes dicuntur liberales, quia filii liberorum, idest nobilium, qui erant liberati a curis temporalibus, talibus artibus vacabant. Ideo dicit philosophia quod Boetius quondam liber etc. Nota quod dicit cœlo aperto ; licet homo planetas cœli corporaliter non attingat, tamen speculatione comprehendit. Hoc pulchre tangit Trismegistus dicens : « Magnum miraculum est homo et animal honorandum : hic anima intellectiva in naturam Dei transit quasi ipse Deus sit. Hic per naturam animæ diis est conjunctus, hic dæmonum genus novit, terram colit, elementis commiscetur acumine mentis, in maris profunda descendit, cœlum quod videtur altissimum animi sagacitate metitur ; intentionem animi ejus nulla aeris caligo confundit, nec terræ densitas ejus operationem impedit ; non aquæ profunditas aspectum ejus obtundit. » Nota quod sol in ortu suo apparet roseus propter vapores interpositos inter visum nostrum et solem. Nam album visum per fumum apparet rubeum. Etiam licet in meridie vapores sint interpositi, non tamen apparet tunc roseus, eo quod illi vapores non sunt grossi sed subtiliati calore solis. Nota. Philosophia dicit lunam esse gelidam : quod non est intelligendum formaliter, quia primæ qualitates quæ sunt calidum, frigidum, humidum, siccum, non habent locum in corporibus cœlestibus cum non recipiant peregrinas impressiones, sed dicitur luna gelida virtualiter vel effective, quia frigus et etiam humores efficit in inferioribus ; propter quod noctes quibus luna præest sunt gelidiores et humidiores magis diebus. Nota, quod planetæ dicuntur habere vagos recursus quia moventur duplici mo-

tu : scilicet primi mobilis ab oriente in occidentem, et proprio motu ab occidente in orientem; vel ideo quia quandoque apparent nobis stationarii, quandoque retrogradi, quandoque propinqui, quandoque aliqualiter remoti. Nota, quod stella erratica dicitur flexa, idest mota per varios orbes circulorum, scilicet deferentis et epicycli, ratione quorum circulorum nunc dicuntur progressivi, nunc retrogradi, nunc stationarii, ut dictum est; et habet videri in theorica planetarum vel astronomia.

« Quin etiam causas etc. » Hic commendat eum ex parte naturalis philosophiæ dicens : « Quin etiam pro certo. » Boetius solitus fuit rimari, idest inquirere causas, unde (idest propter quas causas) sonora flamina, idest sonorosi venti sollicitent, idest perturbent, æquora, idest planitiem, ponti, idest maris : quasi diceret : Boetius scivit causas generationis ventorum qui commovent ipsum mare. Nota, quod ex libro *Meteororum* patet, quod ventus generatur ex vapore calido et sicco elevato per calorem solis; qui perveniens ad locum nubium frigiditate nubis repercutitur et repercussus fertur in latus et facit sonum impellendo aerem : et quia aqua faciliter est divisibilis, de facili cedit et reverberatur per ventos. Vel aliter potest intelligi. Antiqui enim dixerunt quod ideo venti turbant mare, quia in ipso mari generantur venti, qui non exeunt, sed faciunt fluxum maris; licet hæc opinio non sit vera : quia mare fluit et refluit tempore determinato, sicut bis in die naturali; venti autem generantur tempore indeterminato.

« Quis volvat stabilem. » Hic philosophia commendat Boetium a metaphysica, et iterato a naturali philosophia, dicens : Boetius etiam solitus rimari quis spiritus, idest intelligentia, volvat motu diurno stabilem orbem firmamenti, vel etiam cur sidus solis vel aliud habens ortum et occasum, casurum in hesperias undas, idest in aquas maris occidentalis, surgat, idest iterum oriatur ab ortu rutilo, idest ab oriente splendido : quasi dicat : Boetius solitus erat inquirere cur stellæ quæ in occidente videntur occidere iterum resurgant in oriente : etiam erat solitus rimari quis temperet placidas horas veris, idest temporis vernalis, ut ornet terram roseis floribus. Quis dedit, idest ordinavit, ut autumnus fertilis anno pleno, idest fecundo, influat, idest influentiam faciat gravidis uvis, idest botris repletis. Etiam erat solitus reddere, idest assignare, varias causas latentis naturæ, idest rerum naturalium. Nota : omne quod movetur ab alio movetur, ex *septimo Physicorum*; ergo cœlum ab alio movetur. Movetur autem cœlum a duplici motore per Commentatorem in *duodecimo Metaphysicæ* : ab uno conjuncto et appropriato qui vocatur intelligentia, a quo movetur effective; ab alio motore separato, qui est Deus, a quo movetur in ratione finis. Item dicit orbem cœlestem esse stabilem : licet enim moveatur et mutet locum secundum partes, non tamen secundum totum : et quantum ad hoc dicitur esse stabilis, idest immobilis. Item causa quare stellæ quæ occidunt iterum oriantur, non est alia nisi motus circularis primi mobilis qui secum rapit omnes stellas tam fixas quam erraticas. Item hesperus est stella quæ de vespere sequitur solem occidentem, a qua stella mare occidentale dicitur hespericum mare, eo quod sol et hesperus ibi emergant : non quod ita sit, sed quia vulgares sic opinantur : cum enim stellæ occidunt, propter interpositionem maris inter visum et stellas videntur stellæ mergi in mare. Item tempus vernale dicitur placidum, quia est conveniens vitæ hominis. Est enim tempus veris calidum et humidum, in quibus consistit vita ex libro *de Morte et vita*. Et ideo illo tempore producuntur flores. Nam materia florum est humidum aqueum subtile bene coctum a calido aereo. Quia igitur in vere dominatur calidum aereum et humidum aqueum subtile quod parva indiget digestione; ideo in vere, cujus calor temperatus est, flores producuntur. Item vitis multum abundat de humido aqueo et grosso : cujus signum est, quia tempore putationis distillat ab eis quasi humidum lacrymabile : tale autem humidum grossum multum resistit digestioni, ideo uvæ ad maturitatem tarde

pervenitur, scilicet tempore autumni. Item Boetius consuevit cribrare causas latentes rerum naturalium, quod fuit in dicium felicitatis. Nam secundum Virgilium :

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

« Nunc jacet effeto etc. » Hic ostendit philosophia quomodo Boetius destitutus erat prædicta speculatione cum de terrenis cogitabat, dicens : Nunc, idest tempore doloris, Boetius jacet, idest prostratus est effeto, idest evacuato, lumine, idest speculatione mentis, et ipse pressus colla, idest secundum colla, gravidis catenis, passionum quæ mentem gravant, gerensque declivem vultum, idest inclinatum pondere amissionis rerum temporalium, heu cogitur cernere stolidam terram, idest bona terrena quæ homines stolidos efficiunt. Nota : catena est ferreum instrumentum, quo aliquid contra suam naturam detinetur. Quatuor autem affectus quæ sunt gaudium spes, timor, dolor, similitudinarie dicuntur catenæ, quia animum hominis detinent et contra suam naturam et rationem ad illicita trahunt : nam ratio semper deprecatur ad optima, ex *primo Ethicorum*. Et propterea Boetius in fine hujus primi hortatur fugam passionum, ibi, « Tu quoque si vis. » Item nota : non est æstimandum quod Boetius sic esset ita evacuatus lumine mentis sicut littera sonat ; quia alias fuisset insufficiens pro compositione hujus libri ; sed philosophia loquitur hoc compassive. Ille enim est merus stultus qui inclinat se ad terrena diligendo ipsa et non elevando intellectum suum ad spectabilia : qualis non fuit Boetius. Unde dicit Augustinus : « Tales sunt homines qualia sunt ea quæ diligunt ; quia dilectio transmutat diligentem in similitudinem rei quam diligit. » Hæc Marquardus.

PROSA II.

Sed medicinæ, inquit, potius tempus est quam querelæ. Tum vero totis in me intenta luminibus : Tu ne es ille, ait, qui nostro quondam lacte nutritus, nostris educatus alimentis, in virilis animi robur evaseras? Atqui talia contuleramus arma, quæ nisi prior abjecisses, invicta te firmitate tuerentur. Agnoscisne me? Quid taces? pudore an stupore siluisti? Mallem pudore ; sed te, ut video, stupor oppressit. Cumque me non modo tacitum, sed elinguem prorsus, mutumque vidisset, admovit pectori meo leniter manum. Et nihil, inquit, pericli est ; lethargum patitur, communem illusarum mentium morbum. Sui paulisper oblitus est ; recordabitur facile, si quidem nos ante cognoverit. Quod ut possit, paulisper lumina ejus, mortalium rerum nube caligantia, tergamus. Hæc dixit, oculosque meos fletibus undantes, contracta in rugam veste, siccavit.

« Sed medicinæ, inquit, potius etc. » Hic incipit secunda prosa hujus primi libri ; in qua philosophia investigat morbum Boetii ex quibusdam signis. Secundo consolatur ipsum ne desperet. Secunda ibi, « Cumque me non. » Primo dicit philosophia : O Boeti, ego possem multa conqueri de perturbatione mentis tuæ : sed nunc potius medicinæ tempus est quam querelæ. Vero pro sed, tum, idest tunc, mulier illa intenta in me totis luminibus, idest oculis, ait : es tu ne ille qui quondam tempore juventutis, nutritus nostro lacte, idest facilibus documentis, in ætate autem perfecta educatus, idest nutritus nostris alimentis, idest doctrinis difficilioribus, tu evaseras, idest perveneras in robur, idest in fortitudinem, virilis animi? atque pro certo nos contuleramus tibi arma talia, idest documenta quæ nisi prius abjecisses, per oblivionem, ipsa tuerentur te, invicta firmitate. Dicit philosophia : Agnoscis ne me? quid taces? siluisti ne pudore, idest verecundia, an stupore, idest mentis alienatione? Ego mallem, idest magis vellem, te siluisse pudore ; sed ut ego video, stupor oppressit te. Nota, quod philosophia in deplangendo Boetium non facit longam moram, ne Boetius desperet super infirmitate sua : ergo dicit philosophia magis esse tempus medicinæ quam querelæ. Item boni medici est totis oculis diligenter respicere faciem infirmi, eo quod in facie magis apparent signa pronosticationis infirmitatis ; ideo philosophia dicitur esse intuita Boetium totis luminibus. Item per arma philosophiæ intelliguntur præcepta philosophicalia, quæ persuadent minime extolli in prosperis, nec deprimi in adversis. Hortatur enim nos philosophia ad magnanimitatem. Magnanimus autem est qui

contra deformes insultus fortunæ unanimi mentis constantia militat. De his et subtibilibus præceptis philosophicis Boetius oblitus fuit propter dolorem. Nota : taciturnitas quandoque provenit ex pudore, quandoque est ex stupore. Quando enim manifestatur alicui aliquid quod vellet celari, ipse efficitur verecundus et oculi ejus deprimuntur, facies ejus rubet et avertitur, et lingua ejus in loquendo ligatur. Nota, quod stupor uno modo est abundans admiratio mentis, ut ibi, Papa stupor mundi. Alio modo est mentis alienatio, et sic accipitur in proposito, et inducit taciturnitatem. Ex quo enim motus linguæ est secundum conformitatem ad phantasiam, turbata phantasia, sicut contingit in alienatione mentis, præpeditur lingua in loquendo. Ergo dicit philosophia, pudore an stupore siluisti? et quia taciturnitas perveniens ex stupore deterior est quam quæ causatur ex pudore, cum ipsa causetur ex aliquo defectu interiori ; ideo dicit philosophia : mallem pudore siluisse. Nota, secundum Huguitionem : « pudor est corporis, sed pudicitia est mentis. » Est autem pudor verecundia ex aliquo casu innata, non auferens memoriam, sed impediens linguam. Stupor autem est casus memoriam auferens et linguam impediens. Et pejus est tacere stupore quam pudore ; quia melius est memoriam retinendo non loqui, quam loqui et memoria carere. Nota, Philosophia dicit Boetium habuisse nutritum suo lacte. Per nutrimentum lactis intelligitur trivium, scilicet grammatica, logica et rhetorica, quibus juvenes sunt seriatim informandi, tamquam facilibus documentis, sicut puer lacte nutrimento molli et facilis digestionis nutritur. Sed per hoc quod dicit, virilis animi robur evaseras, scilicet ad scientiam mathematicam etc., qua tamquam per scientiam magis subtilem homo perfectæ ætatis efficitur. Nota, Philosophia contulit Boetio arma non corporalia sed spiritualia, sicut sunt virtutes intellectuales quas enumerat Aristoteles *sexto Ethicorum;* et sunt illa : intellectus sapientia, scientia, ars et prudentia. Et similiter virtutes cardinales, quæ sunt quatuor : Prudentia, justitia, fortitudo, temperantia : et dicuntur cardinales, quia quamdam principalitatem sibi vendicant circa materiam circa quam habent fieri. Illa enim arma abjecit Boetius quando temporalibus adhæsit, appetitui sensitivo annuens et ab attentione cœlestium sequestratus. Et de istis armis dicit Apostolus : *Abjicite ergo opera tenebrarum et induimini arma lucis; sicut in die honeste ambulemus.*

« Cumque me non modo tacitum etc. » Hic philosophia consolatur Boetium ne desperet : dicens : cum philosophia vidisset me non modo, idest non tantum tacitum, sed prorsus, idest totaliter elinguem, que pro et, mutum, ipsa admovit, idest apposuit pectori meo leviter manum, et inquit idest dixit : nihil periculi est circa hunc hominem : ipse patitur lethargum, idest morbum oblivionis, morbum inquam communem mentium illusarum, idest deceptarum ; et ipse paulisper, idest modicum est oblitus sui ; sed facile sui recordabitur, siquidem pro certo cognoverit nos philosophiam ante, idest prius. Quod ut ipse possit facere, tergamus lumina, idest oculos ejus, caligantia nube, idest obscuritate rerum mortalium, idest temporalium. Hæc dixit philosophia ; et veste sua contracta, idest convoluta in rugam, siccavit oculos meo fletibus undantes, idest humectantes. Nota quod tacitus est ille qui non loquitur, licet habeat potestatem linguæ ad loquendum : sed elinguis vel mutus dicitur ille qui non solum non loquitur, sed non habet potestatem linguæ ad loquendum : et talis fuit Boetius propter stuporem, idest mentis alienationem. Nota quod philosophia innuens se esse bonam medicam, consolatur Boetium dicens : Nihil periculi est in homine isto : quia secundum Senecam in libro *de Clementia ad Neronem :* « Mali medici est desperare ne curetur æger. » Nota quod lethargia est infirmitas causata ex oppressione cerebri cum oblivione ; et jungitur continuo somno ; et sic lethargus est morbus inducens oblivionem et somnum . Inde lethargicus, et est homo qui patitur talem morbum : et dicitur a lethes, quod interpretatur oblivio : etiam Lethes est flu-

vires infernalis. Boetius ergo patiebatur lethargum, idest morbum oblivionis, quia si praecepta Philosophiae in memoria habuisset, nunquam de amissione rerum temporalium doluisset. Item dicit lethargum esse morbum illusarum mentium: quia mens illius est ubi ratio est ligata propter defectum phantasiae, sicut in phreneticis, vel propter defectum memoriae, sicut in lethargicis. Notandum : homo componitur ex anima immortali et corpore mortali. Sed quia Boetius oblitus fuit bonorum animae, ideo dicitur fuisse sui oblitus, non totaliter, sed paululum, quia adhuc curam habuit de bonis terrenis quae respiciunt corpus. Item homo per philosophiam habet sui ipsius perfectam cognitionem. Ad cognoscendum autem illud quod per Philosophiam cognoscitur, oportet primo philosophiam cognoscere, ideo dicit philosophia : recordabitur sui facile si nos prius cognoverit. Item per vestes philosophiae in rugam contractas intelliguntur praecepta philosophicalia, in unum volumen congregata, sicut in illo libro, quibus ipsa Philosophia Boetium consolatur. Nota quod ad medicum infirmum curare volentem plures requiruntur conditiones. Prima ut qualitates et conditiones respiciat, ut humores nocentes cognoscat. Secundo ad loquendum eum moveat. Tertio si prae valida aegritudine elanguescat, ut manum corpori infirmi adhibeat. Quarto ut eum verbis consolatoriis reficiat. Sic philosophia videns dolores Boetii, Primo eum inspexit. Secundo ad loquendum movit. Tertio manum suam corpori apposuit. Et quarto verbis consolatoriis refecit.

METRUM III

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebrae
Luminibusque prior rediit vigor ;
Ut cum praecipiti glomerantur sidera Coro,
Nimbosisque polus stetit imbribus,
Sol latet, ac nondum coelo venientibus astris,
Desuper in terram nox funditur :
Hanc si Threicio Boreas emissus ab antro
Verberet, et clausam reserat diem,
Emicat, et subito vibratus lumine Phoebus
Mirantes oculos radiis ferit.

« Tunc me discussa liquerunt etc. » Hic incipit tertium metrum hujus primi libri : cujus primus versus vocatur metrum dactylicum hexametrum ; secundus dicitur metrum alemanicum ab inventore, tetrametrum a numero pedum, dactylicum a pede praedominante, et catalecticum, quia nulla syllaba abundat nec deficit in hoc metro. Boetius declarat per quoddam simile, quomodo remotis impedimentis vigorem cognitionis recuperavit : et est talis similitudo. Sicut Coro flante nubes generantur, et per interpositionem nubium sol et alia astra nobis occultantur : sic adversitate imminente homo afficitur diversis passionibus obscurantibus intellectum : et sicut austro flante dissolvuntur et radii solares revertuntur, sic adversitate, adveniente consolatione philosophica, passiones sedantur et intellectus illuminatur. Dicit ergo in littera : Tunc cum philosophia tersit oculos meos, tenebrae liquerunt me discussa nocte, idest obscuritate ; et prior vigor cognitionis rediit luminibus meis, idest oculis, ut (pro sicut) sol latet, idest occultatur quum, idest quando sidera, idest stellae, glomerantur, idest involvuntur, praecipiti Coro, idest tali vento, et polus, idest coelum stetit, idest stare videtur nimbosis imbribus, idest pluviis nubilosis, ac (pro etiam) nox, idest obscuritas, funditur desuper, idest de nubibus in terram, nondum, idest adhuc, astris, idest stellis, venientibus, idest apparentibus in coelo. Si Boreas emissus ab threicio antro, idest Thraciae regionis verberet, idest depellat hanc noctem, idest obscuritatem, et reseret clausum diem, tunc phoebus, idest sol emicat, idest lucet, et vibratus, idest fortificatus, lumine suo ferit, idest percutit, oculos hominum, mirantes subito lumine solis post tenebras. Nota : philosophia trahit hominem ab obscuritate ignorantiae ad lucem sapientiae, ex libro de *Pomo Aristotelis*, et etiam per metristam.

« Ars luminum formae, nec tunc esse malum »

Et ergo cum philosophia siccasset oculos Boetii, fugatis tenebris ignorantiae, rediit vigor intelligentiae. Nota : quatuor sunt venti principales qui flant a quatuor partibus mundi, scilicet ab oriente, occidente, septentrione et meri-

die ; quorum quilibet habet duos collaterales : et sic sunt duodecim venti qui his versibus continentur :

« Flant Subsolanus, Vulturnus et Eurus ab ortu.
Atque die medio Notus haberet et Africus Austro.
Circinus occasum Zephirusque Favonius afflant.
Sed veniunt Aquilo Boreas et Corus ab arcto. »

Corus ergo est ventus quo flante generantur nubes et conglomerantur sidera, sic quod per nubes occultantur. Nota quod polus est stella quæ semper in eodem loco videtur ; sed hic polus ponitur per firmamento, tamquam pars pro toto per synecdochen. Nota quod polus, idest cœlum dicitur stare quando est obductum nimbosis imbribus ; non quod stet, sed quia motus ejus tunc nobis non apparet : motum enim cœli non percipimus nisi per motum alicujus stellæ : cum autem cœlum est coopertum obscuris nubibus nulla stella videri potest. Nota secundum Huguitionem : Nimbus est nubium densitas ex intempestate orta : et sic dicit Boetius hic nimbosis imbribus, idest densis pluviis : et est ratio, quia tenuis imber non impedit aspectum astrorum. Nota quod Boreas dicitur flare ab antro threicio, quia forte regio Thraciæ est cavernosa, de cujus cavernis exit ventus generatus ex vaporibus siccis in terra. Nota : postquam philosophia tersit oculos Boetii et eosdem a fletu lacrymarum compescuit, restitutus fuit pristino vigori. Unde oculi ipsius Boetii ut ratio et intellectus, obfuscati erant tenebris ignorantiæ. Cum istis temporalibus adhæsit propter amissionem rerum temporalium, diversis fuit subjectus passionibus. Sed Philosophia oculorum caliginem abjecit cum ipsius intellectum illuminavit, tenebras ignorantiæ fugando, et lumine spirituali ut scientia illuminando.

PROSA III.

Haud aliter tristitiæ nebulis dissolutis, hausi cœlum, et ad cognoscendam medicantis faciem mentem recepi. Itaque ubi in eam deduxi oculos, intuitumque defixi, respicio nutricem meam, in cujus ab adolescentia laribus versatus fueram, Philosophiam. Et quid, inquam, tu in has exilii nostri solitudines, o omnium magistra virtutum supero cardine delapsa venisti? an ut tu quoque mecum rea falsis criminationibus agiteris? An, inquit illa, te, o alumne, desererem, nec sarcinam, quam mei nominis invidia sustulisti, communicato tecum labore partirer? Atqui Philosophiæ fas non erat, incomitatum relinquere iter innocentis. Meam scilicet criminationem vererer? et quasi novi aliquid acciderit, sic perhorrescerem? Nunc enim primum censes apud improbos mores lacessitam periculis esse sapientiam? Nonne apud veteres quoque ante nostri Platonis ætatem magnum sæpe certamen cum stultitiæ temeritate certavimus? eodemque superstite, præceptor ejus Socrates iniustæ victoriam mortis me adstante promeruit ? Cujus hereditatem cum deinceps Epicureum vulgus, ac Stoicum, ceterique pro sua quisque parte raptum ire molirentur, meque reclamantem, renitentemque, velut in partem prædæ, traherent, vestem, quam meis texueram manibus, disciderunt, abreptisque ab ea panniculis, totam me sibi cessisse credentes, abiere. In quibus, quoniam quædam nostri habitus vestigia videbantur, meos esse familiares imprudentia rata, nonnullos eorum profanæ multitudinis errore pervertit. Quod si nec Anaxagoræ fugam, nec Socratis venenum, nec Zenonis tormenta, quoniam sunt peregrina, novisti, at Canios, at Senecas, at Soranos, quorum nec pervetusta, nec incelebris memoria est, scire potuisti. Quos nihil aliud in cladem detraxit, nisi quod nostris moribus instituti, studiis improborum dissimillimi videbantur. Itaque nihil est quod admirere, si in hoc vitæ salo circumflantibus agitemur procellis, quibus hoc maxime propositum est pessimis displicere. Quorum quidem tametsi est numerosus exercitus, spernendus tamen est ; quoniam nullo duce regitur, sed errore tantum temere ac passim lymphante raptatur. Qui siquando contra nos aciem struens valentior incubuerit, nostra quidem dux copias suas in arcem contrahit ; illi vero circa diripiendas inutiles sarcinulas occupantur. At nos desuper irridemus, vilissima rerum quæque rapientes, securi totius furiosi tumultus, eoque vallo muniti quo grassanti stultitiæ adspirare fas non sit.

« Haud aliter tristitiæ etc. » Hic incipit tertia prosa primi libri, in qua Boetius ostendit quomodo philosophiam cognoverit ; et dividitur ; quia primo ostendit quomodo philosophiam cognovit, et qualiter de præsentia ejus admirari cœpit, et quomodo philosophia sibi respondit. Secundo probat philosophia persecutionem sapientum a vulgaribus non esse novam. Secunda ibi, « Nonne apud veteres. » Dicit primo : Haud (pro non) aliter nebulis tristitiæ meæ dissolutis, idest fugatis per consolationem philosophiæ, quoniam sicut nubes dissolvuntur per flatum Boreæ, sic ego Boetius hausi, idest respexi cœlum, idest sursum, et recepi mentem, idest vigorem rationis ad cognoscendam faciem medicantis, idest medici. Itaque (pro ergo) ubi, idest postquam ego deduxi, idest converti oculos, quo (pro et) defixi, idest stabilivi, intuitum in eam, respexi nutricem meam

philosophiam in cujus laribus, idest scholis fueram obversatus ab adolescentia, idest a juventute mea : et inquam idest dixi : O magistra omnium virtutum, quid, idest propter quid, tu venisti lapsa, idest progressa superno cardine, idest de cœlesti porta in has solitudines, idest loca deserta nostri exilii idest nostræ relegationis? An, idest numquid propter hoc venisti, ut existens rea, idest tanquam culpabilis mecum agiteris, idest manifesteris falsis criminationibus. Illa philosophia inquit, idest dixit : o alumne, idest per me nutrite, an, idest utrum, te desererem ? quasi dicat : non. Nec partirer, idest dividerem tecum communicato labore, idest diviso labore sarcinam, idest pondus, quam tu sustulisti ob invidiam mei nominis, idest ratione sapientiæ. Atqui pro certo non erat fas, idest honestum, philosophiæ relinquere iter innocentis incomitatum, idest sine comite : supple, si ego te dereliquissem, ego vererer, idest timerem meam criminationem, idest meam damnationem, et valde perhorrescerem quasi aliquid novum acciderit, supple circa te : enim pro quia num, idest numquid tu censes, idest judicas, primum ipsam sapientiam esse lacessitam, idest infestatam periculis, idest perturbationibus apud improbos mores, idest male morigeratos homines? quasi dicat : hoc non est novum. Nota. Philosophia dicitur medica : sicut enim medicus morbo fugato sanitatem inducit, sic philosophia ignorantia relegata vitam utriusque sæculi condonat. Nam habetur in libro *de Pomo Aristotelis* : « Qui philosophiam invenerit, vitam in utroque sæculo invenit. » Et alibi : *Qui me invenerit vitam inveniet et hauriet salutem a Domino*. Prov. VIII, 35. Et ideo dicit Boetius, faciem medicantis. Notandum quod Boetius non solum deduxit oculos in philosophiam, sed defixit in eam intuitum ; per quod innuitur quod qui vult philosophari, oportet se totum tradere philosophiæ per continuum studium et laborem. Nam sicut una hirundo adveniens non facit verem, nec una dies calida facit æstatem, sic nec una speculatio philosophica facit philosophum. Nota quod tempus opportunum ad philosophandum est tempus adolescentiæ : quod innuens Boetius dicit : cujus laribus ab adolescentia fueram obversatus. Nam ætas hominis assimilatur ceræ : quæ si nimis est mollis vel dura nimis, formam sigilli non recipit nec retinet ; si autem est temperate mollis vel dura, figuram recipit et retinet. Sic similiter ætas nimis tenera, sicut infantia, non recipit doctrinam philosophicam, nec ætas nimium dura sicut decrepitas. Sed ætas temperata qualis est adolescentia, quæ faciliter intelligit et intellecta memoriæ commendat. Nota, per lares philosophiæ intelliguntur diversæ sectæ philosophorum, sicut Aristotelis et Platonis, quos Boetius ab adolescentia fuit obversatus. Et dicit Huguitio, quod obversari idem est quod conversari. Notandum quod philosophia dicitur Magistra omnium virtutum, quia omnes virtutes morales docet, ut patet *ex Ethicis* ; et dico morales, propter virtutes theologicales quæ sunt fides, spes et charitas. Et dicitur philosophia delapsa a superno cardine, quia omnis sapientia a Domino Deo est. Nam sicut scribitur in prologo libri de *Regimine principum*[1] : « Deus est qui divitias suæ sapientiæ influit animabus, idest studentibus tribuit gratiam cognoscendi ; cui nihil est difficile et sine quo nihil est possibile possideri. » Nota ut postea patebit, quod Boetius false criminabatur de litteris compositis et de impedimento delatoris ; et illud quod faciebat sapientia dicebatur facere arte magica ; ideo dicit ad philosophiam : Numquid venisti ut tu mecum rea falsis criminationibus agiteris? Nota : philosophia tangit tres rationes propter quas non debuit derelinquere Boetium. Prima, quia nutrix non debet derelinquere suum alumnum. Secunda, quia qui patitur propter alium non decet ut deseratur ab illo. Tertia quia non decet philosophiam derelinquere innocentem. Boetius autem fuit philosophiæ alumnus : ipse patiebatur injurias propter philosophiam et fuit innocens, ergo etc. Nota secundum Huguitionem : lacesso,

[1] Ægid. Roman.

idest cum desiderio lacero vel vexo, vel injuriis affligo.

« Nonne apud veteres quoque etc. » Hic philosophia probat persecutionem sapientum a vulgaribus non esse novam. Et hoc primo probat exemplis antiquis. Secundo magis modernis. Tertio ostendit quid sit faciendum contra insultus vulgarium. Secunda ibi, « Quod si nec. » Tertia ibi, « Qui si quandoque contra. » Primo dicit : Bene dixi quod persecutio sapientum a vulgaribus et a malis non est nova. Nonne apud veteres ante ætatem nostri Platonis nos philosophia, sæpe certavimus magnum certamen cum temeritate stultitiæ, idest cum stultis et temerariis hominibus, eodemque Platone vivente magister ejus Socrates injuste promeruit victoriam mortis me sibi astante ? cujus Socratis hæreditatem, idest scientiam hæreditarie relictam suis discipulis, cum epicureum vulgus et stoicum et ceteri molirentur, idest laborarent ire raptum, idest rapere, unusquisque pro sua parte, et cum ipsi traherent me philosophiam in partem prædæ me reclamantem, idest contradicentem quæ (pro et) renitentem ipsi disciderunt vestem meam quam texueram meis manibus, quæ (pro et) arreptis, idest ablatis panniculis abierunt credentes me totam sibi cessisse, et quia in istis videbantur, idest apparuerunt quædam vestigia nostri habitus, idest prudentiæ, in prudentia vulgarium, rata idest opinata, ipsos meos esse familiares, idest meos discipulos ratione sapientiæ, pervertit nonnullos eorum, idest aliquos, errore, idest persecutione, profanæ multitudinis idest inducti vulgi, sicut vulgares solent pervertere doctos. Nota quod ante tempus Platonis multi sapientes persecuti fuerunt a vulgaribus, et tempore Platonis Socrates magister ejus interiit propter suam sapientiam. Nam ipse cognovit sua sapientia esse unum Deum : alios autem colentes plures deos redarguit : quod percipiens dux Atheniensium nomine Anetus coegit ipsum bibere venenum in nomine unius Dei, et nihil sibi nocuit. Postea coegit ipsum bibere venenum in nomine plurium deorum, et interiit. Nota, mortuo Socrate discipuli sui qui scientiam Socratis tamquam hæreditariam sibi vendicabant, inceperunt dissentire, in quo magister eorum Socrates posuisset summum bonum : quidam enim eorum discipulorum dicti Epicurei dicebant ipsum posuisse summum bonum in voluptatibus. Alii, sicut Stoici, dicebant quod in virtutibus : et quilibet eorum pro defensione suæ opinionis rapuit auctoritates philosophiæ, ipsas extorte exponendo : propter quod philosophia dicit illud reclamasse ; et sic male exponendo sciderunt vestes philosophiæ et particulas abstulerunt ; et quamvis non essent veri philosophi, quia tamen videbantui esse, multi eorum a vulgaribus occist sunt.

« Quod si nec Anaxagoræ fugam etc. » Hic philosophia probat persecutionem sapientum exemplis magis modernis, dicens : O Boeti, si non novisti fugam Anaxagoræ, nec venenum Socratis, nec tormenta Zenonis quoniam ista sunt peregrina, idest extranea et aliena, tamen tu potuisti scire Canios, idest persecutionem Canii, ac Senecas ac Soranos, idest sequaces Sorani quorum memoria non est pervetusta, idest valde antiqua nec incelebris, idest non sine gloria : quos viros nihil aliud detraxit in cladem idest in mortem, nisi quod instituti, idest informati nostris moribus ipsi videbantur dissimillimi studiis improborum, ita quod nihil est, idest non est causa quod tu admirere, idest debeas admirari, si in hoc salo vitæ, idest amaritudine, nos sapientes agitemur, idest vexemur, procellis idest adversitatibus malorum, circumflantibus, quibus, nobis sapientibus, maxime propositum est idest intentio displicere pessimis : quorum malorum etsi sit numerosus exercitus, tamen est spernendus quoniam nullo duce, supple rationis, regitur, sed tamen rapitur errore limphante, idest præcipitante eos ad modum limphæ, temere idest stulte, ac passim idest ubique. Nota quod Anaxagoras stultitiam hominum solem pro Deo colentium reprehendit, dicens solem non esse Deum, sed lampadem ardentem : propter quod reus judicatus est, et in fugam compulsus : ergo dicit philoso-

phia, Anaxagoras fugam. Nota : dicit Socratis venenum ; de quo dictum est supra quia veneno interiit. Similiter Zeno multa tormenta ratione suæ sapientiæ sustinuit. Nota quod Canius, Seneca, Soranus, fuerunt nobiles romani et moribus philosophiæ instructi, propter quod interierunt. Unde Canii dicebantur imitatores a magistro suo Canio. Similiter Sorani dicuntur a Sorano qui fuit poeta, et ejus sequaces ab eo condemnantur. Nota : de Seneca dicit Boetius in libro *de Disciplina scholarium*, quod Nero familiarem suum præceptoremque Senecam ad eligendæ mortis arbitrium coegit. Nota quod sapientes dissimiles sunt studiis improborum ; quia dicit Seneca in libro *de Amicitia* : « dispares mores disparia sequuntur studia, quorum dissimilitudo dissolvit amicitiam ; nec unquam improbi probis, nec probi improbis amici esse possunt, non ob aliam causam nisi quia tanta est inter ipsos distantia quanta esse potest studiorum malorumque morum distantia. » Nota quod propositum sapientum est displicere pessimis ; quia dicit Seneca in libro *de Remediis fortuitorum* : « Malis displicere laudabile est ; » et alibi : « virtus sese diligit asperaturque malum. » Et poeta :

Opus placere bonis, pravis odiosus haberi.

Nota quod dicit exercitum malorum esse innumerosum, quia secundum Salomonem, *Stultorum infinitus est numerus*, et perversi difficiliter corriguntur. Nota quod mali non reguntur duce rationis, quia ratio deprecatur ad optima, mali autem operantur pessima. Ducuntur enim errore sensualitatis vitam bestialem prosequentes ; de quibus dicitur in libro *Ethicorum* : « Quidam sunt homines vitam pecodum eligentes similes Sardanapalo. » Et ergo dicit philosophia quod tales sunt timendi, quia ex quo reguntur per rationem, tunc eorum fatuitas faciliter dissipatur.

« Qui si quando contra nos etc. » Hic philosophia ostendit quid sit faciendum contra insultus malorum, dicens : Si exercitus malorum incubuerit, idest instituerit struens idest faciens aciem, idest bellum contra nos sapientes, quidem (pro certo) natura dux, idest ratio contrahit, idest colligit, copias idest scientias, et virtutes copiosas, in arcem idest in altitudinem speculationis cœlestium, vero (pro sed) illi mali occupantur circa diripiendas, idest auferendas, inutiles sarcinulas, idest divitias corporales, quæ sarcina et pondus corporis sunt inutile, animam submergentes. At nos sapientes in contemplatione cœlestium constituti irridemus malos rapientes quæque vilissima rerum, nos securi existentes totius furiosi tumultus, idest contra furiosum tumultum malorumque, que (pro et) super nos sumus muniti, eo vallo, idest munimine, quo non sit fas aspirare, idest accedere stultitiæ grassanti, idest impugnanti nos. Notandum : Boetius hic nostram rationem appellat ducem ; unde ratio definitur sic : Est habitus dirigens omnem actionem humanam in ultimum et optimum finem. Item nota : per arcem ipse intelligit altitudinem speculationis cœlestium, et ad hanc ducit nos ratio. Et hoc est ultimum bonum humanæ vitæ, quod nullus auferre potest. Nota : copiæ in hoc loco dicuntur appetitus sensitivi ; et dicuntur copiæ quasi cupiæ, quia cupiunt res aliquando contra rationem, et tales copias debet regere ratio, et debet se munire vallo humilitatis et patientiæ ; et tunc omnes impugnationes adversitates et miserias æquanimiter sustinebit, et tentationes et delectationes noxias quas suggerit diabolus, et caro impellit, et mundus commovet, non timebit. Hæc Marquardus. Item nota : ille merito est deridendus qui majori et meliori bono dimisso eligit et occupatur circa bona viliora. Sed sapientes eligunt bona animæ, quæ sunt maxime bona, *primo Ethicorum*. Et vulgares eligunt bona temporalia ; quæ dicuntur vilissima rerum, quia impediunt hominem in cognitione summi homini. Nota, arx arcis est altum ædificium in quo hostes pugnant. Hic autem accipitur pro contemplatione cœlestium et spe futurorum bonorum, nam per hæc duo sapientes omnem adversitatem malorum superant, et circa contemplationem divinorum tota intentio sapientis versatur. Unde Boetius in trac-

tatu de *Summo bono* dicit : « Philosophus maxime delectatur in primo principio et in contemplatione summæ bonitatis, et hæc sola est recta delectatio ; hæc enim est vita philosophorum sine qua nemo vivit vita recta. » Nota : de hoc nomine vallum dicit Græcista :

« Est vallus palus circa castrum præacutus.
Nexio palorum sed murus sit tibi vallum. »

Nota : asprare, secundum Huguitionem, est anhelare, conari vel devenire. Item secundum eum, grassor grassaris per *g*, idest invadere vel crudeliter impugnare.

METRUM IV

Quisquis composito serenus ævo,
Fatum sub pedibus dedis superbum,
Fortunamque tuens utramque rectus,
Invictum potuit tenere vultum ;
Non illum rabies minaeque ponti
Versum funditus excitantis aestum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Vesevus ignes,
Aut celsas soliti ferire turres
Ardentis via fulminis movebit.
Quid tantum miseri sævos tyrannos
Mirantur sine viribus furentes?
Nec speres aliquid, nec extimescas :
Exarmaveris impotentis iram :
At quisquis trepidus pavet, vel optat,
Quod non sit stabilis, suique juris,
Abjecit clypeum, locoque motus
Nectit, qua valeat, catenam.

« Quisquis composito serenus ævo etc. » Hic incipit quartum metrum hujus primi, quod vocatur metrum valenticum ab inventore, et constat ex spondæo, dactylo et tribus trocheis. Unde potest dici metrum trochaicum a pede prædominante. In hoc metro philosophia ostendit, qualiter homo debeat se habere, ut persecutiones improborum non prevaleant contra ipsum. Et hoc primo declarat quibusdam similibus. Secundo exclamat contra timentes tyrannos. Secunda ibi, « Quid tantum miseri. » Dicit primo : Quicumque homo serenus, idest clarus virtute,composito ævo, idest ordinata vita egit, idest calcavit, sub pedibus superbum fatum, idest eventum rerum temporalium, et quicumque tuens, idest respiciens utramque fortunam, idest prosperam et adversam, rectus, idest non flexus potuit tenere vultum, idest animum invictum, ita quod non vincatur prosperitate se extollendo,nec adversitate deprimendo, illum hominem non movebit, idest turbabit, rabies ponti, idest inundatio maris agitantis,idest moventis, funditus idest a fundo, æstum versum, idest ebullitionem versam, quia in ebullitione maris aqua vertitur per fluxum et refluxum : quasi dicat : Impetus maris faciens ebullitionem non nocebit illi homini qui non extollitur in prosperis, nec deprimitur in adversis, nec tali homini nocebit ignis Vesevi montis, quotiens ille mons torquet, idest emittit, ignes fumificos ruptis caminis, idest cavernis suis. Quasi dicat : nec tali homini nocebit vagus Vesevus suis ignibus, nec illum hominem movebit via ardentis fulminis, soliti, idest consueti, ferire celsas turres. Nota, philosophia tria tangit quæ non nocent homini qui constans est in utraque fortuna. Primum est rabies maris, per quam designantur luxuriosi. Sicut enim mare sole et motu suo incalescit et fœtet, sic luxuriosi concupiscentia sua inardescunt et peracta libidine fœtent : de quibus dicit Scriptura : *Perierunt jumenta in stercore suo ;* tales luxuriosi non nocebunt homini constanti in utraque fortuna. Secundum quod tangit est ignis Vesevi montis, per quem designantur avari et invidi. Sicut enim ignis Vesevi montis semper ardet : ita avari ardent in concupiscentia bonorum exteriorum. Et sicut ignis eructuans quandoque consumit loca vicina : sic invidi quandoque nocent verbis si non possunt factis : et tales invidi non nocebunt homini constanti. Tertium quod tangit est ictus fulminis; per quem intelliguntur superbi. Sicut enim fulmen generatur in alto, sic superbi alte se extollunt. Et mirabile videtur de superbis, quod cum aliis hominibus habitare nolunt, et tamen ad cœlum volare non possunt. Tales superbi non nocebunt homini constanti. Alii per rabiem maris intelligunt invidos, per ignem iratos, per fulmen superbos, ut dictum est. Alii per mare quod est sonorosum intelligunt avaritiam, per ignem pœnam corporis, per fulmen rerum ablationem. Nota : Vesevus est mons Italiæ intresecus ardens, qui quandoque ruptis cavernis emittit ignem qui loca vicina consumit. Nota circa hoc

quod dixit, serenus aevi. Seneca dicit: Talis est animus sapientis qualis est mundus super lunaticus: talis autem mundus semper est serenus: et sic animus sapientis in utraque fortuna semper est serenus. Unde Aristoteles in *Ethicis* dicit: « Sapiens bene scit ferre fortunas, quia se habet sicut tetragonum sine vituperio. »

« Quid tantum miseri saevos tyrannos etc. » Hic philosophia exclamat contra timentes tyrannos, dicens: Quid, idest quare, miseri homines mirantur timendo saevos tyrannos furentes sine viribus: quasi dicat: tyranni sunt impotentes, quia non praevalent nisi inquantum homo se subjicit eis. Et addit: Nec speres aliquid de bonis temporalibus, nec timeas eos de adversitatibus: tunc tu exarmaveris, idest debilitaveris, iram impotentis tyranni. Sed quicumque homo trepidus pavet timore malorum temporalium, vel optat bona temporalia, talis non est stabilis, et sui juris, idest propriae libertatis: ipse abjecit clypeum securitatis, et motus a loco stabilitatis, ipse nectit, idest componit catenam affectionum, qua valeat trahi ad tristitiam et dolorem mentis. Nota, potestas terrena ad nihil se extendit nisi ad largiendum bona temporalia, vel ad auferendum ea; et ideo nullus subjaceret terrenae potestati nisi qui sperat talia bona, vel timet eorum ablationem. Qui autem nec timet nec sperat, ipse est omnino supra vel extra terrenam potestatem, et per consequens terrena potestas sibi nec proficere nec obesse potest. Propter quod philosophia exclamat contra illos tamquam miseros qui spe bonorum temporalium vel timore ablationis eorum subjiciunt se terrenis potestatibus, dicens, « Qui tantum miseri. » Nota circa illud, quisquis trepidus etc. Seneca dicit in libro *de Virtutibus cardinalibus*: « Magnanimitas si insit animo tuo, cum magna fiducia vives intrepidus et alacer. Magni animi est non vacillare, sed constare, et finem vitae intrepide expectare. Si magnanimus es, nunquam judicabis tibi contumeliam inferri ab inimico, sed dices: nihil mihi nocuit, sed animum nocendi habuit. » Nota: tyrannus quondam dicebatur quidam rex fortis, et dicebatur a tyro, idest fortitudine. Sed illud nomen est causa appropriata principantibus pessimis; et dicuntur a tyro, idest ab angustia quam inferunt suis subditis. Nota, clypeus sumitur hic pro ratione hominis; quia sicut clypeus defendit nos ne laedamur a telis et a similibus; ita ratio hominis tuetur eum, et providet sibi ne offendatur.

PROSA IV

Sentisne, inquit, haec atque animo illabuntur tuo? Esne asinus ad lyram? Quid fles? Quid lacrymis manas? Exprome, ne occultes. Si operam medicantis exspectas, oportet ut vulnus detegas tuum. Tum ego collecto in vires animo: anne adhuc eget admonitione, nec per se satis eminet fortunae in nos saevientis asperitas? Nihilne te ipsa loci facies movet? Haeccine est bibliotheca quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa delegeras? in qua mecum saepe residens, de divinarum humanarumque rerum scientia disserebas? Talis habitus talisque vultus erat cum tecum naturae secreta rimarer, cum mihi siderum vias radio describeres, cum mores nostros totiusque vitae rationem ad coelestis ordinis exempla formares? Haeccine praemia referimus tibi obsequentes? Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti, beatas fore respublicas si eas vel studiosi sapientiae regerent, vel earum rectores studere sapientiae contigisset. Tu ejusdem viri ore hanc sapientibus capessendae reipublicae necessariam causam esse monuisti, ne improbis flagitiosisque civibus urbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem inferrent. Hanc igitur auctoritatem secutus, quod a te inter secreta otia didiceram, transferre in actum publicae administrationis optavi. Tu mihi, et qui te sapientium mentibus inseruit Deus, conscii, nullum me ad magistratum, nisi commune bonorum omnium studium, detulisse. Inde cum improbis graves inexorabilesque discordiae, et quod conscientiae libertas habet, pro tuendo jure spreta potentiorum semper offensio. Quoties ego Conigastum in imbecilli cujusque fortunas impetum facientem obvius excepi! Quoties Triguillam regiae praepositum domus ab incepta perpetrataque jam prorsus injuria dejeci! Quoties miseros, quos infinitis calumniis, impunita barbarorum semper avaritia vexabat, objecta periculis auctoritate protexi! Nunquam me ab jure ad injuriam quisquam retraxit. Provincialium fortunas tum privatis rapinis, tum publicis vectigalibus pessum dari, non aliter quam qui patiebantur, indolui. Cum acerbae famis tempore gravis atque inexplicabilis indicta coemptio profligatura inopia Campaniam provinciam videretur, certamen adversum praefectum praetorii communis commodi ratione suscepi, rege cognoscente contendi, et ne coemptio exigeretur evici. Paulinum consularem virum, cujus opes Palatini canes jam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus traxi. Ne Albinum consularem virum praejudicatae accusationis poena corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satisne in me magnas videor exacerbasse discordias? Sed esse apud caeteros tutior debui, qui mihi amore justitiae nihil apud aulicos, quo magis essem tutior, servavi. Quibus au-

tum deferentibus perculsi sumus? quorum Basilius olim regio ministerio depulsus, in delationem nostri nominis alieni æris necessitate compulsus est. Opilionem vero, atque Gaudentium, cum ob injurias atque multiplices fraudes ire in exilium regia censura decrevisset, cumque illi parere nolentes sacrarum sese ædium defensione tuerentur compertumque id regi foret, edixit ut nisi intra præscriptum diem Ravenna urbe decederent, notis insigniti frontibus pellerentur. Quid huic severitati posse adstrui videtur? Atqui eodem die deferentibus eisdem, nominis nostri delatio suscepta est. Quid igitur? nostræ ne artes ita meruerunt? an illos accusatores justos fecit præmissa damnatio? Hanc nihil fortunam puduit, si minus accusatæ innocentiæ, at accusantium vilitatis? At, cujus criminis arguimur, summam quæris? senatum dicimur salvum esse voluisse. Modum desideras? delatorem ne documenta deferret, quibus senatum majestatis reum faceret, impedisse criminamur. Quid igitur, o magistra, censes? inficiabimur crimen, ne tibi pudori simus? at volui, nec umquam velle desinam. Fatebimur? sed impediendi delatoris opera cessabit. An optasse illi ordinis salutem nefas vocabo? ille quidem suis de me decretis, uti hoc nefas esset effecerat. Sed sibi semper mentiens imprudentia rerum, merita non potest immutare; nec mihi Socratico decreto fas esse arbitror, vel occuluisse veritatem, vel concessisse mendacium. Verum id quo modo sit, tuo sapientiumque judicio æstimandum relinquo. Cujus rei seriem, atque veritatem, ne latere posteros queat, stilo etiam memoriæque mandavi. Nam de compositis falso litteris, quibus libertatem arguor sperasse Romanam, quid attinet dicere? Quarum fraus aperta patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum, quod in omnibus negotiis maximas vires habet, uti licuisset. Nam quæ sperari reliqua libertas potest? Atque utinam posset ulla! respondissem Canii verbo: qui cum a C. Cæsare Germanici filio conscius contra se factæ conjurationis fuisse diceretur: Si ego, inquit, scissem, tu nescisses. Qua in re non ita sensus nostros mœror hebetavit, ut impios scelerata contra virtutem querar molitos: sed quæ speraverint effecisse, vehementer admiror. Nam deteriora velle, nostri fuerit fortasse defectus, posse vero contra innocentiam, quæ sceleratus quisque conceperit, inspectante Deo, monstri simile est: unde haud injuria tuorum quidam familiarium quæsivit: Siquidem Deus, inquit, est, unde male? bona vero unde, si non est? Sed fas fuerit nefarios homines, qui bonorum omnium, totiusque senatus sanguinem petunt, nos etiam, quos propugnare bonis senatuique viderunt, perditum ire voluisse. Sed num idem de patribus quoque merebamur? Meministi, ut opinor, quoniam me dicturum quid facturumve præsens ipsa semper dirigebas: meministi, inquam, Veronæ cum rex avidus communis exitii, majestatis crimen in Albinum delatum ad cunctum senatus ordinem transferre moliretur, universi innocentiam senatus quanta mei periculi securitate defenderim. Scis me hæc et vera proferre, et in nulla umquam mei laude jactasse. Minuit enim quodammodo se probantis conscientiæ secretum, quoties ostentando quis factum, recipit famæ pretium. Sed innocentiam nostram quis exceperit eventus, vides. Pro veræ virtutis præmiis falsi sceleris pœnas subimus. Et cujus umquam facinoris manifesta confessio ita judices habuit in severitate concordes, ut non aliquos vel ipse humani error ingenii, vel fortunæ conditio cunctis mortalibus incerta submitteret? Si inflammare sacras ædes voluisse, si sacerdotes impio jugulare gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur, præsentem tamen sententia confessum convictumve punisset. Nunc quingentis fere passuum milibus procul moti atque indefensi ob studium propensius in senatum, morti proscriptionique damnamur. O meritos, de simili crimine neminem posse convinci! cujus dignitatem reatus ipsi etiam qui detulere, viderunt: quam uti alicujus sceleris admistione fuscarent, ob ambitum dignitatis sacrilegio me conscientiam polluisse mentiti sunt. Atqui et tu insita nobis, omnem rerum mortalium cupidinem de nostri animi sede pellebas, et sub tuis oculis sacrilegio locum esse fas non erat. Instillabas enim auribus cogitationibusque quotidie meis Pythagoricum illud, *epoi theo*. Nec conveniebat vilissimorum me spirituum præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut consimilem Deo faceres. Præterea penetrale innocens domus, honestissimorum cœtus amicorum, socer Symmachus sanctus et æque actu ipso reverendus, ab omni nos hujus criminis fidem capiunt; atque hoc ipso affines fuisse videmur maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tui instituti moribus sumus. Ita non est satis mihi profuisse tuam reverentiam, nisi ultro tu mea potius offensione lacereris. At vero hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod existimatio plurimorum non rerum merita, sed fortunæ spectat eventum: eaque tantum judicat esse provisa quæ felicitas commendaverit. Quo fit, ut existimatio bona prima omnium deserat infelices. Qui nunc populi rumores, quam dissonæ multiplicesque sententiæ, piget reminisci. Hoc tantum dixerim: ultimam esse adversæ fortunæ sarcinam, quod dum miseris aliquod crimen affingitur, quæ perferunt, meruisse creduntur. Et ego quidem bonis omnibus pulsus, dignitatibus exutus, existimatione fœdatus, ob beneficium supplicium tuli. Videre autem videor nefarias sceleratorum officinas gaudio lætitiaque fluitantes: perditissimum quemque novis delationum fraudibus imminentem, jacere bonos, nostri discriminis terrore prostratos: flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum vero præmiis incitari; insontes autem non modo securitate, verum ipsa etiam defensione privatos. Itaque libet exclamare:

« Sentisne, inquit, hæc etc. » Hic incipit prosa quarta; in qua philosophia primo inquirit Boetium super attentionem prædictorum, et hortatur ipsum ad sui morbi revelationem; secundo Boetius revelat morbum suum, ibi, « Tum ego.» Primo dicit. O Boeti, numquid sentis, idest intelligis, ea quæ dicta sunt atque illabuntur, idest imprimuntur animo tuo? et subjungit græcum quod in latino valet, Es ne asinus ad lyram? Quid fles, quid manas, idest fluis lacrymis, et subjungit græcum quod tantum valet, confitere mihi, ne abscondas. Si expectas operam, idest diligentiam, medicantis, oportet ut detegas, idest manifestes, vulnus tuum. Nota quod proverbium erat apud græcos, cum aliquis audivit verba alicujus et non advertit nec curavit intellectum verborum, illi dicebatur: Es ne

asinus ad lyram? Sicut enim asinus positus circa lyram audit sonum lyræ, sed non percipit melodiam, nec proportionem sonorum intelligit nec delectatur in ea. Sic aliquis audiens verba et non capiens intellectum eorum dicitur esse asinus ad lyram. Nota : si quis voluerit sanari oportet morbum vel vulnus suum detegere et manifestare. Unde Seneca tertia dicit epistola : Nemo per se satis valet ut emergat : sed oportet ut manum porrigat, et alius ipsum extrahat ; tunc enim morbi ad sanitatem inclinant cum ex abdito erumpunt et vim suam proferunt. »

« Tum ego collecto in vires animo etc. » Hic Boetius revelat morbum et dolorem suum. Et primo ostendit se esse perturbatum ex his quæ injuriose agebantur circa ipsum. Secundo ex his quæ generaliter vidit in aliis, ibi, « Videre autem videor. » Primo ostendit se perturbatum ex sui exilii relegatione. Secundo ex meritorum suorum frustratione. Tertio ex injusta sui condemnatione. Quarto ex famæ suæ læsione. Secunda ibi, « Quoties ego ; » tertia ibi, « Quibus autem ; » quarta ibi, « At vero hic. » Adhuc dividitur. Primo facit quod dictum est. Secundo respondit objectioni, ibi, « Atqui tu. » Dicit primo ergo : Tum, idest tunc, ego Boetius collecto animo, idest resumptis viribus animi, supple dixi : an ne satis eminet, idest apparet, asperitas fortunæ sævientis in me, idest contra me? Numquid adhuc eges admonitione, idest declaratione? numquid facies, idest dispositio hujus loci, scilicet carceris movet te? Hæccine, idest numquid hæc est bibliotheca, idest locus studii quem habui in patria, quam tu philosophia delegeras, idest elegisti tibi certissimam sedem in nostris laribus, in qua bibliotheca, tecum mecum residens, idest morans vel sedens disserebas, idest disputabas de scientia rerum divinarum et humanarum? numquid erat mihi tunc talis habitus, supple vitæ, et talis vultus tristis, cum ego rimarer, idest investigarem, tecum secreta naturæ, cum describeres mihi vias siderum, idest cursus stellarum radio, idest virga geometrali ; cum tu formares, idest formare docuisti, mores nostros, idest mores hominum et rationem, idest dispositionem, totius vitæ ad exemplar, idest similitudinem cœlestis ordinis? sunt ne ista præmia quæ referimus, idest reportamus, tibi obsequentes, idest servientes? Nota quod bibliotheca est locus ubi reponuntur libri ; et dicitur a biblo, idest junco, idest quo antiqui scribebant libros : talem bibliothecam habuit Boetius Romæ, marmoreis lapidibus politam, in qua studuit de rebus divinis et humanis. Nota : Boetius dicit philosophiam sibi elegisse certissimam sedem in bibliotheca : hoc dicit pro tanto : quia licet Boetius esset diversis officiis et negotiis occupatus, tamen nulli eorum tam certis temporibus, tam certa intentione vacabat sicut studio in libris philosophicis, quos in certo loco repositos habuit. Nota : philosophia tractat de rebus divinis et humanis. Unde Seneca, *nonagesimaprima* : « Non potest virtus perfecta esse nec æqualis tenor vitæ sine philosophia, per quam divina et humana cognoscuntur ; qua si te occupas, incipis esse deorum socius. » Et alibi dicitur : « O Lucille, scio neminem bene vivere posse et tolerabiliter sine studio philosophiæ ; quia sine studio philosophiæ animus æger est. » Nota : Boetius studuit in naturali philosophia : propter hoc dicit : Cum tecum naturæ secreta rimarer. Studuit etiam in philosophia morali : ergo dicit : Cum mores nostros. Studuit etiam in astrologia; propter hoc dicit : Cum mihi siderum vias radio describeres. Ubi nota : radius est virga geometralis qua geometræ describunt figuras in pulvere supposito. Nota quod vita humana et mores hominum debent formari ad similitudinem cœlestis ordinis. Sicut enim sphæræ inferiores planetarum obediunt sphæræ superiori et reguntur motu firmamenti, sic virtus naturæ sensibilis debet obedire virtuti rationali et regi ab ipsa. Turpe enim est abjicere regimen superiorum et inducere regimen inferiorum, quod nobis commune est cum bestiis, sicut dicit Albertus *super tertio de Anima*. Nota : ex quo Boetius ratione suæ sapientiæ in miseriam fuit positus : ideo dicit ad philosophiam : sunt ne hæc præmia quæ nos referimus obsequentes tibi ?

« Atqui tu hanc sententiam etc. » Hic Boetius respondet objectioni : posset enim philosophia sibi objicere dicendo : quale præmium debuisti reportare, cum tu non studuisti propter commune bonum sed propter vanam gloriam et propter propriam utilitatem? cui objectioni respondet Boetius dicens : O philosophia tu sanxisti, idest confirmasti hanc sententiam ore Platonis, beatas eas respublicas fore, idest si eas sapientes regerent, vel si rectores earum contigisset studere sapientiæ ; et confirmasti ore ejusdem Platonis, necessarium esse reipublicæ quod a sapientibus regeretur, ne gubernacula, idest regimina, commissa improbis, que idest, et flagitiosis civibus urbium inferrent pestem, ac, idest etiam, perniciem, idest damnum, bonis hominibus. Igitur ego secutus hanc auctoritatem, idest sententiam, quam ego didiceram a te philosophia inter secreta otia, ego optavi, idest curavi, transferre, idest deducere, in actum, idest opus publicæ administrationis, idest communis utilitatis. Tu philosophia et Deus qui inseruit, idest fudit, te mentibus sapientum, estis mihi conscii, idest testes, nullum studium me detulisse ad magistratum nisi commune studium bonorum : quasi diceret : nihil movit me ad magistratum gerendum nisi communis utilitas : inde, idest propter hoc, erant mihi graves, idest difficiles, que, idest et, inexorabiles, idest inexplicabiles, discordiæ cum improbis ; et semper fuit mihi spreta offensio potentum pro tuendo jure, idest justitia defendenda, quod habet libertas conscientiæ, idest libera conscientia, scilicet nullum timere pro tuendo jure. Nota secundum Platonem, beata est respublica cujus dominus philosophus est ; et væ genti cujus dominus puer est. Et rationabiliter ; quia philosophia et sapientia vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat. Unde Seneca *decima sexta epistola* dicit : « Si vis omnia tibi subjicere, subjice te rationi. Multos enim rexeris si ratio te rexerit. » Et Aristoteles in *proœmio Metaphysicæ* : « Sapientis est regere et ordinare. » Ex quibus patet quod regimen reipublicæ spectat ad sapientes. Pro tanto dicit Tullius in principio *suæ Rhetoricæ* : « Ad rempublicam plurima pertinent commoda, si moderatrix et regulatrix omnium rerum præsto est sapientia. » Nota quod studiosi sapientiæ dicuntur illi qui jam per studium adepti sunt sapientiam. Illi autem dicuntur studere sapientiæ qui adhuc studendo acquirunt sapientiam. Nota quod Boetius studium vocat secretum otium, quia in studio homo otiatur ab exteriori occupatione : de quo otio sive quiete loquitur Seneca *quinquagesima septima epistola* dicens : « Nulla placida est quies nisi quam ratio componit ; et illa vera est tranquillitas in qua mens bona explicatur. » Nulla placida est quies nisi quam ratio componit ; et illa vera est tranquillitas in qua mens bona explicatur. » Nota quod Deus immittit sapientiam mentibus sapientium : hoc scribitur in prologo de *Regimine principum* : « Deus est qui divitias suæ sapientiæ influit in animas sapientium. » Nota quod libertas conscientiæ habet nullum metuere ; quia dicit Macrobius : « hoc habet libera conscientia proprium quod si quis possideat, nullum potentem metuat, » Item Seneca *libro quarto* : « Sapiens ex libero arbitrio nihil timet imbecillitatem hominis quia securitatem Dei habet. » Et Seneca *de Quatuor virtutibus cardinalibus* dicit : « Ut justus sis, non sufficit quod innocens sis, sed ut innocentes ab injuria serves. » Et idem : « Justitia est vinculum divinæ et humanæ societatis. »

« Quotiens ego Conigastum. » Hic Boetius ostendit se perturbatum ex meritorum frustratione suorum. Et primo tangit merita et beneficia aliis exhibita. Secundo tangit frustrationem eorum, ibi, Sed esse. Prima in septem partes secundum quod recitat septem beneficia quæ patebunt. Primo dicit, Ego Boetius multoties ipsum Conigastum qui fuit officialis regis Theodorici obvium, idest contrarium, excepi, idest impedivi, ipsum facientem impetum, idest insultum, contra fortunas, idest contra bona fortunæ, cujusque hominis imbecillis, idest impotentis resistere. Tunc ponit secundum beneficium dicens : Quoties ego dejeci, idest averti, Triguillam sic dictum præpositum

regiæ domus, idest regalis aulæ : ego ipsum dejeci ab incepta, quæ, idest et perpetrata injuria ipsis pauperibus. Tunc subjungit tertium beneficium dicens : Quoties ego protexi miseros, idest pauperes, quos avaritia barbarorum, idest crudelium hominum, impunita, idest incastigata, vexabat infinitis calumniis, idest miseriis : illos ego protexi auctoritate mea objecta, idest exposita, periculis, idest damnis. Nunquam quisquam, idest aliquis, pertraxit me, idest deflexit, a jure ad injuriam. Nota quod Conigastus fuit quidam nobilis familiaris regis Theodorici qui suus officialis fuit et totus tyrannus, qui plures homines invasit impotentes, scilicet sua ipsis auferendo ; quem Boetius sibi contrarius a suo impetu injurioso evertit. Talis etiam erat Triguilla præpositus aulæ regiæ. Nota secundum Huguitionem quod barbarus idem est quod crudelis incultus et stolidus ; et est nomen crudelitatis. Unde olim omnes ac universæ gentes dictæ sunt barbaræ præter græcos et latinos. Et Barbaria dicitur quædam terra juxta Græciam sita, propter crudelitatis excellentiam. Nota : Boetius dicit : Nunquam a jure ad injuriam ; et hoc debet glossari sic : ego nec sum retractus a jure amore nec odio, nec timore, nec proprio commodo, quæ omnia solent impedire verum judicium. Unde dicit Laborintus :

« Quem nummus persona preces de tramite recto
Non deviant, judex iste laude beat. »

« Provincialium fortunas. » Hic Boetius ponit quartum beneficium, dicens : Ego indolui sicut illi qui patiebantur fortunas, idest bona fortunæ, provincialium, idest illorum hominum, qui tum, idest aliquando, pessundari, idest subjici, privatis rapinis, idest occultis, tum, idest aliquando, publicis vectigalibus, idest tributis : quasi dicat : cum provinciales nunc spoliarentur, nunc in tribunis bona ipsorum auferendo, ego dolui tantum sicut qui patiebantur. Nota quod omnem civitatem vel regionem quam romani expugnaverunt fecerunt tributariam vel coloniam vel provinciam. Tributariam faciebant quando relictis inhabitatoribus terræ, ad tributum solvendum homines compellebant. Coloniam autem faciebant cum expulsis habitatoribus alienos instituerent ad inhabitandum. Provinciam autem faciebant quando aliquem romanum præficiebant illi terræ, qui collectis redditibus eos Romam mitteret, et inhabitatores illius terræ dicebantur provinciales. Isti provinciales aliquando molestabantur privatis, idest occultis, rapinis, idest exactionibus suorum præfectorum, aliquando publicis vectigalibus, idest tributis, qui indebito modo et injusto exigebantur ab eis, de quo Boetius doluit. Nota, secundum Huguitionem, provincia est regio subjugata romanis et tributaria facta. Inde provincialis, idest tributarius.

« Cum acerbæ famis tempore. » Hic ponit quintum beneficium dicens : Cum tempore acerbæ, idest magnæ, famis esset indicta, idest instituta, gravis coemptio, idest angaria, quæ coemptio erat profligatura, idest punitura, Campaniam provinciam inopia, idest paupertate, ego Boetius suscepi certamen contra præfectum prætorii qui indixerat istam coemptionem, et ratione communis commodi, idest boni, ego certavi rege cognoscente, et devici ne exigeretur illa coemptio. Nota quod coemptio est institutio super aliqua portione danda de re emenda vel vendenda ; et vocatur vulgariter ungelt, et talis fuit instituta super Campaniam provinciam destruendam ; quam Boetius removit.

« Paulinum consularem virum etc. » Hic ponit sextum beneficium, dicens : Ego traxi, idest liberavi, Paulinum virum consularem cujus opes jam devorassent spe et ambitione, idest cupiditate, canes palatini, idest familiares regis similes canibus, illum traxi a faucibus hiantium, idest appetentium opes Paulini. Nota quod familiares regis qui præsidebant palatiis vocabantur canes palatini. Sicut enim canes habent ora hiantia ad cupidas escas, sic isti hiabant ad diripiendas facultates pauperum romanorum. Tunc ponit septimum beneficium, dicens : Ego opposui me odiis Cypriani delatoris, idest accusatoris, ne pœna, præjudicatæ accusationis corriperet, idest puniret Albinum consularem, qui prius judicatus fuit

ad pœnam quam accusatus : et ne ista pœna cui adjudicatus fuerat ipsum Albinum corriperet, Boetius se opponens odiis Cypriani accusatoris Albinum salvavit. Nota : ex istis beneficiis enumeratis apparet quod Boetius non gessit magistratum pro utilitate propria, sed pro communi bono. Si enim propriam utilitatem intendisset, utique odium et offensam potentum evitasset, quod non fecit. Et prius dixit : nunquam me a jure ad injuriam quisque detraxit : ex quo similiter apparet ipsum non quæsivisse proprium commodum : tales enim frequentius de jure deflectuntur. Et subdit : numquid videor in me, idest contra me exacerbasse, idest irritasse, satis magnas discordias opponendo me potentibus ? quasi dicat, immo :

« Sed esse apud ceteros tutior etc. » Hic tangit frustrationem suorum beneficiorum, dicens : Sed ego debui esse tutior apud ceteros, scilicet romanos, quibus impendi ista beneficia, et tamen non sum tutus, ut post videbitur, licet ego non meruerim securitatem apud aulicos, idest familiares regis aulam inhabitantes, opponendo me eis amore justitiæ. Nota quod una causa perturbationis fuit frustratio suorum meritorum; quia amicitia et gratia istorum frustrabatur circa ipsum, quibus multa beneficia impendit et propter quos in multa odia et indignationes incidit.

« Quibus autem deferentibus perculsi sumus etc. » Hic Boetius tangit suam perturbationem ex injusta sui condemnatione. Et primo facit hoc. Secundo expurgat se de quibusdam sibi objectis. Secunda ibi, « Quomodo uti. » Primo ostendit injustam sui condemnationem ex accusatione personarum vilium. Secundo ex falsitate criminis sibi impositi. Tertio ex severitate judicii et perversitate. Secunda ibi, « At cujus criminis. » Tertia ibi, « Et cujus unquam. » Primo dicit : Nos sumus perculsi, idest percussi aulicis deferentibus, idest accusantibus, quorum unus erat Basilius qui propter malitiam suam depulsus fuerat a ministerio regis; ille compulsus pecunia susceptus est in delationem, idest accusationem nostri nominis. Alii duo accusatores nostri fuerunt Opilio et Gaudentius; quos cum rex Theodoricus propter innumerabiles fraudes ipsorum ordinasset ire in exilium et ipsi nolentes parere, idest obedire, se tuerentur, idest defenderent se, intrando Ecclesias, cum illud esset compertum, idest revelatum regi, edixit, idest præcepit, rex ut nisi infra præscriptum, idest statutum, terminum decederent ab urbe Ravenna, deberent repelli et præsignari in frontibus cauterio, sicut solent signari malefactores. Et dicit Boetius quod videtur posse astrui, idest conformari, huic severitati, quod eodem die eisdem deferentibus, idest accusantibus, nos supple, suscepta fuit delatio, idest accusatio nostri nominis. Quid igitur, o philosophia, est dicendum? meruerunt ne hoc artes nostræ? quasi dicat : non. Numquid isti justificati sunt propter nostram accusationem? quasi dicat : non. Numquid nihil puduit fortunam de tali accusatione? quasi dicat : imo debuit pudere fortunam : et si non puduit fortunam innocentiæ accusati, tamen vilitas accusantium debuit esse pudor ipsi fortunæ. Nota vocabulum « perculsus : » dicit Huguitio, percello-is perculi in præterito et perculsum in supino, est idem quod percutere vel potius terrefacere : sed percutere pertinet ad corpus, sed percellere ad animam. Nota circa hoc vocabulum « deferentibus, » quod defero tria significat. Primo idem est quod deporto. Inde delator, idest deportator. Secundo idem est quod honoro. Inde delator, idest honoris exhibitor. Tertio idest accuso. Inde delator, idest accusator qui detegit quod latebat; et sic ultimo modo capitur hic. Unde versus :

Accusat, defert, dat honorem fertque deorsum.

Nota : ad testes idoneos septem requiruntur conditiones quæ his versibus continentur :

« Ætas, conditio, sexus, discretio fama
Et fortuna, fides, in testibus illa requires. »

Primo requiritur ætas, quia pueri non possunt esse testes. Secundo requiritur conditio libera ; ideo servi non possunt perhibere testimonium. Tertio requiritur sexus masculinus ; ideo mulieres non possunt esse testes. Quarto re-

quiritur discretio: ideo furiosi et stulti non possunt testari. Quinto requiritur fama: ideo personæ infames non possunt testificari. Sexto requiritur fortuna; propter quod pauperes non possunt testificari. Septimo requiritur fides, propter quod infideles non possunt perhibere testimonium. Inter illas conditiones duæ sunt viliores; scilicet paupertas et infamia. Boetius ergo volens ostendere suam condemnationem injustam ex vilitate testium accusantium propter quam repellendi erant a testimonio, dicit, in uno fuisse defectum fortunæ, scilicet in Basilio. Sed in aliis duobus, scilicet in Opilione et Gaudentio, dicit fuisse vitium infamiæ. Nota quod nihil videtur severius et nequius quam personas viles et damnandas admittere in testimonium contra innocentes. Quia dicit Seneca in libro de *Remediis fortuitorum*: « Non potest habere ullam auctoritatem sententia ubi qui damnandus est male de te loquitur. »

« At cujus criminis causa arguantur summam quæris? etc. » Hic Boetius ostendit injustam sui condemnationem ex falsitate criminis sibi impositi. Secundo ex dictis infert quamdam admirationem, ibi, Qua in re. Prima in duo, secundum quod duo imponebantur Boetio de quibus se excusat. Secunda ibi, « Nam de compositis. » Primum quod sibi imponebatur fuit quod impedivissem quemdam nuntium deferentem regi accusationem senatus, ut senatus redderetur reus læsæ majestatis. Dicit ergo in littera: o philosophia, tu forte quæris summam, idest sententiam, criminis, cujus criminis causa arguimur. Nos dicimur voluisse salvare senatum: forsan desideras scire per quem modum? dico quod nos criminamur, idest arguimur, impedivisse delatorem ne deferret documenta, idest litteras regi quibus faceret senatum reum læsæ majestatis. Quid igitur o magistra censes, idest judicas? infitiabimur, idest negabimus crimen illud ne simus tibi pudori? Atqui, idest sed, ego volui salvare senatum nec unquam desistam velle, sed opera, idest diligentia impediendi delatoris illa cessabit, idest cessare debet, quia non est verum quod impediverimus delatorem litterarum. Numquid est nefas optare salutem illius ordinis, scilicet senatus? quasi dicat: non est nefas. Iste vero senatus qui consensit in meam damnationem effecerat hoc suis decretis, idest judiciis, ac si esset nefas salvare ipsum: sed imprudentia sibiipsi mentiens, idest in damnum suum mentiens, non potest immutare merita rerum, ita quod illud quod prius fuit meritorium, postea fiat demeritorium, nec puto esse licitum, secundum præceptum Socratis, occuluisse, idest occultasse veritatem vel concessisse mendacium. Sed quomodo illud sit, ego relinquo tuo et sapientum judicio. Veritatem autem hujus rei ne lateat posteros, idest successores, ego commendavi stylo, idest scripto et memoriæ. Nota, accusatio Boetii fuit detestabilis quia facta per infames personas; fuit irrationalis, quia de bono accusabatur, scilicet de salvatione senatus quod erat bonum: etiam accusatio ejus fuit injusta, quia falsa: accusabatur enim impedivisse delatorem, quod falsum fuit. Nota: iste dicitur esse reus læsæ majestatis qui contra regem vel alium principem aliquod malum machinatur. Nota, inficioraris primæ conjugationis deponentale, idest nego. Unde Huguitio: inficior aris proprie est non fateri factum quod verum est, sed contra veritatem uti mendacio: vel est proprie inficiari secundum eum, rem debitam denegare cum a creditore deposcitur, et etiam idest contendere vel negare. Nota, dicit in textu: Numquid optare salutem senatui nefas vocabo? duplex est salus: spiritualis quæ est animæ: temporalis quæ est corporis. Salutem spiritualem tenemur omnibus velle, etiam malis, ratione charitatis, per quam etiam mali diligendi sunt, licet non in eo quod mali. Salutem vero temporalem tenemur velle omnibus bonis et præcipue amicis: amicorum vero peccantium tenemur salutem velle quamdiu sanabiles sunt ut recuperent virtutem amissam: sed si propter magnitudinem malitiæ sint insanabiles, dissolvitur amicitia nec est optanda salus. Et quia malitia senatus romanorum erat sanabilis, forte senatus compulsus metu regio fuit consentire in damnationem Boetii; ideo optare sibi salutem non erat nefas, licet

Boetio turbato hoc videretur. Nota : veritas non est occultanda, secundum Socratem. Nam qui tacet veritatem aliis nescientibus, mentitur ; et qui mendaciis consentit similiter facit. Nota mendacium non est concedendum : quia secundum Aristotelem in *Ethicis*, mendacium per se pravum est et fugiendum ; et *primo Eleuchorum :* duo sunt opera sapientis : non mentiri de his de quibus novit ; et mentientem posse manifestare.

« Nam de compositis falso litteris etc. » Hic Boetius excusat se de secundo crimine sibi imposito. Imponebatur enim sibi quod scripsisset litteras ad imperatorem Constantinopolitanum pro liberatione romanorum de manu regis Theodorici : unde littera : Nam de compositis litteris falso, quia false hoc mihi imponitur, quibus litteris arguor sperasse romanam libertatem, quid attinet dicere, cum non detur mihi locus defensionis ? Quarum litterarum fraus, idest fraudulentia patuisset aperta, idest manifesta, si nobis licuisset uti confessione, idest allocutione ipsorum delatorum, idest accusatorum : quod, scilicet uti examinatione accusatorum, maximas vires habet in omnibus negotiis, idest causis judiciariis. Nam quæ reliqua libertas sperari potest romanis? quasi dicat : nulla. Tantum enim rex Theodoricus invaluerat quod nullus potuit vel audebat contra ipsum. Utinam posset ulla libertas sperari ! utique, ita prudenter egissem de negotio, quod regi non innotuisset : et respondissem verbo Canii, qui cum accusaretur a Caio Cæsare filio Germanici, quod esset reus conjurationis factæ contra se, respondit Canius : si ego scissem tu nescisses : quasi dicat : si essem reus, ita prudenter celassem negotium quod ad tuam notitiam nunquam pervenisset. Nota, quod in caussis judiciariis testium sive accusatorum examinatio maximas habet vires, quia per eam devenitur ad rei veritatem ; sicut patet de Daniele qui examinando duos presbyteros false accusantes Suzannam ipsos de falsitate accusationis coram omni populo convicit. Similiter Boetius, si datus fuisset sibi locus examinandi suos accusatores, utique ipsos mendaces reddidisset. Nota : Canius fuit quidam romanus prudens et sapiens : accidit ut quidam ex romanis conspirarent et facerent conjurationem contra Caium Cæsarem : et cum Cæsar proponeret Canio quod esset reus illius conjurationis factæ, respondit : si ego scissem, tu nescisses. Sic Boetius respondisset regi Theodorico si sibi improperasset de litteris compositis super restituenda libertate ipsis romanis.

« Qua in re ita etc. » Hic Boetius ex dictis infert quamdam admirationem. Secundo invehitur contra senatores qui consenserunt in suam damnationem, ibi, « Sed si fas fuerit. » Dicit primo : Ex quo a malis injuste accusatus sum qua in re, propter quod non ita, idest non intantum, mœror, idest tristitia, hebetavit, idest oppressit, sensus nostros, ut ego quærar, idest conquerar, impios, idest malos, molitos, idest machinantes, scelerata, idest nequitiosa, contra virtutem, idest virtuosos homines; sed ego admiror vehementer, idest fortiter, effecisse idest ad effectum perduxisse, super illa quæ mali speraverunt, idest conceperunt. Nam velle deteriora, idest mala, fortasse fuerit nostri defectus, idest ex nostro defectu, sed posse (supple perficere) malum contra innocentiam, idest homines innocentes, quæ quisque sceleratus conceperit, idest cogitaverit, Deo hoc inspectante, supple hoc est simile monstro, idest admirabile. Unde, idest pro tanto, quidam tuorum familiarium, idest philosophorum, quæsivit haud injuria, idest non injuste, siquidem (pro certo) Deus est unde mala, supple proveniunt, vero (pro sed) unde, idest a quo, bona si Deus non est ? quasi dicat : ex quo injuste a malis accusatus sum, propter hoc non intantum sum oppressus dolore quod conquerar malos machinari mala bonis : sed admiror quod illi qui mala concipiunt contra bonos possunt perducere effectum. Nam velle malum est forte ex nostro defectu ; sed quod malus possit perficere malum contra bonos Deo hoc inspiciente, est simile monstro. Unde quidam philosophus non injuste quæsivit : Si Deus est, unde proveniunt mala? Et si Deus non est, unde proveniunt bo-

ma? Nota ex quarto hujus, duo requiruntur ad aliquem effectum producendum : scilicet voluntas et potestas. Requiritur voluntas, quia nullus aggreditur quod non vult. Requiritur potestas : quia sine potestate voluntas frustratur. Quod autem mali habent voluntatem offendendi bonos, non est mirandum ; sed quod habent potestatem perducendi ad effectum suam voluntatem Deo respiciente, est simile monstro. Nota, simile monstro est quod contingit præter intentionem naturæ. Sicut ergo monstra fiunt præter intentionem naturæ, sic videbatur Boetio quod mala præter ordinem divinæ prudentiæ contingerent : quod videtur rationale, cum Deus sit summe bonus, quod aliquo modo sit causa mali. Fieri ergo mala in mundo Deo inspiciente videtur simile monstro. Nota quod Deus non est causa effectiva mali, cum sit summe bonus, licet sit causa mali permissiva, quia permittit fieri malum ; et sic exponitur auctoritas prophetiæ. *Ego Dominus faciens omnia hæc : faciens bonum et creans malum*, supple, permissive. Aliter dicitur duplex est malum, scilicet pœnæ et malum culpæ. Deus est causa mali pœnæ quod punit, sed non est causa mali culpæ, quia hic est qui peccatum non fecit.

« Sed si fas fuerit etc. » Hic Boetius invehitur contra senatum qui consensit in suam condemnationem, tangendo suam benivolentiam quam habuit ad eos ; et dicit. Si fas fuerit, idest ponamus fas esse nefarios homines, idest malos homines, consulatus qui omnium bonorum et totius senatus, idest romanæ civitatis petunt, idest desiderant, sanguinem, idest mortem, nos etiam voluisse ire perditum, idest ad perdendum, quos viderant propugnare bonis hominibus, que pro et, senatui. Sed num, idest numquid, nos idem scilicet perdere merebamur de patribus, idest de senatoribus? quasi dicat, non. Sed o philosophia meministi ut opinor quoniam me dicturum, idest volentem dicere, quid, idest aliquid, ve pro vel, facturum ipsa semper præsens, supple existens, dirigebas, idest regebas. Ergo nec verbis nec factis ostendi senatum. Meministi, inquam, philosophia, Veronæ, idest apud Veronam civitatem cum rex Theodoricus avidus existens communis exitus, idest tormenti, senatorum, cum ipse crimen læsæ majestatis delatum in Albinum ipse rex moliretur, idest laboraret, transferre illud crimen ad totum senatum, quanta securitate, idest tutela, mei periculi, defenderim, idest liberaverim, innocentiam universi senatus, idest totius consulatus. O philosophia, tu scis me proferre, idest loqui, vera, et nunquam me jactasse in ulla mei laude : enim pro quia, minuit quodammodo secretum conscientiæ, probantis, idest laudantis se, quotiens quis ostentando, idest manifestando, factum, recipit pretium famæ, idest mercedem laudis, ab hominibus. Sed tu philosophia vides quis eventus exceperit, idest liberaverit, nostram innocentiam. Nos subimus, idest sustinemus, pœnas falsi sceleris, idest falso nobis impositi, pro præmiis veræ virtutis. Nota, secundum Senecam, dolor duplicatur cum ab eo quo bonum merueras malum venit. Cum igitur Boetius omnem benevolentiam exhibuerit senatoribus, gravius doluit de sua offensione. Nota : in civitate Verona cum Albinus esset accusatus de gravi crimine, ita ut diceretur reus læsæ majestatis, illud crimen rex Theodoricus voluit transferre ad totum senatum, et ipsum damnare. Sed Boetius exponens se periculis, senatum liberavit. Item nota quod secretum conscientiæ est virtus ; quæ minuitur cum aliquis virtuose operatur jactando se ut consequatur famam et laudem populi. Unde Seneca : « Conscientiam potius quam famam attende. » Et dicit Macrobius : « Sapiens gloriam suam in conscientia ponit, stultus autem in laude humana. » Unde dicit Isidorus : « Qui aliquod donum a Deo largitum in laudem suam convertit, proculdubio virtutem in vitium transire facit. »

« Et cujus unquam facinoris etc., » Hic Boetius ostendit se perturbatum ex judicum severitate et inflexibilitate, dicens : Cujus unquam facinoris, idest peccati manifesta confessio, idest cujus unquam hominis peccatum manifestum, habuit judices ita concordes in severitate,

ut non aliquis eorum vel ipse error humani ingenii submitteret, idest flecteret ad misericordiam, vel conditio fortunæ, idest eventus fortuitus, existens incerta cunctis mortalibus, supple hominibus, submitteret aliquos eorum. Si diceremur voluisse inflammare, idest incendere, sacras ædes, idest Ecclesias, et si nos diceremur struxisse, idest procurasse, necem, idest mortem, bonis omnibus, et si diceremur jugulare, idest punire, sacerdotes impio gladio, tamen (pro sed) sententia, idest judicium, damnasset me præsentem convictum et confessum crimine : sed nos procul moti, idest absentes, quingentis millibus passuum et indefensi, ob prospensius studium, idest propter studium intensius, nos damnamur, idest adjudicamur, in senatum morti, que (pro et) proscriptioni. Et tunc exclamat dicens : O meritos, idest dignos, vel beatos judicio neminem posse convinci de simili crimine, sicut nec ego juste convictus sum. Cujus reatus, idest criminis, dignitatem, idest innocentiam, ipsi etiam viderint, idest cognoverint, qui detulere, idest accusaverunt me. Nota quod judices quandoque moventur ad misericordiam duplici de causa. Primo modo propter errorem humani ingenii, quia humanum ingenium sæpe fallitur in judicio, quia ignorat utrum aliquando juste de re sentiat vel non ; et timens Deum, ne injuste judicet, movetur ad misericordiam parcendo reo. Secundo judices moventur ad misericordiam propter evuntum fortunæ, qui incertus est hominibus. Quod enim judex in alio damnat sibi facile per fortunam evenit, et illud debet recordari. Sed nulla illarum causarum movit judices ad miserandum Boetium, sed concorditer ipsum damnabant. Nota quod nullus debet damnari etiam pro crimine quantumcumque enormi, nisi sit præsens convictus, vel crimen in judicio confessus. Boetius autem cum damnaretur non erat convictus nec crimen confessus ; et erat absens, quia in studio Athenis : sic ergo injuste erat damnatus. Nota quod Boetius cum damnaretur distabat a loco judicii quingentis millibus passuum; et cum mille passus faciunt unum milliare, ideo bene distabat ad quingenta milliaria. Nota : Boetius damnatus fuit proscriptionis. Huguitio dicit proscriptio est judicialis sententia lata contra aliquem, cujus nomen pro scelere de scriptura tabulæ æneæ delebatur. Consuetudo enim romana fuit quod nomina senatorum quorum consilio urbs romana regebatur, aureis litteris in tabula ænea scriberentur; unde et patres conscripti dicebantur. Et dicitur proscriptum, quasi procul a scriptura positus. Et sic Boetius erat proscriptus, quia nomen suum deletum fuit de tabula ænea.

« Quam uti alicujus etc. » Hic Boetius expurgat se de quibusdam objectis. Secundo ostendit unde sumpta fuit ratio objectionis. Secunda ibi, « Sed o nefas. » Nota : Boetio objiciebatur quod ipse usus arte nigromantica sacrificaret dæmonibus pro dignitatibus acquirendis. De hoc Boetius excusat se dicens : Quam, supple meam dignitatem, uti pro ut, fuscarent idest denigrarent, admixtione alicujus sceleris, mentiti sunt meam polluisse conscientiam sacrilegio, idest dæmonum obsequio ob ambitum, idest propter cupiditatem dignitatis acquirendæ : atqui pro certe, tu insita, idest inserta, nobis pellebas de sede, idest de loco, omnem cupidinem, idest omnem cupiditatem, rerum mortalium, et sub tuis oculis non erat fas esse locum sacrilegio, idest cultui dæmonum, que pro et, tu instillabas auribus que pro et, cogitationibus meis illud pythagoricum; Deo non diis serviendum : nec conveniebat me captare, idest optare, presidia, idest auxilia, vilissimorum spirituum, idest dæmonum, quem tu componebas, idest locabas, in hanc excellentiam ut consimilem Deo facere. Præterea innocens penetrale, idest uxor, domus mea, cœtus, idest multitudo, honestissimorum amicorum, et socer Symmachus sanctus et æque reverendus ipso actu defendunt nos ab omni suspicione hujusmodi criminis. Nota quod consuetudo invidorum est, cum non possunt alicui suam probitatem auferre, nituntur ipsam saltem aliquo vitio denigrare. Et sic fama Boetii denigrata fuit vitio sacrilegii. Nota quod sacrilegium est sacræ rei furtum : et ponitur sacrilegus pro homine scelerato, et sacrilegium est cul-

tum dæmonum sive idolorum. Inde sacrilegus, idest idolator, et sic capitur in proposito. Nota quod ambitus media producta, est cupiditas honoris. Sed ambitus media correpta, est circuitus, et primo capitur hic. Nota quod philosophia repellit omnem cupiditatem honorum exteriorum; quod scribitur in primo libro de Finibus, quod philosophia tria inducit: scilicet mentis illustrationem, felicitatis appetitum, et mallæ affluentiæ contemptum. Nota, philosophia facit hominem similem Deo, non similitudine commoda, sed participativa; ita quod homo participatur aliquid conditionis divinæ scilicet intelligentiæ. Unde Seneca: « Hoc mihi philosophia promittit quod me parem Deo reddit. » Et alibi dicitur: « Vir speculativus est quasi Deus in humano corpore hospitatus. » Nota sacrilegium non habet locum sub oculis philosophiæ, quia philosophia per se omnia agenda et facienda ordinatissime disponit, et non permisit hominem ad vana declinare; quia dicit Tullius in *libro de Finibus bonorum et malorum*: « Philosophia a superstitione liberat, metu mortis non conturbat. » Et est superstitio vana religio, scilicet idolorum cultura. Nota: penetrale est secreta camera, vel locus secretus interior in domo vel in templo, ubi reponuntur clinodia vel aliqua talia: et ponitur hic pro uxore Boetii per metaphoram ponendo continens per contento, quia ipsa consuevit morari in penetrali. Nota quod Symmachus fuit quidam nobilis romanus et socer Boetii, cujus filiam Boetius duxerat nomine Elphæ: qui Symmachus non fuit tantum sanctus interius in affectu, sed etiam reverendus in exteriori actu, sicut dicit Boetius.

« Sed o nefas! illi vero de te etc. » Hic Boetius ostendit unde fuerit ratio sumpta objecti criminis, quia ex ipsa philosophia cui deditus erat. Unde dicit exclamando: O nefas! illi, supple mali, capiunt fidem tanti criminis de te, o philosophia: atque hos, idest propter hos, videbimur fuisse affines maleficio sacrilegii, quia nos sumus imbuti, idest instructi, tuis disciplinis, idest doctrinis, et sumus instituti, idest informati, tuis moribus. Ita non est satis tuam reverentiam nihil mihi profuisse, nisi ultro, idest sponte, tu potius lacereris ab illis mea offensione. Hoc dicit Boetius pro tanto, quia injuriati sunt sibi propter philosophiam, ideo magis injuriati sunt philosophiæ quam sibi. Nota, quando Boetius vacabat studio, fugiebat consortia stultorum et quærebat secreta loca propter studium, ideo putabant ipsum loqui cum dæmonibus et eis sacrificare. Item quia Boetius fere omnia quæ volebat facere sua sapientia faciebat, ideo putabant eum dæmonem habere familiarem sibi obsequentem, sicut Apuleius opinatus est de Socrate quod haberet familiarem Deum, de quo fecit librum quem intitulavit *de Deo Socratis*.

« At vero hic etiam etc. » Hic Boetius ostendit se esse perturbatum ex famæ suæ læsione, dicens, hic cumulus, idest augmentatio, accedit nostris malis, quod existimatio, idest judicium plurimorum, idest vulgarium, non spectat, idest non respicit, merita rerum sicut homo meretur, sed spectat eventum fortunæ, idest judicat hominem secundum quod fortuna se habet circa ipsum; et ea tantum judicat vulgus esset provisa a Deo quæ commendaverit felicitas, idest prospera fortuna: quo fit, idest ex quo sequitur ut existimatio bona deserat infelices. Unde me piget, idest tædet reminisci qui nunc sint rumores populi de me et quam multiplices, quæ pro et, dissonæ, idest discordantes sententiæ sint de me: nam quidam dicebant me reum esse, quidam non. Hoc tamen dixerim, idest volui dixisse, ultimam esse sarcinam, idest gravissimum pondus, adversæ fortunæ, quod dum aliquod crimen affingitur, idest imponitur, miseris, idest infelicibus, ipsi creduntur meruisse, supple illa quæ ipsi miseri perferunt, idest patiuntur. Et ego bonis omnibus pulsus, quia in exilium relegatus, et exutus dignitatibus quia damnatione proscriptus, et fœdatus idest maculatus existimatione, ego qui prius virtute honestus reputabar, nunc scelere deformis reputor, et tuli, idest recepi, supplicium, idest pœnam, ob beneficium, idest propter beneficium. Nota quod vulgares non judicant secundum merita rerum, utrum homo merea-

tur aliquid vel non; sed judicant secundum eventum fortunæ. Unde hominem bene fortunatum judicant felicem, male fortunatum judicant miserum : sed tale judicium falsum est. Unde dicit Seneca quadragesima quinta epistola : « Non felicem hunc æstimes quem vulgus appellat felicem ad quem pecunia confluxit; sed illum cui omne bonum in animo est erectum et extensum. » Item bona æstimatio deserit infelices, quia primum malum quod infelices incurrunt est quod vulgus male de ipsis opinatur. Credit enim vulgus ea quæ miseri patiuntur quod ex merito talia patiantur.

« Videre autem videor etc. » Hic Boetius ostendit se esse perturbatum ex his quæ vidit in mundo generaliter, scilicet bonos deprimi et malos extolli; dicens : Ego videor videre, idest cognoscere, nefarias officinas, idest malas societates sceleratorum hominum fluitantes gaudio, que pro et, lætitia, et quemque perditissimum, idest pessimum, imminentem, idest insistentem novis fraudibus delationum, idest accusationum; et video bonos jacere prostratos, idest depressos, terrore nostri discriminis; et etiam video quemque flagitiosum, idest pravum hominem, incitari ad audendum, idest ad præsumendum, facinus, idest peccatum impunitate, idest sine pœna, vero pro sed, incitari præmiis ad efficiendum, idest ad perpetrandum, facinus, idest peccatum. Autem pro sed, ego video insontes, idest innocentes, non modo, idest non tantum, securitate, verum etiam defensione. Itaque, pro ergo, libeti, dest placet, mihi exclamare ad Deum cœli, quare talia permittat in mundo ut mali exaltentur et boni deprimantur. Nota quod Boetio qui erat turbatæ mentis et in statu miseriæ, videbatur quod mali in hoc mundo essent potentes et viverent impuniti, boni autem impotentes et viverent irremunerati : sed philosophia, in quarto hujus, ipsum consolando, probat malos semper esse impotentes et bonos esse potentes, et malis nunquam deesse sua supplicia et bonis nunquam sua premia. Nota quod officinæ dicuntur domus officialium ubi reponuntur ea quæ ad ipsos spectant, et ad eorum officia, sicut sunt cellaria et granalia et alia hujusmodi. Hic autem accipiuntur officinæ pro congregatione malorum; et dicuntur ab officio officis, quod est noceo-ces.

METRUM V.

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapidum cœlum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis;
Ut nunc pleno lucida cornu.
Totis fratris obvia flammis,
Condat stellas luna minores,
Nunc obscuro pallida cornu.
Phœbo propior lumina perdat :
Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Hesperus ortus,
Solitas iterum mutat habenas,
Phœbi pallens Lucifer ortu.
Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore mora :
Tu cum fervida venerit æstas,
Agiles noctis dividis horas
Tua vis varium temperat annum,
Ut, quas Boreæ spiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus, frondes :
Quæque Arcturus semina vidit,
Sirius altas urat segetes.
Nihil antiqua lege solutum
Linquit propriæ stationis opus.
Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus
Merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna :
At perversi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Injusta vice colla nocentes.
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris, justusque tulit
Crimen iniqui.
Nil perjuria, nil nocet ipsis
Fraus mendacii compta colore.
Sed cum libuit viribus uti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudent subdere reges.
O jam miseras respice terras,
Quisquis rerum fœdera nectis.
Operis tanti pars non vilis
Homines quatimur fortunæ salo.
Rapidos, rector, comprime fluctus,
Et quo cœlum regis immensum
Firma stabiles fœdere terras.

« O stelliferi conditor orbis etc. » Hic incipit quintum metrum hujus primi libri, quod dicitur pindaricum ab inventore, anapesticum a pede prædominante. Est autem anapestus pes contrarius dactylo, constans ex primis duabus brevibus et tertia longa syllaba : et est metrum acathalecticum, idest sine defectu. In hoc autem metro Boetius exclamat contra providentiam divinam, admirans

quod omnia reguntur a Deo præter actus humanos. Licet hoc falsum sit, tamen Boetio sic videbatur secundum statum turbatum. Et dividitur. Primo commendat divinam providentiam ex gubernatione cœlestium et terrestrium. Secundo tangit actus humanos non regi a Deo. Tertio rogat Deum ut regat actus hominum. Secunda ibi, « Omnia certo. » Tertia ibi, « Quisquis rerum. » Prima dividitur. Primo commendat regimen divinæ providentiæ circa cœlestia. Secundo magis circa terrestria, ibi, « Tua vis varium temperat. » Primo dicit : O conditor, idest creator, orbis stelliferi, idest ferentis stellas, qui nexus, idest adjunctus, perpetuo solio, idest æternæ sedi, versas, idest frequenter vertis, cœlum, rapido turbine, idest veloci motu, et cogis sidera pati legem, idest debitum ordinem, ut ipsa luna, nunc, idest aliquando, lucida pleno cornu sicut in plenilunio, obvia, idest opposita, totis flammis, idest luminibus fratris, idest solis, ipsa luna condat, idest abscondat, minores stellas, quæ in plenilunio non videntur propter majus lumen, et tu cogis nunc, idest aliquando, ut ipsa luna existens pallida obscuro cornu ipsa existens propior Phœbo, idest soli, perdat, idest amittat, lumina, idest lucem : quasi dicat : tu facis ut luna quanto magis recedit a sole, tanto magis illuminatur et lumine suo obscurat minores stellas : et quanto magis appropinquat soli, tanto plus obscuratur : et tu cogis ut hesperus, idest stella vespertina, qui agit algentes, idest frigidos, ortus tempore noctis, idest in crepusculo, quod est prima pars noctis, sequendo solem, iste hesperus de mane lucifer dictus pallens in ortu phœbi iterum mutat solitas habenas, idest solitos cursus : nam cum de vespere sequitur solem, de mane præcedit ipsum : et tu stringis, idest coarctas, lucem, idest diem breviore mora tempore brumæ, idest hyemis, frondifluæ, idest facientis frondes fluere : cum fervida æstas venerit, tunc tu dividis, idest distinguis, agiles horas, idest breves horas noctis : quasi dicat : tu facis quod tempore hyemali noctes sunt prolixiores diebus, in tempore æstivali e converso. Notandum quod Deus dicitur conditor stelliferi orbis, quia ab ipso dependet cœlum et tota natura, *ex duodecimo Metaphysicorum* ; et dicitur residere in perpetuo solio, quia in cœlo quod est perpetuum : nam cœlum est locus deorum et spirituum, et omnes barbari et græci et quicumque putant deos esse, eum locum qui sursum est, Deo attribuunt tanquam immortale immortalitati coaptantes, *primo Cœli et mundi*. Et dicitur vertere cœlum rapido turbine : motus enim firmamenti dicitur rapidus, quia suo motu rapit secum alias sphæras. Unde nota quod verso est verbum frequentativum et significat frequenter vertere : et in hoc innuitur quod cœlum semper movetur et non cessabit, quia dicit Commentator, non est timendum quod cœlum stet. Et ratio quia movens movet sine fatigatione et sine pœna, *duodecimo Metaphysicorum*. Item Deus est nexus perpetuo solio, idest conjunctus perpetuo cœlo. Unde Deus tripliciter est in universo : scilicet essentialiter seu præsentialiter : sacramentaliter seu mysterialiter, et misericordialiter. Essentialiter seu præsentialiter est in sua vera claritate in qua ipsum homo nunquam vidit, sicut dicit propheta, *Deum nemo vidit unquam*, sicut ipse est in perpetuo solio. Sacramentaliter seu mysterialiter, Deus est in sacramento Eucharistiæ, quod rata fide credimus. Sed misericordialiter Deus est ubique : propter quod dicit Scriptura : *Misericordia Domini plena est terra* ; et inde provenit dictum commune secundum quod dicit Scriptura : Deus est ubique. Nota secundum Huguitionem, solium est sedes regalis ex solidis lignis facta, dicta a soliditate, idest a firmitate. Nota quod Deus cogit sidera pati legem non violenta nec coacta motione, quia nullum violentum perpetuum ; sed cogit ea voluntaria ordinatione observare legem, idest determinatum motum ut tempore eis statuto oriantur et occidant. Nota quod luna de se est corpus opacum recipiens lumen a sole ; et in ea parte qua est versus solem illuminatur : cum autem directe opposita sit soli sicut in plenilunio, tunc lumine suo obscurat minores stellas eo quod majus lumen

obfuscat minus : sed cum luna est in ista parte cœli in qua est sol, sicut contingit in conjunctione, tunc superior pars quæ est versus solem est illuminata, et inferior pars quæ est versus nos est obscurata, et tunc nihil videmus de luna : sed cum incipit elongari a sole, tunc pars elongata incipit modicum apparere nobis, et tunc dicimus esse novilunium ; et quanto plus elongatur, tanto plus apparet nobis illuminata. Nota : Boetius dicit solem esset fratrem lunæ, quia secundum fabulas Jupiter concumbens cum Latona genuit ex ea duos gemellos, scilicet Phœbum qui dicitur sol, et Dianam quæ dicitur luna ; et sic secundum fabulas sol est frater lunæ. Nota : stella quæ de vespere sequitur solem et de mane præcedit, habet diversa nomina : patet per versum :

« Lucifer, aurora, venus, vesperus, hesperus, idem. »

Quomodo autem sit possibile quod eadem stella de vespere sequatur solem et de mane præcedat : dicent aliqui quod hoc non contingit in una et eadem parte anni, sed in diversis : dicunt enim quod in æstate sequitur solem et in hyeme præcedit : sed hoc est contra omnes auctores dicentes, hoc esse in eodem tempore anni. Alii dicunt quod Mercurius et Venus sint stellæ similis coloris et quantitatis quarum una quandoque sequitur solem, alia præcedit ; et sic videtur esse una stella quæ sequitur et præcedit : sed hoc non est. Huguitio dicit quod Venus est altior sole ; et loquitur secundum antiquos astrologos, qui locaverunt Venerem supra suis solem. Cum igitur contingit quod Venus et sol simul veniunt ad occasum, quia Venus est altior, diutius videtur in sero quam sol ; eadem ratione citius videtur in mane, quamvis æque cito discurrant ; nam citius videntur ascendentia remota quam propinqua, et diutius videntur descendentia remota quam propinqua, licet æquali motu incedant. Sed moderni astrologi locant Venerem sub sole. Alii dicunt quod una est stella quæ uno tempore sequitur solem, alio tempore præcedit. Et dicunt secundum Ptolomæum, quod illa stella habet epicyclum, in cujus circumferentia defertur corpus ejus. Est autem epicyclum circulus parvus cujus centrum est in circumferentia orbis deferentis. Nunc autem est ita quod epicyclus Veneris semper est cum sole ; ita quod si protrahatur linea a centro terræ per centrum epicycli Veneris ad firmamentum, eadem linea transibit per centrum solis, vel non multum distabit ab eo : cum autem Venus feratur in circuitu epicycli, aliquando erit in eadem linea cum sole, aliquando præcedit, aliquando sequitur. Item mora solis super horizontem facit diem, cum dies sit latio solis super terram ; mora autem solis sub horizonte facit noctem. Et quia sol longiorem facit moram tempore æstivali super horizontem, et breviorem sub horizonte : ideo dies æstivales longiores sunt noctibus : in hyeme autem fit e converso : propter quod dies hyemales breviores sunt noctibus.

« Tua vis varium etc. » Hic Boetius commendat regimen divinæ providentiæ, magis circa partes anni : dicens : O Deus, tua vis, idest virtus, temperat, idest ordinat varium annum, idest diversas partes anni, ut mitis zephyrus, idest ventus vernalis, revehat, idest reducat frondes quas aufert, idest destruit spiritus boreæ, idest flatus boreæ ; et tua vis temperat, ut quæque, idest quæcumque,semina vidit arcturus illa stella, illas altas segetes, urat sirius, idest stella canicula tempore æstivali. Et subdit : Nihil solutum, idest segregatum, antiqua lege, idest æterna lege divinæ providentiæ, linquit, idest derelinquit, opus proprie stationis, idest ad quod operandum est statutum. Nota, quod quatuor sunt partes anni : ver, hyems, autumnus, et æstas. In vere flat ventus qui dicitur zephirus, qui est collateralis favonii : et quia flatus ejus est lenis, ideo dicitur mitis et producit viridia. In hyeme, et maxime in principio, viget flatus boreæ, qui est ventus collateralis aquilonis, cujus flatus est fortis et frigidus, et destruit viridia denudando arbores. Nota, quod arcturus est stella circa majorem ursam ; quæ dicitur videre semina, quia tempore sui ortus, quo oritur cum sole, tunc seminatur, sicut in autumno. Nota : sirius est stella qua alio

nomine dicitur canicula ; et dicitur sirius a sirem quod est tractus, propter longum tractum caloris ; et apparet cum sol est in cancro ; et dicitur urere segetes, idest maturare. Nota : de arcturo dicit Isidorus in libro *Ethimologiarum* : « Arcturus est sidus propter caudam majoris ursæ positum, et oritur tempore autumnali. » Sed Vegetius dicit arcturum oriri post idus septembres, decimo septimo kalendas octobris. Item dicit Isidorus : « Canicula est stella, et dicitur sirius, qui æstivis mensibus in medio centro cœli est, et juncta cum sole duplicatur calor ejus, et dissolvuntur corpora : a qua stella dicuntur dies caniculares in quibus molestæ sunt purgationes. »

« Omnia certo fine etc. » In ista parte Boetius tangit actus hominum non regi a providentia divina, sed derelictos regimini fortunæ, dicens : O Deus, tu gubernas omnia certo fine, idest certo ordine ad finem, et respuis, idest spernis, regere solos actus hominum : ergo, o rector Deus, tu merito cohibere, idest coercere. Cur lubrica fortuna, idest instabilis fortuna versat, idest vertitur, tantas vices, idest alternationes, quia ipsa premit insontes, idest innocentes, noxia pœna debita sceleri, idest homini scelerato ; et perversi mores, idest homines perversi in moribus, resident in celso solio, idest alto loco, ipsi nocentes, idest mali, calcant sancta colla, idest colla sanctorum hominum injusta vice, idest injusta alternatione, qui sancti potius deberent calcare colla nocentium quam e converso : et clara virtus, idest bona claræ virtutis, latet condita, idest abscondita, obscuris tenebris, idest ab hominibus vitio obscuratis ; et justus homo tulit, idest sustulit, crimen iniqui hominis, et perjuria nihil nocent ipsis iniquis, nec fraus compta, idest ornata, mendacii colore, idest falsa apparentia, nocet ipsis : sed cum pravis libuit uti viribus, idest exercere vires, quos pravos metuunt innumeri populi, idest vulgares, tunc ipsi gaudent subdere, idest supplantare summos reges, idest bonos et sapientes quorum est regere et alios gubernare. Item Deus omnia gubernat certo fine, quia dicit Commentator, *decimo Metaphysicorum* : « Deus est mensura omnium et regula et infallibiliter verum metrum. » Et Commentator dicit *primo Cœli et mundi* : « Entia divina nos gubernant et regunt, et nobis sunt quasi finis. » Item illud quod est sapientissimum, regit certo fine, cum sapientis est regere. Sed Deus est sapientissimus eo quod sapientia a Deo processit. Unde Scriptura : *Omnis sapientia a Deo est.* Nota : Boetius vidit in mundo bonos deprimi et malos exaltari, cum tamen potius fieret e converso. Ideo sibi videbatur quod actus et operationes hominum non regerentur a Deo, sed magis a fortuna, quæ hunc humiliat et hunc humiliat et hunc exaltat. Ideo Boetius Deo conqueritur.

« O jam miseras etc. » Hic Boetius rogat ut Deus regat actus hominum, et homines, sicut regit cœlum : dicens : O quisquis Deus es tu qui nectis, idest conjungis, fœdera, idest concordias rerum, respice miseras terras, idest homines in terris habitantes. Non enim homines non sumus vilis pars, sed valde nobilis, tanti tui operis, idest mundi : nos quatimur, idest concutimur salo, idest mari, et amaritudine fortunæ : ideo tu Deus comprime, idest restringe, rapidos fluctus, idest magnos impetus fortunæ, et eo fœdere, idest regimine, quo regis immensum cœlum, tu firma, idest robora, stabiles terras, idest homines stabiles terra. Nota : Boetius dicit hominem non esse vilem partem mundi, quia scribitur in prologo *libri de Pomo Aristotelis* : « Homo est dignissima creaturarum, et similitudo omnium, ad imaginem Dei factus. » Et secundo *de Anima* : « quodammodo anima convenit cum omnibus creaturis : cum Angelis in intelligendo, cum brutis in sentiendo, cum plantis in vegetando, cum lapidibus in essendo. » Nota : Boetius comparat fortunam salo, idest mari. Sicut enim navis undis marinis jactatur in altum nunc, et nunc in profundum ; sic homo per fortunam nunc in prosperitate levatur, nunc in adversitate dejicitur.

PROSA V

Hæc ubi continuato dolore delatravi, illa vultu placido, nihilque meis questibus mota : Cum te, inquit, mœstum lacrimantemque vidissem, illico miserum, exsulemque cognovi. Sed quam id lon-

ginqnum esset exilium, nisi tua prodidisset oratio, nesciebam. Sed tu procul a patria non quidem pulsus es, sed aberrasti. At si te pulsum existemari mavis, te potius ipse pepulisti. Nam id quidem de te nunquam fas fuisset. Si enim cujus oriundus sis patriæ reminiscaris, non, uti Atheniensium, quondam, multitudinis imperio regitur ; *alla eis basileis estin, tyrannos* qui frequentia civium, non depulsione lætatur cujus agi frenis, atque obtemperare justitiæ summa libertas est. An ignoras illam tuæ civitatis antiquissinam legem, qua sancitum est, ei jus exsulare non esse quisquis in ea sedem fundare maluerit? Nam qui vallo ejus ac munimine continetur, nullus metus est, ne exsul esse mereatur. At quisquis inhabitare eam velle desierit, pariter desinit etiam mereri. Itaque non tam me loci hujus, quam tua, facies movet. Nec bibliothecæ potius, comtos ebore ac vitro parietes, quam tuæ mentis sedem requiro. In qua non libros, sed id quod libris pretium facit, librorum quondam meorum sententias collocavi. Et tu quidem de tuis in commune bonum meritis vera quidem, sed pro multitudine gestorum tibi, pauca dixisti. De objectorum tibi vel honestate, vel falsitate, cunctis nota memorasti. De sceleribus fraudibusque delatorum recte tu quidem strictim attingendum putasti, quod ea melius uberiusque recognoscentis omnia vulgi ore celebrentur. Increpuisti etiam vehementer injusti factum senatus. De nostra etiam criminatione doluisti, læsæque opinionis damna flevisti. Postremus adversos fortunam dolor incanduit, conquestusque es non æqua meritis præmia pensari. In extremo Musæ sævientis, uti quæ cœlum, terras quoque pax regeret, vota posuisti. Sed quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt, uti nunc mentis es, nondum te validiora remedia contingunt. Itaque lenioribus paulisper utemur ; ut quæ in tumorem perturbationibus influentibus induruerunt, ad acrioris vim medicaminis recipiendam, tactu blandiore mollescant.

« Hæc ubi continuato etc. » Hic incipit quinta prosa hujus primi libri ; in qua Boetius ostendit quomodo philosophia se habuit ad suam querimoniam et quid ex ea cognoverit. Secundo philosophia quædam dicta Boetii irrationabilia parvipendit. Tertio sub brevitate recolligit ea quæ ipsum Boetium perturbant. Quarto philosophia dat modum remedendi ipsum Boetium. Secunda ibi, « Itaque non tam me loci hujus. » Tertia ibi, « Et tu quidem de tuis. » Quarta ibi, « Sed quoniam pluribus. » Dicit primo : Postquam ego Boetius delatravi, idest contra rationem locutus sum : hæc supra prædicta continuato dolore, idest assidua turbatione, illa, supple philosophia, placido vultu nihil mota, idest irata meis questibus de meis querimoniis, inquit, idest dixit : Cum, idest quando ego vidissem te Boetium mœstum, idest tristem, que pro et, lachrymantem, idest flentem, illico, idest statim, cognovi te miserum, que pro et, exulem, idest patientem exilium : sed quam longinquum, idest remotum esset illud exilium ego nesciebam, idest ignorabam, nisi tua oratio, idest sermo mihi prodidisset, idest revelasset : sed tu, supple Boetius, quidem pro certo, non es pulsus quam procul, idest valde remote a patria, idest a judicio rationis, sed aberrasti, idest devicisti : at pro sed, si te mavis, idest magis vis existimari pulsum a patria, potius, supple, tu ipse pepulisti te Boetium. Nam pro quia, quidem pro certe, id supple repellere te a patria, nunquam fuisset fas, idest licitum cuiquam, supple homini. Si enim reminiscaris, idest recorderis cujus patriæ, idest de qua patria sis oriundus, idest natus, non, uti pro sicut, supple civitas Atheniensium quondam regitur imperio, idest ex præcepto multitudinis, idest multorum rectorum. Sequitur græcum quod tantum valet in latino, sed unus est dominus et unus rex, unus est princeps qui lætatur, idest gaudet de frequentia, idest frequenti inhabitatione civium, idest incolarum et non depulsione ; cujus regis agi, idest duci frenis, idest præceptis, atque pro et, obtemperare, idest obedire justitiæ summa est libertas. An pro numquid, ignoras illam antiquissimam legem, idest statutum, tuæ civitatis, idest rectæ rationis, qua sancitum, idest confirmatum est jus non esse, idest ad eam non pertinere exulare, idest exilium pati quisquis, idest quicumque maluerit, idest optaverit, fundare, idest locare in ea civitate sedem, idest habitationem suam : nam pro quia, qui continetur, idest comprehenditur vallo ac munimine ejus, supple civitatis, nullus metus, idest timor est illi ut mereatur esse exul : at pro sed quisquis desierit, idest cessaverit, velle inhabitare eam civitatem, pariter desinit etiam mereri, idest meritum consequi. Nota, quod delatrare propriæ est canum : in proposito autem delatrare est urgente dolore contra rationem loqui. Et sic Boetius, quia dixit actus hominum non regi a Deo contra rationem loquebatur, ergo dixit se delatrasse. Nota : non est hominis sapientis moveri ex

ea quæ dicuntur ab insipiente contra rationem; sed magis debet insipientem instruere et ipsum consolari; ergo philosophia non fuit mota ex questibus Boetii, sed magis ipsum consolabatur. Nota, philosophia cognovit Boetium esse miserum et exulem. Miser est ille cujus animus sequitur mutationem rerum temporalium, ita quod extollitur in prosperis et deprimitur in adversis. Exul in proposito est ille non qui mutat regionem sed qui agit contra rationem. Nota, quod per lacrymas potest cognosci quod ratio hominis est turbata; sed quantum turbata sit non cognoscitur nisi sermone dolentis. Ergo dicit philosophia: lacrymis, cognovi te esse exulem; sed quantum esset exilium nesciebam, nisi tua oratio mihi prodidisset. Nota: ille pulsus est a patria qui omnino rationem amittit; sed ille aberrat qui infra patriam in aliquo rationem retinet et in aliquo amittit. Boetius autem non erat pulsus procul a patria, quia non totam rationem amiserat: credebat enim omnia regi a Deo; sed in hoc aberrabat: quod actus hominum a Deo regi non putabat. Nota: de patria hominis quæ est recta ratio, loquitur Seneca in libro *de Remediis fortuitorum*, dicens: « Patria est ubicumque homo bene est; illud autem quod bene in homine est, non in loco est; in hominis inquam potestate est. Si sapiens est, non peregrinatur; si stultus, exulat. » Nota: a patria rationis nullus Boetium expulit nisi ipse seipsum; quia Boetius non alieno impetu sed proprio defectu terminos et limites rationis exivit. Nota: civitas Atheniensium regebatur imperio multitudinis: primo enim eam regebant reges, postea succedente tempore principes, tandem pro regimine ejus singulis annis eligebantur triginta octo sapientes. Sed patria rationis tantum uno principe regitur, scilicet Deo, qui est regula rectæ rationis. Nota: homo dicitur oriundus a patria rationis, inquantum anima ejus intellectiva quæ utitur recta ratione, a Deo oritur. Nota: inquantum homo manet in patria rationis, inquantum Deo subjicitur et legi divinæ. Et quia Deus in subjectione suorum delectatur, ideo lætatur in multitudine civium et non in expulsione eorum. Repellitur autem aliquis a patria rationis a Deo rebellando et a recta ratione recedendo. Nota: qui obtemperat se Deo est summe liber, quia inquantum aliquis agit secundum rectam rationem, intantum est liber, sed per obtemperare se Deo homo maxime agit secundum rationem: ergo talis maxime liber est. Unde Seneca *quinquagesima epistola* dicit: « Quæris quæ sit libertas? libertas vera est nulli rei præterquam Deo servire, æquanimiter prospera et adversa ferre, et fortunam in æquum ducere. » Nota, quod a civitate rationis nullus exulat nisi per affectionem temporalium: talis autem affectio est voluntaria: et ideo sola voluntate aliquis exulat a tali civitate. Et quia talis affectio non potest hominem occupare, quamdiu est infra terminos rectæ rationis: ideo dicit philosophia: « nam quæ vallo ejus etc. »

« Itaque non tam me loci hujus etc. » Hic philosophia quædam dicta irrationabilia Boetii parvipendit dicens: Ex quo aberrasti a patria rationis, itaque pro ergo, non tam, idest non tantum, facies, idest dispositio, hujus loci, idest exilii, quam, idest quantum, tua facies, idest interior dispositio, mentis tuæ movet, idest perturbat, me philosophiam: quæ dejecta est adversitate fortunæ. Et quia superius conquestus fuit de carentia bibliothecæ librorum, istam carentiam parvipendens philosophia dicit: Nec ego philosophia requiro, idest investigo parietes bibliothecæ comptos, idest ornatos ebore, idest ossibus elephantum, ac pro etiam, vitro, idest gemmis pretiosis: quam, idest inquantum, supple, ego requiro sedem, idest tranquillitatem tuæ mentis, in qua mente non collocavi, idest non posui libros, sed id, idest illud quod facit pretium, idest pretiositatem, libris; scilicet sententias meorum librorum. Nota, quod Boetius supra conquerendo de statu suo solum deplanxit incommoda corporalia, non curans dejectionem animi sui. Unde philosophia contra hoc solum deplangit sui animi dejectionem et incommoda corporalia parvipendit. Et quia superius quarta prosa dixit Boetius: Numquid non movet te facies hujus loci?

Ideo philosophia hic sibi respondens dicit : multo plus moveor propter animi tui dejectionem quam propter locum exilii in quo existi : homo enim fortis animo, omni loco utitur pro patria. Unde Ovidius in libro *de Fastis :*

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Et quia etiam conquestus fuit de bibliotheca, respondet philosophia quod ipsa potius deplangat sententias librorum quas per oblivionem perdidit, quam carentiam bibliothecæ et librorum.

« Et tu quidem de tuis etc. » Hic philosophia sub brevitate recolligit quæ Boetium perturbaverunt, dicens : Et tu Boeti, dixisti vera de tuis meritis, idest factis, in commune bonum et propter omnium hominum utilitatem, sed supple, dixisti pauca, supple, beneficia, tibi evenisse pro multitudine gestorum, idest factorum tuorum, et tu memorasti, idest recitasti, nota, idest manifesta cunctis hominibus de honestate, idest de salvatione senatus vel falsitate, idest compilatione falsarum litterarum ; objectorum, idest imputatorum tibi, quidem pro certe, tu strictim putasti, idest existimasti attingendum supple, esse, recte, idest rationabiliter, de sceleribus, idest de vitiis, que pro et, fraudibus, idest deceptionibus, delatorum, idest accusantium, quod ea, idest omnia ista celebrentur, idest memorentur melius, que pro et, uberius, idest copiosius ore, idest sermone, vulgi recognoscentis, idest memorantis omnia. Etiam tu Boeti, increpuisti vehementer, idest fortiter factum, idest opus injusti senatus, supple, totius, et tu etiam doluisti de nostra criminatione, idest vituperatione, et etiam tu flevisti, idest deflevisti, damna, idest crimina, læsæ opinionis, idest immaculatæ famæ tuæ. Postremo, idest ultimo, dolor incanduit adversus fortunam, idest contra fortunam, que pro et, supple, tu Boeti conquestus es non compensari, idest tribui æqua, idest digna præmia meritis, idest pro meritis. In extremo, idest in fine, sævientis musæ, idest furientis metri, tu posuisti, idest dedisti vota, idest preces, quod ea pax, supple, divinæ providentiæ, regeret terras, idest homines terrenos, uti pro sicut, regit cœlum. Nota quod ista omnia fuerunt causa perturbationis mentis Boetii ; et pertractantur ea in quarta prosa et in fine metri : « o stelliferi etc. »

« Sed quoniam plurimus etc. » Hic philosophia dat modum medendi ipsum Boetium, dicens : Sed quoniam plurimus tumultus, idest valde magna multitudo affectuum, idest passionum incubuit, idest institit tibi, et dolor ira et mœror, idest tristitia, distrahunt te diversum, idest ad diversa, supple, ideo, uti pro sicut, nunc mentis es, nondum contingunt, idest respiciunt te, validiora remedia, idest fortiora medicamenta. Itaque nos utemur paulisper, idest modicum, lenioribus, supple, remediis, ut ea quæ induruerunt, idest induraverunt in tumorem, idest inflaturam, perturbationibus, idest tristitiis animi influentibus, idest evenientibus, et ut illa mollescant, idest mollia fiant blandiore tactu, idest leviori medicina, ad recipiendam vim acrioris, idest fortioris medicaminis. Nota quod Boetius fuit distractus multitudine affectionum, scilicet ira mœrore et dolore. Nam ira trahit hominem ad vindictam, dolor ad desperationem, mœror ad totius mentis aggravationem : ideo dicit philosophia quod sua perturbatio jam non possit sustinere fortiora remedia, sed velit sibi adhibere lenia ut per talia præparatus et despositus constanter posset percipere remedia acriora.

METRUM VI

Cum Phœbi radiis grave
Cancri sidus inæstuat ;
Tum qui larga negantibus
Sulcis semina credidit,
Elusus Cereris fide,
Quernas pergit ad arbores.
Numquam purpureum nemus
Lecturus violas petas,
Cum sævis Aquilonibus
Stridens campus inhorruit :
Nec quæras avida manu
Vernos stringere palmites,
Uvis si libeat frui ;
Autumno potius sua
Bacchus munera contulit.
Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus ;
Nec quas ipse coercuit,
Misceri patitur vices.

Sic quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,
Lætos non habet exitus.

« Cum phœbi radiis grave etc. » Hic incipit sextum metrum hujus primi libri ; quod dicitur metrum glyconicum ab inventore, choriambicum a pede prædominante. Est autem choriambus pes constans ex prima et ultima longa et duabus mediis brevibus. Unde primus pes hujus metri est spondæus, secundus choriambus, tertius pyrrichius qui est pes constans ex duabus brevibus ; et loco ejus aliquando ponitur iambus qui constat ex prima brevi et ultima longa. In hoc ergo metro philosophia probat dictum suum per exempla. Dixit enim quod Boetio pro nunc non convenirent remedia fortia, sed alio tempore : probat ergo quod omnia requirunt tempus determinatum, et si fiant extra suum tempus non prosperantur ; et hoc probat tribus exemplis. Secundo tangit tempora non permisceri quæ Deus distinxit, ibi, « Signat tempora. » Primum exemplum est de semine quod, si seminatur non debito tempore, non profert fructum ; ut si quis seminaret in julio vel in augusto. Unde dicit sic in littera : Cum pro quando, grave sidus cancri (illius signi) inæstuat, idest inardescit, radiis phœbi, idest solis, tum, idest in illo tempore qui credidit, idest commisit, larga semina, idest copiosa semina sulcis, idest cavernis, terræ, negantibus, supple, spem messis, talis elusus, idest frustratus fide, idest beneficio Cereris, idest deæ frugum : pergat, idest accedat, ad arbores quernas, idest quercuum, et vescatur fructibus earum. Tunc ponit secundum exemplum de floribus quos homo frustra quærit tempore hyemali, cum tempus eorum sit in vere. Unde dicitur in littera : Tu lecturus, idest collecturus, violas, tales flores, nunquam petes, idest accedas purpureum nemus, idest floridam silvam cum, idest quando, campus stridens, idest sonans campus inhorruit, idest horribiliter apparuit, sævis aquilonibus, idest crudelibus ventis hyemalibus. Tunc ponit tertium exemplum : et est de uvis : quæ maturæ sunt in autumno, et ideo frustra quærantur tempore vernali. Unde dicitur in littera : si libeat frui uvis, non quæras avida, idest cupida manu stringere vernos palmites, idest vernales vites ; quia Bacchus deus vini, potius contulit sua munera, idest uvas autumno, idest tempore autumnali. Nota quod sidus cancri dicitur grave, quia sole existente in cancro homines gravantur nimio calore ; quo tempore non est seminandum, quia ad hoc quod semen convalescat requiritur humor qui calore solis fervido tempore resolvitur et evaporat. Nota, secundum fabulas, cum Pluto rapuerat Proserpinam, mater muneri ejus Ceres quærens ipsam in terris et non inveniens denegavit hominibus beneficium frugum ; et tunc homines pergebant ad arbores quercuum et comedebant glandes, et sic loquitur philosophia in littera. Nota de hoc quod dicitur stridens campus, dicit Huguitio quod strideo-des vel stridio-dis, est fortiter sonare vel dentes concutere.

« Signat tempora propriis etc. » Hic ostendit philosophia tempora non permiscere quæ Deus distinxit, dicens : Deus signat, idest ornat, tempora, aptans ea propriis officiis : nec ipse Deus patitur misceri vices, idest alternationes temporum, ita quod tempus uni officio deputatum conveniat alteri : quas vices temporum ipse coercuit, idest distinxit. Et addit : sicut quærens aliqua tempore non debito frustratur in quærendo, sic illud quod deserit certum ordinem præcipiti, idest festina via, illud non habet letos exitus, idest prosperum eventum. Sic a simili, si philosophia relicto debito tempore ministrasset Boetio fortem medicinam, non fuisset prosperata in medicando ipsum. Nota, quod per debitum ordinem res conservantur in suo esse et in sui natura ; et quod deficit ab ordine, etiam deficit ab esse. Unde Boetius *quarto* hujus *secunda prosa* : « Est enim quod retinet ordinem servatque naturam : quod vero ad hoc deficit, esse quod in sua natura situm est derelinquit. Propter quod debitus ordo in omnibus est observandus. Unde poeta :

« Est ordo summa limes sapientis in arte »

Ergo dicit philosophia quod præcipiti

via. Nota : omne agens in agendo Deum debet præstituere sibi bonum finem : quia ratione boni finis agens meretur, et ratione mali finis demeretur. Unde poeta :

« Non datur extimplo bona post primordia merces
Congrua ; sed rectus præmia finis habet. »

Cum igitur inordinatio impediat bonitatem finis, ideo vitanda est.

PROSA VI

Primum igitur pateris ne me pauculis rogationibus statum tuæ mentis attingere, atque tentare; ut qui modus sit tuæ curationis intelligam? Tu vero arbitratu, inquam, tuo quæ voles, ut responsurum rogato. Tum illa : Hunccine inquit, mundum temerarii agi, fortuitisque casibus putas? an ullum credis ei inesse regimen rationis? Atqui, inquam, nullo existimaverim modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur. Verum operi suo conditorem præsidere Deum scio : nec umquam fuerit dies qui me ab hac sententiæ veritate depellat. Ita est, inquit. Nam id etiam paulo ante cecinisti, hominesque tantum divinæ exsortes curæ esse deplorasti. Nam de ceteris. quin ratione regerentur, nihil movebare. Papæ autem vehementer admiror, cur, in tam salubri sententia locatus ægrotes! Verum altius perscrutemur : nescio quid abesse conjecto. Sed dic mihi, quoniam a Deo mundum regi non ambigis, quibus etiam gubernaculis regatur advertis? Vix, inquam, rogationis tuæ sententiam nosco, ne dum ad inquisita respondere queam. Num me, inquit, fefellit abesse aliquid, per quod velut hiante valli robore, in animum tuum perturbationum morbus irrepserit? Sed dic mihi : meministi ne, quis sit rerum finis? quove totius naturæ tendat intentio? Audieram, inquam, sed memoriam mœror hebetavit. Atqui scis unde cuncta processerint? Novi inquam, Deumque esse respondi. Et qui fieri potest, ut principio cognitio, quis sit rerum finis, ignores? Verum hi perturbationum mores sunt, ea valentia est, ut movere quidem loco hominem possint; convellere autem, sibique totum exstirpare non possint. Sed hoc quoque respondeas velim : hominem ne te esse meministi? Quid ni, inquam, meminerim? Quid igitur homo sit, poteris ne proferre? Hoccine interrogas, an esse nesciam rationale animal, atque mortale? Scio, et id me esse confiteor. Et illa : Nihil ne te aliud esse novisti? Nihil. Jam scio morbi tui, inquit, aliam vel maximam caussam; quid ipse sis, nosse desisti. Quare plenissime vel ægritudinis tuæ rationem, vel aditum reconciliandæ sospitatis inveni. Nam quoniam tui oblivione confunderis, et exulem, et exspoliatum propriis bonis esse doluisti. Quoniam vero, quis sit rerum finis, ignoras, nequam homines, atque nefarios, potentes felicesque arbitraris. Quoniam vero, quibus gubernaculis mundus regatur, oblitus es, has fortunarum vices existimas sine rectore fluitare. Magnæ non ad morbum modo, verum ad interitum quoque caussæ. Sed sospitatis auctori grates, quod te nondum totum natura destituit. Habemus maximum tuæ fomitem salutis, veram de mundi gubernatione sententiam; quod eam non casuum temeritati, sed divinæ rationi subditam credis. Nihil igitur pertimescas. Jam tibi ex hac minima scintillula vitalis calor illuxerit. Sed quoniam firmioribus remediis nondum tempus est uti, et eam mentium constat esse naturam, ut quoties abjecerint veras, falsis opinionibus induantur, ex quibus orta perturbationum caligo verum illum confundit intuitum; hanc paulisper lenibus, mediocribusque fomentis attenuare tentabo, ut dimotis fallacium affectionum tenebris, splendorem veræ lucis possis agnoscere.

« Primum igitur pateris etc. » Hic est sexta et ultima prosa hujus primi libri ; in qua philosophia inquirit causam radicalem infirmitatis Boetii ex quibusdam interrogationibus. Et primo philosophia captat benivolentiam Boetii. Secundo ponit suas interrogationes, ibi, « Tum illa. » Dicit primo : O Boeti antequam adhibeam tibi remedia, ne pro numquid pateris, idest admittis me philosophiam primum pauculis regationibus, idest interrogationibus, attingere, supple, per cognitionem atque tentare, idest rimari statum, idest dispositionem tuæ mentis, ut intelligam, idest cognoscam, qui sit modus tuæ curationis, idest sanationis. Vero pro sed, ego Boetius, inquam, idest dixi : tu philosophia rogato, idest interrogato, tuo arbitratu, idest secundum tuam voluntatem, quæ voles, ut pro sicut, responsurum, idest volentem respondere. Nota, quod philosophia more boni medici non solum scrutatur causas doloris per signa extrinseca sicut medici per urinam et pulsum : quia hæc signa quandoque fallunt : sed etiam scrutatur causas doloris Boetii per responsionem ad quæstiones. Et primo captat ejus benevolentiam reddendo ipsum attentum per hoc quod dicit, pauculis rogationibus. Nota, quod infirmi habent naturalem impotentiam aliquid patiendi : ergo ex facili conturbantur, non solum per multas interrogationes, sed ex una sola. Volens ergo philosophia movere paucas quæstiones Boetio infirmo, primo captat ejus benivolentiam.

« Cum illa etc, » Hic philosophia facit interrogationes. Secundo causas totius infirmitatis ex responsionibus Boetii recolligit. Tertio ostendit ipsum curabilem esse, dando modum procedendi circa curationem ejus. Secunda ibi, « Quare plenissime. » Tertia ibi, « Sed sospitatis auctori. » Primo philosophia quærit de

mundi gubernatione. Secundo de circumstantiis gubernationis, ibi, « Sed dic mihi. » Adhuc dividitur : quia philosophia quærit. Secundo Boetius respondet. Tertio philosophia ejus responsionem approbat. Dicens ergo : O Boeti, putas hunc mundum agi, idest regi temerariis, que pro et, fortuitis casibus, idest eventibus : an, idest numquid, tu credis nullum regimen rationis, idest providentiæ divinæ inesse ei (mundo)? Ego Boetius, inquam, idest dixi : atqui, idest certe non existimaverim, idest putaverim ullo modo, ut tam certa, supple, entia moveantur, idest regantur fortuita temeritate, idest improvisa stultitia : sed scio Deum conditorem, idest creatorem, præsidere suo operi, idest suæ creationi : nec dies fuerit unquam, idest in aliquo tempore, quæ dies depellat idest removeat me Boetium ab hac veritate scientiæ jam dictæ. Tunc philosophia approbans ejus responsionem dicit : Philosophia inquit, idest dixit : ita est, nam tu cecinisti, idest dixisti, etiam illud paulo ante, idest in quinto metro hujus primi libri ; que pro et, tu deplorasti, idest planxisti tantum, idest solummodo, ipsos homines esse exortes, idest carentes vel non participes divinæ curæ, idest divinæ providentiæ : namque pro quia, tu nihil movebare, idest dubitasti, de ceteris, supple, creaturis, quin regerentur ratione, supple, providentiæ Dei : autem pro sed, papæ est interjectio admirantis, ego admiror vehementer quod tu locatus, idest positus, in tam salubri scientia, ægrotes, idest langues. Verum pro sed, nos perscrutemur altius, idest profundius ego nescio quid, idest aliquid, supple, sit illud, quod ego conjecto, idest opinor, abesse tibi Boetio. Nota, quod infirmitas Boetii partim fuit ex ordinata affectione : inquantum enim Boetius doluit de temporalium rerum amissione : et partim fuit ex falsa existimatione quantum ad duo. Existimabat enim malos homines esse felices et potentes. Secundo existimabat homines non regi a divina providentia. Ergo philosophia inquirit causam radicalem propter quam Boetius incidit in istas incommoditates. Et quia radix totius morbi fuit ignorantia divinæ gubernationis quantum ad homines : ideo primo quærit de mundi gubernatione. Nota quod Boetius innuit duas rationes quod mundus regatur a Deo : primam ibi, « Tam certa : » quæ talis est. Ea quæ sunt certa et determinata non reguntur a casu et a fortuna, cum regimen talium sit incertum. Sed entia hujus mundi sunt certa, quia a certis causis producta. Secundam rationem innuit, ibi, « Verum operi suo : » quæ talis est. Causatum regitur a sua causa : sed Deus est causa mundi, cum ab ipso dependeat cœlum et tota natura : ergo etc. Nota : philosophia rationabiliter miratur quod Boetius credens mundum regi a Deo, putabat homines non regi ab ipso : quia posset philosophia sic arguere : Deus regit mundum secundum te Boetium : sed homines sunt principalis pars mundi, sicut prius dixisti in metro, operis tanti pars non vilis ; ergo homines reguntur a Deo.

« Sed dic mihi quoniam etc. » Hic philosophia quærit de circumstantiis gubernationis mundi. Secundo, quia res gubernatæ diriguntur in suum finem : ideo secundo quærit de fine rerum. Et quia gubernatio Dei secundum rei veritatem etiam est circa homines : ideo tertio quærit de cognitione hominis. Secunda ibi, « Sed dic mihi. » Tertia ibi, « Sed hoc quoque. » Primo dicit : Sed o Boeti dic mihi philosophiæ : quoniam non ambigis, idest dubitas mundum regi, idest gubernari a Deo, etiam numquid advertis, idest cognoscis quibus gubernaculis mundus regatur? Ego Boetius inquam, idest dixi : vix nosco sententiam, idest intellectum, tuæ rogationis, idest tuæ interrogationis, nedum, idest adhuc non queam, idest possim respondere ad inquisita, idest ad interrogata. Supple, philosophia inquit, idest dixit : num fefellit, idest decipit me, supple, philosophiam, abesse, idest deficere tibi aliquid per quod velut hiante, idest patente, robore, idest firmitate valli, idest munitionis, morbus perturbationum irrepserit, idest subintraverit in tuum animum? quasi dicat : numquid enim verum fuerit quod prædixi tibi aliquid abesse, per quod abesse sive per quem defectum

dolor intravit te sicut apertum ostium? Nota, quod Deus non regit mundum aliquibus gubernaculis extrinsecus : quia sic non esset per se sufficientissimus : sed regit ipsum sua potentia quæ attribuitur Patri, sua sapientia quæ attribuitur Filio, sua pietate et clementia quæ attribuitur Spiritui sancto : et de hoc patebit in secundo hujus. Nota : illud quod aliquis homo vix intelligit, aliquo modo intelligit, licet cum difficultate. Ex hoc ergo quod Boetius dicit se vix intelligere interrogationem philosophiæ, innuit se aliquo modo intelligere, tamen cum difficultate, propter dolorem opprimentem rationem : et ideo respondere non potuit. Nota, quando robur valli alicujus munitionis hiat propter aliquam rupturam in eo factam, tunc hostes ingrediuntur munitionem. Sic a simili, quando munimen rationis quo animus munitur tamquam vallo hiat propter defectum alicujus cognitionis, tunc necessario perturbationes affectuum subintrant animum.

« Sed dic mihi : meministi etc. » Hic philosophia quærit de cognitione finis rerum, dicens : Dic mihi : ne, idest an meministi, idest recordaris qui sit finis rerum, supple, omnium ve pro vel, quo, idest ad quem finem, intentio totius naturæ tendat, idest laboret? Ego Boetius inquam, idest dixi : audieram, supple, olim : sed mœror, idest perturbatio hebetavit, idest obscuravit memoriam, idest intellectum. Atqui, pro certo, scis unde cuncta, idest omnia entia processerint, idest principium suum habuerunt. Ego Boetius inquam, idest dixi, novi, que pro et, respondi Deum esse, supple, principium omnium rerum. Et dicit philosophia : et qui, idest quomodo potest fieri hoc, ut cognito, idest noto principio, scilicet omnium rerum, ignores, idest nescias, quis sit finis rerum, supple, omnium? Verum pro sed, hi mores perturbationum sunt, et ea valentia, idest vigor vel potestas perturbationum est, ut quidem, idest certe possint movere hominem loco, idest a stabilitate perfectæ cognitionis, autem pro sed, non possint evellere, supple, radicitus, que pro et, extirpare, idest eradicare sibi totum. Nota : philosophia rationabiliter quærit Boetium an cognoscat finem omnium rerum, quia finis est causa causarum, et est optimum cujus gratia alia fiunt : propter quod, ignorato fine, nihil perfecte cognoscitur eorum quæ sunt ad finem : nam secundum exigentiam finis cetera moderantur. Nota : quandoque principium et finis coincidunt in unum ; sicut in circulo idem est principium et finis : tunc videtur mirabile quod tunc principium cognoscitur et finis ignoretur. Cum ergo Deus sit principium et finis omnium rerum, cognito ipso sub ratione principii, videtur etiam cognosci sub ratione finis. Quod autem Deus sit principium omnium, patet : quia ab ipso derivatum est singulis esse et vivere, *primo Cœli et mundi*. Quod autem sit finis omnium patet ; quia gratia ejus omnia fiunt et ad ipsum ordinantur ; nam in rebus constantibus ex arte et natura semper vilius est propter melius. Deus autem est optimum eorum quæ in natura sunt, *ex proœmio Metaphysicæ*. Nota : licet perturbati aliqualem cognitionem rerum habeant, tamen impediuntur ne perfecte cognoscant. Licet ergo Boetius aliqualiter cognoverit Deum esse principium rerum, tamen quia turbatus fuit, perfecte naturam hujus principii non cognovit : et ideo ignoravit ipsum esse finem rerum. Nota, quod passio est motus particulæ appetitivæ sub phantasia boni et mali, secundum Eustratium *secundo Ethicorum* : et hi sunt mores passionum : quod possunt hominem movere a stabilitate perfectæ cognitionis ; sed totaliter ipsum non possunt evellere ab omni cognitione.

« Sed hoc quoque respondeas velim etc. » Hic philosophia facit aliam interrogationem de cognitione humanæ naturæ, dicens : Sed ego etiam velim tu respondeas, idest responsum des hoc, idest ad hoc, ne pro numquid, tu meministi, idest scis te esse hominem. Ego Boetius, inquam, idest dixi : quid, idest propter quid ni, idest nisi, meminerim, idest sciverim? et quærit ulterius philosophia : Igitur ne, idest nunquid poteris proferre, idest dicere quid sit homo, idest definitionem hominis? respondet Boetius :

numquid philosophia tu interrogas me Boetium, idest hoc, an, idest utrum scio me esse rationale, atque pro et, mortale animal? ego Boetius scio et confiteor, idest fateor, me esse id, supple, animal rationale et mortale. Et illa, supple, philosophia dixit, ne pro numquid, nihil novisti te esse aliud quam animal rationale mortale. Dicit Boetius nihil. Supple, philosophia inquit, idest dixit : jam ego scio aliam causam, supple, quam ignorantiam divinæ providentiæ, vel maximam causam tui morbi : tu desisti, idest cessasti nosse, idest noscere quid sis. Nota, licet homo sit mortalis secundum corpus, non tamen secundum animam intellectivam quæ est dignior pars hominis. Et quia Boetius dixit se esse nihil aliud quam rationale et mortale : ideo non quæsivit nisi bona mortalia, de quorum bonorum amissione doluit, non curans partem immortalem, scilicet animam, ratione cujus debuit appetere bona immortalia : ideo philosophia dicit quod Boetius se non noverit. Nota quod causa maxima morbi hominis est seipsum ignorare : quia dicit Boetius, secundo hujus libri prosa quinta, quod conditio humanæ naturæ est ut se cognoscat, quod cæteras res excellat ; cum autem nosse se desierit, eadem natura infra bestias redigatur. Nam cæteris animantibus sese ignorare naturaliter est, hominibus vero vitio venit. Et dicit Themistius *super de Anima*: « Quid turpius est animæ, cum sit aliorum cognoscitiva, quod suiipsius est ignara? anima seipsam ignorans quomodo de aliis fida putabitur cognoscitiva? » quasi dicat : nullo modo.

« Quare plenissime etc. » Hic philosophia ex dictis Boetii recolligit omnes causas totius infirmitatis ejus, dicens : Quare pro igitur, ego philosophia inveni plenissime, idest perfectissime, rationem idest causam tuæ ægritudinis, idest infirmitatis, vel inveni aditum, idest accessum, reconciliandæ sospitatis, idest recuperandæ sanitatis tuæ : quod declarat. Nam pro quia, quoniam tu confunderis, idest confusus es, oblivione, idest ignorantia tuiipsius, tu doluisti te esse exulem, que pro et, expoliatum, idest privatum, propriis bonis, idest divitiis, quoniam pro quia, tu ignoras, idest nescis, quis sit finis rerum omnium, tu arbitraris, idest putas nequam, idest malos, atque pro et, nefarios, idest iniquos homines, esse potentes, que pro et, felices. Quoniam pro quia, tu oblitus es quibus gubernaculis, idest regiminibus, ipse mundus regatur, tu æstimas, idest opinaris has vices, idest istas alternationes fortunarum, idest rerum fortuitarum, fluitare, idest divagare sine rectore. Istæ sunt magnæ causæ non modo, idest non solum, ad morbum, verum pro sed, sunt ad interitum, idest ad mortem vel ad perditionem animæ. Nota : homo seipsum ignorans extra limites rectæ rationis positus est, et talis dicitur exul, ut prius visum est. Nota, homo seipsum ignorans, tantum se æstimando mortalem dolet de amissione bonorum mortalium. Ergo, dicit philosophia, quia tui oblivione confunderis, exulem te et expoliatum propriis bonis doluisti. Nota : ex assecutione vel perditione ultimi finis homo dicitur potens vel impotens, ex quarto hujus. Quia ergo Boetius ignoravit ultimum finem rerum, ideo putabat malos esse potentes. Nota : Boetius ignoravit quibus gubernaculis mundus regeretur : ideo ignoravit quod Deus sua bonitate omnia disponeret : ergo putabat vices fortunarum esse sine rectore.

« Sed sospitatis auctori grates etc. » Hic philosophia ostendit Boetium esse curabilem : dando modum procedendi circa curationem ejus, dicens : Tu des grates auctori sospitatis, idest sanitatis, quod nondum, idest non adhuc natura, idest vigor naturalis destituit, idest deseruit, te totum, idest totaliter : nos philosophia habemus maximum fomitem, idest radicem tuæ salutis, idest sanitatis : scilicet veram sententiam, idest intellectum, de mundi gubernatione ; quod tu credis eam, supple, gubernationem, non esse subditam, idest subjectam, temeritati casuum, supple, fortuitorum, sed divinæ rationi. Igitur nihil pertimescas : jam tibi Boetio ex hac minima scintillula, idest parva veritate, illuxerit vitalis calor, idest ardor meræ veritatis animam vivificans. Tunc dat modum procedendi circa curationem ejus, dicens : Sed quoniam

pro quia, nondum, idest non adhuc, est tempus firmioribus remediis uti, et constat, idest manifestum est eam esse naturam mentium ut quotiens abjecerint veras opiniones, induantur, idest involvantur falsis opinionibus, ex quibus falsis opinionibus, caligo, idest obscuritas perturbationum, idest passionum orta, idest creata, confundit illum verum intuitum, idest cognitionem mentis : ego supple, philosophia, tentabo attenuare, idest removere paulisper, idest modicum, hanc caliginem lenibus, idest facilibus quæ pro et mediocribus fomentis, idest medicinis, ut dimotis, idest remotis, tenebris fallacium affectionum, idest falsarum opinionum vel passionum, possis agnoscere, idest intelligere splendorem, idest claritatem veræ lucis, idest lucidæ veritatis. Nota : sicut in morbo corporali vigente principali membro puta corde, potest per medicinas introduci sanitas aliis membris, sed naturali calore destituente ipsum cor frustratur spes sanitatis, sic in morbo spirituali manente in Boetio cognitione illius principii, quod Deus gubernet mundum, potest procurari salus quantum ad errorem in aliis. Ergo dicit philosophia quasi congratulando Boetio : debes reddere grates auctori sospitatis. Nota : quando intellectus abjicit veram opinionem, statim afficitur falsa opinione ; quia intellectus non abjicit veram opinionem nisi propter aliquam persuasionem per contrarium ; nihil autem contrariatur vero nisi falsum ; ideo intellectus non potest abjicere verum nisi accipiendo falsum. Nota : tenebræ affectionum impediunt rectum judicium : quia tristitia stupefacit et corrumpit naturam (ex ethicis) : sed amor et odium pervertunt judicium, secundum Ptolomæum in *Cenulogio*, et iræ et concupiscentiæ venereorum maxime transmutant corpus, et quibusdam insanias faciunt, *septimo Ethicorum*, et impedit ira animum ne possit discernere verum, secundum Catonem.

METRUM VII

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus Auster
Misceat æstum,
Vitrea dudum,
Parque serenis
Unda diebus,
Mox resoluto
Sordida cœno,
Visibus obstat.
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpe resistit
Rupe soluti
Objice, saxi.
Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum,
Tramite recto
Carpere callem :
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.
Nubila mens est,
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnant.

« Nubibus atris Condita nullum etc. » Hic incipit septimum et ultimum metrum hujus primi libri : quod vocatur metrum adonicum ab inventore, dimetrum a numero pedum, dactylicum a pede prædominante. In quo metro philosophia probat per exempla quod dixit. Dixit enim philosophia quod caligo perturbationum impedit intuitum veritatis. Hoc primo probat philosophia tribus exemplis. Secundo hortatur nos ad fugam perturbationum ibi, « Tu quoque si vis. » Prima in tres, secundum tria exempla quæ patebunt. Dicit primo : Sidera condita, idest abscondita atris nubibus, idest obscuris nubibus, nullum lumen possunt infundere ad illuminandum terram. Tunc ponit secundum exemplum. Si turbidus auster, idest obscurus ventus volvens, idest movens mare misceat, idest commisceat cum cœno quod est fundo, æstum maris, idest fervorum, tunc unda dudum, idest prius vitrea, idest transparens ad modum vitri, par, idest similis serenis, idest claris diebus, mox, idest statim, supple, illa aqua facta sordida per flatum venti, resoluto cœno, idest elevato luto, obstat, idest, resistit visibus, idest oculis non potentibus penetrare undam maris. Tunc ponit tertium exemplum. Amnis, idest fluvius qui de altis montibus vagatur, idest discurrit, ille sæpe resistit, ides

refluitur objice, idest objectione soluti saxi, idest rupti lapidis, rupe, idest de monte. Nota : similitudo quam philosophia prætendit est ista. Sicut sidera contecta nubibus lucere et terram illuminare, cessant hoc facere propter interpositionem nubium obscurarum, sic intellectus et ratio quæ lucent et illuminant hominem in cognitione veritatis, impediuntur caligine perturbationum. Nota quod similitudo secundi exempli in hoc consistit. Sicut aqua maris manente clara ad modum vitri, visus potest eam penetrare et videre quæ sunt sub aqua, sed si turbatur illa per ventum tunc obstat visui, sic animus hominis quietus non impedit judicium rationis ; sed si movetur et turbatur affectione temporalium, statim obsistit rationi impediens ejus judicium. Nota quod similitudo tertii exempli talis est. Sicut aqua currens de altis montibus libere recto tramite procedit, et per obstaculum lapidis qui resolvitur de monte impeditur ne recte procedat, sic ratio libera non impedita recte judicat ; si autem ratio affligitur montibus affectuum, in judicio et veritatis cognitione. Nota quod rupes est moles lapidea sive mons lapideus ; sed saxum est pars resoluta a rupe, idest a monte.

« Tu quo si vis etc. » Hic philosophia hortatur ad fugam perturbationum sive affectionum animi, dicens : Si tu vis cernere, idest videre vel judicare, verum, idest veritatem, claro lumine, idest veram cognitionem, et si vis etiam carpere, idest attingere, callem, idest viam veritatis, recto tramite, idest processu rationis, tunc tu pelle, idest repelle gaudia scilicet quæ sunt de bonis præsentibus, et pelle, idest remove a te timorem, supple, de futuro malo, que pro et, tu fugato spem, supple, quæ est de bono futuro, nec etiam adsit dolor, supple, qui est de præsenti amissione bonorum, supple, quæ mens est nubila, idest obscura vel aperta, quæ pro et, est vincta, idest ligata frenis, idest ligaminibus ubi, idest in qua mente, hæc, supple, prædicta regnant, idest dominantur : scilicet gaudium de præsentibus bonis, timor de futuro malo, spes de futuro bono, dolor de præsenti malo. Nota : sicut prius tactum est, affectio est motus partis sensitivæ sub phantasia boni vel mali, animum afficiens et rectum rationis judicium impediens. Et sunt quatuor affectiones tales principales ad quas omnes aliæ reducuntur, scilicet gaudium, spes, timor, et dolor. Quarum sufficientia sic accipitur. Omnis passio vel est respectu boni vel mali. Si respectu boni, hoc dupliciter. Vel respectu boni præsentis, sic est gaudium, quod est de præsenti bono. Si est respectu boni absentis, sic est spes, quæ est de futuro bono. Si autem passio est respectu mali, hoc dupliciter. Vel respectu mali, hoc dupliciter. Vel respectu mali præsentis, sic est dolor, qui est de præsenti malo. Si est respectu mali absentis, sic est timor, qui est de futuro malo. Nota quod istæ passiones non sunt pellendæ ut non sint in animo hominis, quia vix invenitur homo sine ipsis ; sed sic sunt pellendæ ut non dominentur in homine. Unde sedare hujusmodi passiones ut non dominentur, est hominis virtuosi, quia virtus consistit in moderatione passionum, Si autem regnant et dominantur in homine, tunc impediunt judicium rationis. Propter quod dixit Eustratius *super libro Ethicorum* : oportet reluctari contra passiones sensitivas, quæ si prævaluerint, impediunt vires animæ. Nota : istæ passiones et affectiones si ordinantur ad terrena, tunc sunt nocivæ ; attamen possunt esse meritoriæ et virtuosæ si fuerunt ad debitos fines ordinatæ. Unde Richardus in libro *duodecimo Patriarcharum* dicit : Ordinatum et verum gaudium tunc habemus quando de veris et ætérnis bonis gaudemus. Etiam timor est virtuosus si fuerit ad Deum ordinatus : quia scriptum est : « *Initium sapientiæ timor Domini.* » Et idem Richardus dicit : « Prima virtutum proles sine qua ceteras habere non potest, est timor Dei. » Item « spes, ut dicit idem Richardus, efficitur ordinata, si de indulgentia veniæ generatur. » Unde dicit : « vere et absque dubio quanto quis frequentius quantoque vehementius de suo reatu interno dolore afficitur, tanto certior tantoque securior per spem de indulgentia veniæ efficitur. » Similiter dolor est virtuosus quando fit

ad deplangendum culpam. Unde Richardus : « Quanto quis vehementius metuit pœnam quam meruit, tanto acerbius plangit culpam quam fecit. »

LIBER SECUNDUS

PROSA I.

Post hæc paullisper obticuit : atque ubi attentionem meam modesta taciturnitate collegit, sic exorsa est : Si penitus ægritudinis tuæ caussas, habitumque cognovi, fortunæ prioris affectu, desiderioque tabescis; ea tantum animi tui statum, sicuti tu tibi fingis, mutata pervertit. Intelligo multiformes illius prodigii fucos; et eo usque cum iis quos eludere nititur, blandissimam familiaritatem exercere, dum intolerabili dolore confundat quos insperata reliquerit. Cujus si naturam, mores ac meritum reminiscare, nec habuisse te in ea pulchrum aliquid, nec amisisse cognosces. Sed, ut arbitror, haud multum tibi hæc in memoriam revocare laboraverim. Solebas enim præsentem quoque, blandientemque virilibus incessere verbis; eam que de nostro adyto prolatis insectabare sententiis. Verum omnis subita mutatio rerum non sine quodam quasi fluctu contingit animorum. Sic factum est, ut tu quoque paullisper a tua tranquillitate discesseris. Sed tempus est, haurire te aliquid ac degustare molle atque jucundum, quod ad interiora transmissum validioribus haustibus viam fecerit. Adsit igitur rhetoricas suadela dulcedinis; quæ tunc tantum recto calle procedit, cum nostra instituta non deserit; cumque hac musica laris nostri vernula nunc leviores, nunc graviores modos succinat. Quid est igitur, o homo, quod te in mœstitiam, luctumque dejecit? novum credo aliquid, inusitatumque vidisti. Tu, si fortunam putas erga te esse mutatam, erras. Hi semper ejus mores; hæc natura est. Servavit circa te propriam potius in ipsa sui mutabilitate constantiam. Talis erat cum blandiebatur, cum tibi falsæ illecebris felicitatis alluderet. Deprehendisti cæci numinis ambiguos vultus. Quæ sese adhuc velat aliis, tota tibi prorsus innotuit. Si probas, utere moribus, ne queraris. Si perfidiam perhorrescis, sperne, atque adjice perniciose alludentem. Nam quæ nunc mœroris tibi caussa tanti est, hæc eadem tranquilitatis esse debuisset. Reliquit enim te, quam non relicturam nemo unquam poterit esse securus. An vero tu pretiosam æstimas abituram felicitatem? et cara tibi est fortuna præsens, nec manendi fida, et cum discesserit allatura mœrorem? Quod si nec arbitrio retineri potest, et calamitosos fugiens facit : quid est aliud fugax, quam futuræ quoddam calamitatis indicium? Neque enim quod ante oculos situm est, suffecerit intueri. Rerum exitus prudentia metitur; ædemque in alterutro mutabilitas, nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit esse blanditias. Postremo æquo animo toleres, oportet, quidquid intra fortunæ aream geritur, cum semel jugo ejus colla submiseris. Quod si manendi, abeundique scribere legem velis ei quam tu dominam sponte elegisti, nonne injurius fueris, et impatientia tua sortem exacerbabis quam permutare non possis? Si ventis vela committeres, non quo voluntas peteret, sed quo flatus impelleret, promovereris. Si arvis semina crederes, feraces inter se annos, sterilesque pensares. Fortunæ te regendum dedisti, dominæ moribus oportet obtemperes. Tu vero volventis rotæ impetum retinere conaris? At, omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, fors esse desistit.

« Post hæc paullisper etc. » Hic est secundus liber Boetii *de Consolatione philosophiæ*, qui continuatur ad librum præcedentem in hunc modum. Postquam philosophia in primo libro investigavit causas radicales infirmitatis Boetii, in hoc secundo procedit ad ejus curationem : primo adhibendo sibi remedia levia; secundo remedia validiora in libris consequentibus. Hunc enim modum medicandi philosophia promisit Boetio. Et dividitur iste liber in sexdecim partes : quia sunt octo prosæ et octo metra hujus secundi : quæ partes patebunt : quid autem in quælibet parte agatur similiter videbitur. Prima prosa dividitur : primo ostendit Boetius quid philosophia egerit post prædicta : et resumit unam causam doloris Boetii; secundo philosophia ponit quemdam effectum fortunæ; tertio excusat se de quodam; quarto tangit opportunitatem medendi Boetium; quinto procedit ad levia medicamenta ejus. Secunda ibi, « Intelligo. » Tertia ibi, « Sed ut arbitror. » Quarta ibi, « Sed tempus est. » Quinta ibi, « Quid est igitur o homo. Primo dicit : Post hæc quæ dicta sunt philosophia obticuit, idest tacuit paullisper, idest modicum, atque pro et, ubi, idest postquam collegit, idest intellexit, meam attentionem, idest diligentiam, modesta taciturnitate, idest temperato silentio, exorsa est, idest incepit loqui sic, idest taliter. Si pro quia, ego cognovi causas, idest rationales radicales, quæ pro et, habitum, idest dispositionem ægritudinis, idest infirmitatis, tu Boeti tabescis, idest tristaris affectu, que pro

et, desiderio prioris fortunæ quæ fuit tibi prospera, ea fortuna mutata, idest variata quod te perverterit, idest mutavit statum, idest dispositionem tui animi idest tuæ mentis, sicut tu tibi fingis. Notandum quod philosophia post præfata obticuit, ut Boetius magis animo deliberato verba philosophiæ colligere posset, et sibi respondere ; quia secundum Senecam in *Proverbiis* : « Deliberare utilia mora tutissima est. Deliberandum est diu quidquid faciendum est ; semel discute quid audias, proba quid credas. » Et ideo philosophia obticuit tamquam lassata ex quæstionibus prius motis. Unde Seneca in libro *de Virtutibus cardinalibus* : « Non semper in actu sis ; sed interdum animo tuo requiem dato, et requies illa plena sit sapientia. » Nota de hoc quod dicit, modesta taciturnitate : duplex est taciturnitas ; quædam moderata, alia superflua. Moderata taciturnitas est quando tacetur quando tacendum est ; de qua loquitur Seneca in *Proverbiis* dicens : « Tene semper vocis et silentii temperamentum ; tamen in hoc libentius incumbe ut libentius audias quam loquaris ; qui enim nescit tacere, nescit loqui. » Superflua taciturnitas est quando tacetur cum loquendum est ; de qua dicit poeta :

Non nocuisse tacuisse nocet.

Nota quod Boetius in statu miseriæ non erat magnanimus, quia habuit animum perversum fortuna. Magnanimus enim est, qui contra difformes insultus fortunæ unanimi mentis constantia militat, secundum Albertum *super primo libro Ethicorum*. Et Seneca *in epistola ad Lucillum* dicit : Primum argumentum compositæ mentis existimo posse consistere et secum morari. » Nota quod philosophia dicit fortunam esse mutatam circa Boetium sicut ipse fingit. Hoc dicit pro tanto, quia secundum rei veritatem fortuna non erat circa ipsum mutata, sicut philosophia infra probabit.

« Intelligo multiformes etc. » Hic philosophia ponit quemdam effectum fortunæ, dicens : ego intelligo, idest cognosco, multiformes fucos, idest deceptiones, illius prodigii, idest fortunæ ; et eo usque, idest tamdiu scilicet ipsa fortuna exercet blandissimam familiaritatem cum his quos nititur, idest laborat, eludere, idest decipere, dum, idest donec confundat, idest protrahat, intolerabili dolore eos quos fortuna insperata, idest sine spe reliquerit, idest dimiserit ; cujus scilicet fortunæ, si tu Boeti reminiscare, idest recorderis naturam mores, ac pro etiam, meritum, idest dignitatem, nec etiam cognosces te Boetium in ea fortuna habuisse aliquid pulchrum nec amisisse ; et per consequens de amissione ejus nihil esse dolendum. Nota, quod prodigium est miraculum præter solitum cursum naturæ proveniens ; et dicitur prodigium quasi porro producens homines in admirationem. Vel secundum Huguitionem, prodigium est monstrum ad vastandum paratum dictum a prodigo-gis, quod est vasto-stas. Fortuna autem potest dici prodigium, primo quia ducit homines in admirationem eo quod bonis mala et malis bona tribuit. Vel dicitur prodigium secundo modo, quia vastat animum hominis : prospera enim fortuna vastat animum hominis per nimiam sollicitudinem ; adversa per nimiam desolationem. Nota, fucus in una significatione dicitur color supra positus naturali colori, et ponitur pro deceptione, quia talis color decipit visum cum facit mulierem deformem apparere pulchram. Nota quod fortuna sua familiaritate decipit hominem et confundit ; quia dicit Seneca in libro *de Consolatione filii Eliæ* : « Neminem adversa fortuna comminuit nisi quem secunda decepit. » Et dicit in *Proverbiis* : « Fortuna quem nimium fovet hunc stultum facit. Fortuna nulli semel obesse contenta est. Fortuna vitrea est : dum splendet frangitur. » Et Seneca *tertia Epistola* dicit : « Neminem eo fortuna provenit ut non tantum illi minaretur, quantum promiserat. Noli hujus tranquillitati confidere : momento quod mare evertitur, et eodem die ubi luserunt navigia absorbentur. »

« Sed ut arbitror haud etc. » Hic philosophia excusat se de quodam dicens : sed ut ego philosophia arbitror, idest opinor, haud multum, idest non multum la-

boraverim revocare, idest reducere tibi hæc, supple, prædicta de moribus fortunæ in memoriam : enim pro quia, tu solebas, idest consuetus fuisti præsentem, idest astantem fortunam quoque idest etiam blandientem incessere, idest arguere virilibus, idest asperis verbis ; que pro et, insectabare (persequebaris) cum fortunam de nostro aditu, idest nostra informatione prolatis, idest pronunciatis sententiis. Verum (pro sed) omnis subita, idest festina mutatio non contingit, idest advenit, sine quodam conflictu, idest turbatione animorum. Sic idest taliter factum est, scilicet de te, ut tu discesseris paulisper, idest modicum a tua tranquillitate, idest a tua mentis quiete. Nota, quod sapientis et magnanimi est contra fortunam constanter militare et non pusillo animo succumbere. Unde Seneca libro *de Clementia* dicit. « O magnos viros qui malignæ fortunæ succumbere nesciunt, et adversas res suæ virtutis experimenta faciunt ! » Nam secundum Aristotelem *primo Ethicorum* : « Sapientes scit bene ferre fortunam, quia habet se sine vituperio, sicut tetragonum. » Corpus enim tetragonum quocumque projicitur firmiter stat, sicut animus sapientis constans permanet quacumque fortuna imminentem. Nota, quod quies animi fit per sedationem passionum quæ causatur ex ordinatione rationis cum deliberatione : sed subitæ mutationes præveniunt deliberationem rationis ; ideo mutant et turbant animum : propter quod dicit philosophia : Omnis subita mutatio rerum non contingit sine conflictu animorum.

« Sed tempus haurire te aliquid etc. » Hic philosophia tangit opportunitatem medendi ipsum Boetium, dicens : Sed tempus est, idest instat te Boetium haurire, idest recipere, ac pro etiam, degustare aliquid molle, idest facile atque, pro et, jucundum, idest delectabile : quod, supple, leve vel delectabile transmissum ad interiora, scilicet tui animi, fecerit viam validioribus haustibus, idest fortioribus remediis. Igitur pro ergo, suadela, idest persuasio rhetoricæ dulcedinis, idest rhetorici ornatus adsit, idest præsens sit : quæ rhetorica procedit tantum, idest solummodo, tunc recto calle, idest recta via, cum non deserit, idest derelinquit nostra instituta, idest documenta. Cumque hac, scilicet rhetorica, musica, idest ars metrica vernacula, idest famula nostri laris, idest nostræ domus, scilicet adsit et succinat, idest decantet, nunc, idest aliquando, leviores modos, idest faciliores versus ; et nunc idest aliquando, graviores, idest difficiliores. Nota, quod philosophia invitat duas scientias ad curationem Boetii : scilicet rhetoricam et musicam. Rhetoricam invitat ratione prosæ in qua utitur rationibus persuasivis rhetoricis coloribus adornatis. Musicam invitat propter metrum : nam sicut in musica utimur arsi et thesi, idest concordi elevatione et depressione, quando breves syllabæ deprimuntur quadam concordia proportionali. Nota : dicit Tullius *in proemio Rhetoricæ suæ*, quod « eloquentia sine sapientia plerumque obesse potest, nunquam autem prodesse. » Cum igitur rhetorica sit scientia eloquendi ornate, ipsa non prodest sine sapientia ; ideo dicit philosophia quod rhetorica tunc procedit recto calle, quando non deserit nostra instituta quæ sunt instituta et documenta sapientiæ.

« Quid est igitur, o homo. » Hic philosophia adhibet Boetio levia medicamenta. Ubi nota quod levia medicamenta sive remedia dicuntur rationes sumptæ secundum communem usum hominum, persuadentes non esse dolendum de adversitate fortunæ. Remedia autem validiora sunt rationes quæ sunt contra communem opinionem hominum ostendentes quid sit summum bonum et in quo consistat, et quomodo ad ipsum perveniatur, et quod mali sunt impotentes et boni potentes et similia. Primo ergo ostendit philosophia non esse dolendum de fortuna, quia servat propriam naturam circa ipsum : et hoc ostendit quinque rationibus persuasivis. Secundam ponit ibi, « Si probas. » Tertiam ibi, « An vero. » Quartam ibi, « Quod si nec. » Quintam ibi, « Postremo æquo etc. » Prima ratio talis est : Nullus in moestitiam et luctum dejicitur nisi propter aliquid novum vel inusitatum contingens circa ipsum. Sed mutatio fortu-

næ non est aliquid novum vel inusitatum ; ergo ejus mutatio nullum debet dejicere in dolorem. Dicit ergo in littera : Igitur, o homo, idest tu Boeti quid est illud quod dejecit, idest prostravit te in mœstitiam, quæ (pro et) luctum ? ergo philosophia credo quod tu Boeti vidisti aliquid novum, quæ (pro et) inusitatum, idest inconsuetum, supple, contingere circa te. Tu Boeti putas, idest æstimas ipsam fortunam esse mutatam, idest perversam a sua natura, erga, idest circa te : erras, idest falso æstimas, quia hi semper sunt ejus mores, ista est natura ejus, quod nunc sit adversa, nunc prospera : ipsa fortuna servavit circa te potius propriam constantiam in ipsa sui mutabilitate, quia mutatio fortunæ est sua constantia : talis enim erat scilicet mutabilis cum tibi blandiebatur, idest adulabatur, cum tibi alluderet illecebris, idest delectationibus, falsæ felicitatis, idest prosperitatis : tu deprehendisti, idest cognovisti, ambiguos vultus, idest dubias facies, cæci numinis, idest cæcæ deæ fortunæ, quæ scilicet fortuna, adhuc velat, idest occultat, sese, idest seipsam, aliis, supple, hominibus : tamen applaudendo eis prosperitate, ipsa tibi tota innotuit, idest manifesta est prorsus, idest omnino, scilicet prosperitate et adversitate. Nota, quod illecebra, est delectatio carnalis illicita hominem alliciens ; licet inveniatur pro quacumque alia delectatione. Nota, sicut bestia vel avicula vel piscis delectationis spe decipitur, sic homo delectatione prosperitatis fortunæ fallaciter irretitur. Unde Seneca *octava epistola* : « Clamo : vitate quæcumque casus tribuit ; ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite. » Nam fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur. Nota : delectationes fortunæ sunt falsæ. Nam secundum Beatum Augustinum : « Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem. » Nota : philosophia appellat fortunam cæcum numen. Huguitio dicit quod numen est virtus Dei, vel ipsa Dei potestas vel majestas. Hic autem accipitur pro dea, quia antiqui fortunam colebant pro dea. Nota, quod fortunam dicit esse cæcam. Dicit Tullius in libro *de Amicitia* : « Fortuna ut medicus ignarus multos excæcavit : non quod ipsa cæca sit, sed eos cæcos plerumque efficit quos complexa est. » Nota, quod fortuna antiquitus depingebatur duplici fronte, calva et capillata : per calvam designando adversitatem, per capillatam prosperitatem ; ergo dicit philosophia : deprehendisti ambiguos vultus fortunæ.

« Si probas, utere moribus. » Hic ponit secundam rationem quæ talis est. De illius amissione non est dolendum, quod est perniciosum, et quo habito homo nunquam est securus ; fortuna est hujusmodi, ut tangit in littera : ergo etc. Dicit ergo : Si probas, idest approbas fortunam, utere moribus ejus : ne queraris, idest conqueraris, si perhorrescis, idest pertimescis perfidiam ejus, sperne atque abjice fortunam ludentem, idest ludendo inferentem tibi perniciosa, idest damnosa. Nam fortuna quæ nunc est tibi causa mœroris per sui absentiam, hæc debuit esse tibi causa tranquillitatis, idest securitatis per sui præsentiam : sed non fuit : enim (pro quia) fortuna reliquit te, quam non relicturam nemo unquam poterit esse securus. Nota : circa hoc quod dicit, perniciosa ludentem, dicit Seneca : « Ludit fortuna cum suis moribus, et quæ dedit aufert, et quæ abstulit reddit ; nec unquam tutius est illam experiri, quam cum locum injuriæ non habes. » Nota, quod securitas maxime hominem delectat ; propter quod est appetenda. Unde Seneca *sexta epistola* : « Ne me res ulla delectabit licet sit eximia et salutaris, quam quod mihi uni securus sum. » Nota, quod prosperitas fortunæ non reddit hominem securum : quia dicit Seneca : « Munera fortunæ amica putetis, insidiæ sunt : quisquis vestrum totam viam agere volet, quam plurimum potest fortunæ beneficia devitet, in quibus miserrimi falluntur. Habere putamus honores, in præcipitia cursus iste deducit. » Nota, Seneca in libro *de Remediis fortuitorum* : « Exoneravit te fortuna si intelligis, et tutiore loco posuit : damnum putas, remedium est : clamas quod opibus expoliatus es ; tuo vitio ista tibi jac-

tura tam gravis est : non tam moleste ferres si tamquam perditurus habuisses. »

« An vero tu pretiosam æstimas etc. » Hic philosophia ponit tertiam rationem quæ talis est. Istud non est putandum pretiosum et carum quod non est mansurum et suo recessu est afflicturum : sed fortuna et hujusmodi ; ergo non est reputanda pretiosa et cara ; et per consequens non dolendum de ejus amissione, nec gaudendum de ejus possessione. Unde dicit in littera : vero (pro sed) an tu æstimas felicitatem abituram, idest recessuram, supple, esse pretiosam ? et fortuna præsens est cara tibi nec est fida manendi, et cum discesserit est allatura, idest adductura mœrorem : quasi dicat : non debet æstimari pretiosa. Nota, quod appellat fortunam felicitatem, quia secundum Aristotelem, Fortuna vel est felicitas vel est proxima felicitati. Unde in libro *de Bona fortuna* dicit Aristoteles, quod non contingit esse felicem sine rebus exterioribus, quarum fortuna est domina : et hoc est intelligendum de felicitate politica et non speculativa quæ consistit in actu sapientiæ. Nota : fortuna discendens inducit mœrorem : quia dicit Seneca in libro *de Tranquillitate animi :* « Lætiores reliquit quos fortuna nunquam respexit quam quos deseruit. » Et Boetius postea dicet, quod infelicissimum genus infortunii est felicem fuisse.

« Quod si nec ex arbitrio retineri. » Hic ponit quartam rationem quæ talis est. Illud quod est indicium futuræ miseriæ, nec est carum nec pretiosum, nec per consequens de ipso dolendum : fortuna est hujusmodi, sicut tangit in littera. Unde dicit quod fortuna si nec potest retineri, idest haberi ex arbitrio, idest secundum voluntatem, et ipsa fugiens, idest recedens facit calamitosos, idest miseros ; quid aliud est, supple, fortuna fugax quam quoddam indicium, idest signum futuræ calamitatis, idest miseriæ ? enim, pro quia, neque sufficit intueri, idest inspicere, illud quod situm, idest positum ante oculos, idest quod est præsens, verum (pro sed) prudentia, idest homo prudens, metitur, idest mensurat, exitus, idest fines rerum, que (pro et) eadem mutabilitas, idest instabilitas, in alterutro, idest in adversitate et prosperitate, nec facit minas, idest insidias, fortunæ esse formidandas, idest timendas, nec facit blanditias esse exoptandas, idest desiderandas. Nota, calamitas est miseria cum aliquis nihil habet, nec in re nec in spe : et est dicta a calamo qui est vacuus et inanis. Nota, quod non sufficit intueri solum præsentia, sed etiam futura ; quia licet quandoque prima salva fiant judicia, ultima tamen alterius saporis inquinamenta permanebunt. Hæc in fine de *Disciplina scolarium*. Et Tullius *secundo de Rethorica* dicit : « Errant qui in prosperis omnes impetus fortunæ putant effugisse ; sapienter cogitant qui in temporibus prosperis causas adversas reformidant. » Et Seneca in libro *De quatuor virtutibus cardinalibus* dicit : « Si prudens es, animus tuus tribus temporibus dispensetur : præsentia ordina, futura provide et præterita recordare. Nam quod nihil de præterito cogitat, perdit vitam. Qui nihil de futuro præmeditatur per omnia incautus incedit. Pone ante animum tuum mala futura et bona, ut ista possis sustinere et illa moderari. » Et Gaufredus in *poetria :*

Exempla syrenes habe ; docearis in illis.
Sub meliore statu semper pejora caveto.
Nulla fides rerum : sequitur post mella venenum.
Et claudit nox atra diem nebulæque serenum.

« Postremo æquo animo. » Hic ponit quintam rationem quæ talis est. Quicumque alterius jugo se submittit, oportet quod mores ejus patienter sustineat. Sed homo affectione temporalium submittit se jugo fortunæ ; ergo oportet quod mores fortunæ patienter toleret. Unde sicut injuste agit qui vult imponere legem dominæ suæ, ita volens imponere legem fortunæ agit injuste : hanc rationem prætendit in littera. Secundo declarat dictum suum per quamdam similitudinem, ibi, « Si ventis, » dicens : Postremo, idest ultimo dicam quod oportet ut toleres, idest patiaris, æquo animo, idest constanti animo quidquid geritur, idest fit, intra aream fortunæ, idest intra mundum, cum semel submiseris, idest sub-

submiseris, colla scilicet tua jugo fortunae, appetendo temporalia tamquam praemia tuorum meritorum, quod pro sed, si velis scribere, idest scribendo imponere, legem manendi et abeundi ei, quam tu tibi dominam sponte elegisti: nonne fueris injuriosus impatientia, idest per tuam impatientiam, exacerbabis, idest asperes, sortem, idest fortunam, quam non possis permutare. Nota quod philosophus mundum appellat aream fortunæ: quia sicut in area triturando torquentur manipuli, sic fortuna in mundo torquet homines nunc prosperitate, nunc adversitate rotando. Notandum circa hoc quod dicit, nonne injuriosus fueris, quod justitia est libertas animi tribuens unicuique quod suum est secundum suam dignitatem: Deo amorem et obedientiam, majori reverentiam, pari concordiam, et minori disciplinam. Si ergo famulus velit imponere legem dominæ suæ cui tenetur exhibere reverentiam, operaretur contra justitiam. Nota: quicumque afficitur bonis exterioribus et mutatur secundum mutationem eorum, dicitur esse subjectus fortunæ et colla sua jugo ejus submittere quia fortuna est domina bonorum exteriorum: talis autem fuit Boetius: **ergo injuriabatur fortunæ, volens sibi imponere legem manendi et recedendi.**

« Si ventis vela committeres etc. » Hic probat dictum suum per quamdam similitudinem, scilicet quod fortuna non sit in potestate hominis, dicens: **Si committeres vela, supple, navis, ventis, tu promove**reris, idest duceretis, non quo voluntas tua peteret, idest desideraret, sed quo flatus venti te impelleret. Si crederes, idest committeres, semina arvis, idest agris, tu pensares, idest judicares, annos feraces, idest fertiles, que (pro et) steri**les, inter se, ita quod non haberes illos annos in potestate tua: a simili tu de**disti te regendum fortunæ: oportet quod obtemperes, idest obedias, moribus dominæ, vero (pro sed) tu conaris, idest laboras, retinere impetum, idest cursum volventis rotæ, idest mobilis fortunæ, et **frustra laboras. O stolidissime, idest stultissime, omnium mortalium, nescis tu quod si sors, idest fortuna, incipit ma**nere, idest stabilis esse, quod tunc desinit, idest desinit esse sors. Sicut enim non simul stat quod aliquis sit homo et non sit rationalis, sic non stat simul quod sit fortuna et non sit mutabilis. Nota quod sicut committens velum vento amplius non est in potestate sua duci quo vult, sed secundum impetum venti ducitur, et sicut committens semina agro **non est in potestate ejus quod proveniant anni fertiles vel steriles, sic a simili, qui committit se fortunæ, non est in potes**tate sua ut habeat fortunam prosperam vel adversam. Nota: circa hoc quod dicitur volventis rotæ, quod antiquitus **fortuna depingebatur cum rota, hac ratione. Nam in rota sunt quatuor diver**sitates. Una pars est summa. Alia infi**ma. Tertia qua de summo descenditur ad** imum. Quarta qua de imo ascenditur ad summum. Similiter in hominibus inveniuntur quatuor varietates. Quidam enim sunt in summa prosperitate: tales **sunt elevati in rota fortunæ. Alii sunt in summa adversitate: tales jacent dejecti sub rota. Tertii declinant de prosperitate** in adversitatem: tales descendunt de summitate rotæ. Quarti procedunt de adversitate in prosperitatem: tales ascendunt rotam fortunæ. Unde elevatus in **rota fortunæ dicit: Glorior elatus. Descendens dicit: Descendo mortificatus. De**jectus: dicit Infimus axe rotor. Ascendens dicit: Lætus ad alta vehor. Nota, quod natura non assuescit in contrarium: nam si lapis millesies projiciatur sursum, **non assuescit ascendere sursum, cum na**tura ejus sit descendere. Sicut ergo esset **stolidissimus qui laboraret alicui auferre** sui naturam, sic stolidus est qui laborat fortunæ auferre mutabilitatem, quæ est ejus natura: ergo dicit philosophia: « at omnium stolidissime. »

METRUM I.

Hæc cum superba verterit vices dextra,
Et æstuantis more fertur Euripi,
Dudum tremendos sæva proterit reges,
Humilemque victi sublevat fallax vultum.
Non illa miseros audit, haud curat fletus,
Ultroque gemitus dura quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, sic suas probat vires,
Magnumque suis monstrat ostentum, si quis
Visatur una stratus ac felix hora.

« Hæc cum superba verterit vices dex-

tra etc. » Hic incipit primum metrum hujus secundi, quod dicitur hypponaticum ab inventore, quia labor nautarum cantu hujus metri sublevatur; et dicitur metrum iambicum a pede prædominante. Est autem iambus pes contrarius trochæo, constans ex prima brevi et ultima longa. Et dicitur metrum trimetrum. Licet enim hoc metrum habeat sex pedes, tamen computando duos pedes pro metro erit metrum trimetrum. In quo metro philosophia describit mores fortunæ, dicens : Cum hæc, idest fortuna, verterit vices, idest alternationes prosperitatis et adversitatis superba dextra, et cum fertur more euripi, idest maris æstuantis, idest inundantis, tunc fortuna sæva, idest crudelis, proterit, idest conculcat reges, dudum tremendos, idest metuendos, et ipsa fallax sublevat de adversitate humilem vultum victi, idest depressi, nec ipsa audit fletus nec curat miseros, idest pauperes, et ipsa existens dura, quia non flectitur ad voluntatem hominum, ridet, idest deridet ultro, idest spontanee, gemitus, supple, miserorum quos fecit : sic illa ludit, sic probat, idest experitur, suas vires, et ipsa monstrat suis magnum ostentum, idest miraculum, si quis visatur una hora stratus, idest adversitate depressus, ac felix, idest prosperitate elevatus : quasi dicat : fortuna videtur exhibere suis, idest hominibus, qui bonis ejus inhiant, magnum miraculum, quando aliquis subito videtur mutari de adversitate in prosperitatem, et e converso. Nota, quod fortuna dicitur superba eo quod nullum veretur, nec advertit probitatem nec malitiam alicujus; et si vocatur, more superborum obaudit. Nota quod euripus secundum aliquos est ventus turbinis; et dicitur euripus quasi eurus rapidus; et est eurus nomen venti. Secundum alios autem, et forsan melius, euripus est brachium vel sinus maris cujus decursus est incertus, et propter incertitudinem sui cursus frequenter periclitantur ibi naves : et dicitur ab eu quod est bonum, et ripa quasi bona ripa per contrarium : sicut ergo cursus euripi æstuantis est incertus, sic et mutabilitas fortunæ. Nota, quod de operatione fortunæ qualiter hos elevat et hos deprimit, loquitur Alanus in *Anticlaudiano*, dicens :

« Præcipitem movet illa rotam motusque laborum
Nulla quies claudit, nec sistunt otia motu :
Hos premit, hos elevat, hos dejicit, erigit illos.
Cogit et in varios homines descendere casus. »

Et Samarienus, alias pauper Henricus :

« Quicquid agas, quicquid dicas, quicquid patiaris
Non facis ut retrahas quæ mea dextra trahit.
Sic ego primatum venerandaque sceptra tenebo,
Et pro velle meo, mel tibi felque dabo. »

PROSA II.

Vellem autem pauca tecum fortunæ ipsius verbis agitare. Tu igitur an jus postulet animadverte. Qui tu, o homo, ream me quotidianis agis querelis? Quam tibi fecimus injuriam? Quæ tua tibi detraximus bona? Quovis judice de opum dignitatumque mecum possessione contende. Et si cujusquam mortalium proprium quid horum esse monstraveris, ego jam tua fuisse quæ repetis, sponte concedam. Cum te matris ex utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopem que suscepi, meis opibus fovi, et, quod te nunc impatientem nostri facit, favore prona indulgentius educavi, et omnium quæ mei sunt juri affluentia et splendore circumdedi. Nunc mihi retrahere manum libet; habe gratiam velut usus alienis. Non habes jus querelæ, tamquam tua prorsus perdideris. Quid ergo ingemiscis? nulla tibi a nobis illata est violentia. Opes, honores, ceteraque talium mei sunt juris. Dominam famulæ cognoscunt; mecum veniunt, me abeunte discedunt. Audacter affirmem : si tua forent quæ amissa conquereris, nullo modo perdidisses. An ego sola meum jus exercere prohibeor? Licet cælo proferre lucidos dies, eosdemque tenebrosis noctibus condere. Licet anno terræ vultum nunc floribus frugibusque redimire, nunc nimbis frigoribusque confundere. Jus est mari, nunc strato æquore blandiri, nunc procellis, ac fluctibus inhorrescere. Nos ad constantiam nostris moribus alienam inexpleta hominum cupiditas alligabit? Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus; infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Adscende si placet, sed ea lege, ne uti, cum ludicri mei ratio poscet, descendere injuriam putes. An tu mores ignorabas meos? Nesciebas, Crœsum regem Lydorum Cyro paullo ante formidabilem, mox deinde miserandum rogi flammis traditum, misso cælitus imbre defensum? Num te præterit, Paullum Persi regis a se capti calamitatibus pias impendisse lacrymas? Quid tragædiarum clamor aliud deflet, nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna vertentem? Nonne adolescentulus *dio tois pitous ton men ena cacon ton de eteron calon*, in Jovis limine jacere didicisti? Quid si uberius de bonorum parte sum, sisti? quid si a te non tota discessi? quid si hæc ipsa mei mutabilitas justa tibi caussa est sperandi meliora? Tamen ne animo contabescas; et intra commune omnibus regnum locatus, proprio jure vivere desideres.

« Vellem autem pauca etc. » Hic incipit prosa secunda hujus secundi libri : in qua philosophia probat Boetio non

esse conquirendum de fortuna, quia nihil sibi abstulit : et introducit fortunam alloquentem Boetium. Et dividitur : quia primo persuadet Boetio introductionem fortunæ. Secundo introducit eam, ibi, « Quid tu, o homo. » Primo philosophia dicit : O Boetii, ego philosophia vellem tecum pauca agitare, idest discutere verbis ipsius fortunæ. Tu vero animadverte an jus, idest justitia postulet hoc. Nota quod similitudo operationis quandoque generat fastidium ; ideo quandoque ipsam oportet mutari. Unde Tullius, quarto libro *Rhetoricæ* dicit : « Sermonem in dicendo commutari oportet, ut facile satietas varietate vitetur. » Ideo philosophia hic variat orationem per introductionem novæ personæ utendo prosopopœia, quæ figura a Tullio vocatur conformatio. Persuadet igitur philosophia Boetio introductionem fortunæ, dicens : Vellem autem etc.

« Quid tu o homo etc. » Hic philosophia introducit fortunam alloquentem Boetium : quæ ostendit quærimoniam ipsius esset injustam, quia nihil sibi abstulit. Primo ergo fortuna ostendit quod nihil Boetio injuste abstulit. Secundo quamdam responsionem Boetii excludit, ibi, « An tu mores. » Primo facit quod dictum est. Secundo respondet tacitæ quæstioni, ibi, « An ego. » Primo dicit fortuna ad Boetium : O tu homo quid agis, idest vexas vel facis me ream quotidianis, idest assiduis querelis? quasi dicat : facere non deberes. Quam tibi fecimus injuriam? quasi dicat : nullam. Quæ tua bona tibi detraximus? quasi dicat : nulla. Contende mecum in judicio de possessione opum et dignitatum coram quocumque judice ; et si monstraveris aliquid esse proprium horum bonorum cujusquam mortalium, ego sponte concedam tibi ea quæ repetis fuisse tua. Quod autem non sint tua nec alicujus hominis propria, probo tibi : quia cum natura produxit te de utero matris, ego suscepi te nudum et inopem, idest carentem omnibus rebus, et fovi te meis opibus, et ego prona, idest prompta educavi, idest nutrivi te, indulgentius, idest clementius favore, idest gratia mea, quæ te nunc facit impatientem nostri, idest contra nos : quia si Boetius a principio non fuisset nutritus prosperitate fortunæ, non fuisset impatiens de amissione ejus. Et subdit : Ego circumdedi te affluentia et splendore omnium bonorum quæ sunt mei juris, idest potestatis : nunc autem libet, idest placet mihi retrahere manum : tu habes gratiam, idest mihi referre grates tamquam usus alienis, non habes jus querelæ tamquam tua perdideris.

« Quid igitur ingemiscis » querulando? nulla tibi a nobis illata est violentia : opes honores et cetera talia sunt mei juris, idest potestatis ; et famulæ meæ scilicet honores et potestates, cognoscunt me dominam, mecum veniunt, me abeunte discedunt, idest recedunt. Audacter affirmem : si tua forent quæ conquereris amissa, nullo modo ea perdidisses. Nota, quod tota ratio fortunæ in hoc consistit : nulli manet rationabilis quærimonia de eo qui nihil aliorum aufert, sed propria pro suo libito disposuit : sed fortuna nihil abstulit quod erat Boetii, sed propria disposuit pro suo libito ; ergo etc. Nota, de hoc quod dicit, quæ tibi tua. Seneca dicit in libro *de Remediis* : « Non est tuum quod fortuna fecit esse tuum. Alienum est omne quidquid optando evenit ; et nihil ipsius proprium putari licet quod eripi potest. » Nota, quia homo producitur nudus ex utero matris, per hoc innuitur magna ejus miseria. Si enim homo nudus nascitur et nullo indigeret, minus esset miser : sed quia nudus nascitur nihil possidens et pluribus indigens, ideo magis miser est. Unde pauper Henricus :

« Primitus in mundo tecum tua quanta tulisti ?
Nudus eras primo et postea nudus eris. »

Nota, quod bona exteriora non sunt propria hominis ; quia dicit Seneca : « Nihil proprium ducas quod mutare possit ; fortuna reposcit quod dedit donum : quod dare potuit auferre potuit ; et quod fortuna non dedit non eripit. »

« An ego sola meum jus exercere etc. » Hic respondet tacitæ quæstioni. Diceret aliquis fortunæ : licet bona exteriora sint tua, tamen postquam ea homini

contulisti, non deberes amplius auferre. Huic quæstioni respondet fortuna dicens, quod hoc esset contra jus et contra naturam suam, quam nullus debet sibi auferre : imo debet uti sicut et ceteræ res utuntur sua natura. Unde dicit : Numquid ego sola prohibeor exercere jus meum, cum omnia alia exerceant naturam suam? quod declarat, quia licet, idest licitum est, cœlo proferre lucidos dies eosdemque condere, idest abscondere tenebrosis noctibus, et licet anno redimere, idest ornare vultum, idest superficiem terræ, nunc, idest aliquando, floribus sicut in vere, nunc frugibus sicut in æstate, nunc confundere eam nimbis, idest pluviis et frigoribus sicut in autumno et hyeme. Jus, idest natura est mari nunc, idest aliquando, scilicet tempore sereno blandiri, idest blandum esse, æquore strato, idest pacificato ; sed tempore tempestatis inhorrescere, idest horridum apparere, procellis ac fluctibus, idest mundationibus. Numquid inexpleta, idest insatiabilis, cupiditas hominum, alligabit nos ad constantiam alienam nostris moribus? quasi dicat : non. Etenim hæc est nostra vis, idest naturalis potestas, hunc ludem continuum, idest omni tempore vel continue, ludimus, rotam versamus volubili ore, idest veloci circulatione ; et nos gaudemus mutare infima, idest adversa summis, idest prosperis : et summa infimis, idest prospera adversis. Tu Boeti ascende rotam nostram, si placet : sed ea lege, idest conditione, uti ne putes tibi fieri injuriam si contingit te descendere, cum ratio mei ludicri, idest ludi jocosi hoc posset. Nota, quod quælibet res in sua naturali operatione delectatur ; frustra ergo laborat qui naturam rei auferre conatur, cum natura non assuescat in contrarium. Unde pauper Henricus :

« Nonne sua licite quivis sic utitur arte?
Quod sibi sors dederit utitur omnis homo.
Miles equis, piscator aquis et clericus hymnis.
Nauta fretis, pugiles marte, poeta metris.
Rusticus arva parat, numerat mercator avarus.
Virgo legit flores, stultus amator amat.
Seminat in spinis naturæ jura retractans. »

Nota, quod dicit cupiditatem hominum esse inexpletam : quia dicit Aristoteles in secundo *de Politica* : « Infinita est concupiscentia hominum, ad cujus repletionem multi vivunt. » Et Seneca in *decima sexta epistola* : « Naturalia desideria finita sunt ; ex falsa autem opinione nascentia ubi desinant non habent. » Et *quadragesima secunda epistola* : « Omnia aliquis contemnere potest, omnia autem habere non potest. »

« An tu mores ignorabas meas? Nesciebas Crœsum etc. » Hic fortuna excludit quamdam responsionem Boetii. Posset enim dicere Boetius : o fortuna, ego conquestus sum de tua mutabilitate, quia ignoravi mores tuos. Hanc responsionem excludit fortuna per plura, nota Boetio, ex quibus poterat perpendere mores et instabilitatem suam. Et dicit : numquid tu ignorabas mores meos? quasi dicat : nonne sciebas quomodo Crœsus rex Lydorum, qui prius erat formidabilis Cyro regi Persarum : sed postea captus fait a Cyro et traditus ignibus ad cremandum, sed imbre misso cœlitus fuit defensus et evasit. Numquid etiam præterit te quando Paulus consul romanus fudit pias lacrymas super calamitatibus, idest miseriis Persi regis quem captivaverat? quid enim aliud deflet clamor tragœdiarum, idest poematum reprehendentium vitia hominum, nisi me fortunam subvertentem felicia regna indiscreto ictu, idest incerto eventu? nonne existens adolescentulus didicisti jacere in limine, idest in domo, Jovis duo dolia vini, unum bonum, aliud malum, de quibus oportuit unumquemque intrantem gustare? quid conquereris si uberius de bonorum parte sumpsisti? quid conquereris si a te non tota discessi? quid conquereris si hæc ipsa mei mutabilitas est tibi justa causa sperandi meliora, idest prospera? Tamen ne (pro non) contabescas, idest deficias animo : et tu locatus intra commune regnum omnibus, scilicet in mundum, desideres vivere proprio jure, quia hoc esse non potest ut eximaris a communi lege hominum. Nota, quod cum Crœsus rex Lydorum esset pugnaturus contra regem Persarum, ipse consuluit Apollinem de successu pugnæ : qui respondit sibi hujusmodi versiculo :

« Cresus perdet Halym transgressus plurima regna. »

Halys est fluvius quidam. Quem vaticinium Cresus sic intellexit, quod Cresus transgressus Halym perdet, idest destruet plurima regna ipsius Cyri ; sed Apollo sic intellexit : Cresus transgressus Halym perdet, idest amittet plurima regna sua ; et hoc contingit ; nam ipse cum transgressus esset Halym victus est a Cyro et in ignem positus ; sed tanta inundatio pluviæ facta fuit, quod extinctus fuit ignis et evasit. De quo cum multum gloriaretur, dixit filia sua nomine Fama : O pater, expecta ultimum diem ante quem non est gloriandum. Quadam vero nocte vidit Cresus in somnis quod esset super altam arborem ubi Jupiter eum rigabat et Phœbus eum siccabat : quod somnium cum retulisset filiæ suæ, respondit filia : Tu eris captus a Cyro et in cruce suspensus ; ubi Jupiter, idest pluvia te rigabit, et Phœbus, idest sol te siccabit : quod ad ultimum contigit. Ex quo potest perpendi mutabilitas fortunæ. Notandum quod Paulus consul romanus missus fuit pugnare contra regem Persarum, qui erat superbissimus hominum. Cum autem ipsum devicisset, considerans prosperitatem præteritam et adversitatem præsentem ejus, motus pietate flevit super ipsum et dimisit eum ; ex quo similiter perpenditur mutabilitas fortunæ. Nota, quod tragœdia est carmen reprehensivum vitiorum, incipiens a prosperitate, desinens in adversitate. Et dicitur a tragos græce, quod est hircus latine, et odos cantus, quia cantus hujusmodi carminis hirco remunerabatur. Inde dicuntur tragœdi poetæ, qui antiqua gesta et facinora sceleratorum regum luctuoso carmine populo spectante, idest respiciente concinebant, sicut dicit Isidorus libro Etymologiarum. Nota : Homerus volens ostendere mutabilitatem fortunæ, describit in domo Jovis jacere duo dolia vini ; unum bonum, aliud malum ; et omnes intrantes domum de utroque oportebat gustare : sed quosdam plus de bono, quosdam vero plus de malo. Et hæc descriptio publice depingebatur Athenis in templo Jovis ; ubi Boethius studuit existens adolescens, sicut ipse testatur in libro de *Scholarium disciplina*. Per domum autem Jovis Homerus significabat mundum ; per duo dolia prosperitatem et adversitatem. Et omnes qui vivunt in mundo de utroque gustant ; quidam plus de prosperitate, quidam plus de adversitate. Nota : dicit fortunam subvertentem felicia regna. Dicit Gaufredus in poetria :

« Hoc unum præscire potest, quod nulla potestas
Esse diuturna potest, quia res fortuna secundas
Imperat esse breves. Si vis exempla, priores
Respice fortunas : clamat illa priorum
Funda prosperitas : Minos subvertit Athenas,
Ilion Atrides, magnæ Carthaginis arces
Scipio, sed multi Romam : sunt talia fati
Tempora versa brevi : brevis est distantia lethi
Omnibus, et nostri nox est vicina diei.
Hæc aliena docent et te tua facta docebunt. »

METRUM II.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cœlo sidera fulgent,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu ;
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat deus
Multi prodigus auri,
Et claris avidos ornet honoribus ;
Nil jam parta videntur,
Sed quæsita vorans sæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ jam præcipitem frena cupidinem
Certo fine retentent,
Largis cum potius muneribus fluens
Sitis ardescit habendi ?
Nunquam dives agit, qui trepidus gemens
Sese credit egentem.

« Si quantas rapidis flatibus incitus etc. » Istud est secundum metrum hujus secundi libri, quod dicitur asclepiadium ab inventore, choriambicum a pede prædominante. Quis sit pes coriambus prius habitum est. Et constat illud metrum ex primo spondæo et duobus coriambis, et pyrrichio vel iambo, quale metrum est istius hymni : « Sanctorum meritis. » Secundum metrum dicitur pherecraticum ab inventore, constans ex primo spondæo, secundo dactylo, tertio spondæo vel trochæo. In hoc ergo metro fortuna con-

queritur de inexpleta cupiditate hominum, dicens : Si copia, idest fortuna quam gentiles deam Copiæ appellabant, pleno cornu fundat hominibus tantas opes quantas arenas versat, idest volvit, pontus, idest mare, incitus, idest commotus, rapidis flatibus, idest impetuosis ventis ; et si fundat tantas opes quot sidera fulgent in cœlo edita, idest orta stelliferis noctibus, et ipsa Copia non retrahit manum auferendo opes, haud (pro non) ideo humanum genus cessat flere, idest flendo proponere miseras querelas : et quamvis deus prodigus, idest dives multi auri, idest ad modum prodigi multum aurum diffundens ipse deus libens excipiat vota hominum et ornet avidos, idest cupidos claris honoribus, tamen jam parta, idest acquisita et possessa nil videntur eis ; sed sæva rapacitas vorans quæsita, idest acquisita pandit, idest manifestat altos hatius, idest receptacula cupiditatis : et tunc quærit fortuna, quæ jam fræna retentent, idest detinebunt, certo fine cupidinem, idest avaritiam hominum præcipitem, idest præcipitantem hominem, cum sitis, idest desiderum habendi fluens largis muneribus ardescit in homine ; et ideo ille qui trepidus terrore adversitatis et gemens credit sese egentem, ille nunquam dives agit, idest vitam ducit. Nota circa hoc quod dicit, pleno Copia cornu, quod cum Hercules quodam tempore luctaretur cum Acheloo et Achelous mutaret se in taurum, Hercules apprehendens ipsum per cornu effregit illud et repletum pomis et floribus odoriferis sacrificavit illud fortunæ : quod cornu dicitur fortuna quibusdam propinare plenum, quibusdam vacuum, quibusdam semiplenum, secundum diversum statum prosperitatis et adversitatis hominum. Nota, quod fortuna invehitur contra avaritiam hominum : quod Tullius in libro *Tusculanarum quæstionum*, dicit :

Avaritiam studium pecuniæ habet, quam nemo sapiens concupivit : ea enim quasi mali veniens imbuta corpus animumque virilem offendit. Ipsa enim insatiabilis manens, neque inopia minuitur. » Et in *eodem* hoc dicit : « Quid est quod multi cupiditate pecuniæ feruntur? quorum ita perturbantur animi ut non multum absint ab insania. » Et dicit Seneca *sexagesima sexta epistola :* « Avaritia nullum habet magis malum nisi quod ingrata est. » Et *sexagesima secunda epistola,* avaros comparat canibus dicens : « Vidisti aliquem canem missum a domino panis frusta aut carnis aperto ore captantem? quicquid arripit protinus integrum devorat ; et semper ad spem futuri inhiat. Idem evenit nobis : quicquid nobis fortuna expectantibus porrigit, illud sine omni voluptate dimittimus, et statim ad rapinam alterius erigimur. » Nota : qui credit se egentem non est dives sed pauper : quia dicit Seneca *prima epistola :* « Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est. Qui enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis jacet, si alieno hiatu imminet? » Nota, quod divitiæ non tollunt avaritiam sed augmentant. Unde Seneca in *decima sexta epistola* dicit : « Congregatur in te quicquid locupletes possiderunt ultra privatum pecuniæ modum. Fortuna te provehat, auro regat, purpura vestiat, terram marmoribus abscondat, accedant statuæ et picturæ et quicquid ulla ars elaboravit : majora cupere ab his non desistes. » Unde Juvenalis :

« Interea pleno dum turget sacculus ære.
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia
|crescit. »

PROSA III.

His igitur si pro se tecum fortuna loqueretur quid profecto contra hisceres non haberes. At si quid est quo querelam tuam jure tuaeris, proferas oportet ; dabimus dicendi locum. Tum ego : Speciosa quidem ista sunt, inquam, oblitaque rhetoricæ ac musicæ melle dulcedinis ; tum tantum, cum audiuntur, oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est. Itaque cum hæc auribus insonare desierint, insitus animum mœror prægravat. Et illa : Ita est, inquit. Hæc enim nondum morbi tui remedia, sed adhuc contumacis adversum curationem doloris fomenta quædam sunt. Nam quæ in profundum sese penetrent, cum tempestivum fuerit, admovebo. Verumtamen ne te miserum existimari velis, an numerum modumque tuæ felicitatis oblitus es? Taceo quod desolatum parente, summorum te virorum cura suscepit, delectusque in affinitatem principum civitatis, quod pretiosissimum propinquitatis genus est, prius carus, quam proximus

esse coepisti, quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum, cum conjugis pudore, cum masculae quoque prolis opportunitate praedicavit? Praetereo (libet enim praeterire communia) sumptas in adolescentia negatas senibus dignitates; ad singularem felicitatis tuae cumulum venire delectat. Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri? cum duos pariter consules liberos tuos domo provehi, sub frequentia patrum, sub plebis alacritate vidisti, cum eisdem in curia curules insidentibus, tu regiae laudis orator, ingenii gloriam facundiaeque meruisti; cum in Circo duorum medius consulum circumfusae multitudinis exspectationem triumphali largitione satiasti? Dedisti, ut opinor, verba fortunae. Dum te illa demulcet, dum te ut delicias fovet. Munus quod nulli unquam privato commodaverat abstulisti. Visne igitur cum fortuna calculum ponere? Nunc te primum liventi oculo praestrinxit. Si numerum modumque laetorum tristiumve consideres, adhuc te felicem negare non possis. Quod si idcirco te fortunatum esse non aestimas, quoniam quae tunc laeta videbantur, abierunt, non est quod te miserum putes, quoniam quae nunc moesta creduntur, praetereunt. An tu in hanc vitae scenam nunc primum subitus, hospesque venisti? ullamne tu humanis rebus inesse constantiam reris, cum ipsum saepe hominem velox hora dissolvat? Nam etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen vitae dies mors quaedam fortunae est etiam manentis. Quid igitur referre putas, tu ne illam moriendo deseras, an te illa fugiendo?

« His igitur si pro se tecum fortuna etc. » Hic incipit prosa tertia hujus secundi libri. In qua philosophia probat Boetium non debere conqueri de fortuna quia multa bona sibi contulit. Et primo inquirit philosophia quid sentiat de dictis fortunæ. Secundo bona fortunæ sibi collata enumerat, ibi, « Veruntamen. » Primo ostendit philosophia quod Boetius nihil habeat loqui contra fortunam. Secundo Boetius respondet. Tertio philosophia ejus responsionem approbat, sicut patebit. Dicit prius : Si fortuna loqueretur his tecum verbis pro se, profecto (pro certe), tu non haberes quid contra hisceres, idest non haberes unde aperires os ad respondendum fortunæ. At si quid est quo tuam querelam jure tuearis, oportet (idest necesse est), ut proferas; dabimus tibi locum dicendi : Tunc ego Boetius inquam, idest dixi vel respondi. Speciosa quidem sunt ista quæ fortuna dixit, et sunt oblita, idest delinita, melle, idest delectatione rhetoricæ dulcedinis, scilicet quantum ad prosam, ac (pro et) musicæ dulcedinis, scilicet quantum ad metrum : et tamen tunc, idest tunc oblectant, idest delectant animum meum cum audiuntur; sed sensus, idest perceptio malorum est altior, idest profundior miseris quam isti possint attingere : quasi dicat : quamvis verba fortunæ superficialiter me delectent, tamen ad profunditatem mei doloris non attingunt. Itaque (idest ergo) cum hæc verba fortunæ desierint, idest cessaverint, insonare auribus meis, mœror insitus, idest immissus prægravat animum meum. Tunc philosophia approbat responsionem Boetii, dicens : Ita est : hæc enim verba fortunæ nondum sunt remedia tui morbi, sed sunt quædam fomenta, idest lenimenta adversum curationem, idest contra sanationem contumacis doloris : nam remedia quæ penetrent, idest immittent sese in profundum perturbationum expellendo causam radicalem tui morbi, ista admovebo, idest apponam cum fuerit tempestivum. Nota, quod Boetius nihil habuit loqui contra verba fortunæ, quia verum dixit et contra veritatem non est loquendum. Nam vero omnia consonant, et veritas sibiipsi attestatur secundum Aristotelem. Nota : hisco est verbum inchoativum; et profertur per syncopam, quia regulariter deberet dici hiasco : unde hiscere, idest hiatum inchoare, cum aliquis aperit os. Nota, quod oblitus altera producta est participium verbi obliviscor. Sed oblitus altera correpta descendit a verbo oblinio et oblitus, idest maculatus. Unde versus : Immemor oblitus notat, oblitus est maculatus. Nota, circa hoc quod dicit, insitus mœror animum aggravat, quod quis non doleret de infortunio nulli contigit nisi animo multum elevato supra fortunam. Quia dicit Seneca *sexagesima quinta epistola* : « Plus æquo te dolere nolo : sed ut non doleas vix exigere audeo. Nulli autem ista firmitas animi contigit nisi multum supra fortunam elevato. » Et subdit : « illud agamus ut jucunda nobis fiat amissorum recordatio. Nemo libenter ad id redit quod non sine tormento cogitaturus est. » Nota quod per rhetoricam et musicam dulcedinem fortunæ Boetius adhuc non fuit restitutus virtuti et sapientiæ; quod attestatur ejus mœror aggravans animum. Nam virtus et sapientia, dolorem et mœrorem op-

primit. Unde Seneca *sexagesima quinta epistola* : « Quemadmodum minuta summa claritas solis obscurat, sic dolores, mœstitias, injurias, sapientia et virtus sua magnitudine elidit atque opprimit. »

« Verumtamen ne te miserum existimari etc. » Hic philosophia enumerat bona fortunæ Boetio collata, ratione quorum non debuit se æstimare miserum. Et primo enumerat bona præterita quæ ipsum felicem fecerunt; postea enumerat in quarta prosa bona quæ ipsum in præsenti felicem ostendunt. Primo igitur philosophia describit felicitatem suam præteritam. Secundo excludit quamdam objectionem, ibi, « Quod si idcirco. » Primo enumerat quædam bona communia; secundo magis specialia. Secunda ibi, « Præterea libet. » Primo dicit : O Boeti, ne, idest non, velis te existimari miserum. Numquid oblitus es numerum, que pro et, modum felicitatis tuæ? taceo, idest pertranseo, quod te desolatum, idest privatum parente, idest patre et matre, cura summorum virorum, idest consulum romanorum te suscepit, et tu delectus, idest de aliis electus in affinitatem principum civitatis cepisti prius esse carus quam proximus, quod est pretiosissimum genus propinquitatis. Quis non prædicabit felicissimum cum tanto splendore tuorum socerorum, cum tanto pudore conjugis, idest uxoris, et cum opportunitate, idest opportuna felicitate masculinæ prolis? quasi dicat : nullus est qui non judicaverit te felicem in his. Nota quod triplex est genus propinquitatis. Primum quod contrahitur ex genealogia : et in tali propinquitate aliquis simul efficitur proximus et carus; nam frater fratri est carus et propinquus. Alia est propinquitas quæ contrahitur ex matrimonio : et vocatur affinitas : et in tali propinquitate aliquis prius efficitur propinquus quam carus. Tertia propinquitas contrahitur ex bonis moribus et virtutibus : et hoc est pretiosissimum genus propinquitatis : et in tali aliquis prius efficitur carus quam propinquus : et sic Boetius prius factus fuit romanis principibus carus ratione virtutis, quam propinquus matrimonium contrahendo cum eis. Nota, quod philosophia dicit Boetium fuisse felicem splendore socerorum in plurali, cum tamen non habuerit nisi unum socerum. Nam socer dicitur cujus filiam aliquis ducit; et non legitur quod Boetius habuit duas uxores. Ad hoc potest dici, quod hic accipitur socer large, non tamen pro patre uxoris, sed etiam pro fratre, qui large etiam potest dici socer : ergo dicit pluraliter socerorum. Nota, quod ex tribus philosophia dicit Boetium felicem fuisse : ex honestate socerorum, ex pudore conjugis, ex opportunitate masculinæ prolis, idest suorum filiorum.

« Præterea : libet enim præterire communia etc. » Hic philosophia enumerat quædam bona specialia : ex quibus Boetius non debet se æstimare miserum. Et dicit : Ego prætereo, idest pertransire volo : quia mihi libet præterire communia, supple bona : et delectat me venire ad singularem, idest specialem cumulum tuæ felicitatis, scilicet ad sumptas dignitates in adolescentia negatas senibus. Et subdit : « Si quis fructus rerum mortalium habet ullum pondus beatitudinis, » idest si propter aliquod temporale bonum homo debet dici felix : poterit ne memoria illius lucis, idest tuæ felicitatis, quam jam dicam, deleri quantalibet mole, idest quocumque pondere ingruentium malorum? quasi dicat : non potest deleri. Et quæ est illa felicitas? cum tu vidisti liberos tuos, idest filios tuos, pariter consules, idest consules electos, provehi, idest duci de domo tua, sub frequentia, idest diligentia, patrum scilicet seniorum, et sub alacritate, idest sub gaudio plebis, et cum tu eisdem filiis tuis insidentibus curules, idest sedes judiciarias orator, idest prædicator regiæ laudis meruisti gloriam ingenii et facundiæ, cum tu medius in circo, idest in circundatione, duorum consulum, scilicet filiorum tuorum, satiasti expectationem circumfusæ multitudinis, triumphali largitione, idest victoriali triumphatione. Et ego opinor, tu dedisti verba, idest deceptiones fortunæ : dum te illa demulcet : dum te fovet ut suas delicias, tu abstulisti munus quod nunquam commodaverat ulli, idest alicui privato, idest extraneo. Vis ne ergo cum fortuna ponere calculum, idest

computationem? nunc ipsa fortuna primum perstrinxit te oculo liventi, idest invido. Si consideres numerum et modum lætorum, vel (pro vel) tristium, idest prosperitatis et adversitatis, adhuc non poteris te negare felicem. Nota: philosophia per hoc quod dicit, prætereo, et postea dixit læta, utitur quodam colore rhetorico qui dicitur occupatio, et definitur sic a Tullio: « Occupatio est cum dicimus nos præterire aut nescire aut nolle dicere illud quod tamen maxime dicimus. » Nota, quod mos erat romanorum ante triginta annos nulli conferre aliquam dignitatem nisi propter singularem dignitatem vel probitatem, vel propter publicæ rei evidentem utilitatem. Boetius autem in adolescentia ante triginta annos electus fuit in consulem: et hoc philosophia vocat felicitatem communem: non quod communiter omnibus hoc concederetur, sed quia non solum Boetio, sed aliis paucis hoc accidit. Refert enim Tullius in libro *de Amicitia*, quod Scipio ante triginta annos bis factus est consul. Similiter Germanicus juvenis consul factus est ante triginta annos. Sed singularem felicitatem Boetii tangit, dicens: Cum duos pariter consules. Nota, quod secundum Isidorum in libro *Etymologiæ*: « Curules erant in quibus magistratus sedentes jura reddebant. Et dicuntur curules a curru: quia tali sede utebantur in curru judices quo vehebantur ut expeditius populo judicia redderent. » Nota, quod consuetudo erat apud romanos in electione consulum, habere sermonem ad populum de laudibus regum et electorum in magistratum: et sic bene prædicabant: inde gloriam consequebatur. Hujusmodi sermonem fecit Boetius in electione suorum filiorum in consules: et exinde sua gloria fuit geminata. Et quia consimilis sermo consuevit fieri in triumphis in laudem eorum qui obtinuerant victoriam: ideo hujusmodi sermonem vocat triumphalem largitionem. Nota: qui bonum aliquid promittit et non adimplet, ille dat verba et non rem, et sic decipit: ergo dicit philosophia, dedisti fortunæ verba, idest deceptionem, promittendo ei aliquid boni quod ipsa te ita fovet. Nota, quod calculus in una significatione est parvus lapillus qui calcando non lædit. Et quia talibus lapillis utebantur antiqui in computando, ideo calculare vel calculum ponere ponitur pro computare vel pro rationem facere. Ergo dicit philosophia: vis ne cum fortuna calculum ponere? quasi dicat: non debes: si computabis cum ea, ipsa inveniet te multo feliciorem quam miserum. »

« Quod si idcirco te fortunatum esse etc. » Hic philosophia excludit quamdam objectionem. Posset aliquis dicere: hæc prædicta bona non faciunt me felicem, quia sunt pertransita. Hanc objectionem excludit philosophia, dicens: Quod pro sed, si non æstimas te fortunatum, idest felicem: quoniam illa abierunt quæ tunc videbantur læta, etiam non est quid, idest propter quid, tu putes, idest æstimes te miserum, quoniam quæ nunc creduntur, idest videntur mœsta, prætereunt. An nunc (pro numquid) tu venisti primum in scenam, idest umbram vitæ, subitus, idest improvisus, que (pro et) hospes, idest advena, ut ignores quæ gerantur in hac vita? ne (pro numquid) reris, idest opinaris ullam constantiam inesse humanis rebus, cum ipsum hominem sæpe dissolvat velox hora mortis? nam si fortuitis rebus est fides permanendi, licet rara, tamen ultimus dies vitæ est quædam mors fortunæ, etiam manentis fortunæ. Quid igitur putas referre, idest distare ne (idest an) tu deseras illam fortunam moriendo, an (pro vel) illa te deserat fugiendo? Quasi dicat: nihil refert quantum ad inconstantiam fortunæ, sive fortuna hominem deserat sive deseratur, manifestum est quod permanere non potest. Notandum, quod in rebus humanis non sit constantia. Cujus ratio est; in isto quod est genitum, nulla est constantia: quia nihil est genitum quod non est corruptibile et non permanens: sed res humanæ sunt genitæ et productæ, ergo etc. Notandum, quod non est durabilis fortunæ prosperitas: quia ipsam cito fugat adversitas. Unde Gaufredus in poetria:

« Ominibus ne crede tuis, si tempore parvo
Illuxere tibi : mox sunt clausura serenum
Nubila fata diem : inducentque crepuscula noc-
[tem, »

propter quod non est adhibenda fides rebus fortuitis. Nota, quod philosophia tangit unam rationem quod fortuna non sit constans : quæ talis est. Homo non est constans, ergo nec fortuna. Antecedens patet : quia hominem sepe dissolvit velox hora mortis. Consequentia probatur ex hoc, quia fortuna non habet esse nisi circa hominem : cum sit in agentibus a proposito, *secundo Physicorum*. Ergo, dicit philosophia, nihil differt quo ad inconstantiam fortunæ, sive fortuna derelinquat hominem fugiendo, sive homo derelinquat ipsam moriendo : quocumque modo fiat, semper ipsa est inconstans et non permanens.

METRUM III

Cum polo Phœbus roseis quadrigis
Lucem spargere cœperit,
Pallet albentes hebetata vultus
Flammis stella prementibus.
Dum nemus flatu Zephyri tepentis
Vernis irrubuit rosis.
Spiret insanum nebulosus Auster,
Jam spinis abeat decus.
Sæpe tranquillo radiat sereno
Immotis mare fluctibus :
Sæpe ferventes Aquilo procellas
Verso concitat æquore.
Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat, æterna positumque lege est,
Ut constet genitum nihil.

« Cum polo Phœbus roseis quadrigis etc. » Istud est metrum tertium hujus secundi, cujus primus versus dicitur sapphicus ab inventore, trochaicus a pede prædominante. Metrum autem secundi versus dicitur glyconicum ab inventore, choriambicum a pede prædominante. In hoc ergo metro philosophia declarat tribus exemplis mutabilitatem mundanorum. Primum exemplum est de corporibus cœlestibus tale. Sole lucente in cœlo tunc obscuratur lumen aliarum stellarum. Ecce mutatio stellarum quo ad lumen quod tamen plus apparebat tempore noctis : sed sole nobis lucente non apparet. Unde dicit in littera : Cum Phœbus, idest sol ceperit, idest inceperit, spargere, idest emittere lucem roseis quadrigis, idest roseo curru, stella hebetata, idest obscurata, flammis, idest luminibus solis prementibus, ipsa pallet, idest pallida fit secundum albentes vultus. Secundum exemplum est in terræ nascentibus tale : Zephiro flante, terra ornatur floribus : sed austro flante flores deficiunt. Ecce mutatio in terræ nascentibus : unde dicit in littera : Cum, idest quando nemus irrubuit vernis, idest vernalibus rosis, flatu zephiri tepentis, idest calentis, si auster nebulosus spiret, idest flare inceperit, insanum, idest insane, jam decus rosarum, abeat spinis, idest recedat de spinis. Tertium exemplum est de mari tale. Quando mare non agitatur ventis apparet tranquillum, sed ventis agitatum efficitur tempestuosum. Ecce mutabilitas maris : unde dicit in littera : Sæpe mare radiat, idest splendet, tranquillo sereno, idest serena tranquillitate, immotis, idest non motis fluctibus : sæpe aquilo concitat, idest provocat, ferventes procellas, idest tempestates, verso æquore, idest moto mari. Tunc hortatur philosophia ne credamus bonis fortunæ, dicens : Si mundo constat, idest permanet sua forma rara ut ex dictis patet, et si mundus variat tantas vices, idest alternationes, tunc crede caducis, idest transitoriis fortunis hominum : idest noli credere. Et loquitur ironice, debet enim intelligi per contrarium : crede, idest noli, credere bonis, fugacibus, qualia sunt bona fortunæ. Quod patet ex hoc : quia constat, idest manifestum est, et est positum, idest stabilitum, æterna lege, idest divina lege, ut nihil genitum constet, idest immutabiliter permaneat. Nota, quod poetæ attribuunt soli quadrigam : quæ dicitur a numero quatuor equorum. Poetæ enim fingunt currum solis trahi quatuor equis propter quatuor diversitates solis. Nam sol cum oritur est rubeus : hora tertia, splendens : hora meridiei est fervens : sed hora vespertina est tepens. Lunæ vero attribuunt bigam propter duas proprietates lunæ. Nam luna virtualiter est frigida et humida. Nota : circa hoc quod

dicit, unde fortuitis bonis : Seneca dicit in libro *de Consolatione filii Helviae* : « Numquam ego fortunae credidi : quae cum maxime videretur pacem agere, omnia quaecumque in me indulgentissime conferebat pecuniam, honores, gratiam, eo loco posui, unde posset sine motu meo repetere. Intervallum magnum inter me et ipsam habui : itaque non illa abstulit sed excussit. Neminem adversa fortuna comminuit, nisi quem secunda decepit. Fortuna fortes metuit, ignavos expavit : opes auferre potest : animum autem eripere non potest. » Nota quod philosophia bona fortunae appellat caduca : quia dicit Seneca *epistola quinquagesima octava* : Omnia ista in quae fortuna dominium exercet, sua sunt, sicut pecuniae honores : imbecilla sunt ; fluida mortalia sunt et possessionis incertae. » Nota quod dicit nullum gradum esse constans. Unde Seneca *epistola praeallegata* : « Omnia mortalia minuuntur, cadunt, deteruntur, decrescunt, exhauriuntur, itaque in illis in sorte causa incerta inaequalitas est ; divinorum autem una natura est. »

PROSA IV

Tum ego : Vera, inquam, commemoras o virtutum omnium nutrix ; nec infitiari possum prosperitatis meae velocissimum cursum. Sed hoc est quod recolentem me vehementius coquit. Nam in omni adversitate fortunae infelicissimum genus est infortunii, fuisse felicem. Sed quod tu, inquit, falsae opinionis supplicium luis, id rebus jure imputare non possis. Nam si te hoc inane nomen fortuitae felicitatis movet, quam pluribus maximisque abundes, mecum reputes licet. Igitur si quod in omni fortunae tuae censu pretiosissimum possidebas, id tibi divinitus illaesum adhuc inviolatumque servatur, poterisne meliora quaeque retinens, de infortunio jure causari? Atqui viget incolumis illud pretiosissimum generis humani decus Symmachus socer; et quod vitae pretio non segnis emeres, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, suarum securus, tuis ingemiscit injuriis. Vivit uxor ingenio modesta, pudicitiae pudore praecellens, et ut omnes ejus dotes breviter includam, patri similis. Vivit, inquam, tibique tantum vitae hujus exosa spiritum servat. Quo uno felicitatem minui tuam vel ipsa concesserim, tui desiderio lacrymis ac dolore tabescit. Quid dicam liberos consulares, quorum jam, ut in id aetatis pueris, vel paterni vel aviti specimen elucet ingenii? Cum igitur praecipua sit mortalibus vitae cura retinendae, o te, si tua bona cognoscas, felicem! cui suppetunt etiam nunc quae vita nemo dubitat esse cariora. Quare sicca jam lacrymas. Nondum est ad unum omnes exosa fortuna, nec tibi nimium valida tempestas incubuit, quando tenaces haerent ancorae, quae nec praesentis solamen, nec futuri spem temporis abesse patiantur. Et haereant, inquam, precor; illis namque manentibus, utcumque se res habeant, enatabimus. Sed quantum ornamentis nostris decesserit vides. Et illa : Promovimus, inquit, aliquantulum, si te nondum totius tuae sortis piget. Sed delicias tuas ferre non possum, qui abesse aliquid tuae beatitudini, tam luctuosus atque anxius conqueraris. Quis est enim tam compositae felicitatis, ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum conditio bonorum ; et quae vel numquam tota proveniat, vel numquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis; hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus, esse mallet ignotus. Ille utroque circumfluus vitam caelibem deflet. Ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno censum nutrit heredi. Alius prole laetatus, filii filiaeve delictis maestus illacrymat. Idcirco nemo facile cum fortunae suae conditione concordat. Inest enim singulis, quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. Adde quod felicissimi cujusque delicatissimus sensus est. Et, nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens, minimis quibusque prosternitur : adeo perexigua sunt quae fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt. Quam multos esse conjectas qui sese caelo proximos arbitrentur, si de fortunae tuae reliquiis pars eis minima contingat? Hic ipse locus, quem tu exsilium vocas, incolentibus patria est. Adeo nihil est miserum, nisi cum putes; contraque beata sors omnis est aequanimitate tolerantis. Quis est ille tam felix qui cum dederit impatientiae manus, statum suum mutare non optet? Quam multis amaritudinibus humanae felicitatis dulcedo respersa est : quae si etiam fruenti jucunda esse videatur, tamen quo minus cum velit abeat, retineri non possit. Liquet igitur quam sit mortalium rerum misera beatitudo, quae nec apud aequanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat. Quid igitur, o mortales, extra petitis intra vos positam felicitatem? Error vos, inscitiaque confundit. Ostendam breviter tibi summae cardinem felicitatis. Est ne aliquid tibi te ipso pretiosius? Nihil, inquies. Igitur si tui compos fueris, possidebis quod nec tu amittere umquam velis, nec fortuna possit auferre. Atque ut agnoscas in his fortuitis rebus beatitudinem constare non posse, sic collige. Si beatitudo est summum naturae bonum ratione degentis ; nec est summum bonum quod eripi ullo modo potest : quoniam praecellit id quod nequeat auferri ; manifestum est, quod ad beatitudinem percipiendam fortunae instabilitas aspirare non possit. Ad haec quem caduca ista felicitas vehit, vel scit eam, vel nescit esse mutabilem. Si nescit, quaenam beata sors esse potest ignorantiae caecitate? Si scit, metuat necesse est ne amittat quod amitti posse non dubitat ; quare continuus timor non sinit esse felicem. An vel si amiserit negligendum putat? Sic quoque perexile bonum est quod aequo animo feratur amissum. Et quoniam tu idem es cui persuasum esse atque insitum permultis demonstrationibus scio, mentes hominum nullo modo esse mortales ; cumque sit clarum, fortuitam felicitatem corporis morte finiri ; dubitari nequit, si haec auferre beatitudinem potest, quin omne mortalium genus in miseriam, mortis fine, labatur. Quod si multos scimus beatitudinis fructum non morte solum, verum etiam doloribus suppliciisque quaesisse, quonam modo praesens vita facere beatos potest, quae miseros transacta non efficit?

« Tum ego, vera inquam etc. » Hæc est quarta prosa hujus secundi libri : in qua philosophia probat Boetio non esse conquerendum de fortuna, propter potentia bona quæ sibi dereliquit. Et primo Boetius confitetur se fuisse felicem, deplangens præsentem infelicitatem. Secundo philosophia ostendit ipsum esse in præsenti, ibi, « Sed quod tu etc. » Dicit ergo Boetius : O philosophia nutrix omnium virtutum, tu commemoras vera; nec possum inficiari, idest negare velocissimum cursum, idest recessum meæ prosperitatis : sed hoc est quod coquit, idest anxiat vehementer me recolentem præteritam prosperitatem. Nam in omni adversitate fortunæ infelicissimum genus infortunii est fuisse felicem et jam non esse. Nota, philosophia dicitur nutrix omnium virtutum, quia omnis virtus consistit in medio; medium non attingitur nisi recta ratione, quæ recta ratio est sapientiæ et philosophiæ. Item, cum philosophia dividatur in practicam et speculativam, ipsa includit prudentiam quæ est recta ratio agibilium ex *sexto Ethicorum :* prudentia autem colligata est omnibus virtutibus, ex *eodem sexto :* propterea philosophia dicitur nutrix omnium virtutum. Nota, quod recordatio præteritæ felicitatis coquit hominem ; ideo dicit Seneca *sexagesimaquinta epistola :* « Illud agamus ut jucunda nobis fiat amissorum recordatio. » Hoc autem contingit cum animus præparatus est ad amissionem eorum. Nota, quod duplex est infortunium : quoddam continuum ; aliud interpolatum sive discontinuum : primum infortunium est infelix, secundum est infelicissimum. Infortunium enim continuum ex consuetudine minus nocet : quia dicit Seneca in libro de *Tranquillitate animæ :* « Tolerabilius est bona non acquirere quam acquisita amittere; ideoque lætiores videbis quos fortuna nunquam respexit quam quos deseruit. » Idem dicit in libro de *Consolatione filii Eliæ :* « Unum habet bonum assidua infelicitas, quod illos indurat quos vexat. Infortunium autem discontinuum est cum aliquis mutatur de adversitate in prosperitatem, et iterum de prosperitate in adversitatem. Et tale est infelicissimum genus, quia sæpe dejicit hominem in desperationem. » Unde Sammariensis, alias pauper Henricus :

« O bona prosperitas, ubi nunc es, nunc mea [versa est
In luctum cithara, fit lacrymosa lira.
O mala dulcedo subitoque absumpta veneno,
Quæquæ recompensas mellea felle gravi. »

« Sed quod tu, inquit, falsæ opinionis etc. » Hic philosophia ostendit Boetium in præsenti esse felicem propter multa bona quæ adhuc possidet. Secundo probat felicitatem fortuitam nulli posse totaliter evenire. Tertio probat veram felicitatem in hominis fortuitis non consistere. Secunda ibi, « Quis est enim. » Tertia ibi, « Atque ut agnoseas. » Primo ponit philosophia quod non debet querulari Boetius de infortunio, cum abundet adhuc pluribus bonis, et illa bona philosophia enumerat. Secundo ipsa consolatur eum, ibi, « Cum igitur. » Dicit primo : O Boeti, quod tu luis, idest patiaris supplicium falsæ opinionis, id, idest illud non possis jure imputare rebus : nam si movet te inane nomen fortuitæ felicitatis, licet, idest licitum est, ut tu reputes, idest computes, mecum quam plurimis, que (pro et) maximis bonis abundes. Si igitur illud bonum tibi servatur divinitus illæsum, que (pro et) inviolatum quod tu possidebas pretiosissimum in omni censu, idest thesauro tuæ fortunæ; poteris ne retinens quæque meliora jure causari, idest conquæri de infortunio? quasi dicat : non. Tunc enumerat bona ejus : atqui (pro certe) illud pretiosissimum decus humani generis, scilicet Symmachus socer tuus iste viget, idest floret vel vivit incolumis, idest sanus, quod, supple, decus non segnis, idest non tardus emeres pretio vitæ : quasi dicat : tu tantum diligis eum quod vitam tuam pro eo exponeres. Symmachus vir totus factus ex sapientia et virtutibus, illæ securus suarum, supple, injuriarum, ingemiscit de tuis injuriis : vivit uxor tua modesta ingenio, præcellens pudore pudicitiæ : et ut includam breviter omnes dotes, idest virtutes ejus, ipsa est similis patri suo, scilicet Symmacho : et ipsa existens

exosa, idest tædiosa hujus vitæ: tantum tibi servat spiritum, idest tantum ipsa vivit propter te, quo, idest in quo uno, ego conquererer tuam felicitatem minui, supple, quod uxor tua tabescit, idest tribulatur lacrymis ac dolore desiderio tui. Quid dicam liberos tuos consulares, quorum specimen, idest similitudo ingenii paterni, idest tui, vel aviti, idest avi ipsorum, scilicet Symmachi, qui fuit avus ipsorum ex parte matris, elucet ut in id ætatis pueris: quasi dicat: liberi tui sunt similes patri et avo ipsorum in prudentia inquantum ætas permittit. Notandum, sicut inferius probabitur, quod in rebus fortuitis non potest consistere vera felicitas. Ideo illi qui adeptione talium rerum felices se existimabant et ex amissione earum infelices, falsa opinione decipiebantur: et licet in opinione eorum sic esset, non tamen in re. Ideo dicit philosophia ad Boetium, quod tu falsæ opinionis supplicium luis, idest rebus imputare non possis. Nota: supplicium falsæ opinionis est in animo non in re: unde Seneca *decimaseptima epistola*: « Multis parasse divitias non fuit finis miseriarum, sed mutatio animorum: nec hoc miror; non enim in rebus est vitium, sed in animo: sæpius enim opinione quam re laboramus. » Ergo infortunium Boetii non erat imputandum rebus, quia non erat, sed imputandum fuit suæ falsæ opinioni. Nota, quod philosophia ostendit præsentem felicitatem in tribus consistere: scilicet in amicis, in uxore pudica, et filiorum suorum prudentia. Primo enim ad felicitatem requiruntur amici. Nam amicus est pretiosissimum genus divitiarum, ex octava prosa hujus secundi. Et Aristoteles *nono Ethicorum*: « Nemo eligit vivere sine amicis habens reliqua bona. » Et secundum Tullium in libro *de Amicitia*: « Qui amicitiam tollit de mundo solem tollere videtur. » Et Seneca in libro *de Remediis fortuitorum*: « Nihil est pejus quam amicos non habere. Si amicum perdidisti, alium quære, et ibi eum quæras ubi invenias. Quære inter artes liberales, inter recta et honesta officia, quære in laboribus: ad mensam ista res non quæritur. » Secundo requiritur ad felicitatem politicam uxor pudica quæ rara est: unde Seneca in libro *de Remediis fortuitorum*: « Multæ inter probos matrimonialis criminis ceperunt esse exempla meretricularum. Quam multas ex conjugibus optimis pessimas videmus, ex diligentissimis dissolutissimas, ex liberalissimis rapacissimas. Etiam si bonam uxorem habueris, non potes affirmare eam esse permansuram in illo proposito: nihil tam mobile, nihil tam vagum quam feminarum voluntas. » Tertio requiritur ad felicitatem politicam proles; quia secundum Aristotelem *primo Ethicorum*: « Non omnino felix est qui specie turpis est, aut solitarius, aut prole carens. » Nota secundum Huguitionem, specimen est pulchritudo vel similitudo, vel signum, vel imago, vel notitia, vel experimentum, vel bonum operis documentum: sed in proposito accipitur pro similitudine. Item secundum eumdem, avitus tantum, idest ab avo habitus, vel possessus, vel ad ipsum pertinens: et ponitur quandoque pro antiquo.

« Cum igitur præcipua sit mortalibus etc. » Hic philosophia ex dictis consolatur Boetium, dicens: Ex quo hominibus est præcipua cura, idest maxima cura retinendæ vitæ, idest salvandæ vitæ, o te felicem si cognoscas tua bona! cui etiam nunc suppetunt, idest abundant talia bona, quæ nemo dubitat esse cariora, ipsa vita. Quare jam sicca lacrymas et noli flere: nondum enim omnis fortuna est tibi exosa, idest adversa ad unum, idest omnino; nec tibi incubuit, idest instetit, tempestas adversitatis nimium valida: quoniam tenaces anchoræ, idest amici inseparabiles hærent, idest firmiter manent; quæ scilicet anchoræ non patiantur tibi abesse solamen præsentis temporis, nec spem futuri temporis. Et dicit Boetius: precor ut hæreant, idest maneant illæ anchoræ; quia ipsis manentibus, utcumque, idest qualitercumque res se habeant, nos enatabimus evadendo adversitatem fortunæ. Sed o philosophia, tu vides quantum decus nostris ornamentis bonorum exteriorum quibus ornabamur decesserit. Subjungit philosophia: Nos promovimus aliquantulum animum tuum ad consolationem, si non-

dum piget te totius tuæ sortis; quia major pars salva tibi manet : sed non possum ferre tuas delitias, qui tam luctuosus, idest plenus luctu. atque anxius conquereris aliquid abesse tuæ beatitudini, idest tuæ felicitati. Nota, quod sicut mors est omnium amarissima, quia omnia abscindit, omnia devorat et quia aliqui judicant se non timere mortem et tamen timent, secundum Senecam in libro *de Remediis fortuitorum*, sic vita est omnium dulcissima : omnia enim appetunt esse et vivere; ideo unumquodque naturaliter nititur ae salvandum vitam qua nihil est charius. Si ergo Boetius possedit bona quæ chariora sunt vita; non debuit se æstimare miserum, sed magis felicem. Nota, quod philosophia amicos appellat anchoras : sicut enim tempestate incumbente per anchoram navis retinetur et a periclitatione salvatur, sic imminente adversitate fortunæ homo fidelibus amicis ne succumbat infortunio sublevatur. Fideles enim amici retinent hominen impetu fortunæ agitatum, ne totaliter dejiciatur a sua stabilitate. Nota secundum Huguitionem, suppetere, idest subministrare vel superabundare : sed pigere est, piger esse vel pœnitere vel gravare, vel offendere.

« Quis est enim tam compositæ felicitatis etc. » Hic philosophia probat felicitatem nulli posse totaliter evenire. Secundo ostendit quod quanto aliquis est felicior, tanto leviori adversitate prosternitur. Tertio concludit ex his felicitatem fortuitam amaram esse et miseram. Quarto invehitur contra homines. Secunda ibi, « Adde quod felicissimi. » Tertia ibi, « Quam multis. » Quarta ibi, Quid igitur o mortales. » Primo dicit : Quis est homo tam compositæ felicitatis? idest tam copiose felix : ut non rixetur, idest discordet ex aliqua parte cum qualitate, idest cum dispositione sui status, idest suæ fortunæ? quasi dicat : nullus est ita felix : quia conditio, idest status humanorum bonorum est anxia res, idest misera res, quæ nunquam homini tota proveniat, vel nunquam perpetua subsistat. Tunc declarat quod non tota proveniant homini : quia huic, idest alicui homini exuberat census, idest abundat pecunia, sed aliud sibi deficit, quia degener sanguis, idest ignobilitas est sibi pudori : hunc supple alium hominem, nobilitas facit notum, sed ipse inclusus angustia rei familiaris, idest paupertatis, mallet, idest magis vellet esse ignotus. Ille, idest alius homo circumfluus, idest circumdatus utroque, idest tam divitiis quam nobilitate, ipse deflet cœlibem vitam, idest castam vitam, quia non potest forsan ducere uxorem : ille, idest alter, felix nuptiis scilicet habendo uxorem, orbus, idest carens liberis, idest pueris, ipse nutrit, idest congregat censum alieno hæredi. Alius autem lætatus prole, ipse moestus illacrymat, idest ingemiscit deliciis, idest pro criminibus filii vel filiæ suæ. Idcirco nemo facile concordat cum conditione suæ fortunæ. Inest enim singulis, supple, hominibus, aliquid quod ipse inexpertus ignoret, vel expertus ipsum exhorreat : et sic rixatur cum qualitate sui status. Nota, quod non est homo tam felix quin inveniat aliquam conditionem in se quam vellet non habere; propter quod misera est conditio humanorum bonorum, quia nunquam homini tota provenit; quia aliquis contemnere omnia potest, sed omnia habere nemo potest. Et elicitur una ratio ex littera. Illi conditio humanorum bonorum non tota provenit cui suus status in aliquo displicet : sed nullus invenitur tam felix cui status suus non displiceat in aliquo, sicut declarat in littera; ergo etc. Item sanguis servilis conditionis dicitur degener, quia homines naturaliter liberi sunt, sed per servitutem degenerant a natura. Nota : vita casta dicitur vita cælebs, quasi cœlestis; quia in carne vivere præter carnem est vita cœlestis et angelica. Nota secundum Huguitionem, illacrymari est intus lacrymari vel cum dolore lacrymari, et est deponentis generis, licet secundum antiquos inveniatur neutrius generis : et sic Boetius ponit hoc in neutro genere cum dicit, moestus illacrymat.

« Adde quod felicissimi cujusquam etc. » Hic ostendit philosophia quod homo magis felix leviori adversitate prosternitur, cum hoc comparando Boetium ad alios. Et dicit : adde prædictis quod sen-

sus cujusque hominis felicissimi, idest fortunatissimi, est delicatissimus, idest impatientissimus; nisi ad nutum suum cuncta suppetant, idest abundent, ipse erit insolens, idest impatiens omnis adversitatis, et prosternitur a sua felicitate quibusque minimis adversitatibus; adeo perexigua sunt, idest valde exigua, quæ fortunatissimis detrahunt, idest auferunt summam, idest perfectionem beatitudinis. O Boeti, quam multos esse conjectas, idest opinaris, qui sese arbitrentur proximos esse cœlo, idest Deo, si eis contingat minima pars de reliquiis, idest de particulis tuæ fortunæ. Hic locus quem tu vocas exilium, est patria incolentibus, idest habitantibus; et ita eorum judicio spectat ad felicitatem. Universaliter ergo de rebus fortuitis concludit: Adeo nihil est miserum nisi tu cum putes, idest nisi ex reputatione animi tui æstimes: quo (pro et) contra, idest per contrarium omnis sors est beata æquanimitate, idest patientia animi tolerantis. Quis est ille tam felix, qui cum dederit manus impatientiæ, idest cum fuerit factus impatiens, quin ipse non optet mutare statum suum? quasi dicat, nullus est tam felix. Nota, quod forsan aliquis diceret, nulli homini placet status suus si deest sibi magnum fortunium. Sed defectus modici boni non impedit complacentiam status quin homo totaliter sit felix. Hoc excludit philosophia, dicens: Quanto aliquis est felicior, tanto et delicatior, et quanto est delicatior, tanto magis gravatur ex defectu modici boni; et sic felicissimis detrahitur complementum beatitudinis. Notandum, quod una et eadem res est quam unus judicat spectare ad miseriam, alius judicat spectare ad felicitatem; ergo, dicit philosophia, locus quem tu exilium vocas, incolentibus est patria. Notandum, quantumcumque sit homo abundans rebus fortuitis, si aliquid displicet sibi in statu suo, ipse optat statum suum mutari, commendando statum alterius. Unde miles emeritus laudat statum mercatoris; e contra mercator expertus pericula marina laudat militiam. Similiter legisperiti laudant agricolas, et agricolæ urbanos. Simile exemplum patet in Boetio *de Scholarium disciplina* de filio inconstantiæ; qui habens displicentiam unius status, semper alium et alium assumpsit. Nota, quod dicit, nihil est miserum nisi cum putes; unde dicit Seneca *nona epistola*: « Miser est qui se beatum non judicat, licet mundo imperet; non est beatus qui se beatum non esse putat. »

« Quam multis amaritudinibus etc. » Hic philosophia ostendit fortuitam felicitatem esse amaram et miseram, dicens: Quam multis amaritudinibus dulcedo humanæ felicitatis est respersa, idest permista! quæ etiam si videatur jucunda homini fruenti, tamen non possit retineri quo minus abeat ea cum velit, idest non potest retineri ad voluntatem hominis. Et liquet, idest manifestum est quam misera sit beatitudo rerum mortalium: quæ nec perpetua perdurat apud æquanimes, idest apud constantes vel patientes, nec ipsa tota, idest simul, delectat anxios, idest miseros. Nota, quod felicitas et dulcedo humana non est sine amaritudine: quia dicit beatus Bernardus: « Nunquam in honore sine labore, nunquam in prælatione sine tribulatione; nunquam in sublimitate sine vanitate quis esse potest. » Item Alanus in *Anticlaudiano* dicit:

« Sed nihil invenies quod in omni parte beatum
Vivat, quin multas nolis deferre querelas
Possit, et nostram velit accusare Minervam. »

« Quid igitur, o mortales etc. » Hic philosophia invehitur contra homines: et dicit sic: O mortales, quare petitis idest quæritis extra, idest in rebus exterioribus, felicitatem positam intra vos? error et inscitia, idest ignorantia confundit vos. Ostendam tibi breviter cardinem, idest radicem summæ felicitatis. Est ne aliquid tibi pretiosus teipso? nihil inquies. Si igitur fueris compos tui per tranquillitatem animi, tu possidebis quod nunquam amittere velis, scilicet delectationem in operatione perfectæ virtutis, nec fortuna poterit tibi auferre. Nota, quod duplex est beatitudo: perfecta et imperfecta. Perfecta beatitudo habetur post hanc vitam. Et est vita æterna, de qua loquitur beatus Joannes, dicens:

Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Alia est beatitudo imperfecta, quæ potest esse in præsenti vita; quam philosophi posuerunt consistere in operatione optimæ virtutis. Unde radix talis beatitudinis est tranquillitas animi ex moderatione et sedatione passionum per habitum virtutis. Per talem autem tranquillitatem homo efficitur sui compos ut non dejiciatur passionibus. Ista autem tranquillitas non est quærenda in rebus exterioribus, sed solum habet esse in animo hominis. De qua beatitudine et tranquillitate hic loquitur philosophia, dicens : Quid igitur o mortales etc. Et Seneca loquens de eadem felicitate, *nona epistola,* dicit : « Summum bonum extrinsecus instrumenta non quærit : domi colitur : ex se totum est : incipit fortunæ esse subjectum si quam partem sibi foris quærit. » Item Seneca *vigesimatertia epistola :* « Felicitatis aviditas tuta est ; quæ si aut unde proveniat quæris? ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, et contemptu fortuitorum. » Et *trigesimaprima epistola* dicit : « Illud bonum est quærendum quod non fiet de die in diem pejus. Quid est hoc? animus, sed hic rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc animum quam Deum in corpore humano hospitatum? » Et *quadragesimaprima epistola* dicit : « Lauda bonum in homine quod eripi non potest, quod est proprium hominis. Quæris quid sit illud? animus et ratio perfecta; rationale namque animal est homo. »

« Atque ut agnoscas in his etc. » Hic philosophia probat veram felicitatem non posse consistere in rebus fortuitis, tribus rationibus. Secundam ponit, ibi, « Ad hæc. » Et quoniam. » Prima ratio talis est. In illo non consistit felicitas hominis quod potest auferri ab homine : sed bona fortuita sunt hujusmodi : ergo etc. Major nota : quia summum bonum est proprium hominis : bonum autem quod auferri potest non est summum bonum, quia illud quod auferri non potest melius est eo quod auferri potest. Minor patet. Bona fortuita possunt auferri cum sint mutabilia. Unde dicit littera : Ut agnoscas beatitudinem non posse constare in rebus fortuitis, sic collige per tales rationes. Si beatitudo est summum bonum naturæ degentis ratione, idest naturæ rationalis; nec illud est summum bonum quod ullo modo potest eripi, idest auferri, quia illud, scilicet bonum quod nequeat, idest non potest auferri, hoc præcellit, idest melius est eo quod potest, auferri scilicet. Ex quo manifestum est quod instabilitas fortunæ non possit aspirare, idest accedere ad beatitudinem accipiendam. Nota, quod beatitudo est summum bonum; quia in tertio hujus, secunda prosa, dicitur quod beatitudo est status perfectus aggregatione omnium bonorum : et beatitudo est summum bonum naturæ degentis, idest viventis ratione, idest naturæ rationalis sicut hominis : quia hominum genus vivit arte et ratione, ex *proœmio Metaphysicorum :* « Nullum enim aliorum animalium est felix, » ex *decimo Ethicorum.* « Bruta enim animantia nemo felicitabit, » *primo Ethicorum :* et talis beatitudo non consistit in bonis exterioribus, sed in actu sapientiæ : quia dicit Aristoteles in *libro Politicæ :* « Testis mihi est Deus quod in bonis exterioribus non consistit summum bonum. » Et idem : « in eisdem nos sumus felices et dii. » Dii autem non sunt felices bonis exterioribus, ergo nec homines. Nota : licet in bonis exterioribus fortuitis non consistat felicitas formaliter et essentialiter, tamen felicitas consistit in eis organice : quia deserviunt ad felicitatem veram. Sine enim rebus exterioribus quarum fortuna domina est, non contingit esse felicem, supple organice, ex libro *de bona fortuna.* Et ex *decimo Ethicorum :* Opus est exteriori prosperitate omni enti; natura enim per se non est sufficiens ad speculandum : sed oportet cibum potum et reliquum famulatum præexistere.

« Ad hæc quem caduca ista felicitas vehit etc. Hic philosophia ponit secundam rationem, quæ talis est : Ille qui qui felix est fortuita felicitate : aut scit eam mutabilem esse, aut nescit : si nescit, est ignorans, et per consequens non est felix : si scit eam esset mutabilem,

necesse est quod timeat ne eam amittat : cui autem inest continuus timor, felix esse non potest. Unde dicit in littera sic : Ad hæc, scilicet prædicta, adicio aliam rationem : Homo quem vehit, idest ducit, ista caduca, idest fortuita felicitas, vel scit eam esse mutabilem vel nescit : si nescit, quænam sors beata, idest quæ felicitas beata potest esse cæcitati ignorantiæ? quasi dicat, nulla. Si scit eam esse mutabilem, necesse est ut metuat ne amittat illud quod non dubitat posse amitti : quare continuus timor non sinit ipsum esse felicem. Et forsan diceres, homo non timet amissionem fortunæ, quia non curat utrum eam amittat vel non. Hoc excludens philosophia dicit : si amiserit bonum fortuitum, et putat illud negligendum, idest non curandum, tunc illud bonum erit valde exile, quod amissum feratur æquo animo, idest æquali animo, sicut conservatum : et per consequens illud non est summum bonum. Nota, ex tertio hujus prosa nona : Vera et perfecta felicitas facit hominem potentem, reverendum, celebrem et lætum ; ergo vera felicitas excludit timorem : et per consequens continuus timor qui excludit lætitiam, non sinit esse felicem. Unde Seneca *nona epistola* : « Ille beatissimus est et securus sui possessor, qui crastinum diem sine sollicitudine expectat. » Item nota : ex quo felicitas consistit in speculatione Dei et substantiarum separatarum, ipsa excludit cæcitatem ignorantiæ, in qua ignorantia felicitas esse non potest.

« Et quoniam tu idem es etc. » Hic philosophia ponit tertiam rationem, quæ talis est : Si beatitudo consisteret in rebus fortuitis : cum bona fortuita finiuntur morte hominis, sequitur quod omnis homo in morte fieret miser : quod non est verum ; quia multi per mortem consecuti sunt felicitatem, sicut martyres et alii sancti qui perpessi sunt maxima tormenta ut consequerentur beatitudinem in anima. Dicit ergo sic in littera : Quoniam tu idem es homo cui ego scio esse persuasum permultis, idest valde multis demonstrationibus mentes, idest animas hominum nullo modo esse mortales : Et cum sit clarum, idest manifestum, fortuitam felicitatem finiri, idest terminari morte corporis hominis, nequit, idest non potest dubitari, si hæc fortuita felicitas potest afferre, idest dare beatitudinem, quin omne genus mortalium, idest hominum, labatur in miseriam in fine mortis. Sed si scimus multos, idest sanctos quæsisse fructum beatitudinis non solum morte, verum etiam doloribus que (idest et) suppliciis : quonam modo, idest per quem modum, præsens vita, supple, bonis fortuitis ornata, potest facere beatos, quæ vita transacta, idest terminata, non efficit miseros? quasi dicat, nullo modo. Nota : cujus præsentia est causa felicitatis, ejus absentia est causa miseriæ et infelicitatis. Sicut enim nauta per sui præsentia est causa felicitatis navis : sic ejus absentia est causa periclitationis ejus, *ex secundo Physicorum*. Si ergo bona fortuita per sui præsentiam essent causa miseriæ. Cum autem in morte hominis bona fortuita relinquunt hominem fugiendo : et homo relinquat ea moriendo : omnis homo post mortem esset miser et infelix : quod falsum est : nam multi post mortem consequentur beatitudinem. Et quia forsan aliquis diceret : mortuo homine moritur et anima ejus, et sic post mortem homo nullam consequetur beatitudinem : hoc excludit philosophia dicens ad Boetium : tu es idem ille cui persuasum est multis demonstrationibus animas hominum esse immortales. Nota, quod omnes leges in hoc conveniunt quod anima intellectiva hominis sit immortalis : separatur enim ab aliis sicut perpetuum a corruptibili, ex *secundo de Anima* ; et hoc est rationabile : quia anima intellectiva immaterialis non est educta de potentia materiæ, sed ab extra, scilicet a Deo. Ipsa enim, secundum beatum Augustinum, creando infunditur, et infundendo creatur : propter quod, cum abscisio materiæ sit causa perpetuitatis, per Commentatorem *primo Cœli et mundi*, anima intellectiva immaterialis existens, ipsa est immortalis.

METRUM IV.

Quisquis volet perennem
 Cautus ponere sedem,
Stabilisque nec sonori
 Sterni flatibus Euri,

Et fluctibus minantem
 Curat spernere pontum,
Montis cacumen alti,
 Bibulas vitet arenas.
Illud protervus Auster
 Totis viribus urget :
Hæ pendulum solutæ
 Pondus ferre recusant.
Fugiens periculosam
 Sortem sedis amœnæ,
Humili domum memento
 Certus figere saxo.
Quamvis tonet ruinis
 Miscens æquora ventus,
Tu conditus quieti
 Felix robore valli,
Duces serenus ævum,
 Ridens ætheris iras.

« Quisquis volet perennem etc. » Hic incipit quartum metrum hujus secundi, quod dicitur metrum anacremicum ab inventore, iambicum a pede prædominante, dimetrum a numero pedum, catalecticum quia deest una syllaba ad complementum metri : huic metro adjungit metrum pherecratium : sic dictum ab inventore, de quo superius dictum est. In hoc ergo metro philosophia commendat vitam mediocrem per talem metaphoram : Ædificium constructum in loco nimis alto urgetur tempestatibus ventorum, et fundatum in loco arenoso defluit ; sed fundamentum in loco humili et saxoso utrumque vitat incommodum : sic vita præsens nimium elevata prosperitate vel nimium depressa adversitate frequenter eventu inopinato calamitatibus defluit, mediocris autem secura permanet. Dicit ergo in *littera :* Quisquis homo cautus volet ponere sedem perennem, idest firmam mansionem, et ipse stabilis existens, nec velit sterni, idest dejici, sonoris flatibus euri, illius venti, quisquis curat spernere pontum minantem fluctibus, idest mare fluctuans, me vitet cacumen, idest summitatem alti montis, et vitet arenas bibulas, idest siccas. Tunc assignat causam quare debeat vitari in ædificando cacumen alti montis : quia illud, scilicet cacumen alti montis, urget, idest infestat auster protervus, idest ventus impetuosus. Tunc assignat causam quare debeant vitari arenæ : quia hæc, scilicet arenæ, solutæ, idest disjunctæ per siccitatem recusant ferre, idest nolunt portare pendulum pondus, idest labile pondus. Tu ergo fugiens periculosam sortem, idest eventum, amœnæ sedis, idest amœnæ mansionis, et certus existens, memento figere, idest stabilire, domum tuam in humili saxo, idest depresso lapide, quamvis ventus miscens æquora, idest volvens maria tonet, idest sæviat ruinis, idest flatibus ruinosis, tu felix conditus roboratione, idest firmitate quieti valli, idest munitionis, et tu serenus, idest tranquillus, duces, idest ages ævum, idest vitam tuam, ridens, idest deridens, et pro nihilo habens iras, idest persecutiones ætheris, idest auræ vel venti sævientis. Nota, quod omnis virtus superfluitate corrumpitur, cum virtus consistat in medio. Est enim virtus habitus electivus in mediate consistens recta ratione determinatus ; ideo omnis superfluitas tamquam vitiosa vitanda est. Philosophia ergo docet vitare superfluam prosperitatem, quam designat per cacumen alti montis ; quæ prosperitas plerumque impugnatur invidia et potentia magnatum quæ per ventum impellentem designatur. Docet etiam vitare nimiam paupertatem quam designat bibula arena ; quæ paupertas recusat ferre indigentiam necessariorum, qui per pondus pendulum designatur. Indigentia enim gravat hominem ad modum penduli ponderis. Nota, securitas secundum Tullium in *Rhetorica sua*, est virtus incommoditates imminentes et inchoatæ rei fines non formidans : quæ securitas maxime appetenda est propter quod philosophia docet appetere vitam mediocrem quæ reddit hominem securum, secundum illud poeticum :

Medio tutissimus ibis

Et :

Tuta mage puppis est modico quæ flumine fertur.

Quam vitam mediocrem designat per humile saxum in quo ædificium impetu venti, non dejicitur, nec inundationibus tamquam bibula arena dissolvitur. Nota, quod duplex est paupertas : voluntaria et læta : alia involuntaria et tristis : prima paupertas est appetenda, secunda fugienda. De prima loquitur Seneca *in*

Epistola : « Honesta res est læta paupertas ; paupertas enim expedita secura est. » Et circa eamdem *epistolam* : — « Lucili, neque eum paupertate habere commercium ; aude contemnere opes ; nemo aliis est Deo dignus, quam qui opes contempserit. » Secunda paupertas, scilicet involuntaria et tristis, fugienda est, quia mortalis est, et ratione tristitiæ stupefacit et extinguit naturam.

PROSA V.

Sed quoniam rationum jam in te mearum fomenta descendunt, paulo validioribus utendum puto. Age enim, si jam caduca et momentaria fortunæ dona non essent, quid in eis est, quod aut vestrum unquam fieri queat, aut non perspectum consideratumque vilescat? Divitiæne vel vestri vel sui natura pretiosæ sunt? Quid earum potius, aurumne, an vis congesta pecuniæ? Atqui hæc effundendo magis quam coacervando melius nitent; siquidem avaritia semper odiosos, claros largitas facit. Quod si manere apud quemquam non potest, quod transfertur in alterum; tunc est pretiosa pecunia, cum translata in alios largiendi usu desinit possideri. At eadem si apud unum, quanta est ubique gentium, congeratur, cæteros sui inopes fecerit. Et vox quidem tota pariter multorum replet auditum; vestræ vero divitiæ, nisi comminutæ, in plures transire non possunt. Quod cum factum est, pauperes necesse est faciant, quos relinquunt. O igitur angustas inopesque divitias, quas nec habere totas pluribus licet, et ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt! An gemmarum fulgor oculos trahit? Sed si quid est in hoc splendore præcipui, gemmarum est lux illa, non hominum; quas quidem mirari homines vehementer admiror. Quid est enim carens animæ motu atque compage, quod animatæ rationabilique naturæ pulchrum esse jure videatur? Quæ tametsi conditoris opera, suique distinctione postremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infra vestram tamen excellentiam collocatæ, admirationem vestram nullo modo merebantur. An vos agrorum pulchritudo delectat? Quid ni? Est enim pulcherrimi operis pulchra portio. Sic quondam sereni maris facie gaudemus; sic cœlum, sidera, lunam solemque miramur. Num te horum aliquid attingit? num audes alicujus talium splendore gloriari? An vernis floribus ipse distingueris? aut tua in æstivos fructus intumescit ubertas? Quid inanibus gaudiis raperis? quid externa bona pro tuis amplexaris? Nunquam tua faciet esse fortuna, quæ a te natura rerum fecit aliena. Terrarum quidem fructus, animantium procul dubio debentur alimentis. Sed si, quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quod fortunæ affluentiam petas. Paucis enim minimisque natura contenta est; cujus satietatem si superfluis urgere velis, aut injucundum quod infuderis, fiet, aut noxium. Jam vero pulchrum variis fulgere vestibus putas? quarum si grata intuitu species est, aut materiæ naturam, aut ingenium mirabor artificis. An vero te longus ordo famulorum facit esse felicem? qui si vitiosi moribus sint, perniciosa domus sarcina, et ipsi domino vehementer inimica; sin vero probi, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur? Ex quibus omnibus nihil horum quæ tu in tuis computas bonis, tuum esse bonum liquido monstratur. Quibus si nihil inest appetendæ pulchritudinis, quid est quod vel amissis doleas vel lætere retentis? Quod si natura pulchra sunt, quid id tua refert? Nam hæc per se a tuis quoque opibus sequestrata placuissent. Neque enim idcirco sunt pretiosa, quod in tuas venere divitias; sed quoniam pretiosa videbantur, tuis ea divitiis annumerare maluisti. Quid autem tanto fortunæ strepitu desideratis? Fugare, credo, indigentiam copia quæritis. Atqui hoc vobis in contrarium cedit. Pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendam pretiosæ supellectilis varietatem; verumque illud est, permultis eos indigere, qui permulta possideant; contraque minimum, qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitus superfluitate metiantur. Itane autem nullum est proprium vobis atque insitum bonum, ut in externis ac sepositis rebus bona vestra quæratis? Sic rerum versa conditio est, ut divinum merito rationis animal non aliter sibi splendere, nisi inanimatæ supellectilis possessione videatur? Et alia quidem suis contenta sunt; vos autem Deo mente consimiles, ab rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captatis; nec intelligitis quantam conditori vestro faciatis injuriam. Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit; vos dignitatem vestram infra infima quæque detruditis. Nam si omne cujusque bonum, eo cujus est, constat esse pretiosius; cum vilissima rerum vestra bona esse judicatis, eisdem vosmetipsos vestra æstimatione submittitis: quod quidem haud immerito cadit. Humanæ quippe naturæ hæc conditio est, ut tum tantum cæteris rebus, cum se cognoscit, excellat; eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare, naturæ est; hominibus vero vitio venit. Quam vero late patet vester hic error, qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis! At id fieri nequit. Nam si quid ex appositis luceat, ipsa quidem quæ sunt apposita, laudantur; illud vero his tectum atque velatum in sua nihilo minus fœditate perdurat. Ego vero nego illud esse bonum, quod noceat habenti. Num id mentior? Minime, inquies. Atqui divitiæ possidentibus persæpe nocuerunt, cum pessimus quisque, eoque alieni magis avidus, quidquid usquam auri gemmarumque est, se solum qui habeat dignissimum putat. Tu igitur, qui nunc contum gladiumque sollicitus pertimescis, si vitæ hujus callem vacuus viator intrasses, coram latrone cantares. O præclara opum mortalium beatitudo, quam cum adeptus fueris, securus esse desistis!

« Sed quoniam rationum jam in te etc. » Hic incipit quinta prosa hujus libri : in qua philosophia ponit remedia moventia Boetium ad ostendendum quod bona fortunæ sunt contemnenda, et minus esse dolendum de amissione eorum. Ista autem remedia sunt rationes sumptæ ex conditione particularium bonorum fortunæ, scilicet divitiarum bonorum potestatum et gloriæ. Et primo ostendit hoc de divitiis, quod non sunt magnopere appetendæ : ponendo unam rationem generalem respicientem omnia bona fortunæ. Secundo ponit rationes de divitiis, ibi, « Divitiæ. » Primo intendit rationem. Nullus magnopere debet illud

appetere quod non potest esse suum, et quod in se consideratum est vile : sed omnia bona fortuita sunt hujusmodi, quia sunt mutabilia ; ideo non possunt esse propria hominis, et in se considerata vilescunt ; ergo etc. Unde dicit in littera : Quoniam fomenta, idest medicamenta mearum rationum, in te descendunt, quia ego video te paulatim fortunam contemnere, puto esse utendum paullo validioribus, supple, rationibus, idest magis moventibus. Age, est adverbium hortandi. Si enim dona fortunæ non essent caduca, idest casualia et momentanea, idest transitoria ad modum momenti, quid est in eis, quod unquam queat fieri vestrum, aut perpectum et in se consideratum non vilescat? quasi dicat : nihil. Nota, quod bona fortunæ sunt caduca et transitoria : quia dicit Seneca in *septuagesima sexta epistola :* « Omnia bona fortunæ nobis accidunt, sed non adhærent : et si abducantur, sine ulla nostri lacrymatione discedunt. » Ex quo patet, si mutabilia sunt, quod non sunt propria bona hominis : quia secundum eumdem Senecam : « Nihil proprium dicas, quod mutari potest. » Nota, quod bona fortuita in se considerata vilescant ; quia dicit Joannes Chrysostomus : « Bona fortunæ in seipsis veterascunt et consumuntur, aut ab extraneis dolo, vel violentia, vel calomnia diripiuntur. »

« Divitiæ ne vel vestri vel sui natura etc. » Hic philosophia ponit rationes de divitiis in speciali, quod non sunt magnopere appetendæ. Secundo probat hoc generaliter de divitiis, ibi, « Quid autem. » Prima dividitur in quinque partes, secundum quod quinque sunt genera divitiarum, quæ probat non multum esse appetenda : scilicet pecuniæ, gemmæ, possessiones, vestes et famuli. Primo ostendit propositum de pecunia. Secundo de gemmis, ibi, « An gemmarum. » Tertio de possessionibus, ibi, « An vos. » Quarto de vestibus, ibi, « Jam vero. » Quinto de famulis, ibi, « An vero. » Primo duabus rationibus probat divitias non multum esse appetendas. Secunda ibi, « An eadem. » Prima ratio talis est. Illa non sunt multum appetenda quæ nec ex sui natura, nec ex natura utentis sunt pretiosa : divitiæ sunt hujusmodi ; ergo etc. Major nota : quia nihil appetitur nisi bonum et pretiosum. Minor declaratur. Divitiæ non sunt bonæ ex sui natura, quia non faciunt bonum eum cui adveniunt : nec sunt bonæ ex parte utentis, quia non inquantum conservantur : sic enim faciunt hominem avarum ; nec inquantum distribuuntur, quia sic relinquunt hominem. Dicit enim in *littera* : Divitiæ vel sunt pretiosæ sui natura, aut natura vestri utentium eis. Et quid earum est potius, idest pretiosus? an aurum, an vis congestæ pecuniæ, idest congregatæ. Atqui (pro certe) hæc, scilicet divitiæ non sunt pretiosæ conservando eas, quia melius nitent effundendo, idest distribuendo eas quam coacervando, idest retinendo eas : siquidem avaritia quæ pecuniam coacervat semper facit homines odiosos ; et largitas quæ pecuniam effundit facit claros, idest honestos. Subdit : et si illud quod transfertur in alterum non potest manere apud quemquam, tunc est pretiosa pecunia, loquendo ironice, cum ipsa usu largiendi translata in alios desinit possideri. Notandum quod aliquid est bonum dupliciter : vel ex natura sui, vel ex natura utentis. Illud dicitur bonum ex natura sui, quod a se vel in se habet unde sit bonum, et cuicumque advenit facit ipsum bonum ; sicut ratio recta, pax et similia. Sed illud dicitur bonum ex parte utentis, quo si aliquis convenienter utatur, aliquid boni inde provenit. Unde nota secundum beatum Bernardum : « Solus error hominum facit quod aurum et argentum reputantur pretiosa cum sint nisi terra rubea et alba. » Nota, quod Seneca, *octogesima octava epistola,* probans divitias non esse bonas, sic arguit : « Quod bonum est bonos facit : divitiæ non faciunt bonos ; ergo divitiæ bonæ non sunt. » Item illud quod potest contingere contemptissimo et turpissimo, bonum non est : divitiæ autem et lenoni et lanistæ contingunt ; ergo bonæ non sunt. Item bonum ex malo non fit : divitiæ autem fiunt ex avaritia quæ mala est ; ergo bonæ non sunt.

« At eadem si apud unum etc. » Hic

ponit secundam rationem, quæ talis est. Illæ non sunt multum appetendæ quæ a pluribus non possunt possideri, et non transeunt ad alium sine paupertate aliorum : divitiæ sunt hujusmodi ; ergo etc. Unde dicit in littera : Si eadem pecunia quanta est ubique gentium, idest apud omnes gentes, si illa congeratur apud unum hominem, ipsa faceret ceteros homines inopes sui, idest carentes : et una vox pariter tota, idest similiter replet auditum multorum : divitiæ autem non possunt transire in plures nisi comminutæ, idest divisæ in partes : quod cum factum est, scilicet quod comminutæ transeunt in alios, necesse ut illas faciant pauperes quos relinquunt. Et tunc exclamat contra divitias dicens : O igitur, supple, dico, divitias esse angustas, idest arctas, quæ (pro et) inopes, quas non licet pluribus habere totas, et quæ non veniunt ad quemlibet sine paupertate ceterorum, idest aliorum hominum. Nota, quod divitiæ non veniunt ad quemlibet sine aliorum paupertate ; quia dicit Seneca in libro de *Remediis* : « Pecuniam perdidisti, quam ut haberes alius ante te perdidit ; perdidisti pecuniam, habes uno periculo minus tu : te felicem si cum illa avaritiam perdidisti. » Et idem *octogesima octava epistola* dicit : « Divitiæ animos inflant, superbiam pariunt, invidiam contrahunt, mentem alienant, timorem inducunt, insolentiam faciunt. » Nihil autem aliud insolentia est quam spes falsæ magnitudinis ; ergo divitiæ bonæ non sunt.

« An gemmarum fulgor oculos trahit etc. » Hic ostendit philosophia quod gemmæ non sunt appetendæ tamquam proprium bonum hominis, intendens talem rationem. Quicquid bonitatis vel pretiositatis est in gemmis, hoc consistit in luce et splendore gemmarum : sed lux gemmarum non est proprium bonum hominis, sed est bonum ipsarum gemmarum ; ergo etc. Unde dicit in *littera* : An fulgor gemmarum trahit oculos hominum, supple, ad concupiscendum eas tamquam proprium bonum : sed si quid est præcipui, idest pretiositatis in hoc splendore, illa lux est gemmarum et non hominum : quas quidem gemmas vehementer admirari homines mirari, idest mirando desiderare tamquam bonum suum. Quid enim est carens motu animæ atque compage, idest conjunctione membrorum ? quasi dicat : quid recipitur in rebus inanimatis quod jure videtur, idest videri debeat esse pulchrum rei animatæ, quæ (pro et) rationabili naturæ ? quasi dicat, nihil. Quæ gemmæ tametsi (pro quamvis) trahunt, idest recipiant aliquid postremæ pulchritudinis opera, idest diligentia conditoris quæ (pro et) sui distinctione, idest specifica formatione : tamen ipsæ collocatæ infra veram excellentiam, idest dignitatem, nullo modo merebantur vestram admirationem. Nota, quod non est gloriandum de gemmis tamquam de proprio bono : quia dicit Seneca *in quadragesima prima epistola*. Nemo gloriari debet nisi de suo. Quid enim est stultius, quam in homine aliena laudare ? quid est eo dementius qui ea miratur quæ ad alium transferri protinus possunt ; non faciunt equum meliorem aurei freni. Nota, quod quadruplex est pulchritudo. Prima est animalium rationalium ; secunda est brutorum sensibilium ; tertia plantarum vegetabilium ; quarta est rerum inanimatarum, in quo genere gemmæ collocantur. Propter quod dicit philosophia : si gemmæ trahunt aliquid postremæ pulchritudinis, idest ultimæ pulchritudinis.

« An vos agrorum pulchritudo etc. » Hic probat philosophia idem de possessionibus, sicut de agris : et intendit hanc sententiam. Bonitas agrorum vel consistit in pulchritudine eorum quæ delectant aspectum : et talis pulchritudo non magis est ipsius hominis, quam pulchritudo florum vel stellarum, quæ etiam delectant aspectum hominis, et tamen nihil ad hominem pulchritudo istorum. Vel bonitas agrorum consistit in utilitate eorum quæ est ad sustentationem hominis ; sed hæc possessio agrorum non est multum appetenda ut sit ampla, quia natura paucis est contenta. Unde dicit in *littera* : An pulchritudo agrorum delectat vos ut gaudeatis de ea tamquam de bono vestro ? et dicit Boetius : qui ni, idest quare non delectaret ? est enim pulchra

portio operis pulcherrimi, idest mundi. Sic nos gaudemus facie, idest aspectu, maris sereni, idest tranquilli : sic, idest eadem ratione miramur cœlum sidera solem, que (pro et) lunam. Respondit philosophia : Num, idest numquid, aliquid horum attingit te tamquam proprium? quasi dicat : non. Numquid audes gloriari splendore alicujus talium tamquam tuo? quasi dicat : non. Numquid tuipse distingueris, idest ornaris vernis floribus? quasi dicat : certe non. Numquid tua ubertas, idest fertilitas intumescit, idest superbit in æstivos fructus, idest per æstivos fructus? quasi dicat : non. Quid raperis, idest circumdaris inanibus gaudiis, supple, reputando ista esse tua bona? quid amplexaris externa bona pro tuis? quasi dicat : frustra hoc facis ; quia fortuna numquam faciet esse tua, quæ natura rerum ante fecit esse aliena. Tunc dicit philosophia : non nego quin ista possint tibi esse utilia : fructus enim terrarum procul dubio debentur alimentis animantium, idest animalibus pro alimentis : sed si velis replere indigentiam naturæ, quod satis est, idest ad sufficientiam ; nihil est, idest non oportet quod petas, idest desideres affluentiam fortunæ, supple, ad dilatandum et ampliandum agros : natura enim paucis contenta est : cujus satietatem si velis urgere, idest cogere superfluis, supple, cibis et potibus, illud quod infuderis ventri superfluum, aut fiet injucundum, idest triste, aut fiet noxium, idest periculosum. Nota, quod ex littera potest formari talis ratio : Si illud quod videtur magis inesse non inest ; nec illud quod minus. Sed magis videtur quod homo debet gloriari de pulchritudine cœli et stellarum ; et non debet, quia nihil horum est suum ; ergo minus debet gloriari de pulchritudine agrorum et aliarum possessionum. Nota, quod natura non est oneranda superfluis, sed est alenda paucis, quia paucis contenta est. Unde Seneca *in decimasexta* epistola : « Si ad naturam vixeris, numquam eris pauper : si ad opinionem, numquam eris dives. Exiguum natura desiderat, opinio vero immensum. » Et beatus Augustinus dicit : « Sumenda sunt alimenta tamquam medicamenta. » Et Gregorius : « Dum venter nimia satietate extenditur, aculeus libidinis suscitatur. » Nota, quod Aristoteles in *quadam epistola ad Alexandrum* dicit : « Qui transgreditur debitum modum in pleno et in vacuo, non poterit evadere furorem ægritudinis et molestias infirmitatum. Qui ergo appetit vivere et dominari, renuntiet desiderio propriæ voluptatis : nec comestionem comestioni superaddat, quia omnis incontinens voluntarie est ægrotans, » in *secundo Ethicorum.*» Et subdit : « Audivi ab Hypocrate, quod conservavit diætas pro quibus debilitatem corporis sustinebat. Cui dixit suus discipulus : Doctor egregie si velles bene comedere, non sustineres tantam corporis debilitatem. Cui respondit Hypocrates : Ego comedo ut vivam, non vivo ut comedam. » Unde dicit Aristoteles ibidem : « Alimentum propter durabilitatem est quærendum : non durabilitas propter alimentum.» Subdit : « Multos novi qui diminuerunt de alimento et comestione abstinentes a suis appetitibus et parcentes gulæ, viventes temperate per diætas, qui fuerunt sanissimi corporis longioris vitæ et boni appetitus. »

« Jam vero etc. » Hic philosophia ostendit, quod non sit gaudendum de pulchritudine vestium tamquam de proprio bono : et arguit sic. De illius pulchritudine non est gaudendum quæ non est hominis pulchritudo. Sed pulchritudo vestium non est hominis pulchritudo, sed est ipsarum vestium : igitur etc. Unde dicit in littera : Jam putas pulchrum esse, idest tuæ pulchritudini ascribendum fulgere variis vestibus : quasi dicat : non debes hoc putare. Quarum, scilicet vestium, si species, idest pulchritudo est grata, idest delectabilis intuitu, ego mirabor naturam materiæ vestium, aut mirabor ingenium, idest subtilitatem artificis vestem formantis, nihil ascribendo tibi. Nota, quod splendor habitus exterioris non facit hominem meliorem, nisi fulgeat habitus mentis interior in eo : unde Seneca : « Nullus dicit gladium esse bonum si balteus ejus deauratus est, et vagina gemmis distincta : sed gladius bonus est qui bene incidit et bonum acu-

nem habet, et minus bonus est qui omne munimen superius est. » Unde sunt versus :

> [illegible]
> Non ideo sequitur [illegible] minus esse [illegible].

Item poeta inquit :

> Cinge caput lauro, tege corpus [illegible] et auro,
> Si fueris [illegible] commendat [illegible] idem.

« An vero longus ordo famulorum facit etc. » Hic philosophia ostendit non esse gloriandum de multitudine famulorum tanquam de proprio bono, et arguit sic : Famuli aut sunt perversi in moribus, et sic sunt nocivi ; aut sunt bene morigerati, tunc nihil ad te, quia hæc probitas est famulorum et non tua. Unde dicit in littera : An vero longus ordo famulorum facit esse felicem ? Qui, scilicet famuli, si sint vitiosi moribus, tunc sunt perniciosa sarcina, idest periculosum pondus ipsius domus, et sunt vehementer inimica sarcina ipsi domino ; si vero sint probi, quonam modo, idest per quem modum, aliena probitas numerabitur, idest computabitur in tuis opibus ? quasi dicat : nullo modo. Et tunc concludit de omnibus prædictis dicens : Ex quibus omnibus prædictis monstratur liquido, idest aperte, nihil horum esse bonum tuum, quæ tu computas in tuis bonis : quibus si nihil inest appetendæ pulchritudinis, supple, quæ tibi ascribi poterit, quid est, idest quare est quod tantum doleas de amissis, vel læteris retentis ? Quod (pro sed) si prædicta sunt pulchra natura, idest propter naturam propriam, quid refert id tua, idest quid pertinet hoc ad te ? quasi dicat : nihil. Nam hæc sequestrata, idest divisa a tuis opibus per se placuissent. Non enim idcirco sunt pretiosa quod in tuas venere divitias ; sed quoniam tibi videbantur pretiosa, ideo maluisti ea annumerare tuis divitiis. Nota, quod servi perversi in moribus sunt familiares inimici domini et totius domus ; de quibus postea dicetur *tertio libro hujus quinta prosa* : « Non est pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus ; et si videntur aliquando amici, hoc est ratione utilitatis, non ratione virtutis. » De quibus loquitur Seneca in libro de *Remediis dicens* : « Mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ, prædam sequitur ista turba, non hominem. » Item Seneca dicit in *quadragesima prima epistola* : « In homine illud laudandum est quod ipsius est : si familiam formosam habet et domum pulchram, si multum serit, si multum feneratur, nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in illo quod proprium est, quod nec auferri nec eripi potest. »

« Quid autem tanto fortunæ strepitu etc. » Hic philosophia ostendit generaliter divitias non esse appetendas magnopere. Et facit hoc tribus rationibus. Secundam ponit ibi, « Ita ne. » Tertiam ibi, « Ego vero nego. » Prima ratio est ista : Illa non sunt multum appetenda per quæ homo non consequitur ea propter quæ appetuntur. Sed per divitias homo non consequitur ea propter quæ divitiæ appetuntur ; appetuntur enim divitiæ propter fugam indigentiæ, quam fugam indigentiæ homo non consequitur per divitias, sicut declarat in littera dicens : Quid autem tanto strepitu, idest labore desideratis, idest cum desiderio insistitis fortunæ ? Credo vos quæritis fugare indigentiam copia, idest divitiis : quasi dicat : ideo desideratis divitias ut suppleatis vestram indigentiam : sed hoc cedit vobis in contrarium : quia pluribus adminiculis, idest adjutoriis, est opus ad tuendam varietatem pretiosæ supellectilis, idest possessionis, verumque illud est, permultis eos indigere qui permulta possident ; et etiam contra, idest per contrarium, illi minimo indigent qui metiantur, idest mensurant suam abundantiam non superfluitate ambitus, idest cupiditatis, sed necessitate naturæ. Nota, secundum Senecam, permultis indigent qui permulta possident ; propter quod multæ divitiæ non fugant indigentiam, sed magis excitant ; unde Poeta :

> Nulla dari ratione potestis, avari
> Vos faciunt inopes quas cumulatis opes.

Nota, circa hoc quod dicit : nimium

indigent, dicit Seneca in *sexagesima secunda epistola :* « Taurus paucissimorum jugerum pascuis impletur, et una silva pluribus elephantibus sufficit : homo terra pascitur et mari. Quid igitur tam insatiabilem ventrem natura dedit nobis, cum tam modica corpora nobis dederit, ut vastissimorum edacissimorumque animalium aviditatem vinceremus? quantulum enim est quod naturæ datur? Parvo illa educatur. Non fames nostri ventris nobis magno constat, sed ambitio ; ventri autem obedientes loco animalium numeremur non hominum. »

« Ita ne autem nullum etc. » Hic ponit secundam rationem. Secundo concludit manifestum errorem hominum, ibi, « Quam vero late. » Et ratio talis est. Illa non sunt appetenda quibus appetitis homo putans se talibus ornari facit injuriam suo creatori : sed bona exteriora, sicut divitiæ, sunt hujusmodi, ut declarat in littera ; ergo etc. Et dicit : O homines, numquid nullum bonum est proprium atque insitum, idest naturale et intrinsecum vobis, ita ut quæratis bona vestra, in externis rebus, idest in extrinsecis rebus et in rebus sepositis, idest a vobis seorsum positis? quasi dicat : immo in vobis est bonum si considerare vultis : sed sic est versa, idest mutata conditio rerum ut animal divinum, scilicet homo, quod est similis Deo, non aliter videatur sibi splendere nisi in possessione suppellectilis inanimatæ, idest bonorum exteriorum quæ sunt inanimata. Et alia quidem ab homine contenta sunt suis bonis ; vos autem homines Deo consimiles mente captatis, idest quæritis ornamenta vestræ excellentis naturæ a rebus infimis, scilicet inanimatis, quod erroneum est ; nec intelligitis quantam injuriam faciatis vestro conditori, supple, pervertendo ordinem ab eo institutum. Ille enim conditor voluit humanum genus præstare, idest præcellere omnibus terrenis ; sed vos detruditis vestram dignitatem infra quæque rerum infima. Quod probatur ex hoc. Nam omne bonum est pretiosius eo cujus est bonum. Cum vos judicatis vilissima rerum, sicut sunt dona fortunæ, esse vestra bona, vos submittitis, idest subjicitis vosmetipsos eisdem, vestra existimatione, idest opinione. Et hoc non immerito cadit, idest accidit homini. Nam illa est conditio humanæ naturæ, quod tum, idest tunc tantum excellat ceteris rebus cum se cognoscit ; eadem tamen natura humana redigatur infra bestias si desierit se nosse. Nam ceteris animantibus natura est ignorare sese ; sed hominibus venit, idest provenit ex vitio. Nota, quod homini est insitum proprium bonum quod est recta ratio, quæ semper deprecatur ad optima, idest cujus actu et speculatione consistit felicitas, quia sapiens maxime est felix, in *decimo Ethicorum :* et homo curans intellectum Deo amantissimus videtur, ibidem ; ideo non est quærendum bonum hominibus in rebus externis. Nota, quod homo mente et ratione est similis Deo, quia secundum Senecam : « Ratio nihil aliud est quam pars divini spiritus, mersa in corpus humanum. » Et dicit idem quod animus rectus est quasi Deus in humano corpore hospitatus. Et idem dicit. « Disce potius animum extollere in immensum ; nobilis enim et generosa res est. » Nota, quod homo seipsum ignorans deterior est bestia. Unde Boetius in tractatu de *Summo bono* allegans commentatorem dicit : « Væ vobis hominibus qui de numero bestiarum computati estis, divinum quod in vobis est non cognoscentes, propter quod ad superiora ascenditis, et Deo similes estis. » Et subdit : « Divinum autem in homine vocat intellectum et rationem. » Nota, quod nihil prohibet unum et idem esse nobilius et ignobilius, quod diversificatur secundum conditionem seu considerationem. Unde quamvis homo secundum se et simpliciter sit nobilior bestiis, tamen inquantum deficit ab aliquo quod sibi debetur secundum naturam, scilicet cognoscere se, quod non debetur bestiis, sic est ignobilior bestia.

« Quam vero late patet etc. » Hic philosophia concludit manifestum errorem hominum, dicens : O homines, quam late patet, videtur error! qui existimatis aliquid posse ornari ornamentis alienis, sed illud fieri nequit. Nam si aliquid luceat ex appositis sibi et non ex pulchri-

turpitudine propria. Tunc apposita illa laudantur; sed illud quod est velatum et tectum appositis illis, illud nihilominus perdurat, idest perseverat in sua foeditate, idest turpitudine. Nota: si aliquid est foetidum in se, ejus foeditas non tollitur per ornatum extrinsecum: unde dicit Poeta:

Aurea nobilitas lateat si vestiat illam,
Non ideo sequitur hanc minus esse lutum.

Et quidam clericus respondens mulieri quaerenti utrum esset pulchra, dixit: O domina, pulchra sunt tibi appensa.

« Ego vero nego illud esse bonum etc. » Hic ponit tertiam rationem, quæ talis est. Illud non est multum appetendum quod nocet possidenti: sed divitiæ sæpe nocuerunt possidentibus: quod declarat ex duobus. Primo quia divitiæ faciunt possidentes de se falsa opinari vel existimare. Secundo quia faciunt possidentes amissa securitate timere: unde dicit in littera: Ego philosophia nego illud esse bonum quod nocet habenti. Num id mentior? inquies, minime. Atqui (pro certe) divitiæ persæpe nocuerunt possidentibus, quia quisque homo eo quod ipse est avidus magis alieni æris, ipse putat illum hominem solum dignissimum qui habet, idest possidet, quidquid usquam est auri et gemmarum. Tu igitur homo qui in divitiis constitutus nunc pertimescis gladium que (pro et) contum, si intrasses callem, idest semitam hujus vitæ, tamquam viator vacuus coram latrone securus cantares. Tunc invehitur contra divitias. O præclara beatitudo opum mortalium! et loquitur ironice: quasi dicat: minime præclara; quam tu homo cum adeptus fueris, securus esse desisti. Nota: divitiæ nocent habenti: unde Aristoteles in *Ethicis* dicit: « Talem quidem errorem habent bona quod multa contingunt detrimenta ex ipsis, multi enim propter divitias perierunt. » Nota, quod mali tantum divites reputant esse dignos: unde dicit Ambrosius: « Ita inoleverunt mores hominum in admiratione divitiarum, ut nemo nisi dives putetur dignus. » Nota: divitiæ non reddunt hominem securum: unde Juvenalis poeta:

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumque timebis
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Et Seneca in *decimaquarta epistola dicit*: « Nudum latro transmittit etiam in obsessa via; pauperi pax est; » *et septuagesima quarta epistola* dicit: « Quisquis se multum fortunæ dedit, ingentem sibi materiam perturbationis fecit. Una hæc via est ad tuta vadendi: externa despicere et honesto contentum esse. »

METRUM V.

Felix nimium prior ætas
Contenta fidelibus arvis
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.
Non Bacchica munera norat
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miscere veneno.
Somnos dabat herba salubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altissima pinus.
Nondum maris alta secabat,
Nec mercibus undique lectis
Nova litora viderat hospes.
Tunc classica sæva tacebant,
Odiis neque fusus acerbis
Cruor horrida tinxerat arva.
Quid enim furor hosticus ulla
Vellet prior arma movere,
Cum vulnera sæva videret,
Nec præmia sanguinis ulla?
Utinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos!
Sed sævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.
Heu, quis primus fuit ille
Auri qui pondera tecti,
Gemmasque latere volentes,
Pretiosa pericula fodit?

« Felix nimium prior etc. » Hic incipit quintum metrum hujus secundi libri, quod dicitur pentaticum ab inventore, anapesticum a pede prædominante; et est dimetrum, quia quatuor pedum: nam duo pedes unum metrum constituunt: et est catalecticum, quia in quarto pede una syllaba deficit ad complementum metri. In quo metro philosophia commendat primam ætatem quæ erat sine cupiditate divitiarum, deplangendo

præsentem ætatem in qua dominatur et regnat avaritia. Primo ergo commendat ætatem antiquorum. Secundo nostram ætatem deplangit, ibi, « Utinam modo. » Primo dicit : prior ætas nimium felix fuit contenta fidelibus arvis, idest fideli agricultura ; nec fuit perdita, idest depravata, inerti luxu, idest gravi superfluitate ; quæ ætas solebat solvere, idest removere, sera, idest tarda jejunia facili glande, idest vili fructu, nec ita illa ætas norat, idest noverat, confundere idest miscere bacchica munera, idest vina, liquido melle ad faciendum mellicratum, sicut modo it ; nec etiam noverat miscere, idest intingere, lucida vellera, idest albam lanam, Serum, idest illorum populorum, tyrio veneno, idest sanguine conchiliorum, quorum copia apud Tyrum invenitur, ad faciendum purpureum colorem. Herba dabat eis salubres somnos : non enim dormiebant in lectis eburneis, sed in herbis ; et lubricus amnis, idest labilis aqua dabat eis potum ; et pinus illa arbor altissima dabat eis umbras, idest umbrosas habitationes ; non enim in domibus et in curiosis ædificiis habitabant. Nondum hospes aliquis existens secabat, idest dividebat navigando, alta, idest profunda maris, quia adhuc non erat usus navium ; nec mercibus undique lectis, idest collectis, viderat nova littora, idest alienas terras, quia manebant in patria. Tunc in illa ætate tacebant sæva classica, idest tubæ, vel cornua vocantia homines ad bellum ; dicta classica a calo quod est voco : neque cruor fusus acerbis odiis tinxerat, idest madidaverat horrida arma, quia tunc non erat usus armorum. Quid enim, idest propter quid hosticus furor vellet prior arma movere cum videret sæva vulnera, nec videret ulla præmia sanguinis, quia nihil erat pro quo pugnarent. Nota, circa hoc quod dicit, prior æstas : quatuor ætates distinguuntur secundum poetas. In prima fuerunt homines boni et simplices paucis contenti, qui comedebant glandes, bibebant aquam, non colebant vineas ; hanc ætatem vocabant poetæ auream, et erat sub Saturno, de qua Boetius loquitur in littera. Secunda ætas dicebatur argentea, quæ erat sub Jove, cum homines magis astuti invenerunt agriculturam et ceperunt inhabitare domos et plantare vineas. Tertiam ætatem vocabant æneam, in qua homines propter propriam curam rerum ceperunt alios depellere, et se aliqualiter malitiæ dare. Quartam ætatem vocabant ferream, quando intantum abundabat malitia et avaritia hominum, quod nec fides nec justitia mansit in terra ; in qua ætate nos sumus, quam in fine Boetius deplangit. Nota, circa hoc quod dicit, inerti luxu, quod inertia et otium sunt causa luxuriæ : unde Poeta :

Otia si tollas, periere cupidinis arcus.

Item Horatius :

Quæritur Ægystus quare sit factus adulter ?
In promptu causa est : desidiosus erat.

Est autem triplex luxuria, ex libro de *Scholarium disciplina* : quædam consistit in coitu, quædam in crapula, et quædam in vestitu : et quælibet est fugienda. Nota, circa hoc quod dicit, lucida vellera Serum, Seres sunt quidam homines apud quos contexitur lana de arboribus : fila ergo quæ a vermibus qui dicuntur bombyces operantur, illa vocat Boetius lucida vellera. Nota, quod tyrus est vermis venenosus in cujus sanguine intingitur purpura. Alii dicunt quod sit genus conchiliorum in quorum sanguine intingitur purpura ; quorum conchiliorum copia invenitur apud Tyrum in insula.

« Utinam modo nostra redirent etc. » Hic philosophia deplangit præsentem ætatem dicens : Utinam nostra tempora, idest conditiones nostri temporis redirent modo, idest redigerentur in priscos mores, idest in mores antiquos ! sed heu non est ita : sed amor, idest desiderium habendi, fervens sævior, idest periculosior, ignibus Ætnæ, illius montis, ardet. Heu qui fuit ille qui primus fodit, idest effodit, pondera tecti auri, idest absconditi ; et effodit gemmas volentes latere ! quæ sunt pretiosa pericula, quia multi propter eorum pretiositatem pericula incidunt. Nota : Seneca in libro *de Divisione scientiarum*, commendans priorem

ætatem dicit : « O felix prior ætas quæ tot protulit sapientes quibus velut stellis fulgentibus mundi tenebras irradiavit ! sed heu nunc alii terrenis curis inserviunt ; alii temporalis dignitatis ambitione inardescunt ; omnes vero circa studium sapientiæ elanguescunt. » Nota, quod Etna est mons Siciliæ qui frequenter ignibus inardescit, ad cujus similitudinem habet se avaritia et cupiditas hominum, quæ insatiabilis nunquam penitus extinguitur ; unde Tullius in libro *de Finibus bonorum et malorum*, dicit : « Cupiditates hominum sunt insatiabiles ; quæ non modo singulares, sed universas familias evertunt. Ex cupiditatibus enim odia seditiones discordiæ bella nascuntur, ex quibus vitam amarissimam necesse est effici. »

PROSA VI

Quid autem de dignitatibus potentiaque disseram, quas vos veræ dignitatis ac potestatis inscii cælo exæquatis? Quæ si in improbissimum quemque ceciderunt, quæ incendia flammis Ætnæ eructantibus, quod diluvium tantas strages dederint? Certe, uti meminisse te arbitror, consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam consulum vestri veteres abolere cupierunt; qui ob eamdem superbiam prius regium de civitate nomen abstulerant. At, si quando, quod perrarum est, probis deferantur, quid in eis aliud, quam probitas utentium, placet? Ita fit, ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat. Quæ vero est ista vestra expetibilis ac præclara potentia? Nonne, o terrena animalia, consideratis, quibus præsidere videamini? Nam si inter mures videres unum aliquem jus sibi ac potestatem præ cæteris vindicantem, quanto movereris cachinno! Quid vero, si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas, quos sæpe muscularum quoque vel morsus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus? Quo vero quisquam jus aliquod in quempiam, nisi in solum corpus, et quod infra corpus est, fortunam loquor, possit exserere? Num quidquam libero imperabis animo? Num mentem firma sibi ratione cohærentem de statu propriæ quietis amovebis? Cum liberum quemdam virum suppliciis se tyrannus adacturum putaret, ut adversus se factæ conjurationis conscios proderet, linguam ille momordit atque abscidit, et in ora tyranni sævientis abjecit : ita cruciatus quos putabat tyrannus materiam crudelitatis, vir sapiens fecit esse virtutis. Quid autem est quod in alium quisquam facere possit, quod sustinere ab alio ipse non possit? Busiridem accipimus necare hospites solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum. Regulus plures Pœnorum bello captos in vincula conjecerat : sed mox ipse victorum catenis manus præbuit. Ullamne igitur ejus hominis potentiam putas, qui quod ipse in alio potest, ne id in se alter valeat, efficere non possit? Ad hæc, si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprii boni, nunquam pessimis provenirent. Neque enim sibi solent adversa sociari. Natura respuit ut contraria quæque jungantur. Ita cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non est, illud etiam liquet, natura sui bona non esse quæ se pessimis hærere patiantur. Quod quidem de cunctis fortunæ muneribus dignius existimari potest, quæ ad improbissimum quemque uberiora perveniunt. De quibus etiam illud considerandum puto, quod nemo dubitat esse fortem cui fortitudinem inesse conspexerit : et cuicumque velocitas adest, manifestum est esse velocem. Sic musica quidem musicos, medicina medicos, rhetorica rhetores facit. Agit enim cujusque rei natura quod proprium est : nec contrariarum rerum miscetur effectibus ; sed ultro quæ sunt adversa depellit. Atqui nec opes inexpletam restinguere avaritiam queunt : nec potestas sui compotem fecerit quem vitiosæ libidines insolubilibus adstrictum retinent catenis. Et collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius, et ostentat indignos. Cur ita provenit? Gaudetis enim res sese aliter habentes falsis compellare nominibus, quæ facile ipsarum rerum redarguuntur effectu : itaque nec illæ divitiæ, nec illa potentia, nec hæc dignitas jure appellari potest. Postremo idem de tota fortuna concludere licet, in qua nihil expetendum, nihil nativæ bonitatis inesse manifestum est : quæ nec se bonis semper adjungit, et bonos quibus fuerit adjuncta non efficit.

« Quid autem de dignitatibus etc. » Hæc est sexta prosa hujus secundi libri ; in qua philosophia ostendit quod dignitates et potestates non sunt magnopere appetendæ. Et primo probat intentum de dignitate et potestate simul. Secundo de potestate divisim, ibi, « Quæ vero. » Tertio iterato simul de dignitate et potestate, ibi, « Ad hæc. » Primo intendit rationem talem : Illa non sunt multum appetenda quæ cum adveniunt malis faciunt deteriores, et bonos non efficiunt meliores. Sed dignitates et potestates hujusmodi sunt, sicut declarat in littera : igitur etc. Unde dicit sic : **Quid disseram, idest dicam de dignitatibus, que (pro et) potentia quas vos inscii, idest** ignari veræ dignitatis et potestatis **exæquatis, idest assimilatis cœlo, idest summo** bono? quæ si **ceciderint** in **quemquam improbissimum, idest vitiosissimum,** quæ incendia Etnæ illius montis **dederint tantas strages, idest pericula flammis eructantibus, idest exeuntibus ; et quod diluvium dederit tantas strages, sicut illi mali quibus adveniunt dignitates? quasi dicat : plura mala proveniunt** ex dignitatibus et potestatibus malorum quam ex incendio ignis vel diluvio fluvii. **Et subdit philosophia : uti (pro sicut) arbitror te meminisse, vestri veteres,**

idest antiquiores romani, cupierunt abolere, idest delere imperium consulare, idest dignitatem consularem propter superbiam consulum, quod imperium consulare fuerat principium libertatis, quia romani liberius vivebant sub consulibus quam sub regibus : qui romani etiam prius abstulerant de civitate nomen regium propter eamdem superbiam, scilicet regum. Ex quo patet quod dignitates faciunt malos deteriores. Si autem potestates et dignitates deferantur probis, quod perrarum est, quid in eis aliud placet, dignitatibus, quam probitas utentium? quasi dicat : nihil. Ita fit, idest propter hoc fit ut virtutibus non accedat honor ex dignitate ; sed honor accedit dignitatibus ex virtute utentium eis ; et ita dignitates nihil boni adjiciunt ipsis bonis. Nota : duplex est dignitas et potestas : quædam mundana sive temporalis, quæ consistit in bonis temporalibus exterioribus ; et in tali non consistit vera felicitas, cum sit respersa multis amaritudinibus. Alia est dignitas et potestas animæ sive spiritualis, quæ consistit in scientiis et virtutibus ; et illa non potest superari vitio, nec adversitatibus nec prosperitatibus ; in quo consistit beatitudo et beata vita. Unde Ambrosius in libro *de Officiis dicit :* « Dico beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, in suavitate conscientiæ et in virtutis sublimitate. » Nota, quod inscii dignitates et potestates mundanas adæquant cœlo, quia non recte judicant : judicant enim secundum concupiscentiam et non secundum rei veritatem ; imperiti enim velut a longe distantes a veritate speculantur, *primo Elenchorum.* Nota, quod mali dignitatibus et potestatibus præditi plus nocent quam ignis vel diluvium aquarum ; quia mali dignitate sua et potestate extolluntur in superbiam alios jugo servitutis opprimendo : pro quo exequendo moventur bella quibus humanum genus plus offenditur quam igne vel diluvio. Nota, quod civitas romana a tempore Romuli sui conditoris a regibus erat gubernata : postea romani, exigente malitia et superbia regum, ipsos deleverunt et consules instituerunt, qui etiam propter eorum superbiam erant abjecti. Ex quo patet quod dignitas et potestas malorum eos effecit pejores. Nota, quod honor non debetur alicui ratione dignitatis, sed potius ratione virtutis. Unde Aristoteles *in quarto Ethicorum :* « Non erit utique dignus honore pravus existens ; virtutis enim præmium honor est. » Unde secundum veritatem solus bonus est honorandus.

« Quæ vero est ista vestra etc. » Hic probat specialiter de potestate, quod non sit multum appetenda, duabus rationibus. Secunda ibi, « Quid autem est. » Ratio talis est : Illa potestas non est multum appetenda quæ non est magnæ et fortis reputationis, sed tantum est fragilis et imbecillis : sed potestas temporalis est hujusmodi, quia per eam homo non potest supra animam, sed tantum supra corpus, et super ea bona quæ corporis sunt : humano autem corpore nihil est imbecillius. Dicit ergo in littera : Quæ est ista vestra expetibilis, idest desiderabilis, ac præclara, idest nobilis potentia? quasi dicat : nulla est. Nonne consideratis terrena animalia quibus videamini præsidere, idest præesse? si enim inter mures videres unum præ ceteris, sibi vendicantem, idest usurpantem, jus ac potestatem super alios mures, o quanto cachinno, idest risu tu movereris! quia derisibile esset. Et talis est potestas terrena ; scilicet derisibilis quæ non extendit se nisi ad corpus. Quid vero si tu spectes, idest consideres corpus, imbecillius, idest debilius homine? quasi dicat : nihil. Quos homines sæpe necat, idest interficit morsus muscularum, idest parvorum vermium, vel etiam introitus in secreta, idest in interiora hominis, quæque reptantium, idest serpentium. Quo vero, idest quomodo quisquam possit exercere jus aliquod in quempiam nisi in solum corpus et in fortunam, idest in bona fortunæ quæ sunt infra corpus? quasi dicat : nullo modo. Numquid tu unquam imperabis libero animo? quasi dicat : non. Numquid tu amovebis de statu propriæ quietis mentem sibi firma ratione cohærentem? quasi dicat : non. Et hoc probat exemplo cujusdam philosophi qui nullis tormentis ad hoc potuit compelli ut illud faceret quod ratio natu-

ralis judicabat non faciendum : unde dicit : Cum quidam tyrannus putaret se adacturum, idest compulsurum suppliciis quemdam liberum virum, idest philosophum, ut ipse proderet conscios factæ conjurationis adversum se, ille liber homo linguam momordit atque abscidit, et abjecit eam in os, idest in faciem sævientis tyranni. Ita illos cruciatus quos tyrannus putabat esse materiam, idest causam crudelitatis, vir sapiens fecit esse materiam virtutis, quia hoc pro virtute non pro crudelitate ei reputatum est. Nota, quod muscula est diminutivum hujus nominis musca : et per musculam dat intelligere quæcumque animalia venenosa vel vermes venenosos. Et ab isto loco recepit Auctor florum cum dixit : debilius quid sit mare quod noco muscula perdit? Nota, quod animus hominis liber est, et cogi non potest : unde Seneca : « Errat siquis servitutem credit transire in totum hominem : non enim transit in animam, quia libertas est animæ. » Nota, quod homo liber et constans nullis suppliciis vinci potest : quia dicit Seneca in libro de *Clementia* : « Magni animi proprium est placidum esse, et tranquillum, et injurias et offensiones superbiæ despicere. » Et *vigesima octava* epistola : « Triginta tyranni Socratem circumsteterunt, nec potuerunt animum ejus infringere. »

« Quid autem est etc. » Hic philosophia ponit secundam rationem, quæ est talis : Illa potestas non est multum appetenda, per quam nemo potest facere quod alius non possit in ipsum quod ipse potest in alium : sed potestas temporalis est hujusmodi, sicut in littera declarat ponens duo exempla de Busiride et Regulo. Primum exemplum est de Busiride. Busirides fuit filius Neptuni ex matre Libyæ, qui hospites suos mactabat. Hercules autem apud ipsum hospitatus ipsum e contra mactabat. Secundum exemplum est de Regulo. Regulus fuit consul romanus, qui cum multa bella ingessit cum Carthaginensibus multos ex eis captivavit, sed tandem ab eis fuit captus. Ex quo patet quod quidquid potest aliquis in alium facere, potest etiam illud ab alio pati. Unde Cato : Victorem a victo etc. Et per consequens nulla est potentia humana quæ hoc intercipere non potest. Unde dicit littera : Quid est quod quisquam possit facere in alium, quod ipse non possit sustinere ab alio? quasi dicat : nihil. Quod declarat : Nos accepimus, idest cognovimus, Busiridem solitum, idest consuetum, necare hospites, ipsum fuisse mactatum ab Hercule hospite, supple, suo. Aliud exemplum ponit. Regulus consul romanus plures Pœnorum, idest Carthaginensium captos bello conjecerat, idest posuerat in vincula; sed mox ipse præbuit manus catenis victorum, idest Carthaginensium. Numquid igitur ullam putas esse hominis potentiam qui non possit efficere nec alius valeat in se quod ipse potest in alio? quasi dicat : nulla reputanda est hæc potentia.

« Ad hæc si ipsis dignitatibus etc. » Hic probat philosophia simul de dignitatibus et potestatibus quod non habent in se aliquod naturale bonum, propter quod sint appetendæ. Secundo ostendit quod idem potest concludi de omnibus bonis fortuitis, ibi, « Postremo. » Primo facit quod dictum est. Secundo ostendit falsam nominationem exteriorum bonorum, ibi, « De quibus etiam illud. » Ratio quam intendit est illa : illud quod in se naturaliter est bonum non potest adjungi pessimis : sed dignitates et potestates pessimis adveniunt; ergo etc. Major declaratur in littera. Unde dicit : Si ipsis dignitatibus et potestatibus inesset aliquid naturalis et proprii boni, nunquam provenirent pessimis : neque enim adversa, idest opposita solent sibi sociari, quia natura respuit, ut quæque contraria jungantur, idest stent simul : cum ergo non sit dubium pessimos plerumque fungi, idest uti dignitatibus, illud etiam liquet, idest manifestum est, ipsa non esse bona sui natura quæ se pessimis patiantur hærere, idest commanere. Quod quidem dictum de dignitatibus et potestatibus dignius potest existimari de cunctis muneribus fortunæ, quæ scilicet munera uberiora, idest copiosiora proveniunt ad quemque improbissimum. Nota, quod duplex est bonum : unum quod convertitur cum en-

nante ; et est endecasyllabum, quia quilibet versus continet undecim syllabas ; te ; et sic dignitates et potestates, licet malis adveniant, tamen sunt bonæ. Aliud est bonum quod est quædam qualitas derelicta ex bonis operationibus, et vocatur bonum moris ; et sic dignitates et potestates bonæ non sunt, quia ut plurimum pessimis sociantur.

« De quibus etiam etc. » Hic philosophia probat quod bona fortuita non possunt in suum effectum, et sic per consequens falsam denominationem, arguendo sic. Omne quod est naturaliter bonum, efficit quod ei proprium et expellit contrarium, sicut fortitudo facit fortem, velocitas velocem : sed bona fortunæ non efficiunt quod videtur esse proprium ; quia divitiæ non faciunt divitem cum non restringant avaritiam, nec potentia facit potentem, nec dignitas dignum : propter quod divitiæ falsæ nominantur, Unde dicit in littera : De quibus bonis fortuitis illud etiam puto considerandum, quod nemo dubitat illum esse fortem cui conspexerit inesse fortitudinem, et illum esse velocem cuicumque adest velocitas ; et sic musica facit musicos, medicina facit medicos, rhetorica rhetores. Natura enim cujuscumque rei agit quod sibi est proprium, et non miscetur effectibus contrariarum rerum : et ultro, idest sponte repellit quæ sunt adversa, idest contraria. Atqui (pro certe), nec opes, idest divitiæ queunt, idest possunt restringere, inexpletam avaritiam hominum, idest insatiabilem ; nec potestas facit illum compotem sui, idest potentem quem vitiosæ libidines retinent astrictum insolubilibus catenis, idest passionibus ; et dignitas collata improbis non modo, idest non tantum non effecit dignos, sed prodit et ostentat indignos. Cur ita provenit quod bonæ fortunæ non efficiunt quod videtur eis esse proprium ? hoc est ideo, quia vos homines gaudetis res sese aliter habentes quam videantur, compellare, idest denominare, falsis nominibus quæ nominationes facile redarguuntur effectu ipsarum rerum. Itaque nec illæ divitiæ jure possunt appellari, cum non faciunt divitem, nec illa potentia, nec hæc dignitas jure appellari potest. Nota, quod divitiæ non faciunt divitem, quia non restringunt avaritiam : nam divitiæ, secundum Senecam, vigesima septima epistola, sunt composita paupertas in lege naturæ : talis autem paupertas secundum legem naturæ excludit avaritiam quæ insatiabilis est. Natura enim paucis contenta est. Nota quod dignitas improborum ostentat improbos ; quia improbus tanto a pluribus cognoscitur, quanto magis innotescit ejus vitium ; et quanto aliquis in majori dignitate constituitur, tanto plus cognoscitur. Propter quod dixit Seneca *in Proverbiis :* « Loco ignominiæ apud indignum est dignitas.»

« Postremo idem de tota fortuna etc. » Hic philosophia ostendit idem posse concludi de omnibus bonis fortuitis, dicens : Postremo, idest finaliter licet hoc idem concludere de tota fortuna, in qua nihil est expetendum, idest desiderandum ; nihil inesse sibi naturæ bonitatis, idest naturalis, manifestum est : quæ fortuna non adjungit se semper bonis, et quibus fuerit adjuncta bonos non efficit. Nota, quod bonum fortunæ facit illud bonum cui additur, sicut musica facit musicum et virtus facit virtuosum : sed quia fortuna malos quibus advenit non facit bonos, patet quia nihil naturæ bonitatis sibi inest. Qualiter autem mali malos faciunt bonos, patebit in quarto hujus libri, prosa sexta.

METRUM VI.

Novimus quantas dederit ruinas,
Urbe flammata, patribusque cæsis,
Fratre qui quondam ferus interemto
Matris effuso maduit cruore,
Corpus et visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, sed esse
Censor exstincti potuit decoris,
Hic tamen sceptro populos regebat
Quos videt condens radios sub undas
Phœbus, extremo veniens ab ortu ;
Quos premunt septem gelidi triones,
Quos Notus sicco violentus æstu,
Torret, ardentes recoquens arenas.
Celsa num tandem valuit potestas
Vertere pravi rabiem Neronis ?
Heu gravem sortem, quoties iniquus
Additur sævo gladius veneno !

« Novimus quantas dederit ruinas etc.» Istud est sextum metrum hujus secundi libri quod dicitur Sapphicum ab inventore, trochaicum a pede prædomi-

et est acatalecticum, quia nulla syllaba deficit ad perfectionem metri. In quo metro philosophia declarat per exemplum quod dignitates et potestates malo advenientes non faciunt eos bonos ; et hoc declaret per Neronem in hoc metro. Prima est quod urbem romanam incendit, quæ arsit septem diebus et septem noctibus ; ut spectaculo illius ignis cognosceret quantus olim fuerat ignis quando Troja capta arserat. Secundum malum est quod Nero magnam partem senatus sine ulla causa interfecit. Tertium est quod proprium fratrem occidit ut solus securius regnaret. Quartum est quod matrem suam occidi fecit, ut videret locum ventris in quo jacuit. Dicit ergo in littera : Novimus quantas ruinas, idest quanta pericula dederit Nero urbe, supple, romana, flammata, idest incensa, que (pro et) cæsis, idest occisis, patribus, idest senatoribus : qui Nero quondam ferus, idest crudelis interempto fratre, ipse etiam maduit cruore matris effuso. Et designans ejus crudelitatem circa matrem, dicit : et ipse Nero perlustrans, idest transiens visu gelidum corpus, idest infrigidatum corpus matris non tinxit, idest madidavit ora, idest faciem suam lacrymis : sed ipse potuit sine omnibus lacrymis esse censor, idest judex extincti decoris, idest interfectæ matris quæ decora fuit : tamen hic Nero licet ita malus esset, regebat populos sceptro, id est imperiali dignitate. Hos, inquam, populos rexit quos Phœbus, idest sol, veniens ab ortu extremo, videt condens, idest abscondens, radios suos sub undas. Et loquitur more poetarum : quasi dicat : ipse rexit omnes populos qui erant ab ortu solis usque ad occasum. Similiter regebat populos suos septemtriones, idest septem stellæ quæ sunt in majori ursa, quæ dicuntur triones quasi teriones, quia illam plagam terunt gelidi, idest frigidi premunt ; plaga enim septentrionales frigida est. Quasi dicat : regebat omnes populos aquilonares ; et illos regebat quos notus, idest ille ventus collateralis austro, violentus existens torret, idest cremat sicco æstu, idest calore, notus inquam recoquens ardentes arenas, idest calidas : venit enim ille ventus a torrida zona, et ideo calidus est. Quasi dicat : Nero etiam regebat omnes populos australes. Et sic per quatuor plagas mundi ostendit ejus potestatem super omnes populos. Tandem celsa potestas, idest magna non valuit vertere, idest mutare rabiem, idest crudelitatem pravi Neronis. Et tunc deplangit conjunctionem magnæ potestatis cum magna malitia, quia multa mala ex ea proveniunt ; dicens : Heu, supple, dico esse gravem sortem, idest eventum, quoties iniquus gladius, idest iniqua potestas, additur sævo veneno, idest venenosæ crudelitati. Nota : secundum Aristotelem *in quinto Ethicorum*, « Principatus virum ostendit ; malitia enim hominis vel probitas ostenditur principatu. Sicut patet in Nerone, cujus malitia et crudelitas in imperio suæ dignitatis apparuit. » Propter quod dixit Aristoteles : « Sævissima est injustitia habens arma. » Et in *septimo Ethicorum* dicit : « Simile est igitur comparare injustitiam homini injusto : est enim deterior bestia decies millies ; plura enim utique mala faciet homo malus quam bestia. » Nota : præter hæc mala Neronis quæ tanguntur in littera, multo plura ipse perpetravit. Nam dicit philosophia tertio libro quinta prosa : Nero Senecam familiarem suum præceptorem coegit ad eligendum mortis arbitrium. Et quia Nero fuit crudelissimus hominum ; ideo Seneca scripsit quemdam libellum ad ipsum, qui intitulatur liber *de Clementia* : in quo hortatur eum ad fugam crudelitatis et ad usum clementiæ : qui liber sic incipit : « Tibi scribere de Clementia, Nero Cæsar, institui. »

PROSA VII.

Tum ego : Scis, inquam, ipsa minimum nobis ambitionem mortalium rerum fuisse dominatam : sed materiam gerendis rebus optavimus, quo ne virtus tacita consenesceret. Et illa : Atqui hoc unum est quod præstantes quidem natura mentes, sed nondum ad extremam manum virtutum perfectione perductas allicere possit : gloriæ scilicet cupido, et optimorum in rempublicam fama meritorum : quæ quam sit exilis et totius ponderis vacua, sic considera. Omnem terræ ambitum, sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti, ad cœli spatium, puncti constat obtinere rationem : idest, ut si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatii prorsus habere judicetur. Hujus igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta fere portio est, a-

cut Ptolomæo probante didicisti, quæ a nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartæ, si quantum maria paludesque premunt, quantumque siti vasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, vix augustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumsepti atque conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? At quid habet amplum magnificumque gloria, tam angustis exiguisque limitibus arctata? Adde quod hoc ipsum brevis habitaculi septum plures incolunt nationes, lingua, moribus, totius vitæ ratione distantes : ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diversitate, tum commercii insolentia, non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium quidem pervenire queat. Ætate denique Marci Tullii, sicut ipse quodam loco significat, nondum Caucasum montem Romanæ reipublicæ fama transcenderat, et erat tunc adulta. Parthis etiam, cœterisque id locorum gentibus formidolosa. Vides ne igitur quam sit angusta, quam compressa gloria quam propagare ac dilatare laboratis? An ubi Romani nominis transire fama nequit, Romani hominis gloria progredietur? Quid? quod diversarum gentium mores inter se, atque instituta discordant; ut quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum judicetur. Quod fit, ut si quem famæ prædicatio delectat, huic in plurimos populos nomen proferre, nullo modo conducat. Erit igitur pervagata inter suos gloria quisque contentus; et intra unius gentis terminos præclara illa famæ immortalitas coarctabitur. Sed quam multos clarissimos suis temporibus viros scriptorum inops delevit oblivio! Quamquam quid ipsa scripta proficiunt, quæ cum suis auctoribus premit longior atque obscura vetustas? Vos autem immortalitatem vobis propagare videmini, cum futuri famam temporis cogitatis. Quod si ad æternitatis infinita spatia pertractes, quid habes quod de tui nominis diuturnitate læteris? Unus enim mora momenti, si decem millibus conferatur annis, quoniam utrumque spatium definitum est, minimum licet, habet tamen aliquam portionem. Ad hic ipse numerus annorum, ejusque quantum libet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. Etenim finitis ad se invicem fuerit quædam; infiniti vero atque finiti nulla unquam poterit esse collatio. Ita fit, ut quamlibet prolixi temporis fama, si cum inexhausta æternitate cogitetur, non parva, sed plane nulla esse videatur. Vos autem nisi ad populares auras, manesque rumores, recte facere nescitis; et relicta conscientiæ virtutisque præstantia, de alienis præmia sermunculis postulatis. Accipe in hujusmodi arrogantiæ levitate quam festive aliquis illuserit. Nam cum quidam adortus esset hominem contumeliis, qui non ad veræ virtutis usum, sed ad superbam gloriam falsum sibi philosophi nomen induerat, adjecissetque jam se sciturum, an ille philosophus esset, siquidem illata injurias leniter patienterque tolerasset; ille patientiam paullisper assumit. acceptaque contumelia velut insultans. Jam tandem, inquit, intelligis ne me esse philosophum? Tum ille nimium mordaciter, Intellexeram, inquit, si tacuisses. Quid autem est quod ad præcipuos viros (de his enim sermo est) qui virtute gloriam petunt : quid, inquam est quod ad hos de fama post resolutum morte suprema corpus attineat? Nam si, quod nostræ rationes credi vetant, toti moriuntur homines, nulla est omnino gloria; cum is cujus ea esse dicitur, non existet omnino. Sin vero sibi mens bene conscia, terreno carcere resoluta, cœlum libera petit, nonne omne terrenum negotium spernet, quæ se, cœlo fruens, terrenis gaudet exemtam?

« Tum ego : scis inquam etc. » Hinc incipit septima prosa secundi libri; in qua ostendit philosophia quod gloria mundana non sit multum appetenda. Et primo inducit Boetium confitentem se non desiderasse multum prædicta, scilicet potestates et dignitates, nisi inquantum sunt materia rerum gerendarum. Secundo ostendit philosophia quod gloria sit perexile bonum, et sit non multum appetenda. Secunda ibi, « Et illa. » Dicit primo : Tum (pro tunc), ego Boetius inquam, idest dixi, o philosophia, tu ipsa scis ambitionem, idest cupiditatem, rerum mortalium, de quibus dixisti, minimum nobis fuisse dominatam : sed bene optavimus materiam rebus gerendis, quo ne (pro ut) non consenesceret in nobis virtus tacita, idest non excitata. Nota, quod in sapiente non dominatur cupiditas rerum temporalium; quia philosophia inducit mobilis affluentiæ contemptum, ex *libro de Plantis*. Et Socrates cum Athenis ad studium pergeret, magnum pondus auri in mare projecit dicens : Mergam te ne mergar a te. Nota, quod materia rerum gerendarum sunt ista, sine quibus res convenienter geri non possunt : et sunt tria : sapientia, auctoritas et potentia. Sine enim sapientia nihil convenienter geritur, ut de se patet. Res etiam gerenda auctoritate ornatur, quia homo authenticus libentius auditur et facilius ei creditur. Potentia vero mali deprimuntur et boni extolluntur. Hanc materiam Boetius desiderans, potentiam et dignitates quæsivit. Nota, quod Boetius materiam dignitatis et potestatis ideo quæsivit, ne virtus sua tacita consenesceret, idest ne dum ipse ad senectutem proveniret, virtus sua tacita esset, dum nullus aliquid loqueretur de laude suæ virtutis vel scriberet. Tunc enim virtus tacita consenescit quando non agit aliquis unde alii loquantur; et dum nihil scribitur de suis beneficiis; quia virtus habentem perficit et opus ejus laudabile reddit.

« Et illa : atqui hoc unum est etc. » Hic philosophia ostendit gloriam mundanam non esse appetendam. Et primo præmittit quod cupido gloriæ multos allicit. Secundo probat eam esse exilem

et vanam, etc. « Omnem terræ ambitum. » Primo dicit sic : Ex quo Boetius quandoque quæsivit dignitates et potestates ne virtus sua tacita consenesceret, videtur quod ipse propter laudem et gloriam quæsivit ; ideo dicit philosophia : Hoc unum est, scilicet cupido gloriæ et famæ optimorum meritorum in rempublicam, quæ fama posset allicere mentes hominum, natura præstantes, idest excellentes, sed nondum, idest non adhuc, perductas ad extremam manum perfectionis virtutum, idest ad summam perfectionem : quæ fama et gloria quam sit exilis et vacua totius ponderis, idest pretiositatis, sic considera ex sequentibus. Nota, quod cupido vanæ gloriæ multos allicit et delectat ; unde Seneca, quinquagesima nona epistola dicit : « Illud præcipue nos impedit : quod cito nobis placemus, si invenimus qui nos bonos viros dicant, qui prudentes qui sanctos : non sumus modica laudatione contenti : quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tamquam debitum putamus : optimos nos esse sapientissimosque affirmantibus assentimus, cum sciamus nos sæpe multa mentiri. Adeo quoque indulgemus nobis ut laudari velimus in id cui contrarium maxime facimus. » Nota, quod duplex est bonitas mentis : scilicet naturalis et acquisita. Naturalis bonitas est secundum quam aliqui naturaliter sunt pii, mansueti, sobrii et casti : sed hæc bonitas si non emendatur virtute et sapientia, cito extollit hominem ad inanem gloriam. Alia est bonitas acquisita exercitio virtutum et scientiarum ; quæ non permittit hominem extolli vana gloria ; quia sapiens fructum suum ponit in conscientia, stultus autem in laude, secundum Macrobium. Ideo dicit philosophia, quod cupido gloriæ allicit mentes natura præstantes, nondum, scilicet non adhuc virtutibus perfectas. Nota, quod fama est frequens laus optimorum meritorum in rempublicam, sed gloria est clara notitia cum laude. Vel gloria est late patens præconium, idest annuntiatio.

« Omnem terræ ambitum etc. » Hic philosophia ostendit gloriam mundanam esse exilem, nec multum appetendam. Primo ostendit hoc ex parte spatii in quo dilatatur. Secundo ostendit hoc ex diversitate nationum ad quas non divulgatur. Tertio ostendit idem ex diversitate morum, propter quos de eodem contrarie judicatur. Quarto ostendit idem ex brevitate durationis propter quam non perpetuatur. Secunda ibi, « Adde quod hoc. » Tertia, ibi, « Quid quod diversarum. » Quarta, ibi, « Sed quam multos. » Primo intendit talem rationem. Latitudo famæ consistit in latitudine terræ super quam dilatatur ; sed terra non est lata super quam fit dilatatio famæ, sicut declarat in littera ; ergo fama late non potest diffundi, et per consequens est exilis nec multum appetenda. Unde dicit in littera : Tu accepisti, idest didicisti, astrologicis demonstrationibus omnem ambitum terræ, idest spatium terræ obtinere, idest habere rationem puncti, ad spatium cœli, idest ad magnitudinem cœli : quod magis exponens dicit : Ut si terra conferatur, idest compararetur ad magnitudinem cœlestis globi, ipsa judicetur prorsus nihil spatii habere. Hujus igitur tam exiguæ regionis, idest terræ in mundo, fere quarta portio, idest quarta pars est quæ incolatur, idest inhabitatur ad animantibus nobis cognitis, sicut tu didicisti a Ptolomæo hoc probante. Si subtraxeris cogitatione, huic quartæ parti terræ quantum maria et paludes premunt, idest occupant, et quantum vasta, idest ampla, regio distenditur siti, idest siccitate, tunc vix relinquetur hominibus angustissima area, idest arctissimus locus inhabitandi. In hoc ergo quodam minimo puncti, idest minima portione terræ, vos homines circum septi atque conclusi cogitatis de pervulganda fama, de proferendo, idest extollendo, nomine, idest fama : et hoc fit inutiliter. Sed quid habeat, idest potest habere, gloria amplum, que (pro et) magnificum, quæ artata est tam angustis et exiguis limitibus, idest terminis? quasi dicat : nihil habet magnificum. Nota, quod terra respectu cœli non est alicujus quantitatis sensibilis, sed habet se sicut punctus ; quia horizon qui terminat visum nostrum dividit cœlum in duo media : quod non esset si terra in comparatione ad cœlum

haberet aliquam quantitatem. Item si terra esset alicujus quantitatis sensibilis respectu cœli, tunc stellæ non semper apparerent nobis ejusdem quantitatis : quod patet falsum : quia in ea parte ubi terra esset magis gibbosa et propinquior cœlo, apparerent stellæ majores, et opposita parte minores. Item minima stella fixa visu notabilis est major tota terra ; si ergo talis stella apparet nobis existentibus in terra sicut punctus, multo magis terra respectu cœli erit sicut punctus. Item punctus est quiddam indivisibile, a quo linea æqualiter distans facit circulum : et quia cœlum ex omni parte æqualiter distat a terra, ideo terra respectu cœli habet se sicut punctus. Nota, quod tres partes terræ sunt inhabitabiles : una propter nimium calorem, duæ propter nimium frigus : sed quarta pars quæ est temperata in caliditate et frigiditate a nobis inhabitatur. Sed quia adhuc non tota inhabitatur propter maria et paludes, et propter nimiam siccitatem : ideo dicit philosophia quod quarta pars fere est habitabilis. Vel dicit fere, secundum alios, quia æstus solis non facit torridam zonam totaliter inhabitabilem, cum quædam civitas dicta Zenith supra quam Ptolomæus dicitur fundasse astrolabium, directe sit sub æquinoctiali : sed dicitur inhabitabilis, quia est gravis inhabitationis ; sed ultra æquinoctialem omnino est inhabitabilis, propter nimium calorem. Item dicit quartam partem terræ inhabitari ab animantibus nobis incognitis : hoc forsan dicit propter antipodes si sunt, qui nobis sunt ignoti.

« Adde quod hoc ipsum etc. » Hic philosophia ostendit gloriam non esse appetendam, ex diversitate nationum ad quas non divulgatur : intendens talem rationem. Diversæ nationes et diversa idiomata non solum impediunt promulgationem famæ hominum, sed etiam urbium : sed in terra habitabili sunt diversæ nationes diversorum idiomatum : ergo promulgatio famæ per talia impeditur : et per consequens non est multum appetenda. Unde dicit in littera : adde prædictæ rationi, quod hoc ipsum septum, idest spatium brevis habitaculi, idest parvi spatii, in quo nos habitamus, incolunt, idest inhabitant plures nationes, idest gentes distantes, idest differentes lingua, idest idiomate et moribus, et ratione totius vitæ, idest ratione modi vivendi, ad quas non potest pervenire, non modo, idest non tantum fama singulorum hominum, sed etiam nec fama urbium, tum, idest tam difficultate itinerum, idest viarum, tum, idest tam diversitate loquendi, idest idiomatum, tum, idest tam insolentia, idest inconsuetudine commercii, quia aliqui homines non consueverunt cum aliis communicare in commerciis, quia ætate, idest tempore, Marci Tullii, sicut ipse Marcus Tullius significat, quodam loco, idest in quibusdam suis scriptis, fama romanæ reipublicæ nondum transcenderat Caucasum montem, et tamen fama romanorum erat adulta, idest ab antiquo nota, etiam formidolosa, Parthis, talibus hominibus, et ceteris gentibus, idest locorum circa Caucasum montem. Vides ne igitur quam angusta sit gloria quam compressa, idest in modicum redacta, quam laboratis dilatare et propagare. An (pro numquid) gloria unius hominis romani illuc progredietur, idest perveniet, ubi fama romani nominis, idest romanæ urbis nequit transire? quasi dicat, non. Nota, partem terræ habitabilem vocat septum, quia est septa, circumdata mari. Unde Linconiensis in *tractatu suo de sphæra*, et etiam Macrobius dicunt quod quarta portio nostra habitabilis undique cingitur mari. Nota, quod insolentia, secundum Senecam, est species falsæ magnitudinis : sed secundum Huguitionem insolentia est superbia vel fatuitas : in proposito autem potest exponi pro inconsuetudine : et tunc dicitur ab in quod est non, et soleo quod est consuesco. Nota, quod Caucasus est mons quidam situs in parte septentrionis, ad quem non pervenerat fama romanæ urbis, licet Parthis et aliis gentibus assidentibus fama romanorum erat formidolosa, idest formidabilis.

« Quid? quod diversarum etc. » Hic ostendit gloriam mundanam esse exilem ex parte diversitatis morum, propter quos de eodem apud diversos contrarie judicatur : et intendit talem rationem.

Contrarietas institutionum et legum impediunt famæ dilatationem : sed homines contrariarum institutionum et legum terram inhabitant ; ergo diversitas institutionum et legum impediunt dilatationem famæ, et per consequens non est multum appetenda. Unde dicit in littera : Quid, supple, est judicandum quod mores et instituta et leges diversarum gentium inter se discordant, ut illud quod apud alios judicetur dignum laude, apud alios judicetur dignum supplicio? quo fit, idest propter quid, ut si prædicatio, idest dilatatio famæ, delectat quem, idest aliquem, nullo modo conducat, idest laboret, proferre nomen, idest famam suam, in plurimos populos ; quia licet ab aliquibus laudaretur, ab aliis tamen vituperaretur. Erit igitur quisque contentus gloria pervagata, idest dilatata inter suos : et illa præclara immortalitas famæ (et loquitur ironice : quia non est præclara nec immortalis) illa coartabitur, idest constringetur intra terminos unius gentis, idest unius idiomatis. Nota, quod tanta est diversitas morum in gentibus, quod illud quod reputatur apud alios laudabile, apud aliquos reputatur vituperabile. Reputatur enim apud Syrios laudabile comedere parentes mortuos, ne comedantur a vermibus in terra : quod apud alios extraneos est execrabile. Similiter apud Judæos reputatur laudabile ducere uxores consanguinitate proximas ; quod apud christianos prohibetur. Item in Trivallis laudabile est occidere patrem sexagenarium et cremare ipsum : quod apud alios est vituperabile. Unde dicit poeta :

Sunt loca, sunt gentes, quibus est mactare paren-
Et fas et pietas, cum longa supervenit ætas. [tes

« Sed quam multos clarissimos etc. » Hic philosophia ostendit exilitatem gloriæ ex brevitate durationis propter quam non perpetuatur. Et dividitur in tres partes. Primo ostendit hoc ex hominum oblivione. Secundo ex temporis brevitate, ibi, « Vos vero. » Tertio ostendit gloriam a viris virtuosis non esse appetendam, ibi, « Vos autem. » Primo dicit : quod fama et gloria non sit immortalis, patet : quia quam multos viros clarissimos, idest gloriosos suis temporibus delevit inops, idest defectuosa oblivio scriptorum ! quamquam etiam ipsa scripta proficiant quid, idest parum, quæ scripta longior, idest obscura vetustas temporis premit, idest consumit, cum suis auctoribus quorum sunt scripta. Nota, quod per scripturam fama gestorum transmittitur ad posteros. Talis autem scriptura quandoque deficit vel propter inopiam scriptorum, vel quia ipsa scripta in se vetustate consumuntur. Et ideo fama et gloria in oblivionem perveniunt. Unde Sallustius in *Catilinario* conqueritur res gestas romanorum minus esse famosas propter inopiam scriptorum, atheniensium vero majoris famæ quam romanorum, propter scriptorum copiam.

« Vos autem immortalitatem vobis etc. » Hic philosophia ostendit famam et gloriam non esse durabilem et immortalem ex temporis brevitate, dicens : Vos ergo homines videmini vobis propagare, idest facere immortalitatem, cum cogitatis famam futuri temporis : et in hoc frustra cogitatis, quia exilis est duratio famæ per tempus : quod, scilicet tempus, si pertractes, idest compares, ad infinita spatia æternitatis, quid habes quod læteris de tui nominis diuturnitate, idest tuæ famæ? quasi dicat : nihil est. Etenim mora unius momenti si conferatur, idest comparetur, decem millibus annis, habet aliquam proportionem, licet minimam, idest valde parvam, quoniam utrumque spatium temporis est definitum : sed hic numerus annorum, scilicet decem millia, vel ejus numeri quantumlibet multiplex sicut duplum vel triplum, non potest comparari ad interminabilem diuturnitatem quæ est æternitas. Etenim (pro quia) finitis ad seinvicem fuerit quædam collatio, idest comparatio. Infiniti vero et finiti nulla unquam potest esse collatio, idest comparatio. Ita fit ut fama temporis quantumcumque prolixi si cogitetur comparando cum inexhausta, idest infinita æternitate, ipsa videatur non parva sed plane nulla esse. Nota, quod omne quod incipit in tempore, necessario habet finem in tempore, cum tempus sit causa

corruptionis temporalium, quarto *Ethicorum*. Cum igitur fama sit temporalis incipiens in tempore, ipsa desinet in tempore, et per consequens non est perpetua. Nota, quod tempus quantumcumque magnum comparatum ad æternitatem minimum reputatur, et quasi nullius momenti. Licet enim finitorum ad seinvicem possit esse comparatio et inter ipsa potest esse proportio : tamen finiti ad infinitum nulla potest esse comparatio. Cum igitur æternitas sit duratio infinita tota simul existens : et tempus quantumcumque magnum sit finitum : tempus nullam habebit proportionem ad æternitatem, et per consequens fama quantumcumque prolixi temporis comparata ad æternitatem nulla videtur esse.

« Vos autem nisi ad populares aures etc. » Hic philosophia ostendit gloriam a viris virtuosis non esse curandam : et hoc duabus rationibus. Secunda ibi, Quid autem est.» Prima ratio est illa : Illud quod spectat ad levitatem arrogantiæ, a sapientibus non est curandum : sed gloria propter quam homo recte facit propter laudes hominum, illa spectat ad levitatem arrogantiæ et est digna derisione ; ergo etc. Quod autem talis arrogantia sit quædam derisio, declarat in littera et dicit : Vos homines descitis recte facere, nisi ad populares aures, idest ad populorum complacentias et ad inanes rumores et laudes : et vos postulatis, idest desideratis præmia de sermunculis alienis, relicta, idest postposita, præstantia, idest dignitate vestræ conscientiæ et virtutis, propter quam deberetis recte operari. Accipe, idest considera quam festive, idest gloriose, aliquis illuserit, idest deriserit quemdam dicentem se esse philosophum in levitate hujusmodi arrogantiæ. Nam cum quidam tyrannus esset adorsus contumeliis, idest incœpisset alloqui contumeliose quemdam hominem qui induerat, idest usurpaverat, sibi falsum nomen philosophi non ad usum veræ virtutis, sed ad superbam gloriam, et tyrannus adjecisset, idest dixisset, se jam sciturum an iste esset philosophus, si quidem illatas sibi injurias patienter leviterque tolerasset; ille qui dixit se philosophum paulisper patientiam assumpsit, scilicet in principio, quo (pro et) accepta contumelia a tyranno velut sibi insultans inquit ad tyrannum : intelligis ne me esse philosophum? tunc ille tyrannus mordaciter inquit : intellexeram te philosophum esse si tacuisses. Nota : secundum Commentatorem in *prologo in octavo Physicorum*, « verus philosophus debet esse perfectus omnibus generibus virtutum, et per consequens debet esse magnanimus. » Sed secundum Senecam in libro *de Clementia*, « magnanimi est injurias et offensiones superbi despicere, et per consequens verbis contumeliosis provocari non debet. » Item philosophi est non vinci a passionibus; sed potius debet moderare et refrenare passiones, cum virtus consistat in moderatione passionum. Unde Aristoteles in *quarto Ethicorum* dicit : « Mansuetus vult imperturbatus esse et non duci a passione. Unde quidam philosophus contumeliose sibi insultanti dixit : Tu didicisti maledicere, sed ego didici maledicta contemnere. »

« Quid autem est quod ad præcipuos viros etc. » Hic philosophia ponit secundam rationem, quæ talis est. Homines virtuosi vel totaliter moriuntur corpore et anima, vel anima vivit post mortem. Si totaliter moriuntur, nihil spectat ad eos de gloria post mortem. Si anima eorum vivit post mortem, illa petit cœlum spernens omne terrenum negotium, et sic nihil ad eam de terrena gloria ; ergo apud virtuosos homines nulla debet esse cura de gloria. Dicit ergo in littera : Quid est quod ad præcipuos, idest ad virtuosos viros attineat de fama post resolutum corpus extrema morte? quasi dicat : nihil. De his enim viris est sermo noster qui petunt, idest quærunt gloriam virtute, idest operibus virtuosis. Nam si homines toti moriuntur corpore et anima, ut quidam putant, quod tamen nostræ rationes, idest philosophicæ rationes vetant, idest prohibent credi, quia secundum philosophiam anima intellectiva est immortalis, nulla est omnino gloria post mortem, cum iste omnino existet, idest non sit cujus ea gloria esse dicitur. Sin vero mens mens bene sibi

cœlestia, idest Deum, resoluta, idest separata terreno carcere, idest a corpore post mortem libera petit cœlum, numquid ipsa anima quæ cœlo fruens gaudet se exemptam terrenis, ipsa spernet omne terrenum negotium et per consequens terrenam gloriam? quasi dicat: sic. Nota, quod ad virtuosos nihil spectat de fama nec in præsenti vita nec in futura; non in præsenti, quia dicit Seneca in *Proverbiis*: « Quam plurimi curant famam pauci autem conscientiam! » Tales pauci curantes conscientiam sunt virtuosi et philosophi; de quibus loquitur Boetius in fine tractatus de *Summo bono*, dicens: « Pauci sunt viri honorandi, sicut philosophi, qui contemnunt desiderium sensus et sequuntur desiderium intellectus. » Plurimi autem sunt qui curant famam, sicut sunt vulgares qui relicta virtute conscientiæ propter laudes hominum recte faciunt; de quibus dicit Scriptura: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Nec etiam fama spectat ad viros virtuosos in futura vita qui virtuosi si totaliter moriuntur nihil ad eos de fama. Si autem anima vivit post mortem, ista evolat ad cœlum et nihil curat de fama, spernit omne terrenum negotium, et potius gaudet quia est exempta a curis terrenis et gaudio cœlesti fruitur in æternum.

METRUM VII

Quicumque solam mente præcipiti petit,
  Summumque credit gloriam,
Late patentes ætheris cernat plagas
  Arctumque terrarum situm:
Brevem replere non valentis ambitum
  Pudebit aucti nominis.
Quid o superbi colla mortali jugo
  Frustra levare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
  Diffusa linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
  Mors spernit altam gloriam,
Involvit humile pariter et celsum caput,
  Æquatque summis infima.
Ubi nunc fidelis ossa Fabricii manent?
  Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis pauculis
  Inane nomen litteris.
Sed quod decora novimus vocabula,
  Num scire consumptos datur?
Jacetis ergo prorsus ignorabiles,
  Nec fama notos efficit.
Quod si putatis longius vitam trahi
  Mortalis aura nominis,
Cum sera vobis rapiet hoc etiam dies,
  Jam vos secunda mors manet.

« Quicumque solam mente præcipiti petit etc. » Hic incipit metrum septimum hujus secundi libri, quod dicitur Archilochicum ab inventore, iambicum a pede prædominante; et constat ex primo versu trimetro et secundo dimetro, in quo metro philosophia docet quomodo gloria est contemnenda, ex consideratione amplitudinis cœli et strictitudinis terræ, dicens: Quicumque petit, idest desiderat, præcipiti mente solam gloriam et credit istam esse summum, idest præcipuum inter appetenda, iste cernat, idest consideret plagas ætheris, idest partes cœli, late patentes, et cernat arctum situm terrarum, idest strictum spatium terræ in comparatione ad cœlum: ille pudebit, idest verecundabitur aucti nominis, idest auctæ famæ suæ, non valentis replere brevem ambitum, idest parvum spatium terræ. Et tunc exclamat dicens: O, propter hoc miror quid, idest propter quid, superbi gestiunt, idest cupiunt frustra levare, idest extollere colla sua mortali jugo, idest mortali fama. Licet enim fama diffusa means, idest transiens per remotos populos explicet se linguas, idest per linguas populorum, et licet magna domus tua, idest nobilis parentela vel familia fulgeat claris titulis, idest laudibus, tamen mors spernit altam gloriam; et mors pariter, idest simul involvit humile caput, idest miserum hominem et celsum, idest nobilem vel divitem; et mors æquat infima summis nulli parcendo: quod declarat dicens: Ubi nunc manent ossa fidelis Fabricii? quid Brutus rigidus aut Cato, supple, est? quasi dicat: quid manet de gloria eorum post mortem? aliquo modicum, scilicet illud manet quod tenuis fama, idest exilis superstes, idest manens, signat inane nomen eorum pauculis litteris scriptis in epitaphiis. Sed quid, idest ad quid, novimus decora vocabula scripta? numquid intelligitur per ea ipsos esse consumptos, idest mortuos? quasi dicat: immo tacent. Ergo mortui prorsus ignorabiles, nec fama efficit vos notos. Et quia aliquis diceret: licet ipsi sint mortui corpore, tamen vivunt secundum famam, dicit philosophia: Si putatis vitam vestram longius trahi,

idest prolongari, aura mortalis nominis, idest splendore mortalis famæ : cum sera, idest ultima dies vobis hoc rapiet, idest famam auferet, jam vos manet, idest expectat, secunda mors : quasi dicat : si estis prius mortui corpore, idest fama manens est vita vestra, illa cessante secundario moriemini. Notandum : Fabritius fuit consul romanus qui cum mitteretur pugnare contra Pyrrhum regem Epirotarum, rex promisit sibi partem regni sui ut transiret ad ipsum : quod Fabricius contempsit. Sequenti anno Pyrrhus obtulit sibi magnam pecuniam auri, ut traderet sibi romanum imperium : cui ait Fabritius : Roma non vult aurum, sed vult imperare habentibus aurum. Propter hoc ipse dictus fuit fidelis Fabritius. Dicitur etiam de Fabricio, quod cum quidam ad eum venisset promittens se Pyrrhum regem occisurum, si Fabritius sibi pecuniam aliquam dare vellet ipse Fabritius hunc traditorem ligatum misit ad Pyrrhum pro tali scelere puniendum : cui tunc Pyrrhus dixit : Possibilius est solem a suo tramite deviare quam Fabritium a via rectæ rationis discedere. Nota, quod Brutus fuit primus præsul romanus qui amore libertatis et justitiæ propter stuprum Lucretiæ plurima egit et multa bella pro romanis iniit, propter quod etiam famosus fuit. Nota, quod Cato dictus est rigidus propter rigorem animi qui ad nihil turpe flecti potuit ; et tantæ justitiæ fuit ut Lucanus ipsum diis compareret in judicanda causa quæ fuit inter Julium Cæsarem et Pompeium, dicens :

« Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni.

Et de hoc magis patet quarto hujus libri prosa sexta.

PROSA VIII.

Sed ne me inexorabile contra fortunam gerere bellum putes, est aliquando cum de hominibus illa fallax non nihil bene mereatur, tum scilicet cum se aperit, cum frontem detegit, moresque profitetur. Nondum forte quid loquar, intelligis. Mirum est quod dicere gestio, eoque sententiam verbis explicare vix queo. Etenim plus hominibus reor adversam, quam prosperam prodesse fortunam. Illa enim semper specie felicitatis, cum videtur blanda, mentitur. hæc semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit ; hæc instruit : illa mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat ; hæc cognitione fragilis felicitatis absolvit. Itaque illam videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram ; hanc sobriam, succinctamque, et ipsius adversitatis exercitatione prudentem. Postremo felix, a vero bono devios blanditiis trahit : adversa, plerumque ad vera bona reducens, unco retrahit. An hoc inter minima æstimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis fortuna detexit ? hæc tibi certos sodalium vultus, ambiguosque secrevit ; discedens, suos abstulit, tuos reliquit ? Quanti hoc integer, et, ut videbaris tibi, fortunatus emisses ? Desine nunc amissas opes quærere : quod pretiosissimum genus divitiarum est, amicos invenisti.

« Sed ne me inexorabile etc. » Ista est octava et ultima prosa hujus secundi. Et quia philosophia ostendit bona fortunæ non multum esse appetenda, aliquis putaret quod in fortuna nihil esset boni ; ideo jam ostendit philosophia cujusmodi bonum sit in fortuna : et probat fortunam adversam plus esse bonam quam prosperam. Et primo præmittit suam intentionem. Secundo probat intentum, ibi, « Illa enim. » Primo dicit : O Boeti, ex dictis patet quod fortuna est contemnenda. Sed ne putes me gerere, idest facere bellum inexorabile, idest implacabile contra fortunam, supple, scias, quod aliquando est, idest contingit quod ipsa fortuna fallax, non nihil, idest aliquid bene mereatur de hominibus eo quod aliquod bonum evenit hominibus per eam, tum scilicet cum fortuna se aperit manifestando suam falsitatem, cum detegit frontem per sui adversitatem, cum profitetur mores suos per instabilitatem. Et subdit philosophia : nondum forte intelligis quid loquar : quia mirum est quod ego gestio, idest cupio dicere eoque, idest ideo vix queo explicare scientiam verbis. Etenim ego reor, idest opinor adversam fortunam plus prodesse hominibus quam prosperam. Nota : quandocumque in aliquo dicto videtur esse repugnantia, illud videtur mirabile dictum. Sed dicere fortunam adversam hominibus prodesse, videtur esse quædam repugnantia in dicto. Nam esse adversum alicui et sibi prodesse adinvicem repugnant ; ideo dicit philosophia : Mirum est quod gestio dicere : scilicet fortunam adversam magis prodesse quam prosperam.

« Illa enim semper speciem felicitatis etc. » Hic philosophia probat intentum

quod fortuna adversa melior sit quam prospera, tribus rationibus. Secunda ibi, « Postremo. » Tertia ibi, « An hoc. » Prima dicit : Illa fortuna prospera semper mentitur cum videtur, idest apparet blanda specie felicitatis, idest prosperitatis. Sed hæc, idest fortuna adversa semper vera est cum demonstrat se esse instabilem sui mutatione : ostendit enim se esse talem qualis est, et ita per eam non decipiuntur homines ; sed illa, scilicet prospera fortuna confidentes in se fallit, hæc autem adversa fortuna hominem instruit ostendendo quod non sit confidendum prosperæ fortunæ propter ejus mutabilitatem. Illa, scilicet prospera fortuna, ligat, scilicet fallendo mentes fruentium hominum specie bonorum mendaciorum : hæc, scilicet adversa fortuna absolvit, idest liberat, scilicet mentes hominum cognitione fragilis, idest transitoriæ felicitatis. Et tunc recolligit effectus utriusque fortunæ dicens : Itaque illam, scilicet prosperam fortunam videas ventosam, idest superbam, fluentem, idest prodigam et suipsius ignaram : nam homines in prosperitate continua seipsos non cognoscunt : hanc, scilicet adversam fortunam tu videas sobriam, et succinctam, idest humilem non superbam et prudentem exercitatione adversitatis. Nota, quod ex ista littera possunt formari tres rationes quod fortuna adversa melior sit prospera. Prima ratio est ista : Bona fortuna specie veræ felicitatis decipit habentem ipsam ; sed fortuna adversa non decipit, sed vera est ostendens se talem qualis est ; ergo, adversa melior est quam prospera. Secunda ratio est : Prospera fortuna ligat mentes hominum mendaciis bonis ; sed adversa liberat mentes a falsa felicitate ; ergo est melior. Tertia ratio est : Prospera fortuna reddit homines sui ignaros : sed adversa facit homines sapientes ; ergo melior est quam prospera.

« Postremo felix a vero bono etc. » Hic philosophia ponit secundam rationem, quæ talis est. Quæcumque fortuna trahit ad inquisitionem veri boni, illa melior est quam quæ retrahit a vero bono : sed fortuna adversa est hujusmodi ; ergo etc. Unde dicit in littera : Postremo felix, idest prospera fortuna cum suis blanditiis, trahit devios, idest errantes a vero bono : sed adversa fortuna plerumque retrahit unco, idest tenaculo reducens ad vera bona. Nota, quod quia prospera fortuna videtur esse propinqua felicitati : eo quod sine bonis fortunæ non contingit esse felicem (ex *De bona fortuna*) : ideo suis blanditiis trahit hominem sensualem a vero bono, quod consistit in speculatione Dei ; adversa autem fortuna quia ostendit prosperam fortunam esse mutabilem, ipsa reducit hominem ad verum bonum quod est immutabile.

« An hoc inter minima æstimandum putas etc. » Hic philosophia ponit ultimam rationem, quæ talis est. Illa fortuna est melior per quam cognoscuntur veri amici : sed adversa fortuna est talis ; ergo etc.; unde dicit in littera : An (pro numquid) putas hoc esse æstimandum inter minima bona, quod hæc aspera, idest adversa fortuna detexit, idest monstravit, tibi mentes, idest corda fidelium amicorum? quasi dicat : illud est bonum de maximis bonis. Et hæc, supple, prospera fortuna secrevit, idest distinxit tibi certos amicos et ambiguos vultus sodalium : idest amicorum : quasi dicat : aspera fortuna docuit te discernere inter veros amicos et falsos : quia prospera fortuna a te discedens abstulit suos, idest qui erant amici ratione prosperitatis, et reliquit tuos amicos qui te dilexerunt non propter tua. O quanti, idest quanto pretio, tu emisses hoc integer, idest in integritate fortunæ constitutus cum videbaris tibi fortunatus, ut potuisses cognoscere veros amicos! nunc desine, idest cessa quærere opes, idest divitias amissas, quia invenisti veros amicos quod est pretiosissimum genus divitiarum. Nota : in adversitate falsi amici fugiunt, sed in tempore prosperitatis manent. Unde Seneca in libro *de Remediis :* « Quem tu felicem credis, illum multi comitantur, ut mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicæ : prædam ista turba sequitur non hominem. » Nota, quod adversa fortuna ostendit fideles amicos. Unde Seneca *vigesima epistola* : « Turba familiaris eum a te pasci desierit, ipsa te

non pascet : et quod tu beneficio tuo scire non poteras, paupertate scies : illa veros amicos retinebit. Discedit quicumque non te, sed aliud sequebatur. Est autem propter hoc unum amanda paupertas, quod a quibus ameris ostendit. » Unde pauper Henricus :

« Prævalet hoc solo mala sors quod monstrat amicos
Qui boni qui mali : monstrat utramque viam. »

Item poeta :

« Tempore felici non cognoscuntur amici :
Sorte patet misera quæ sit dilectio vera. »

Item alibi :

« Cum fueris felix multos numerabis amicos :
Tempora si fuerint nubila, solus eris. »

Item Tobias :

« Fluctuat ad censum venalis amicus egenum;
Sed verus renovat ut fabricatus amor. »

Nota, quod fidelis amicus est pretiosissimum genus divitiarum : quia amicus, *nono Ethicorum*, est alter ego, idest amicorum est idem velle et nolle. Nemo enim eligit vivere sine amicis habens reliqua bona. Et Seneca *nona epistola* dicit : « Sapiens etsi contentus sit seipso, tamen amicum habere vult, propter nihil aliud nisi ut exerceat amicitiam : ne tam magna virtus lateat. » Et Tullius in *libro de Officiis dicit :* « Honores divitiæ et dignitates nunquam sunt amicitiæ anteponendæ. »

METRUM VIII.

Quod mundus stabili fide
Concordes variat vices ;
Quod pugnantia semina
Fœdus perpetuum tenent ;
Quod Phœbus roseum diem
Curru provehit aureo ;
Ut quas duxerit Hesperus
Phœbe noctibus imperet ;
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat ;
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos ;
Hanc rerum seriem ligat,
Terras ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans amor.
Hic si frena remiserit,
Quidquid nunc amat invicem,
Bellum continuo geret :
Et quam nunc socia fide
Pulchris motibus incitant,
Certent solvere machinam.
Hic sancto populos quoque
Junctos fœdere continet :
Hic et conjugii sacrum
Castis nectit amoribus :
Hic fidis etiam sua
Dictat jura sodalibus.
O felix hominum genus,
Si vestros animos amor
Quo cœlum regitur, regat!

« Quod mundus stabili fide etc. » Hic incipit octavum et ultimum metrum hujus secundi, quod dicitur glyconium ab inventore, amphimacrum a pede prædominante : et est amphimacrus pes antiquorum constans ex prima et ultima longa et duabus brevibus mediis; dictus ab amphi, quod est circum, et macros longum, quasi habens circumquaque longam syllabam. In quo metro philosophia commendat amorem, ex quo dixit quod amici sunt pretiosissimum genus divitiarum. Et primo commendat amorem divinum. Secundo ostendit quomodo humana natura amicitia conservatur, ibi, « Hic sanctos. » Primo facit hoc quod dictum est. Secundo ostendit quod ablato divino amore omnia corrumpuntur, ibi, « Hic si frena. » Primo dicit : Amor divinus regens terras ac pelagus, et imperitans, idest frequenter imperans cœlo, ille amor ligat hanc seriem, idest concordiam rerum, quod mundus stabili fide variat concordes vices, idest alternationes temporum anni noctis et diei, et quod semina pugnantia, idest elementa contraria, teneant perpetuum fœdus, idest concordiam, ne unum totaliter aliud corrumpat; quod Phœbus, idem sol, curru aureo provehit, idest producit, roseum diem, idest clarum diem : idem amor facit ut Phœbe, idest luna, imperet, idest præsit noctibus, quas noctes hesperus, idest stella vespertina duxerit, idest adducit; et ut avidum mare ad exeundum coerceat fluctus suos, certo fine, idest determinato fine, ne liceat sibi tendere, idest extendere, latos terminos, vagis terris, idest amplis terris, supple, totaliter cooperiendo terram. Nota, quod Tullius loquens de amicitia, dicit : « Amicitia est virtus movens superiora ad perfectionem inferiorum, et inferiora ad subjectionem superiorum. Amicitia enim sublata, omnis in vita tollitur jucunditas.»

Nota, quod elementa appellat semina; quia ex ipsis tamquam ex seminibus elementata producuntur. Sicut enim semen est principium fructus, sic elementa sunt principia corporum mixtorum. Et dicit elementa pugnantia propter ipsorum contrarietatem; nam aliqua sunt calida, alia frigida; quædam humida, quædam sicca. Hæc elementa divino amore ordinante tenent proprium fœdus; quia gravitas inferiorum non aufert levitatem superiorum, nec e converso, et simul totaliter se non corrumpunt.

« Hic si fræna remiserit etc. » Hic ostendit quod amore divino subtracto omnia corrumpuntur, dicens : Si hic amor divinus remiserit fræna, idest legem gubernandi res, quidquid nunc amat invicem, idest concordat, illud continuo geret bellum, et ipsa elementa certant, idest inligant solvere, idest destruere machinam, scilicet mundanam quam nunc socia fide, idest concordi fœdere agitant pulchris motibus, idest faciunt ordinate movere. Nota, quod sublato amore et concordia omnia dissolvuntur. Unde Alanus in *Anticlaudiano* loquens in persona amoris et concordiæ dicit :

« Si mea jura meæ leges mea fœdera mundus
Olim servasset, vel adhuc servaret amoris »
Viveret, non tantis premeret sub cladibus orbis.

« Hic sanctos populos quoque etc. » Hic ostendit philosophia quomodo per amorem conservatur et conciliatur amicitia humana, dicens : Hic amor continet, idest conservat sanctos, idest virtuosos et populos junctos fœdere, scilicet amicitiæ; et hic amor nectit sacrum, idest sacramentum conjugii castis amoribus viri et uxoris; et hic amor dictat jura sua, idest imponit legem amicitiæ fidis sodalibus. Et quia ista proveniunt ab amore divino tamquam a suo principio, ideo subjungit : O felix genus hominum (supple, dico), si amor, scilicet divinus quo cœlum regitur, regat animos vestros super causando in eis concordiam amicitiæ! Nota, quod amor dictat jura fidis sodalibus. Jura autem amicorum et sodalium innuit Seneca *tertia epistola* dicens : « Diu cogita an aliquis in amicum sit tibi recipiendus : sed cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte : tam audacter cum illo loquere quam tecum. Tu quidem ita vive ut nihil tibi committas nisi quod etiam amico tuo committere possis. Cum amico tuo omnes curas, omnes cogitationes misce si fidelem putaveris. Sunt enim quidam qui quæ amicis sunt tantum committenda omnibus narrant : quidam carissimorum conscientiam reformidant, nulli credituri. Neutrum faciendum est : utrumque enim vitium est; et omnibus credere et nulli. » Nota, circa prædicta, quod amicitia proprie dicta tantum invenitur in rebus rationalibus; et ut sic, amicitia est par voluntas bonorum inter aliquos. Sed large accipiendo amicitiam, sic etiam est irrationalibus, et ut sic amicitia est concordia diversarum rerum advinvicem.

LIBER TERTIUS

PROSA I.

Jam cantum illa finierat, cum me audiendi avidum stupentemque arrectis adhuc auribus carminis mulcedo defixerat. Itaque paulo post, O, inquam, summum lassorum solamen animorum, quantum me vel sententiarum pondere vel canendi etiam jucunditate refovisti! adeo ut jam me post hæc imparem fortunæ ictibus esse non arbitrer. Itaque remedia quæ paulo acriora esse dicebas, non modo non perhorresco, sed audiendi avidus vehementer efflagito. Tum illa, Sensi, inquit, cum verba nostra tacitus attentusque rapiebas, eumque tuæ mentis habitum vel exspectavi, vel, quod est verius, ipsa perfeci. Talia sunt quippe quæ restant, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta dulcescant. Sed quod tu te audiendi cupidum dicis, quanto ardore flagrares, si, quonam te ducere aggrediamur, agnosceres? Quonam, inquam? Ad veram, inquit, felicitatem, quam tuus quoque somniat animus, sed occupato ad imagines visu, ipsam illam non potest intueri. Tum ego, Fac, obsecro, et, quæ illa vera sit, sine cunctatione de-

monstra. Faciam, inquit illa, tui caussa libenter : sed quæ tibi caussa notior est, eam prius designare verbis, atque informare conabor : ut ea perfecta, cum in contrariam partem flexeris oculos, veræ beatitudinis specimen possis agnoscere.

« Jam cantum illa finierat etc. » Iste est tertius liber Boetii de *Consolatione philosophiæ :* et continuatur ad libros præcedentes in hunc modum. Postquam philosophia in primo libro scrutata est causas doloris Boetii, et in secundo libro adhibuit sibi remedia facilia, in præsenti libro et in sequentibus philosophia adhibet Boetio remedia graviora : sunt autem remedia graviora rationes contra communem opinionem hominum, probantes quod in bonis exterioribus non consistit vera felicitas ostendendo in quo sit felicitas vera, et quomodo ad ipsam perveniatur. Et dividitur iste liber in vigintiquatuor partes quia hujus libri sunt duodecim prosæ, et duodecim metra, quæ partes patebunt in processu libri. Quid autem et de quo determinetur in qualibet istarum partium similiter patebit. Prima prosa hujus tertii libri dividitur in tres partes. Primo ostendit Boetius quomodo post prædicta allocutus fuerit philosophiam. Secundo ponit responsionem philosophiæ. Tertio Boetius dirigit quamdam petitionem ad ipsam. Secunda, ibi, « Tum illa. » Tertia, ibi, « Tum ego. » Dicit primo : Jam illa philosophia finierat cantum, idest metrum quod erat de commendatione amoris divini et amicitiæ ; et cum ego Boetius essem allectus dulcedine metri ad audiendum cum aviditate et admiratione verba philosophiæ auribus arrectis, ego dixi : O philosophia quæ es summum solamen animorum lassorum, quantum me refocillasti tuis prosis et metris intantum quod tam bene possum resistere insultibus fortunæ ; et ideo dicit : remedia quæ prius dixisti esse gravia non timeo, sed ea audire diligenter expecto. Nota, quod Boetius metrum vocat cantum. Sicut enim in cantu est elevatio et depressio vocis, sic similiter in metro ratione quantitatis correptæ et productæ syllabarum attenditur quædam elevatio et depressio ; quia ratione quantitatis productæ fit elevatio ; ratione quantitatis correptæ fit depressio. Item quia metrum est subtilius et delectabilius prosa, ideo animum demulcet. Unde auctor poetriæ metrum comparat domicellæ dicens : « Vultque venire metrum tamquam domicella compto crine, nitente gena, subtili corpore, forma egregia. » Ideo dicit Boetius, mulcedo carminis, idest metri. Item homo debet esse avidus et stupens circa philosophiam. Avidus inquam ; quia dicit Seneca *decimaseptima epistola :* « Projice omnia ista si sapis ; immo ut sapias ; et ad philosophiam magno cursu totisque viribus tende. » Etiam homo debet esse stupens, idest admirans de philosophia, quia ipsa est res mirabilis et divina secundum Aristotelem in principio libri sui *de Mundo ;* et philosophia confert mirabiles delectationes, *decimo Ethicorum.* Item animi lassi sunt gravi cura vel adversitate aliqua oppressi : horum philosophia est summum solamen, quia ipsa persuadet magnanimitatem qua contra adversitates fortunæ homo constanter debet militare. Item per philosophiam homo bene potest resistere ictibus fortunæ ; quia *primo Ethicorum* dicit Aristoteles : « Sapiens bene scit ferre fortunas, et habet se sine vituperio sicut tetragonum. » Unde dicit in littera : Jam illa, supple, philosophia, finierat cantum, idest metrum de amore divino ; et cum mulcedo, idest suavitas carminis defixerat, idest stabilierat me avidum, idest cupidum audiendi, que (pro et) stupentem, idest admirantem, supple, verba philosophiæ, auribus meis, arrectis, idest elevatis ad hæc, scilicet verba : itaque paulo post ego inquam, idest dixi : O summum solamen lassorum animorum, supple, per adversitatem, quantum me refovisti pondere sententiarum, supple, prosa, vel etiam jucunditate canendi, idest metri, adeo, idest intantum, ut jam posthac non arbitrer me esse imparem, idest dissimilem in resistendo ictibus, idest insultibus fortunæ. Itaque remedia illa quæ paulo ante dicebas esse acriora, idest gravia, non modo, idest non tantum non perhorresco, idest non timeo, sed ego avidus audiendi, supple, ea vehementer efflagito, idest expostulo. Ubi sciendum,

quod secundum flagitationem, efflagitare est valde flagitare, expostulare, petere cum clamore poscere.

« Tum illa : sensi inquit etc. » Hic ponit responsionem philosophiæ, dicens : Ego bene sensi illud cum tu tacitus, idest attentus, rapuisti verba nostra, et cum ego perfeci mentem tuam : talia enim sunt remedia quæ adhuc restant ut ipsa degustata primo sint amara, sed postea dulcescant. Sed quia tu dicis te esse cupidum audiendi verba nostra : O quanto desiderio arderes si cognosceres quo laboramus te ducere ! et dicit Boetius : Quo vis me ducere? Respondet philosophia : ad cognitionem veræ felicitatis quam animus tuus quasi somniando adhuc vix cognoscit, quia est occupatus imaginibus falsæ felicitatis. Nota, quod Boetius tacitus verba philosophiæ rapiebat consilio Senecæ dicentis : Esto verborum tacitus auditor, auditorum promptus repetitor. Nota, quod præcepta philosophicalia primo sunt amara, postea dulcescunt, secundum illud poetæ :

« Dulce fit carum quamvis primo sit amarum. »

Et Eustratius in *primo Ethicorum* dicit : « Sciunt docti quoniam laboriosa est possessio virtutum : sed propter ejus amaritudinem philosophia non est abjicienda ; » quia « non est dignus dulcoris acumine qui amaritudinis nequit inviscari gravamine, » secundum Boetium in libro de *Disciplina scholarium*. Nota : sicut somnians putat phantasmata sibi occurrentia esse veras res de quibus somniat, et tamen non sunt ipsæ res, sic Boetius in istis temporalibus putavit esse veram felicitatem quæ tamen non est, sed tantum sunt quædam similitudines veræ felicitatis, sicut phantasmata somniorum sunt similitudines rerum. Nota, quod bona exteriora vocat imagines veræ felicitatis. Sicut enim imago est rei imitago et non est ipsa res, sic bona exteriora videntur exprimere formam veræ felicitatis, sed vera felicitas non est in ipsis : unde dicit in littera : Tum pro tunc, illa, supple, philosophia inquit : ego sensi, idest novi, supple, intentionem tuam cum tu tacitus, que (pro et) attentus rapiebas verba nostra, que (pro et) cum ego expectavi, alia littera habet expetivi, idest revocavi habitum tuæ mentis. Vel quod est verius dicere, cum ego ipsa habitum tuæ mentis perfeci : quippe (nimirum) talia sunt, supple, remedia, quæ restant, supple, sumenda, ut ipsa quidem degustata primo mordeant, idest displiceant ; interius autem recepta dulcescant. Sed quod tu dicis te cupidum audiendi, supple, illa remedia : O quanto ardore, idest desiderio, flagrares, idest arderes, si agnosceres, quonam, idest ad quem locum aggrediamur, idest incipiamus te ducere. Ego Boetius inquam, idest dixi : quo nam, supple, vis me ducere ? inquit, supple, philosophia, ad veram felicitatem quam tuus animus somniat, idest imperfecte cognoscit, sed visu, idest cognitione, occupato ad imagines, idest ad bona temporalia quæ sunt imagines et similitudo veræ felicitatis, tu non potes intueri, idest inspicere ipsam, supple, veram felicitatem.

« Tum ego : fac obsecro etc. » Hic Boetius dirigit petitionem philosophiæ ; et ponit consensum suæ petitionis dicens : O philosophia, rogo, ut sine dilatione demonstres mihi quæ sit vera felicitas. Et philosophia consentiens dicit : libenter faciam tui causa : sed prius ego ostendam tibi falsam felicitatem tibi notiorem, ut illa cognita, per contrarium possis postea agnoscere veram felicitatem. Nota, circa hoc quod dicit, faciam tui causa libenter, quod philosophia petitiones hominum admittit. Unde Seneca : « Nulli præclusa est virtus sapientiæ ; omnibus patet, omnes invitat, omnes admittit : non eligit domum neque censum sed nudo homine contenta est. » Nota : innata est nobis via procedendi ex nobis magis notis ad minus nota : *primo Physicorum et secundo de Anima*. Cum igitur bona exteriora sint magis nobis nota, in quibus aliqui posuerunt consistere felicitatem, quam bona interiora ; ideo philosophia primo vult determinare de falsa felicitate nobis magis nota, quæ ponitur in bonis exterioribus, ipsam extirpando, ut per eam agnoscamus veram felicitatem tamquam per contrarium. Nota, quod Seneca in li-

bro *de Virtutibus cardinalibus* dicit : « Scire debes quod quædam non videntur esse bona, et sunt : quædam videntur bona et non sunt : quæcumque autem ex rebus transitoriis possides, non hæc magna existimes ; non mireris quod caducum est. » Ex quo patet quod vera felicitas non consistit in bonis exterioribus quæ videntur esse vera bona et tamen non sunt : unde dicit in littera : Tum (pro tunc) ego, supple, Boetius dixi : O philosophia, obsecro, idest peto, fac, idest duc me ad illam felicitatem, et demonstra mihi sine cunctatione idest sine mora quæ sit illa vera, supple, felicitas. Illa philosophia, inquit, faciam libenter tui causa : sed ego prius conabor, idest laboro tibi designare verbis atque (pro et) informare quæ causa, idest quæ felicitas habens rationem causæ finalis sit tibi notior, idest manifestior, ut ea, supple, falsa felicitate perspecta, idest cognita, possis agnoscere specimen, idest similitudinem, veræ beatitudinis cum flexeris oculos, supple, cognitionis in contrariam partem falsæ felicitatis.

METRUM I.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos, filicemque resecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.
Dulcior est apium mage labor,
Si malus ora prius sapor edat.
Gratius astra nitent, ubi Notus
Desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit,
Pulchra dies roseos agit equos.
Tu quoque falsa tuens bona prius,
Incipe colla jugo retrahere ;
Vera dehinc animum subierint.

« Qui serere ingenuum volet agrum etc. » Istud est primum metrum hujus tertii libri : quod dicitur metrum choristum ab inventore, dactylicum a pede prædominante ; et primus versus hujus metri est ipercatalecticus, quia post primum pedem abundat una syllaba, scilicet *re* in hac dictione serere. Et quia philosophia prædixit quod prius esset ostendendum quæ sit falsa felicitas, et postea quæ sit vera ; ideo philosophia in hoc metro commendat hunc ordinem per quatuor exempla. Primum est : quicumque vult seminare bonum agrum, oportet prius extirpare nocivas herbas, ut ager bene fructificet. Similiter aliquis volens cognoscere veram felicitatem, oportet prius extirpare falsam : unde dicit in littera : Qui volet serere agrum ingenuum, idest nobilem, prius liberat arva, idest agros fruticibus, idest radicibus quæ impediunt ne semen crescat ; et ille resecat, idest præscindit rubos, idest parvas arbores, que (pro et) filicem, idest herbam inutilem, falce, idest falcastro, ut nova ceres eat, idest proficiat, gravis, idest onusta fruge. Secundum exemplum est : Sicut prægustando aliquod amarum mel apperet dulcius, sic propter cognitionem falsæ felicitatis magis cognoscitur vera felicitas. Unde dicit in littera : Labor apium est mage dulcior, idest mel est magis dulce, si malus sapor prius edat, idest inficiat ora. Tertium exemplum est : sicut post tempus nebulosum gratior est serenitas, sic post cognitionem falsæ felicitatis gratior est cognitio veræ felicitatis. Unde dicit in littera : Ubi (pro postquam) notus, idest ventus australis, desinit, idest cessat dare imbriferos sonos, idest flatus producentes imbres, tunc astra nitent gratius, idest delectabilius. Quartum exemplum est : Sicut pulchra dies sequitur tenebras noctis, sic cognitio veræ felicitatis sequitur cognitionem falsæ felicitatis. Unde dicit in littera : Ut, idest postquam, lucifer, idest stella matutina, pepulerit, idest fugaverit, tenebras noctis, tunc pulchra dies agit, idest ducit roseos equos solis. Tunc applicat exempla ad propositum dicens : Tu prius debes considerare falsa bona, et extirpatis ipsis debes cognoscere vera bona in quibus consistit felicitas. Unde dicit in littera : Tu quoque prius tuens, idest respiciens falsa bona, incipe retrahere colla jugo, idest jugo falsæ felicitatis ; dehinc, idest postea vera bona subierint, idest subintrabunt animum tuum. Nota, quod sicut prius extirpanda sunt vitia, et postea inserendæ virtutes, sic ager prius est purgandus et postea seminandus. Unde Tobias :

« Spinis et tribulis purgare novalia debet
Agricola, ut semen fructificare queat. »

Nota, quod frutex, secundùm Huguitionem, est densitas virgultorum, vel arborum, vel spinarum. Vel secundum alios frutex est arbor parva quae terram fronde tegit. Nota, quod filix est inutilis herba habens folia ad modum florum : de qua dicit Poeta :

« Non tamen ista tibi filix illa nascuntur in agro. »

Nota, quod post amaritudinem dulcedo est gratior et sensibilior. Unde Poeta :

« Dulcia non meminit qui non gustavit amara
Namque per oppositum noscitur omne bonum. »

Hoc pauper Henricus. Nota, quod Boetius hic dicit apium pro apum in genitivo plurali ; quod est contra Alexandrum qui dicit : Um dat apis etc. Et quod hic dicatur apium et non apum, patet per metrum quod semper constat ex tribus dactylis continuis ; si autem poneretur apum, non essent tres dactyli continui. Posset tamen dici quod causa metri ponitur apium pro apum.

PROSA II.

Tum defixo paululum visu, et velut in augustam suae mentis sedem recepta, sic coepit : Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire. Id autem est bonum quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat. Quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque intra se bona continens ; cui si quid abforet, summum esse non posset ; quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari. Liquet igitur, beatitudinem esse statum bonorum omnium congregatione perfectum. Hunc, uti diximus, diverso tramite mortales omnes conantur adipisci. Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas ; sed ad falsa devius error abducit. Quorum quidem alii summum bonum esse nihilo indigere credentes, ut divitiis affluant elaborant ; alii vero bonum quod sit dignissimum veneratione judicantes, adeptis honoribus, reverendi civibus suis esse nituntur. Sunt qui summum bonum in summa potentia esse constituant ; hi vel regnare ipsi volunt, vel regnantibus adhaerere conantur. At quibus optimum quiddam claritas videtur, hi vel belli, vel pacis artibus gloriosum nomen propagare festinant. Plurimi vero boni fructum gaudio laetitiaque metiuntur ; hi felicissimum putant voluptate diffluere. Sunt etiam qui horum fines causasque alterutro permutent ; ut qui divitias ob potentiam voluptatesque desiderant ; vel qui potentiam seu pecuniae causa, seu proferendi nominis petunt. In his igitur ceterisque talibus humanorum actuum votorumque versatur intentio, veluti nobilitas favorque popularis, quae videntur quamdam claritudinem comparare, uxor ac liberi, qui jucunditatis gratia petuntur. Amicorum vero, quod sanctissimum quidem genus est, non in fortuna, sed in virtute numeratur. Reliquum vero vel potentiae causa, vel delectationis assumitur. Jam vero corporis bona promptum est ut ad superiora referantur. Robur enim magnitudoque videtur praestare valentiam ; pulchritudo atque velocitas celebritatem ; salubritas voluptatem : quibus omnibus solam beatitudinem desiderari liquet. Nam quod quisque prae ceteris petit, id esse summum judicat bonum. Sed summum bonum beatitudinem esse definivimus. Quare beatum esse judicat statum quem prae ceteris quisque desiderat. Habes igitur ante oculos propositam fere formam felicitatis humanae : opes, honores, potentiam, gloriam, voluptates. Quae quidem sola considerans Epicurus, consequenter sibi summum bonum voluptatem esse constituit, quod cetera omnia jucunditatem animo videantur afferre. Sed ad hominum studia revertor : quorum animus etsi caligante memoria, tamen bonum suum repetit ; sed velut ebrius, domum quo tramite revertatur, ignorat. Num enim videntur errare hi qui nihilo indigere nituntur ? Atqui non est aliud quod aeque perficere beatitudinem possit, quam copiosus bonorum omnium status, nec alieni egens, sed sibi ipse sufficiens. Num vero labuntur hi qui quod sit optimum id etiam reverentiae cultu dignissimum putant ? minime. Neque enim vile quiddam contemnendumque est quod adipisci omnium fere mortalium laborat intentio. An in bonis non est numeranda potentia ? Quid igitur ? Num imbecille ac sine viribus aestimandum est quod omnibus rebus constat esse praestantius ? An claritudo nihili pendenda est ? Sed sequestrari nequit quin omne quod excellentissimum sit id etiam videatur esse clarissimum. Nam non esse anxiam tristemque beatitudinem, nec doloribus molestiisque subjectam, quid attinet dicere ? quando in minimis quoque rebus id appetitur quod habere fruique delectet. Atqui haec sunt quae adipisci homines volunt ; eaque de causa divitias, dignitates, regna, gloriam, voluptatesque desiderant, quod per haec sibi sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem, laetitiam credunt esse venturam. Bonum est igitur quod tam diversis studiis homines petunt : in quo quanta sit naturae vis facile monstratur, cum licet variae dissidentesque sententiae, tamen in diligendo boni fine consentiunt.

« Tum defixo paululum visu etc. » Haec est prosa secunda hujus tertii libri ; in qua philosophia ponit diversas opiniones circa falsam felicitatem. Et primo Boetius ostendit quomodo se philosophia habuit post praedicta. Secundo philosophia ostendit quod omnes homines nituntur pervenire ad beatitudinem, quam ipsa definit. Tertio ostendit quod homines saepe alienantur a vera felicitate diversis erroribus. Quarto ponit errores sive opiniones circa felicitatem. Se-

cunda ibi, « Omnis mortalium. » Tertia ibi, « Hunc uti. » Quarta ibi, « Quorum quidem. » Dicit primo : Postquam philosophia præmisit ordinem procedendi de falsa felicitate ad veram, tum (pro tunc) ipsa paululum defixo visu, idest inclinatis oculis et recepta velut in augustam, idest nobilem sedem mentis suæ, sic cœpit, idest incœpit loqui. Nota, quod capitis inclinatio est signum subtilis imaginationis : propter quod subtiliter et profunde imaginantes caput inclinant, et quandoque non vident delata coram oculis. Ideo philosophia volens subtiliter speculari de felicitate, cujus speculatio difficilis est, ipsa inclinato visu contraxit se in nobilem speculationem suæ mentis.

« Omnis mortalium cura etc. » Hic philosophia ostendit quod omnes homines nituntur pervenire ad unum finem beatitudinis : quam beatitudinem ipsa etiam definit, et dicit sic : Omnis cura, idest sollicitudo, mortalium, idest hominum, quam curam exercet labor multiplicium studiorum, quia aliqui student in litteratura, aliqui in mercantia, et sic de aliis, illa cura procedit diverso calle, idest diverso modo vivendi ; sed tamen nititur pervenire ad unum finem beatitudinis. Illud autem ad quod homines nituntur pervenire, est tale bonum, quo quis adepto nihil ulterius queat desiderare : quod scilicet bonum est summum omnium bonorum, continens intra se cuncta bona : cui scilicet bono, si quid, idest aliquid, abforet, idest deesset, non posset esse summum bonum ; quia relinqueretur aliquid extrinsecus, idest extra aliud bonum, quod posset optari. Ex quibus dictis philosophia concludit definitionem beatitudinis, dicens : Liquet, idest manifestum est beatitudinem esse statum perfectum congregatione omnium bonorum. Nota : « cognitio ultimi finis magnum incrementum confert ad vitam, » in *primo Ethicorum* : quia « secundum exigentiam finis cetera moderantur, » secundum Linconiensem in *primo Posteriorum* ; ideo philosophia tradit nobis cognitionem ultimi finis, scilicet beatitudinis. Nota : « finis est magis eligendus his quæ sunt propter finem, » ut patet per Aristotelem in *tertio Topicorum :* Item ibidem : « cujus finis est bonus, ipsum quoque bonum. » Item, omnia denominanda sunt a fine. Unde Poeta :

« Si finis bonus est, totum laudabile fas est. »

Nota : finis in agibilibus habet se sicut principium in speculabilibus. Sicut ergo intellectus noster naturaliter adhæret primis principiis, sic appetitus noster naturaliter adhæret ultimo fini qui est summum bonum. Nota, quod duplex est finis : scilicet finis quo, et finis gratia cujus omnia fiunt. Ille enim est unus sicut Deus vel beatitudo ; et iste finis appetitur ab omnibus sub una ratione, inquantum est bonum satians appetitum hominis. Finis autem quo, est operatio qua homines nituntur adipisci finem gratia cujus : et talis finis non est unus sicut non est una operatio omnium. Ideo dicit philosophia quod cura hominum procedit diverso calle ad consequendum ultimum finem. Nota : illud ad quod omnes homines nituntur pervenire, est bonum : quia « bonum est quod omnia appetunt, » in *primo Ethicorum.* Nota : quia beatitudo habet rationem ultimi finis, ipsa est tale bonum quo adepto nihil ulterius desideratur : nam de ratione finis est esse ultimum : et ultra illud quod est ultimum nihil est ; ergo etiam oportet illud esse summum bonum ; quia illud quo adepto nihil ulterius desideratur est summum bonum : tale autem est beatitudo. Nota : quia beatitudo est bonum optimum pulcherrimum et delectabilissimum ; ideo beatitudo est status perfectus congregatione omnium bonorum, continens in se omnia bona. Si enim aliquod bonum sibi deficeret, non esset summum bonum.

« Hunc, uti diximus, diverso tramite etc. » In ista parte ostendit philosophia, quod homines a vera felicitate diversis erroribus abducuntur, dicens : Hunc, scilicet statum beatitudinis omnes mortales, sicut diximus, conantur adipisci diverso tramite, idest diversa via ; quia cupiditas, idest appetitus, veri boni naturaliter est inserta mentibus hominum, sed

beatitudo est verum bonum, quia summum. Sed devius error abducit homines ad falsa bona. Nota : quia beatitudo aggregat in se omnia bona ; ideo ejus cupiditas naturaliter est hominibus inserta. Ubi tamen sciendum quod beatitudinem continere omnia bona, potest intelligi dupliciter. Uno modo formaliter ; sic non continet omnia bona, quia felicitas formaliter et essentialiter potest esse sine bonis exterioribus, ut sine divitiis et ceteris bonis. Alio modo intelligitur continere ea virtualiter, ita quod beatitudo excellat omnia bona ; et sic est vera. Nota, quod philosophia hic utitur quadam figura quæ dicitur epitheton, dicendo devius error ; nullus enim error est, qui non sit devius : unde Poeta :

« Fiet epitheton si dicas tristia bella. »

Nota : cum mens humana naturaliter desideret verum bonum, nunquam tendit in falsum bonum nisi inquantum ipsum æstimatur esse verum bonum : talis autem æstimatio est devius error ; ergo devius error ad falsa abducit.

« Quorum quidem alii summum esse bonum etc. » Hic philosophia ponit diversas opiniones circa felicitatem ; ostendens quomodo homines per errorem ad falsa bona ducebantur. Secundo ostendit quod in talibus bonis posuerunt beatitudinem. Tertio ostendit quod naturaliter eorum intentio tendebat ad veram beatitudinem. Secunda ibi, « Quibus omnibus. » Tertia ibi, « Sed ad hominum studia. » Primo ostendit quomodo homines errabant circa falsa bona, statuendo in eis finem. Secundo ostendit quomodo quidam fines adinvicem permutabant. Tertio alia bona fortuita reducit ad prædicta. Secunda ibi, « Sunt etiam. » Tertia ibi, « In his igitur. » Primo dicit : Quorum, supple, hominum qui ducuntur ad falsa bona, alii credentes summum bonum esse nihilo indigere, ipsi elaborant ut affluant, idest abundent divitiis, ponendo omnem sufficientiam esse in divitiis : et in hoc errabant. Alii vero summum bonum judicantes quod dignissimum sit veneratione, idest honore, tales adeptis honoribus nituntur esse reverendi suis civibus, putantes in honoribus temporalibus veram dignitatem consistere ; et in hoc errabant. Sunt alii qui summum bonum constituant in summa potentia. Illi vel ipsi volunt regnare, vel conantur adhærere regnantibus tamquam consiliarii vel familiares eorum, per hoc putantes se esse vere potentes : et in hoc decipiuntur. Sed quibus claritas, idest fama, videtur esse optimum bonum, illi festinant propagare, idest dilatare, gloriosum nomen, idest pulchram famam artibus, idest studiis belli, sicut viri militares, vel artibus pacis, sicut sapientes mundi, credentes se per hoc acquirere gloriam immortalem ; et decipiuntur per hoc. Plurimi vero, idest multi metiuntur, idest mensurant fructum boni, gaudio et lætitia exteriori : hi putant, idest æstimant, felicissimum defluere, idest abundare, voluptate, idest delectatione corporali, æstimantes in hoc consistere verum gaudium : quod est erroneum. Nota : quinque sunt in quibus errantes a vero bono, posuerunt consistere veram felicitatem : scilicet divitiæ, honores, potestates, gloria et voluptates. Quorum sufficientia sic accipitur. Cum finis habeat rationem boni, secundum diversitatem boni diversificatur finis. Est autem triplex bonum : utile, delectabile, et bonum honestum : et illi qui intendebant bono utili posuerunt felicitatem in divitiis, sed qui intendebant bono delectabili ponebant voluptates, et in illis posuerunt finem et felicitatem : qui autem intendebant bono honesto, isti diversificabantur; quia bonum honestum est bonum secundum rationem. Ratio autem est duplex : scilicet speculativa et practica : de bono honesto quod consistit in speculatione non loquebantur isti, quia tale bonum est latens, ipsi autem posuerunt felicitatem in bono honesto quod est bonum rationis practicæ ; tale ergo bonum vel consistit in opinione hominum, et sic est gloria ; vel consistit in exercitio actus realis : et hoc est dupliciter : vel enim consistit in exercitio proprii actus circa alios ; et sic est potestas : vel consistit in exercitio actus aliorum circa se, et sic est honor.

« Sunt etiam qui horum fines etc. »

In ista parte ostendit quomodo quidam istorum, fines jam dictos permutabant : et dicit : Sunt etiam aliqui qui fines,que (pro et) causas finales permutant alterutro, idest adinvicem, desiderantes unum propter alterum. Nam quidam desiderant divitias et voluptates, ob (idest propter) potentiam ; et sunt alii qui potentiam petunt, idest desiderant causa pecuniæ, idest propter divitias ; vel causa proferendi nominis, idest causa dilatationis famæ. Nota : secundum Aristotelem in *tertio Ethicorum :* « Qualis unusquisque est talis finis videtur ei ; secundum ergo diversam dispositionem hominum diversi fines eliguntur. » Illud autem eligitur propter aliquem finem per quod quis videtur posse consequi illum finem. Cum igitur ponentes finem esse divitias magis putabant se divitias consequi per potentiam, ipsi appetebant potentiam propter divitias ; et e converso, quibus videbatur se posse consequi potentiam per divitias, ipsi appetebant divitias propter potentiam ; et sic posuerunt permutationem finium istorum adinvicem.

« In his igitur ceterisque talibus etc.» Hic philosophia reducit omnia bona fortunæ in quibus ponunt homines felicitatem, in prædicta quinque ; et dicit : In his igitur quinque bonis, que (pro et) ceteris talibus, scilicet reducibilibus ad prædicta, versatur intentio actuum humanorum et votorum, idest desideriorum. Et manifestat exemplariter quod alia reducantur ad ipsa, dicens : veluti nobilitas, que (pro et) favor popularis quæ videntur comparare quamdam claritatem, idest gloriam ; ideo, supple, reducuntur ad gloriam : uxor autem et liberi, idest filii sunt qui petuntur gratia jucunditatis, idest causa voluptatis ; ideo ad voluptatem reducuntur. Sed sanctissimum genus amicorum non numeratur inter bona fortunæ, sed numeratur in virtute. Reliquum vero quod cadit sub exteriori fortuna, illud assumitur vel causa potentiæ, sicut est administratio officiorum ; vel assumitur causa delectationis, sicut exercitium ludorum. Sed bona corporis promptum est ut referantur, idest reducantur etiam ad superiora bona ; quia robur, que (pro et) magnitudo quæ est signum fortitudinis corporalis, videntur prestare valentiam, idest potentiam, et sic ad potentiam reducuntur : sic pulchritudo et velocitas videntur prestare celebritatem, idest gloriam ad quam reducuntur : salubritas autem, idest sanitas, videtur conferre voluptatem ad quam reducitur : et sic omnia bona fortunæ reducuntur ad prædicta quinque. Nota : indigentia alicujus boni auget desiderium illius boni ; ideo secundum variam innigentiam hominum variatur eorum desiderium : unde Aristoteles in *primo Ethicorum* dicit, quod « ægrotans sanitatem, medicus divitias, conscii autem sibiipsis ignorantiæ, eos qui magnum aliquod habent supra se admirantur ; » secundum ergo diversam dispositionem hominum felicitas ponebatur in diversis bonis fortunæ ; quæ tamen sub prædictis bonis quinque comprehenduntur. Nota : licet amici afferant jucunditatem, tamen non sunt computandi inter bona fortunæ. Cum enim amicitia sit virtus, oportet quod amici virtute acquirantur : quod autem virtute acquiritur per virtutem conservatur, et tale non potest esse bonum fortuitum. Item amicitia fundata super bono honesto est sanctissima et in virtute numeratur ; sed amicitia fundata super bono utili et delectabili fortuita est.

« Quibus omnibus solam beatitudinem etc. » In ista parte probat philosophia, quod omnes prædicti quærebant beatitudinem in his bonis ; et dicit : Omnibus desiderantibus prædicta bona liquet, idest manifestum est ipsos desiderare beatitudinem ; nam illud bonum quod quisque petit, idest desiderat præ ceteris, illud judicat esset summum bonum : sed nos definimus summum bonum esse beatitudinem : quare statum illum quem quisque desiderat præ ceteris judicat esse statum beatum, idest beatitudinem. Et tunc recolligit bona falsæ felicitatis, dicens : habes ante oculos tuos propositam formam humanæ felicitatis ; scilicet opes, honores, potentiam, gloriam, voluptates, quæ considerans Epicuros constituit voluptatem esse summum bonum, eo quod omnia cetera videantur afferre, idest dare animo jucunditatem. Nota, quod omnes

appetentes prædicta bona, appetebant beatitudinem ; nam quidquid aliquis eligit præ aliis, hoc videtur sibi esse summum bonum ; sed aliquis præ cæteris eligit divitias ; ergo divitiæ videbantur sibi summum bonum, aliquis honores, et sic de aliis ; ergo omnes prædicti appetebant beatitudinem. Nota, quod prædicta bona videntur conferre aliquam jucunditatem ; omnia videntur esse ordinata ad jucunditatem tamquam ad finem et quia in voluptatibus est maxima jucunditas ; ideo Epicuri posuerunt felicitatem consistere in voluptatibus.

« Sed ad hominum studia revertor etc. » Hic ostendit philosophia quod licet homines in prædicto modo errent, tamen eorum intentio semper fertur ad veram beatitudinem. Secundo ostendit unde hoc proveniat, ibi, « In quo quanta sit. » Primo præmittit intentum suum. Secundo declarat, ibi, « Num enim. » Primo dicit : Ego revertor ad studia, idest ad intentiones hominum, quorum animus, etsi (pro quamvis) memoria caligante, idest obscurata, supple, desiderio præsentium bonorum, tamen semper repetit per naturalem inclinationem summum bonum ; sed ignorat quomodo illud repetat ; velut ebrius, qui ignorat quo tramite, idest qua via revertatur domum. Nota : sicut ebrius scit se habere domum, sed propter defectum rationis nescit quomodo ad eam redeat, sic homines aliquo modo in generali sciunt et cognoscunt summum bonum, et naturaliter inclinantur ad illud tamquam ad principium a quo processerunt ; sed inebriati amore temporalium bonorum nesciunt quomodo ad id perveniant.

« Num enim videntur errare hi etc. » Hic declarat intentum suum, scilicet quod omnes quærentes prædicta bona quærebant aliquid quod proprie convenit summo bono. Et primo ostendit hoc de divitiis, dicens : Num (pro numquid) isti videntur errare per intentionem a summo bono qui nituntur nihilo indigere, ratione cujus quærebant divitias : quasi dicat : non errant a summo bono, quia nihilo indigere maxime spectat ad summum : unde dicit : Atqui (pro certe) non est aliud quod æque possit perficere beatitudinem quam status copiosus omnium bonorum, nec alieni egens, sed sibi ipse sufficiens. Tunc ostendit idem de honoribus, dicens : Num vero labuntur, supple ab intentione summi boni, qui illud quod sit optimum putant id etiam esse dignissimum cultu reverentiæ, idest honoris ? et respondet : minime, supple, labuntur ; neque enim est vile et contemnendum quod intentio omnium mortalium laborat adipisci : et sic quærentes honorem quærebant aliquid quod est in summo bono, eo quod summum bonum est honorabilissimum. Tunc ostendit idem de potentia, dicens : An (pro numquid) in bonis, idest inter bona non est numeranda potentia ? quasi dicat : sic. Quid igitur est dicendum, nisi quod quærentes potentiam etiam tendunt ad summum bonum, cum summum bonum sit potentissimum ? non enim istud est æstimandum imbecillum et sine viribus, idest sine potentia, quod constat esse præstantius, idest potentius, omnibus rebus. Tunc ostendit idem de gloria, dicens : An claritudo, idest gloria est nihil pendenda, ita ut quærentes gloriam non tendunt ad summum bonum ? quasi dicat : non est nihili pendenda : sed nequit, idest non potest, sequestrari, idest negari, quin omne quod sit excellentissimum, illud etiam videatur esse clarissimum, idest gloriosissimum. Tunc ostendit idem de voluptate, dicens : Quid attinet dicere ? quasi dicat : de se manifestum est beatitudinem esse anxiam et tristem, nec subjectam doloribus et molestiis, sed supple, magis est plena voluptate et jucunditate : et per consequens quærentes voluptatem et lætitiam tendunt ad summum bonum. Quod autem jucunditas et voluptas includatur in bono summo, probat per locum a minori, dicens : Quando in minimis rebus, scilicet appetendis, patet quod aliquid appetitur quod delectat habere et ipso frui. Hæc igitur sunt quæ homines volunt adiscipi, et ea de causa desiderant, idest cupiunt vel quærunt divitias, dignitates, regna, gloriam et voluptates, quia per hæc credunt sibi esse venturam sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem et lætitiam. Bonum igitur est quod homines petunt diversis

studiis, idest intentionibus. Nota, quod ex tota ista littera potest formari una ratio : scilicet quod quærentes prædicta bona, quærunt beatitudinem. Ratio est ista : Illi tendunt ad beatitudinem qui tendunt ad sufficientiam, reverentiam, potentiam, celebritatem et lætitiam : sed appetentes prædicta bona, scilicet divitias, dignitates, regna, gloriam et voluptates, tendunt ad sufficientiam, reverentiam, et sic de aliis ; ergo tendunt ad beatitudinem. Major est nota ; quia sufficientia, reverentia sunt conditiones beatitudinis, quæ perfectissime reperiuntur in beatitudine. Quærentes ergo proprietates beatitudinis tendunt ad beatitudinem. Minor patet ex littera. Nota, quod quærentes divitias propter sufficientiam, ferebantur in summum bonum naturali appetitu, quia in summo bono est vera sufficientia ; et in hoc non errabant : sed quia sufficientiam quæ est nullius indigentiæ, putabant sibi provenire per divitias, in hoc errabant. Similiter quærentes dignitates propter reverentiam, naturali intentione ferebantur in beatitudinem, eo quod beatitudo est reverendissima ; sed quia summam reverentiam putabant sibi subvenire per dignitates temporales, ideo in hoc errabant ; et sic intelligitur de aliis.

« In quo quanta sit naturæ vis etc. » Hic ostendit philosophia unde hoc proveniat quod quantumcumque intentio hominum sit diversa, tamen intendit in beatitudinem : et ostendit quod hoc provenit ex vi naturalis inclinationis quæ nulli auferri potest ; et dicit : In quo, scilicet appetitu boni vel beatitudinis, facile monstratur quanta sit vis naturæ, cum licet sint variæ et dissidentes, idest discordantes sententiæ hominum de summo bono, tamen homines consentiunt, idest concordant in diligendo, idest beatitudinem. Nota, quod fine existente uno possunt diversificari actiones tendentes in illum finem. Si enim propter diversitatem actionum esset diversitas finium, non esset evenire ad unum finem : sed procederetur in infinitum in finibus ; quod patet falsum *ex secundo Metaphysicæ* : et hoc est verum de fine cujus gratia omnia fiunt, quod ille est unus, et non de fine, quo ut prius visum est. Licet ergo sint diversæ sententiæ et studia hominum, tamen conveniunt in appetendo unum finem, scilicet beatitudinem.

METRUM II.

Quantas rerum flectat habenas
Natura potens, quibus immensum
Legibus orbem provida servet,
Stringatque ligans irresoluto
Singula nexu, placet arguto
Fidibus lentis promere cantu.
Quamvis Pœni pulchra leones
Vincula gestent, manibusque datas
Captent escas, metuantque trucem
Soliti verbera ferre magistrum ;
Si cruor horrida tinxerit ora,
Resides olim redeunt animi,
Fremituque gravi meminere sui ;
Laxant nobis colla solutis,
Primusque lacer dente cruento
Domitor rabidas imbuit iras.
Quæ canit altis garrula ramis
Ales, caveæ clauditur antro :
Huic licet illata pocula molle,
Largasque dapes dulci studio
Ludens hominum cura ministret ;
Si tamen arcto saliens tecto,
Nemorum gratas viderit umbras,
Sparsas pedibus proterit escas,
Silvas tantum mœsta requirit,
Silvas dulci voce susurrat.
Validis quondam viribus acta,
Pronum flectit virga cacumen :
Hanc si currus dextra remisit,
Recto spectat vertice cœlum.
Cadit Hesperias Phœbus in undas ;
Sed secreto tramite rursus
Currum solitos vertit ad ortus.
Repetunt proprios quæque recursus,
Redituque suo singula gaudent.
Nec manet ulli traditus ordo,
Nisi quod fini junxerit ortum,
Stabilemque sui fecerit orbem.

« Quantas rerum flectat habenas etc. » Hinc incipit secundum metrum hujus tertii, quod dicitur pindaricum ab inventore, anapesticum a pede prædominante ; et est dimetrum, quia constat ex quatuor pedibus, quorum duo constituunt unum metrum. In quo metro quia philosophia, sicut dixerat quod vis naturæ operatur, quod intentio hominum semper tendit in bonum ; ideo hic commendat vim naturæ ; ostendens quod tanta est vis naturæ, quod quantumcumque res abducatur assuefactione vel violentia ad aliquid quod est sibi præter naturam, tamen sibiipsi derelicta semper redit ad illud quod inest sibi secundum naturam. Et præmittit suam intentionem. Secundo manifestat

propositum, ibi : « Quamvis. » Prima dicit : Mihi philosophiæ placet promere, idest manifestare, cantu arguto, idest sonoro lentis fidibus, idest chordis bene sonantibus, quantas habenas, idest naturales inclinationes, potens natura flectat, idest regat, quibus legibus provida natura servat, idest conservat immensum orbem, et quibus legibus natura stringat ligans singula irresoluto nexu, idest conjunctione indissolubili. Nota : triplex est natura : natura naturans, sicut est Deus a quo dependet cœlum et tota natura. Alia est natura naturans et naturata simul : sicut cœlum, quod dicitur natura naturata, inquantum dependet a Deo, et dicitur natura naturans inquantum influit naturis istorum inferiorum. Alia est natura naturata tantum, quam beatus Augustinus sic definit : « Natura est quædam vis et potentia divinitus insita rebus creatis, quæ unicuique rei suum esse tribuit, qua cum quisque male utitur malus esse judicatur. » In proposito dictum philosophiæ potest intelligi de natura tertio modo dicta : licet quidam exponant per naturam primo modo sumptam. Item leges naturæ hic vocat determinationes et proprietates naturales cujuslibet rei a Deo sibi constitutas.

« Quamvis pœni pulchra leones etc. » Hic philosophia manifestat propositum per quatuor exempla. Secundo generaliter concludit similiter esse in omnibus aliis, ibi, « Repetunt. » Prima in quatuor partes, secundum quatuor exempla quæ patebunt. Primum exemplum est de quadrupedibus, sicut de leonibus : qui licet ex quadam assuefactione domentur, ita ut mitescant metuendo suum magistrum, tamen si multum offendantur redit eorum crudelitas naturalis, ita ut primo lacerent dentibus magistrum suum. Unde dicit in littera : quamvis leones pœni, idest libyci gestent, idest portent pulchra vincula, idest catenas in collo, et captent, idest recipiant, escas datas, idest porrectas eis manibus sui magistri ; et quamvis metuant trucem, idest crudelem magistrum, leones inquam soliti ferre, idest pati, verbera magistri, sed si cruor tinxerit, idest madidaverit, horrida ora, idest colla leonum per nimia verbera, tunc animi leonum resides, idest quieti redeunt ad naturalem crudelitatem, et leones meminere sui, idest naturæ gravi fremitu, idest magno rugitu ipsi laxant, idest solvunt colla solutis nodis, idest capitis vinculis : et primus solus domitor, scilicet magister, ille imbuit, idest recipit lacer, idest laceratus, rabidas iras, cruento dente, scilicet leonis. Nota, secundum Isidorum in libro *Etymologiarum*, « Pœni sunt homines Carthaginenses. Est autem Carthago civitas Libyæ : propter quod leones Libyæ vocat leones pœnos, et hujus leones Libyæ facilius dominantur. » Nota, quantumcumque leones domentur et assuefactione ducantur a sua crudelitate, si tamen afficiantur cruore vel sanguine, redeunt ad naturalem crudelitatem.

« Quæ canit altis garrula ramis etc. » Hic ponit secundum exemplum, quod est de volatilibus : et est tale : Avicula capta quæ præter naturam domesticatur, quantumcumque foveatur delitiis hominum, tamen habita opportunitate redit ad silvestritatem. Unde dicit in littera : Ales garrula quæ canit altis ramis, si illa capta clauditur in antro caveæ, idest domunculæ, supple, ut ibi maneat ad solatium hominum : licet ludens cura hominum ministret huic avi pocula illita, idest melle que (pro et) largas dapes ministret dulci studio ; si tamen illa avis saliens ex arto tecto, idest ex arta domuncula, viderit gratas umbras nemorum, ipsa proterit pedibus suis escas sparsas, et ipsa mœsta quia fuit detenta requirit silvas, et dulci voce susurrat, idest cantat in silvis. Nota : natura non assuescit in contrarium. Si enim lapis centies millesies projiciatur sursum, non assuescit ascendere sursum. Licet ergo aliqua consuetudine vel violentia natura possit ad tempus impediri, tamen semper inclinatur ad proprium opus.

« Validis quondam viribus acta etc. » Hic ponit tertium exemplum de vegetabilibus, sicut de virga crescente : quod tale est. Licet virgula erecta per violentiam incurvetur, tamen relicta propriæ naturæ ipsa sursum erigitur : unde dicit in littera : Virga quondam acta, idest coacta, validis viribus, supple, hominis

incurvantis eam, ipsa flectit pronum cacumen : sed si dextra curvans remisit hanc, ipsa spectat, idest respicit cœlum recto vertice ; quasi dicat : deposita violentia incurvantis virga redit ad naturalem rectitudinem. Nota : licet natura rerum inanimatarum non facile assuescat in contrarium, tamen in hominibus rationalibus multum facit assuescendo vel consuescendo ; quia licet aliquis sit male complexionatus, tamen per usum et consuetudinem habilitatur, et complexio mutatur. Unde Seneca : « Consuetudo est altera natura. »

« Cadit hesperias Phœbus in undas etc. » Hic philosophia probat intentum suum ponendo quartum exemplum in corporibus cœlestibus ; et est tale : Sol motus ab oriente in occidentem cadit in mare hespericum ; sed naturali inclinatione redit ad orientem sub nostro hemisphærio. Unde dicit in littera : Phœbus, idest sol, cadit in undas hesperias, idest occidentales ; sed secreto tramite, idest secreta via, scilicet sub terris, rursus, idest iterum, vertit currum, idest cursum suum ad solitos ortus, idest ad partes orientales. Nota quod Boetius hic loquitur more poetarum, qui dicebant solem tempore vespertino descendere in mare occidentale ut ibi lavaretur a sordibus et a pulvere quo maculatus fuit existens in nostro hemisphærio : sed hoc non est verum, quia sic apparet ruditati hominum.

« Repetunt proprios quæque recursus etc. » Hic philosophia concludit idem esse in omnibus aliis entibus, videlicet quod omnia entia quocumque modo per violentiam seu assuefactionem a sua abducantur natura, tamen sibi derelicta semper redeunt ad illud quod inest eis per naturam. Unde dicit in littera : Quæque, idest quælibet entia repetunt proprios recursus, idest naturales motus, et singula, idest omnia entia, gaudent suo reditu, supple, redeundo ad illud, supple, quod convenit eis secundum naturam. Nec ulli manet, idest adest traditus ordo nisi quod suo fini junxerit ortum, idest principium, et fecerit stabilem orbem, idest circulationem sui conjungendo finem principio. Nota, quod orbis, in proposito, est circulus vel linea circumducta rediens ad idem punctum unde incepit, æqualiter distans a medio. Facit autem homo stabilem sui orbem procedens a Deo tamquam a suo principio : transit per temporalia in quibus non sistit, sed redit ad Deum tamquam ad suum finem per contemplationem mentis.

PROSA III.

Vos quoque, o terrena animalia, tenui licet imagine, vestrum tamen principium somniatis, verumque illum beatitudinis finem, licet minime perspicaci, qualicumque tamen cogitatione perspicitis ; eoque vos et ad verum bonum naturalis ducit intentio, et ab eodem multiplex error abducit. Considera namque, an per ea quibus se homines adepturos beatitudinem putant, ad destinatum finem valeant pervenire. Si enim vel pecuniæ, vel honores, ceteraque tale quid afferunt cui nihil bonorum abesse videatur, nos quoque fateamur fieri aliquos horum adeptione felices. Quod si neque id valent efficere quod promittunt, bonisque pluribus carent, nonne liquido falsa in eis beatitudinis species deprehenditur ? Primum igitur teipsum, qui paulo ante divitiis affluebas, interrogo. Inter illas abundantissimas opes numquam ne animum tuum concepta ex qualibet injuria confudit anxietas? Atqui, inquam, tam libero me fuisse animo, quin aliquid semper augeret, reminisci nequeo. Nonne quia vel aberat quod abesse non velles, vel aderat quod adesse noluisses? Ita est, inquam. Illius igitur præsentiam, hujus absentiam desiderabas. Confiteor, inquam. Eget vero, inquit, eo quod quisque desiderat ? Eget, inquam. Qui vero eget aliquo, num est usquequaque sibi ipse sufficiens? Minime, inquam. Tu itaque hanc insufficientiam plenus, inquit, opibus sustinebas ? Quidni ? inquam. Opes igitur nihilo indigentem sufficientemque sibi facere nequeunt ; et hoc erat quod promittere videbantur. Atqui hoc quoque maxime considerandum puto, quod nihil habeat suapte natura pecunia, ut his a quibus possidetur, invitis nequeat auferri. Fateor, inquam. Quidni fateare, cum eam quotidie valentior aliquis eripiat invito ? Unde enim forenses querimoniæ, nisi quod vel vi vel fraude a nolentibus pecuniæ repetuntur ereptæ ? Ita est, inquam. Egebit igitur, inquit, extrinsecus petito præsidio, quo suam pecuniam quisque tueatur. Quis id, inquam, neget. Atqui non egeret eo, nisi possideret pecuniam quam possit amittere. Dubitari, inquam, nequit. In contrarium igitur relapsa res est : nam quæ sufficientes sibi facere putabantur opes, alieno potius præsidio faciunt indigentes. Quis autem modus est quo pellatur divitiis indigentia ? Num enim divites esurire nequeunt ? num sitire non possunt ? num frigus hibernum pecuniosorum membra non sentiunt ? Sed adest, inquies, opulentis quo famem satient, quo sitim frigusque depellant. Sed hoc modo consolari quidem divitiis indigentia potest, auferri penitus non potest. Nam si hæc hians semper, atque aliquid poscens, opibus expletur, maneat necesse est quæ possit expleri. Taceo, quod naturæ minimum, quod avaritiæ nihil satis est. Quare si opes nec submovere indigentiam possunt, et ipsæ suam faciunt, quid est quod eas sufficientiam præstare credatis ?

« Vos quoque, o terrena animalia, etc. » Hæc est tertia prosa hujus libri ; in qua et in aliis sequentibus ostendit quod vera felicitas non consistit in illis quæ quidam putaverunt esse summa bona ; sed tantum est falsa felicitas in ipsis. Et primo philosophia ea quæ dicta sunt in metro adaptat specialiter ad homines, et cum hoc proponit intentum suum. Secundo probat intentum, ibi, « Primum igitur. » Dicitur primo : dictum est quod omnia repetunt suum finem : vos quoque o terrena animalia, idest vos homines qui estis traditi terrenis, somniatis, idest imperfecte cognoscitis vestrum principium, licet tenui imagine, idest exili similitudine, et prospicitis illum verum finem beatitudinis, licet cognitione minime perspicaci ; tamen qualicumque cognitione ; eoque, idest ideo naturalis intentio ducit vos ad verum bonum, et multiplex error ab eodem vos abducit. Et tunc proponit intentum suum, dicens : Considera namque, o Boeti, an homines valeant pervenire ad destinatum finem, idest ad beatitudinem per ea quibus putant se adepturos beatitudinem. Si enim pecunia vel honores ceteraque afferunt quid, idest aliquid tale, cui nihil bonorum videatur abesse, nos fatemur aliquos fieri felices adeptione horum bonorum ; sed si non valent efficere, idest facere quod promittunt, et carent pluribus bonis : nonne liquido, idest manifeste falsa species beatitudinis in his deprehenditur? quasi dicit, sic. Nota : principium omnium rerum, quod est Deus, est vera beatitudo, ut postea patebit. Tale principium quasi somniando cognoscitur, et difficulter ad ipsum devenitur : non enim perfecte in præsenti statu ipsum cognoscimus, quia intellectus noster habet se ad ipsum sicut oculus noctuæ ad lumen solis, ex *Secundo Metaphysicæ*. Etiam ad talem beatitudinem cum difficultate pervenitur. Unde Alanus in *Anticlaudiano* dicit :

« [illegible] »

« Primum igitur teipsum etc. » Hic philosophia probat intentum suum, quod ista bona non efficiant quod promittunt et per consequens in eis est falsa beatitudo. Et primo ostendit hoc de divitiis, post idem de aliis bonis. Primo ergo probat quod divitiæ non conferunt sufficientiam quam videntur promittere, et propter quam appetuntur. Secundo probat quod divitiæ conferunt indigentiam. Tertio probat quod indigentiam non auferunt. Secunda, ibi, « Atqui. » Tertia ibi, « Quis autem modus. » Primo intendit talem rationem : In illis non consistit vera felicitas quæ non reddunt hominem sibi sufficientem ; sed divitiæ sunt hujusmodi ; ergo etc. Major est nota : quia felicitas est bonum sufficientissimum nullius egens. Minorem declarat in littera. Et procedit philosophia more didascalico, idest interrogando et respondendo ; et dicit sic. Primum igitur teipsum Boetium interrogo qui paulo ante divitiis affluebas, idest abundabas : nunquam ne anxietas, idest tristitia, concepta, ex qualibet injuria, confudit animum tuum inter opes abundantissimas? et respondet Boetius : Atqui (pro certo) ego nequeo reminisci me fuisse tam libero animo, quin semper angerer, idest offenderer aliquo. Et dicit philosophia : Nonne tibi aliquid aberat quod abesse non velles, vel tibi aliquid aderat quod adesse noluisses? Respondet Boetius : Ita est, inquam. Tunc philosophia concludit, dicens : Ideo illius quod aberat præsentiam desiderabas : hujus autem quod aderat desideraas absentiam. Dicit Boetius : Confiteor inquam. Philosophia inquit : Eget vero, idest caret quod quisque desiderat? Dicit Boetius : Eget. Et philosophia : Qui vero eget aliquo, non est usquequaque sibi sufficiens. Dicit Boetius : Minime, supple, est sufficiens. Et philosophia : Tu itaque hanc insufficientiam sustinebas plenus opibus. Concludit ergo philosophia ex concessis, dicens : Igitur opes nequeunt facere nihilo indigentem et sibi sufficientem : et hoc erat quod promittere videbantur. Nota, quod omnis appetitus est ratione carentiæ : unde illud quod quis habet proprie non desiderat, sed magis amat. Unde Augus-

tinus *nono libro de Trinitate* dicit : « Idem appetitus quo quis inhiat rei cognoscendæ, est amor rei cognitæ. » Ideo dicit philosophia eget vero quod quisque desiderat. Nota : philosophia dicit : qui eget non est sibi sufficiens. Contra hoc diceret aliquis : sapiens eget, quia indiget bonis exterioribus sine quibus vivere non potest ; et tamen sapiens est sibi sufficiens, per Senecam *nona epistola*, quæ dicit : « Sapiens seipso contentus est. » Ad hoc dicendum, quod sapiens indiget quibusdam ad vivendum : sed ad beate vivendum seipso contentus est. Unde dicit Seneca *nona epistola* : « Sapiens seipso contentus est ad beate vivendum, sed non ad vivendum. Ad vivendum enim multis rebus illi opus est ; sed ad beate vivendum tantum contentus est animo sano et erecto et despiciente fortunam. »

« Atqui hoc quoque maxime etc. » Hic probat philosophia quod divitiæ conferunt indigentiam, et per consequens non consistit in eis felicitas, cum felicitas sit bonum sine omni indigentia. Probat autem in littera quod pecunia confert indigentiam, per hoc, quia pecunia facit ut homo indigeat alieno præsidio, quo pecuniam suam tueatur ne per violentiam auferatur. Unde subdit in littera : Atqui (pro certo), ego puto hoc maxime considerandum, quod pecunia nihil habeat suapte natura, idest in sua natura, ut nequeat auferri his invitis, idest nolentibus a quibus possidetur. Dicit Boetius : Fateor inquam. Et philosophia : Quidni fateare? quasi dicat, oportet ut fatearis. cum quotidie aliquis valentior, idest fortior, eripiat eam invito, idest nolenti. Unde enim sunt querimoniæ forenses, idest judiciales, nisi quod pecuniæ ereptæ vi vel fraude repetuntur in judicio? Respondet Boetius : Ita est inquam. Et philosophia : Egebit igitur quisque præsidio, idest auxilio extrinsecus petito quo tueatur suam pecuniam quam posset amittere. Respondet Boetius : Dubitari nequit. Tunc philosophia concludit ex dictis, dicens : Igitur res est relapsa, idest mutata in contrarium. Nam opes quæ putabantur sibi facere sufficientes, faciunt potius indigentes alieno præsidio. Nota : illud quod per violentiam acquiritur, per violentiam potest auferri : sed pecunia per violentiam acquiritur, quia dicit Aristoteles *primo Ethicorum*, quos « omnis pecuniosus est violentus ; » ergo violenter aufert pecuniam propter quam violentiam fiunt querimoniæ forenses, Ubi sciendum quod forum est locus rerum venalium ; sed forus est locus exercendarum litium coram judicio. Inde forensis, quod idem est quod judicialis.

« Quis autem modus est etc. » Hic philosophia probat quod divitiæ non auferunt indigentiam, et sic per consequens non consistit in eis felicitas : et dicit : quis est modus quo indigentia pellatur divitiis? numquid divites nequeunt esurire? quasi dicat sic. Numquid non possunt sitire? quasi dicat : immo. Numquid membra pecuniosorum non sentiunt frigus hibernum, idest hyemale? quasi dicat : sic. Sed tu inquies, idest dices : opulentis, idest divitibus, adest aliquid quo famem satient, sitim que (pro et) frigus depellant. Respondet philosophia : Hoc modo indigentia potest consolari divitiis, sed penitus auferri non potest. Nam si hæc, scilicet indigentia, semper habitans, idest desiderans, et poscens aliquid, expletur opibus, necesse est tamen ut maneat indigentia quæ possit expleri : quia quantumcumque sitis divitiis vel fames mitigetur, adhuc dives post sitiet et esuriet ; et quod naturæ minimum est, avaritiæ nihil satis est. Quare si opes non possunt ibidem summovere, idest repellere indigentiam, sed faciunt indigentiam, quid est, idest quomodo, esse potest, quod credatis eas præstare, idest dare sufficientiam? quasi dicat : nullo modo debet credi. Nota, quod omnis indigentia vel est indigentia naturæ vel avaritiæ. Indigentia naturæ paucissimis suppleri potest, eo quod natura paucis minimisque contenta est. Unde propter naturam non oportet multum quærere divitias, nec per divitias indigentia naturæ amoveri potest, sicut nec ipsa natura mutari potest. Indigentia vero avaritiæ est quæ nullo modo expleri potest ; et ita divitiæ eam amovere non possunt ; imo plus augent, quia dicitur : *avarus*

non implebunt personam. Nota, quod divitiæ non solum non habeant sufficientiam, sed nec habeant sapientiam, ut dicit Seneca: « Quid possunt stulto multæ divitiæ, dum per eas non possit fieri sapiens? »

METRUM III

Quamvis fluente dives auri gurgite
  Non expleturas cogat avarus opes,
Oneretque baccis colla rubri litoris,
  Ruraque centeno scindat opima bove;
Nec cura mordax deseret superstitem,
  Defunctumque leves non comitantur opes.

« Quamvis fluente etc. » Istud est tertium metrum hujus libri quod dicitur archilochicum ab inventore, iambicum a pede prædominante; cui conjungitur metrum elegiacum. In quo metro philosophia invehitur contra avaros quos in præsenti vita sollicitudo divitiarum affligit et in morte derelinquit. Et dicit: Quamvis dives, supple, avarus, fluente, idest abundante auri gurgite, idest multitudine, cogat, idest congreget opes, non expleturas suam cupiditatem, et quamvis dives oneret, idest premat colla sua, baccis, idest gemmis pretiosis rubri littoris, idest rubri maris (quia gemmæ colliguntur in littore rubri maris); et quamvis scindat, idest dividat arando rura opima, idest agros fecundos centeno bove, idest cum centum bobus; adhuc cura mordax, idest sollicitudo, non deserit ipsum superstitem, idest viventem; et leves opes quæ leviter transeunt, non comitantur ipsum defunctum, idest mortuum. Nota, quod circa litteram « gurges, secundum Huguitionem et Isidorum libro *Etymologiarum*, est locus altus, idest profundus in flumine; » et in proposito signat abundantem affluentiam auri. Item secundum Huguitionem, bacca per duplex c, invenitur positum pro fructu olivæ vel lauri, vel pro quolibet fructu; aliquando autem invenitur pro gemma pretiosa; et sic sumitur hic. Item dives avarus duplici malo premitur: in præsenti vita semper sollicitatur, et post mortem nihil ipsum de divitiis comitatur. De quo dicto loquitur Alanus in libro de *Planctu naturæ* dicens:

« Et licet huic varia nummorum fercula donet,
Impendi proprio dives jejuna ventri ».

Item jocundatur oculis dives in argento, sed venter philosophari cogitur. »

PROSA IV

Sed dignitates honorabilem reverendumque, cui provenerint, reddunt. Num vis ea est magistratibus ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant? Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent; quo fit ut indignemur eas sæpe nequissimis hominibus contigisse; unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem, strumam appellat. Videsne quantum dedecus malis adjiciant dignitates? Atqui minus eorum patebit indignitas si nullis honoribus inclarescant. Tu quoque num tandem tot periculis adduci potuisti ut cum Decorato gerere magistratum putares, cum in eo mentem nequissimi scurræ, delatorisque respiceres? Non enim possumus ob honores reverentia dignos judicare quos ipsis honoribus judicamus indignos. At si quem sapientia præditum videres, num posses eum vel reverentia, vel ea qua præditus est sapientia, non dignum putare? Minime. Inest enim dignitas propria virtuti, quam protinus in eos quibus fuerit adjuncta, transfundit. Quod quia populares nequeunt facere honores, liquet eos propriam dignitatis pulchritudinem non habere. In quo illud est animadvertendum magis: nam si eo abjectior est quo magis a pluribus quisque contemnitur, cum reverendos facere nequeat, quos pluribus ostentat, despectiores potius dignitas improbos facit. Verum non impune; reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas sua contagione commaculant. Atque ut agnoscas veram illam reverentiam per has umbratiles dignitates non posse contingere, sic collige: Si qui multiplici consulatu functus, in barbaras nationes forte devenerit, venerandumne barbaris honor faciet? Atqui si hoc naturale munus dignitatibus foret, ab officio suo quoque gentium nullo modo cessarent. Sicut ignis ubique terrarum, nunquam tamen calere desistit. Sed quoniam id eis non propria vis, sed hominum fallax annectit opinio, vanescunt ilico, cum ad eos venerint qui dignitates eas esse æstimant. Sed hoc apud exteras nationes. Inter eos vero apud quos ortæ sunt, num perpetuo perdurant? Atqui præfectura magna olim potestas, nunc inane nomen est, et senatorii census gravis sarcina. Si quis quondam populi curasset annonam, magnus habebatur. Nunc ea præfectura quid abjectius? Ut enim paulo ante diximus, quod nihil habet proprii decoris, opinione utentium nunc splendorem accipit, nunc amittit. Si igitur reverendos facere nequeunt dignitates, si ultro improborum contagione sordescunt, si mutatione temporum splendere desinunt, si gentium æstimatione vilescunt, quid est quod in se expetendæ pulchritudinis habeant, ne dum aliis præstent?

« Sed dignitates etc. » Ista est quarta prosa hujus libri: in qua probat philosophia quod dignitates temporales non conferunt honorem et reverentiam quam

promittere videntur ; et per consequens non est in eis vera beatitudo. Et primo proponit quod dignitates faciunt honorabilem. Secundo improbat illud, ibi, « Num vis. » Primo dicit : Sed dignitates reddunt hominem honorabilem et reverendum cui provenerint. Nota : « honor est exhibitio reverentiæ alicui in testimonium virtutis, » sicut accipitur *ex quarto Ethicorum :* vel aliter « honor est opinionis benefactivæ signum, » ut dicit Aristoteles *libro Rhetoricorum :* quando enim opinamur nobis posse bene fieri ab aliquo, ipsum honoramus. Sed « reverentia est decens ac matura gravitas, » secundum Tullium.

« Num vis ea est magistratibus etc. » Hic philosophia improbat propositum quadruplici via : scilicet quod dignitates non conferunt honorem et reverentiam. Primo quia malis sæpe eveniunt. Secundo quia per dignitates vitia improborum innotescunt. Tertio quia opinione hominum vilescunt. Quarto quia temporum mutatione desinunt. Secunda, ibi, « In quo. » Tertia, ibi, « Atque ut agnoscas. » Quarta, ibi, « Sed hoc apud. » Primo dicit : Num (pro numquid) ea vis, idest talis virtus est magistratibus, idest dignitatibus, ut inserant virtutes mentibus utentium eis, ut depellant vitia ? quasi dicat : non. Unde subdit : Atqui (pro certe), dignitates non solent fugare nequitiam, sed potius illustrare, idest manifestare : quo fit, idest propter quod fit, ut nos indignemur eas sæpe contigisse hominibus nequissimis. Unde Catulus qui erat vir sapiens et virtuosus, Nonium qui erat homo vitiosus appellat strumam, licet viderit ipsum sedentem in curuli, idest in sede dignitatis judiciaria. Vides igitur quantum dedecus dignitates adjiciant hominibus malis, et manifestant eos esse contemptibiles a bonis. Atqui (pro certe), indignitas, idest malitia eorum minus patebit si nullis honoribus inclarescant, idest splendeant. O Boeti, num, idest numquid, tu potuisti tot periculis adduci, idest affligi ut cum Decorato, idest tali viro magistratum gereres, cum in eo respiceres mentem nequissimi scurræ et delatoris ? quasi dicat : non. Numquid possumus judicare dignos reverentia ob honores, idest propter dignitates, quos judicamus indignos ipsis honoribus, idest dignitatibus ? quasi dicat : non. At si quem videres præditum sapientia, licet non haberet dignitatem, numquid posses eum non putare dignum reverentia vel sapientia qua præditus est? quasi dicat : non posses eum judicare indignum sapientia et virtute sua ; quia propria dignitas inest virtuti, quam virtus transfundit in eos quibus fuerit adjuncta. Et quia populares honores hoc facere nequeunt, liquet, idest manifestum est, eos propriam pulchritudinem dignitatis non habere. Nota : ex littera potest formari talis ratio. Illud quod adveniens alicui non confert et non adveniens non aufert honorem, illud non facit vere honorabilem : sed dignitates non conferunt honorem cui adveniunt, nec tollunt si non adveniunt ; ergo etc. Minor probatur, quia honor sequitur virtutem, *ex quarto Ethicorum.* Unde vitiosum nullo honore dignum reputamus in quacumque dignitate fuerit, sed solum virtuosum, etsi non sit in dignitate. Cum igitur dignitates temporales non conferant virtutem nec tollant vitia ; manifestum est quod honorabilem non faciunt. Nota : Catulus erat vir sapiens et virtuosus, qui Nonium sedentem in curuli ex animi indignatione vocabat strumam : eo quod viro tam malitioso collata fuit dignitas. Est autem struma congeries humorum in collo. Sub hac autem similitudine ipsum appellabat strumam, quia in pectore habuit congeriem vitiorum. Nota, quod rex Theodoricus voluit quemdam nomine Decoratum violenter intrudere in magistratum, ut una cum Boetio rempublicam regeret : cujus nequitiam Boetius detestatus, recusavit sibi associari : propter quod Boetius multis injuriis afflictus fuit a rege Theodorico. Nota, quod scurra, secundum Huguitionem, idem est quod joculator vel vaniloquus : proprie autem dicitur qui sequitur curiam gratia cibi. Nota, quod virtus facit hominem reverendum et nobilem, non dignitas ; quia dicit Seneca *quadragesima quarta epistola :* « virtus non accepit Platonem nobilem et reverendum sed fecit. » Quis est enim generosus, vir-

tamquam et dignus, nisi qui ad virtutem est bene dispositus? Non facit hominem nobilem atrium plenum famosis imaginibus et nominibus; sed animus et virtus supra fortunam surgens.

« In quo illud est etc. » Hic philosophia probat secunda via, quod dignitates non faciunt hominem nobilem et honorabilem, quia vitia improborum manifestant, dicens : In quo, scilicet quod dignitas advenit malis, illud est magis animadvertendum : quod si aliquis eo est abjectior, idest vilior, quo (idest quando magis) contemnitur a pluribus ; cum dignitas nequeat facere improbos reverendos, ipsos facit despectiores quos pluribus ostentat. Verum (pro sed), hoc non est impune ; idest dignitas non facit hoc impunita : namque (pro quia) improbi parem vicem reddunt dignitatibus quas ipsi commaculant sua contagione : quasi dicat : sicut dignitas maculat improbos, quia eorum malitia manifestat, sic e contra improbi commaculant dignitates. Nota : per dignitates vitia improborum innotescunt, quia principatus virum ostendit. Cum igitur vitium faciat hominem contemptibilem, temporalis dignitas adveniens improbis facit eos despectiores. Unde Juvenalis poeta :

« Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet quanto qui peccat major habetur. »

Et Seneca : « Locus ignominiæ apud indignum est dignitas. »

« Atque ut agnoscas etc. » Hic philosophia probat tertia via, quod dignitates non faciunt reverendum, quia opinione hominum vilescunt. Qui enim dignitatibus funguntur, quamvis a suis honorentur, tamen apud extraneos homines non curantur, ut ab illis qui sunt alterius diœcesis. Unde dicit : Atqui (pro certe), ut agnoscas, veram reverentiam quæ est beatitudo, non posse contingere alicui homini per has dignitates umbratiles, idest transitorias ad modum umbræ, sic collige. Siquis homo fructus, idest usus multiplici consulatu, idest dignitate, devenerit forte in barbaras nationes, idest extraneas gentes, faciet ne honor consulatus ipsum venerandum barbaris ? quasi dicat : non. Atqui (pro certe), si hoc, scilicet facere reverendum barbaris foret, idest naturale munus dignitatibus, nullo modo cessarent ab officio suo, quoque, idest quocumque loco gentium. Sicut ignis ubique terrarum nunquam desistit calere, idest cremare. Sed quoniam id, scilicet reverendum facere, eis annectit fallax opinio hominum et non propria vis, illico, idest statim vanescunt cum ad eos venerint qui non æstimant eas esse dignitates, sicut sunt nationes barbaricæ, idest extraneæ. Nota, quod res non destituitur a sua propria operatione. Cum enim operatio sit finis habentis operationem, *secundo Cœli et mundi*, res destituta a sua operatione destitueretur a suo fine, et sic esset frustra. Si ergo facere reverendum esset naturalis operatio dignitatum, ubique gentium facerent hominem reverendum : sed videmus quod dignitates quæ faciunt aliquem reverendum apud suos, apud extraneos non faciunt ipsum reverendum.

« Sed hoc apud exteras etc. » Hic philosophia probat quarta via, quæ sumitur ex hoc quod dignitates temporum mutatione sordescunt. Quod enim magna olim fuit dignitas, moderno tempore pro nihilo reputatur. Unde dicit : Sed hoc quod dixi, verum est apud exteras nationes, idest extraneas ; sed inter eos apud quos dignitates ortæ sunt non perpetuo durant. Atqui (pro certe), nam præfectura olim erat magna potestas apud romanos, sed nunc est inane nomen et census (idest pretiositatis) senatorii, nunc est gravis sarcina, quæ olim erat magna dignitas. Et siquis quondam curasset annonam populi, qui dicebatur præfectus annonæ, ille magnus habebatur ; nunc ea præfectura quid est abjectius ? quasi dicat : nihil. Ut enim paulo ante diximus : Nihil enim habet proprii decoris quod opinione utentium, nunc accipit splendorem, nunc amittit. Et tunc epilogat, dicens : Igitur si dignitates nequeunt facere reverendos, ut patet ex prima via ; si sordescunt contagione, idest vitio improborum, ut patet ex secunda via ; si desinunt splendere mutatione temporum, ut docet quarta via, si vilescunt æstimatione gentium, ut patet ex tertia via :

quid est quod habeant in se expetendæ, idest desiderandæ pulchritudinis, nedum aliis præstent? quasi dicat : nihil habent in se pulchritudinis ; et ideo nec eam aliis prestare possunt. Nota, quod præfectura quondam erat magna dignitas apud romanos : et dicitur ille præfectus qui ceteris magistratibus præfuit et omnes dignitates in civitate romana antecellebat : sed postquam Julius Cesar imperium invaserat, talis dignitas ad imperatorem transferebatur et diminuebatur ejus potestas, ita quod nomen illius dignitatis mansit sine re. Item senatoria dignitas magna fuit apud romanos, quia officium senatorum prius fuit honestum, scilicet utiliter consulere reipublicæ : sed postea compulsi fuerunt senatores ad serviendum voluntati principis in damnum reipublicæ.

METRUM IV.

Quamvis se Tyrio superbus ostro
  Comeret, et niveis lapillis,
Invisus tamen omnibus vigebat
  Luxuriæ Nero sævientis.
Sed quondam dabat improbus verendis
  Patribus indecores curules.
Quis illos igitur putet beatos
  Quos miseri tribuunt honores?

« Quamvis se Tyrio superbus ostro etc. » Hic incipit quartum metrum hujus tertii libri, quod dicitur metrum phaleucium ab inventore, dactylicum a pede prædominante, tetrametrum a numero pedum. In quo metro philosophia confirmat per exemplum quod dignitates non faciunt vere reverendum, et per consequens non est beatitudo quærenda in eis, quia dignitates adveniebant Neroni qui pessimus erat, et ab eo aliis conferebantur. Unde dicit in littera : Quamvis superbus Nero sævientis luxuriæ comeret, idest ornaret se ostro tyrio, idest purpura tincta in sanguine Tyri, et quamvis comeret se niveis lapillis, idest albis margaritis, tamen ipse vigebat omnibus invisus, idest odiosus. Nam improbus Nero dabat verendis prioribus idest reverendis senatoribus curules, idest tales dignitates, propter quas sedebant in curulibus indecores, quia ab indigno dabantur. Quis igitur putet, idest reputet illos honores beatos quos miseri, idest improbi et vitiosi tribuunt? quasi diceret : nullus. Nota dicit Neronem sævientis luxuriæ, quia episcopus linconiensis nomine Preculsus narrat, quod Nero omnia theatra Italiæ et Græciæ perlustrans assumpto vario decore vestitus, cytharistas, tragidas, et aurigas sæpe superasse visus est tantis libidinibus exagitatus, ut nec a matre nec a sorore abstinuisse videatur reverentia consanguinitatis. Virum in uxorem duxerat ; et ipse a viro in uxorem receptus est ; et fuit luxuriæ tam ineffrenatæ, ut retibus aureis piscaretur quæ purpureis funibus extrahebantur ; et lavabant ea frigidis et calidis unguentis quæ nunquam minusquam mille talentis confecit : et nihilominus ipse Nero, tam vitiosus dignitatem imperialem adeptus est, immo etiam aliis dignitates largitus est.

PROSA V

An vero regna, regumque familiaritas efficere potentem valent? Quidni, quando eorum felicitas perpetuo perdurat? Atqui plena est exemplorum vetustas, plena etiam præsens ætas, qui reges felicitatem calamitate mutaverint. O præclara potentia, quæ nec ad conservationem quidam sui satis efficax invenitur! Quod si hæc regnorum potestas beatitudinis auctor est, nonne si qua defuerit, felicitatem minuat, miseriam importet? Sed quamvis late humana tendantur imperia, plures necesse est gentes relinqui quibus regum quisque non imperet. Qua vero parte beato faciens desinit potestas, hac impotentia subintret, quæ miseros facit : hoc igitur modo majorem regibus inesse necesse est miseriæ portionem. Expertus sortis suæ periculorum tyrannus, regni metus pendentis supra verticem gladii terrore simulavit. Quare est igitur hæc potestas, quæ solicitudinum morsus expellere, quæ formidinum aculeos vitare nequit? Atqui vellent ipsi vixisse securi, sed nequeunt : dehinc de potestate gloriantur. An tu potentem censes quem videas velle quod non possit efficere? Potentem censes qui satellite latus ambit : qui quos terret, ipse plus metuit : qui ut potens esse videatur, in servientium manu situm est? Nam quid ego de regum familiaribus disseram, cum regna ipsa tantæ imbecillitatis plena demonstrem? quos quidem regia potestas sæpe incolumis, sæpe autem lapsa prosternit? Nero Senecam familiarem præceptoremque suum ad eligendæ mortis coegit arbitrium. Papinianum diu inter aulicos potentem militum gladiis Antoninus objecit. Atqui uterque potentiæ suæ renuntiare voluerant : quorum Seneca opes etiam suas tradere Neroni, seque in otium conferre conatus est. Sed dum ruituros moles ipsa trahit, neuter quod voluit, effecit. Quæ est igitur ipsa potentia, quam pertimescunt habentes : quam nec cum habere velis, tutus sis, et cum deponere cupias, vitare non possis? An præsidio sunt amici, quos non virtus, sed fortuna conciliat? Sed quem

Felicibus amicum facit, infortunium facit inimicum. Quæ vero pestis efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus?

« An vero regna etc. » Hæc est quinta prosa hujus tertii libri : in qua ostendit philosophia quod regnum et regum familiaritas non conferant veram potentiam quam promittunt, et propter quam appetuntur. Et primo ostendit veram potentiam non esse in regnantibus. Secundo, quod non in regum familiaribus, ibi, « Nam quid ego. » Quod autem in regnantibus non sit vera potentia, et per consequens nec beatitudo, probat quatuor viis. Prima sumitur ex parvitate durationis regnantium. Secunda sumitur ex parvitate extensionis. Tertia ex annexione timoris. Quarta ex defectu securitatis. Secunda ibi, « Quod si hæc. » Tertia ibi, « Expertus sortis. » Quarta ibi, « Atque vellent. » Primo proponit intentum per modum quæstionis, dicens : An regna et regum familiaritas valent efficere potentem ? et respondet ironice : quidni : idest quare non efficerent potentem, quando eorum felicitas, idest potestas perpetuo perdurat, quod, supple, nunquam contingit : unde subdit : Atqui (pro certe) vetustas plena est exemplorum, et etiam præsens ætas, qui reges mutaverint suam felicitatem calamitate. Et subdit : O præclara est potentia, loquendo ironice, quæ nec invenitur satis efficax ad conservationem sui ! Nota : nulla felicitas perpetuo perdurat, saltem temporalis. Hoc patuit prius exemplo vetustatis posito de Cræso rege Lydorum. Hoc etiam patet exemplis eorum qui erant tempore Boetii, sicut de imperatoribus romanis qui crebro circa tempora sua mutabantur, nec bellis, nec insidiis oppressi, vel alio modo objecti. Et idem testatur Halfredus in Poetria, dicens :

« Hoc unum præscire potes, quod nulla potestas
Esse diuturna potest : si vis exempla, priores
Respice fortunas : emarcuit illa priorum
Florida prosperitas. Minos subvertit Athenas. »

« Quod si hæc regnorum potestas etc. » Hic ostendit quod potestas regia non est vera potestas, nec beatifica, propter parvitatem extensionis ejus, dicens : Quod si hæc potestas regnorum est auctor, idest causa, beatitudinis ; nonne si qua parte defuerit, regia potestas ipsa minuat felicitatem et importet, idest inducat miseriam ? quasi dicat : sic. Sed quamvis humana imperia late tendantur, tamen necesse est plures gentes relinqui, quibus quisque regum non imperet : non enim potest esse quod unus omnibus imperet. Qua vero parte desinit potestas faciens beatos, hac parte subintrat impotentia quæ facit miseros. Hoc ergo modo necesse est in regibus esse majorem portionem miseriæ quam felicitatis, cum in majori parte sint impotentes. Nota : si potestas regia efficit beatum ; ergo ubi est defectus potestatis regiæ, ibi erit defectus beatitudinis ; cum igitur plures sint gentes super quas non est potestas unius regis, quam qui subjaceant suæ potestati, sequitur quod rex in majori parte erit miser et non beatus ; igitur in potestate regia non consistit vera beatitudo.

« Expertus sortis etc. » Hic ostendit quod in regnantibus non sit vera potestas propter annexionem timoris, per exemplum dicens : quidam tyrannus, scilicet Dionysius, expertus suæ sortis, idest fortunæ, quantum esset anxia, periculum metus, idest timoris sui ipse similavit, idest similitudine demonstravit terrore gladii supra verticem pendentis. Quæ est igitur hæc potestas quæ nequit expellere morsus, idest corrosiones sollicitudinum, nec potest vitare aculeos, idest stimulos formidinum, idest timorum ? quasi dicat : exilis, idest parva est talis potestas. Nota, quod Dionysius fuit quidam rex qui cum requireretur a quodam suo familiari quare semper tristaretur, cum tamen semper haberet beatam vitam, iste Dionysius volens sibi designare causam suæ tristitiæ jussit eum poni inter epulas lautas, et sibi supra verticem jussit suspendi gladium acutum tenui filo. Iste viso gladio perterritus epulari, nec lætari potuit. Cui dixit Dionysius : talis enim est vita mea quam tu beatam putabas : semper enim mortem mihi imminentem prævideo. Considera ergo quomodo felix esse potuerit qui timere non desinit.

« Atqui vellent ipsi etc. » Hic philosophia ostendit idem quarta ratione, quæ sumitur ex defectu securitatis, dicens : Atqui (pro certe) ipsi reges vellent vixisse securi, sed nequeunt, idest non possunt : dehinc, idest ex quo sequitur quod securi esse non possunt, quomodo gloriantur de sua potestate? quod non est faciendum. Quod probat, dicens : An, idest numquid, tu potentem censes, idest judicas illum quem videas efficere, idest perficere velle quod non potest? quasi dicat : non est potens. An, idest numquid, illum censes potentem qui ambit, idest circumdat latus suum satellite, idest milite : qui plus metuit illos quos ipse terret : qui ut videatur potens situm, idest locatum est in manu servientium? quasi dicat : non est potens. Nota : ex littera potest formari talis ratio. Illud qnod non facit hominem securum, hoc non facit vere beatum. Sed potentia temporalis est hujusmodi; igitur etc. Consequentia est nota : quia quanto major potentia, tanto minor securitas. Nota : reges securi esse non possunt, quia incommoditates imminentes non possunt non formidare. Narrat enim Valerius de Dionysio supradicto, quod in tantum timuit tonsores barbarum, quod filias suas docuit detondere barbas; ipsis autem senescentibus præcepit, ut barbam et capillos sibi aburerent : et lectum cubicularem in lata fossa fecit, in quem se ligneo ponte recepit, quia satellites et barbaros timuit.

« Nam quid ego de regum etc. » Hic philosophia ostendit quod in familiaribus non consistit vera potentia. Secundo excludit quamdam objectionem, ibi, « An præsidio. » Probat ergo quod familiaritas regum non facit esse vere potentem, cum hujusmodi familiaritas non possit retineri ad nutum, et ipsa retenta frequenter vergat in nocumentum. Dicit ergo : Nam quid ego disseram, idest dicam, de familiaribus regum, cum ipsa regna demonstrem esse tantæ inbecillitatis? quos, scilicet familiares regum regia potestas incolumis, idest sana, sæpe prosternit, et ipsa regia potestas lapsa etiam prosternit ipsos. Quomodo autem regia potestas incolumis destruat suos familiares, docet per exempla dicens : Nero coegit Senecam familiarem suum præceptorem, idest magistrum ad arbitrium eligendæ mortis. Antoninus imperator objecit gladiis militum Papinianum suum familiarem diu potentem inter aulicos. Atqui (pro certe) uterque Seneca et Papinianus voluerunt renunciare suæ potentiæ propter crudelitatem principum, voluerunt se subtrahere ab eis. Quorum duorum Seneca conatus est opes suas tradere Neroni ut ipsum placaret, et voluit se conferre in otium, idest in vitam solitariam : sed dum ipsa moles, idest magnitudo potentiæ, trahit ipsos ruituros, idest casuros, neuter effecit quod voluit. Quæ est ergo ista potentia quam habentes pertimescunt, quam cum habere velis non sis tutus, et cum deponere cupias vitare non possis? ut patuit de Seneca et Papiniano. Nota, Nero fingebat se magistrum suum Senecam timere postquam imperator factus est sicut in pueritia. Unde mandavit sibi ut genus mortis eligeret, quia vivere non posset. Seneca cibo et potu satiatus fecit aperire venam, et bibens de anulo venenoso interiit. Antiqui enim potentes et nobiles sub gemma anuli venenum portabant : ut si quid adversi eis contigisset, ad mortem confugerent. Item Antoninus existens imperator in suos tyrannizavit : qui Papinianum suum familiarem diu inter aulicos potentem gladiis militum occidi fecit. Ex quibus patet quomodo regia potestas incolumis sæpe suos familiares prosternit. Quomodo autem regia potestas lapsa prosternat suos familiares, ex hoc patet. Cum enim familiares innitantur super regiam potestatem : necesse est ut ipsa deficiente etiam ipsi familiares deficiant.

« An præsidio sunt etc. » Hic philosophia excludit objectionem. Posset enim aliquis dicere quod homo potest conservari in sua potentia per amicos : unde quod aliqui perdant potestatem est propter defectum amicorum. Hoc excludit philosophia dicens, quod hoc non potest esse verum de amicis qui fortuna conciliantur de amicis autem qui de virtute conciliatur non est hoc loquendum, cum non conputentur inter bona fortunæ de quibus hic loquitur. Unde dicit in littera : An præsidio, idest auxilio, sunt amici

quam non virtus sed fortuna conciliat? quasi dicat, non. Hoc probat per locum ab oppositis sic. Quem felicitas, idest fortuna, facit amicum, illum infortunium facit inimicum. Quæ vero pestis est efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus? quasi dicat: nulla, quia nocumentum illius cavere non possumus, cum ei constent secreta nostra propter familiaritatem. Nota: de amicis sophisticis loquitur Seneca nona epistola: « Qui utilitatis causa assumptus fuerit, tamdiu placebit quamdiu utilis fuerit. Inimicorum turba florentes circumsedit, sed circa eversos solitudo est. » Unde poeta:

« Nam pretio quæsitus amor cum munere cedit;
Inquantum durat largitio, durat amicus. »

Alter poeta.

« Dum fortuna tonat, fugientes terret amicos;
Nam quis amet quis non, vera procella docet. »

Et alter poeta:

« Dum zephyrus flabat, multis comitabar amicis;
At nunc aquilo turbine flante fugat. »

Et Ovidius:

« Horrea formicæ nunquam ad inania tendunt;
Nullus ad amissas ibit amicus opes. »

Quod autem familiaris inimicus multum noceat, dicit poeta:

« Plus nocet, ut nosti, ad cuncta domesticus hostis;
Et res ipsa docet qualiter ipse nocet. »

METRUM V.

Qui se volet esse potentem
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis.
Etenim licet Indica longe
Tellus tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule,
Tamen atras pellere curas,
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

« Qui se volet esse potentem etc. » **Hic incipit metrum quintum hujus tertii; quod dicitur peramantium ab inventore, anapesticum a pede prædominante, catalecticum, quia una syllaba deficit ad** metri perfectionem. In quo metro philosophia ostendit quomodo vera potentia sit acquirenda, dicens, quod vera potentia consistit in reprimendo vitiosos motus vel concupiscentias inordinatas; quia sine hoc nullus est vere potens quantumcumque dominetur. Dicit ergo: Ille qui volet se esse potentem, domet animos feroces, idest crudeles, quia crudelitate homo assimilatur feris, nec submittat colla victa libidine, idest concupiscentiæ, fœdis habenis, idest vitiosis motibus: licet enim tellus indica, idest terra indiæ tremiscat tua jura longe idest licet potestas tua extendat se ad Indiam, et licet tibi serviat ultima Thule: quæ est insula ultra Britanniam, ubi sol facit solstitium æstivum et ultra non progreditur, tamen non posse pellere atras curas, idest obscuras sollicitudines et fugare miseras querelas provenientes ex adversitate fortunæ nulla est potentia. Nota, quod vere potens est qui sensualitatem subjicit rationi: unde Seneca: « Si vis omnia tibi subjicere, subjice te rationi: multa enim rexeris si ratio te rexerit. » Et Aristoteles *quarto Ethicorum*: « Quemadmodum puerum oportet vivere secundum præcepta pædagogi, ita oportet concupiscibile consonare rationi. » Item Seneca: « Magnum imperium regit qui sibi ipsi dominatur. Fortior est qui cupiditatem vincit quam qui hostem subjicit. Est enim difficillimum vincere seipsum. » Et Salomon: *Fortior est expugnator animi expugnatore urbium.*

PROSA VI.

Gloria vero quam fallax sæpe, quam turpis est! Unde non injuria Tragicus exclamat: *ô doxa doxa myrioisi dê brotôn ouden gegôsi bioton ônkôsas megan.* Plures enim magnum sæpe nomen falsis vulgi opinionibus abstulerunt; quo quid turpius excogitari potest? Nam qui falso prædicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant. Quæ si etiam meritis conquisita sint, quid tamen sapientis adjecerint conscientiæ, qui bonum suum non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur? Quod si hoc ipsum propagasse nomen, pulchrum videtur; consequens est ut fœdum non extendisse judicetur. Sed cum, uti paulo ante disserui, plures gentes esse necesse sit ad quas unius fama hominis nequeat pervenire, fit ut quem tu æstimas gloriosum, pro maxima parte terrarum videatur inglorius. Inter hæc vero popularem gratiam ne commemoratione quidem dignam puto, quæ nec judicio provenit, nec unquam firma perdurat. Jam vero quam

sit inane, quam futile nobilitatis nomen, quis non videat? quæ si ad claritudinem refertur, aliena est. Videtur namque esse nobilitas, quædam de meritis veniens laus parentum. Quod si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est qui prædicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut impositam nobilibus necessitudo videatur ne a majorum virtute degenerent.

« Gloria vero quam fallax etc. » Ista est sexta prosa hujus tertii; in qua philosophia ostendit quod gloria mundana non spectat ad veram beatitudinem, nec facit vere beatum. Et primo ostendit hoc de gloria proprie virtutis. Secundo de gloria, quæ provenit ex nobilitate sanguinis, ibi, « Jam vero. » Primo ostendit intentum de gloria quæ provenit ex laude falsæ virtutis. Secundo de illa gloria quæ ex veris meritis procedit, ibi, « Quæ si etiam. » Primo ostendit talem rationem. Illud quod est fallax non spectat ad beatitudinem, nec facit beatum : sed gloria false acquisita est fallax : igitur etc. Unde dicit in littera : Gloria vero quam fallax est et quam turpis, supple, satis patet. Quod autem sit fallax probat auctoritate cujusdam poetæ qui tragœdias composuit, dicens : Unde tragicus quidam exclamat : et ponit auctoritatem ejus in græco quod tantum sonat in latino : O gloria in millibus mortalium nihil aliud facta es quam magis aurium inflatio. Quod manifestat, dicens : Plures enim magnum nomen, idest gloriam abstulerunt, idest false receperunt, falsis opinionibus vulgi. Et ostendit quod hujus gloria sit turpis, dicens : Quo, scilicet jam dicto, scilicet habere gloriam falsis opinionibus, quid turpius excogitari potest? quasi dicat, nihil. Nam qui falso prædicantur, idest laudantur, necesse est ut ipsi erubescant suis laudibus. Nota quod secundum Tullium « gloria est frequens fama cum laude. » Et est duplex : vana et vera. Vana gloria est quæ nullo conficiente procedit in esse; vera est quæ nullo conficiente non procedit in esse. Fama autem est cognitio alicujus non solum in propinquo sed etiam in remoto. Nota quod fama inducit gloriam falsam, gloria falsa erubescentia est crimen ingloriationis causatum ex aliquo turpi perpetrato. Cum autem aliquis se cognoscat false acquisisse gloriam, tunc hoc timet manifestari, ex cujus manifestatione incidit gloriationem et verecundiam.

« Quæ si etiam meritis conquisitæ etc. » Hic philosophia probat quod gloria meritis acquisita non spectat ad beatitudinem; intendens talem rationem. Illud non spectat ad beatitudinem de quo nulla est cura sapienti; ergo etc. Major est nota. Nam « sapiens maxime curat beatitudinem, cum sit maxime felix, » *decimo Ethicorum*. Minorem ponit in littera, dicens : Quæ, scilicet laudes, spectantes ad gloriam, licet sint conquisitæ meritis, quid tamen adjicerint conscientiæ sapientis? qui bonum suum metitur non rumore populari sed veritate conscentiæ : quasi dicat : nihil. Secundo probat idem per locum ab oppositis, dicens : Quod si pulchrum est propagasse nomen, ergo miserum est nomen non propagasse : sed cum pro magna parte terrarum necesse sit nomen non esse propagatum, necesse est pro majori parte miserum esse. Dicit ergo : Quod si hoc ipsum pulchrum videtur, scilicet propagasse, idest divulgasse, nomen, idest gloriam, consequens est ut judicetur fœdum non extendisse nomen. Sed cum, sicut paulo ante disserui, necesse sit esse plures gentes, ad quas fama unius hominis nequeat pervenire; fit, idest contingit, ut pro maxima parte terrarum ille videatur inglorius quem tu æstimas gloriosum. Et quia aliquis diceret : sufficit ad beatitudinem quod homo sit gloriosus in populo suo habendo favorem populi : dicit philosophia : Inter hæc bona quæ sunt in operatione virtuosa non puto gratiam popularem dignam commemoratione; quæ nec judicio rectæ rationis provenit, nec unquam firma perdurat. Nota, quod sapienti non est cura de gloria, quia dicit Macrobius : « Sapiens fructum in conscientia ponit, stultus autem in gloria. » Et Seneca : « Conscientiam potius quam famam attendo. Sed plerique famam, pauci conscientiam verentur. » Nota, quod fama popularis non provenit ex recto judicio rationis : plus enim populus sequitur inclinationem sensus quam judicium rationis. Nec etiam fama eorum perpetue du-

rat; quia secundum diversas passiones vulgi variatur fama populi. Unde vulgares judicant secundum concupiscentiam, non secundum rei veritatem. Pro tanto similes sunt avibus, quarum intuitum nox illuminat et dies cæcat, ex quarto hujus, prosa quarta.

« Jam vero quam sit inane quam futile etc. » Hic probat quod gloria proveniens ex nobilitate sanguinis etiam non spectat ad veram beatitudinem. Et primo ostendit vanitatem hujusmodi gloriæ. Secundo ostendit quid boni sit in nobilitate, ibi, « Quod si quid. » Dicit primo : Jam vero quis non videat quam inane, quam futile, idest labile sit nomen nobilitatis! quasi dicat : manifestum est. Quæ, scilicet nobilitas, si refertur ad claritudinem, idest ad gloriam, aliena est ab illis qui se nobiles esse gloriantur. Quod probat per definitionem nobilitatis, dicens : Namque nobilitas videtur esse quædam laus veniens de meritis parentum. Quod si prædicatio, idest laus facit claritudinem : necesse est ut illi sint clari, qui prædicantur, idest laudantur : hujusmodi autem sunt parentes, non tu. Quare si non habes tuam claritatem quæ ex laude tua proveniat, aliena claritudo non efficit te splendidum, idest gloriosum. Notandum, quod nobilitas sanguinis est inane et futile nomen ; quia nihil vere nobilitat hominem nisi virtus. Unde Alanus in libro *de Planctu naturæ* :

« Quid tibi nobilitas, quid clarum nomen avorum,
Si servus vitiis factus es ipse tuis ? »

Item,

« Nobilis est enim siquis virtute refulget,
Degener est solus cui mala vita placet. »

Et pauper Henricus :

« Non præclare genus, non clarum nomen avorum,
Sed probitas vera nobilitate viget. »

Et Seneca : « Nemo est melior altero nisi qui rectius ingenium habet altero, et ad bonas artes aptius. »

« Quod si quid est etc. » Hic ostendit cujusmodi bonum sit in nobilitate, dicens : Si quid bonum est in nobilitate, illud solum esse arbitror, ut nobilibus videatur imposita necessitudo ne a virtute majorum, idest progenitorum degenerent, supple, per mores vitiosos. Melius est enim a patre ignobili descendere et morigeratum esse, quam a nobili et per vitia degenerare. Notandum, quod gloriandum non est de nobilitate : quia dicit Seneca : « Si pulcher est, lauda naturam ; si nobilis, lauda parentes ; si virtuosus et sapiens, lauda teipsum ; si dives, lauda fortunam ; si potens, expecta paulisper et nihil eris. » Notandum, secundum Tullium, « optima hæreditas a patribus traditur liberis, omni patrimonio præstantior, scilicet gloria virtutum et decor rerum gestarum. »

METRUM VI.

Omne hominum genus in terris
  Simili surgit ab ortu ;
Unus enim rerum pater est,
  Unus cuncta ministrat.
Ille dedit Phœbo radios,
  Dedit et cornua Lunæ.
Ille homines etiam terris
  Dedit, et sydera cœlo.
Hic clausit membris animos
  Celsa sede petitos.
Mortales igitur cunctos
  Edit nobile germen.
Quid genus, et proavos strepitis ?
  Si primordia vestra,
Auctoremque Deum spectes,
  Nullus degener extat,
Ni vitiis pejora fovens
  Proprium deserat ortum.

« Omne hominum genus etc. » Istud est sextum metrum hujus tertii, quod dicitur alcmanicum ab inventore, dactylicum a pede prædominante, trimetrum a numero pedum, hypercatalecticum quia una syllaba superabundat. In quo metro philosophia probat omnes homines esse nobiles præter vitiosos, dicens : Omne genus humanum in terris, cujuscumque sit conditionis, surgit ab ortu simili, quia secundum animam omnes sunt ab uno creatore : unus enim est pater rerum, idest unus creator, supple, nobilis qui cuncta ministat, supple, gubernando. Ille unus pater dedit phœbo radios suos, dedit lunæ cornua, dedit homines terris, idest habitare in terris, dedit cœlo sydera

propter ornatum ejus. Hic pater clausit animos membris, supple, corporeis, animos inquam petitos, idest acceptos, celsa sede, idest in cœlo. Igitur nobile germen, idest nobile principium, edit idest producit, cunctos mortales, idest homines. O homines quid, idest ad quid, strepitis, idest cum strepitu jactatis, genus vestrum et proavos vestros? si enim tu spectes, idest consideres auctorem Deum et primordia vestra, nullus extat, idest est, degener, idest ignobilis, nisi favens, idest operans pejora vitiis suis deserat proprium ortum, idest Deum a quo processit. Nota, quod omnes homines ex ea parte qua sunt homines, sunt æquæ nobiles. Cum enim nobilitas sit quædam excellentia contracta ab origine, nobilitas hominis præcipue debet attendi ex ea parte qua est homo scilicet ex parte animæ. Cum igitur in omnibus hominibus sit eadem origo animæ : quia omnes animæ sunt a Deo : omnes homines sunt æque nobiles. Solum autem illi sunt ignobiles qui degnerant a sua origine. producta est a Deo et est similis Deo ; ideo illi soli a nobilitate degenerant qui vitiosis moribus similitudinem Dei deturpant, quam ex origine contraxerunt. Nota, dicit animos celsa sede petitos : hoc loquitur more Platonico qui voluit omnes animas simul esse creatas in cœlo et postea mitterentur in corpora : quod non est verum, sed animæ creantur in corporibus ; ergo loquitur more Platonico, quod Deus animas receptas in cœlo clausit membris corporeis ; et de hoc magis videbitur in nono metro hujus tertii libri. Nota, quod omnium hominum est una origo, quia a Deo sunt creati, quem patrem omnes vocamus : et omnes animæ sunt a Deo ; ergo nullus est nobilior alio secundum creationem, licet secundum ingenium bene, quia soli illi sunt ignobiles qui degenerant suam genealogiam cum descendunt a virtutibus et adhærent vitiis.

PROSA VII.

Quid autem de corporis voluptatibus loquar? quarum appetentia quidem plena est anxietatis, satietas vero pœnitentiæ. Quantos illæ morbos, quam intolerabiles dolores, quasi quemdam fructum nequitiæ, fruentium solent referre corporibus! quarum motus quid habeat jucunditatis, ignoro. Tristes vero esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinum suarum volet, intelliget. Quæ si beatos explicare possunt, nihil causæ est quin pecudes quoque beatæ esse dicantur ; quarum omnis ad explendam corporalem lacunam festinat intentio. Honestissima quidem conjugis foret liberorumque jucunditas ; sed nimis e natura dictum est, nescio quem filios invenisse tortores : quorum quam sit mordax quæcumque conditio, neque alias expertum te, neque nunc anxium necesse est admonere. In quo Euripidis mei sententiam probo, qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem.

« Quid autem de etc. » Ista est prosa septima hujus tertii libri ; in qua philosophia ostendit beatitudinem non esse in voluptate. Et primo ostendit hoc de voluptate generaliter. Secundo de quadam voluptate specialiter. Secunda ibi. « Honestissima quidem. » Primum probat dupliciter, secundum quod ponit duas rationes. Secunda ibi, « Quæ si beatos. » Primo intendit talem rationem. In illis non consistit beatiudo ad quæ sequuntur multæ incommoditates, sed ad voluptates, sequuntur multæ incommoditates, sicut declarat in littera, et dicit : Quid loquar de voluptatibus corporis, idest delectationibus corporalibus ; quarum appetentia, idest cupiditas plena est anxietatis, quia homo anxiatur cum caret eo quod cupit ; satietas vero, idest plenitudo voluptatum plena est pœnitentiæ, idest pœnæ. Cum igitur voluptatibus sit conjuncte anxietas et pœnitentia, in eis non consistit beatitudo. Et addit : quantos morbos illæ voluptates et quam intolerabiles dolores solent referre corporibus fruentium eis, quasi quædam fructum nequitiæ, supple, satis patet. Quarum voluptatum motus, idest affectus quid habeat jucunditatis, idest voluptatis, ignoro. Quisquis, autem volet reminisci suarum libidinum, idest voluptatum, ipse intelliget idest cognoscet exitus, idest fines voluptatum esse tristes. Nota, quod duplex est voluptas ; scilicet intellectualis et corporalis. Prima est prosequenda, scilicet intellectualis ; quia consistit in speculatione animam beatificans. Secunda est fugienda quia consistit in declaratione sensuali corpus mortificans : unde Seneca in *quinquagesima secunda episto-*

le dicit : « Voluptates præcipue extirpa ; quæ latronum more nos amplectuntur ut strangulent. » Et Tullius : « Voluptas impedit omne consilium, atque, ut sic dicam, oculos perstringit mentium, inimica est rationi, et nullum vult cum virtute habere commercium. » Nota, quod voluptas plena est pœnitentia. Narrat enim Valerius, quod cum Demosthenes philosophus quæreret amorem Thaidis meretricis, ut consensum ferret ei centum talenta petentis, Demosthenes aspiciens in cœlum respondit : pro tanto pretio non emam tantam pœnitentiam : sciebat enim quod voluptatem inseparabiliter sequitur pœnitentia. Nota, quod voluntas multos morbos afferunt : quia dicit Seneca *in quadam epistola* : « Multos morbos multa fercula fecerunt. » Et vult Aristoteles *in Ethicis*, quod laborantes in passionibus veneris et crapulæ maxime transmutantur secundum corpus ; crapula enim plures occidit quam gladius.

« Quæ si beatos etc. » Hic philosophia probat conclusionem prius positam, alio modo, deducendo ad inconveniens. Et est ratio ista. Si in voluptatibus consisteret beatitudo, sequeretur quod pecudes essent beatæ, quod est falsum ; pecudes enim laborant ad explendam corporis voluptatem : unde dicit : Quæ voluptates si possunt explicare beatos, nihil causæ est, idest nihil impedit, quin pecudes dicantur esse beatæ, quarum omnis intentio festinat ad explendam corporalem lacunam, idest ingluviem ventris. Notandum, quod cum felicitas sit bonum naturæ rationalis, nullus bestias felicitabit, quia tantum genus hominum vivit arte et ratione. Notandum, quod ad fugam bestialium voluptatum hortatur Aristoteles Alexandrum *quadam epistola*, dicens : « O Alexander, declina a conatibus bestialium voluptatum quæ corruptibiles sunt. Carnalis enim appetitus inclinat ad corporales voluptates quæ contristant intellectum. » Et subdit : « Conatus voluptatum generat carnalem amorem. Hic generat avaritiam, hæc generat desiderium divitiarum, quod generat inverecundiam, inverecundia præsumptionem, præsumptio infidelitatem, infidelitas latrocinium, propter quæ mala vitanda est voluptas. »

« Honestissima quidem etc. » Hic philosophia ostendit, quod beatitudo non consistit in quadam speciali voluptate, scilicet in matrimonio, quæ licita est propter generationem prolis, intendens talem rationem. In illa voluptate non consistit felicitas, quæ habet anxietatem sibi annexam : sed voluptas matrimonii est hujusmodi, sicut tangit in littera : unde dicit : Jucunditas conjugis et liberorum foret honestissima ; sed nimis est extra naturam dictum, quia natura abhorret quod volo dicere, quia nescio, idest taceo, quem idest aliquem invenisse, idest habuisse filios tortores. Quorum filiorum quam sit mordax, idest anxia quæcumque conditio sive bona, sive mala, neque necesse est te admonere alios expertum, neque necesse est admonere te nunc anxium. In quo ego probo sententiam Euripidis mei philosophi qui dixit : Carentem liberis infortunio felicem esse. Notandum quod anxietas inest patribus propter malitiam filiorum. Narrat enim Euripedes tropius in historia romanorum, quod Demetrides in suos sæviens filios, duos ex eis interfecit ; et cum persequeretur tertium, ille congregato exercitu obsedit patrem. Pater autem videns se non posse evadere, seipsum interfecit. Etiam pater anxiatus de bonis filiis propter incensam dilectionem eorum et promotionem : quibus si aliquid adversi contigerit, pater reputat se infelicem. Ex quo patet quod voluptas conjugalis habet anxietatem sibi annexam.

METRUM VII.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes ;
Apiumque par volantum
Ubi grata mella fudit,
Fugit et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

« Habet hoc voluptas omnis etc. » Istud est metrum septimum hujus tertii libri ; quod dicitur anacreonticum ab inventore, iambicum vel anapesticum a pede prædominante, quia habet primum pedem anapestum et reliquos iambos :

et est dimetrum, idest quatuor pedum; catalecticum, quia deficit syllaba, nam post tres pedes remanet una syllaba de quarto pede. In quo metro philosophia ostendit quid mali consequatur omnem voluptatem : omnis enim voluptas præter anxietatem sibi annexam est transitoria: quod confirmat per quoddam exemplum, dicens : Omnis voluptas habet hoc quod dicam, quia voluptas agit, idest vexat fruentes stimulis, idest punitionibus, et est par, idest similis, stimulis apium volantum, ubi (pro postquam) apis fudit grata mella, fugit et ferit corda icta, idest percussa anxietate, nimis tenaci morsu : quasi dicat : jucunditas voluptatis nimis est transitoria, sed anxietas quam affert nimis est permansura. Notandum : licet omnis voluptas corporalis primo delectet et postea pungat ad modum apum, cum hoc maxime invenitur in voluptate venerea; ad cujus fugam Aristoteles hortatur Alexandrum, dicens : « O clemens imperator, noli te multum inclinare ad coitum, quia coitus est quædam proprietas porcorum. » Quæ igitur tibi gloria si exerceas vitium bestiarum et actus brutorum? Crede mihi indubitanter, quod coitus est destructio corporis, abbreviatio vitæ, corruptio virtutum, legis transgressio, et generat femineos mores. Qualiter autem sit fugienda delectatio venerea, docet Alanus in libro de *Planctu naturæ*, dicens :

« Si venerem fugare velis, loca, tempora vita.
Nam locus et tempus pabula donat ei. »

Et pauper Henricus loquens de Amore dicit :

« Proscribas igitur gladiis et fustibus ipsum,
Et fugiendo fuga quem fuga sola fugat. »

PROSA VIII.

Nihil igitur dubium est, quin hæ ad beatitudinem viæ devia quædam sint, nec perducere eo quemquam valeant ad quod se perducturas esse promittunt. Quantis vero implicitæ malis sint, brevissime monstrabo. Quid enim? pecuniam ne congregare conaberis? sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere velis? danti supplicabis; et qui præire ceteros honore cupis, poscendi humilitate vilesces. Potentiam ne desideras? subjectorum insidiis obnoxius, periculis subjacebis. Gloriam petis? sed per aspera quæque distractus, securus esse desistis. Voluptariam vitam degas? sed quis non spernat atque abjiciat vilissimæ fragilissimæque rei corporis servitium? Jam vero qui bona præ se corporis ferunt, quam exigua, quam fragili possessione nituntur! Num enim elephantes mole, tauros robore superare poteritis? num tigres velocitate præibitis? Respicite cœli spatium, firmitudinem, celeritatem; et aliquando desinite vilia mirari. Quod quidem cœlum non his potius est, quam sua, qua regitur, ratione mirandum. Formæ vero nitor ut rapidus est, ut velox, et vernalium florum mutabilitate fugacior! Quod si, ut Aristoteles ait, lynceis oculis homines uterentur, ut eorum visus obstantia penetraret, nonne introspectis visceribus, illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus, turpissimum videretur? Igitur te pulchrum videri, non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Sed æstimate quam vultis nimio corporis bona; dum sciatis hoc quodcumque miramini, triduanæ febris igniculo posse dissolvi. Ex quibus omnibus illud in summam redigere licet : quod hæc quæ nec præstare, quæ pollicentur bona, possunt, nec omnium bonorum congregatione perfecta sunt, ea nec ad beatitudinem, quasi quidam calles, ferunt, nec beatos ipsa perficiunt.

« Nihil igitur etc. » Ista est octava prosa hujus tertii libri; in qua philosophia ostendit quantis malis sint implicata predicta bona in quibus aliqui posuerunt felicitatem. Secundo ostendit quam exilia sunt corporis bona, ibi, « Jam vero. » Primo dicit : Nulli dubium est prædicta consideranti, quin hæ viæ quibus nituntur homines ad beatitudinem pervenire, sint quædam devia, nec valeant quemquam perducere eo, idest illuc ad quod promittunt se esse perducturas. Quantis vero malis sint implicitæ brevissime monstrabo. Quid enim, supple, istorum est sine malo? quasi dicat : nihil. Unde subdit : Pecuniam congregare ne conaberis, idest laborabis? sed eripies, idest recipies habenti, et ita implicaberis malo violentiæ. Vel fulgere dignitatibus? danti supplicabis; et qui cupis ceteros præire honore, tu vilesces humilitate poscendi. Potentiam ne desideras? subjacebis periculis subditorum. Gloriam petis? sed per aspera distractus securus esse desistis. Voluptariam vitam degas? sed quis non spernat atque abjiciat, tamquam contemptibilem, servum vilissimæ, que (pro et) fragilissimæ rei, scilicet corporis. Notandum quod homo quærens pecuniam incidit in malum violentiæ; quia « omnis pecuniosus est violentus, » *in primo Ethicorum*. Sed quærens dignitates et honores, humiliando se aliis supplicabit. Sed dicit Seneca in libro *de Beneficiis* : « Molestum est verbum et

onerosum, demisso vultu, dicere : Vege. » Quærens autem potentiam et gloriam quærit quod propter potentiam et gloriam defendendam possessionibus impeditum se aliquid, et sic securus esse desinit. Quærens autem etiam voluptatem quærit quod corpori serviat. Sed dicit Seneca : « Major sum et ad majora genitus sum, quam quod sim mancipium, idest servus mei corporis, quod non aliter aspiciam quam aliquod vinculum meæ libertati circumdatum. »

« Jam vero etc. » Hic philosophia probat in speciali quam vilia sunt bona corporis, quæ aliqui reputant exilia bona. Secundo breviter recolligit supradicta, ibi, « Ex quibus omnibus. » Primo ostendit iterum de magnitudine fortitudine et corporis agilitate. Secundo de pulchritudine, ibi, « Formæ vero. » Primo ostendit quod homo non debet mirari de magnitudine, fortitudine et agilitate corporis, quia illa excellentius inveniuntur in brutis, quam in hominibus, dicens : Jam vero qui ferunt, idest cupiunt bona corporis, pro se, idest gratia sui, tamquam sit optima, quam exigua, idest valde vili, quam fragili possessione nituntur, idest laborant ! Num enim elephantes mole, idest magnitudine superare, idest excedere poteritis, nec tauros robore, idest fortitudine ? Num tigres præibitis velocitate ? Respice spatium, idest magnitudinem cœli, firmitudinem, idest fortitudinem cœli, celeritatem, idest velocitatem ejus, et aliquando desinite, idest cessate, mirari vilia, idest inferiora bona. Quod quidem cœlum non his prædictis potius, immo multo minus mirandum est quam sua ratione, idest intelligentia qua regitur. Sic similiter in homine multo magis laudanda sunt bona rationis quam bona corporis. Nota, quod bona corporis, sicut magnitudo, fortitudo, agilitas, non multum sunt miranda : quia dicit Seneca : « Non magnitudine et corporis velocitate magnæ res geruntur, sed virtute. » Unde Cato :

« Consilio pollet cui vim natura negavit. »

Item Seneca : « Excellentia ingenii potest latere sub quacumque pelle. » Nota secundum Isidorum in libro *Etymologiarum* : « Elephantem græci a magnitudine corporis putant dictum, eo quod formam montis præferat ; apud Indos vero dicitur barro eo quod vox ejus barritus dicitur : dentes ejus ebur, rostrum ejus proboscide dicitur. » Nota, secundum Isidorum : « Tigris est bestia variis coloribus distincta, mirabilis velocitatis, ex cujus nomine quidam fluvius Tigris appellatur qui rapacissimus est omnium fluviorum. » Et sciendum quod pro bestia dicitur hæc tigris, in genitivo tigris vel tigridis ; sed pro fluvio dicitur tantum hic Tigris et in genitivo hujus Tigris.

« Formæ vero nitor etc. » Hic philosophia ostendit intentum de pulchritudine formæ, supple, quod sit exile bonum, quia est transitoria, et quia est tantum superficialis, et dicit : vero (pro sed) nitor, idest pulchritudo formæ, ut, idest quam, rapidus est, ut, idest quam, velox, idest velociter est transiens, et est fugacior, idest mutabilior, mutabilitate florum vernalium ! quasi dicat : satis est evidens. Unde si homines uterentur lynceis oculis, ut ait Aristoteles, ita ut eorum visus penetraret obstantia, scilicet corpora, nonne illud corpus Alcibiadis superficie pulcherrimum introspectus visceribus turpissimum videretur ? quasi dicat : sic. Ex quo concludit philosophia. Igitur te pulchrum videri non reddit, idest facit tua natura, sed infirmitas oculorum spectantium. Et subdit : Sed æstimate quam nimio vultis bona corporis, dum sciatis hoc quodcumque fuerit de bonis corporis posse dissolvi igniculo, idest calore febris triduanæ. Febris enim acuta secundum medicos quandoque tertia die perimit. Et tunc breviter recolligit supradicta, dicens : ex quibus omnibus licet colligere in summam, quod hæc, scilicet prædicta bona, non possunt præstare ea quæ pollicentur, idest promittunt, nec perfecta sunt congregatione omnium bonorum, nec ad beatitudinem ferunt, quasi quidam calles, idest via, nec ipsa perficiunt beatos. Notandum, quod pulchritudo corporis non est durabilis ; quia dicit Virgilius :

« O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur. »

Notandum, quod communiter dicitur

quod visus lynceus obstantia corpora penetrat : sed illud nec ab Aristotile nec ab aliquo authentico invenitur. Unde Isidorus in *libro Etymologiarum* loquens de lynce dicit, quod « linx dictus est quia in luporum genere numeratur, bestia maculis distincta, tergo ut pardus, sed similis lupo; cujus urinam converti in duritiem pretiosi lapidis dicunt, qui ligurius appellatur. » Nihil autem dicit Isidorus de penetratione visus. Nota, quod Alcibiades mulier fuit pulcherrima, quam videntes quidam discipuli Aristotelis duxerunt eam ad Aristotelem ut ipsam videret : qua visa dixit : Si homines lynceos oculos haberent ut quæque obstantia penetrarent, introspectis visceribus, corpus quod apparet pulcherrimum, turpissimum videretur.

METRUM VIII.

Eheu, quam miseros tramite devio
  Abducit ignorantia!
Non aurum in viridi quæritis arbore,
  Nec vite gemmas carpitis :
Non altis laqueos montibus abditis,
  Ut pisce ditetis dapes.
Nec, vobis capreas si libeat sequi,
  Tyrrhena captatis vada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos
  Norunt recessus æquoris,
Quæ gemmis niveis unda feracior,
  Vel quæ rubentis purpuræ :
Nec non quæ tenero pisce, vel asperis
  Præstent echinis litora.
Sed quonam lateat, quod cupiunt bonum,
  Nescire cæci sustinent :
Et quod stelliferum trans abiit polum,
  Tellure demersi petunt.
Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
  Opes, honores ambiant,
Et cum falsa gravi mole paraverint,
  Tum vera cognoscant bona.

« Heu heu quæ miseros tramite devio etc. » Istud est octavum metrum hujus tertii libri ; cujus primus versus dicitur metrum asclepiadicum ab inventore, choriambicum a pede prædominante. Secundus versus dicitur metrum archilochium ab inventore, iambicum a pede prædominante. In quo metro philosophia deplangit errorem hominum qui in quærendo minima bona sunt prudentes, sed in quærendo summum bonum abducuntur ignorantia. Primo facit hoc. Secundo precatur ut homines tediati falsis bonis redeant ad verum bonum. Secunda, ibi, « Quid dignum. » Dicit ergo : Heu ! est interjectio dolentis ; et est disyllabum propter metrum. Quæ ignorantia abducit miseros devio tramite, idest transversa via, supple, a vero bono. Vos homines non quæritis aurum in viridi arbore, nec carpitis gemmas in vite ; vos non abditis, idest non absconditis, laqueos pro captura piscium in altis montibus, ut ditetis dapes pisce ; et si vobis libeat sequi capreas, non captatis, idest non acceditis vada tyrrhena, idest mare tyrrhenum quod est in Italia, quando etiam (pro certe) homines norunt, idest noverunt, ipsos recessos abditos, idest absconditos fluctibus æquoris, etiam homines norunt quæ unda sit feracior, idest abundantior niveis gemmis, idest margaritis, vel quæ unda sit feracior rubentis purpuræ, idest conchyliorum quorum sanguine fit purpura ; et homines norunt quæ littora præstent, idest abundent, tenero pisce, vel asperis echinis, idest talibus piscibus. Sed quonam, idest ubi lateat bonum, scilicet beatificum, quod cupiunt, nescire sustinent cæci existentes ; et illud bonum quod abiit trans polum stelliferum, illud homines demersi cæcitate ignorantiæ, petunt tellure, idest quærunt in terra. Notandum, secundum Isidorum libro *Etymologiarum :* « Caprea est agrestis capra, quæ, quia acutissime videt, græci eam oxyderkopsin, idest dorcas appellaverant. » Notandum, secundum Isidorum, quod « echinus est piscis parvus semipedalis qui adhærendo videtur retinere navem, et est piscis asperrimus admodum ericii, ad edendum satis suavis. »

« Quid dignum stolidis mentibus imprecer ? etc. Hic precatur philosophia ut post tædium falsorum bonorum homines redeant ad verum bonum. Et dicit : quid dignum ego imprecer stolidis mentibus hominum ? quasi dicat : nihil aliud nisi hoc quod homines ambiant ipsos honores et opes, et cum paraverint, idest acquisiverint sibi falsa bona, gravi mole, idest tædiosa sollicitudine, tandem tædio ducti cognoscant vera bona. Notandum, quod ista deprecatio philosophiæ non est ex malivolentia, sed ex benignitate : et ideo non optat quod homines perma-

mant in desiderio honorum temporalium, sed ut illud desiderium magis sit eis medium producendi ad verum bonum; nec (ut) imprecatur cupiditatem vel ambitionem honoris habere, sed ut quibus adest, per hoc ad verum bonum deducantur.

PROSA IX.

[illegible]

« Hactenus mendacis etc. » Ista est nona prosa hujus tertii; in qua philosophia vult ostendere quæ sit vera beatitudo. Et primo continuat dicta dicendis. Secundo assignat causam falsæ felicitatis. Tertio ostendit quæ sit vera felicitas. Secunda, ibi, « Quid enim. » Tertia, ibi, « Omnes igitur, inquit, et formam, » Primo dicit : Hactenus, idest hucusque suffecerit ostendisse formam mendacis felicitatis, idest falsæ, quam si perspicaciter intueris, idest consideres, ordo est, idest restat, monstrare, deinceps, idest postea, quæ sit vera felicitas. Et dicit Boetius : Ego video nec opibus sufficientiam posse contingere, nec regnis potentiam nec dignitatibus reverentiam, nec celebritatem gloriæ, nec lætitiam

voluptatibus, quæ tamen videntur promittere. Et sic falsa felicitas est in eis. Et dicit philosophia : Numquid tu deprehendisti causas cur illud ita sit? Et dicit Boetius : Ego videor intueri, idest cognoscere, tenui rimula : quasi dicat : non plene sed imperfecte video illas causas ; sed apertius cognoscere malim, idest magis vellem ex te. Et dicit philosophia. Atqui (pro certe), ratio idest causa falsæ felicitatis promptissima est. Nota, quod falsa felicitas dicitur mendax eo quod non adimplet quod promittit. Divitiæ enim promittunt sufficientiam, dignitates reverentiam quam non conferunt, sicut patet ex prædictis. Nota, quod cognitio falsæ felicitatis utilis est, quia cognitio mali expediens est ad cautelam, secundum Alanum in libro de *Planctu naturæ*, quia malum non vitatur nisi cognitum, et quia notitia mali ducit in cognitionem boni per oppositum. Igitur vult philosophia primo assignare causas falsæ felicitatis, et tunc ostendere quæ sit vera felicitas.

« Quod enim simplex est etc. » Hic philosophia assignat causam falsæ felicitatis; et declarans eam, ostendit, quod sufficientia, potentia et reverentia, gloria et lætitia sint unum in re. Secundo ostendit quomodo homines ista separant ab invicem. Secundo, ibi, « Hoc igitur quod est unum. » Primo dicit quod causa falsæ felicitatis est, quod error humanus id quod est simplex et indivisum natura separat, idest dividit ; et error humanus traducit a vero bono et perfecto ad falsum et ad imperfectum bonum. Et tunc declarat istam causam, ostendens quod reverentia, potentia et omnia talia sunt unum et idem in re. Et primo ostendit potentiam idem esse cum sufficientia : et dicit : An tu arbitraris illud quod nihilo indigeat, illud egere potentia? Et respondet Boetius : Minime inquam. Philosophia approbat dicens : Recte tu quidem respondes. Nam si quod est quod sit valentiæ imbecillioris, idest potentiæ debilis, in ulla, idest in aliqua re, necesse est quod hoc egeat alieno præsidio. Et dicit Boetius : ita est, inquam. Concludit ergo philosophia, dicens : Igitur una et eadem est natura sufficientiæ et potentiæ. Et dicit Boetius : sic videtur. Tunc philosophia ostendit dignitatem esse eamdem cum prædictis, dicens : Quod vero hujusmodi sit, scilicet sufficiens et potens, ne, idest numquid illud censes, idest judices spernendum tamquam indignum, an contra non spernendum, sed dignissimum veneratione omnium rerum? Respondet Boetius : Non potest dubitari quin hoc sit dignissimum omni veneratione. Et philosophia : addamus ergo sufficientiæ et potentiæ reverentiam, quod hæc tria unum judicemus. Et dicit Boetius : addamus ergo, si volumus vera confiteri. Notandum, quod potentia idem est sufficientiæ. Quod enim aliquid omnino sit sufficiens, ita quod nullius egeat, et quod careat potentia, contradictionem includit, si careret potentia respectum alicujus possibilis, non esset omnino sibi sufficiens. Notandum : cuicumque inest summa sufficientia et summa potentia, eidem inest et summa reverentia. Inquantum enim aliquid habet rationem principii, intantum est dignum reverentia : unde filii reverentur parentes, quia sunt principium esse eorum, et servi dominos, quia sunt principia servorum in mandato moventia eos per imperium ; et reveremur viros virtuosos, quia sunt principia gubernantia vitam politicam. Potentia autem dicit rationem principii. Unde illud est maxime principium quod est potentissimum ; et ideo tale reverendissimum.

« Quid vero, inquit etc. » Hic ostendit prædictis esse annexam gloriam et lætitiam, dicens : Quid vero censes, idest judices? Illud quod est sufficientissimum, potentissimum, reverendissimum, est ne hoc obscurum et ignobile, vel est clarissimum omni celebritate, idest gloria? Respondet Boetius : Ego confitear illud esse celeberrimum, scilicet gloriosissimum sicut est. Tunc philosophia concludit, dicens : Consequens igitur est ut fateamur claritudinem, idest gloriam nihil differre a tribus superioribus. Et dicit Boetius : Consequitur, inquam. Tunc philosophia ostendit idem de lætitia, dicens : Illud quod nullius alieni egeat, et quod cuncta suis viribus possit, quod sit reverendum et clarum, nonne hoc est

lætissimum? Respondet Boetius: non possum cogitare, unde tali illos mœror obrepat, idest subeat. Tunc concludit philosophia dicens: Si superiora manebunt vera, necesse est illud plenum esse lætitiæ; et per eadem concessa necesse est esse nomina diversa sufficientiæ, potentiæ, claritudinis, reverentiæ et jucunditatis; sed substantiam eorum nullo modo discrepare. Quod concedens Boetius dicit: necesse est, inquam. Notandum, quod omnes creaturæ comparantur ad Deum sicut effectus ad suam causam. Et quia notitia cujuslibet causæ relucet in suo effectu, necesse est ipsius Dei habere notitiam per effectum et notitiam cum laude, quia effectus Dei repræsentat ipsum sub ratione bonitatis et perfectionis, quæ est materia laudis. Cum autem gloria sit clara cum laude notitia, necesse est principium omnium rerum, quod est sufficientissimum, potentissimum et reverendissimum, etiam esse gloriosissimum. Notandum, quod sufficientissimo nullum bonum deest, et tale habet appetitum quietatum in bono adepto. Quies autem appetitus in bono adepto est lætitia; ergo bonum sufficientissimum etiam est lætissimum. Notandum, quod omnia ista, sufficientia, potentia, reverentia, gloria et lætitia, sunt unum in substantia: non autem sunt unum in substantia sicut aggregatum ex diversis rebus; tunc enim esset ibi compositio, quod repugnat potentissimo et dignissimo, eo quod simpliciora digniora sunt compositis; sed de hoc postea melius patebit.

Hoc igitur quod etc. » Hic philosophia ostendit qualiter homines illud quod est unum dividunt. Secundo movet dubitationem, ibi: « Quid igitur inquam. » Primo ostendit quomodo homines dividunt illud quod est unum; et dicit: Illud quod est unum et simplex natura, illud dispertit, idest dividit pravitas humana, idest pravus error hominum quærendo unum sine alio; et dum homines conantur, idest laborant adipisci partem rei, quæ partibus caret, homo non assequitur ullam portionem, idest partem nec ipsam rem integram quam affectat. Et quærit Boetius: Quonam modo dividunt homines ista? dicit philosophia: qui petit divitias propter fugam penuriæ, idest causa sufficientiæ, nihil laborat de potentia, sed mavult, idest magis vult, esse vilis, idest indignus et obscurus, idest indignus et obscurus, idest inglorius, et ita nihil curat de dignitate et gloria: talis etiam subtrahit sibi multas voluptates naturales, ne amittat pecuniam quam paravit, idest lucratus est: sed hoc modo ne sufficientia continget ei, quem valentia, idest potentia deserit, quem molestia pungit, quem vilitas, idest irreverentia abjicit, quem obscuritas, idest infamia recondit? quasi dicat: non. Tunc ostendit de potentia idem de dicens: Qui vero solum desiderat posse, idest potentiam, ille profligat, idest dispergit opes, despicit voluptates et honorem carentem potentia, et nihil impendit gloriam. Sed vides hunc, supple, potentem quam multa deficiant. Fit enim aliquando ut talis egeat necessariis, ut mordeatur anxietatibus; et cum nequeat ista depellere, etiam illud quod maxime petebat, desistat esse potens. Similiter licet ratiocinari de aliis tribus; scilicet de honoribus de gloria, de voluptatibus, sicut de prædictis duobus: nam cum unumquodque horum perfecte acceptum sit idem quod cetera, ut declaratum est; quisquis petit aliquid horum sine ceteris, non apprehendit illud quod desiderat. Notandum, qui quærit partem rei indivisibilis partem non inveniet, nec ipsam rem cujus partem quærit, quia in rerum natura indivisibile partem non habet. Cumque igitur prædicta quinque, scilicet sufficientia, reverentia etc, ex parte rei sint unum et indivisibilia, licet differant nominibus; qui quærit unum sine alio non inveniet. Notandum, quod ista quinque prout inveniuntur in rebus sensibilibus in quibus habent esse modo imperfecto et diminuto, sic unum invenitur sine alio, inquantum autem accipiuntur secundum esse perfectum et secundum esse summum prout inveniuntur in beatitudine, sic sunt idem indivisibiliter, et unum non invenitur sine alio, quia summa sufficientia est beatitudo, summa reverentia est beatitudo, summa potentia est beatitudo, et sic de aliis. Notandum, quod

quia homo naturaliter desiderat beatitudinem, tunc unumquodque prædictorum quinque desiderat secundum quod spectat ad beatitudinem : hoc autem est secundum esse perfectum inquantum eadem sunt beatitudini. Et quia beatitudo, cum sit Deus, est indivisibilis, omnia quinque prædicta sunt unum indivisibiliter. Ex quo patet quod quia homines quærunt ista secundum quod imperfecta inquantum sunt in sensibilibus, et tamen desiderant ea secundum perfectionem, ideo homines non assequuntur per ea quod desiderant.

« Quid igitur inquam etc. » Hic philosophia movet dubitationem. Quia dictum est jam quod homo quærendo singulum horum divisim ipse frustratur beatitudine : Potest ergo dubitari, utrum quærendo omnia simul quæratur beatitudo. Dicit ergo Boetius in littera : Quid igitur? inquam : quasi dicat : licet non quæratur beatitudo quærendo unumquodque divisim, quid igitur erit siquis simul cuncta cupiat adipisci? numquid ille si velit summam beatitudinis, numquid beatitudinem reperiet in his bonis quæ demonstravimus non posse conferre quod pollicentur, idest promittunt? Et respondet Boetius : Minime inquam. Concludit ergo philosophia dicens : In his ergo nullo modo est investiganda beatitudo, quæ creduntur præstare singula expetendorum, idest desiderandorum. Quod Boetius concedit, dicens : Quod fateor, idest affirmo, inquam, ita esse, et hoc nihil verius dici potest. Notandum : si aliquis quærit omnia quinque simul, ille quærit beatitudinem in universali, sed errat in particulari quærendo eam istis temporalibus bonis in quibus non invenitur : non enim summa sufficientia nec potentia invenitur in eis. Et sic patet quod quærens unum illorum vel omnia simul secundum quod inveniuntur in rebus sensibilibus, cum habeant esse in eis modo imperfecto, non consequitur beatitudinem : quærens autem unum istorum secundum essse perfectum, cum omnia sint unum indivisibiliter, omnia quærit, et quærit beatitudinem.

« Habes igitur inquit etc. » Postquam philosophia assignavit causam falsæ felicitatis, hic ostendit quæ sit vera felicitas. Secundo ostendit in quo sit constituta, ibi, « Quoniam igitur agnovisti. » Primo philosophia dicit : Habes igitur jam causas et formam falsæ felicitatis : hoc est ad veram felicitatem : ibi statim videbis veram felicitatem quam promisimus. Et dicit hoc. Atqui (pro certe), vera beatitudo perspicua est, idest manifesta ex dictis etiam homini cæco : quasi dicat : tam manifesta est vera beatitudo ex dictis, quod etiam cæco si aliquid posset videre, pateret : et tu paulo ante monstrasti eam, supple, veram felicitatem, dum conabaris aperire, idest declarare, causas falsæ felicitatis. Et dicit Boetius : Nisi ego fallor, ea est vera et perfecta felicitas, quæ perficiat sufficientem potentem et reverendum, celebrem et lætum. Ut etiam tu philosophia cognoscas me Boetium interius, idest plenius animadvertisse quæ sit vera felicitas : ego sine ambiguitate cognosco hanc esse plenam beatitudinem, quæ unum horum, scilicet prædictorum veraciter potest præstare, quoniam idem cuncta sunt. Et dicit philosophia quasi congratulando Boetio : O alumnæ, hæc opinione, te felicem, supple, dico, siquidem hoc adjeceris, supple, quod modo dicam. Et dicit Boetius : Quid nam? inquam, idest dicam. Dicit philosophia : Putas ne aliquid esse in his rebus mortalibus et caducis, idest transitoriis, quod possit afferre, idest dare hujusmodi statum? respondet Boetius : Minime puto : et illud ostensum est a te ut nihil amplius desideretur a beatitudine. Concludit ergo philosophia dicens : Hæc igitur, scilicet sufficientia, reverentia etc., quæ in rebus caducis inveniuntur, vel sunt imagines, idest similitudines veri boni, et videntur dare mortalibus imperfecta bona ; verum autem et perfectum bonum conferre non possunt. Et dicit Boetius : Assentior inquam. Nota : sufficientia imperfecta quæ consideratur in rebus temporalibus, non est vera sufficientia, sed tantum similitudinaria. Sufficientia autem perfecta includit omnia alia quatuor et singulum aliorum quatuor perfecte alia includit : et ideo illud quod dat unum perfectum dat omnia : sed illud quod

dat omnia facit esse perfectum : ergo dicit Boetius : Illud quod potest veraciter animo conferre, illud cognosco esse beatitudinem. Item assentior est verbum deponentiale, et idem significat cum verbo neutrali quod est assentio.

« Quoniam igitur agnovisti quæ vera etc. » Hic ostendit philosophia in quo vera felicitas sit constituta. Et primo tangit ordinem hujus partis ad præcedentia et docet divinum auxilium esse implorandum ut cognoscatur in quo sit vera beatitudo. Secundo invocat divinum auxilium. Tertio ostendit intentum in quo sit vera beatitudo. Secunda, ibi, « O qui perpetua. » Tertia, ibi, « Quoniam igitur. » Primo dicit philosophia : O Boeti, quoniam agnovisti quæ sit vera beatitudo et agnovisti quæ mentiatur beatitudinem, nunc superest ut agnoscas, unde illam veram beatitudinem petere possis. Et dicit Boetius : Illud jamdudum a te vehementer expecto. Et dicit philosophia : Cum divinum præsidium, idest auxilium in minimis rebus debeat implorari, sicut placet Platoni nostro in *Timæo*, quid nunc censes faciendum? supple, censes invocandum patrem omnium rerum, scilicet Deum sine quo nullum exordium rite fundatur. Quod approbat philosophia, dicens : Recte tu, inquit, censes. Et statim sine intervallo philosophia ita modulata est, idest peroravit invocationem Dei metrica modulatione. Nota, quod in omnibus divinum auxilium est implorandum, quia Deus est qui divitias suæ sapientiæ infudit in animas sapientium, et tribuit studentibus gratiam cognoscendi, cui nihil est difficile, et sine quo nihil possibile est possidere : ita scribitur in prologo de *Regimine principum*, et *omne datum optimum et omne donum perfectum, desursum est descendens a patre luminum*, ut dicit Scriptura. Et dicit beatus Augustinus : « Nemo tam eruditus, nemo tam doctus qui superna illustratione non indigeat. » Et beatus Gregorius : « Nisi intus sit qui doceat, in vanum lingua doctoris laborat. » Ideo philosophia, volens ostendere in quo sit vera beatitudo, invocat divinum auxilium, quo prætermisso, nullum rite fundatur exordium.

METRUM IX

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.
Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, livore carens : tu cuncta superno
Ducis ab exemplo : pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique ab imagine [formans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis : ne purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam per consona membra re- [solvis.
Quæ cum secta duos motum glomeravit in orbes,
In semet reditura meat, mentemque profundam
Circuit, et simili convertit imagine cœlum.
Tu causis animas paribus, vitasque minores
Provehis, et levibus sublimes curribus aptans
In cœlum, terramque seris : quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti.
Da, pater, augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da luce reperta
In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,
Atque tuo splendore mica ; tu namque sere- [num,
Tu requies tranquilla piis : te cernere, finis
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

« O qui perpetua mundum ratione gubernas etc. » Istud est metrum nonum hujus tertii, quod dicitur homericum ab inventore, quia Homerus ipsum adinvenit : et dicitur heroicum a magistro, quia gesta heroum, idest virorum illustrium hoc metro describebantur ; et dicitur dactylicum a pede prædominante, exametrum a numero pedum, quia constat ex sex pedibus. In quo metro philosophia invocat divinum auxilium ad ostendendum in quo sit vera beatitudo, et quomodo ad ipsam perveniatur. Primo ergo philosophia captando benivolentiam Dei, ipsum multipliciter commendat. Secundo petitionem suam exprimit, ibi, « Da pater. » Circa primum sciendum quod tria requiruntur ad petitionem exaudiendam. Primo requiritur potentia exaudiendi. Secundo voluntas. Tertio scientia. De primis duobus dicitur in *quarto* prosa secunda : duo sunt in quibus omnis humanorum actuum effectus constat : voluntas et potestas ; quorum si alterum desit, nihil est quod explicari queat. De scientia patet ; quia sine ea nihil rationabiliter geritur. Volens ergo philosophia

ostendere quod Deus possit, velit, sciat exaudire suam petitionem, ostendit ipsum esse potentem ex mundi gubernatione, ex cœli et terræ creatione, ex temporis productione. Secundo ostendit ipsum volentem sive benivolum ex sui bonitate et clementia quæ produxit cuncta. Tertio ostendit ipsum esse sapientem ex quorumdam effectuum specialium productione. Secunda, ibi, « Quem non externæ. » Tertia, ibi, « Tu numeris. » Prima dicit : O Pater, qui gubernas mundum perpetua ratione, idest perpetua providentia tua, qui es sator, idest creator terrarum et cœli, qui jubes tempus ire, idest procedere ab ævo, idest a perpetua duratione, tu manens stabilis, idest immutabilis, das, idest facis, cuncta moveri. Notandum, quod tota ista littera : Qui perpetua, usque ad illam partem, de Pater debet legi suspensive. Et potest o hic teneri vocative, admirative vel deprecative. Notandum, quod gubernare est res in debitum sui finem ordinare ; quod spectat ad divinam bonitatem. Regit aut prima causa omnes res præter hoc quod commisceatur cum eis, influendo super eas virtutem vitæ et bonitatis secundum auctorem libri *de Causis*. Notandum, quod mundus, secundum Aristotelem in *libro de Mundo*, est constitutus ex cœlo et terra et naturis quæ in eis sunt : quem mundum Deus gubernat perpetua ratione, idest sua providentia perpetua ; quæ non est transitoria sicut providentia humana, sed permanet duratione infinita. Notandum : sicut aliquis dicitur sator qui semina plantarum et arborum projicit, sic Deus dicitur sator inquantum cœlum et terram creavit et produxit. Per cœlum autem et terram etiam intelliguntur elementa quæ sunt in medio. Dicit autem, et terrarum ponendo numerum pluralem pro singulari per antithesim. Notandum, quod tempus est duratio successiva, cum sit numerus motus secundum prius et posterius, ex *quarto Physicorum* : quæ duratio procedit ab ævo. Ubi notandum, quod ævum est duratio permanens tota simul, nullam habens successionem vel mutabilitatem annexam : et est idem quod æternitas, quæ est propria duratio Dei, secundum quam Deus est causa temporis. Sicut enim Deus per suum esse est causa cujuslibet esse, et per suam bonitatem est causa cujuslibet boni, ita per suam durationem est causa cujuslibet durationis. Notandum, quod Deus est stabilis, idest immutabilis, quia nulla specie motus movetur. Non generatione et corruptione, cum sit ingenerabilis et incorruptibilis. Nec augmentatione et diminutione, cum non sit quantus. Non alteratione nec loci mutatione, cum sit impartibilis. Et probat Aristoteles *octavo Physicorum*, ex ordine moventium est mobilium necesse devenire ad aliquod primum omnino immobile et per se et per accidens. Notandum, quod omnia a primo sunt mutabilia, vel secundum esse vel secundum operationem. Si secundum esse, hoc est dupliciter : vel secundum esse substantiale, sicut entia generabilia et corruptibili : vel secundum esse accidentale, sicut corpora cœlestia : quæ licet non mutentur generatione et corruptione, tamen mutantur secundum esse locale. Si autem est mutatio secundum operationem, sic intelligentiæ sunt mutabiles, quia in ipsis est successio intellectionum. Licet ergo non mutentur quo ad esse, tamen quo ad operationem. Aliter exponitur : Stabilisque manens das cuncta moveri, vel omnibus speciebus motuum, vel aliquibus speciebus motus, accipiendo motum stricte vel large. Aliter exponitur : Stabilisque manens das cuncta moveri : non quod omnia moveantur ; sed quicquid movetur te dante movetur. Et simile genus locutionis habetur Joan. primo : *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Non quod omnes simul illuminentur : sed omnes qui illuminantur, a Deo illuminantur.

« Quem non externæ etc. » Hic philosophia ostendit Deum esse benivolum ex bonitate clementiæ qua omnia produxit, Et dixit : quem, scilicet Deum, externæ, idest extrinsecæ causæ non pepulerunt, idest non coegerunt fingere, idest componere opus, idest creaturam fluitantis materiæ, quæ fluit de esse ad non esse, et e converso de non esse ad esse formæ.

Verum (pro sed) insita idest intima forma summi boni, idest summae tuae bonitatis, scilicet, supple, pepulit te fingere opus fluitantis materiae. O Pater, tu ducis, idest producis, cuncta ab exemplo superno, idest ab exemplari perpetuo tu ipse pulcherrimus ab omni deformitate elongatus, gerens mente, idest memoria, pulchrum mundum, seu pulchrum mundum, scilicet archetypum, formans, idest producens ipsum mundum sensibilem simili imagine sicut praefuit in mente tua; et tu jubes mundum perfectum, idest perfecte productum absolvere, idest absolutum tenere sine defectu alicujus perfectas partes, idest elementa quae spectant ad integritatem mundi. Notandum, quod omne quod necessitatur a causa extrinseca, necessitatur ab efficiente vel a fine: quia non sunt plures causae extrinsecae. Efficiens autem necessitat dupliciter: vel violentiam inferendo, ut projiciens lapidem sursum, vel aliquid conferendo quo naturaliter moveatur, sicut generans formam dans levitatis movet ignem sursum de necessitate naturae. Deus autem non necessitatur ab efficiente primo modo, scilicet necessitate violentiae; cum nihil sit potentius eo; nec necessitate secundo modo, cum nihil ab alio recipiat. Nec etiam necessitatur necessitate finis; quia quod necessitatur ab alio tanquam a fine comparatur ad ipsum sicut imperfectum ad perfectum, eo quod finis est bonum et perfectio illius quod est ad finem. Deus autem a nullo extrinseco perficitur. Notandum, quod sola bonitas divina coegit ipsum ad producendum opus fluitantis materiae; non autem coegit ipsum necessitando sed libere movendo. Notandum, quod invidia facit quod aliquis bonum alteri non communicat, quia invidia est tristitia de bono alterius: et quia talis invidia in Deo non est, ideo summam bonitatem per creationem aliis communicavit. Unde dicit Plato *in Timaeo*: « Ab optimo invidia longe relegata est, et per consequens sibi dissimilia prout naturaliter cujusdam capax beatitudinis esse poterat effingere voluerit. » Notandum, quod sicut in agentibus per naturam rei forma praeexistit in agente secundum esse reale, sic in agentibus secundum intellectum forma rei producendae praeexistit secundum esse intellectuale; sicut artifex volens producere domum, oportet formam domus primo in mente praeexistere tanquam exemplar ad cujus imitationem faciat domum in materia. Cum igitur Deus sit agens per intellectum producens mundum, ipse praehabuit in mente sua exemplar mundi et omnium partium ejus, ad cujus imitationem produxit mundum extra, supple, qui mundus in mente divina praeexistens dicitur archetypus ab archos quod est princeps, et typos similitudo, quasi principalis similitudo, cujus imago dicitur iste mundus sensibilis.

« Tu numeris elementa ligas, etc. » Hic philosophia commendat Deum ex parte sapientiae quo ad specialem effectuum productionem. Et primo ex productione elementorum. Secundo ex productione animae mundi. Tertio ex productione nostrarum animarum. Secunda, ibi, « Tu triplicis. » Tertia ibi, « Tu causis. » Primo dicit: O Pater, tu ligas elementa numeris, idest proportionibus numeralibus, ut elementa frigida conveniant, idest concordent flammis, idest calidis elementis; et ut arida, idest sicca elementa conveniant liquidis, idest humidis elementis; ne ignis purior inter elementa evolet, idest exeat sphaeram suam magis ascendendo; et ne pondera, idest gravitates deducant, idest magis deorsum ducant, terras mersas, idest depressas. Notandum, quod elementa habent proportionem numeralem inter se. Sicut enim duo numeri quadrati conveniunt in uno numero medio proportionali, sic duo elementa contraria in duabus qualitatibus conveniunt in uno elemento medio proportionali utrique. Verbi gratia: Numerus quadratus est qui constat ex ductu suiipsius in seipsum, dicendo bis duo, ter tria, bis duo in quaternarium, et ter tria in novenarium: et accipe unum numerum medium proportionalem, scilicet senarium qui secundum eamdem proportionem excedit quatuor in qua exceditur a novem: sicut enim novem continent sex et mediam partem sex, ita sex continent quatuor et mediam

partem quatuor. Sic similiter est in elementis. Nam ignis et aqua in duabus qualitatibus contrariantur; ignis enim est calidus et siccus, aqua frigida et humida. Quæ colligantur uno medio, supple, aere, qui convenit cum igne in caliditate, et cum aqua in humiditate. Similiter est de aere et terra respectu aquæ. Secundum hanc sententiam littera sic exponitur. Tu ligas elementa numeris, idest proportionibus numerabilibus, ut frigora idest aquæ quæ frigidæ sunt, conveniant flammis, idest ignibus, qui calidi sunt, per unum elementum medium quod est aer, et arida, idest terræ, quæ aridæ sunt, conveniant liquidis, idest partibus aeris quæ humidæ sunt, per elementum medium quod est aqua.

« Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem etc. » Hic philosophia ostendit sapientiam ex animæ mundi productione. Ubi sciendum quod ista littera communiter exponitur ad intentionem Platonis in *Timæo*. Sed quia ista expositio est difficillima et modicæ utilitatis ego eam pertranseo, et ponam facilem expositionem, quæ est de mente Aristotelis. Ad cujus evidentiam est notandum, quod per animam mundi hic intelligentia movens orbem, quæ per motum virtutem suam influit inferioribus : et hæc intelligentia dicitur media inter et animam humanam. Sicut enim in dignitate et perfectione exceditur a Deo, sic ipsa excedit animam nostram. Notandum, quod intelligentia hujusmodi dicitur esse triplicis naturæ, propter tres operationes quas habet : scilicet movere orbem, intelligere Deum, et intelligere seipsam. Notandum, quod orbes cœlestes dicuntur consona membra intelligentiæ, quia per ipsos tamquam per organa et instrumenta intelligentia influit inferioribus. Licet enim intelligentia prima intentione moveat propter se, tamen secunda intentione movet propter inferiora. His præmissis littera plana erit. Unde dicitur sic : Tu Deus animam supple, mundi quæ est intelligentia, mediam, supple, inter Deum et animam humanam, triplicis naturæ, idest triplicis operationis, moventem cuncta, supple, inferiora per influxum illum, tu connectens resolvis, idest distinguis, eam per consona membra. idest per convenientes orbes : quæ anima cum secta, idest divisa quantum ad operationes, glomeravit, idest impressit, motum in duos orbes, supple, in orbem primi mobilis, et in orbem planetarum, ipsa reditura, idest reflexa meat, idest procedit in semetipsam, supple, intelligendo quod est una operatio, et ipsa circuit mentem profundam, idest mentem divinam, Deum intelligendo, quæ est alia operatio : et ipsa convertit, idest movet cœlum, simili imagine, idest intellectione, quod est tertia operatio ejus. Adhuc nota : licet corpora cœlestia sint diversa, tamen ratione unitatis ordinis possunt dici unum corpus. Similiter intelligentiæ licet sint diversæ tamen possunt dici una intelligentia propter unitatem ordinis in operatione movendi; ergo dicit in singulari animam et non animas.

« Tu causis animas paribus vitasque etc. » Hic philosophia commendat sapientiam Dei ex animarum nostrarum creatione, dicens : O Pater, tu provehis, idest producis animas hominum, et minores vitas, idest animas brutorum et plantarum paribus causis, quibus animam mundi produxisti : scilicet tu aptans sublimes idest animas rationales hominum, levibus curribus, idest cœlestibus stellis, tu seris eas in cœlum et terram, idest in corpora terrena, quas animas conversas reduci igne, idest charitate reducente, facis reverti ad te benigna lege, idest ordinatione tua. Nota, quod animæ bestiarum et plantarum dicuntur minoris vitæ respectu animæ hominis, eo quod non habent tot nec ita perfectas operationes vitæ sicut animæ hominum. Nota quod per leves currus secundum intentionem platonicorum intelligit stellas compares curribus. Dixerunt enim platonici quod Deus omnes animas simul creavit et seminaverit eas in cœlo elegendo eas stellis comparibus a quibus postea delabantur in corpora. Sed hæc opinio non valet, scilicet quod omnes animæ simul sint creatæ : immo omni die de novo creantur et creatæ corporibus infunduntur. Dicuntur autem animæ seri in cœlum propter virtutem cœlestem, ex qua unio animæ ad

corpus contrahit etiam peccatum. Licet anima a Deo producatur in corpore, tamen quia ex parte dispositionum corporalium dependet a virtute cœlesti: ideo dicit eas seri in cœlum et terram, quia animæ non coaptantur corporibus nisi mediante virtute cœlesti. Unde secundo *Physicorum*: « Homo enim hominem generat et sol. » Nota, quod Deus animas creatas aptat levibus curribus, idest stellis comparibus: quod sic potest intelligi, quia anima creata comparilitatem et similitudinem habet cum stella. Sicut enim stella est nobilior pars sui orbis et est perpetua, sic anima rationalis perpetua existens est nobilior pars hominis. Vel sic potest intelligi, quod Deus animas creatas aptat levibus curribus, idest rationi et intellectui, qui dicuntur currus animæ qui ducunt hominem in cognitionem rerum: quas animas serit in cœlum et terram, quia anima ratione et intellectu habet cognitionem cœlestium et terrestrium. Nota, quod per ignem reducente intelligit ardorem charitatis, quæ hominem aversum a Deo vitiis facit ad ipsum redire virtutibus. Nisi enim homo Deum amet, ipsum non quærit; nisi quærat, non inveniet; nisi inveniat, ad ipsum non revertetur.

« Da, Pater, augustam etc. » Postquam philosophia captavit benivolentiam Dei ipsum multipliciter commendando, hic exprimit suam petitionem dicens: O Pater qui facis omnia prædicta, da, idest concede menti, supple, humanæ, conscendere augustam sedem, idest nobilem sedem summi boni, da lustrare, idest investigando invenire, fontem boni, idest Deum qui est fons omnis boni; da luce reperta, idest cognitione præhabita in te defigere, scilicet per amorem, conspicuos visus, idest claros intuitus, animæ idest rationis et intellectus. O Pater tu disjice, idest disperge nebulas, idest obscuritates, et pondera, idest gravitates terrenæ molis, idest dilectionis terrenæ, atque mica, idest resplende tuo splendore; tu namque es serenum quo, supple, omnes illustrantur. Tu es tranquilla requies piis, supple, mentibus; te cernere, idest videre, est finis, supple, omnium; tu idem existens es principium, quia origo omnium rerum, tu es vector quia vehis nos per gratiam quo pervenire non possumus per naturam; tu es dux ducens ab errore ignorantiæ ad veritatem sapientiæ; tu es semita cum sis via et veritas et per te ad teipsum pervenitur; tu es terminus ultra quem nihil quæritur, cum sis summum et perfectum bonum. Nota quod sedes summi boni dicitur augusta, idest subtilis, quia vix magno labore ad ipsam pervenitur: vel dicitur augusta, idest nobilis, quia nihil sibi comparari potest. Item Deum vocat fontem summi boni. Sicut enim rivuli habent existere et fluere a fonte et ipse a nullo, sic a Deo omne bonum habet esse, ipse autem a nullo. Nota: ad hoc quod sedes summi boni conscendatur, oportet quod investigetur. Et quia non sufficit investigare si non inveniatur, nec invenire si non diligatur, ideo philosophia petit per amorem defigi visum animi, scilicet rationem et intellectum, in summum bonum. Nota, quod quia intellectus et ratio impediuntur et obscurantur per affectionem et desiderium terrenorum, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam quando corpori est subjecta, ideo philosophia petit fugari nebulas terrenæ molis. Et quia non sufficit fuga tenebrarum nisi adsit lux illuminans, ideo petit illuminationem, dicens: Atque tuo splendore mica. Item disjicio-cis, idest dispergo vel removeo: et dicitur a dis præpositione inseparabili et a verbo icio icis.

PROSA X.

Quoniam igitur quæ sit imperfecti, quæ etiam perfecti boni forma, vidisti; nunc demonstrandum reor, quonam hæc felicitatis perfectio constituta sit. In quo illud primum arbitror inquirendum, an aliquod hujusmodi bonum, quale paulo ante definisti, in rerum natura possit existere, ne nos præter rei subjectæ veritatem cassa cogitationis imago decipiat. Sed quin existat, sitque hoc veluti quidam omnium fons bonorum, negari nequit. Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque aliquid esse necesse sit. Etenim perfectione sublata, unde illud quod imperfectum perhibetur, exstiterit, ne fingi quidem potest. Neque enim a deminutis, inconsummatisque natura rerum cepit exordium, sed ab integris absolutisque procedens, in hæc extrema atque effœta dilabitur. Quod si, uti paulo ante monstravimus

est quædam boni fragilis imperfecta felicitas : esse aliquam solidam perfectamque, non potest dubitari. Firmissime, inquam, verissimeque conclusum est. Quo vero, inquit, habitet, ita considera. Deum rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum. Nam cum nihil Deo melius excogitari queat, id quo melius nihil est, bonum esse quis dubitet? ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque bonum in eo esse convincat. Nam ni tale sit, rerum omnium princeps esse non poterit ; erit enim eo præstantius aliquid, perfectum possidens bonum, quod hoc prius atque antiquius esse videatur : omnia namque perfecta minus integris priora esse claruerunt. Quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum est, summum Deum, summi perfectique boni esse plenissimum. Sed perfectum bonum veram esse beatitudinem constituimus. Veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse, necesse est. Accipio, inquam ; nec est quod contradici ullo modo queat. Sed quæso, inquit, te, vide quam id sancte atque inviolabiliter probes, quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum. Quonam, inquam, modo? Ne hunc rerum omnium patrem illud summum bonum quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi, habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod acceperit, existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum, dignissime confitemur. Quod si natura quidem inest, sed ratione diversum, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit. Postremo quod a qualibet re diversum est, id non est illud a quo intelligitur esse diversum. Quare quod a summo bono diversum est sui natura, id summum bonum non est : quod nefas est de Deo cogitare, quo nihil constat esse præstantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit existere. Quare quod omnium principium sit, id etiam sui substantia summum esse bonum verissima ratione concluserim. Rectissime, inquam. Sed summum bonum beatitudinem esse concessum est. Ita est, inquam. Igitur, inquit, Deum esse ipsam beatitudinem, necesse est confiteri. Nec propositis, inquam, prioribus refragari queo, et ab illis hoc illatum consequens esse perspicio. Respice, inquit, an hinc quoque idem firmius approbetur, quod duo summa bona, quæ a se diversa sunt, esse non possunt. Etenim quæ discrepant bona, non esse alterum, liquet : quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutrum alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est : nullo modo igitur quæ summa sunt bona, ea possunt esse diversa. Atqui et beatitudinem, et Deum, summum bonum esse collegimus : quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem quæ sit summa divinitas. Nihil, inquam, nec re ipsa verius, nec ratiocinatione firmius, nec Deo dignius concludi potest. Super hæc, inquit, igitur, veluti geometræ solent, demonstratis propositis, aliquid inferre, quæ *porismata* ipsi vocant, ita ego quoque tibi veluti corollarium dabo. Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo vero est ipsa divinitas ; divinitatis adeptione fieri beatos, manifestum est. Sed uti justitiæ adeptione justi, sapientiæ sapientes fiunt, ita divinitatem adeptos, deos fieri simili ratione necesse est. Omnis igitur beatus, deus ; sed natura quidem unus, participatione vero nihil prohibet esse quam plurimos. Et pulchrum, inquam, hoc, atque pretiosum, sive *porisma*, sive corollarium vocari mavis. Atqui hoc quoque pulchrius nihil est quod his annectendum esse ratio persuadet. Quid? inquam. Cum multa, inquit, beatitudo continere videatur, utrum ne hæc omnia in unum veluti corpus beatitudinis quadam partium varietate conjungant, an sit eorum aliquid quod beatitudinis substantiam compleat, ad hoc vero cetera referantur? Vellem, inquam, id ipsarum rerum commemoratione patefaceres. Nonne, inquit, beatitudinem bonum esse censemus? Ac summum quidem, inquam. Addas, inquit, hoc omnibus licet. Nam eadem sufficientia summa est, eadem summa potentia, reverentia quoque, claritas, et voluptas beatitudo esse judicatur. Quid igitur? Hæccine omnia bona, sufficientia, potentia, ceteraque veluti ad verticem, cuncta referuntur? Intelligo, inquam, quid investigandum proponas : sed quid constituas, audire desidero. Hujus rei discretionem sic accipe. Sic hæc omnia beatitudinis membra forent, a se quoque invicem discreparent. Hæc est enim partium natura, ut unum corpus diversa componant. Atqui hæc omnia idem esse monstrata sunt. Minime igitur membra sunt : alioquin ex uno membro beatitudo videbitur esse conjuncta, quod fieri nequit. Id quidem, inquam, dubium non est : sed id quod restat, exspecto. Ad bonum vero cetera referri palam est. Idcirco enim sufficientia petitur, quoniam bonum esse judicatur ; iccirco potentia, quoniam id quoque esse creditur bonum. Idem de reverentia, claritudine jucunditate, conjectare licet. Omnium igitur expetendorum summa atque caussa bonum est. Quod enim neque re neque similitudine ullum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest. Contraque etiam quæ natura bona non sunt, tamen si esse videantur, quasi vera bona sint, appetuntur. Quod fit uti summa, cardo, atque caussa expetendorum omnium, bonitas esse jure credatur. Cujus vero caussa quid expetitur, id maxime videtur optari. Veluti si salutis caussa quispiam velit equitare, non tam equitandi mutum desiderat, quam salutis effectum. Cum igitur omnia boni gratia petantur, non illa potius quam bonum ipsum desideratur ab omnibus. Sed propter quod cetera optantur, beatitudinem esse concessimus : quare sic quoque sola quæritur beatitudo. Ex quo liquido apparet, ipsius boni et beatitudinis unam atque eamdem esse substantiam. Nihil video, cur dissentire quispiam possit. Sed Deum veramque beatitudinem unum atque idem esse monstravimus. Ita, inquam. Secure igitur concludere licet, Dei quoque in ipso bono, nec usquam alio, sitam esse substantiam.

« Quoniam igitur quæ sit imperfecti etc. » Ista est decima prosa hujus tertii ; in qua philosophia ostendit ubi vera beatitudo sit constituta. Et primo continuando se, probat beatitudinem perfectam esse in rerum natura. Secundo ostendit in quo sit vera beatitudo, ibi, « Quo vero. » Primo dicit : O Boetii, quoniam vidisti in præcedentibus quæ sit forma imperfecti boni, et quæ sit forma perfecti boni, nunc reor, idest opinor esse demonstrandum quonam, idest ubi hæc perfectio felicitatis, idest perfecta felicitas, sit constituta. In quo, supple, investigando, illud ego arbitror primum

esse inquirendum, an aliquid hujusmodi bonum perfectum quale paulo ante, scilicet octava prosa, definisti, possit existere in rerum natura; ne cassa, idest vana, imago idest species cogitationis nos decipiat præter veritatem subjectæ rei, idest existentia rei. Sed nequit negari quin existat in rerum natura perfectum bonum, et perfecta felicitas, et hoc bonum est veluti fons omnium bonorum. Et tunc probat ipsum esse tali ratione. In quocumque genere est reperire imperfectum, in eodem est reperire perfectum. Sed in genere rerum est reperire imperfectum bonum et imperfectam felicitatem, ut patet ex præcedentibus: ergo in rerum natura erit dare perfectum bonum et perfectam felicitatem. Hanc rationem pertractat in littera, et dicit: Omne quod dicitur esse imperfectum illud perhibetur imperfectum diminutione, idest ex defectu perfecti: quo fit ut si in quolibet genere videatur esse quid, idest aliquid imperfectum, in eo genere necesse sit aliquid esse perfectum. Etenim sublata, idest circumscripta perfectione, nec fingi potest unde extiterit, idest esse habeat, quod perhibetur imperfectum. Neque enim natura cœpit exordium a diminutis et inconsummatis, idest ab imperfectis; sed natura procedens ab integris et absolutis, idest perfectis, dilabitur in hæc extrema, idest inferiora, atque effœta, idest infructuosa. Ex hoc ergo accipitur major ratio: In quocumque reperitur aliquid imperfectum in eodem reperitur perfectum. Tunc subjungit minorem, dicens: Sicuti paulo ante monstravimus, quædam est fragilis boni et imperfecta felicitas. Et ponit conclusionem, dicens: Ergo dubitari non potest esse aliquam solidam et perfectam felicitatem. Quod concedens Boetius dicit: verissime et firmissime conclusum est. Notandum, quod in temporalibus et sensibilibus non potest esse summum et perfectum bonum. Et quia multi sunt qui non putant esse alia bona præter sensibilia, ideo ne aliquis putet nullum esse perfectum bonum in rerum natura, philosophia primo antequam ostendat ubi sit situm perfectum bonum probat ipsum esse. Notandum, quod res subjecta est de qua habetur sermo et cognitio: sed dum cogitamus de re quæ non est, tunc est cogitatio cassa præter veritatem subjectæ rei decipiens nos. Ne autem talis cognitio videatur esse summi boni, ideo primo probat ipsum esse in rerum natura. Notandum, quod imperfectum non potest esse principium rerum, quia perfectum prius est imperfecto: principio autem non est aliquid prius: ex quo sequitur quod ubi est imperfectum, ibi est reperire perfectum. Notandum, quod est devenire ad aliquod perfectum a quo natura incipiens progreditur ad posteriora imperfecta, cujusmodi sunt hæc inferiora, quæ dicuntur extrema et effœta, quia sunt ultima causatorum, non causa aliis inferioribus.

« Quo vero inquit etc. » Hic philosophia ostendit in quo perfectum bonum sive felicitas sit sita. Secundo concludit quoddam corollarium. Tertio movet dubitationem. Secunda, ibi, « Super hæc. » Tertia ibi, « Atque hoc quoque. » Primo dicit vel ostendit perfectam felicitatem esse in Deo constitutam. Secundo ostendit per quem modum sit in Deo, ibi, « Sed quæso. » Primo ponit unam propositionem notam. Secundo ex ea probat intentum, ibi, « Ita vero. » Primo dicit: Jam probatum est quod est dare perfectum bonum: quo vero, idest in quo, habitet illud perfectum bonum, ita considera. Et tunc subjungit propositionem: Omnis conceptio communis humanorum animorum probat, idest concedit, Deum esse bonum principem omnium rerum. Et quod Deus sit quoddam bonum: probat per hoc, quia Deo nihil melius excogitari potest: et quis dubitat illud esse bonum quo melius nihil est? quasi dicat: nullus. Notandum, quod Deum esse principem omnium rerum omnes concedunt. Sed quia Pythagorici duo posuerunt esse principia rerum, unum bonum aliud malum, ne ergo aliquis occasione hujus negaret Deum esse bonum, ideo hoc probat ex eo quod nihil potest melius excogitari Deo. Unde dicit beatus Augustinus in libro *de doctrina christiana*: « Omnes latinæ linguæ scientes, cum aures eorum sonus tetigerit quo profertur Deus, moventur ad cogitandum excellentissimam quamdam im-

mortalem naturam : ita autem cogitatur Deus ut aliquid quo nihil sit melius. »

« Ita vero bonum esse Deum etc. » Hic probat intentum quod beatitudo sive perfectum bonum sit situm in Deo, tali ratione. Perfectum bonum est vera beatitudo : sed in Deo est perfectum bonum ; ergo in Deo est vera beatitudo. Unde dicit in littera : Ratio ista demonstrat Deum esse bonum, ut convincat, idest infallibiliter concludat, in eo esse perfectum bonum, nam ni, idest nisi Deus sit tale, scilicet perfectum bonum, non poterit esse princeps omnium rerum. Si enim non sit perfectum bonum, erit aliquid præstantius eo, possidens perfectum bonum, quia omnia perfecta claruerunt, idest manifesta sunt, esse priora minus integris, idest perfectis : quare ne ratio prodeat, idest procedat in infinitum, confitendum est summum Deum esse plenissimum summi et perfecti boni. Et sic patet minor rationis ; scilicet quod in Deo est perfectum bonum. Tunc probat majorem, dicens : Sed constituimus, idest probavimus nona prosa, perfectum bonum esse veram beatitudinem : igitur restat concludere quod necesse est veram beatitudinem sitam esse in summo Deo ; cui Boetius consentiens dicit, accipio, idest concedo, inquam, nec est quod ullo modo queat contradici. Notandum, quod si Deus non esset perfectum bonum sed imperfectum, procederetur in infinitum sic arguendo : Deus vel est perfectum bonum vel imperfectum : si perfectum, habetur propositum ; si imperfectum, erit aliquid prius eo, cum perfectum sit prius imperfecto. Illud ergo prius vel est perfectum bonum vel imperfectum : si perfectum, illud erit Deus, et habetur propositum ; si imperfectum, erit aliquid prius eo, cum perfectum sit prius imperfecto. Iterum quæritur de illo priori : vel est perfectum bonum vel imperfectum : et sic procederetur in infinitum, vel dabitur Deum esse perfectum bonum. Et hoc innuit in littera, cum dicit : Quare ne in infinitum ratio procedat.

« Sed quæso te, inquit etc. » Hic philosophia ostendit per quem modum vera beatitudo sit in Deo : quia non est in Deo tamquam aliquid distinctum ab ipso sicut accidens a subjecto ; sed est idem cum ipso ; quod probat quatuor rationibus. Secunda, ibi, « Postremo. » Tertia, ibi, « Omnino enim. » Quarta, ibi, « Respice, inquit. » Primo præmittit intentum suum cum quadam divisione cujus membra improbat, dicens : O Boeti, quæso te, vide quam id sancte, idest firmiter et inviolabiliter probes quod diximus summum Deum esse plenissimum summi boni. Et dicit Boetius : Quonam modo, supple, hoc probatur? Tunc ponit philosophia divisionem dicens : ne præsumas, idest putes, hunc patrem omnium rerum accepisse extrinsecus illud summum bonum quo perhibetur esse plenus : vel præsumas ita naturaliter habere a se illud bonum, quasi cogites diversam esse substantiam Dei habentis et beatitudinis habitæ. Et tunc improbat membra. Primo quod Deus non accepit summum bonum ab extrinseco, dicens : Nam si putes bonum quod in Deo est extrinsecus acceptum, tunc tu possis, idest potes existimare esse præstantius, idest melius illud bonum quod dederit eo quod acceperit, supple, Deo : quod est falsum, quia confitemur hunc præcellentissimum omnium rerum. Tunc probat quod perfectum bonum in Deo non est in ipso naturaliter tamquam differens a substantia sua, dicens : Quod si natura, idest per naturam, inest Deo summum bonum sed est diversum ab ipso ratione quidditativa, fingat qui potest quis hæc diversa conjunxerit, supple, Deum et summum bonum : quasi dicat : non est dare aliquem priorem ista diversa conjungentem. Notandum, quod ratio quam philosophia prætendit est ista : Summum bonum quod est in Deo, vel est acceptum ab extrinseco, vel inest sibi naturaliter : si ab extrinseco, aliquid erit præstantius et nobilius Deo, quia dans summum bonum præstantius est recipiente ipsum : si autem inest Deo naturaliter, vel tamquam idem sibi, vel tamquam diversum ab ipso : si tamquam idem sibi, habetur propositum : si tamquam diversum ab ipso, erit aliquid prius quod ista diversa conjunxerit : talia autem fingere, est difficile.

« Postremo quod a qualibet etc. » Hic

philosophia ponit secundam rationem quod summum bonum in Deo non differt ab ipso; et est ratio talis: Illud quod est diversum ab alio, non est illud a quo est diversum. Si ergo summum bonum esset diversum a Deo, Deus non esset summum bonum: quod nefas est dicere. Unde dicit in littera: Postremo illud quod est diversum a qualibet re, illud non est illud a quo intelligitur, idest videtur, esse diversum. Quare quod sui natura diversum est a summo bono, illud non est summum bonum. Si igitur summum bonum ita sit in Deo quod secundum naturam est diversum ab eo, sequitur quod Deus non sit summum bonum: quod nefas est cogitare de Deo, quo nihil constat esse præstantius. Nota: si aliquid esset in Deo diversum ab ipso, Deus esset compositus, et non essentiæ simplicis; quod est falsum. Item quod est in Deo diversum ab ipso, vel est accidens vel pars ejus. Non accidens, quia Deus non est subjectum alicujus accidentis. Si est pars ejus, cum pars præcedat totum, aliquid erit prius Deo, quod falsum est.

« Omnino enim nullius rei natura etc. » Hic philosophia ponit tertiam rationem, quæ talis est: Illud quod est principium omnium formaliter est summum bonum, quia summum bonum non potest esse principiatum: sed Deus est principium omnium, ergo formaliter est summum bonum: summum autem bonum est beatitudo; ergo Deus formaliter est summa beatitudo. Unde dicit in littera: Omnino, idest generaliter nullius rei natura poterit existere, idest esse melior suo principio: quare quod omnium sit principium, sicut Deus, illud etiam concluserim verissima ratione, summum esse bonum substantia, idest per substantiam. Cui assentiens Boetius dicit: Rectissime inquam conclusum est. Sed summum bonum esse beatitudinem concessum est. Dicit Boetius: ita est, inquam. Concludit ergo philosophia: Igitur necesse est Deum confiteri ipsam beatitudinem. Dicit Boetius: nequeo refragari, idest resistere, prioribus propositis, idest præmissis, et ego perspicio hoc illatum esse consequens illis, idest ad illa. Nota, quod principium omnium rerum oportet esse summum bonum substantialiter: quia si aliquid aliud a principio esset summum bonum substantialiter sicut aliquid principiatum, sequitur quod principiatum sit nobilius suo principio; nam bonum substantialiter nobilius est bono accidentaliter. Item si principium non est bonum substantialiter sed accidentaliter, cum omne quod est tale per accidens reducatur ad aliquid tale per se: tunc principium reduceretur ad aliquid, et per consequens non esset principium.

« Respice, inquit, an hinc etc. » Hic ponit quartam rationem quod beatitudo in Deo non differt ab ipso. Si beatitudo differret a Deo, cum utrumque, tam Deus quam beatitudo, sit summum bonum: essent duo summa bona, quorum unum non esset alterum: et cum unum desit alteri, neutrum erit perfectum et summum bonum, quia perfectum est cui nihil deest; ergo necesse est beatitudinem esse idem cum Deo. Unde dicit in littera: O Boeti, respice an hinc quod modo dicam illo quod probatum est firmius approbetur. Duo summa bona esse non possunt, quæ sint a se diversa. Etenim liquet, idest manifestum est, quod bona quæ discrepant, non esse alterum, supple, eorum bonorum, quod sit alterum: quare cum alterum deest alterutri, idest alteri, neutrum poterit esse perfectum: cum perfectum sit cui nihil deest. Sed manifestum est, illud non esse summum bonum, quod non est perfectum: igitur nullo modo possunt esse diversa ea quæ sunt summa bona. Atqui (pro certe) Deum et beatitudinem collegimus esse summum bonum: quare necesse est ipsam naturam quæ sit divinitas, idest naturam Dei esse summam beatitudinem: quod Boetius approbans dicit: nihil verius est ipsa re nec ratiocinatione firmius, nec Deo dignius concludi potest. Notandum, ex *quarto Topicorum*: quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit. Cum igitur summum bonum dicatur per superabundantiam, non erunt duo summa bona, vel essent ejusdem speciei, erunt æqualiter perfecta et unum erit superfluum:

si differunt specie, unum erit perfectius altero, quia impossibile est duas species esse æqualiter perfectas : sed quod est imperfectius non est summum bonum; ergo non sunt plura summa bona.

« Super hæc inquit etc. » Hic philosophia concludit ex dictis quamdam conclusionem corollariam, dicens : Super hæc, scilicet prædicta, ego tibi dabo corollarium, idest conclusionem corollariam, ita scilicet sicut geometræ aliquid solent demonstratis suis propositis ininferre, quæ illata ipsi vocant porismata, idest aperitiones. Et tunc ponit corollarium quod omnis beatus est Deus : quod sic infert : Quia adeptione beatitudinis fiunt homines beati : beatitudo vero est ipsa divinitas, ut probatum est : manifestum est homines beatos fieri adeptione divinitatis : sed sicut adeptione justitiæ fiunt homines justi, et adeptione sapientiæ sapientes, ita necesse est adeptione divinitatis esse beatos sive Deos; igitur omnis beatus est Deus : sed natura quidem unus Deus est et non plures; participatione vero nihil prohibet plures Deos esse. Hanc conclusionem commendans Boetius dicit : Et pulchrum inquam hoc, scilicet quod modo conclusisti, atque pretiosum, sive porisma sive corollarium mavis, idest magis velis, ipsum vocari. Notandum, quod omnis beatus est Deus. Hoc probatur ex littera sic. Homines fiunt beati adeptione beatitudinis : sed beatitudo est divinitas : ergo homines fiunt beati adeptione divinitatis. Sed adeptione divinitatis aliquis efficitur Deus, ergo omnis beatus est Deus. Vel potest sic argui : Adeptione divinitatis aliquis efficitur Deus, ergo omnis beatus est Deus; vel potest sic argui : Adeptione divinitatis aliquis efficitur Deus : adeptione divinitatis aliquis efficitur beatus, cum divinitas sit idem eum beatitudine : ergo omnis beatus est Deus. Nota, secundum Huguitionem, quod porus ri est subtile foramen in corpore per quod sudor emanat : inde porisma-tis, idest apparitio vel illuminatio sensus. Dicuntur etiam porismata regulæ quas geometræ proponunt ad aliquid ostendendum, eo quod aperiant et illuminent mentem lectoris : et ipse allegat Boetium in hoc libro de hoc nomine Porisma. Notandum, secundum eumdem Huguitionem, a corona venit coronarium, quod est præmium victoriæ vel præmium belli vel certaminis, scilicet corona vel aliquid aliud : vel coronarium est unde aliquis meretur honorem, vel adipiscitur coronam. Et etiam allegat Boetium in hoc loco de hoc nomine coronarium : sed communiter ipsum nominamus corollarium, et est corollarium conclusio sequens ex præmissis. Nota, aliquis diceret : Si omnis beatus est Deus, cum plures sint beati, plures erunt dii. Respondet Boetius, quod unus est Deus naturaliter et essentialiter; sed participative, scilicet participatione virtutis et immortalitatis possunt esse plures dii. Unde Psalm. : *Ego dixi, dii estis et filii Excelsi omnes.* Item innuit Philosophus in *secundo Metaphysicæ,* ubi sic concludit : « Non valet pluralitas principum, sit ergo unus princeps, scilicet secundum naturam et essentiam. » Ergo dicit Seneca : « Vir speculativus est quasi Deus in humano corpore hospitatus. » Pro quo ulterius notandum quod Deus est quadruplex : aliquis est Deus nuncupative ut idolum. Alius usurpative ut dæmones cultum Dei sibi usurpantes, ut dicit Scriptura : *Omnes dii gentium dæmonia.* Tertius participative ut homines beatitudinem participantes. Quartus est Deus natura habens essentiæ æternitatem, immutabilitatem et incommunicabilitatem. Primis tribus modis possunt bene esse plures dii, sed non quarto modo. Ultimo, nota : deitatem sive divinitatem participare, non est nisi immortalitatem, impassibilitatem, subtilitatem et agilitatem adipisci. Nam mortale additum nobis separat nos a diis, ut dicit Porphyrius; ergo adeptione immortalitatis erimus dii.

« Atqui hoc quoque pulchrius nihil est etc. » Hic philosophia movet circa prædicta quamdam dubitationem. Secundo solvit eam, ibi, « Hujus discretionem. » Primo dicit : Ex quo dicis hoc corrollarium esse pulchrum. Atqui (pro certo) hoc quod jam dicam nihil est pulchrius, quod ratio persuadet esse annectendum his, scilicet supradictis. Et dicit Boetius : quid est pulchrum illud? Dicit

philosophia : cum beatitudo videatur multa continere, videatur utrum hæc omnia conjunctim, idest constituant veluti unum corpus beatitudinis quadam varietate partium, an sit aliquid eorum quod compleat substantiam beatitudinis, ad hoc cetera referantur. Tunc Boetius petit hanc quæstionem magis elucidari, dicens : Vellem inquam ut patefaceres illud quod quæris commemoratione ipsarum rerum, supple, exemplificando. Et philosophia condescendens Boetio quærit. Nonne censemus beatitudinem esse bonum? dicit Boetius : Certe summum bonum. Cui philosophia : licet, idest licitum est addas hoc, supple, summum omnibus his. Nam beatitudo est summa sufficientia, eadem est summa potentia, et judicatur esse summa reverentia, claritas et voluptas. Dicit Boetius : Quid igitur, supple, æstimas dicendum? respondet philosophia : hæccine, idest numquid hæc omnia, scilicet sufficientia, potentia ceteraque, sunt veluti quædam membra beatitudinis, an cuncta referuntur ad bonum veluti ad verticem, idest tamquam ad summam rationem appetendi omnia alia? Tunc Boetius fatetur se intelligere quæstionem et præstolari ejus solutionem, dicens : Intelligo quid proponas investigandum, sed desidero audire quid constituas, idest definias quæstionem dissolvendo. Notandum, quod quæstio quam philosophia movet, est ista. Utrum prædicta quinque, scilicet sufficientia, reverentia etc., constituant beatitudinem sicut diversa membra unum corpus, vel utrum omnia sint eadem et referantur ad aliquid unum, scilicet ad bonum quod sit ratio appetendi omnia ista. Notandum : quia in beatitudine est summum bonum, et in beatitudine est sufficientia, reverentia, potentia, gloria et jucunditas : ideo quæritur an ista sint in beatitudine tamquam diversa, aut ad unum relata, scilicet ad bonum ratione cujus appetuntur. Nota : ad primam partem quæstionis debet responderi quod non : quia membra unum corpus constituentia debent esse inter se diversa ut etiam probabitur in littera sequenti ; sed ista quinque sunt unum ut probatum est : ergo non possunt esse partes beatitudinis constituentes ipsam sicut membra unum corpus. Etiam sic si, sequeretur quod beatitudo seu Deus non esset omnino simplex ; quod est impossibile.

« Hujus rei discretionem etc. » Hic philosophia solvit quæstionem. Et primo ostendit quod ista quinque non sunt partes et membra beatitudinis. Secundo ostendit quod omnia referantur ad bonum, ibi, « Ad bonum vero. » Primo intendit talem rationem. Membra constituentia aliquid unum, ad invicem debent esse diversa : sed ista omnia quinque sunt idem : ergo non sunt membra et partes beatitudinis. Unde dicit in littera : Hujus rei, supple, positæ in quæstione, sic accipe discretionem, idest discretam solutionem. Si hæc omnia forent membra beatitudinis, tunc discreparent a seinvicem : hæc enim est natura partium, ut diversa componant unum corpus. Atqui (pro certo) hæc omnia quinque monstrata sunt idem esse, supple, in nona prosa : igitur minime sunt membra beatitudinis : sed si in eis salvetur ratio membri, omnia erunt unum membrum : et tunc sequitur beatitudinem compositam ex uno membro : quod est impossibile. Et hoc est quod dicit : alioquin, idest si aliter dicatur quod non sunt membra, sed unum membrum, videbitur beatitudo esse conjuncta ex uno membro quod fieri nequit. Et dicit Boetius : Id quidem quod modo conclusum est non est dubium : sed illud quod restat de veritate alterius partis quæstionis expecto. Notandum, quod beatitudo est divinitas, ut prius visum est. Et quia divinitas est omnino simplex et indivisibilis, ex nullo potest esse constituta : cum enim constituens prius sit constituto, esset aliquid prius deitate, quod absurdum est : ergo beatitudo non potest esse constituta ex pluribus membris vel ex uno membro.

« Ad bonum vero cetera etc. » Hic philosophia ostendit quod omnia referantur ad bonum tamquam ad causam propter quam appetuntur. Secundo ex dictis deducit quasdam conclusiones superius probatas, ut melius intelligantur. Secunda, ibi, « Cujus vero causa. » Primo dicit :

Palam est cetera, scilicet quinque supradicta ad quæ omnia appetenda reducuntur, ipsa referri ad bonum. Idcirco enim petitur, idest appetitur, sufficientia, quia bonum esse judicatur : idcirco potentia desideratur, quia id etiam creditur esse bonum : idem licet conjectare, idest judicare, de reverentia, claritudine, idest claritate, et jucunditate, et sic universaliter concludere quod bonum est summa, idest perfectio, et causa omnium expetendorum, idest desiderandorum. Quod declarat per signum, dicens : illud enim quod neque in re neque in similitudine, idest apparentia, ullum bonum retinet in se, illud nullo modo potest expeti, idest desiderari : et contra, idest per contrarium illa quæ non sunt bona natura, idest ex natura tamen si videantur, idest appareant esse quasi vera bona sint, appetuntur : quo fit uti bonitas jure credatur esse summa atque causa omnium expetendorum. Notandum, quod bonum est causa omnium desiderandorum; quia deficiente ratione boni in aliquo, sive sit bonum secundum apparentiam sive existentiam, tollitur ratio appetibilis : posita vero ratione boni in aliquo sive secundum rem sive secundum apparentiam, ex hoc ipsum est appetibile. Propter quod dicit Aristoteles *tertio de Anima :* « Movet enim appetibile, hoc quidem bonum, hoc autem apparens bonum. »

« Cujus vero causa etc. » Hic ex dictis philosophia deducit quasdam conclusiones prius probatas, ut melius intelligantur : et sunt duo. Prima est quod bonum et beatitudo sunt idem. Secunda quod Deus et bonum idem sunt. Deducens ergo primo conclusionem dicit : Illud maxime videtur optari, cujus causa quid, idest aliquid, expetitur, idest desideratur : ut si causa salutis, idest sanitatis, quispiam, idest aliquis, velit equitare, non tam, idest non tantum, desiderat motum equitandi quam, idest inquantum desiderat effectum salutis, idest sanitatis. Cum igitur omnia petantur, idest appetantur gratia boni, illa non potius desiderantur ab omnibus quam ipsum bonum. Sed nos concessimus beatitudinem esse propter quod cetera optantur. Quare sola beatitudo tamquam finis omnium aliorum quæritur, idest desideratur. Ex quo liquido, idest manifeste apparet esse eamdem substantiam ipsius boni et beatitudinis. Boetius enim assentiens isti deductioni dicit : Nil video cur quispiam possit dissentire. Notandum : quorumcumque proprietas per se est eadem, necesse est illa esse eadem : cum igitur bonum et beatitudo habeant unam erunt eadem per se proprietatem, erunt, eadem. Nam per se proprium est beatitudini, quod omnia propter eam desiderantur : similiter illa proprietas est boni quod omnia appetuntur quia bona : ergo bonum et beatitudo sunt idem. Notandum, quod illud magis appetitur cujus causa aliquid appetitur : quia illud propter quod aliquid appetitur prius est in causando motum desiderii quam illud quod appetitur propter aliud, quia causa primaria prius influit quam secundaria : et ideo illud propter quod aliquid appetitur plus influit desiderio quam illud quod appetitur propter aliud : sicut finis plus influit quam ordinata in finem. Et hoc declarat per exemplum in littera de sanitate, quæ plus appetitur quam actus equitandi factus propter sanitatem.

« Sed Deum etc. » Hic philosophia ex conclusione prius probata deducit secundam, scilicet Deum et bonum esse idem secundum substantiam : et dicit : Sed demonstravimus Deum et veram beatitudinem esse idem et unum. Dicit Boetius : ita est inquam. Ex quo concludit philosophia dicens : igitur secure licet concludere substantiam Dei sitam esse in ipso bono, nec usque alio, idest alibi. Nota, quod ex prima conclusione infertur secunda, accipiendo primam conclusionem pro majore, arguendo sic : Bonum et beatitudo sunt idem secundum substantiam : sed Deus est vera beatitudo; ergo Deus et bonum sunt idem secundum substantiam.

METRUM X.

Huc omnes pariter venite capti
Quos fallax ligat improbis catenis
Terrenas habitans libido mentes,
Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placida manens quiete,
Hoc patens unum miseris asylum.
Non quidquid Tagus aureis arenis
Donat, aut Hermus rutilante ripa,
Aut Indus calido propinquus orbi
Candidis miscens virides lapillos,
Illustrent aciem, magisque caecos
In suas condunt animos tenebras.
Hoc quidquid placet, excitatque mentes,
Infimis tellus aluit cavernis.
Splendor quo regitur, vigetque coelum,
Vitat obscuras animae ruinas.
Hanc quisquis poterit notare lucem,
Candidos Phoebi radios negabit.

« Huc omnes pariter venite etc. » Istud est metrum decimum hujus libri, quod dicitur phalecium ab inventore, et est endecasyllabum constans ex spondaeo et dactylo, et duobus vel tribus trochaeis, quia ultimo loco potest poni spondaeus vel trochaeus. In quo metro philosophia postquam ostendit in quo sit summa beatitudo, hortatur ad istam beatitudinem pervenire, dicens : Omnes capti quos fallax libido, idest fallax delectatio habitans, idest possidens, terrenas mentes, ligat improbis catenis, idest vilibus cupiditatibus, venite pariter huc, idest ad summum bonum quod est situm in Deo. Tunc ostendit utilitatem veniendi ad illud bonum, dicens : Hic, idest in isto bono quod est Deus, erit vobis requies laborum, cum ipse sit praemium in hac vita laborantium ; hic est portus, idest securitas manens placida quiete, hoc est asylum, idest domus refugii unum, idest solum, quia tantum ad Deum est tutum refugium patens, idest apertum miseris. Tunc comparat istud bonum ad bona temporalia, ostendens bona temporalia esse damnosa : quia nec cupiditatem satiant hominis, dicens : Quidquid donat Tagus, Hispaniae fluvius aureis arenis, Quidquid donat Hermus fluvius rutilante, idest splendente sua ripa ; aut Indus fluvius a quo dicitur India, propinquus calido orbi, quia est sub torrida zona, Indus miscens lapillos virides, idest smaragdos, candidis, idest margaritis, supple, omnia illa non illustrant aciem, supple, mentis, sed magis condunt, idest involvunt caecos animos in suas tenebras, idest ignorantias veri boni. Hoc, scilicet bonum temporale quidquid, idest quodcumque placet, et excitat mentes ad cupiditatem, illud tellus aluit infimis cavernis, idest profundis, quia in profundo terrae gignuntur metalla et gemmae. Tunc ostendit utilitatem boni quod est Deus, in quo est vera beatitudo, dicens : Splendor, idest beatitudo splendens, quo splendore regitur coelum, ille vitat obscuras ruinas animae, quia splendor et obscuritas se non compatiuntur in eodem. Quisquis ergo poterit notare, idest notam habere, hanc lucem, ipse negabit, idest non curabit candidos radios phoebi, idest solis. Notandum, propter litteram, quod asylum, secundum Huguitionem dicitur domus refugii quam Romulus fecit, ab a quod est sine et silon quod est tactus, quasi sine tactu, quia non erat fas aliquem ibi tangere vel offendere. Notandum, secundum Isidorum *libro Etymologiarum* : « Tagus est fluvius quem Cartago Hyspaniae sic nuncupavit, ex quo procedit copiositas arenis auriferis, et ab hoc caeteris fluviis Hyspaniae est praelatus. » Notandum, secundum Huguitionem, quod « Hermus est fluvius Asiae, qui campos Smirnaeos secat fluctibus, et est plenus aureis arenis. » « Indus autem secundum Isidorum, est fluvius orientis, qui rubeo mari excipitur : a quo India nuncupatur, abundans margaritis et smaragdis. »

PROSA XI.

Assentior, inquam. Cuncta enim firmissimis nexa rationibus constant. Tum illa, quanti, inquit, aestimabis, si bonum ipsum quid sit agnoveris? Infinito, inquam ; siquidem mihi pariter Deum quoque, qui bonum est, continget agnoscere. Atqui hoc verissima, inquit, ratione patefaciam, maneant modo quae paulo ante conclusa sunt. Manebunt, inquam. Nonne, inquit, monstravimus, ea quae appetuntur a pluribus, idcirco vera perfectaque bona non esse, quoniam a se invicem discreparent, cumque alteri abesset alterum, plenum absolutumque bonum afferre non posse? Tum autem verum bonum fieri, cum in unam veluti formam, atque efficientiam colliguntur, ut quae sufficientia est, eadem sit potentia, reverentia, claritas atque jucunditas. Nisi vero unum atque idem omnia sint,

nihil habere quo inter expetenda numerentur. Demonstratum est, inquam, nec dubitari ullo modo potest. Quæ igitur cum discrepant, minime bona sunt; cum vero unum esse cœperint, bona fiunt: nonne hæc ut bona sint, unitatis fieri adeptione contingit? Ita, inquam, videtur. Sed omne quod bonum est, boni participatione bonum esse concedis, an minime? Ita est. Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas. Eadem namque substantia est eorum quorum naturaliter non est diversus effectus. Negare, inquam, nequeo. Nosti ne igitur, inquit, omne quod est, tamdiu manere atque subsistere, quamdiu sit unum; sed interire atque dissolvi pariter atque unum esse destiterit? Quonam modo? Ut in animalibus, inquit, cum in unum coeunt ac permanent anima corpusque, id animal vocatur. Cum vero hæc unitas utriusque separatione dissolvitur, interire, nec jam esse animal, liquet. Ipsum quoque corpus cum in una forma, membrorum conjunctione, permanet, humana visitur species. At si distributæ segregatæque partes corporis distraxerint unitatem, desinit esse quod fuerat. Eoque modo percurrenti cetera procul dubio patebit subsistere unumquodque, dum unum est: cum vero unum esse desinit, interire. Consideranti, inquam, mihi plura minime aliud videtur. Est ne igitur, inquit, quod in quantum naturaliter agat, relicta sustinendi apparentia, venire ad interitum corruptionemque desideret? Si animalia, inquam, considerem, quæ habent aliquam volendi nolendique naturam, nihil invenio quod, nullis extra cogentibus, abjiciant manendi intentionem, et ad interitum sponte festinent. Omne namque animal tueri salutem laborat; mortem vero perniciemque devitat. Sed quid de herbis, arboribusque, quid de inanimatis omnino consentiam rebus, prorsus dubito. Atqui non est quod de hoc possis ambigere: cum herbas atque arbores intuearis, primum sibi convenientibus innasci locis, ubi quantum earum natura queat, cito exarescere atque interire non possunt. Nam aliæ quidem campis, aliæ montibus oriuntur, alias ferunt paludes, aliæ saxis hærent; aliarum fœcundæ sunt steriles arenæ, quas si in alia quispiam loca transferre conetur, arescent. Sed dat cuique natura quod convenit; et ne, dum manere possunt, intereant, elaborat. Quid dicam, quod omnes, velut in terras ore demerso trahunt alimenta radicibus: ac per medullas robur corticemque diffundunt? Quid, quod mollissimum quodque, sicuti medulla est, interiore semper sede reconditur, extra vero quadam ligni firmitate tegitur; ultimus autem cortex adversum cœli intemperiem, quasi mali patiens defensor, opponitur? Jam vero quanta est naturæ diligentia, ut cuncta semine multiplicato propagentur? quæ omnia non modo ad tempus manendi, verum generatim quoque, quasi in perpetuum permanendi, veluti quasdam machinas esse quis nesciat? Ea etiam quæ inanimata esse creduntur, nonne quod suum est quæque simili ratione desiderant? Cur enim flammas quidem sursum levitas vehit, terras vero deorsum pondus deprimit, nisi quod hæc singulis loca, motionesque conveniunt? Porro autem quod cuique consentaneum est, id unumquodque conservat; sicuti ea quæ sunt inimica, corrumpunt. Jam vero quæ dura sunt, ut lapides, adhærent tenacissime partibus suis, et ne facile dissolvantur, resistunt. Quæ vero liquentia, ut aer, atque aqua, facile quidem dividentibus cedunt, sed cito in ea rursus a quibus sunt abscissa, relabuntur. Ignis vero omnem refugit sectionem. Neque nunc nos de voluntariis animæ cognoscentibus motibus, sed de naturali intentione tractamus. Sicuti est, quod acceptas escas sine cogitatione transigimus, quod in somno spiritum ducimus nescientes. Nam ne in animalibus quidem manendi amor ex animæ voluntatibus, verum ex naturæ principiis venit. Nam sæpe mortem cogentibus causis, quam natura reformidat, voluntas amplectitur: contraque illud, quo solo mortalium rerum durat diuturnitas, gignendi opus quod natura semper appetit, interdum coercet voluntas. Adeo hæc sui caritas non ex animali motione, sed ex naturali intentione procedit. Dedit enim providentia creatis a se rebus hanc vel maximam manendi caussam, ut quoad possunt naturaliter manere desiderent: quare nihil est quod ullo modo queas dubitare, cuncta quæ sunt, appetere naturaliter constantiam permanendi, devitare perniciem. Confiteor, inquam, nunc me indubitate cernere quæ dudum incerta videbantur. Quod autem, inquit, subsistere ac permanere appetit, id unum esse desiderat: hoc enim sublato, ne esse quidem cuiquam permanebit. Verum est, inquam. Omnia igitur, inquit, unum desiderant. Consensi. Sed unum idipsum monstravimus esse quod bonum est. Ita quidem. Cuncta igitur bonum petunt: quod quidem ita describas licet, ipsum bonum esse quod desideretur ab omnibus. Nihil, inquam, verius excogitari potest. Nam vel ad nihilum cuncta referuntur, et uno veluti vertice destituta, sine rectore fluitabunt; aut si quid est ad quod universa festinent, id erit omnium summum bonorum. Et illa, Nimium, inquit, o alumne, lætor: ipsam enim mediæ veritatis notam mente fixisti: sed in hoc patuit tibi quod ignorare te paulo ante dicebas. Quid? inquam. Quis esset, inquit, errum omnium finis. Id est enim profecto quod desideratur ab omnibus: quod quia bonum esse collegimus, oportet, rerum omnium finem, bonum esse fateamur.

« Assentior inquam etc. » Ista est undecima prosa hujus tertii libri; in qua philosophia inducit Boetium in cognitionem quorumdam quæ prius fassus fuit ignorare: scilicet quis sit finis omnium rerum et quibus gubernaculis mundus regatur. Primo ducit ipsum in cognitionem primi. Secundo secundi, in sequenti prosa. Primo philosophia investigat definitionem boni. Secundo ex hoc ostendit quis sit finis omnium rerum, ibi, « Et illa nimium. » Primo præmittuntur quædam. Secundo philosophia aggreditur propositum, ibi, « Nonne inquit. » Primo Boetius assentiens prædictis dicit: Assentior inquam, scilicet jam dictis: cuncta enim constant nexa firmissimo rationibus, quia demonstrativis. Et philosophia inquit: Quanti scilicet pretii æstimabis, si agnoveris quid sit ipsum bonum? Respondet Boetius: Infiniti, scilicet pretii inquam æstimabo, siquidem mihi pariter continget agnoscere Deum qui bonum est. Dicit philosophia: Atqui (pro certe), hoc patefaciam verissima ratione, maneant, idest concedantur, modo

idest tantummodo quæ conclusa sunt paulo ante. Et dicit Boetius : Manebunt sine aliqua contradictione in sua veritate. Notandum, quod ad probandum aliquam conclusionem oportet principia manere in sua veritate et esse concessa; si enim negarentur, non possent ex eis conclusiones deduci; volens ergo philosophia ex his quæ conclusa sunt tamquam ex principiis concludere quid sit bonum, dicit hoc velle facere manentibus his quæ probata sunt : et dicit Boetius, quod manebunt in sua veritate.

« Nonne, inquit, monstravimus etc. » Hic philosophia aggreditur intentum, ostendendo quid sit bonum. Et intendit probare istam conclusionem : bonum est illud quod omnia appetunt. Quam probat tali ratione : Unum et bonum sunt idem ; sed omnia appetunt esse unum ; ergo omnia appetunt bonum. Circa istam rationem sic procedit. Primo probat majorem. Secundo minorem. Tertio resumpta majore infert conclusionem. Secundo, ibi, « Nosti ne igitur. » Tertio, ibi, « Est ne igitur. » Probat ergo majorem, quod unum et bonum sunt idem, per modum quæstionis. Et primo quærit dicens : Nonne supra monstravimus (in nona prosa) ea quæ appetuntur a pluribus, supple, sufficientia, potentia, etcetera, non esse vera bona et perfecta, quoniam discrepant a semetipsis, supple, eo modo quo appetuntur a pluribus ; et cum alterum abesset alteri non posse afferre plenum et absolutum bonum, quod nullo indigeat? tunc autem, supple, monstravimus unum verum bonum fieri cum colliguntur in unam formam beatitudinis atque efficientiam, idest unam causam efficientem, scilicet Deum, ut quæ sit sufficientia eadem sit potentia et reverentia, claritas et jucunditas ; nisi vero omnia sint unum et idem, monstratum est ea nihil habere quo numerentur, idest computentur inter expetenda, idest desideranda. Et dicit Boetius : Demonstratum est inquam, nec ullo modo dubitari potest. Ulterius quærit philosophia : Illa quæ cum discrepant minime sunt bona et cum cœperint esse unum sunt bona, nonne hæc contingunt fieri bona adeptione unitatis? dicit Boetius : Ita videtur inquam. Et subdit philosophia : sed omne quod est bonum, participatione boni concedis esse bonum, an minime? Et dicit Boetius : Ita est. Tunc philosophia ex concessis concludit majorem, dicens : Igitur simili ratione oportet ut concedas unum et bonum esse idem. Et confirmat illam conclusionem per locum ab effectu, dicens : Namque eadem est substantia eorum, quorum non est naturaliter diversus effectus ; quia idem inquantum idem natum est facere idem. Boetius concedens dicit : negare inquam nequeo. Nota : ex littera sic probatur quod unum et bonum sint idem. Quæcumque non sunt bona nisi quia sunt unum, illa non sunt bona nisi adeptione unitatis : sed omnia sunt bona adeptione unitatis ; ergo unum et bonum idem sunt. Vel aliter arguitur sic. Omnia sunt bona adeptione bonitatis, omnia sunt bona adeptione unitatis ; ergo bonum et unum sunt idem. Aliam rationem innuit in littera, dicens : Illa sunt unum quorum non est diversus effectus, quia idem inquantum idem non facit nisi idem, ex *secundo libro de Generatione* : sed unius et boni non est diversus effectus, quia effectus utriusque est bonum ; ergo sunt idem. Et hæc conclusio patet ex quarto *Metaphysicæ*, ubi Aristoteles vult quod bonum et unum convertantur.

« Nosti ne igitur, inquit, omne quod est etc. » Hic philosophia probat minorem, scilicet quod omnia appetunt esse unum, per talem rationem. Unumquodque tamdiu manet atque subsistit quamdiu est unum : sed omnia naturaliter appetunt manere et subsistere ; ergo omnia appetunt esse unum. Illius rationis declarat majorem. Secundo minorem, « Est ne igitur. » Tertio resumpta majore concludit intentum, ibi, « Si quod autem inquit. » Primo ergo declarans majorem quod unumquodque tamdiu manet quamdiu est unum, dicit : Nosti : o Boeti, omne quod est, tamdiu manere atque subsistere quamdiu sit unum ; et cum desierit, idest desinit esse unum, pariter contingat dissolvi atque interire. Quærit Boetius : Quonam modo? Philosophia declarat in exemplo, dicens : In animalibus hoc patet cum anima et cor-

pus in unum cocunt atque permanent unum, illud unum vocatur animal; cum vero hæc unitas dissolvitur separatione utriusque, supple, animæ et corporis, liquet, idest manifestum est animal interire et non jam esse animal. Ponit aliud exemplum : ipsum etiam corpus humanum cum permanet in una forma conjunctione membrorum, tunc visitur, idest videtur humana species; sed si partes corporis distributæ et segregatæ, idest separatæ abinvicem distraxerint unitatem, corpus desinit esse quod fuerat. Eodem modo percurrenti cetera procul dubio patebit unumquodque subsistere, idest permanere dum est unum; cum vero desinit esse unum, interire videtur. Et dicit Boetius : minime inquam videtur mihi aliud consideranti plura. Nota, quod aliquis diceret : non videtur quod esse et esse unum sint eadem, quia mali sunt et tamen non sunt unum. Probatio : unum et bonum sunt idem, ut jam probatum est : sed mali non sunt boni; ergo non sunt unum. Ista ratio solvitur ex quarto hujus libri negando majorem; quia philosophia quarto hujus libri probat malos non solum non esse potentes, sed simpliciter non esse. Unde mali bene sunt mali; sed quod simpliciter dicantur esse non est verum, sicut homo mortuus simpliciter non est homo : et de hoc videbitur in quarto.

« Est ne igitur, inquit etc. » Hic philosophia probat seu declarat minorem, scilicet quod omnia appetant esse et permanere. Et primo ostendit hoc. Secundo probat quod talis appetitus est naturalis. Secunda, ibi, « Neque nunc nos. » Primo ostendit intentum in animalibus. Secundo in vegetabilibus. Tertio in rebus inanimatis. Secunda, ibi. « Atqui non est. » Tertia, ibi, « Ea etiam. » Primo dicit philosophia : Est ne aliquid quod inquantum naturaliter agat, desideret venire ad interitum, idest ad mortem et ad corruptionem relicta appetentia subsistendi ? Respondet Boetius : Si considerem animalia quæ habent naturam, idest appetitum volendi, idest prosequendi et nolendi, idest fugiendi aliquid, nihil invenio quod abjiciant intentionem manendi, supple, in rerum natura, et festinent sponte, idest voluntarie ad interitum nullis causis extra cogentibus, quia omne animal laborat tueri salutem et devitat mortem et perniciem : sed ego prorsus dubito quid de herbis et arboribus, et quid de rebus inanimatis omnino consentiam, supple, an talia appetant esse et permanere. Nota : Boetius non dubitat quin animalia appetant esse et permanere cujus rationem innuit. Illud quod laborat tueri salutem et vitare mortem, hoc appetit esse et permanere ; sed omne animal est hujusmodi ; ergo etc. Sed utrum ita sit in vegetalibus et in rebus inanimatis, de hoc dubitat. Et potest esse ratio dubitationis, quia in talibus non sunt operationes, ita manifeste subservientes appetitui naturali permanendi, sicut in animalibus quæ moventur ad percipiendum nutrimentum, et ad alia quæ pertinent ad conservationem vitæ.

« Atqui non est quod de hoc etc. » Hic philosophia probat quod vegetabilia sicut herbæ et arbores appetant esse et permanere : et hoc probat quatuor modis, sicut patebit. Primo ex locorum qualitate, quia in talibus locis nascuntur ubi diutius possunt conservari in esse. Unde dicit : Atqui (pro certe). O Boeti non est quod possis ambigere, idest dubitare de hoc, utrum inanimata et vegetabilia appetant esse. Primum, idest primo signo, cum tu intuearis herbas atque arbores innasci locis sibi convenientibus, ubi quantum earum natura, idest vigor naturæ queat, non possunt cito exarescere et interire, nam aliæ campis oriuntur sicut olivæ, aliæ montibus, sicut cypressi, alias ferunt paludes, sicut alnos et salices. Aliæ hærent saxis, sicut herbæ quæ dicuntur capilli Veneris et barba Jovis. Aliarum herbarum sunt fecundæ, idest abundantes, steriles arenæ, ut illius herbæ quæ dicitur merica : quas si quispiam, idest aliquis conetur transferre in alia loca, arescent : sed natura dat unicuique quod sibi convenit, et elaborat ne intereant quamdiu manere possunt. Nota : locus est principium generationis, quia salvat et conservat locatum et ipso mediante virtus cælestis influit ipsi locato. Cum igitur vegetabilia, sicut herbæ et plantæ, requirant determinata loca in

quibus salvantur et in aliis arescunt, patet quod ipsa appetunt esse et permanere.

« Quid quod omnes, quid quod, velut in terras etc. » Hic philosophia probat idem alio signo, quod sumitur ex modo attractionis partium secundum convenientiam ad attractionem alimenti quo conservatur esse earum. Et dicit : quid dicam ex quod omnes, idest herbæ et arbores trahunt alimenta radicibus velut ore demerso in terras et diffundunt sibi alimentum per medullas, per robur et per corticem? quod non est nisi propter appetitum permanendi. Tunc ponit aliud signum quod sumitur de dispositione partium ad prohibendum nocumentum extrinsecum, dicens : quid dicam ex hoc quod mollissimum quodque, sicut est medulla, semper reconditur, idest locatur in interiori sede, idest in medio plantæ ; extra vero tegitur quadam ligni firmitate, ultimus autem, idest exterior cortex arboris, quasi patiens mali, idest potens sustinere mala opponitur defensor versus intemperiem cœli, idest aeris. Tunc ponit aliud signum quod sumitur ex propagatione seminis quæ ordinatur ad conservationem naturæ in alio simili in specie, cum non possit manere idem numero. Et dicit : Jam vero quanta est diligentia naturæ ut cuncta propagentur semine multiplicato, supple, considerare. Quæ omnia semina quis nesciat esse tamquam quasdam machinas, idest instrumenta manendi non modo, idest non tantum ad tempus, verum etiam manendi in perpetuum generatim, idest successiva generatione : quasi dicat : nullus est cui hæc non pateant. Notandum quod radices plantarum ori similes sunt, cum habeant eamdem operationem, supple, trahere alimentum ; habent autem plantæ radices infixas terræ, quia ex terra humorem trahunt et alimentum, quod primo diffunditur in medullam, deinde in robur, deinde in corticem. Est medulla mollissimum quod est in medio plantæ vel arboris, non potens pati intemperies caloris et frigoris ; ideo natura ipsam locavit in medio, quam circumdat robur quod est lignum arboris, robur autem circumdatur cortice exteriori tamquam defensore ab intemperie aeris. Notandum quod quia vegetabilia non possunt idem numero manere ; ideo natura produxit in eis semina per quorum propagationem permanent idem in specie, scilicet in suo simili.

« Ea etiam quæ inanimata etc. » Hic philosophia probat quod etiam inanimata appetant esse, duobus signis. Primo ex inclinatione naturali eorum. Et dicit sic : Ea etiam quæ creduntur esse inanimata, ut lapis, aer, ignis, nonne desiderant, idest appetunt, quæque, idest omnia inanimata quod suum est, idest suæ naturæ consonum est, simili ratione propter conservationem sui esse? quasi dicat sic. Cur enim levitas vehit, idest movet flammas sursum, et pondus, idest gravitas, deprimit terras deorsum? non propter aliam causam nisi quod hæc loca et motiones conveniunt singulis, supple, pro salvatione eorum esse. Et subdit : Porro illud quod est consentaneum, idest conveniens, cuique, illud, supple, conservat in esse unumquodque, sicut ea quæ sunt inimica, idest contraria corrumpunt. Secundo probat illud per aliud signum sumptum ex conservatione naturalis proprietatis : hujusmodi est continuitas quam quælibet res naturalis nititur conservare. Unde dicit : Jam, supple, ista vero quæ dura sunt ut lapides adhærent tenacissimis, idest firmissimis suis partibus et resistunt per suam duritiem ne facile dissolvantur : quæ vero sunt liquentia, idest mollia, sicut aer et aqua, ne facile cedunt dividentibus, sed cito relabuntur, idest redeunt in ea quibus sunt abscissa : sed ignis refugit omnem sectionem. Nota, quod hoc ultimum, quod dicit ignem fugere omnem, dupliciter exponitur. Primo sic. Aliquid secatur cum partes ejus abinvicem separantur ita ut in nullo conveniant : sed partes ignis non sic possunt secari, quin semper in aliquo conveniant, ut maxime patet de igne qui est flamma. Alio modo exponitur sic quod ignis refugit omnem sectionem, quia propter vehementiam suæ actionis corrumpit ipsum quod debet secare, et igniendo ipsum in sui naturam convertit.

« Neque nunc nos etc. » Hic philoso-

phia ponit quod desiderium essendi non est appetitus voluntarius sed naturalis. Et dicit : Neque nos tractamus nunc de motibus voluntariis animæ cognoscentis, sed de naturali intentione : sed naturale est quod transigimus, idest digerimus acceptas escas sine cogitatione, et quod in somno nescientes ducimus spiritum, idest respiramus. Nam amor, idest appetitus manendi, idest subsistendi, in animalibus scilicet, non provenit ex voluntatibus, supple, sicut tu æstimas, quia superius posuisti, solum in animalibus esse appetitum manendi : sed venit ex principiis naturæ, quia natura reperitur tam in animatis quam in inanimatis. Quod autem appetitus manendi non sit ex voluntate, probat dupliciter. Primo probat ex hoc quia voluntas sæpe amplectitur mortem quæ tollit esse individui. Unde dicit : Voluntas sæpe amplectitur mortem, quam natura reformidat, idest abhorret cogentibus caussis, scilicet extrinsecis, sicut patet de martyribus. Secundo probat idem ex hoc quod voluntas quandoque cohibet operationem conservativam esse specifici, dicens : contraque, idest per contrarium, illud opus gignendi quo solo durat diuturnitas, idest permanentia rerum mortalium quod natura appetit, interdum coercet voluntas, sicut patet in continentibus : adeo hæc charitas, idest appetitus sui, supple, manendi, non procedit ex animali motione, sed ex naturali intentione quam Deus indidit naturæ.

« Dedit enim providentia » divina rebus creatis a se hanc maximam causam manendi, ut desiderent permanere naturaliter quamdiu possunt : quare nihil est quod ullo modo queas, idest possis dubitare cuncta quæ sunt naturaliter appetere constantiam permanendi et devitare perniciem. Quod Boetius concedens, dicit : Confiteor inquam nunc me cernere indubitato, idest sine dubitatione quæ dudum incerta videbantur, supple, quod vegetabilia et inanimata naturaliter appetunt permanentiam essendi. Notandum. quod duplex est appetitus : naturalis et animalis : naturalis est qui consequitur formam naturalem : et quia prima perfectio illius quod habet formam naturale est esse ; ideo appetitus cujuslibet rei naturalis est ad suum esse habendum si careat, vel ad conservandum si habeat. Appetitus animalis est qui consequitur formam apprehensam : et si est forma apprehensa per sensus, sic est appetitus sensitivus qui semper tendit in convenientia naturæ : si autem est forma apprehensa per intellectum, tunc semper inclinatio conveniens est appetitus rationalis qui est voluntas. Et quia illud quod secundum se est disconveniens naturæ, scilicet mors, illud homo apprehendit quandoque tamquam conveniens propter aliud annexum, scilicet propter præmium æternæ vitæ ; ideo voluntas sæpe amplectitur mortem quam natura reformidat. Ex quo patet quod appetitus essendi non est primo et principaliter ex appetitu intellectivo, sed ex appetitu naturali. Nam appetitus intellectivus non invenitur in omnibus in quibus invenitur appetitus naturalis.

« Quod autem, inquit, subsistere etc.» Hic philosophia, resumpta majore, concludit intentum, dicens : quod autem appetit subsistere et permanere, illud desiderat esse unum. Hoc enim, supple, uno sublato, non permanebit cuiquam rei suum esse. Dicit Boetius : verum est. Concludit ergo philosophia : Omnia igitur unum esse desiderant. Et Boetius consentiens, dicit : consensi. Et tunc majorem principalis syllogismi resumit ut concludat definitionem boni, dicens : sed nos monstravimus unum esse idipsum quod bonum est. Dicit Boetius : ita quidem. Tunc philosophia concludit intentum formando definitionem boni, dicens : igitur cuncta bonum petunt : quod bonum licet, idest licitum est, ut ita describas : bonum est, quod desideratur ab omnibus. Et dicit Boetius : nihil verius excogitari potest : quia vel ad nihilum cuncta referuntur et destituta uno vertice, idest principio cuncta fluitabunt sine rectore : aut si quid est ad quod universa festinent, illud erit summum omnium bonorum. Notandum, quod omne quod est, vel appetit perfici vel in sua perfectione salvari. Cum igitur perfici et in perfectione salvari sit bonum, omnia appetunt bonum. Notandum : cum dicitur,

omnia appetunt bonum. Ubi non accipitur bonum præcise pro bono morali, nec præcise pro bono naturali, sed pro bono communiter accepto; quod bonum communiter acceptum est esse essentiale vel accidentale conveniens rei, ut perficiatur vel in sua perfectione salvetur.

« Et Ego : nimium, inquit etc. » Hic philosophia ex dictis reducit Boetium in cognitionem cujusdam quod supra se ignorare confessus est ; scilicet quis sit finis omnium rerum. Et primo commendat dictum Boetii, dicens : O alumne, nimium lætor, quia tu fixisti, idest attigisti notam, idest cognitionem mente mediæ veritatis, idest perfectæ veritatis quæ est in medio ; sed hoc patuit tibi quod dicebas te ignorare paulo ante, supple, in primo libro sexta prosa. Et quærit Boetius : quid, inquam, supple, est illud ? dicit philosophia : quis esset finis omnium rerum. Et subdit : Is enim est finis omnium rerum quod desideratur ab omnibus : quod quia bonum esse collegimus, ut patet ex definitione boni, oportet ut fateamur bonum esse finem omnium rerum. Notandum, quod per notam mediæ veritatis intelligit notitiam divinam, sicut punctum est medium circuli, a quo omnes lineæ ducuntur, sic Deus est medium veritatis a quo omnis veritas procedit. Notandum, quod omnia appetunt sui finem, cum finis sit perfectio rei, et res destituta suo fine frustretur. Cum igitur de ratione finis sit esse bonum, quia « auferentes finem auferunt naturam boni, » ex *secundo libro Metaphysicæ* ; ideo finis omnium rerum est bonum.

METRUM XI

Quisquis profunda mente vestigat verum
Cupitque nullis ille deviis falli,
In se revolvat intimi lucem visus,
Longosque in orbem cogat inflectens motus,
Animumque doceat quicquid extra molitur
Suis retrusum possidere thesauris.
Dudum quod atra texit erroris nubes,
Lucebit ipso perspicacius Phœbo.
Non omne namque mente depulit lumen
Obliviosam corpus invehens molem.
Hæret profecto semen introrsum veri,
Quod excitatur ventilante doctrina.
Nam cur rogati sponte recta censetis,
Ni mersus alto viveret fomes corde ?
Quod si Platonis Musa personat verum,
Quod quisque discit, immemor recordatur.

« Quisquis profunda etc. » Istud est undecimum metrum hujus tertii libri, quod dicitur glyconicum ab inventore, jambicum a pede prædominante. In quo metro philosophia ostendit quomodo possumus cognoscere bonum et verum, et pervenire in cognitionem rerum ; ex quo Boetius prius fassus est se modo scire quod prius ignorabat. Primo ergo ostendit modum quo possumus devenire in cognitionem veritatis. Secundo assignat causam ejus, ibi, « Non omne. » Dicit primo : Quisquis vestigat, idest investigare vult verum profunda mente, idest subtili que (pro et) cupit falli nullis deviis idest falsis opinionibus quæ faciunt a vero deviare, ille resolvat in se, idest excitet intra se, lucem, idest speculationem intimi visus, idest rationis et intellectus interioris ; et ipse cogat, idest reducat longos motus, idest operationes animæ procedentes ab anima, inflectens eos motus in orbem, idest in circulum redeundo ad animam, et quicquid animus molitur, idest laborat speculando extra, idest circa res exteriores, ille doceat animum retrusum, idest ad se conversum possidere suis thesauris, idest potentiis quæ sunt memoria et intellectus ; et tunc illud quod atra nubes, idest obscuritas ignorantiæ, dudum texit, idest occultavit, illud lucebit, idest apparebit, perspicacius, idest evidentius, ipso phœbo : quasi dicat : quod longo tempore fuit obscurum, lucidum apparebit intellectui. Notandum, quod qui vult cognoscere verum, dirigat rationem et intellectum ad ipsam rem extra et ad rerum proprietates : et si aliquid cognoscit ex his, non statim judicet, sed in se revertatur deliberando, an ita sit vel non sit : quia sæpe videtur homini esse quod non est et non esse quod est. Sine enim deliberatione non est judicandum, quod non est longa deliberatione probatum ; ideo dicit philosophia : resolvat in se lucem intimi visus. Notandum, quod orbis est linea circumducta rediens ad idem ; inflectere ergo longos motus in orbem est cum virtus animæ ab anima usque ad ipsam rem divertitur et ad animam revertitur deliberando an ita sit vel non sit secundum quod cognovit.

« Non omne namque mente depulit lumen etc. » Hic philosophia assignat causam ejus quod dictum est, scilicet quare possumus cognoscere verum, dicens : Nam corpus invehens, idest inducens obliviosam molem, idest gravitatem qua homo fit obliviosus, non depulit omne lumen idest cognitionem veritatis mente, idest de mente, quia habitus principiorum manet in mente. Et subdit : profecto, idest pro certo, semen, idest principium veri, idest veritatis, hæret, idest manet introrsum, idest intrinsecus in anima, quod excitatur ventilante, idest exercente doctrina. Quod autem semen veri sit in anima, probatur per hoc quod puer ignarus quandoque recte respondet ad interrogata, ut utrum dualitas sit numerus par vel impar. Unde dicit : Nam cur rogati, idest interrogati censetis, idest judicatis vel respondetis recta sponte, idest voluntarie, nisi fomes, idest radix veritatis mersus, idest latens, viveret alto corde, idest profunda mente? et subdit quod si musa, idest sapientia Platonis, personat verum, illud quod quisque discit, id recordatur immemor, idest oblitus. Notandum, quod Platoni imponitur quod voluerit animas omnia scivisse antequam conjungerentur corporibus, sed adjunctæ corporibus omnia tradidisse oblivioni, sed per studium et exercitium sapientiam recuperasse : ergo voluit quod scire non est aliud nisi quoddam antiquorum reminisci : ad quam intentionem videtur hic loqui philosophia. Sed non est dicendum quod scire fiat per reminiscentiam ; sed scientia de novo acquiritur per inventionem vel doctrinam. Verum est quod intellectus noster naturaliter habet se in cognitionem principiorum : per quæ virtute intellectus agentis et per doctrinam devenit in cognitionem principiatorum. Unde Linconiensis, *primo Posteriorum*, dicit : « Non solum vox doctoris exterius sonans nec littera visa docet ; sed hæc duo movent et excitant. Verus autem doctor est qui mentem interius illuminat et veritatem ostendit. » Notandum, quod sicut sanitas quandoque causatur a principio intrinseco, scilicet a corde, quandoque a principio interiori et exteriori, puta a medico et corde, sed numquam causatur a principio exteriori sine interiori ; sic scientia, quandoque acquiritur a principio interiori, puta ab intellectu agente, sicut patet in habentibus scientiam per inventionem ; quandoque acquiritur a principio interiori et exteriori simul, sicut a doctore, et intellectu agente : nunquam autem sequeretur a principio exteriori sine interiori.

PROSA XII.

Tum ego, Platoni, inquam, vehementer assentior : nam me horum jam secundo commemoras. Primum, quod memoriam corporea contagione, dehinc cum mœroris mole pressus amisi. Tum illa : si superiora, inquit, concessa respicias, ne illud quidem longius aberit, quin recorderis, quod te dudum nescire confessus es. Quid? inquam. Quibus, ait illa, gubernaculis mundus regatur. Memini, inquam, me inscitiam meam fuisse confessum : sed quid afferas, licet jam prospiciam, planius tamen ex te audire desidero. Mundum hunc, inquit, a Deo regi paulo ante minime dubitandum putabas. Ne nunc quidem arbitror, inquam ; nec unquam dubitandum putabo : quibusque in hoc rationibus accedam, breviter exponam. Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset qui tam diversa conjungeret ; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors, dissociaret, atque divelleret ; nisi unus esset qui quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset qui has mutationum varietates manens ipse disponeret. Hoc quidquid est, quo condita manent, atque agitantur, usitato cunctis vocabulo Deum nomino. Tum, illa, Cum hæc, inquit, ita sentias, parvam mihi restare operam puto, ut felicitatis compos, patriam sospes revisas : sed quæ proposuimus, intueamur. Nonne in beatitudine sufficientiam numeravimus, Deumque beatitudinem ipsam consensum? Ita quidem. Et ad mundum igitur, inquit, regendum nullis extrinsecus adminiculis indigebit : alioquin quo egeat, plenam sufficientiam non habebit. Id, inquam, ita est necessarium. Per se igitur solum cuncta disponit. Negari, inquam, nequit. Atqui Deus ipsum bonum esse monstratus est. Memini, inquam. Per bonum igitur cuncta disponit : siquidem per se regit omnia, quem bonum esse concessimus ; et hic est veluti quidam clavus gubernaculum, quo mundana machina stabilis atque incorrupta servatur. Vehementer assentior, inquam ; et id te paulo ante dicturum, tenui licet suspicione, prospexi. Credo, inquit : jam enim, ut arbitror, vigilantius ad cernenda vera oculos deducis : sed quod dicam non minus ad contuendum patet. Quid? inquam. Cum Deus, inquit, omnia bonitatis clavo gubernare jure credatur, eademque omnia, sicuti docui, ad bonum naturali intentione festinent, num dubitari potest quin voluntaria regantur, seque ad disponentis nutum, veluti convenientia contemperataque rec-

[illegible]

« Tum ergo, Platoni, inquam etc. » Ista est duodecima prosa et ultima hujus tertii ; in qua philosophia reducit in cognitionem Boetium, alterius cujus ignorantiam prius confessus est : scilicet quibus gubernaculis mundus regatur. Primo facit hoc. Secundo Boetius movet quamdam quæstionem philosophiæ. Secunda, ibi, « Ludis ne me. » Primo ostendit philosophia quod Deus omnia gubernat sua bonitate. Secundo ostendit modum quo omnia gubernat, ibi, « Sed quod dicam » Tertio ex his concludit malum nihil esse. Ibi, « Sed visne. » Primo Boetius assentit dictis Platonis in metro ; et ostendit philosophia ipsum posse deduci in cognitionem cujusdam, cujus ignorantiam confessus est. Secundo philosophia reducit ipsum in cognitionem illius. Secunda, ibi, « Mundum hunc. » Primo dicit : Tum (pro tunc) ego Boetius inquam vehementer assentior, idest consentio Platoni. Nam me o philosophia horum, supple, quod Deus sit finis omnium rerum et summum bonum, secundo commemoras, idest recordari facis : primum quod amisi memoriam, idest quod erat in memoria, corporea contagione, idest corporis gravedine ; dehinc, idest secundo commemoror bonum cum amisi memoriam, pressus mole, idest pondere mœroris. Tunc philosophia ostendit quod non tantum horum recordabitur propter dicta, sed cujusdam alterius quod ignorare se dicebat ; dicens : si illa priora concessa respicias, non aberit longius, scilicet a memoria tua quin facile recorderis quod dudum confessus es te nescire, idest ignorare (in primo libro). Et quærit Boetius : Quid ? inquam. Dicit philosophia : quibus gubernaculis mundus regatur. Et dicit Boetius : Memini, inquam, me fuisse confessum inscitiam, idest ignorantiam meam ; et licet jam prospiciam, idest agnoscam, tamen desidero planius audire ex te quid afferas, idest quid de hoc dicas. Notandum, quod Boetius dicit se secundo commemoratum prædictorum, quod Deus sit finis rerum, et quid sit summum bonum. Primo postquam mole corporis oppressus est amisit memoriam eorum, et postea per studium recordatus est. Secundo, quia merore et tristitia affectus in ignorantiam eorum lapsus est ; sed postea per instructionem philosophiæ ad memoriam reduxit.

« Mundum hunc, inquit, a Deo regi etc. » Hic philosophia vult ostendere intentum. Et primo admonet Boetium de quodam prius concesso, et Boetius illud fatetur et ratione confirmat. Secundo philosophia ostendit quibus gubernaculis regatur mundus, ibi, « Tunc illa inquit. »

Primo dicit : O Boeti, tu paulo ante, scilicet in primo libro putabas minime dubitandum hunc mundum regi a Deo. Dicit Boetius : minime arbitror dubitandum nec unquam putabo : et ego breviter exponam quibus rationibus accedam ad hoc probandum. Et innuit Boetius rationes suas, dicens : Hic mundus minime convenisset in unam formam ex tam diversis et contrariis partibus, nisi esset unus qui tam diversa conjungeret, supple, qui est Deus : et ipsa diversitas naturarum hujus mundi discors invicem dissociaret, atque divelleret conjuncta, nisi esset qui contineret, idest conservaret, quod nexuit, idest conjunxit, quod, supple, est Deus. Ordo vero naturæ tam certus non procederet, nec explicaret tam dispositos motus, idest ordinatos motus locis temporibus efficientia spatiis qualitatibus, nisi esset unus qui ipse manens, scilicet immobiliter, disponeret has varietates mutationum. Quidquid autem hoc est quo condita, idest creata manent, et agitantur, idest moventur, illud usitato cunctis vocabulo nomino Deum. Notandum, quod Boetius innuit tres rationes quod mundus regatur a Deo. Prima sumitur ex diversarum rerum conjunctione ; quæ talis est. Diversa et contraria non uniuntur invicem per se. Cum igitur mundus unitus sit ex partibus contrariis ut ex elementis, oportet ut aliquid sit uniens eas : et hoc est Deus ; ergo mundus regitur a Deo. Hanc rationem tangit ibi, « Mundus hic. » Secunda ratio sumitur ex contrariorum simul conjunctorum conservatione : quæ talis est. Diversa contraria ex proprietate suæ naturæ dissocientur abinvicem, nisi ab aliquo conserventur : sed partes mundi sunt diversæ et contrariæ ; ergo etc. Hanc rationem tangit ibi, « Conjuncta vero. » Tertia ratio sumitur ex ordinata motuum dispositione : quæ talis est. Nihil certitudinaliter et regulariter movetur secundum dispositionem loci, temporis, efficientiæ, spatii et qualitatis, nisi sit unum rectificans et regulans : sed motus eorum qui fiunt in mundo, fiunt regulariter secundum prædicta quinque ; ergo necesse est ponere rectificantem et regulantem, quod est Deus, ergo mundus regitur a Deo. Hanc rationem tangit ibi, « Non tam vero certus. » Notandum, quod regulares motus fiunt in mundo locis quantum ad proximationem et elongationem solis in obliquo circulo, fiunt et temporibus quantum ad variationem diei et noctis. Fiunt efficientia, quia luna efficit augmentationem et diminutionem humidorum secundum sui crescentiam et decrescentiam, et efficit fluxum et refluxum maris. Fiunt etiam ordinati motus spatiis, quia luna et alii planetæ majori et minori spatio quandoque distant a sole et ab invicem : etiam fiunt qualitatibus, quia in æstate causatur calor, in hyeme frigus.

« Tum illa : cum hæc, inquit, ita etc. » Hic philosophia, supposito quod mundus regatur a Deo, probat, quod ab ipso regatur per suam bonitatem : et dicit : O Boeti, cum hæc ita sentias quod mundus regitur a Deo, puta mihi restare parvam operam, idest parvum laborem ut tu compos, idest potens felicitatis, sospes, idest sanus, revisas patriam, idest cognoscas beatitudinem. Tunc probat quod Deus regat mundum sua bonitate, dicens : intueamur quæ proposuimus. Nonne numeravimus supra, in nona prosa in beatitudine esse sufficientiam, et concessimus, Deum esse ipsam beatitudinem. Dicit Boetius : Ita est inquam. Ex hoc concludit philosophia Deum nullo indigere ad regendum mundum. Dicit ergo : ad mundum regendum Deus nullis extrinsecis adminiculis indigebit : alioquin si ita esset quod aliquo egeat, non habebit plenam sufficientiam. Et dicit Boetius : illud inquam est necessarium. Ideo concludit philosophia : Deus cuncta disponit, idest regit, per se solum. Dicit Boetius : negari nequit. Sed Deus monstratus est esse ipsum bonum. Memini inquam, dicit Boetius. Ergo per bonum Deus cuncta disponit : si quidem per se regit omnia, quæ consensimus esse bonum : et hic Deus est veluti quidam clavus atque gubernaculum, quo machina mundana servatur stabilis et incorrupta. Dicit Boetius : vehementer, idest valde assentior, et illud te dicturum paulo ante prospexi, licet tenui suspicione. Dicit philosophia : Credo, inquit, quod hæc prævidisti : jam enim, ut ar-

tuare, vigentius quam prius defixus oculos ad vera vertendo. Notandum, quod ex littera accipiuntur duæ rationes ad probandum intentum. Primo probat quod Deus per se regit omnia : et talis in beatitudine est summa sufficientia ; sed Deus est beatitudo, ergo in Deo est summa sufficientia ; tale autem non indiget extrinsecis gubernaculis, ergo per se Deus regit omnia. Secunda ratio probat quod Deus per suam bonitatem quæ non distinguitur a Deo, regit omnia, sicut Deus per se regit omnia, ut visum est ; sed Deus est ipsum bonum ; ergo per bonum regit omnia, ut patet de se, quia pro sua bonitate et clementia.

« Sed quod dicam etc. » Hic ponit per quem modum Deus omnia gubernat. Et primo ostendit, quod omnia gubernat suaviter, quia omnia sibi obediunt. Secundo quod gubernat omnia fortiter quia nihil sibi resistere potest. Secunda, ibi, « Quid si conetur. » Primo dicit : Illud quod dicam non minus patet ad contuendum, idest ad considerandum. Et dicit Boetius : quid ? inquam. Et dicit philosophia : cum Deus jure credatur omnia gubernare clavo bonitatis suæ, et omnia festinent naturali intentione ad bonum, sicut docui prius (in prosa decima) num (pro numquid) potest dubitari, quin voluntarie regantur sponte et convertant se ad nutum disponentis veluti convenientia, idest obedientia, et contemperata, idest coaptata suo rectori ? dicit Boetius : Ita inquam necesse est, quia non videretur beatum esse regimen Dei, si foret jugum detrectantium, idest recusantium, sicut bos lascivus recusat jugum, et si non esset salus obtemperantium, idest obedientium. Ergo dicit philosophia, nihil est quod naturam servans conetur, idest laborat contraire Deo. Dicit Boetius : Nihil inquam. Nota, quod cum gubernare nihil aliud sit nisi in finem ordinare, nec aliud est Deum per bonitatem gubernare, quam per bonitatem in finem dirigere ; et cum omnia naturaliter tendant ad bonum tanquam in in finem : manifestum est quod omnia sponte in finem diriguntur, et ita naturaliter omnia sponte in finem diriguntur, et ita naturaliter omnia sponte obediunt gubernanti, et per consequens Deus regit omnia suaviter. Nota, quod voluntarium secundum perfectam sui rationem tantum invenitur in habentibus voluntatem ; sed extendendo voluntarium ad omnem appetitum non coactum, sic potest reperiri in omnibus, et sic accipitur hic. Nota, quod nihil servans naturam repugnat Deo : licet enim peccator videatur Deo repugnare, ipse non servat naturam, quia peccatum diminuit et depravat naturam. Etiam Boetius loquitur hic de appetitu naturæ ut patet ex superioribus.

« Quid si conetur ? ait : num tandem etc. » Hic ostendit philosophia quod Deus regit omnia fortiter : quia nihil est quod possit sibi resistere. Secundo confirmat hoc per quamdam fabulam, ibi, « Accepisti. » Primo dicit : Si quid conetur resistere Deo, numquid aliquid proficiet adversus eum quem concessimus esse potentissimum jure beatitudinis, idest ex eo quod est beatitudo ? Dicit Boetius : Prorsus nihil valeret, supple, resistere. Igitur dicit philosophia : non est aliquid quod huic summo bono, vel velit, vel possit obsistere. Dicit Boetius : Non arbitror. Ideo, dicit philosophia summum bonum est quod regit cuncta fortiter suaviterque disponit. Dicit Boetius : quam, idest quantum me ea summa rationum quæ modo conclusa est, non modo, idest non tantummodo me delectat, verum (pro sed) hæc ipsa verba quibus uteris multo magis delectant, ita ut stultitiam, idest me stultum lacerantem, idest mala reprehendentem magna, scilicet quæ tangunt divinam gubernationem pudeat sui. Tunc confirmat per fabulam quod nihil potest resistere Deo : quæ talis est. Gigantes volentes expellere Deos de cœlo posuerunt montem super montem ut ascenderent : quod videns Jupiter ipsos fulmine dejecit et montibus depressit : et hæc in *secundo Metamorphoseos*. Unde dicit : O Boeti, accepisti, idest didicisti in fabulis gigantes lacessentes, idest lacerare volentes cœlum : sed fortitudo benigna, scilicet Dei illos disposuit uti condignum fuit. Nota : philosophia hic alludit verbis sacræ Scripturæ quæ dicit : *Attingit ergo a fine usque*

ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter; ideo dicit Boetius, se non tantum delectari in istis rationibus quantum in suis verbis.

« Sed vis ne rationes ipsas invicem etc. » Hic philosophia concludit ex dictis quod malum nihil sit. Et primo petit assensum Boetii, dicit : Visne ipsas rationes, idest propositiones ratione probatas invicem collidamus, idest componamus? forsitan ex conflictatione hujus dissiliat, idest procedet quædam pulchra scintilla veritatis. Et dicit Boetius : fiat inquam tuo arbitratu, idest tua voluntate. Tunc ponit propositionem manifestam, dicens: Nemo dubitaverit Deum esse omnipotentem. Dicit Boetius : Nullus prorsus ambigat qui mente consistat, idest qui sanæ mentis est. Tunc assumit aliam propositionem, dicens : quod vero est omnipotens, nihil est quod ille non possit. Dicit Boetius : nihil inquam. Tunc ponit aliam propositionem : Deus non potest facere malum. Dicit Boetius : minime. Igitur concludit philosophia : malum nihil est, cum illud facere non possit ille qui nihil non potest facere, idest omnia facere. Notandum : sicut Deus est causa efficiens omnium, ita est finis omnium : unde quicquid fit ab eo ordinatur ad ipsum tamquam ad finem ; si ergo Deus faceret malum, ordinaretur ad ipsum tamquam ad finem ; et cum ipse sit bonum, malum ordinaretur ad bonum ; ergo Deus non potest facere malum tamquam aliquid per se intentum. Est ergo conclusio quam philosophia infert, quod malum nihil est. Ratio conclusionis est : Deus potest facere omne quod est, cum sit omnipotens: sed Deus non potest facere malum ; ergo malum nihil est. Et si diceres : si malum nihil est, cum homo damnetur pro malo, damnabitur pro nihilo : Dicendum, quod malum dicit defectum boni, non negative, sed privative ; et ideo malum est defectus boni quod debet haberi : et quia in potestate hominis est illud habere, et si non habet illud bonum cum deberet habere ; ideo damnatur. Et ponitur exemplum. Aliquis tenetur solvere centum libras, et si non solvat incarcerabitur : certum est quod non solvere non est aliquid, sed nihil : non tamen simpliciter dicitur aliquis incarcerari pro nihilo; sed ideo quia nihil erat quod debuit aliquid esse.

« Ludis ne inquit me etc. » Hic Boetius movet quæstionem philosophiæ. Secundo philosophia solvit, ibi, « Tum illa. » Primo Boetius admirans de connexione et convolutione rationum quibus philosophia usa est, quærit utrum ista connexio rationum sit ex delusione philosophiæ, vel proveniat ex natura rei : et breviter illas rationes recolligit, et dicit : O philosophia, ludis, idest deludis ne me, texens, idest formans labyrinthum, idest laborem difficilem rationibus faciendo rationes circulares, quo scilicet labyrintho egrediaris ea parte qua introeas et egrediare eo loco quo introieris? tu complicas quemdam orbem admirabilem divinæ simplicitatis, idest facis mirabilem circulationem rationis, in divina simplicitate. Et tunc breviter recolligit rationes dicens : tu paulo ante incipiens a beatitudine dicebas eam esse summum bonum, quam beatitudinem tu loquebare esse sitam in summo Deo, et disserebas Deum esse summum bonum et plenam beatitudinem : ex quo dabas, idest inferebas quasi munusculum, idest corollarium, neminem fore beatum nisi esset Deus : rursum tu loquebaris formam boni esse substantiam Dei et beatitudinis, et dicebas ipsum unum esse idipsum quod bonum, et illud bonum dicebas esse quod peteretur ab omni natura rerum ; et tu disputabas, idest disputando probabas Deum regere universitatem gubernaculis bonitatis, et cuncta volentia parere, idest obedire Deo, nec ullam esse naturam mali : et hæc omnia explicabas nullis rationibus sumptis extrinsecus, idest non accipiendo principia extrinseca, sed insitis, idest intrinsecis et domesticis, idest propriis et convenientibus probationibus rei de qua agebatur, altero assumpto trahente fidem, idest certitudinem ex altero. Nota : labyrinthus dicebatur domus Dædali quam cum aliquis intendebat intrare exivit et exeundo intravit; et consuevit depingi circularibus protactionibus ; et transumitur hic ad designandum circulationes et revolutiones rationum. Nota, quod circum-

volutio et connexio rationum quibus philosophia usa est non est sic circularis, quod una et eadem propositio sit principium et conclusio respectu ejusdem, quia sic non contingit demonstrare circulo, ut patet primo *Posteriorum* ; sed dicitur connexio circularis, quia rationes ex invicem dependebant, ita quod propositio conclusa in una sit principium alterius conclusionis in alia, nec propter istas diversas conclusiones est aliqua diversitas in Deo, sed omnia sunt idem simpliciter.

« Tum illa, minime, inquit etc. » Hic philosophia respondet Boetio ad quæstionem ; et dicit : Minime ludimus ; sed nos exegimus, idest perfecimus munere Dei, quem dudum deprecabamur, rem maximam omnium rerum : ea enim, idest talis est forma, idest dispositio divinæ substantiæ, ut neque in externa, idest in exteriora dilabatur, idest cadat, nec suscipiat aliquid externum, idest extrinsecum in se. Quod probat auctoritate Parmenidis, quam primo ponit in græco, deinde sensum ejus subjungit in latino dicens : Sed sicut Parmenides de ea ait, scilicet substantia divina, quod divina substantia rerum orbem mobilem rotat, idest mutat res circulatione generationis et corruptionis, et mutando res ipsa non mutatur, sed se immobilem conservat. O Boeti, si nos agitavimus, idest commovimus rationes, non extra, idest non ab extrinseco petitas, idest sumptas, sed collatas intra rei ambitum, quam rem tractabamus, nihil est quod de hoc admirere, idest admireris, cum, idest ex quo tu didiceris, Platone sanciente, idest confirmante, sermones oportere esse cognatos, idest proprios convenientes rebus, de quibus, supple, rebus loquuntur. Nota, quod sermones accipiendi sunt secundum materiam subjectam, quia certitudo non est similiter quærenda in omnibus, ut primo *Ethicorum* : ubi dicitur, quod disciplinati est tantum inquirere certitudinem secundum unumquodque genus quantum natura rei patitur. Cum igitur « Deus sic regat omnia præter hoc quod commisceatur cum eis, » ex libro *de Causis* : sermones de divina substantia accipiendi sunt secundum intranea divinæ substantiæ, et non secundum extranea, cum non commisceatur cum eis.

METRUM XII

Felix qui potuit boni
Fontem visere lucidum ;
Felix qui potuit gravis
Terræ solvere vincula.
Quondam funera conjugis
Vates Threicius gemens,
Postquam flebilibus modis
Silvas currere mobiles,
Amnes stare coegerat,
Junxitque intrepidum latus
Sævis cerva leonibus,
Nec visum timuit lepus
Jam cantu placidum canem ;
Cum flagrantior intima
Fervor pectoris ureret,
Nec qui cuncta subegerant,
Mulcerent dominum modi,
Immites superos querens,
Infernas adiit domos.
Illic blanda sonantibus
Chordis carmina temperans,
Quidquid præcipuis deæ
Matris fontibus hauserat,
Quod luctus dabat impotens,
Quod luctum geminans amor,
Deflet Tænara commovens,
Et dulci veniam prece
Umbrarum dominos rogat.
Stupet tergeminus novo
Captus carmine janitor ;
Quæ sontes agitant metu
Ultrices scelerum deæ,
Jam mœstæ lacrymis madent ;
Non Ixionium caput
Velox præcipitat rota,
Et longa siti perditus
Spernit flumina Tantalus ;
Vultur dum satur est modis,
Non traxit Tityi jecur.
Tandem, vincimur, arbiter
Umbrarum miserans ait ;
Donemus comitem viro
Emptam carmine conjugem ;
Sed lex dona coerceat,
Ne, dum Tartara liquerit,
Fas sit lumina flectere.
Quis legem det amantibus ?
Major lex amor est sibi.
Heu, noctis prope terminos
Orpheus Eurydicen suam
Vidit, perdidit, occidit.
Vos hæc fabula respicit,
Quicumque in superum diem
Mentem ducere quæritis.
Nam qui Tartareum in specus
Victus lumina flexerit,
Quidquid præcipuum trahit,
Perdit, dum videt inferos.

« Felix qui potuit etc. » Istud est duodecimum metrum et ultimum hujus tertii libri ; quod dicitur glyconicum ab inventore, coriambicum a pede prædominante. Primo enim ponitur spondæus,

dicendo : felix. Secundo coriambus, dicendo : qui potuit. Tertio pyrrichius vel trocheus. In quo metro philosophia quum prius ostendit quæ sit vera beatitudo, et ubi sit ita, hortatur nunc ad perseverandum in contemplatione illius beatitudinis. Et primo ponit illum esse felicem qui relictis terrenis vacat divinæ contemplationi. Secundo ostendit quid hujusmodi contemplationem impediat. Tertio illud impedimentum vitare docet. Secunda, ibi, « Quodam. » Tertia, ibi, « Vos hæc fabula. » Primo dicit : Felix, supple, est qui potuit visere, idest desiderabiliter videre, lucidum fontem boni, idest Deum qui est fons omnis boni : et felix est qui potuit solvere vincula, idest affectiones, gravis terræ, idest terrenorum quæ sua gravitate trahunt hominem deorsum. Notandum, quod felix est qui speculatur fontem boni, et qui contemnit delectationes terrenas : unde in libro *de Pomo et morte* Aristotelis scribitur : Beata est anima quæ non est infecta pravis operibus hujus mundi et intellexit suum creatorem ; ipsa est quæ revertetur in locum suum in delitiis magnis : væ autem animæ quæ non habet posse redeundi ad patriam suam ; turpia enim opera et delectationes corporales impediunt ascensum ejus sursum.

« Quondam funera conjugis etc. » Hic ostendit quid impediat contemplationem divinorum qui est affectus terrenorum : quod declarat per quamdam fabulam quæ talis est. Orpheus filius Calliope fuit cytharista qui tanta dulcedine cytharæ resonabat, quod non tantum homines, sed etiam bruta allexit ; et intantum ea demulsit, quod impetus suos naturales dimittebant : silvas currere, flumina stare fecit. Hic habuit uxorem dictam Eurydicem, quam cum pastor Aristæus adamare vellet, ipsa fugiens per prata calcato quodam serpente interiit et ad inferos descendit : quam Orpheus volens ab inferis reducere, Deos supernos sua cythara placare cœpit ; sed cum non proficeret, ad infernum descendit ; et intantum Deos infernales delinivit, quod concessa est ei uxor tali conditione antequam exiret infernum non flecteret retro aspectum uxorem respiciendo. Cum autem jam prope exivisset Orpheus, amore allectus retrospexit, et sic uxorem perdidit. Circa istam fabulam sic processit. Primo ostendit quomodo Orpheus ad inferos descendens pro uxore rogavit. Secundo quomodo monstra inferni placavit. Tertio ostendit quomodo uxor ei concessa fuit et eam perdidit. Secunda, ibi, « Stupet. » Tertia, ibi, « Tandem. » Dicit primo : Vates Thereicus, idest Orpheus de Thracia provincia oriundus, dictus vates, idest sapiens a multis, ille quondam gemens, idest deplorans funera, idest mortem conjugis, postquam coegerat amnes, idest fluvios stare, silvas currere mobiles post ipsum flebilibus modis, idest modulationibus cytharæ quas flendo formavit, et postquam cerva junxit intrepidum latus sævis leonibus, quia cerva incedebat sequendo modulationem Orphei, nec lepus timuit canem visum jam placidum, idest placatum cantu, idest sono cytharæ, quia lepus et canis similiter sequebantur ipsum. Cum autem fervor, idest amor flagrantior, idest ardentior, ureret intima, idest interiora pectoris Orphei, et cum modi, idest modulationes, qui cuncta subegerant, idest subjecerant, non mulcerent, idest non placarent dominum, scilicet Orpheum, idest quærens superos, idest Deos immites, quia placari non poterant, adiit domos infernas, idest infernales : illic temperans blanda carmina sonantibus chordis, ipse deflet, idest flebiliter decantat in cythara, quidquid hauserat ex præcipuis fontibus maris, scilicet deæ Calliope ; et ipse deflet quod luctus impotens qui facit hominem impotentem, sibi dabat, idest concessit, et deflet illud quod dabat sibi amor geminans luctum, quomodo commovens Tænara, idest inferna, et rogat dominos umbrarum, idest infernales dulci prece veniam, idest relaxationem suæ uxoris. Nota, secundum Aristotelem, *secundo Metaphysicorum* et Commentatorem *tertio libro de Cœlo et mundo*, non omnes accipiunt veritatem per eumdem modum ; tum propter diversam consuetudinem, tum propter diversam naturam, tum propter paucitatem instructionis in logica. Unde quidam recipiunt veritatem per modum demonstra-

tiones, quidam per modum auctoritatum, quidam per modum fabularum. Ut ergo philosophia talibus satisfaciat, aliquando demonstrationibus, aliquando auctoritatibus aliorum, aliquando fabulas inserit sicut in proposito. Notandum, quod Orpheus dicitur vates quia carmina composuit. Dicitur autem vates a vi mentis vel a video. Notandum, quod Threnera dicuntur quasi lamentabilia, a threnos-ni, quod est lamentatio. Et Threnarius in singulari est nomen cujusdam montis in quo dicitur esse via ad infernum. In plurali trenera significat loca infernalia, sicut dicit Huguitio. Communiter autem invenitur hoc nomen scriptum sine *r* in in prima sillaba, dicitur Tenara vel Tenarus, sicut in doctrinali: Tænarus infernus. Tamen Huguitio scribit tantum per *r* ut Threnerus et Threnera. Unde forsan ex vitio scriptorum quandoque subtrahitur *r*.

« Stupet tergeminus novo etc. » Hic ostendit quomodo Orpheus monstra inferni placaverit, dicens : Janitor inferni qui dicitur Cerberus quasi vorator carnium : ille tergeminus, idest habens tria capita canina, captus fuit novo carmine, idest melodia prius inaudita, et stupet, idest admiratur. Tunc ostendit quomodo alia monstra placaverit; dicens quod tres furiæ infernales Thesiphone, Alecto, Megæra quæ sunt ultrices scelerum inferentes metum peccatoribus, istæ lacrymabantur propter dulcedinem cytharæ. Unde dicit : deæ, idest furiæ tres ultrices scelerum, idest peccatorum, quæ deæ agitant, idest vexant sontes, idest peccatores metu, idest timore, istæ jam mœstæ madent, idest fluunt lacrymis. Tunc tangit remissionem pœnæ quorumdam in inferno; et primo Ixionis. Ubi sciendum quod Ixion voluit concumbere cum Junone. Cum autem Juno interponeret nubem, Ixion projecit semen in nubem ex quo nati sunt centauri, ipse autem adjudicatus inferno continue volvitur in rota, quæ rota stetit Orpheo modulante. Unde dicit : Velox rota non præcipitat, idest non dejecit, caput Ixionium, idest Ixionis, supple Orpheo canente. Tunc tangit remissionem pœnæ Tantali. Ubi sciendum quod Tantalus dicitur lacerasse proprium filium, dans eum diis ad comedendum, pro quo damnatus fuit. Dicitur autem in inferno habere aquam usque ad mentum, et poma pendentia ante os, et tamen deficere siti et fame : cum enim vult sumere aquam vel pomum fugiunt ab eo. Iste Tantalus sprevit flumina Orpheo canente : unde dicit : Tantalus perditus, idest consumptus longa, idest magna siti, sprevit flumina. Tunc ostendit remissionem pœnæ Titii. Unde sciendum quod Titius voluit concumbere cum Latona matre Apollinis, quem Apollo interfecit et in infernum relegavit, cujus jecur vultur devorat. Orpheo autem canente vultur cessavit laniare jecur ejus : unde dicit : dum vultur est satur, modis, idest modulationibus Orphei, non traxit, idest non laniavit jecur Titii.

« Tandem vincimur arbiter etc. » Hic ostendit quomodo Orpheo uxor sua concessa fuit, et quomodo eam perdidit, dicens : Tandem arbiter, idest judex umbrarum iste miserans, idest misericordiam habens, ait, nos vincimur, donemus, idest restituamus viro, scilicet Orpheo comitem conjugem emptam, idest comparatam carmine suo : sed lex, idest conditio coerceat ista dona : nefas sit sibi deducenti uxorem flectere lumina, idest oculos respiciendo uxorem, dum liquerit, idest relinquerit tartara. Et tunc exclamat, dicens : Quis det, idest imponit legem amantibus? quasi dicat : amor non debet coerceri lege, quia amor major lex est sibi, idest major amor est lege. Et subdit : Heu prope terminos noctis, idest inferni, Orpheus Eurydicem uxorem suam vidit respiciendo a tergo, eam perdidit ab inferis non deducendo, occidit inferno eam relinquendo. Notandum, quod apud inferos arbiter, idest judex umbrarum, dicitur Rhadamantus qui cogit animas ad fatendum peccata commissa, et unicuique secundum merita sua pœnam distribuit. Iste Rhadamantus dixit : donemus viro conjugem. Notandum, quod amor non potest lege coerceri : nam ex incenso amore homo sæpius transgreditur legem, et amor fortior est ad aliquid implendum quam lex ad coercendum : ideo dicit : quis le-

gem det amantibus? major lex est sibi : quasi dicat : propter quid lex datur amantibus ? cum per se dura lex sit amare.

« Vos hæc fabula respicit etc. » Hic philosophia applicando fabulam ad propositum hortatur nos vitare impedimentum contemplationis summi boni, et dicit : O homines quicumque quæritis, idest vultis, ducere mentem, idest mentis contemplationem in superum diem, idest in supernam claritatem : hæc fabula jam dicta respicit vos, quia ad veram informationem inducta. Nam qui victus affectu terrenorum, flexerit lumina, idest oculos rationis et intellectus in tartareum specus, idest in terrena quæ ducunt ad tartaream profunditatem, quidquid præcipuum, idest bonum trahit, scilicet laborando, illud perdit, dum videt inferos, idest dum intendit terrenis, idest temporalibus quæ sunt infima. Nota, quod concupiscentia et affectus terrenorum impedit contemplationem summi boni. Unde Boetius in *tractatu de Summo bono* dicit : « Inordinata concupiscentia multos impedit a summo bono. Quosdam enim pigritiam sequi videmus; quosdam enim delectationes sensuales; quosdam enim desideria auri et argenti; exceptis paucis viris honorandis philosophis qui contemnunt sensus desideria et sequuntur desideria intellectus. » Et prope finem ejusdem tractatus dicit : « Philosophus maxime delectatur in primo principio in contemplatione suæ bonitatis, et hæc sola est recta delectatio, hæc enim est vita philosophorum sine qua nemo vivit vita recta. » Et subdit : « Philosophum autem voco omnem hominem viventem ordine naturæ; tendens in alta et finiens vitam acquirit ultimum finem et optimum vitæ humanæ, qui est Deus gloriosus benedictus in sæcula sæculorum. »

LIBER QUARTUS

PROSA I.

Hæc cum Philosophia, dignitate vultus, et oris gravitate servata, leniter suaviterque cecinisset, tum ego, nondum penitus insiti mœroris oblitus, intentionem dicere adhuc aliquid parantis abrupi. Et o, inquam, veri prævia luminis : quæ usque adhuc tua fudit oratio, tum sui speculatione divina, tum tuis rationibus invicta patuerunt; eaque mihi, etsi ob injuriæ dolorem nuper oblita, non tamen antehac prorsus ignorata dixisti. Sed ea ipsa vel maxima nostri caussa mœroris, quod, cum rerum bonus rector existat vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant. Quod solum quanta dignum sit admiratione, profecto considera. At huic aliud majus adjungitur : nam imperante florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum supplicia luit. Quæ fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri. Tum illa, Et esset, inquit, infiniti stuporis, omnibusque horribilius monstris, si, uti tu existimas, in tanti velut patrisfamilias dispositissima domo, vilia vasa colerentur, Pretiosa sordescerent : sed non ita est, Nam si ea quæ paulo ante conclusa sunt, inconvulsa servantur, ipso de cujus nunc regno loquimur, auctore cognosces, semper quidem potentes bonos esse, malos vero abjectos semper, atque imbecilles, nec sine pœna unquam esse vitia, nec sine præmio virtutes : bonis felicia, malis semper infortunata contingere, multaque id genus, quæ sopitis querelis firmante soliditate corroborent. Et quoniam veræ formam beatitudinis me dudum monstrante vidisti, quo etiam sita sit agnovisti, decursis omnibus quæ prætermittere necessarium puto, viam tibi quæ te domum revehat, ostendam. Pennas etiam tuæ menti, quibus se in altum tollere possit, affigam, ut perturbatione depulsa, sospes in patriam, meo ductu, mea semita meis etiam vehiculis revertaris.

« Hæc cum philosophia dignitate vultus etc. » Hic incipit quartus liber de Consolatione philosophiæ, cujus hæc est prosa prima : in quo libro philosophia assignat causas quare mala concedantur in regno Dei : cum omnium rerum rector bonus existat, scilicet Deus : et probat bonos semper esse potentes et malos impotentes; et sicut vitia nunquam sunt sine pœna, in virtutes numquam sunt sine præmio. Probat etiam quod omnis fortuna tam prospera quam adversa bonis est ad profectum, malis autem ad interitum. Etiam probat quod omnia quæ fiunt a Deo recte fiunt, et alia plura, sicut patebit. Et dividitur ille liber in

quatuor partes, quia septem sunt prosæ et septem metra hujus quarti, de quibus patebit in processu. Primo ergo ostendit Boetius quomodo intentionem philosophiæ adhuc parantis plura dicere interrupit proponendo causam sui doloris. Secundo philosophia promittit sibi perfectam curam. Tertio dat modum curandi ipsum. Secunda, ibi, « Tum illa, et rursi » Tertia, ibi, « Et quoniam » Et quarto prosequitur intentionem, ipsum curando in sequenti prosa, ibi, « Tum ego » Primo ostendit quomodo interrupit intentionem philosophiæ volentis plura loqui. Secundo probat causam sui doloris. Secunda, ibi, « Sed ea ipsa est » Primo dicit : Cum philosophia cecinisset, idest decantasset hæc, scilicet prædicta, servata leniter, idest delectabiliter et suaviter, idest dulciter servata dignitate, idest reverentia vultus, scilicet sui et gravitate oris, idest sermonis, supple, sui : Tum, idest post hæc ego, scilicet Boetius, nondum, idest non adhuc oblitus, idest immemor, penitus, idest omnino, insiti mœroris, idest intranei doloris : Ego Boetius abrupi, idest interrupi, intentionem, idest propositam philosophiæ parantis, idest intendentis, dicere adhuc aliquid. Et inquam, idest dixi : O prævia, idest præambula veri luminis, idest perfectæ cognitionis, scilicet illa quæ tua oratio, idest tuus sermo fudit, idest locutus est hucusque, idest ad istum librum quartum, patuerunt, idest manifesta fuerunt, invicta, idest insolubilia. Tum, idest aliquando divina speculatione, idest sancta contemplatione : tum, idest aliquando sui, scilicet ipsius ; tum, idest aliquando tuis rationibus, idest demonstrationibus. Et ea, idest illa prædicta, etsi (pro quamvis) oblita mihi nuper, idest aliquando ante determinationem ob dolorem injuriæ, supple, quam perpessus sum a Theoderico rege Gothorum, non tamen dicuntur prorsus, idest omnino hæc, scilicet prædicta, ignorata, idest ignota antehac, idest hucusque. Nota, quod dignitas est honesta et imperiosa auctoritas. Dicitur enim philosophia habere dignitatem vultus propter sui honestatem ; quia secundum Tullium, sola sapientia est quæ meretur honores, et propter sui auctoritatem quæ digna est imitatione. Etiam philosophia dicitur esse gravis oris, idest stabili sermone, quia sermones philosophiæ firmitate rationum insunt stabilitati. Nota : cum philosophia ostendisset quid sit summum bonum et in quo situm sit, et fecisset exhortationem ad illud quærendum, intendebat ostendere modum quo ad illud pervenitur ; sed antequam expleret illam intentionem, Boetius velut avidus ad sciendum quædam quorum ignorantia detinebat ipsum in mœrore, interrupit intentionem philosophiæ volentis plura dicere. Nota, quod philosophia dicitur prævia veri luminis, quia ipsa clarificat animam et trahit eam ab obscuritate ignorantiæ ad lucem sapientiæ et ad claritatem intellectus, ex libro *de Pomo* Aristotelis. Vel ideo dicitur prævia veri luminis, quia per ipsam tamquam per viam homo pervenit ad cognitionem veri luminis quod est Deus : quia scribitur in libro *de Pomo* quod per philosophiam homo cognoscit suum creatorem, qui de nihilo fecit omnia, qui est inceptor omnium inceptorum et omnium principiorum. Et ibidem scribitur : oportuit ut philosophia mitteretur ad instruendum ignorantes, et eos qui non cognoverunt suum creatorem.

« Sed ea ipsa vel etc. » Hic Boetius proponit causas sui mœroris, dicens : Sed ea ipsa vel causa nostri mœroris et maxima causa, quod cum rector rerum, scilicet Deus, bonus existat, vel esse mala omnino possint, vel prætereant impunita : quod saltem si nullum aliud inconveniens sequeretur, considera quanta sit dignum admiratione : at (pro sed) huic adjungitur, idest additur aliud majus, supple, admirandum. Nam (pro quia) imperante, idest præcipiente et florente, idest vigente nequitia, idest nequitiosis hominibus, virtus, idest homo virtuosus, non solum, idest non tantum caret præmiis, verum etiam ipsa virtus subjecta, idest subdita, calcatur pedibus, idest potentiis, sceleratorum, idest malorum ; et ipsa virtus luit, idest patitur supplicia, idest pœnas in locum facinorum, idest vitiosorum loco. Quæ, scilicet prædicta fieri, idest permitti in regno, idest in

mundo, scientis omnia, scilicet Dei, et potentis omnia, sed volentis, idest intendentis, tantummodo bona, nemo satis vel admirari nec conqueri potest, idest querimoniam facere. Nota : quod mala fiunt in mundo patet, quia ratio semper deprecatur ad bonum. Cum ergo mali non regantur judicio rectæ rationis, sed vincantur passionibus iræ et concupiscentiæ, ideo deficiunt a bono. Item superabundantia et defectus sunt de genere malorum, cum virtus consistat in medio. Cum igitur in pluribus sit superabundantia et defectus, patet quod mala fiunt in mundo. Cum autem omnia dependeant a Deo, cœlum et tota natura, et Deus essentialiter sit bonus, mirabile est quomodo mala esse possint, vel saltem permaneant impunita. Nota, quod quia boni attingunt finem omnium rerum, scilicet summum bonum, ideo sunt potentes; mali autem, quia hoc ipsum attingere non possunt, sunt impotentes. Et quia Boetius in primo libro sexta prosa dixit se ignorare quis sit finis omnium rerum, ideo putabat bonos esse impotentes, malos autem potentes : et de hoc Boetius admiratur, ut patet in littera : et ista est una causa sui doloris.

« Tum illa etc. » Hic philosophia promittit Boetio perfectam curam quæ consistit in pertractione hujus materiæ, dicens : O Boeti, et esset infiniti stuporis, idest admirationis et esset horribilius omnibus monstris, idest deformitatibus si in dispositissima, idest in ordinatissima, domo, scilicet in mundo, tanti patris familias, scilicet Dei, si ibi colerentur, idest honorarentur, vilia vasa, idest mali homines; et si pretiosa vasa, idest boni homines sordescerent, idest vilescerent, sicut tu æstimas : sed non est ita. Nam si ea quæ paulo ante conclusa sunt, servantur inconvulsa, idest integra in sui veritate, tu auctore, idest doctore, ipso Deo, de cujus regno nunc loquimur, cognosces semper bonos esse potentes, malos vero impotentes, nec unquam vitia esse sine pœna, nec sine præmio esse virtutes : et cognosces bonis semper contingere felicia et malis infortunata ; et cognosces multa id genus, idest hujus generis quæ corroborent te firma soliditate, scilicet contra adversitatem fortunæ, querelis tuis sopitis, idest remotis. Notandum : sicut postea patebit, omnia quæ sunt recte a Deo fiunt. Cum igitur ordo justitiæ requirit vitia puniri, virtutes remunerari, si mali manerent impuniti et boni irremunerati, sic perversus esset ordo in domo Dei, scilicet in mundo : quod esset horribilius omnibus monstris.

« Et quoniam veræ formam etc. » Hic philosophia dat modum curandi ipsum Boetium, dicens : Quoniam dudum, scilicet in tertio libro vidisti formam veræ beatitudinis, me monstrante, idest docente, omnibus decursis, idest pertransitis, quæ puto necessarium prætermittere, ostendam tibi viam quæ te revehat, idest reducat, domum, idest ad cognitionem veræ beatitudinis : et ego affigam, idest apponam tuæ menti, pennas, idest rationes quibus mens possit se tollere in altum; ut depulsa perturbatione contingente tibi ex affectu bonorum temporalium, revertaris sospes in patriam meo ductu, mea semita, meis vehiculis. Nota, quod per pennas quas philosophia promittit affigere menti Boetii, intelligitur speculatio rationis et intellectus, virtus et sapientia. Sicut enim avis volando in altum deducitur auxilio pennarum, sic mens humana speculatione rationis et intellectus virtute et sapientia erigitur in contemplationem summi boni.

METRUM I.

Sunt etenim pennæ volucres mihi,
Quæ celsa conscendant poli :
Quas sibi cum velox mens induit,
Terras perosa despicit,
Aeris immensi superat globum,
Nubesque post tergum videt,
Quique agili motu calet ætheris,
Transcendit ignis verticem,
Donec in astriferas surgat domos,
Phœboque conjungat vias,
Aut comitetur iter gelidi senis,
Miles corusci sideris.
Vel quocunque micans nox pingitur,
Recurrat astri circulum ;
Atque ubi jam exhaustum fuerit satis,
Polum relinquat extimum,
Dorsaque velocis premat ætheris
Compos verendi luminis.
Hic regum sceptrum dominus tenet,
Orbisque habenas temperat.

Et volucrem currum stabilis regit,
Rerum coruscus arbiter.
Huc te si reducem referat via,
Quam nunc requiris immemor :
Hæc dices, memini, patria est mihi,
Hinc ortus, hic sistam gradum.
Quod si terrarum placeat tibi
Noctem relictam visere,
Quos miseri torvos populi timent,
Cernes tyrannos exules.

« Sunt etenim pennæ etc. » Istud est primum metrum hujus quarti libri : cujus primus versus dicitur metrum alcmanicum ab inventore, dactylicum a pede prædominante. Secundus versus dicitur metrum archilochium ab inventore, iambicum a pede prædominante. In quo metro philosophia ostendit viam per quam pervenitur ad cognitionem summi boni : et est per considerationem creaturarum quæ gradatim sunt transcendendæ, quousque inveniatur aliquid quod præmineat omni creaturæ. Et istam viam tradit sub similitudine avis volantis. Primo ergo tradit viam qua mens perveniat ad cognitionem summi boni. Secundo ostendit quid mens judicabit cum illuc pervenerit. Secunda, ibi, « Huc te, » Primo dicit : dixi quod affigam pennas menti tuæ. Sunt etenim mihi pennæ volucres, idest veloces, scilicet virtus et sapientia quæ conscendant, idest penetrent, celsa, idest alta poli : quas pennas cum mens velox sibi induit, idest assumit, ipsa perosa, idest odio habens terras, despicit eas quærendo ulterius creatorem ; et mens superat globum, idest sphæricum corpus immensi aeris, cognoscendo quod ultra aerem est creator. Nubes videt post tergum, quia ultra nubes quærit cognitionem summi boni ; et transcendit verticem, idest summitatem ignis qui ignis calet agili, idest veloci motu, ætheris, idest cœli ; et ulterius procedit mens investigando donec surgat, idest elevetur in domos astriferas, idest in orbem planetarum, et conjungat vias suas phœbo, idest soli investigando, quod sol non est Deus, donec comitetur iter gelidi senis, idest Saturni qui supra solem ; mens ipsa existens miles corusci sideris, idest Dei qui est splendidum sidus, et ulterius ascendit supra orbes planetarum donec recurrat, idest pertranseat circulum astri, idest cœlum stellatum, quod scilicet astris pingitur, idest ornatur nox micans, quia nox stellis firmamenti illuminatur : ubi, idest postquam satis fuerit exhaustum, idest speculatione evacuatum, quod nulla stellarum est Deus, mens ulterius transcendit donec relinquat extimum polum, idest ultimum cœlum, et premat dorsa velocis ætheris, idest firmamenti, scilicet compos, idest potens reverendi luminis, scilicet Dei. Hic supra ultimum polum, Dominus regum tenet sceptrum, idest imperium, et temperat, idest moderatur, habenas, idest regimina orbis et manens stabilis in se, regit volucrem, idest velocem, currum, idest circularem motum corporum cœlestium, Deus existens coruscus arbiter, idest splendidus judex rerum. Notandum, quod dicit ignem calere motu cœli. Sed dicendum quod locus non solum est causa conservativa locati, sed omnium accidentium naturaliter consequentium. Unde quia cœlum est locus ignis, non solum est causa ipsius ignis, sed etiam ipsius caloris ignem consequentis. Et quia propria dispositio cœli secundum quam habet caliditatem super omnia est motus ejus ; ideo dicit, ignem calere motu cœli, non excludens per hoc quin calor sit per se qualitas ignis. Notandum, quod Saturnum vocat gelidum senem, non quod sit gelidus formaliter, sed effective : est enim effectivus gelu et frigoris : et dicitur Senex : quia motus ejus tardus est ad modum senis. Nam cursum suum complet pluri tempore quam sol vel luna.

« Huc te si reducem etc. » Hic ostendit philosophia quid mens judicabit cum transcendit creaturas et pervenit in cognitionem Dei, dicens : O mens, si via ducat te reducem, idest revertentem a temporalibus, huc, idest ad cognitionem Dei, quam viam nunc innemor requiris, tunc dices : Ego memini quæ obnubilata fui affectu temporalium : hic, scilicet in contemplatione Dei est mihi patria : hinc, scilicet a Deo est meus ortus, quia ad ejus imaginem creata : hic, scilicet in contemplatione Dei, sistam, idest figam gradum, idest ponam finalem quietem. Quod si placeat tibi existenti in cognitio-

nem Dei visere, idest cum desiderio videre, noctem terrarum relictam, tu cernes, idest videbis, torvos tyrannos, idest crudeles principes, quos miseri populi timent illos torvos esse exules a vera patria sua. Notandum, secundum Apostolum, *non habemus hic manentem patriam, sed futuram inquirimus.* Hæc enim est vera patria a qua anima rationalis per creationem a Deo exivit : ad quam nisi revertatur, esse quod a Deo accepit, affectione terrenorum deturpata prorsus amittit. Propter quod dixit in secundo metro tertii libri :

> Repetunt proprios quæque recursus,
> Redituque suo singula gaudent :
> Nec manet ulli traditus ordo,
> Nisi quod fini junxerit ortum,
> Stabilemque sui fecerit orbem.

PROSA II.

Tu ego, Papæ, inquam, ut magna promittis ! nec dubito quin possis efficere : tu modo quem excitaveris, ne moreris. Primum igitur, inquit, bonis semper adesse potentiam, malos cunctis viribus esse desertos, agnoscas licebit : quorum quidem alterum demonstratur ex altero. Nam cum bonum malumque contraria sint : si bonum potens esse constiterit, liquet imbecillitas mali : at si fragilitas clarescat mali, boni firmitas nota est. Sed uti nostræ sententiæ fides abundantior sit, alterutro calle procedam ; nunc hinc, nunc inde proposita confirmans. Duo sunt quibus omnis humanorum actuum constat effectus ; voluntas scilicet, ac potestas : quorum si alterutrum desit, nihil est quod explicari queat. Deficiente etenim voluntate, ne aggreditur quidem quisque quod non vult : at si potestas absit, voluntas frustra sit. Quo fit ut si quem videas velle adipisci quod minime adipiscatur, huic obtinendi quod voluerit, defuisse valentiam dubitare non possis. Perspicuum est. inquam, nec ullo modo negari potest. Quem vero effecisse quod voluerit, videas, num etiam potuisse dubitabis? Minime. Quod vero quisque potest, in eo validus ; quod vero non potest, in hoc imbecillis esse censendus est. Fateor, inquam. Meministi ne igitur, inquit, superioribus rationibus esse collectum, intentionem omnem voluntatis humanæ, quæ diversis studiis agitur, ad beatitudinem festinare? Memini, inquam, id quoque esse demonstratum. Num recordaris, beatitudinem ipsum esse bonum, eoque modo cum beatitudo petitur, ab omnibus desiderari bonum? Minime, inquam, recordor, quoniam id memoriæ fixum teneo. Omnes igitur homines, boni pariter ac mali, indiscreta intentione ad bonum pervenire nituntur. Ita, inquam, consequens est. Sed certum est, adeptione boni bonos fieri. Certum. Adipiscuntur igitur boni quod appetunt. Sic videtur. Mali vero si adipiscerentur quod appetunt bonum, mali esse non possent. Ita est. Cum igitur utrique bonum petant, sed hi quidem adipiscantur, illi vero minime, non dubium est, bonos quidem potentes esse, qui vero mali sunt, imbecilles. Quisquis, inquam, dubitat, nec rerum naturam, nec consequentiam potest considerare rationum. Rursus, inquit : Si duo sint quibus idem secundum naturam propositum sit, eorumque unus naturali officio idipsum agat, atque perficiat ; alter vero naturale illud officium minime administrare queat, alio vero modo quam naturæ convenit, non quidem impleat propositum suum, sed imitetur implentem ; quemnam horum valentiorem esse decernis? Etsi conjecto, inquam, quid velis, planius tamen audire desidero. Ambulandi, inquit, impetum naturam esse hominibus num negabis? Minime, inquam. Ejusque rei pedum officium esse naturale num dubitas? Ne hoc quidem, inquam. Si quis igitur pedibus incedere valens ambulet, aliusque cui hoc naturale pedum desit officium, manibus nitens, ambulare conetur, quis horum jure valentior existimari potest? Contexe, inquam, cetera : nam quin naturalis officii potens, eo qui idem nequeat, valentior sit, nullus ambigit. Sed summum inquit, bonum, quod æque malis bonisque propositum est, boni quidem naturali officio virtutum petunt : mali vero variam per cupiditatem, quod adipiscendi boni naturale officium non est, ad ipsum conantur adipisci. An tu aliter existimas? Minime, inquam ; nam etiam quod est consequens patet. Ex his enim quæ concesseram, bonos quidem potentes, malos vero esse necesse est imbecilles. Recte, inquit, præcurris ; idque, uti medici sperare solent, indicium est erectæ jam, resistentisque naturæ. Sed quoniam te ad intelligendum promptissimum esse conspicio, crebras coacervabo rationes. Vide enim quanta vitiosorum hominum pateat infirmitas, qui ne ad hoc quod pervenire queant ad quod eos naturalis ducit, ac pœne compellit intentio. Et quid? si hoc tum magno, ac pœne invicto præeuntis naturæ desererentur auxilio? Considera vero quanta sceleratos homines habeat impotentia. Neque enim levia ac ludicra præmia petunt, quæ consequi atque obtinere non possunt : sed circa ipsam rerum summam verticemque deficiunt, nec in eo miseris contigit effectus quod solum dies, noctesque moliuntur : in qua re bonorum vires eminent. Sicut enim eum qui pedibus incedens, ad eum locum usque pervenire potuisset, quo nihil ulterius pervium jaceret incessui, ambulandi potentissimum esse censeres : ita eum qui expetendorum finem quo nihil ultra est, apprehendit, potentissimum necesse est judices. Ex quo fit, quod huic objacet, ut iidem scelesti, iidem viribus omnibus videantur esse deserti. Cur enim relicta virtute vitia sectantur? inscitia ne bonorum? sed quid enervatius ignorantiæ cæcitate? An sectanda noverunt, sed transversos eos libido præcipitat? sic quoque intemperantia fragiles sunt qui obluctari vitio nequeunt. An scientes, volentesque, bonum deserunt, ad vitia deflectuntur? Sed hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt. Nam qui communem omnium quæ sunt, finem relinquunt, pariter quoque esse desistunt. Quod quidem cuipiam mirum forte videatur, ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus ; sed ita sese res habet. Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo : sed eosdem esse pure atque simpliciter nego. Nam uti cadaver hominem mortuum dixeris, simpliciter vero hominem appellare non possis : ita vitiosos, malos quidem esse concesserim, sed esse absolute nequeam confiteri. Est enim quod ordinem retinet, servatque naturam : quod vero ab hac deficit, esse etiam, quod in sua natura situm est, derelinquit. Sed possunt, inquies, mali ; nec ego quidem negaverim : sed hæc eorum potentia

[illegible]

« Tum ego, Pape, inquam etc. » Hic incipit secunda prosa hujus quarti libri. Circa quam est sciendum quod philosophia in primo libro sexta prosa, investigando causam et radicem infirmitatis Boetii cognovit quod Boetius ex ignorantia finis rerum, malos homines potentes, bonos vero impotentes putabat. Item quia ignorabat quibus gubernaculis mundus regatur, fortuitarum[1] vices aestimabat fluitare sine rectore. Quia vero philosophia jam ostendit quis sit finis rerum, a quibus gubernaculis mundus regatur, nunc philosophia vult adhibere Boetio perfectam curam, removendo dolores in quos Boetius incidit ex ignorantia praemissarum. Et primo philosophia hoc petit, et philosophia secundo illud prosequitur, ibi, « Primum igitur. » Dicit primo : Tum igitur, scilicet finito sermone philosophiae, ego Boetius, inquam, pape est interjectio admirantis. O philosophia tu magna promittis nec dubito quin possis efficere, idest ad effectum producere, tu modo ne moreris, idest non protrahas me quem excitaveris, scilicet ad audiendum. Notandum, quod sapiens nihil promittit quod adimplere non possit, quia opus sapientis est non mentiri. Ergo dicit Boetius philosophiae : sicut magna promittis non dubito quin efficere possis.

« Primum igitur, inquit, bonis semper etc. » Hic philosophia prosequitur intentum ; et primo probat bonos semper esse potentes et malos impotentes, cujus oppositum putabat Boetius. Et tangit primo modum per quem vult hoc ostendere. Secundo ostendit et probat intentum suum rationibus, ibi, « Duo sunt. » Primo dicit : O Boeti, primum licebit ut agnoscas bonis semper adesse potentiam et malos esse desertos, idest privatos cunctis viribus : quorum alterum, scilicet bonis semper adesse potentiam, demonstratur ex altero, scilicet ex hoc quod mali sunt viribus deserti. Et hujus causam subdit, dicens : Nam cum bonum et malum sint contraria ; si bonum esse potens constiterit, liquet, idest manifestum fuerit, imbecillitas, idest impotentia mali ; et si fragilitas clarescat mali, firmitas boni nota est. Sed ut (pro sicut) abundantior sit fides nostrae scientiae, alterutro calle, idest utraque via procedam confirmans proposita nunc hinc, scilicet ex infirmitate boni, nunc inde ex fragilitate mali. Notandum, quod philosophia dictum suum, quod si boni sunt potentes mali sunt impotentes, fundat super considerationem topicam, si propositum in proposito, et oppositum in opposito, ut si sanitas est bona, aegritudo est mala : dicit quod velit procedere utraque via : ex potentia bonorum probando impotentiam malorum, et ex impotentia malorum potentia bonorum : quia si tantum unum istorum probaret, et ex hoc reliquum concluderet per locum a contrariis, esset argumentum verisimile et non necessarium ; et ideo utramque partem vult probare et ex utroque reliquum concludere.

« Duo sunt quibus omnis etc. » Hic philosophia probat intentum rationibus. Secundo excludit quamdam dubitationem, ibi, « Sed possunt. » Tertio confirmat principale intentum auctoritate Platonis, ibi, « Ex quibus omnibus. » Primo pro-

1 [illegible]

bat bonos semper esse potentes et malos impotentes, duabus rationibus. Secundo ad idem ostendendum coacervat breves rationes, ibi, « Sed quoniam te. » Prima in duo secundum duas rationes. Secunda, ibi, « Rursus inquit. » Primo præmittit duo necessaria ad primam rationem. Secundo ex his arguit, ibi. « Omnes igitur homines. » Primo præmittit unum necessarium. Secundo aliud, ibi, « Meministi ne. » Primo dicit : duo sunt principia quibus constat, idest permanet omnis effectus humanorum actuum : scilicet voluntas et potestas : quorum si alterum desit, nihil est quod queat effectus explicari, idest fieri : quod declarat : deficiente enim voluntate, nullus effectus producitur, quia nullus aggreditur quod non vult : et si potestas absit, voluntas frustra sit. Quo fit, idest ex quo sequitur, ut si videas aliquem velle adipisci quod minime adipiscatur, non possis dubitare huic defuisse valentiam, idest potentiam obtinendi quod voluerit. Et ideo dicit Boetius : perspicuum est nec ullo modo negari potest. Et subdit philosophia : Quem vero videas effecisse quod voluerit, num dubitabis eum potuisse, scilicet non habuisse potentiam? Et dicit Boetius ; minime. Tunc philosophia concludit tamquam manifestum ex dictis, dicens. Illud quod quisque potest, in eo est validus, idest potens : quod vero non potest, in eo est censendus, idest judicandus imbecillis, idest impotens. Et dicit Boetius : Fateor inquam. Notandum, quod philosophia dicit : nullus aggreditur quod non vult. Contra : aliquis nolens interficit hominem vel lædit hominem : ergo aliquis aggreditur quod non vult. Item aliquis cogitur facere aliquid contra voluntatem suam, et sic aggreditur quod non vult. Dicendum quod philosophia loquitur hic de effectu spontaneo, qui ex intentione procedit, non de eo qui casu contingit. Unde dicendum ad primum, quod voluntas potest comparari vel ad ipsam actionem quam aliquis primo aggreditur, et sic non deficit voluntas ; vel potest comparari ad consequens illam actionem, et sic potest deficere voluntas : ut si aliquis nolens hominem interfecit. Ad secundum dicendum. Illud quod quis coactus facit est voluntarium mixtum : tamen simpliciter est involuntarium. Aliquis enim coactus magis vult hoc facere quam sustinere pœnam vel perdere vitam ; et ita respectu talis effectus non deest voluntas : sed quantum ad actum interiorem voluntas semper libera est, et cogi non potest.

« Meministi ne igitur, inquit etc. » Hic philosophia præmittit secundum utile ad rationem, et est resumptio quorumdam prius dictorum, dicens : Meministi ne esse collectum, idest conclusum superioribus rationibus, omnem intentionem humanæ voluntatis festinare, idest tendere ad beatitudinem, quæ voluntas agitur, idest ducitur diversis studiis. Respondet Boetius : Memini inquam, illud esse demonstratum. Item quærit philosophia : numquid recordaris beatitudinem esse ipsum bonum, et eo modo desiderari bonum ab omnibus, cum beatitudo petitur, idest desideretur. Respondet Boetius : minime recordor, quoniam (pro quia) illud fixum teneo memoriæ. Notandum, quod recordari est aliquid reducere ad memoriam quod per oblivionem est lapsum a memoria : et quia beatitudinem esse ipsum summum bonum non exciderat a mente Boetii, sed semper remanebat in habitu : ideo dicit se non recordari de hoc, sed in memoria tamquam fixum tenere.

« Omnes igitur homines etc. » Hic philosophia arguit ex dictis, probans bonos esse potentes et malos impotentes, tali ratione : quicumque adipiscuntur quod volunt sunt potentes, et qui non adipiscuntur quod volunt sunt impotentes, ex prima et præambulo : sed boni adipiscuntur quod volunt, scilicet summum bonum ; mali licet velint non adipiscuntur ipsum, quia si mali adipiscerentur summum bonum non essent mali ; ergo boni sunt potentes, mali impotentes. Unde dicit in *littera* : Omnes homines boni et mali nituntur pervenire ad bonum indiscreta intentione, idest indivisa intentione. Dicit Boetius : Ita consequens est ad dicta. Subdit philosophia : certum est bonos fieri adeptione boni. Certum est, dicit Boetius. Igitur concludit philosophia : boni adipiscuntur quod appetunt,

idest valent. Dicit Boetius : sic videtur. Subdit philosophia : si mali adipiscerentur bonum quod appetunt, non possent esse mali. Ita est, dicit Boetius. Igitur concludit philosophia : Cum utrique petant bonum, sed hi, scilicet boni illud adipiscuntur, illi vero mali minime; non est dubium bonos esse potentes ; qui vero mali sunt imbecilles, idest impotentes. Respondet Boetius : Quisquis, idest quicumque dubitat de hoc, non potest considerare naturam rerum, nec consequentiam rationum. Notandum, quod quia veritas propositionum fundatur super naturam rerum, qui negat veritatem propositionum non potest considerare naturam rerum. Similiter negans veritatem propositionum non potest considerare consequentiam rationum, quia consequentia rationum supra veritatem propositionum fundatur. Ideo dicit Boetius : Qui dubitat de præmissis, non potest considerare naturam rerum nec consequentiam rationum.

« Rursus, inquit etc. » Hic philosophia ponit secundam rationem, dicens : Si sint duo quibus sit idem propositum, idest eadem intentio faciendi aliquid secundum naturam, et unus eorum agat id ipsum et perficiat ipsum naturali officio, idest naturali organo, alter vero minime queat administrare, idest adimplere illud officium, sed alio modo quam naturæ convenit, non impleat propositum, sed imitetur implentem : quem horum duorum decernis, idest judicas esse valentiorem, idest potentiorem ? dicit Boetius : Etsi (pro quamvis) conjecto, idest considerem quid velis, tamen ego desidero planius audire. Tunc philosophia declarat alio in exemplum, dicens : Num negabis motum ambulandi hominibus inesse secundum naturam ? dicit Boetius, minime nego. Et philosophia, etiam num dubitas ejus rei, idest actus ambulandi esse officium naturale pedum? dicit Boetius : nec hoc dubito. Et philosophia : Siquis igitur ambulet valens incedere pedibus ; alius autem cui hoc officium desit, manibus nitens, idest laborans, ambulare conetur ; quis horum potest existimari valentior ? dicit Boetius : Contexe cetera ; quasi dicat : procede in ratione tua, quia nullus ambigit quin potens naturalis officii sit valentior eo qui nequeat, idest non potest in idem officium. Tunc philosophia, isti propositioni præmissæ tamquam majori adjungit unam minorem, dicens : Sed summum bonum quod æque bonis et malis est propositum, boni quidem petunt, idest adipiscuntur, officio naturali, scilicet virtute ; mali vero conantur adipisci idipsum per variam cupiditatem rerum temporalium, quod non est officium naturale adipiscendi boni. An tu, o Boetti, æstimas aliter ? Cui Boetius : Minime inquam. Et Boetius quasi præcurrendo concludit principale intentum, dicens : Nam etiam illud quod est consequens patet mihi. Ex his enim quæ concesserim necesse est bonos esse potentes, malos vero imbecilles. Et philosophia applaudens Boetio dicit : Recte inquit præcurris ; et illud est signum sicut medici solent sperare, indicium, idest signum erectæ naturæ et naturæ resistentis, supple, ipsi morbo. Notandum, quod ex littera formatur talis ratio. Quando duo intendunt aliquod propositum naturaliter, quod id propositum consequitur officio naturali, est potens ; et quod non consequitur illud propositum naturali officio, est impotens. Sed tam boni quam mali tendunt naturaliter ad beatitudinem, et boni ipsam consequuntur naturali officio, scilicet virtute, mali autem non ; ergo boni sunt potentes, mali vero impotentes. Nota, circa ultimum, quod medici solent accipere signa prognostica sanitatis ex ægro, quando patiens erigit se et per se nititur fortiori remedio. Sic in Boetio signum erat convalescentiæ et sanitatis, quod ipse rationem philosophiæ remediantem quasi præcurrens per se complevit.

« Sed quoniam te etc. » Hic philosophia coacervat quasdam alias rationes breves ad propositum ostendendum ; et sunt quatuor rationes. Secunda, ibi, « Considera vero. » Tertia, ibi, « In qua re. » Quarta, ibi, « Cur enim. » Primo dicit : Sed quoniam te conspicio promptissimum ad intelligendum, ego coacervabo, idest componam crebras rationes. Vide enim quanta pateat infirmitas vitiosorum hominum : qui nec ad hoc queunt

pervenire, ad quod ducit et compellit eos naturalis intentio. Et quid esset de istis malis censendum, si desererentur hoc auxilio naturæ præeuntis tam magno ac pœne invicto? quasi dicat : nihil aliud censendum est, nisi quod impotentiæ eorum hoc ascriberetur. Notandum, quod tam boni quam mali universaliter tendunt ad bonum, et mali deficiunt ab eo quod competit eis secundum naturam. Ex hoc arguitur sic. Maxima impotentia est deficere ab eo quod natura intendit : sed hoc faciunt mali, ergo mali sunt impotentes. Notandum, quod dicit, pœne invicto, quod appetitus naturalis boni non habet contrarium repugnans quo vincatur, sed tantum per ignorantiam et errorem vitiorum pervertitur, et ita aliquo modo vincitur, licet non directe.

« Considera vero quanta etc. » Hic philosophia ponit secundam rationem ; et dicit : Considera ex his quæ dicam, quanta impotentia habeat sceleratos homines : neque enim petunt, idest appetunt præmia levia et ludicra, idest jocosa ; sed ipsi deficiunt circa ipsam summam, supple, perfectionem rerum atque verticem. Nec contingit ipsis miseris effectus boni in eo, idest propter hoc quod ipsi moliuntur, idest laborant acquirere dies et noctes, idest transitoria et temporalia bona. Nota : ex littera formatur talis ratio : quanto magis est illud a quo aliquis deficit, tanto major est suus defectus et in majorem impotentiam cadit : sed illud a quo mali deficiunt, non est quid vile et modicum, sed est summum bonum ; ergo malorum maxima est impotentia.

« In qua re bonorum etc. » Hic philosophia ponit tertiam rationem, probando bonos maxime esse potentes pertractando exemplum suprapositum : et ex hoc concludit malos maxime esse impotentes. Et dicit : In qua re, scilicet assuetudine boni desiderati eminent vires bonorum, supple, et vires malorum non. Sicut enim censeres, idest judicares, esse ambulandi potentissimum qui pedibus incedens potuisset pervenire usque ad eum locum, quo ulterius nihil pervium, idest manifestum jaceret incessui ; ita necesse est quod eum judices potentissimum, qui apprehendit finem expetendorum, quo nihil est ultra : tales autem sunt boni. Ex quo fit, idest sequitur, quod huic objacet, idest contrarium est, ut iidem scelesti, idest mali videantur deserti omnibus viribus. Notandum, quod sicut viator aliquis dicitur potens cum ambulat ad eum locum ubi nihil amplius restat de via, sic boni quando perveniunt ad finem et ad bonum quod transcendi non potest, ideo dicuntur potentes ; mali autem quia ipsum attingere non possunt, dicuntur impotentes.

« Cur enim relicta etc. » Hic philosophia ponit quartam rationem. Secundo excludit quamdam dubitationem, ibi, « Quod quidem. » Ratio quam intendit in summa est ista. Mali quando relicta virtute declinant ad vitia, aut sciunt bonum esse adhærere virtuti, aut nesciunt. Si nesciunt, peccant per ignorantiam : nihil autem est impotentius ignorantia ; ergo mali peccantes ignorantia sunt impotentes. Si autem sciunt bonum esse adhærere virtuti et declinant ad vitia ; aut volentes derelinquunt bonum, aut non. Si non volentes sed attracti libidine passionum convertuntur ad vitia, sequitur quod sunt impotentes, quia maxima impotentia est non posse resistere passionibus. Si autem scientes et volentes relinquunt bonum, sequitur quod non tantum fiunt impotentes, sed etiam quod omnino non sunt. Cum enim omnis natura, inquantum hujusmodi, habeat ordinem ad finem ; inquantum aliquid desistit ab ordine ad finem, intantum deficit a natura, et per consequens ab esse ipsius naturæ. Istam rationem prætendit in *littera*, dicens : Cur enim relicta virtute mali sectantur vitia? ne (pro numquid) hoc est ex inscitia, idest ex ignorantia bonorum? Sed quid est enervatius, idest debilius cæcitate ignorantiæ? quasi diceret : nihil. An ipsi noverunt sectanda bona, sed ipsos transversos libido, idest concupiscentia præcipitat in vitia? et sic ipsi fragiles intemperantia, idest propter intemperantiam libidinis, nequeunt vitio obluctari, idest resistere. An scientes et volentes deserunt bonum et deflectuntur ad vitia voluntate et scien-

tia ? sed hoc modo non solum potentes esse desinunt, sed simpliciter desinunt esse. Hujus assignat rationem : nam qui relinquunt communem finem omnium quæ sunt, scilicet Deum qui est ipsum esse, pariter esse desistunt. Notandum, quod primum ens veraciter habet esse; ipsum enim est causa esse omnibus ut sint, ut patet per Commentatorem in secundo Metaphysicorum, et primo Cœli et mundi. Ab hoc recte depravatum est singulis esse et vivere. Quanto ergo magis per vitia recedit a primo esse, tanto magis desinit. Unde beatus Gregorius in libro Moralium loquens de diabolo, dicit, quod « diabolus bene dicitur non esse, quia a summa essentia recessit, et per hoc quotidie excrescente defectu tendit ad non esse, quoniam ab eo qui est verum esse cecidit. » Notandum, quod philosophia tres assignat causas ex quibus omne peccatum procedit. Omnis enim peccans vel peccat ex ignorantia, et hunc modum primo tangit ; vel peccat ex impotentia resistendi, et istum secundo tangit : vel ex voluntate et malitia, et illum modum, quia gravior est, ultimo ponit.

« Quod quidem cuipiam etc. » Hic philosophia excludit dubitationem. Aliquis enim dubitaret quomodo aliquis posset esse malus et tamen dici non esse. Hoc excludit philosophia, dicens : Mirum forte videatur cuipiam, idest alicui, ut malos qui plures sunt hominum, dicamus ipsos non esse. Sed ita res sese habet quamvis mirum videatur. Nam qui sunt mali, eos esse malos non abnuo, idest nego, sed ipsos simpliciter et pure esse nego. Nam sicut cadaver hominem mortuum dixeris, simpliciter autem hominem appellare non possis, ita vitiosos malos esse concesserim, sed nequeam confiteri ipsos absolute esse sine determinatione distrahente. Et replicat causam prius dictam, dicens : solum enim illud est quod ordinem recte servat in natura : quod autem ab hac natura et ab ordine deficit, etiam quod in sui natura situm est derelinquit. Notandum, quod malum est determinatio distrahens, sicut et mortuum. Unde sicut concedendum est cadaver hominis esse hominem mortuum, tamen non simpliciter concedendum est cadaver esse hominem, sic quemcumque malum concedendum est esse malum, non tamen simpliciter est concedendum ipsum esse. Unde, sicut patebit tertia prosa, homines conversi in malitiam humanam amiserunt naturam ; ergo per malitiam homines desinunt esse quod fuerant.

« Sed possunt, inquies, mali etc. » Hic philosophia excludit dubitationem contingentem circa principale propositum. Ostensum enim est, quod mali sunt impotentes. Aliquis dubitaret quomodo verum sit, cum tamen consuetum sit dicere, quod mali possunt. Hoc solvit philosophia. Secundo ostendit, quod potentia malorum nulla sit, ibi, « Nam si uti. » Dicit primo : O Boeti, tu inquies objiciendo contra prædicta, quod mali possunt, secundum consuetum modum loquendi. Respondet philosophia : ego non quidem negaverim quin mali possint, sed hæc potentia ipsorum non descendit a viribus, sed ab imbecillitate, idest a fragilitate ; quod declarat : quia mali possunt quidem mala quæ minime valerent, idest possent, si potuissent manere in efficientia eorum bonorum, idest si efficientia malorum esset talis qualis illa quam habent boni, quæ potissima est, ut patet ex dictis. Quæ possibilitas malorum qui possunt mala, demonstrat eos evidentius nihil posse. Notandum, quod dicit malos minime posse mala si permaneant in efficacia bonorum : ex quo videtur quod boni non possunt facere malum, nec per consequens peccare ; quod falsum est cum *justus septies in die cadat, et fortior resurgit* secundum Scripturam. Ad hoc dicendum, quod boni non possunt facere malum ex electione rectæ rationis quæ semper deprecatur ad optima, licet de potentia absoluta possunt facere malum ; inquantum tamen potentia eorum conjungitur voluntati et electioni qua eligunt bonum et non malum, sic dicuntur non posse facere malum.

« Nam si, uti paullo ante etc. » Hic probat quod potentia malorum nulla sit, tripliciter. Secunda, ibi, « Atque ut intelligas. » Tertia, ibi, « Huc accedit. » Primo dicit : Sicut collegimus ante, ma-

lum nihil est et mali tantum possint mala, ex hoc liquet improbos nihil posse. Et dicit Boetius : perspicuum est. Notandum, quod ratio sic formatur : posse malum est posse nihil, cum malum nihil sit : sed mali tantum possunt mala ; ergo possunt nihil, et per consequens nulla est eorum potentia. Notandum, de hoc quod malum nihil sit, visum est prius. Et dicit beatus Augustinus : « Cum universæ naturæ per verbum Dei factæ sint, iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas nulla substantia est, et peccatum non est natura, sed vitium naturæ appetentis illud quod non est sui ordinis. »

« Atque ut intelligas etc. » Hic probat idem alio modo, dicens : O Boetii, quænam sit vis hujus potentiæ qua mali dicuntur posset sic considera ex dicendis : Nos paulo ante definivimus nihil esse potentius summo bono, scilicet Deo. Ita est, dicit Boetius. Et philosophia : Sed idem, scilicet summum bonum, nequit, idest non potest facere malum. Minime, dicit Boetius. Et philosophia : Est igitur aliquis qui putet homines omnia posse. Nemo, dicit Boetius, nisi quis insaniat. Et iidem homines possunt mala facere. Utinam non possent, dicit Boetius. Igitur philosophia arguit. Cum igitur tantummodo potens bonorum possit omnia, non autem queant idest possunt omnia potentes malorum ; manifestum est eosdem minus posse qui mala possunt. Notandum, quod posse malum magis arguit impotentiam quam potentiam : quia si argueret potentiam, tunc deberetur omnipotentissimo, scilicet Deo : quod falsum est. Unde potest argui ex littera, sic : Deus potest omnia et non potest malum : mali non possunt omnia et possunt malum ; ergo posse malum magis arguit impotentiam quam potentiam.

« Huc accedit etc. » Hic probat idem tertio modo, dicens. Huc accedit quod omnem potentiam esse numerandam inter expetenda quo (pro et) omnia expetenda, idest desideranda referri ad bonum velut ad quoddam cacumen, idest ad perfectionem suæ naturæ. Sed possibilitas idest potentia patrandi sceleris, idest faciendi malum non potest referri ad bonum : igitur expetenda non est : omnis autem potentia expetenda est : liquet igitur possibilitatem, idest valentiam sive potentiam malorum non esse potentiam. Notandum, quod ratio sic potest formari ex littera : Omnis potentia quæ est potentia natura est appetenda et refertur ad bonum ; ergo potentia mali non est potentia.

« Ex quibus omnibus bonorum etc. » Hic ex dictis concludit conclusionem principalem, confirmando eam auctoritate Platonis, dicens : Ex quibus jam declaratis apparet minime dubitabilis potentia bonorum et infirmitas malorum ; et liquet veram esse illam sententiam Platonis, Solos sapientes posse facere quod desiderant improbos, vero explere posse quod libeat, idest quod libidini placeat : quod vero desiderent rationali appetitu malos explere non posse : faciunt enim, supple, mali, quæ scilicet libido libet, idest expetit, dum putant se adepturos bonum quod desiderant per ea quibus delectantur : sed minime adipiscuntur, quoniam probra, idest vitia vel homines vitiosi non veniunt ad beatitudinem. Notandum, quod desiderium est appetitus rationalis, libitum autem spectat ad appetitum sensualem ; licet ergo mali affectent beatitudinem appetitu rationali, tamen quia faciunt quod libet sequentes appetitum sensitivum, ideo ad beatitudinem non perveniunt. Sapientes autem qui contemnunt delectationes sensuales et innituntur intellectualibus, ipsi sunt qui perficiunt animam suam scientia sui creatoris qui de nihilo fecit ens, ut scribitur in libro *de Pomo :* « Anima non tristabitur neque conturbabitur cum recedit a corpore, » ut scribitur in eodem.

METRUM II.

Quos vides sedere celsos
Solii culmine reges,
Purpura claros nitente,
Septos tristibus armis,
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos ;
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus arctas
Dominos ferre catenas.

Hinc enim libido versat
Avidis corda venenis;
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens;
Mœror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.
Ergo, cum caput tot unum
Cernas ferre tyrannos,
Non facit quod optat, ipse
Dominis pressus iniquis.

« Quos vides sedere celso etc. » Istud est metrum secundum hujus quarti libri; et est metrum mixtum. Primum dicitur alcmanicum ab inventore, trochaicum a pede prædominante. Secundum dicitur pherecratium ab inventore, spondaicum a pede prædominante. In quo metro philosophia ostendit quomodo potentia malorum sit consideranda in quibus maxime videtur esse sicut sunt reges et principes; et dicit incipiendo constructionem in septimo versu. Si quis detrahat, idest removeat per considerationem et intellectum, tegmina, idest tegimina vani cultus exterioris superbis regibus, quos reges vides sedere celso culmine, idest altitudine solii, idem cathedræ, quos videas claros purpura nitente, septos, idest circumdatos armis tristibus, idest contristantibus; reges inquam comminantes, idest minas imponentes miseris torvo ore, idest crudeli aspectu, anhelos, idest cupidos vel festinos rabie cordis, idest crudelitate mortis. Jam videbit dominos tales ferre intus in animo, artas catenas, idest vincula vitiorum. Quod manifestat subdens: hinc enim idest ex una parte libido, idest concupiscentia, versat, idest præcipitat corda talium tyrannorum avidis venenis. Hinc, idest ex alia parte, ira turbida flagellat, idest punit mentem ipsorum; ira inquam tollens, idest excitans, fluctus, idest disturbia, aut captos infortunio aliquo mœror ipsos fatigat, aut spes lubrica, idest vana torquet. Cum ergo cernas unum caput, idest unum principem ferre, idest sustinere, tot tyrannos, idest passiones tyrannizantes, ipse pressus iniquis dominis, idest vitiis dominantibus, non facit quod optat. Nota, quod intentio philosophiæ est dicere: si quis visu posset penetrare corda principum quos videt sedere in altis soliis ornatos claris indumentis, habentes arma terrentia, idest torvo vultu, respicientes miseros, statim visu cognosceret ipsos ligatos multis catenis insolubilibus, scilicet passionibus iræ, spei, timoris; et sic ligati passionibus non faciunt quod optant, et per consequens sunt impotentes. Notandum, quod dicit, homo pressus iniquis dominus, idest vitiis dominantibus non facit quod optat. Dicit Beatus Augustinus in libro *de Civitate Dei*: « Bonus etiam si serviat, liber est; malus autem si regnat servus est, nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum servus est quot vitiorum. »

PROSA III.

Videsne igitur, quanto in cœno probra volvantur, qua probitas luce resplendeat? In quo perspicuum est, nunquam bonis præmia, nunquam sua sceleribus deesse supplicia. Rerum etenim quæ geruntur, illud propter quod unaquæque res geritur, ejusdem rei præmium esse non injuria videri potest: uti currendi in stadio, propter quam curritur, jacet præmium corona. Sed beatitudinem esse idem ipsum bonum propter quod omnia geruntur, ostendimus. Est igitur humanis actibus ipsum bonum veluti præmium commune propositum. Atqui hoc a bonis non potest separari. Neque enim bonus ultra jure vocabitur qui careat bono: quare probos mores sua præmia non relinquunt. Quantumlibet igitur sæviant mali, sapienti tamen corona non decidet, non arescet. Neque enim probis animis proprium decus aliena decerpit improbitas. Quod si extrinsecus accepto lætaretur, poterat hoc vel alius quispiam, vel ille etiam qui contulisset auferre. Sed quoniam id sua cuique probitas confert, tum suo præmio carebit, cum probus esse desierit. Postremo cum omne præmium ideirco appetatur quoniam bonum esse creditur, quis boni compotem præmii judicet expertem? At cujus præmii? omnium pulcherrimi maximique. Memento enim illius corollarii quod paulo ante præcipuum dedi, ac sic collige: Cum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quod boni sint, fieri beatos liquet. Sed qui beati sunt, deos esse convenit. Est igitur præmium bonorum, quod nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius fuscet improbitas, deos fieri. Quæ cum ita sint, de malorum quoque inseparabili pœna dubitare sapiens nequeat. Nam cum bonum malumque, item pœna atque præmium adverso fronte dissideant, quæ in boni præmio videmus accedere, eadem necesse est in mali pœna contraria parte respondeant. Sicut igitur probis probitas ipsa fit præmium, ita improbis nequitia ipsa supplicium est. Jam vero quisquis afficitur pœna, malo se affectum esse non dubitat. Si igitur sese ipsi æstimare velint, possuntne sibi supplicii expertes videri quos omnium malorum extrema nequitia non affecit modo, verum etiam vehementer infecit? Vide autem ex adversa parte bonorum, quæ improbos pœna comitetur. Omne namque quod sit, unum esse, ipsumque unum bonum esse, ipsumque unum bonum esse

paullo ante dedicisti : cui consequens est ut omne quod sit, id etiam bouum esse videatur. Hoc igitur modo, quidquid a bono deficit, esse desistit : quo fit ut mali desinant esse quod fueraut. Sed fuisse homines adhuc ipsa humani corporis species ostendat. Quare versi in malitiam, humanam quoque amisere naturam. Sed cum ultra homines quemque provehere sola probitas possit, necesse est, ut quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur, ut quem transformatum vitiis videas, hominem existimare non possis. Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? similem lupi dixeris. Ferox, atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? cani comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? leonis animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? cervis similis habeatur. Segnis, ac stupidus torpet? asinum vivit. Levis, ac inconstans studia permutat? nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, cum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.

« Vides ne igitur etc. » Ista est prosa tertia hujus quarti libri; in qua ostendit philosophia, malis nunquam deesse supplicia, et bonis nunquam deesse præmia. Et primo philosophia continuando se ad præcedentia, Primo præmittit intentum suum. Secundo prosequitur intentum, ibi, « Rerum etenim. » Primo dicit sic : Vides ne igitur, o Boeti, in quanto cœno, idest in quanta vilitate impotentiæ volvantur probra, idest homines probrosi et vitiosi : vides etiam qua luce, idest qua claritate potentiæ resplendeat probitas virtuosorum hominum. In quo, sicut in suo antecedente, perspicuum est hoc consequens : scilicet nunquam bonis, præmia, nunquam sceleribus, idest hominibus sceleratis deesse sua supplicia. Notandum, quod mali dicuntur volvi in cœno quia mali, et maxime libidinosi, suibus assimilantur, sicut postea patebit, quæ volvuntur in cœno : secundum illud, Sus magis in cœno gaudet quam in fonte sereno. De quibus dicit Scriptura : *perierunt jumenta in stercore suo :* probi autem luce resplendent : quia virtus est probitas, quæ ultra humanam naturam hominem provehit et diis assimilat.

« Rerum etenim quæ geruntur etc. » Hic philosophia prosequitur intentum : et primo probat quod bonis nunquam desunt præmia. Secundo quod malis nunquam desunt supplicia, ibi, « Quæ cum ita sint. » Primo ostendit quod bonis nunquam desunt præmia. Secundo ostendit quid sit illud præmium, ibi, « Ad cujus præmii. » Primum probat duabus rationibus. Secundam ponit, ibi, « Postremo. » Prima ratio talis est : Omnis res propter quam aliud geritur, est præmium illius rei quæ geritur : sed propter bonum omnia fiunt et geruntur; ergo bonum et præmium omnium quæ geruntur : sed bonum a bonis separari non potest, quia jam non essent boni; ergo bonis nunquam desunt sua præmia. Unde dicit in littera. Rerum quæ geruntur, idest fiunt, illud propter quod unaquæque res geritur, idest fit, illud videri non potest injuria esse præmium illius. Hoc declaratur exemplariter. Uti currenti in stadio, idest in aliquo spatio, corona est præmium propter quam curritur. Sed ostendimus prius beatitudinem esse idipsum bonum, propter quod omnia geruntur : ergo ipsum bonum est veluti commune præmium actibus humanis propositum. Sed hoc bonum non potest separari a bonis : non enim bonus jure vocabitur qui careat bono. Quare probos mores, idest homines bene morigeratos, non relinquunt sua præmia. Quantumcumque ergo sæviant mali contra bonos, tamen sapienti non decidet corona, idest præmium, nec arescet, idest minuetur, quia aliena improbitas non decerpit, idest non aufert proprium decus probis animis. Quod si boni accepto præmio extrinsecus lætarentur, poterat hoc aliquis auferre ab eis, vel saltem ille qui contulisset : sed quia illud præmium sua probitas unicuique confert, tunc quilibet carebit suo præmio cum desierit esse probus. Notandum, quod consuetudo fuerat apud romanos currere in stadio, idest in aliquo spatio, quod vocabant stadium, et qui citius venit ad metam sustulit præmium, scilicet coronam vel aliquid aliud, sicut dicit Apostolus : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite ut apprehendatis.* Ergo id propter quod curritur est præmium currentium. Notandum, quod bono non potest carere præ-

mium, quia illud a quo homo denominatur bonus est virtus vel operatio virtutum; quia secundum Aristotelem, secundo Ethicorum : « Omnis virtus est aliquis habitus ex quo homo fit bonus ; propter quod dignitas virtutis est præmium virtuose operantium. » Sed operans virtuose non potest privari virtute, ergo bonus non potest carere suo præmio. Notandum : quantumcumque mali sæviant, tamen sapienti non decidet corona; quia secundum Senecam, nunquam tantum vitium contrahet nec malitia invalescet contra virtutes quin nomen philosophiæ sacrum et venerabile permaneat : sic similiter est de malis et stultis respectu bonorum et sapientum.

« Postremo cum omne præmium etc. » Hic ponit secundam rationem, quæ est talis : Præmium non habet rationem præmii nisi inquantum bonum : qui igitur est compos boni est compos præmii. Dicit ergo in littera : Postremo, cum omne præmium idcirco appetatur quia creditur esse bonum, quis judicet compotem boni expertem esse præmii? quasi dicat : nullus. Notandum, quod argumentum philosophiæ simile est isti : ac si arguatur : homo non habet rationem hominis nisi quia rationalis : quicumque igitur est rationalis, est homo. Sic similiter præmium non appetitur nisi quia bonum : qui ergo est compos boni, est compos præmii : sed bonus est compos boni, ergo non deest sibi præmium.

« At cujus præmii etc. » Hic ostendit quid sit illud præmium quod boni assequuntur, scilicet maximum et optimum, quod est fieri Deos. Unde dicit : At cujus præmii, scilicet boni non sunt expertes, idest carentes? Respondet philosophia : omnino pulcherrimi et maximi præmii. Quod probat et quodam corollario supra declarato dicens : Memento corollarii illius quod præcipuum ante dedi, et sic collige, idest ex illo corollario conclude. Cum ipsum bonum sit beatitudo : liquet omnes bonos, eo quod boni sunt, fieri beatos ; sed qui beati sunt eos convenit esse Deos : igitur præmium bonorum est fieri Deos, quod præmium bonorum nullus dies deterat, idest consumat, nullius potestas minuat, nullius improbitas fuscet, idest obscuret. Notandum, quod in ista deductione philosophia non accipit beatitudinem pro statu quem boni habituri sunt post hanc vitam, sed pro statu beatitudinis, qualis in hac vita haberi potest, quem homo consequitur per virtutes. Unde qui essentialiter est bonus, essentialiter bonus sed participative, hic etiam est participatione beatus et Deus.

« Quæ cum ita sint etc. » Hic ostendit philosophia quod malis nunquam desint sua supplicia. Secundo ostendit quale sit illud supplicium, ibi, rationes. Secunda, ibi, « Jam vero. » Primo dicit : Quæ cum ita sint, scilicet quod boni nunquam careant præmiis, sequitur quod nullus sapiens possit dubitare de inseparabili pœna malorum. Nam cum bonum et malum, pœna et præmium adversa fronte dissideant, idest opponantur ad invicem, ea quæ in boni præmio videmus accidere, eadem necesse est quod respondeant contraria parte in pœna mali. Sicut igitur probis, idest bonis, ipsa probitas sit præmium, ita nequitia ipsa improbis supplicium. Nota : quandocumque subjectis contrariis insunt contrariæ passiones, si uni subjectorum ostenditur inesse sua passio, tunc per locum a contrariis reliquo subjecto assignatur inesse similiter sua passio. Cum igitur bonum et malum sint diversa subjecta : præmium et supplicium sicut diversæ passiones : si ostenditur bonis non deesse præmia, ostensum est malis non deesse suplicia.

« Jam vero quisquis etc. » Hic ponit secundam rationem quæ talis est : Pœna non habet rationem pœnæ nisi ex hoc quod malum est quoddam : ergo qui est affectus malo ipse est affectus pœna ; sed mali sunt affecti immo infecti malo : ergo sunt affecti pœna et per consequens supplicio. Unde dicit in littera : Jam vero quisquis afficitur pœna, malo non dubitat se esse affectum, cum, supple, pœna non habeat rationem pœnæ nisi quia mala. Igitur si ipsi mali seipsos existimare velint, possunt ne sibi videri expertes supplicii? quos malos omnium malorum extrema nequitia, idest maxima in genere mali, non modo, idest

tantummodo afficit, verum (pro sed) vehementer inficit : quasi dicat : non. Notandum, quod sicut argumentum tenet sub hac forma, homo non est homo nisi quia est rationalis, ergo qui est rationalis est homo, sic arguitur in proposito, pœna non habet rationem pœnæ nisi quia malum est quoddam : ergo qui est affectus malo, est affectus pœna : sed mali sunt affecti malo; ergo malum non deest malis, et per consequens supplicium.

« Vide autem etc. » Hic philosophia ostendit quale sit præmium malorum; scilicet transformatio in bestialitem. Secundo ostendit quomodo per diversa vitia homines transformantur in diversas bestias, ibi, « Avaritia. » Primo dicit : Vide o Boeti quæ pœna comitetur improbos ex adversa parte bonorum, idest per contrarium ad bonos : didicisti enim paulo ante, scilicet in tertio libro, omne quod est esse unum, didicisti unum esse bonum : cui consequens est ut omne quod sit videatur esse bonum. Igitur quidquid deficit a bono desistit esse : quo fit ut mali desinant esse quod fuerant : sed ipsa reliqua species humani corporis adhuc manens in eis ostentat malos fuisse homines. Quare versi in malitiam amisere humanam naturam : sed cum sola probitas possit quemquam hominem provehere ultra homines, scilicet in naturam divinam, necesse est ut quos improbitas ab humana conditione dejecit, ipsa detrudat hominem infra meritum, idest dignitatem hominis in naturam bestialitatis : igitur evenit ut non possis æstimare hominem, sed bestiam, quem videas vitiis transformatum. Notandum, quod cum gradus entium distinguantur secundum nobilitatem et ignobilitatem, quia non est accipere duas species æque perfectas, sed una est dignior alia, ideo oportet quod omne ens quod non est homo sit supra hominem vel infra hominem. Mali autem, ut probatum est, per malitiam desinunt esse homines : ergo necesse est malos esse supra homines vel infra. Cum autem sola probitas vehat hominem supra humanam naturam, scilicet ad naturam deorum, sequitur quod malitia dejiciat malos infra naturam humanam, scilicet ad naturam bestialitatis.

« Avaritia fervet alienarum opum etc. » Hic philosophia ostendit qualiter homines per diversa vitia transformantur in diversas bestias, dicens : Aliquis homo fervet avaritia, scilicet violentus ereptor, idest ablator vel raptor alienarum opum : talem dixeris similem lupi. Sed homo ferox et inquietus qui exercet linguam litigiis, talis comparabilis est cani. Homo occultus insidiatur qui gaudet subripuisse aliena fraudibus, talis exæquetur, idest comparetur vulpeculis : sed homo intemperans, idest intemperatus, scilicet iræ, fremit, talis credatur gestare animam leonis : sed homo pavidus et fugax qui formidat habeatur similis cervis, homo autem segnis et stupidus ille torpet, idest tardus est, et talis vivit asinum, idest asinine. Homo autem levis et inconstans qui permutat studia sua, idest opera, nihil differt ab avibus : sed homo quando immergitur fœdis et immundis libidinibus, ille detinetur voluptate sordidæ suis, idest comparatur suibus : et sic de ceteris vitiis, contingit loqui : unde concludit philosophia, dicens : Ita fit ut qui deserta probitate desierit esse homo, cum non possit transire in conditionem divinam vertatur in belluam, idest in bestiam. Notandum, quod in nobis est duplex virtus cognoscitiva; scilicet intellectus et sensus. Intellectus est quid divinum in nobis, per quem ad superiora ascendimus et Deo similes sumus. Sensus autem inquantum non obedit rationi, est quid brutale in nobis, per quem infra naturam humanam redigimur, et bestiis similes efficimur. Ideo dicit Boetius in tractatu de *Summo bono* : « Væ vobis hominibus qui de numero bestiarum estis computati, divinum quod in vobis est non cognoscentes, per quod ad superiora ascenditis et Deo similes estis. Divinum autem in homine vocat intellectum. »

METRUM III.

Vela Neritii ducis,
Et vagas pelago rates
Eurus appulit insulæ,
Pulchra qua residens dea

Solis edita semine,
Miscet hospitibus novis
Tacta carmine pocula;
Quos ut in varios modos
Vertit herbipotens manus,
Hunc apri facies tegit;
Ille Marmaricus leo
Dente crescit et unguibus;
Hic lupis nuper additus,
Flere dum parat, ululat;
Ille, tigris ut Indica,
Tecta mitis obambulat.
Sed licet variis malis
Numen Arcadis alitis
Obsitum miserans ducem
Peste solverit hospitis;
Jam tamen mala remiges
Ore pocula traxerant;
Jam sues Cerealia
Glande pabula verterant;
Et nihil manet integrum
Voce, corpore, perditis;
Sola mens stabilis, super
Monstra quæ patitur, gemit.
O levem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra quæ valeant licet,
Corda vertere non valent!
Intus est hominum vigor
Arce conditus abdita.
Hæc venena potentius
Detrahunt hominem sibi,
Dira, quæ penitus meant,
Nec nocentia corpori
Mentis vulnere sæviunt.

« Vela Neritii ducis etc. » Istud est metrum tertium hujus quarti libri; quod dicitur glyconicum ab inventore, choriambicum a pede prædominante: in quo philosophia ostendit transformationem hominum in bestias per quamdam fabulam. Secundo, ostendit transformationem mentis per vitia esse pejorem transformatione corporis. Ibi, « O levem. » Fabula quam intendit est de transformatione sociorum Ulyxis: et est talis. Ulyxes post bellum trojanum, cum redeundo ad propria diu errasset in mari, pervenit in quamdam insulam quam inhabitabat quædam dea nomine Circe, filia solis, quæ per carmina et potiones consuevit hospites suos mutare in diversas bestias; quæ etiam socios Ulyxis qui ad ipsam pervenerant per suas potiones mutavit; sed Mercurius dedit Ulyxi album florem per quem evitavit transformationem et potionem veneficam. Quamvis autem socii sui essent mutati in bestias quantum ad figuram corporis, tamen remansit in eis mens integra exclusa omni bestiali servitio. Unde dicitur in littera: Eurus ventus talis, appulit vela ducis Neritii, idest Ulyxis qui nominabatur Neritius a loco vel a regione de qua oriundus erat: et appulit vagas rates, idest naves, pelago, idest mari, cuidam insulæ, qua, idest in qua insula residens pulchra dea Circe, edita, idest genita ex semine solis, illa miscet novis hospitibus, idest sociis Ulyxis pocula tacta carmine, idest incantatione; quos scilicet hospites, ut, idest postquam manus Circæ herbipotens, idest potens herbarum, vertit, idest mutavit socios Ulyxis in varios modos, idest in varias figuras bestiarum, hunc idest unum illorum tegit facies apri; ille, idest alius marmaricus leo, idest africanus leo factus crescit dente et unguibus. Hic, idest alius nuper lupis additus, idest conjunctus dum parat flere propter suam transformationem, ipse ululat. Ille, idest alius obambulat, idest circuit tecta, idest domus, mitis ut indica tigris, idest Indiæ. Sed licet numen, idest deitas, Arcadis, idest Mercurii qui colitur in Arcadia, qui dicitur ales, eo quod fingitur habere alas in pedibus ad designandum velocitatem sui motus: ille Mercurius miserans ducem, idest Ulyxem obsitum, idest circumdatum variis malis, ipse solverit, idest liberaverit, eum a peste hospitis, scilicet Circe, tamen remiges, idest socii Ulyxis, jam traxerant, idest biberant mala pocula ore, et jam sues effecti, verterant, idest mutaverant pabula cerealia, idest nutrimenta panis, qui panis est cibus hominum, glande, idest in glandes qui est cibus suis: et nihil manet integrum, scilicet de figura humana ipsis perditis, idest mutatis voce et corpore: sola autem mens stabilis manens gemit supra monstra, idest supra transformationem corporis quam patitur. Notandum, quod transformatio hominis in bestiam remanente anima rationali non est possibilis secundum rem: quia si esset possibilis, vel esset possibilis secundum transmutationem substantialem vel accidentalem. Non secundum substantialem, quia per talem introducitur nova forma substantialis, et sic duæ formæ substantiales specifice differentes, ut forma lupi et hominis simul informarent idem corpus,

quod falsum est : nec est possibilis secundum accidentia propria quæ disponant materiam ad determinatam formam, quia impossibile est materiam secundum unam et eamdem dispositionem proportionari diversis formis. Unde omnino est impossibile animam intellectivam uniri materiæ dispositæ ad formam lupi ; ergo transmutatio de qua hic loquitur, si est possibilis, erit solum secundum accidentia individui provenientia ab exterioribus caussis, quemadmodum videtur contigisse de rege Nabuchodonosor : de quo legitur in Daniele, quod ex hominibus ejectus est et fœnum comedit ut bos, et rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus crescerent in similitudinem aquilarum, et ungues ejus quasi ungues avium. Et quia transmutatio secundum talia accidentia deviat ab expressa repræsentatione speciei humanæ propter deformitatem figuræ, ideo ut sic potest dici transmutationem esse factam in bestiam anima remanente. Alii dicunt quod hujusmodi transmutatio non sit possibilis secundum rem, sed secundum quamdam apparitionem phantasticam : unde non videtur rationabile quod Nabuchodonosor transtulerit se ad jumenta comedens fœnum, nisi quod quadam insania et apparitione phantastica agitatus seipsum reputabat jumentum aut bestiam, propter quod a consortio hominum ejectus cum feris habitabat.

« O levem nimium etc. » Hic ostendit transformationem mentis per vitia esse deteriorem transformatione corporis, eo quod mens nobilior est toto corpore : et dicit : Ego dico manum Circe, idest potestatem esse nimium levem, idest imbecilem : nec dico gramina ejus esse potentia ; quæ licet valeant vertere membra, scilicet corporis, non tamen valent vertere corda, quia intus est vigor hominum conditus, idest absconditus, arce abdita, idest in mente abscondita : sed hæc dira venena in vitia potentius detrahunt hominem sibi : quæ venena sive vitia penitus meant, idest pertranseunt, et non nocentia corpori sæviunt, idest sævire faciunt hominem vulnere mentis. Notandum, quod quia anima nobilior et excellentior est corpore, transmutatio facta in anima de virtutibus ad vitia stante corpore humano, ipsa est deterior quam facta transmutatione corporis humani in speciem bestiæ anima remanente intransmutata ; quia anima intransmutata, dato quod corpus transmutetur, adhuc homo dicitur homo ratione animæ ; sed remanente corpore humano et anima transmutata, jam homo non dicitur homo nisi æquivoce ; ergo transmutatio animæ, pejor est transmutatione corporis anima remanente intransmutata.

PSOSA IV.

Tum ergo, Fateor, inquam, nec injuria dici video, vitiosos, tametsi humani corporis speciem servent, in belluas tamen animorum qualitate mutari. Sed quorum atrox scelerataque mens bonorum pernicie sævit, id ipsum eis licere maluissem. Nec licet, inquit ; uti convenienti monstrabitur loco : sed tamen si idipsum quod eis licere creditur, auferatur, magna ex parte sceleratorum hominum pœna relevatur. Etenim, quod incredibile forte cuiquam videatur, infeliciores esse necesse est malos, cum cupita perfecerint, quam si ea quæ cupiunt, implere non possint. Nam si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, sine quo voluntatis miseræ langueret effectus. Itaque cum sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est urgeantur, quos videas scelus velle, et posse, et perficere. Accedo, inquam : sed uti hoc infortunio cito careant, patrandi sceleris possibilitate deserti, vehementer exopto. Carebunt, inquit, ocyus quam vel tu forsitan velis, vel illi sese existimant esse carituros. Neque enim est aliquid in tam brevibus vitæ metis ita serum, quod expectare longum immortalis præsertim animus putet : quorum magna spes, et excelsa facinorum machina repentino atque insperato sæpe fine destruitur : quod quidem illis miseriæ modum statuit. Nam si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam : quos infelicissimos esse judicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret. Etenim si de pravitatis infortunio vera conclusimus, infinitam liquet esse miseriam quam esse constat æternam. Tum ego, Mira quidem, inquam, et concessu difficilis illatio : sed his ea quæ prius concessa sunt, nimium convenire cognosco. Recte, inquit, existimas : sed qui conclusioni accedere durum putet, æquum est vel falsum aliquid præcessisse demonstret, vel collationem propositionum non esse efficacem necessariæ conclusionis ostendat : alioquin concessis præcedentibus, nihil prorsus est quod de illatione causetur. Nam hoc quoque quod dicam, non minus mirum videatur, sed ex his quæ sumpta sunt æque est necessarium. Quidnam? inquam. Feliciores, inquit, esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceat. Neque id nunc molior quod cuivis veniat in mentem, corrigi ultione pravos mores, et ad rectum supplicii terrore deduci, cæteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi : sed alio quodam modo infeliciores esse improbos arbitror, impunitos, tametsi nulla ratio correctionis, nullus respectus habeatur exempli. Et quis erit, inquam, præter hos alius modus? Et illa. Bonos, inquit, esse felices, malos vero miseros nonne concessimus? Ita

[illegible]

[illegible]

« Tum ego, fateor inquam etc. » Ista est quarta prosa hujus quarti libri; in qua principaliter tria probat. Primo probat malos esse miseriores quia cupita perficiunt quam si ea non perficerent. Secundo probat malos esse miseriores si sint impuniti quam si sint puniti. Tertio ostendit illos esse miseriores qui faciunt injuriam quam illi qui patiuntur. Secunda, ibi, « Nam hoc quoque. » Tertia, ibi, « Nam ne illud. » Primo Boetius consentiens prædictis facit quoddam votum, et philosophia sibi respondet. Secundo philosophia prosequitur principale intentum, ibi, « Etenim. » Primo dicit : Tum ego Boetius finito carmine, inquam, idest dixi : ego fateor, idest concedo verum esse quod dictum est ; nec injuria, idest non injuste video dici vitiosos mutari in belluas, idest bestias, qualitate, idest vitio animorum, tametsi (pro quamvis) servent speciem humani corporis. Tunc Boetius faciens votum, dicit : Sed cui quorum mens atrox, idest crudelis sævit peruicie bonorum, idipsum noluissem eis licere, scilicet ut sæviant mali in bonos. Respondet philosophia : nec licet inquit, uti monstrabitur convenienti loco ; tamen si idipsum quod creditur eis licere, hoc auferatur a malis, relevatur pœna sceleratorum hominum ex magna

parte. Notandum : licet credatur malis licere quod sæviant contra bonos, non tamen in rei veritate licet ; quia in sexta prosa hujus quarti libri ostendit philosophia, quod nihil licet malis contra bonos, nisi quantum permittitur ex ordinatione divinæ providentiæ ad utilitatem bonorum.

« Etenim quod incredibile etc. » Hic philosophia prosequitur principale intentum, probando quod improbi sunt miseriores qui cupita perficiunt quam qui perficere non possint. Secundo ostendit quod in hac vita nihil est diuturnum in comparatione ad vitam æternam. Tertio ponit admirationem Boetii super quodam. Secunda, ibi, « Neque enim. » Tertia, ibi, « Tum ego. » Primo dicit : Necesse est malos esse, infeliciores, idest miseriores cum perfecerint cupita, quam si non possint implere : quod forte videatur cuiquam, idest alicui incredibile : cujus probatio est. Nam si miserum est voluisse prava, miserius est potuisse, sine quo, scilicet posse, langueret, idest deficeret effectus miseriæ voluntatis. Itaque cum singulis tribus, scilicet voluntati potentiæ et effectui sit sua miseria, necesse est ut illi urgeantur triplici infortunio, idest malo, quos videas scelus velle, scelus posse, scelus perficere. Dicit Boetius : accedo inquam, idest consentio : sed ego vehementer exopto, ut mali deserti possibilitate patrandi sceleris cito careant hoc infortunio. Et dicit philosophia : Carebunt, inquit, ocyus, idest citius quam tu forsitan velis, idest velle doleas, vel quam 'illi æstiment sese, idest seipsos carituros. Notandum, quod philosophia dicit, quod posse malum sit pejus quam velle malum : hoc videtur falsum, quia posse peccare non est malum, sed velle peccare. Unde secundum Senecam, « Omne peccatum in actione est, et omnis actio est voluntaria ; ergo omne peccatum est voluntarium. » Pro tanto etiam dicit Augustinus : « Tolle voluntatem, et infernus non erit. » Ergo pejus est velle malum quam posse malum, cujus contrarium hic dicit : Ad hoc dicendum, quod si posse et velle secundum se et absolute considerentur, tunc pejus est velle malum quam posse malum. Si autem accipitur posse ut sequens malam voluntatem et subserviens eidem, ut voluntas mala perficiatur in exteriori opere, sic pejus est posse quam velle, quia sine tali posse langueret voluntatis effectus, idest non perficeretur opus ejus extra. Sicut autem dicto modo pejus est posse malum, quam velle, sic pejus est perficere malum quam posse : ita quod unumquodque istorum trium, velle posse, perficere, aliquid mali addit supra præcedens.

« Neque enim est aliquid etc. » Hic philosophia, quia Boetius optavit malos citius carere potentia patrandi sceleris, probat quod in hac vita nihil est diuturnum vel durativum, in comparatione ad perpetuam vitam ; dicens : Neque enim est aliquid serum, idest tardum vel durabile, in tam brevibus metis, idest terminis præsentis vitæ, quod immortalis animus putet per longum tempus expectare, idest manere. Quorum malorum magna spes quam habent de longanimitate vitæ et excelsa machina, idest magna potentia facinorum sæpe destruitur fine, idest morte, fine inquam insperato et repentino. Quod, scilicet finiri morte, statuit ipsis malis modum, idest terminum suæ miseriæ : quod probat per hoc. Nam si nequitia facit miseros, utique ex dictis necesse est ut diuturnior nequam sit miserior. Quos malos judicarem infelicissimos, si non extrema mors eorum malitiam finiret. Si enim conclusimus vera de infortunia pravitatis, quod infortunium, idest malum tanto est majus quanto est diuturnius, liquet miseriam eorum esse infinitam, quam constat esse æternam. Esset autem miseria malorum æterna si morte non finiretur. Notandum, quod de oppositis opposito modo judicandum est, cum oppositorum oppositæ sint causæ. Sicut ergo in bonis illud quod est diuturnius est melius, sic in malis quod diuturnius est pejus. Cum igitur malitia facit miseros malos, infinita esset eorum miseria si perpetuo perdurarent in vita ; sed quia mors terminat eorum malitiam, ideo eorum miseriam et infelicitatem diminuit.

« Tum ego etc. » Hic philosophia ponit admirationem Boetii super deductio-

ne philosophiæ, dicens : O philosophia, istius vel illatio tua et conclusio, idest ad concedendum, difficilis, quia probatur miseriam malorum diminui per mortem, sed negari non possunt conclusiones ex his quæ concessa sunt prius. Dicit philosophia : recte hoc quidem existimas, idest putas quod prædicta illatio difficilis videtur : sed qui durum, idest difficile putat accedere conclusioni ipsam concedendo, æquum est ut ipse demonstret aliquid falsum præcessisse in præmissis, vel ostendat collationem propositionum necessariæ conclusionis non esse efficacem ; alioquin concessis præcedentibus nihil est quod causetur, idest conqueratur de illatione. Unde necessarium est eam concedere, quantumcumque videatur durum. Notandum, quod si non consentitur conclusioni, hoc est vel propter peccatum in materia, vel propter peccatum in forma. Propter peccatum in materia, ut si aliqua præmissarum sit falsa : propter peccatum in forma, ut si non sit debita connexio propositionum respectu conclusionis, incidente aliqua fallacia. Si autem nihil istorum accidit, necessario sequitur conclusio ex præmissis.

« Nam hoc quoque quod dicam etc. » Hic philosophia probat malos esse miseriores si non puniantur, quam si puniantur. Secundo solvit quoddam dubium. Tertio ponit quemdam epilogum prædictorum. Secunda, ibi, « Sed quæso. » Tertia ibi, « Id vero hactenus. » Primo præmittit conclusionem quam probare intendit, excludendo quosdam modos probationis quibus conclusio probari posset. Secundo ponit alium modum probationis ab istis, ibi, « Et illa. » Primo dicit : hoc quoque quod dicam, non minus videatur mirum ; sed æque necessarium videatur concludi ex his quæ sumpta sunt. Et quærit Boetius : Quidnam est hoc ? Dicit philosophia : Ego dico improbos esse feliciores luentes supplicia, quam si nulla pœna justitiæ eos coerceat, idest puniat : sed ego non molior, idest non intendo nunc quod alicui veniat in mentem pravos mores, idest homines prave morigeratos corrigi ultione, idest pœna et terrore supplicii ipsos reduci ad rectum ; et non intendo ceteris hominibus pœnam malorum esse exemplum fugiendi culpanda, idest mala. Sed præter istas duas causas est alia a prædictis qua creditur improbos esse feliciores punitos tametsi (pro quamvis), nulla ratio correctionis et nullus respectus ad exemplum habeatur. Et quærit Boetius : Quæ erit præter hos alius modus ? Nota, quod duæ sunt causæ propter quas videtur melius malos esse punitos quam impunitos. Una quia per pœnas mali corriguntur, et resipiscunt a malo ; Secunda causa quia alii timore pœnæ malorum declinant a malo, et sic pœna malorum est exemplum aliis fugiendi malum. Licet istæ duæ causæ sint veræ, tamen philosophia de eis non intendit, sed vult assignare aliam causam præter istas.

« Et illa, bonos etc. » Hic philosophia ponit alium modum præter prædictos, probando malos impunitos esse miseriores quam punitos. Secundo declarat quoddam assumptum in probatione, ibi, « Sed puniri. » Primo resumit quod supra probatum est tertia prosa, dicens : Nonne concessimus bonos esse felices, malos vero miseros ? Dicit Boetius : ita est inquam. Et philosophia : Si miseriæ alicujus addatur aliquod bonum, nonne ipse est felicior eo cujus miseria est pura et solitaria sine admixtione alicujus boni ? Dicit Boetius : Sic, inquam, videtur. Ulterius quærit philosophia : Si eidem misero qui cunctis careat bonis aliud malum fuerit annexum, nonne censendus est infelicior eo cujus infortunium, idest malum relevatur, idest temperatur participatione boni ? dicit Boetius : quidni inquam, idest quare non ? Igitur, dicit philosophia, improbi, idest mali cum puniuntur habent aliquid boni annexum, scilicet pœnam, quæ ratione justitiæ bona est : et cum iidem improbi carent supplicio, idest pœna, inest eis aliquid alterius mali, scilicet ipsa impunitas, quam merito, idest jure iniquitatis confessus es esse malum. Dicit Boetius : negare non possum. Igitur concludit philosophia quod improbi multo sunt infeliciores donati, idest additi, injusta impunitate, idest mala impunitate, quam puniti justa ultione, idest pœna. Notan-

dum, quod ratio quam philosophia intendit, est ista : Cujuscumque hominis malitiæ additur aliquid boni, ipse felicior est eo cujus malitiæ nihil boni additur : sed cum malus homo punitur, suæ malitiæ additur aliquid boni, scilicet pœna, quæ ratione justitiæ bona est : cum autem non punitur, ejus malitiæ additur aliquid malum, scilicet impunitas quæ mala est : ergo malus punitus felicior est malo impunito.

« Sed puniri etc. » Hic philosophia declarat quoddam assumptum in probatione, scilicet quod pœna malorum sit bona, et quod impunitas sit mala, dicens : Manifestum est quod puniri improbos est justum, et iniquos elabi, idest evadere impunitos est iniquum, idest injustum. Dicit Boetius : Quis neget illud? subjungit philosophia : numquid illud aliquis negabit, omne quod est justum esse bonum, et contra, idest per contrarium, quod injustum est liquet, idest manifestum est, ipsum esse malum ? Ego Boetius dixi : ista jam dicta consequentia sunt eis quæ paulo ante conclusa sunt. Notandum, quod philosophia innuit duplicem rationem. Prima talis est : pœna malorum est justa : sed justum est bonum, ergo pœna malorum est bona. Secunda ratio est : impunitas malorum est injusta : sed injustum est malum : ergo impunitas malorum est mala.

« Sed quæso, inquam etc. » Hic Boetius solvit dubium. Quærit enim Boetius : philosophia, quæso te inquam, numquid nulla animarum supplicia post mortem? quorum malorum alia ego puto exerceri, idest puniri pœnali acerbitate sicut mala damnatorum, alia vero puniri purgatoria clementia, idest igne purgatorio. Sed disserere, idest disputare de his pœnis quæ debentur animabus post mortem nunc non est consilium. Notandum, quod peccatum quandoque est tale quod per ipsum habituatur voluntas ad malum, cujusmodi est mortale peccatum : peccantes ergo mortaliter et in tali peccato decedentes puniuntur æterna pœna post mortem. Nam secundum beatum Gregorium, « ad magnam justitiam judicantis Dei pertinet ut nunquam careant supplicio qui nunquam carere volunt peccato. » Quando autem peccatum est tale quod constat cum voluntate habituata ad bonum, sicut est peccatum veniale : tale non punitur æternaliter post mortem : sed quia ad justitiam Dei pertinet ut nullum peccatum maneat impunitum, ideo oportet ut homo puniatur ad tempus pro peccato veniali. Et quia per talem pœnam anima purgatur ad receptionem pleni præmii, ideo illa pœna dicitur pœna purgatoria.

« Id vero etc. » Hic philosophia ponit quemdam epilogum supradictorum. Secundo ostendit Boetius opinionem vulgi esse contrariam opinioni philosophiæ, ibi, « Tum ego. » Primo dicit : Id egimus, idest pertractavimus hactenus, idest hucusque, ut potestas malorum quæ tibi videbatur indignissima, nullam eam esse cognosceres, sicut ostendimus in secunda prosa, et illos malos quos tu querebare impunitos, tu nunquam videres carere suppliciis suæ improbitatis : sicut ostensum est tertia prosa. Et nos etiam egimus ut licentiam sæviendi contra bonos quam tu cito precabaris finiri, disceres eam non esse longam, et infeliciorem esse potentiam ad malum si esset diuturnior, et infelicissimam esse si esset æterna : sicut in ista prosa ostensum est. Post hæc probatum est, eadem prosa, improbos esse miseriores, dimissos, idest relictos injusta impunitate : quam punitos justa ultione. Cui consequens est, cum creduntur esse impuniti urgeantur gravibus suppliciis. Notandum circa prædicta : cum dicitur illum esse miseriorem qui peccat impune quam qui punitur pro peccato, hoc est intelligendum de miseria præsentis vitæ utrobique, ut sit conformis comparatio. Accipiendo enim miseriam præsentis vitæ ex una parte, et ex alia parte miseriam quæ est post mortem, esset difformis comparatio et extra propositum, quia hic non loquitur de miseria quæ est post mortem.

« Tum ego etc. » Hic Boetius ostendit opinionem vulgi esse contrariam opinioni philosophiæ. Secundo ostendit philosophia non esse consentiendum opinioni vulgari. Secunda, ibi, « Quid igitur. » Primo dicit : O philosophia, cum ego considero tuas rationes, idest

inquisitiones, puta sit verum dici, supple. Dia. Sed si revertar ad judicia hominum vulgarium, supple, aliter videtur: Quis enim est ille cui hæc, supple, dicta hic, non modo, idest non tantum, videantur credenda, sed etiam non audienda? Dicit philosophia: Ita est quod vulgares nequeunt oculos caliginis et intellectus assuetos, idest assuefactos, tenebris passionum affectione, idest erigere ad lucem perspicuæ veritatis, supple, ut verum videant judicio rectæ rationis: et sunt similes avibus, scilicet noctuis et bubonibus quarum intuitum, idest visum nox illuminat, et dies cæcat. Dum enim vulgares non intuentur ordinem rerum qui habet se ad modum lucis, sed intuentur suos affectus, idest desideria quæ habent se ad modum tenebrarum, ipsi putant felicem esse impunitatem scelerum, idest malorum, vel licentiam, supple, sæviendi contra bonos: quod tamen non est. Vide autem quid sanciat, idest statuat æterna lex, idest divina providentia. Si conformaveris animum tuum melioribus, idest virtutibus, nihil est tibi opus judice exteriori deferente præmium, quia tu te ipse addidisti excellentioribus, et per consequens factus es Deus. Si autem studium deflexeris ad pejora, idest ad vitia, ne (pro non) quæsieris extra ultorem, idest vindicem, quia tu te ipse detrusisti in deteriora, et per consequens factus es bellua. Hoc declarat in simili, Veluti si respicias humum et cœlum vicibus, idest vicissim, nunc cœlum nunc terram, cunctis, supple, judiciis extra cessantibus, ipsa sola ratione cernendi videaris nunc interesse cœno, idest terræ, nunc syderibus, idest cœlo: supple, eodem modo, cunctis extra cessantibus ipsa sola ratione operandi bene vel male assequeris præmium vel supplicium divina justitia hoc ordinante: sed vulgus ista non respicit propter prædictam causam. Nota, quod quia natura visus requirit medium illuminatum, ideo secundum communem naturam visus noctuæ et bubonis melius deberent videre in die quam in nocte: cujus tamen contrarium accidit eis, vel propter debilitatem naturalem visus, sicut in noctuis, de quibus dicit Isidorus quod solis splendore solis visus noctuæ hebetatur: vel propter consuetudinem ad tenebras, sicut creditur esse de bubone. Cum enim bubo habeat alias aves sibi inimicas, ideo de die in cavernis latitat, et aliis avibus quiescentibus propter necessitatem victus de nocte volat. Notandum, quod dicit: Vide quid æterna lex sanciat. Dicit beatus Augustinus in libro *de Libero arbitrio*: « Lex æterna est qua justum est ut omnia sint ordinata: et ideo secundum ordinem ejus, nunquam justus destituitur præmiis nec malus suppliciis. »

« Quid igitur? his ne accedamus etc. » Hic ostendit philosophia non esse consentiendum opinioni vulgari, dicens: O Boeti, quid igitur dicis? numquid debemus accedere per consensum his vulgaribus quos monstravimus similes esse bestiis? quasi dicat: non. Et hoc manifestat per exemplum, dicens: quid dicis? si quis homo amisso penitus visu, oblivisceretur etiam seipsum habuisse visum et arbitraretur nihil deesse sibi ad perfectionem humanam, numquid homines videntes, idest judicantes eadem cum cæco, putaremus esse cæcos? quasi dicat, immo. Supple: similiter si vulgares dicerent se recte judicare, et se non esse belluas, adhuc non esset eis consentiendum. Notandum, quod vulgares et imperiti judicant tamquam longe distantes a veritate, quia judicant secundum concupiscentiam, non secundum rei veritatem, propter quod non est standum eorum judicio. Unde Seneca in libro de *Remediis fortuitorum*, dicit: « Male opinantur homines de te, sed mali: moverer autem si sapientes hoc loquerentur: nunc autem malis displicere est laudari. Male de te loquuntur: moverer si hoc judicio facerent; nunc autem morbo ignorantiæ faciunt: male de te loquuntur quia bene nesciunt loqui. »

« Nam ne illud quidem acquiescent etc. » Hic philosophia probat illos esse miseros qui faciunt injuriam quam qui patiuntur. Secundo ex hoc concludit quod injuria non est ipsius patientis sed inferentis. Tertio invehitur contra oratores. Secunda, ibi, « Hac igitur. » Tertia, ibi, « Atqui nunc. » Primo dicit: num-

quid vulgares non acquiescent, idest credent, illud quod nititur æque validis firmamentis rationum, scilicet infeliciores esse eos qui faciunt injuriam quam qui patiantur. Dicit Boetius : Vellem audire has ipsas rationes. Tunc philosophia intendit duos syllogismos ad probandum intentum : quorum primus est. Omnis improbus est miser : sed omnis dignus supplicio est improbus ; ergo omnis dignus supplicio est miser; et per consequens quanto dignior est supplicio, tanto est miserior. Secundus syllogismus est : quanto aliquis est dignior supplicio, tanto est miserior : sed faciens injuriam dignior est supplicio quam patiens; ergo faciens injuriam miserior est quam injuriam patiens. Primo innuit primum syllogismum, dicens : numquid negas omnem improbum esse dignum supplicio? Boetius dicit : minime nego : et multipliciter liquet eos esse infelices qui sunt improbi. Ita est, dicit Boetius. Igitur, dicit philosophia, qui digni sunt supplicio non dubitas eos esse miseros. Dicit Boetius : convenit inquam, supple, prædictis. Tunc innuit secundum syllogismum per modum interrogationis, dicens : O Boeti, si tu resideres cognitor, idest judex causarum, cui putares inferendum supplicium? vel ei qui fecisset injuriam, vel ei qui pertulisset injuriam. Dicit Boetius : non ambigo, idest non dubito, quin ego satisfacerem perpesso injuriam, dolore, idest cum supplicio facientis injuriam. Igitur, dicit philosophia, illator injuriæ videretur tibi esse miserior quam acceptor injuriæ. Dicit Boetius : consequitur inquam, supple, prædicta. Notandum, quod ad eamdem conclusionem sic posset argui. Quicumque operatur malum ex proposito magis peccat et miserior est quam ipsum sustinens sine proposito et voluntate : sed inferens injuriam peccat ex proposito et ex voluntate, sustinens autem sustinet contra voluntatem; ergo inferens injuriam pejor est et miserior patiente injuriam.

« Hac igitur aliisque de causis etc. » Hic philosophia concludit ex dictis, quod quælibet injuria non est miseria patientis, sed inferentis, dicens : Hac igitur de causa, quia inferens injuriam miserior est patiente, et ex aliis causis ea radice, idest fundamento nitentibus, hoc scilicet fundamento, quod turpitudo facit homines miseros suapte natura, idest sua propria natura : ex hoc apparet injuriam cuilibet illatam non esse miseriam accipientis, idest patientis eam, sed inferentis. Notandum, quod ex littera sic potest argui. Turpitudo propria natura sua facit hominem miserum; sed turpitudo est in inferente injuriam et non in patiente; ergo inferens injuriam est turpis et miser; et per consequens injuria non est miseria patientis, sed eam inferentis.

« Atqui nunc ait etc. » Hic philosophia invehitur contra oratores. Secundo concludit ex dictis, quod odium non habet locum apud sapientes, ibi, « Quo fit. » Primo invehitur contra oratores qui inducunt judices ad miserandum patienti injuriam, cum tamen potius miserandum sit facienti injuriam : et oratores, idest causidici, quorum officium est persuadere judici, isti faciunt nunc contrarium, quia ipsi conantur excitare miserationem judicum pro eis qui perpessi sunt grave et acerbum quid, cum magis justior miseratio debeatur admittentibus, idest facientibus malum : quos injuriantes oportebat duci ad judicium, velut ægros ad medicum, non ab iratis accusatoribus, sed a propitiis et miserantibus, ut resecarent morbos culpæ supplicio, idest pœna. Quo, supple, ordine, si homines moverentur misericordia erga facientes injuriam, opera, idest diligentia, defensorum, idest defendere volentium ipses, illa tota frigeret, idest cessaret. Vel si mallent prodesse hominibus injuriantibus, tunc defensio eorum verteretur in habitum accusationis, ita quod ille qui fuit defensor fieret accusator. Ipsi quosque improbi, si esset eis fas aspicere virtutem relictam aliqua rimula, idest cognitione, ipsi viderent se depositAuros sordes vitiorum cruciatibus pœnarum compensatione, idest causa adipiscendæ probitatis. Nec ipsi ducerent, idest reputarent cruciatus; sed ipsi repudiarent, idest spernerent operam, idest diligentiam defensorum, et se totos permit-

debent accusatoribus et judicibus. Nota, quod misericordia et miseratio est virtus, secundum quam aliquis compatitur alienæ miseriæ. Cui ergo major miseria, ei debetur major misericordia. Sed declaratum est improbos esse miseriores inferentes injuriam quam patientes; ergo ad miserandum eos maxime debent induci judices. Cujus contrarium faciunt oratores, quia inducunt judices ad miserandum patientibus injuriam. Notandum, quod facientes injuriam accusandi sunt non ex ira, sed ex compassione et misericordia, ut penali remedio morbus culpæ eorum auferatur. Sicut enim ægris non est insultandum, sed potius condolendum, sic et istis qui morbo vitiorum affecti sunt; et potius sunt accusandi quam defendendi, ut penali acerbitate eorum malitia minuatur. Etiam si mali perpenderent sordes vitiorum et dignitatem virtutum, non reputarent cruciatus, sed se accusatoribus et judicibus voluntarie offerrent puniendos.

« Quo fit etc. » Hic philosophia ex dictis concludit quod odium non habet locum apud sapientes: et dicit: Quo fit, idest ex dictis sequitur ut apud sapientes nullus locus relinquatur odio. Nam quis oderit bonos nisi stultissimus? malos vero odisse caret ratione, idest est irrationabile: nam sicut languor est morbus animorum. Cum ergo ægros corpore minime judicemus dignos odio, sed potius miseratione, multo magis non insequendi sunt odio, sed potius miserandi, quorum mentes urget improbitas, idest malitia, existens atrocior, idest crudelior omni languore corporali. Nota, quod sapientes non debent odire malos: quia dicit Seneca ad Lucillum: « Hunc affectum sapientes habeant adversus malos quem habet medicus adversus ægros suos, qui non eos odit, sed remedio studet contrectare, qui nec reliquias ægrorum nec effusa dedignatur intueri. »

METRUM IV.

Quid tantos juvat excitare motus,
Et propria fatum sollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipsa
Sponte sua, volucres nec remoratur equos.
Quos serpens, leo, tigris, ursus, aper
Dente petunt, idem se tamen ense petunt.
An distant quia dissidentque mores,
Injustas acies, et fera bella movent,
Alternisque volunt perire telis?
Non est justa satis sævitiæ ratio.
Vis aptam meritis vicem referre?
Dilige jure bonos, et miseresce malis.

« Quid tantos juvat excitare motus etc. » Hic incipit quartum metrum hujus quarti libri, quod dicitur phalencium ab inventore. Secundum dicitur pentametrum sive elegiacum. In quo philosophia exclamat contra homines qui bellicis motibus ex odio semetipsos ad mortem deducunt, dicens: Quid juvat, idest quæ utilitas est excitare tantos motus, scilicet odii, et quid juvat sollicitare, idest sollicite exquirere fatum, idest mortem propria manu? quasi dicat: nulla est utilitas. Est autem ratio hæc: quia si mortem petitis, idest desideratis, sive vestram sive aliorum, propinquat sponte sua, nec remoratur, idest retardat, volucres, idest veloces, equos. Mirandum est etiam quod homines quos leo, serpens, tigris, ursus, aper, dente petunt, idest invadunt, quod iidem homines petunt, idest invadunt se ense, ut se mutuo interficiant. Et quærit philosophia: Numquid homines movent injustas acies et fera bella et volunt perire alternis telis, idest mutuis sagittis, ideo quia mores eorum distant et dissident, idest discordant? Certe ista ratio sævitiæ non est satis justa. Vis ergo referre, idest reportare aptam vicem, idest vicissitudinem meritis tam boni quam mali? dilige bonos et miseresce malis. Notandum, quod djcit mortem non retardare suos equos. Per equos mortis intelliguntur partiales dispositiones periodi per quas homo ad mortem tendit. Quilibet enim homo habet certam et determinatam periodum suæ vitæ, eo quod formæ omnium rerum sunt in terminis, idest in corporibus cœlestibus virtualiter, ut patet in *secundo de Generatione*. Notandum, quod philosophia hic non excludit licentiam gerendi justum bellum, sed injustum; quia dicit, injustas acies: bellum enim justum conceditur; et ideo geritur ut aliquis nitens contra justitiam, ad justitiam reducatur

PROSA V.

Hic ego, Video, inquam, quæ sit vel felicitas vel miseria in ipsis proborum atque improborum meritis constituta. Sed in hac ipsa fortuna populari non nihil boni malive inesse perpendo. Neque enim sapientum quisquam exsul, inops, ignominiosusque esse malit potius, quam pollens opibus, honore reverendus, potentia validus, in sua permanens urbe florere. Sic enim clarius, testatiusque sapientiæ tractatur officium, cum in contingentes populos regentium quodam modo beatitudo transfunditur : cum præsertim carcer, nexus, ceteraque legalium tormenta pœnarum, perniciosis potius civibus, propter quos etiam constituta sunt, debeantur. Cur hæc igitur versa vice mutentur, scelerumque supplicia bonos premant, præmia virtutum mali rapiant, vehementer admiror; quæque tam injustæ confusionis ratio videatur, ex te scire desidero. Minus enim mirarer, si misceri omnia fortuitis casibus crederem. Nunc stuporem meum Deus rector exaggerat, qui cum sæpe bonis jucunda, malis aspera ; contraque bonis dura tribuat, malis optata concedat ; nisi caussa deprehendatur, quid est quod a fortuitis casibus differre videatur? Nec mirum, inquit, si quid, ordinis ignorata ratione, temerarium confusumque credatur. Sed tu quamvis caussam tantæ dispositionis ignores, tamen quoniam bonus mundum rector tempeqat, recte fieri cuncta ne dubites,

« Hic ego, video etc. » Ista est quinta prosa hujus quarti libri. Quia Boetius prius conquerebatur bonis mala et malis bona contingere, propter quod etiam reputabat istarum fortunarum vices non ex ordine divinæ providentiæ, sed ex casu provenire; ideo philosophia super hoc consolatur Boetium, assignando causas quare bonis mala et malis bona contingant. Et primo Boetius exprimit suum dolorem in hoc quod vices fortunarum videntur confuse et inordinate disponi. Secundo assignat philosophia causam hujus apparentiæ. Tertio ipsum consolatur assignando causas prædictorum. Secunda, ibi, « Nec mirum. » Tertia, ibi, « Ita est, inquit. » Primo Boetius præmittit quædam. Secundo exprimit causam sui doloris, ibi, « Cum præsertim. » Primo dicit : Ego video hic idest ex dictis, quæ felicitas sit constituta in meritis proborum, scilicet Deos fieri, et quæ sit miseria constituta in meritis improborum, scilicet transformari in belluas : sed ego perpendo, idest judico, non nihil, idest aliquid boni vel mali esse in hac forma populari, idest in prosperitate fortuita : quod probat. Neque enim quisquam sapientium malit, idest magis vult esse exul, inops ignominiosus, idest infamis, potius quam pollens opibus quam reverendus honore, validus potentia et in sua urbe permanens florere. Sicut enim per hujusmodi bona fortunæ officium sapientiæ, idest sapientis tractatur clarius et testatius, idest cum majori testimonio, quia talibus plus creditur cum beatitudo regentium transfunditur, idest dilatatur in populos contingentes, idest vicinos. Notandum, quod in bonis fortuitis est aliquid boni, quia per ipsa sapiens expeditius tractat officium gubernandi subditos. Qui enim devitiis potentia et fama præcellent alios, aliis aptiores sunt ad regendam rempublicam, quia aptiores sunt ad subveniendum oppressis, et ad deprimendum malos, ad protegendum bonos, ad expugnandum inimicos : et ita sapienti qui tractat negotium reipublicæ necessaria est potentia et divitiarum abundantia. Sed sapienti qui vacat contemplationi divitiæ sunt onerosæ, quia nimiam inde gerit sollicitudinem.

« Cum præsertim carcer etc. » Hic Boetius exprimit causam sui doloris et admirationis, dicens : Cum carcer et cetera tormenta legalium pœnarum, potius debeantur perniciosis, idest malis civibus propter quos constituta sunt, ego vehementer admiror, cur hæc tormenta viceversa, idest contrario modo mutentur, ita ut supplicia scelerum, idest malorum, premant bonos, et mali rapiant præmia virtutum, idest virtuosorum : et ego desidero, o philosophia, scire ex te quæ videatur esse ratio, idest causa tam injustæ confusionis : minus enim mirarer si crederem omnia misceri fortuitis casibus. Nunc autem Deus rector omnium exaggerat, idest augmentat stuporem meum : qui Deus cum sæpe bonis jucunda malis aspera tribuat, et contra, idest per contrarium bonis dura tribuat malis optata concedat : nisi deprehendatur, idest cognoscatur causa hujus, quid est hoc quod videatur differre a fortuitis casibus? quasi dicat : nihil. Notandum, quod tormenta legalia, sicut carcer, membrorum

manifeste, flagellatis et injuriis sunt laesis propter malos, et ista saepius videntur infligi bonis, malis prohibentibus : super hoc admiratur Boetius, cum tamen Deus debeat punire malos et remunerare bonos ; et hoc hujus ratio requiratur, quare hoc contingat, nihil est quia talia videantur contingere a casu et a fortuna, et non subjacere regimini providentiæ divinæ : quod absurdum est.

« Nec mirum, inquit etc. » Hic philosophia assignat causam apparentiæ talis confusionis, quia hic videtur esse propter ignorantiam causæ ; et dicit : Nec mirum si quid credatur confusum et temerarium, scilicet casuale in istis inferioribus ignorata ratione ordinis, scilicet divinæ providentiæ. Sed quamvis tu ignores causam tantæ dispositionis divinæ tamquam bonus rector, scilicet Deus temperat mundum sua bonitate ; ideo non dubites cuncta recte fieri. Notandum, quod mirum est cujus causa nescitur : pro tanto enim multi mirantur de eclypsi solis, quia causam ignorant. Et quia Boetius ignorabat causam hujus confusionis quare bonis mala et malis bona contingant, ideo hoc admirabatur ; et causa admirationis ejus fuit ignorantia dispositionis divinæ providentiæ.

METRUM V.

Si quis Arcturi sidera nescit
Propinqua summo cardine labi,
Cur legat tardus plaustra Bootes,
Mergatque seras æquore flammas,
Cum nimis celeres explicet ortus,
Legem stupebit ætheris alti.
Palleant plenæ cornua lunæ
Infecta metis noctis opacæ,
Quæque fulgenti texerat ore,
Confusa Phœbe detegat astra ;
Commovet gentes publicus error,
Lassantque crebris pulsibus æra.
Nemo miratur flamina Cori
Litus frementi tundere fluctu,
Nec nivis duram frigore molem
Fervente Phœbi solvier æstu ;
Hic enim causas cernere promptum est :
Illic latentes pectora turbant.
Cuncta, quæ rara provehit ætas,
Stupetque subitis mobile vulgus,
Cedat inscitiæ nubilus error :
Cessent profecto mira videri.

« Si quis arcturi sidera nescit. » Istud est quintum metrum hujus quarti libri : quod dicitur alcmanicum ab inventore, dactylicum a pede prædominante, tetrametrum, idest quatuor pedum hypercatalecticum, idest abundans in una syllaba ; in quo metro philosophia declarat quæ modo ea quorum causæ non apparent videntur mira. Secundo ostendit quomodo cognita causa cessat admiratio, ibi, « Nemo miratur flamina. » Primo ostendit quod propter latentiam causarum homines mirantur : et inducit de hoc duo exempla. Primum est de eo quod accidit in stellis juxta polum septentrionalem, quia illæ stellæ ceteris stellis remotioribus tardius moventur, et tamen velocius oriuntur : qui autem ignorat causam hujus illi videtur hoc mirum : unde dicit : Si quis nescit sidera arcturi, idest majoris ursæ, labi, idest volvi, propinqua summo cardine, idest cardini ponendo oblativum pro dativo causa metri, idest polo septentrionali, ille stupebit, idest admirabitur, legem alti ætheris, idest firmamenti. Cur Bootes, idest stella tarda, legat, idest pertranseat, plaustra, idest stellas plaustri, idest majoris ursæ et mergat seras flammas æquore, loquens more poetico qui sequentes judicium vulgi, dicunt stellas tingi in mari quando occidunt. Et dicitur Bootes mergere seras flammas, idest lumina sua tarda, quia nunquam ea mergit : et est modus loquendi, id quod nunquam fit tardæ fit : cum tamen Bootes explicet ortus nimis celeres, eo quod in principio noctis nobis statim apparet. Secundum exemplum est de eclypsi lunæ, quam nescientes causam adeo aliqui admirantur, quod putant ejus eclypsim contingere per incantationem : et volentes auxiliari lunæ et impedire ne audiat incantantationem, concutiant omnia vasa ærea et sonora tempore eclypsis : unde dicit in littera : Cornua plenæ lunæ palleant quia incipiente eclypsi incipit apparere corniculato, cornua infecta metis, idest terminis opacæ noctis, idest umbræ terræ, et phœbe, idest luna, confusa, idest privatione luminis, detegat, idest apparere faciat astra minora quæ texerat, idest latere fecerat, fulgentiore, idest abundantia sui fulgoris. Tunc publicus error quo putatur luna incantari commovet gentes et lassant, idest fatigant æra, idest vasa

æra vel campanas crebris pulsibus. Notandum, quod arcturus dicitur ab arctos quod est ursa, quæ est quoddam signum juxta polum septentrionalem quod nos vulgariter plaustrum nominamus, et sic accipit beatus Gregorius *super Job* dicens : « Arcturus septem stellis maxime lucet, semper movetur, et nunquam mergitur. » Notandum, quod stellæ circa polum arcticum motæ, sicut arcturus, et aliæ stellæ, moventur tardius aliis stellis remotioribus a polo arctico, quia minorem circulum suo motu describunt, et stellæ remotiores, majorem : unde cum stellæ remotiores in æquali tempore pertranseant majorem circulum in quo stellæ propinquiores minorem, quia ambo circumvolvuntur semel in die naturali patet per definitionem velocitatis et tarditatis, quod stellæ propinquiores polo tardius moventur et remotiores velocius. Illud enim movetur tarde quod in æquali tempore pertransit minus spatium, et illud moventur velociter quod in æquali parte pertransit majus spatium. Notandum, quod luna recipit lumen suum a sole ; si ergo corpus opacum interponitur impediens ne lumen solis perveniat ad lunam, vel in toto vel in parte, necesse est lumen lunæ deficere, vel in toto vel in parte, et hoc est lunam eclypsari.

« Nemo miratur flamina Cori etc. » Hic ostendit philosophia quod cognita causa cessat admiratio, dicens : Nemo miratur flamina cori, talis venti, tundere, idest percutere, littus frementi fluctu, scilicet maris : et hoc dicit pro tanto,quia vento flante aqua maris cedit et ad littus resistens repercutitur : nec etiam aliquis miratur molem, idest magnitudinem nivis frigore duram, idest congelatam, solvier, idest solvi, et hic est paragoge, idest additio syllabæ ad finem dictionis propter necessitatem metri ; ergo ponitur solvier pro solvi, ferventi æstu phœbi, idest solis : hic enim, idest in istis exemplis, promptum est cernere causas, quare ventus impellit mare, quare sol liquefacit nivem ; sed illic in prioribus exemplis latentes causæ turbant pectora, supple, per admirationem, et mobile, vulgus, stupet, idest miratur, subditis, idest de subitaneis eventibus, et super cuncta quæ provehit, idest producit rara ætas, idest quæ raro eveniunt : sed si vis cassare admirationem, mobilus error inscitiæ, idest ignorantiæ causarum cedat, idest recedat, et accedat notitia causarum : profecto, idest pro certo tunc cessent videri mira quæ prius stante ignorantia videbantur mira. Notandum, quod sacerdotes in Ægypto propter admirari incœperunt philosophari : videntes enim eclypses solis et lunæ et ignorantes causas mirabantur, causas earum inquirentes : quibus inventis habuerunt scientiam earum eclypsium, eo quod scire est causam rei cognoscere cognita ergo causa cognoscitur res, et per consequens cessat admiratio.

PROSA VI.

Ita est, inquam. Sed cum tui muneris sit latentium rerum caussas evolvere, velatasque caligine explicare rationes : quæso uti hinc decernas, et, quoniam hoc me miraculum maxime perturbat, edisseras.Tum illa paullisper arridens : Ad rem me inquit, omnium quæsitu maximam vocas, cui vix exhausti quidquam satis sit. Talis namque materia est, ut una dubitatione succisa, innumerabiles aliæ, velut hydræ capita, succrescant : nec ullus fuerit modus, nisi quis eas vivacissimæ mentis igne coërceat. In hac enim de providentiæ simplicitate, de fati serie, de repentinis casibus, de cognitione ac prædestinatione divina, de arbitrii libertate quæri solet : quæ quanti oneris sint, ipse perpendis. Sed quoniam hæc quoque te nosse, quædam medicinæ tuæ portio est, quamquam angusto limite temporis septi, tamen aliquid delibare conabimur. Quod si te musici carminis oblectamenta delectant, hanc oportet paullisper differas voluptatem, dum nexas tibi ordine contexo rationes. Ut libet, inquam. Tum velut ab alio orsa principio, ita disseruit. Omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, et quidquid aliquo movetur modo, caussas, ordinem, formas, ex divinæ mentis stabilitate sortitur. Hæc in suæ simplicitatis arce composita, multiplicem rebus gerendis modum statuit : qui modus cum in ipsa divinæ intelligentiæ puritate conspicitur, Providentia nominatur : cum vero ad ea quæ movet atque disponit, refertur, Fatum a veteribus appellatum est illa ipsa divina ratio in summo omnium principe constituta, quæ cuncta disponit : fatum vero inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus. Providentia namque cuncta pariter, quamvis diversa quamvis infinita, complectitur : fatum vero singula digerit in motum, locis, formis, ac temporibus distributa : ut hæc temporalis ordinis explicatio, in divinæ mentis adunata prospectu providentia sit : eadem vero adunatio digesta atque explicata temporibus, fatum vocetur. Quæ licet diversa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo namque fatalis ex providentiæ simplicitate procedit. Sicut enim artifex faciendæ rei formam mente per-

quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes ad virtutis frugem rediere, dum se eis dissimiles student esse quos oderant. Sola est enim divina vis cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen in ordinem relabatur, ne quid in regno providentiæ liceat temeritati. *Argaleon d'eme tayta theon os pant' agoreyein*, neque enim fas est homini cunctas divini operis machinas vel ingenio comprehendere, vel explicare sermone. Hoc tantum prospexisse sufficiat, quod naturam omnium proditor Deus idem ad bonum dirigens cuncta disponat : dumque ea quæ protulit, in sui similitudinem retinere festinat, malum omne de reipublicæ suæ terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat. Quo fit ut quæ in terris abundare creduntur, si disponentem providentiam spectes, nihil usquam mali esse perpendas. Sed video jam dudum te et pondere quæstionis oneratum, et rationis prolixitate fatigatum, aliquam carminis exspectare dulcedinem. Accipe igitur haustum, quo refectus, firmior in ulteriora contendas.

« Ita est inquam etc. » Hic incipit sexta prosa hujus quarti ; in qua prosa philosophia consolando Boetium assignat causas prædictorum quæ videntur mira in divina gubernatione, propter ignorantiam causæ. Et primo Boetius petit sibi explicari istas causas : et philosophia tangit difficultatem explicationis earum. Secundo promittit se velle assignare causas, et tertio eas assignat. Secunda, ibi, « Sed quoniam. » Tertia, ibi. « Omnium generatio. » Primo Boetius concedit quod dictum est de admiratione hominum propter ignorantiam causarum, dicens : Ita est inquam : tunc petit explicari causas admirationis eorum quæ contingunt in divina providentia et dispositione, dicens : O philosophia, cum evolvere, idest elucidare causas latentium rerum, sit tui muneris, idest tuæ gratiæ, et explicare rationes velatas caligine, idest rationes obscuras et difficiles, quæso ut hinc, idest de ista difficultate, discernas, idest judices et edisseras, idest disputes, quoniam hoc miraculum maxime me perturbat, scilicet quare malis bona et bonis mala eveniant. Et philosophia paulisper arridens Boetio inquit : ad rem maximam omnium quæsitu idest ad maximam quæstionem, vocas, idest incitas me, cui vix quicquam exhausti satis sit ei ad quam exhauriendam et solvendam vix aliquid sufficit. Talis namque est materia quam petis declarari, ut una dubitatione succisa, idest soluta, innumerabiles aliæ succrescant, velut capita hydræ, quorum uno ablato tria succrescebant : nec fuerit modus, idest terminus dubitationum, nisi quis eas coerceat vivacissimo igne, idest ardenti investigatione mentis. In hac enim materia quæri solet de providentiæ simplicitate, de serie fati, de repentinis casibus, de prædestinatione divina, de libertate arbitrii : quæ omnia quanti oneris, idest difficultatis sint ad determinandum, tu ipse perpendis. Notandum, quod « sapientis est scire omnia, » ut constat ex *prohæmio Metaphysicæ :* et « cum scire sit per causam, » *primo Posteriorum,* Sapientis est evolvere causas rerum latentium ; ideo dicit Boetius ad philosophiam : Tui muneris est evolvere causas. Notandum, quod dicit philosophiam paulisper sibi arrisisse. Per hoc philosophia innuit morem et habitum sapientum, qui audita simplicitate imperitorum arrident eis, congratulando quod ipsi cum aviditate sapientiam quærunt. Notandum : secundum fabulas hydre fuit serpens in Lerna palude habens plura capita, quorum uno succiso tria excrescebant : quem cum Hercules cum sagittis interficere non posset, græco igne ipsum consumpsit.

« Sed quoniam hæc etc. » Hic philosophia promittit velle assignare causas, dicens : Quoniam hæc nosse te est quædam portio, idest pars tuæ medicinæ, quamquam simus septi, idest conclusi angusto, idest brevi limite temporis, tamen aliquid delibare conabimur. Sed si te oblectant delectamenta, idest suavitates, musici carminis, idest metri, oportet quod differas paulisper, idest modicum hanc voluptatem, donec contexero, idest formabo rationes sibi nexas, idest conjunctas ordine. Dicit Boetius : ut libet inquam, idest uti tibi placet. Tunc ipsa philosophia orsa, idest incipiens loqui velut ab aliquo principio, ita disseruit, idest disputavit. Notandum, per hoc quod dicit, Nos septi angusto limite temporis, innuit philosophia præsentem materiam adeo esse difficilem quod totum tempus præsentis vitæ quod breve est vix sufficit ad prædicta plenarie de-

clarandis. Notandum, quod dicit philosophiam causam fuisse ab alio principio, nam illa quæ philosophia prius probavit deducuntur ex hoc principio quod Deus est perfectum bonum et ultimus finis omnium : quæ autem nunc vult demonstrare deducuntur ex hoc principio quod Deus est principium effectivum omnium ut patebit.

« Omnium generatio rerum etc. » Hic philosophia prosequitur intentum, volens assignare causas, quare bonis mala et malis bona contingant. Et primo declarat quædam ad suam determinationem necessaria. Secundo ponit suam determinationem. Secunda, ibi, « Quæ vero tu requiris. » Primo philosophia determinat de providentia divina et de fato. Secundo ostendit quæ sint ea quæ fato disponuntur. Secunda, ibi, « Ea series. » Primo ostendit quid nominetur divina providentia, et quid fatum. Secundo tangit differentiam inter ea, assignando definitiones utriusque. Tertio ponit diversas opiniones circa fatum. Quarto infert quamdam conclusionem circa fatum et providentiam. Secunda, ibi, « Quæ licet diversa. » Tertia, ibi, « Sive igitur. » Quarta, ibi, « Quo fit. » Primo dicit : Generatio omnium rerum, cunctusque progressus naturarum mutabilium, et quidquid aliquo modo movetur, illud sortitur causas generationis, et mutationis, et ordinem generationis et mutationis, et formas quibus generatur vel movetur, substantiales vel accidentales, omnia ista sortitur ex divinæ mentis stabilitate. Hæc enim mens divina composita, idest stabilita in arce, idest in altitudinem suæ simplicitatis, statuit rebus gerendis, idest faciendis multiplicem modum : qui modus cum conspicitur, idest consideratur in ipsa puritate divinæ intelligentiæ, idest secundum esse quod habet in intellectu divino, nominatur providentia : cum vero ille modus refertur ad ea quæ movet et disponit, a veteribus, idest ab antiquis fatum appellatum est. Notandum, quod omnia a primo sunt mutabilia : aliqua moventur secundum substantiam ut generabilia et corruptibilia : quantum ad illa dicit : Omnis generatio rerum. Alia autem sunt mutabilia secundum locum et non secundum substantiam, ut corpora cœlestia : quantum ad illa dicit : Cunctosque mutabilium naturarum progressus. Alia sunt mutabilia solum secundum operationem, scilicet secundum intelligere, non secundum substantiam nec secundum ubi proprie ; sicut intelligentiæ : quantum ad illas, dicit : Et quidquid aliquo movetur modo. Aliter exponitur quod in rebus mutabilibus triplex est dispositio : una est qua transeunt de non esse ad esse per generationem : quantum ad hoc dicit : Omnium generationem : quantum ad hoc dicit : Omnium generatio rerum. Aut res permanent in existentia per aliquod tempus, postquam generatæ sunt : quantum ad illas dicit : Cunctosque mutabilium naturarum progressus. Aut res procedunt de esse ad non esse per corruptionem : quantum ad illas dicit : Et quidquid aliquo movetur modo. Notandum, quod quidam dicunt, fatum esse quamdam dispositionem derelictam in rebus inferioribus ex actione corporum cœlestium, secundum quam inferiora necessitantur et constringuntur ad immobiles effectus. Et sic beatus Gregorius in *homelia Epiphaniæ* improbat fatum, dicens : « Absit a fidelium cordibus ut fatum esse aliquid dicamus, scilicet necessitans inferiora ; quia sic omnia venirent ex necessitate. » Alio modo accipitur fatum pro dispositione rerum secundum quam res dependent ex divina voluntate et potestate ; et sic fatum conceditur aliquid esse. Est ergo providentia divina ordinatio sive dispositio existens in mente divina qua cuncta inferiora sunt provisa secundum statum suæ naturæ : fatum autem est dispositio divina existens in rebus mobilibus qua singula suis annectuntur ordinibus, ut magis patebit.

« Quæ diversa esse, facile liquebit etc. » Hic ponit differentiam inter providentiam et fatum, assignando definitiones utriusque. Secundo ostendit quod unum eorum dependet ex altero, ibi, « Quæ licet diversa. » Primo dicit : Quæ duo, scilicet fatum et providentiam divinam, liquebit, idest patebit esse diversa siquis mente conspexerit, idest conside-

raverit utriusque vim, idest naturam et essentiam. Et definiens providentiam dicit : Providentia est ipsa divina ratio, quæ est in summo principe omnium rerum constituta; quæ, scilicet ratio cuncta disponit. Tunc definiens fatum dicit : Fatum est dispositio inhærens rebus mobilibus, idest temporalibus, per quam dispositionem providentia nectit quæque suis ordinibus. Tunc declarat istas definitiones ex proprietatibus utriusque, intendens quod providentia complectitur omnia simul : sed manifestum est quod omnia nusquam sunt simul nisi in mente divina : ergo oportet quod providentia sit ratio existens in mente divina : ad fatum vero spectat ut ea quæ fato subduntur distribuantur per tempora et loca, ita quod ordo fatalis quamdam successionem temporalem importat : talis autem successio non est nisi in ipsis rebus mobilibus : quare oportet quod fatum sit in rebus mobilibus. Unde dicit in littera : Providentia namque cuncta complectitur pariter quamvis diversa et infinita. Fatum vero digerit, idest dividit singula distributa in motum locis, formis, temporibus, ita scilicet ut hæc temporalis explicatio quæ ad fatum pertinet, adunata in prospectu divinæ mentis sit providentia : Eadem vero adunatio digesta, idest divisa et explicata temporibus, quæ successionem important, vocetur fatum. Notandum, quod quia prius dixit quod definitio rerum faciendarum ut est in intellectu divino dicitur providentia, ut autem refertur ad res mobiles dicitur fatum, posset alicui videri quod fatum et providentia significarent eamdem rem sub diversis rationibus. Ideo philosophia hoc excludens ostendit ea realiter distingui, ponens definitionem utriusque. Notandum, quod cognitio Dei habet se ad res sicut cognitio artificis ad artificiata. Sicut ergo omnia artificiata subduntur ordini et rationi artis, sic necesse est omnes res subdi rationi et ordini divinæ providentiæ : propter quod ostendit quod providentia est divina ratio quæ cuncta disponit. Notandum, quod dispositio quæ ponitur in definitione fati accipitur pro ordine : et dicitur ille ordo inhærens rebus mobilibus, ad differentiam ordinis qui est in ipsa ratione divina, quem jam vocamus providentiam ; secundum quem ordinem providentia divina annectit quæque suis ordinibus ; scilicet ut illa eveniant illo tempore, et alia alio tempore; hæc prius, illa posterius.

« Quæ licet diversa sint etc. » Hic ostendit quod licet fatum et providentia differant, tamen unum dependet ex altero, dicens : Quæ licet sint diversa, tamen alterum pendet ex altero, scilicet fatum dependet ex providentia : nam ordo fatalis procedit ex simplicitate providentiæ, sicut declarat in simili, dicens : Sicut enim artifex, puta ædificator, formam faciendæ rei sicut domus, mente percipiens, idest prospiciens, movet,idest producit effectum operis, et quod simpliciter et præsentarie prospexerat mente, scilicet formam domus cum suis partibus simul,ducit per temporales ordines, supple, ad effectum, primo fundamentum, postea parietes, ultimo tectum : ita Deus providentia sua singulariter, idest simpliciter et stabiliter disponit omnia facienda, sed fato, idest per fatum ea quæ disposuit, temporaliter administrat. Notandum, quod providentia divina habet esse in prima causa, fatum vero in rebus causatis. Item providentia divina habet motum unitum, quia est in uno simplici, scilicet in mente divina; fatum autem habet motum pluralitatis quia in pluribus causatis habet esse. Item fatum dependet a providentia divina, sicut effectus a sua causa; sed non e converso. Sicut enim forma rei artificialis dependet a forma præexistente in mente artificis, et non e converso, sic fatum dependet a providentia divina, non autem e converso.

« Sive igitur, famulantibus etc. » Hic ponit diversas opiniones circa fatum; et dicit : Sive fatum exerceatur quibusdam divinis spiritibus famulantibus divinæ providentiæ, sive exerceatur anima, sive tota natura inserviente, sive exerceatur motibus siderum, idest corporum cœlestium, sive angelica virtute sive dæmonum solertia, sive aliquibus horum, vel omnibus, hoc est incertum; tamen istud est certum providentiam divinam

esse immobilem et simplicem formam rerum gerendarum, idest fiendarum, sed fatum esse mobilem nexum, idest dependentiam et ordinem temporalem eorum quæ divina simplicitas disposuit gerenda, idest producenda. Notandum, quod fatum est temporalis dispositio rerum, inquantum ea quæ provisa sunt a Deo producuntur ad effectum mediantibus causis secundis administrantibus; de quibus causis diversæ fuerunt opiniones quas Boetius tangit in littera; sed nullam earum affirmat. Nam quidam antiquorum dicebant fatum exerceri mediantibus divinis spiritibus Deo famulantibus. Alii dicebant ipsum exerceri ab anima mundana, sicut platonici; quod alii exponunt de anima humana, quia per eam, tamquam per causam secundam, exercentur actus liberi arbitrii qui sub providentia cadunt. Alii dixerunt fatum exerceri tota natura inserviente, intelligentes per totam naturam complexionem omnium elementorum. Alii dicunt fatum exerceri motibus corporum cælestium, sicut astrologi. Alii quod per variam solertiam dæmonum; et dicuntur dæmones in proposito spiritus habitantes circa humestam partem aeris, secundum doctrinam quorumdam platonicorum; qui dicuntur cacodæmones, idest malum scientes. Alii dicunt fatum exerceri angelica virtute. Ubi notandum, quod in prima opinione fatum dicitur exerceri mediantibus spiritibus Deo famulantibus; quod est intelligendum de spiritibus omnia disponentibus, sed immobiliter permanentibus. Quod autem dicitur in quinta opinione fatum exerceri virtute angelica; intelligendum est de angelis sive spiritibus applicantibus se diversis locis missis in ministerium. Angelus enim nuntius interpretatur; et est nomen officii, non naturæ, secundum beatum Gregorium.

« Quo fit ut omnia etc. » Hic infert quamdam comparationem circa fatum et providentiam. Secundo declarat eam in exemplo, ibi, « Nam ut orbium. » Primo dicit, ex quo dictum est fatum dependere a providentia divina: Quo fit, idest ex quo sequitur ut omnia quæ subsunt fato etiam providentiæ sint subjecta. Cui etiam providentiæ ipsum fatum subjacet, sed non e converso; quia quædam quæ locata sunt sub providentia superant seriem fati, scilicet ea quæ immediate per Deum administrantur sicut creatio rerum, et glorificatio creaturarum rationalium; ea vero quæ sunt propinqua primæ divinitati stabiliter fixa, idest immobilia, hæc excedunt ordinem fatalis mobilitatis, idest mutabilitatis. Notandum, quod quia fatum dependet a providentia sicut effectus a sua causa; necesse est illa quæ dependent a fato etiam a providentia dependere, non autem e converso; quia effectus non adæquatur suæ causæ; providentia autem ad divinum intellectum spectat; fatum vero ad ea quæ in creaturis geruntur.

« Nam ut orbium etc. » Hic declarat illam conclusionem per exemplum; ostendens quomodo quædam subjacent fato magis, quædam minus, et quædam totaliter excedunt fatum. Secundo ex dictis concludit habitudinem fati ad providentiam per quædam similia, ibi, « Igitur uti est. » Dicit primo, Nam sicut orbium, idest circulorum vertentium, idest moventium se circa eumdem cardinem, idest axem, ille qui est intimus, idest vicinior sive proximior axi accedit ad simplicitatem medietatis, idest axis vel centri, quia tardiori motu movetur, et ideo magis accedit ad immobilitatem axis, et iste circulus respectu exterioris habet se ad modum centri circa quod exterior versatur. Unde subdit quod est veluti quidam cardo, idest centrum ceterorum orbium extra locatorum circa quem versantur. Sicut modiolus in rota adhæret axi et est sicut cardo quidam circa quem volvuntur cancri et radii. Extimus vero, idest ultimus orbis exterior rotatus, idest motus, majore ambitu, tanto explicatur amplioribus spatiis, quanto discedit a media individuitate puncti, idest centri. Si quid vero illi medio se connectat, illud cogitur, idest compellitur in simplicitatem, idest immobilitatem axis, et cessat diffundi et diffluere per magnum spatium. Similiter illud quod longius a prima mente discedit, sicut creaturæ corruptibiles, majoribus nexibus fati implicatur; et tanto

magis aliquid est liberum a fato quanto vicinius petit, idest accedit illum cardinem rerum, scilicet Deum : quod si firmitate supernæ mentis hæserit, supergreditur necessitatem fati. Notandum, quanto magis entia sunt propinqua primo, tanto minus sunt mutabilia ; et quanto remotiora, tanto magis mutabilia : quod declarat philosophia exemplo diversorum circulorum ab eodem centro ductorum, in quibus circulus remotior a centro est major, et velocius movetur, quia majus spatium pertransit in æquali tempore; qui autem est vicinior centro minor est, et tardius movetur minus spatium pertranseundo ; circuli vero medii medio modo se habent. Et est optima comparatio centri circuli ad creatorem. Sicut enim centrum est indivisibile et ab ipso possent plures circuli procedere, ita creator unus et indivisibilis existens infinita creat et gubernat.

« Igitur uti est etc. » Hic philosophia concludit habitudinem fati ad providentiam divinam per quædam similia; et dicit : Series fati ita est, idest ita se habet ad stabilem simplicitatem divinæ providentiæ, sicut ratiocinatio se habet ad intellectum. Ubi sciendum quod illud quod intellectus simplici veritate intelligit, ratiocinatio per modum discursus et successive apprehendit. Etiam fatum se habet ad providentiam sicut illud quod gignitur habet se ad illud quod est. Ubi sciendum quod illud quod gignitur est in quadam fluxibilitate et motu ; quod vero actu est genitum, est in quadam permanentia. Etiam habet se fatum ad providentiam sicut temporis ad æternitatem. Ubi sciendum quod in tempore est successio partium temporis præsentis, præteriti et futuri ; æternitas autem est sine successione tota simul existens. Item fatum habet se ad providentiam sicut circulus ad medium punctum. Ubi sciendum quod circulus distenditur et per partes dividitur mobilis existens ; punctum autem est immobile et indivisibile, quia *ex primo* Euclidis punctum est cujus pars non est.

« Ea series cœlum etc. » Hic philosophia ostendit quæ sunt illa quæ fato disponuntur. Secundo concludit quod illa quæ intellectui confusa videntur, in divina gubernatione sunt rationabiliter ordinata, ibi, « Quo fit. » Primo dicit : ea series fati de qua dictum est, movet cœlum et sidera, temperat elementa in seinvicem ne totaliter se corrumpant, et transformat ipsa alterna commutatione, ita quod ex aqua fiat aer et e converso ; et eadem series fati renovat omnia nascentia et occidentia, idest moventia, per similes progressus fœtuum quo ad animalia, et seminum quo ad vegetabilia : et fatum etiam constringit indissolubili connexione causarum actus, idest operationes et fortunas hominum : quæ omnes res cum proficiscantur, idest procedant ab exordiis divinæ providentiæ, necesse est eas esse immutabiles : ita enim res optime reguntur, si simplicitas manens in divina mente promat, idest explicet indeclinabilem, idest immutabilem ordinem causarum ; hic autem ordo divinæ providentiæ coerceat propria incommutabilitate res mutabiles, et alioquin temere, idest casualiter fluituras. Notandum, quod fatum consideratur dupliciter : uno modo ut est in causis secundis quarum ordo et dispositio dicitur fatum : et sic fatum est mobile, et res fato subjacentes sunt mobiles. Alio modo consideratur fatum, secundum quod dependet a providentia divina, quæ omnino immobilis est ; et sic fatum sortitur immutabilitatem, et sic etiam res fatales ut sic secundum substantiam sunt immobiles. Notandum, quod si aliquid possit declinare ab ordine providentiæ, tunc providentia divina deficeret a suo effectu, et hoc redundaret in impotentiam regentis. Et si dicis : si omnia subjacent providentiæ divinæ, ergo omnia eveniunt ex necessitate ; dicendum quod non, quia Deus prævidet res sicut sunt futuræ : quædam prævidet necessario evenire, et quædam contingenter : et de hoc videtur magis in *quinto* hujus.

« Quo fit etc. » Hic philosophia ostendit quod ea quæ apparent in rebus confusa, in divina gubernatione sunt ordinata, dicens : Quo fit, idest ex hoc quod divina providentia inevitabilem ordinem rebus constituit, sequitur ut etsi vobis minime valentibus considerare hunc or-

dinem eorum videatur valde nimis confusa et perturbata, nihilominus tamen omnia sunt, idest ordo proprius divinæ providentiæ, disponit cuncta, dirigens ea ad bonum : nullo enim est quod causa mali fiat, nec etiam ab ipsis improbis, quos homines quærentes proprias vires deserit, ut prius demonstratum est, nedum, idest multo minus, ordo fatalis proficiscens de cardine summi boni, idest ab ipso Deo deflectat a suo exordio, idest a Deo qui est finis et principium omnium. Notandum, quod dicit malos nihil facere causa mali, cujus oppositum patet : multi enim mali seipsos interimunt. Dicendum quod nullus operatur respiciens ad malum, quia omnia bonum appetunt. Si autem quis malum operatur, hoc contingit sub phantasia boni. Nam aliquis in magna anxietate existens, æstimat esse bonum fugere anxietatem, et nihil aliud ipse considerans sequitur hanc æstimationem seipsum interficiens, et talis privans se bono ductus phantasia boni, quia tunc putat bonum esse effugere anxietatem privatione vitæ.

« Quæ vero, inquies etc. » Hic philosophia solvit quæstionem quare bona malis et mala bonis contingant. Et primo ostendit hoc in generali. Secundo magis in speciali, ibi, « Sed si aliquis. » Primo assignat causam prædicti accidentis ex defectuoso judicio hominum. Secundo ex contrario judicio Dei et hominum, ibi, « Nam ut pauca. » Primo facit quod dictum est. Secundo declarat per simile, ibi, « Non enim dissimile. » Primo dicit : O Boeti, tu inquies, quæ potest esse ulla iniquior confusio, quam ut bonis aliquando prospera, aliquando adversa contingant, idest eveniant, cum semper bonis deberent prospera evenire ; et malis per contrarium aliquando contingant optata, aliquando odiosa, cum semper malis deberent odiosa evenire. Dicit philosophia : Numquid homines degunt, idest vivunt ea integritate, idest integro judicio mentis, ut necesse sit eos esse probos quos ipsi censuerint, idest judicant esse tales ? Atqui (pro certo) in hoc depugnant, idest contrariantur judicia hominum, ut quos alii præmio alii arbitrantur dignos supplicio. Sed concedamus ut aliquis possit discernere bonos et malos. Numquid ipse poterit intueri illam intimam temperiem, idest interiorem conditionem et qualitatem animorum velut solet dici in corporibus? quasi dicat : Ego loquor de animis secundum quod homines consueverunt loqui de corporibus. Notandum, quod propter defectuosum judicium hominum contingit quod judicant eos esse bonos qui mali sunt, et e converso. Si ergo judicant malos esse bonos, et si illis eveniant mala, putant bonis evenire mala : et si bonis quos judicant malos eveniant bona, putant malis evenire bona. Et ideo sæpe putant bonos deprimi cum mali deprimuntur, judicantes malos esse bonos ; et putant malos extolli cum boni extolluntur, quia judicant bonos esse malos.

« Non enim dissimile est miraculum etc. » Hic philosophia declarat hoc per simile, dicens : Istud miraculum non est dissimile, immo valde simile ad propositum : nesciente aliquo cur sanis corporibus his conveniant dulcia his amara, etiam nesciente aliquo cur quidam ægri adjuvantur levibus quidam acerbis, licet hoc videatur mirum nescienti, tamen medicus de hoc non miratur, qui cognoscit modum et temperamentum sanitatis et ægritudinis : sicut similiter licet homo ignoret quid conveniat malis et bonis, tamen Deus qui est scrutator cordium ista cognoscit videns quod bonis aliquando conveniunt adversa, malis quandoque prospera : ideo sic eis distribuit. Et hoc est quod subdit applicando similitudinem ad animum, dicens : Quid enim aliud videtur, idest apparet esse salus animorum quam probitas? quid aliud est ægritudo animorum quam vitia? et quis alius conservator est bonorum et depulsor malorum quam Deus rector et medicator mentium? Qui cum respicit ex alta specula providentiæ, ipse agnoscit quid unicuique conveniat : et quod novit convenire hoc accommodat. Hinc, idest ex hoc quod dictum est, fit insigne miraculum ordinis fatalis, idest fit illud quod admirantur homines in ordine fatali, cum a sciente, idest a Deo illud geritur, idest fit, quod ignorantes stupeant, idest admirentur. Notandum,

quod est bona comparatio sanitatis et ægritudinis corporalis ad medicum, et probitatis et vitii animorum ad Deum. Sicut enim medicus cognoscens causas sanitatis et ægritudinis, scit quid conveniat sano et ægro, aliis ignorantibus et mirantibus : sic Deus cognoscens qualitatem animorum scit quid bonis conveniat et quid malis. et unicuique sibi conveniens tribuit, quandoque malis prospera, bonis adversa : de quo stupent ignorantes. Notandum, quod specula diditur locus altus aptus ad circumspiciendum : et quia Deus per providentiam omnia circumspicit, ideo similitudinarie ipsa providentia dicitur specula. Notandum, quod quia homines ignorant qui sunt boni et mali, ignorant etiam quid unicuique conveniat : ideo aliqua creduntur convenire bonis quæ tamen secundum judicium Dei eis non conveniunt : et ideo homines mirantur quare Deus eis non attribuat quæ videntur eis attribuenda. Ideo dicit philosophia : ex dictis contingit hoc miraculum quod ignorantes stupent quæ fiunt a Deo sciente.

« Nam ut pauca etc. » Hic philosophia ostendit quod bonis mala et malis bona contingunt ex contrario judicio Dei et hominum, dicens : Ut ergo pauca perstringam quæ humana ratio valet, scilicet accipere de divina profunditate, illud supple, declarabo : O Boeti, de hoc, supple, homine quem tu putas esse justissimum et servantissimum æqui, idest æquitatis, diversum videtur, idest aliter videtur providentiæ scienti omnia, idest Deo. Quod confirmat auctoritate Lucani, qui describens bellum inter Pompeium et Julium Cæsarem, cum quæreretur ab eo cujus causa esset justior, dixit : victrix causa diis placuit, sed victa Catoni. Unde dicit : victricem causam, scilicet Julii Cæsaris, placuisse diis, victam vero causam, scilicet Pompeii, placuisse Catoni, admonuit Lucanus noster familiaris. Ex quo concludit, ea quæ contra spem hominum veniunt esse confusionem in opinione hominum, non tamen in re : dicens : Quidquid igitur videas fieri, idest fieri vel evenire, contra spem hominis causam ignorantis, id in rebus est rectus ordo ; sed opinioni tuæ est perversa confusio. Nota, quod Cato Uticensis propter suam sapientiam et virtutem maximæ auctoritatis fuerat in populo. Cum autem Julius pugnaret contra Pompeium, Cato judicavit Pompeium esse justum, attribuens sibi causam victricem. Alii autem judicabant Julium esse justum, attribuentes sibi causam victricem. Ex quo patet quod de eodem contrario modo judicabant dii et homines sapientes qui Catonem sequebantur.

« Sed sit aliquis etc. » Hic philosophia assignat causas speciales quare bonis et malis indifferenter eveniunt nunc prospera, nunc aversa. Secundo excusat se de ampliori pertractione hujusmodi causarum. Secunda, ibi, « Neque enim fas. » Primo declarat intentum suum de bonis. Secundo de malis, ibi, « Nam id quoque. » Primo assignat causam quare aliquibus bonis non eveniunt mala. Secundo quare aliquando eis contingunt mala, ibi « Aliis mixta. » Primo ostendit quare bonis non contingant mala. Secundo quare contingant eis quandoque bona, ibi, « Fit autem, » Primo assignat duas causas, quare bonis non eveniant mala. Secunda, ibi, « Est alius. » Prima causa est infirmitas animi alicujus boni, cui si adveniret adversitas ipse deterioretur : unde dicit in littera : Sed sit, idest ponamus quod aliquis sit ita bene moratus, idest morigeratus, quod divinum et humanum judicium consentiat de eo, forsan ipse est infirmus viribus animi, non potens resistere adversitatibus. Cui si eveniat quid, idest aliquid adversi, forsitan desinet colere innocentiam, idest exercere virtutem per quam non potuit retinere fortunam, quia imputabit suæ innocentiæ quod prosperitas sua recessit ; quemadmodum legitur de Job, cui uxor sua improperabat, dicens : *Adhuc permanes in simplicitate tua? benedic Deo et morere.*

« Parcit itaque illi sapiens dispensatio etc. » idest providentia Dei, quem adversitas possit facere deteriorem, ne patiatur eum laborare adversitate cui non convenit. Notandum, quod quidam boni sunt ita imbecilles animi quod ex modica tentatione adversitatis mutarentur : quod videns Deus parcit ipsis ne eos adversi-

tate dejiciat. Unde Apostolus: *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis.*

« Est alius cunctis virtutibus absolutus etc. » Hic assignat aliam causam quare quibusdam bonis non adveniant mala, dicens: Est alius homo absolutus, idest perfectus cunctis virtutibus, et sanctus et proximus Deo: hunc providentia contingi, idest tangi aliquibus adversis, providentia divina judicat nefas adeo, idest intantum, ut non sinat ipsum agitari morbis corporeis. Quod confirmat auctoritate cujusdam philosophi, dicens: Nam, ut ait quidam philosophus excellentior me, cujus auctoritatem ponit in græco, quæ tantum sonat in latino: Corpus viri sancti ædificaverunt virtutes, supple, præservando ipsum ab adversis. Nota, quod secunda causa quare aliquibus non adveniunt adversa est excellens sanctitas ipsorum. Sicut enim Deus excellenter malos non tantum punit in futuro, sed etiam in præsenti, sic aliquos excellenter bonos non tantum premiat in futuro, sed in præsenti ab adversitate custodit. Notandum, quare philosophia dicat: quidam excellentior me dixit: cum nullus sit excellentior philosophia. Dicendum quod littera sic debet exponi: Nam quidam philosophus excellentior aliis philosophis, me, idest per me philosophiam, dixit.

« Fit autem sæpe etc. » Hic ostendit quare bonis sæpe contingant bona, dicens: Fit autem, idest contingit sæpe ut summa rerum regenda, idest principatus regendi res deferatur, idest concedatur bonis, idest probis; non tamen propter utilitatem bonorum hominum, sed ut improbitas exuberans, idest abundans malorum retundatur, idest compescatur vel reprimatur. Tunc assignat causam quare bonis quandoque contingant mala, dicens: Aliis, idest bonis Deus distribuit quædam mixta, idest nunc bona nunc mala pro qualitate animorum. Quosdam enim bonos Deus remordet adversitatibus, ne luxurient, idest superbiant longa felicitate, idest prosperitate. Alios bonus patitur agitari, idest vexari duris, idest adversitatibus, ut virtutes animi ipsorum confirment usu et exercitatione patientiæ, ut patet in *Job*. Alii plus æquo metuunt quod ferre possunt: sicut Thomas formidavit ingressum Indiæ, dicens: Domine, mitte me quo vis præterquam ad Indos. Alii plus æquo despiciunt quod ferre non possunt, quia quasi se præsumendo despiciunt tentationes, quas tamen ferre non possunt. Ut sanctus Petrus qui dixit: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, ad tentationem et accusationem ancillæ Christum negavit. Has viros Deus ducit, idest tentat tristibus, idest adversitatibus, in experimentum sui, idest in recognitionem sui, ut sciant quid possint et quid non possint: et nonnulli, idest aliqui, emerunt pretio mortis venerandum nomen sæculi, sicut martyres. Quidam inexpugnabiles suppliciis prætulerunt ceteris exemplum, virtutem esse invictam a malis. Quæ omnia quam recte et disposite fiant, ex eorum bono quibus accedere videntur nulla est dubitatio. Notandum, quod quidam plus timent quam timere deberent aliquam adversitatem, de quibus dicitur in psalmo: *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Talibus Deus immittit adversitates quibus resistunt, ut cognoscant se gratia Dei posse resistere et quod timebant. Alii autem præsumentes de propriis viribus despiciunt tentationes quasi potentes resistere eis: illis Deus tentationes immittit et permittit eos succumbere, ut cognoscant quam fragilis sit humana natura sine divina gratia.

« Nam illud quoque etc. » Hic assignat causas quare malis quandoque bona quandoque mala contingant. Et primo ostendit quare malis contingant mala. Secundo quare bona, ibi, « Læta vero. » Primo dicit: Ex eisdem causis ducitur, idest probatur, quod improbis nunc proveniunt tristia, nunc optata: sed de tristibus quæ malis eveniunt nemo miratur quia omnes existimant eos, scilicet malos, esse meritos, idest dignos malo: quorum malorum supplicia ceteros deterrent, idest terrore retrahunt a sceleribus, et ipsos malos emendant quibus invehuntur supplicia. Notandum, quod philosophia innuit tres causas quare malis eveniunt mala. Prima est quia omnes homines

æstimant eos dignos malo. Secundo quia per supplicia malorum alii a malo retrahuntur. Tertia causa quia mali suppliciis emendantur.

« Læta vero magnum bonis argumentum loquuntur etc. » Hic assignat causas quare malis bona eveniant. Secundo solvit tacitam quæstionem sive objectionem, ibi, « Nam ut probis. » Primo dicit : Læta vero, idest prospera quæ malis eveniunt, loquuntur, idest judicant bonis magnum argumentum, quid judicare debeant de hujusmodi felicitate, quam sæpe cernant famulari improbis. Habent enim probi ex hoc certissimum argumentum quod illa non est vera felicitas quæ malis advenit, sed falsa deceptio. Tunc assignat primam causam quare Deus malis concedit bona et prospera : quod quidem mali per prospera præservantur a pejoribus sceleribus ne fiant fures vel raptores ; et dicit : In qua re quod malis eveniant prospera illud credo dispensari, idest dispensatione ordinari, quod forsitan natura alicujus mali est tam præceps ad malum et importuna, ut inopia rei familiaris, idest paupertas possit eum exacerbare, idest provocare, in scelera, scilicet ad furtum vel ad rapinam : hujus morbo divina providentia medetur remedio collatæ pecuniæ. Tunc assignat secundam causam talem : quod ideo malis eveniunt prospera ut prosperitate emendent vitam suam timentes ne propter malitiam amittant prosperitatem. Unde dicit : Hic, idest aliquis malus, spectans, idest considerans conscientiam suam fœdatam probris, idest maculatam vitiis, et ipse considerans fortunam, idest prosperitatem suam, forsitan pertimescit, ut cujus rei, scilicet prosperitatis jucundus est ei usus, illius fiat tristis amissio ; et dum metuit amittere fortunam, derelinquit nequitiam. Tunc ponit tertiam causam, dicens : Aliis malis advenit prosperitas ut incidant majorem miseriam adversitatis, quia sicut dictum fuit, *secundo libro*, prosa quarta : « In omni adversitate fortunæ infelicissimum genus infortunii est fuisse felicem. » Unde dicit in *littera* quod felicitas indigne aucta, alia littera habet acta, idest inducta, alios malos præcipitavit in meritam cladem, idest in miseriam. Et addit quod quibusdam malis permissum est, idest concessum, jus puniendi, idest potestas ut sit bonis causa exercitii in virtutibus et patientia : et malis sit causa supplicii. Nota quod felicitas quosdam præcipitat in cladem adversitatis : unde Samariensis :

Promovet injustos fortuna volubilis, ut quos
Scandere præcipites ad ima rotet.
Nam graviore ruit turris tumefacta ruina.
Et gravius pulsat alta cypressus humum.

Et notandum, quod boni per adversitates in virtutibus et patientia exercentur. Unde idem pauper Henricus :

Aspera ferre decet, maturant aspera mentem.
Et bene matura plenius uva sapit.
Per nimios æstus gelidas transitur ad undas.
Sicque per oppositum dulcia quærit homo.

« Nam ut probis etc. » Hic solvit quamdam objectionem. Secundo infert quamdam conclusionem, ibi, « Ex quo sæpe. » Primo dicit : Aliquis diceret : dixisti quod malis est concessum jus puniendi ut sint causa supplicii aliis malis : hoc non videtur verum, quia malus non punit malum cum sint similes. Hoc solvit philosophia, dicens : Sicut probis et improbis nullum est fœdus, idest concordia, quia semper invicem contrariantur, ita ipsi improbi nequeunt inter se convenire. Quid ni, idest quare non esset ita, cum quiquam, idest quilibet mali, dissentiant a semetipsis, vitiis discerpentibus, idest distrahentibus conscientiam ipsorum, et sæpe mali faciant quæ cum gesserint, idest fecerint, decernant, idest judicent, non fuisse gerenda, idest facienda. Notandum quod intantum aliquis est bonus inquantum reservat ordinem in ultimum finem, qui finis est summum bonum : et quia illum finem et ordinem omnes boni servant, ideo omnes boni in eo quod boni sunt invicem concordant : mali autem quia hunc ordinem non observant et a semetipsis discordant, mutuo sibi concordare non possunt.

« Ex quo sæpe summa illa etc. » Hic infert quamdam conclusionem, dicens : Ex quo mali puniunt malos, ex hoc di-

vina providentia prodidit longius miraculum, scilicet ut mali faciant malos bonos : quod declarat. Nam dum quidam mali videntur pati a bonis injustitiam, ipsi flagrantes, idest ardentes, odio nocentium, idest damnorum suorum, ipsi redeunt ad frugem virtutis, idest ad virtutem, dum student se esse dissimiles illis malis quos oderunt. Et addit quod sola divina vis talis est cui mala sint bona, idest vadunt in bonum : sicut cum medicus facit malum bonum. Unde subdit : Cum Deus utendo competenter malis elicit effectum alicujus boni. Ordo enim fatalis cuncta complectitur, ut quod discesserit ab assignata ratione ordinis, scilicet malum, relabatur in alium ordinem, scilicet boni, ne in regno providentiæ Dei liceat quid, idest aliquid temeritati, idest inordinationi. Et ponit auctoritatem in græco quæ tantum sonat : Fortissimus in mundo Deus omnia regit. Notandum, quod bonum proveniens ex malitia improborum non est imputandum ipsis improbis, sed tantum divinæ virtuti quæ novit ex malis efficere bona. Et licet Deus malum dirigat ad bonum sua intentione et potestate, non tamen homo ideo est extra culpam, qui illud malum agit mala intentione. Notandum, quod alius est ordo naturalis, alius ordo a Deo provisus. Ordo naturalis est ut Deum et proximum diligamus. Ordo provisus est temporalis rerum dispositio quæ fatum vocatur. Et licet ordinem naturalem sæpe dimittamus aliquid plus Deo diligendo et proximum odiendo, tamen ordinem provisum a Deo nunquam effugimus, qui nunquam aliter provenit quam Deus providet ; et si aliquid recedit ab ordine naturali, relabitur in alium ; ut si aliquid est malum quo ad misericordiam, ipsum est bonum in comparatione ad justitiam ; ita quod in regno divinæ providentiæ nihil relinquitur temeritati, idest inordinationi.

« Neque enim fas est homini etc. » Hic philosophia excusat se de ampliori indagatione causarum, dicens : Neque enim est fas homini vel ingenio comprehendere vel sermone explicare cunctas machinas, idest causas vel dispositiones operæ divinæ, idest divini operis ; hoc tamen sufficiat prospexisse, quod Deus proditor idest productor omnium naturarum disponat cuncta dirigens ad bonum, et dum ea quæ produxit, idest produxit, festinat retinere in similitudine sui, idest in bono, ipse eliminat, idest excludit per seriem, idest per ordinem fatalis necessitatis omne malum de terminis suæ publicæ rei, idest mundi : quo fit ut mala quæ creduntur abundare in terris, si spectes providentiam disponentem, nihil perpendas usquam esse mali. Tunc invitat Boetium ad consolationem metricam, dicens : Video te esse oneratum pondere quæstionis quæ difficilis est, et fatigatum prolixitate orationis, expectare aliquam dulcedinem carminis. Igitur accipe haustum dulcedinis metricæ, quo refectus, idest recreatus firmior contendas, idest pergas in ulteriora. Notandum, quod dicit malum nusquam esse in comparatione ad divinam providentiam, quia malum non est aliqua natura, neque aliqua res ; omnis enim natura et res appetit suam perfectionem. Cum autem appetibile habeat rationem boni, si malum esset natura et res appetens perfectionem, malum esset bonum. Notandum, quod nullum est malum simpliciter et totaliter in mundo quin in comparatione ad divinam providentiam habeat rationem boni : unde expedit multos defectus contingere in universo ne multa bona tollantur. Si enim non corrumperetur aer, ignis non conservaretur ; nec vita leonis conservaretur nisi occideretur agnus vel asinus ; neque laudaretur justitia nec patientia si non esset iniquitas. Ex quo patet quod multa in comparatione ad nos sunt mala quæ in comparatione ad divinam providentiam omnia disponentem secundum quod melius competunt universo, bona sunt.

METRUM VI.

Si vis celsi jura Tonantis
Pura solers cernere mente,
Aspice summi culmina cœli.
Illic justo fœdere rerum
Veterem servant sidera pacem.
Non sol rutilo concitus igne
Gelidum Phœbes impedit axem,
Nec quæ summo vertice mundi

Flecti rapidos Ursa meatus,
Nunquam occiduo lota profundo,
Cetera cernens sidera mergi,
Cupit Oceano tingere flammas.
Semper vicibus temporis æquis
Vesper seras nuntiat umbras,
Revehitque diem Lucifer almum.
Sic æternos reficit cursus
Alternus amor : sic astrigeris
Bellum discors exsulat oris.
Hæc concordia temperat æquis
Elementa modis, ut pugnantia
Vicibus cedant humida siccis,
Jugantque fidem frigora flammis :
Pendulus ignis surgat in altum,
Terræque graves pondere sidant.
Iisdem caussis vere tepenti
Spirat florifer annus odores,
Æstas Cererem fervida siccat,
Remeat pomis gravis autumnus,
Hiemem defluus irrigat imber.
Hæc temperies alit, ac profert,
Quidquid vitam spirat in orbe :
Eadem rapiens condit, et aufert,
Obitu mergens orta supremo.
Sedet interea conditor altus,
Rerumque regens flectit habenas,
Rex et dominus, fons et origo,
Lex et sapiens arbiter æqui ;
Et quæ motu concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat.
Nam nisi rectos revocans itus,
Flexos iterum cogat in orbes,
Quæ nunc stabilis continet ordo,
Dissepta suo fonte fatiscant.
Hic est cunctis communis amor,
Repetuntque boni fine teneri.
Quia non aliter durare queant,
Nisi converso rursus amore
Refluant caussæ quæ dedit esse.

« Si vis celsi jura tonantis etc. » Istud est sextum metrum hujus quarti libri : quod secundum quosdam dicitur adonicum, secundum quosdam archilochicum ab inventore, tetrametrum, dactylicem a pede prædominante, in quo metro philosophia commendat divinam providentiam in dispositione rerum. Et primo ex parte rerum quæ divina dispositione reguntur. Secundo ex parte Dei regentis, ibi, « Sedet interea. » Primo commendat divinam providentiam in regimine corporum cœlestium. Secundo in regimine elementorum. Tertio in regimine temporum. Quarto in regimine generabilium et corruptibilium. Secunda, ibi, « Hæc concordia. » Tertia, ibi, « His de caussis. » Quarta, ibi, « Hæc temperies. » Primo dicit : Si tu solers, idest sapiens vis, pura mente cernere jura, idest regimina quibus mundus regitur celsi tonantis, idest Dei, aspice culmina, idest altitudines summi cœli. Illic sidera servant veterem pacem, idest antiquam concordiam quam eis divina providentia indidit justo fœdere ; quia sol concitus, idest commotus, rutilo igne, idest calore, non impedit gelidum axem phœbes, idest lunæ ; nec ursa quæ flectit rapidos motus, idest motus circa polum septentrionalem nunquam lota occiduo profundo, idest mari occidentali, cupit tingere, idest mergere, flammas oceano, idest mari, cernens cetera sidera mergi in mare ; et loquitur more vulgari : credit enim vulgus stellas quando occidunt descendere in mare. Et vesper, idest Venus semper æquis vicibus temporis nuntiat seras umbras noctis, et eadem Venus existens Lucifer revehit diem almum, idest clarum. Sic alternus amor proveniens ex divina providentia reficit æternos cursus siderum : sic, idest per talem mutuam concordiam, bellum discors exulat, idest expellitur, ab oris astrigeris, idest a regionibus cœlestibus quæ gerunt astra. Notandum de hac dictione solers, quæ secundum Isidorum interpretatur quasi solitus in arte vel utilis, et sic debet scribi per duplex *ll*. Sed secundum Huguitionem dicitur a solon, quod est totum vel multum, et artis, quasi totus vel multus in arte, et sic debet scribi per simplex *l*. Notandum, quod Deus magis denominatur tonans a tempestate tonandi quam ab alia tempestate, quia major horror per eam incutitur mentibus hominum quam per aliam. Unde per tempestatem tonandi homines magis inducuntur ad recogitandam divinam potentiam. Nota, quod ursa habens septem stellas circa polum septentrionalem mota, nunquam occidit ; sed semper nobis apparet, licet aliæ stellæ nobis oriantur et occidant. De venere autem quæ de nocte sequitur solem et de mane Lucifer dicta præcedit solem, visum fuit in primo libro metro secundo.

« Hæc concordia temperat æquis etc. » Hic philosophia commendat regimen divinæ providentiæ in elementis, dicens : Hæc concordia proveniens ex divina providentia, temperat elementa æquis modis, ut humida elementa pugnantia, idest contraria cedant siccis, vicibus, idest vi-

superat, ita quod quandoque prævaleant humida et quandoque sicca, et quod frigora, idest elementa frigida, jungant fidem, idest concordiam. Flammis, idest calidis elementis: non tamen totaliter aliud corrumpit; et fiet quod ignis levis ut pendulus ignis surgat in altum, idest versus sursum, et terræ graves pondere sidant, idest deorsum residentes. Tunc commendat regimen Dei circa tempora, dicens: Iisdem causis, idest similibus causis per divinam providentiam ordinatis annus florifer, idest in quo abundant flores, spirat odores ipso vere, idest tempore veris tepenti, idest incalescente; æstas fervida siccat, idest maturat, cererem, idest fruges. Autumnus remeat, idest revertitur, gravis, idest onerosus, pomis. Imber defluus irrigat hiemem. Tunc commendat regimen Dei circa generabilia et corruptibilia, dicens: Hæc temperies, idest temperata dispositio providentiæ divinæ, alit et profert quidquid in orbe spirat vitam, idest quicquid vivit; et eadem temperies rapiens ea quæ fecit, condit, idest abscondit et aufert, scilicet ab esse, mergens orta, idest producta, supremo obitu, idest ultima morte. Notandum: secundum Commentatorem in octavo *Physicorum*: « Primum antiquum nihil facit sine secundo antiquo, idest cœlo; » ergo prima causa generationem et corruptionem elementorum et omnium in mundo et temporum distinctionem operatur mediantibus corporibus cœlestibus. Unde in libro *de Pomo* Aristoteli attribuitur, quod creator omnium sua sapientia præparavit sphæras, et in qualibet sphæra stellas lucidas, et dedit ipsis virtutem dominandi in hoc mundo, faciendi bonum et malum, mortem et vitam; et incedunt stellæ secundum virtutem ipsis a creatore datam secundum desiderium et voluntatem ejus in ascendendo et descendendo, nunc de oriente ad occidens, nunc de occidente ad oriens sine contradictione; et omnes stellæ sunt servi domino obedientes: et tamen hi motus earum non sunt a se ipsis, nec virtute earum, sed est creator qui facit eas moveri.

« Sedet interea conditor altus etc. » Hic commendat providentiam divinam ex parte Dei regentis, dicens: Interea dum res sic geruntur, altus conditor, idest summus creator rerum Deus, sedet, idest in se immutabiliter manet regens omnia, flectit, idest moderatur, habenas rerum, idest frena, existens rex per sapientiam gubernationis, dominans per potentiam creationis, fons omnis bonitatis et origo omnium et ipse a nullo, lex omnia ligans et sapiens, arbiter, idest judex, æqui, idest æquitatis, omnibus retribuens secundum justitiam, quæ scilicet Deus omnia regens, concitat, idest excitat, entia, ire, idest procedere ad esse motu, idest per motum; et sistit, idest permanere facit ad tempus in esse retrahens omnia ad non esse, et ipse firmat per gratiam vaga, idest instabilia per naturam.

« Nam nisi Deus revocans rectos itus etc. » Idest rectum progressum, qui est ab esse ad non esse, cogat, idest reducat entia in flexos orbes, idest in quasdam circulationes, ea quæ stabilis ordo divinæ providentiæ continet, ipsa dissepta idest separata a suo fonte, idest a suo principio quod est Deus, fatiscant, idest deficiant et ad nihilum devenient. Hic fons est communis amor cunctis entibus, et cuncta repetunt, idest appetunt, teneri, idest conservari, fine boni, idest per finem boni; quia res aliter non queant durare, idest in esse perpetuari, nisi converso amore, refluant, idest redeant causæ, idest ad causam primam quæ dedit eis esse per creationem. Notandum, quod entia reguntur a Deo per quamdam circulationem secundum quam quodam modo perpetuantur in esse: verbi gratia, Deus sic disposuit res ut ex semine proveniat herba, et e converso ex herba producatur semen; sic in generatione elementorum fit quidam circulus, dum ex aere generatur ignis et iterum ex igne aer. Item in creaturis rationalibus quæ progrediuntur a Deo productione naturæ fit iterum reflexio ad ipsum Deum per reductionem gratiæ, ut sic nihil permaneat in rebus ens et perfectum nisi per quamdam circulationem: et hoc innuit philosophia in *littera*. Notandum, quod finis ad quem omnia natura, idest appetitu tendunt, est ipsum summum bonum

quod est Deus. Hunc finem consequuntur rationales creaturæ per operationem intellectus et voluntatis. Sed irrationales creaturæ consequuntur ipsum solum per hoc quod ipsum repræsentant per quamdam participationem essendi ; et ideo eodem appetitu naturali quo aliquid appetit suum esse, eodem appetitu tendit in suum ultimum finem. Et hoc innuit in *littera*, cum dicit : Hic est cunctis communis amor.

PROSA VII.

Jam ne igitur vides, quid hæc omnia quæ diximus, consequatur? Quidnam? inquam. Omnem, inquit, bonam prorsus esse fortunam. Et qui, inquam, fieri potest? Attende, inquit : Cum omnis fortuna vel jucunda, vel aspera, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi corrigendique improbos causa deferatur, patet quod omnis bona est, quam vel justam constat esse, vel utilem. Nimis quidem, inquam, vera ratio : et si quam paullo ante docuisti providentiam , fatumve considerem, firmis viribus est nixa sententia. Sed eam, si placet inter eas quas inopinabiles paullo ante posuisti, numeremus. Quid ? inquit. Quia id hominum sermo communis usurpat, et quidem crebo, quorumdam malam esse fortunam. Vis ne igitur, inquit, paullisper vulgi sermonibus accedamus, ne nimium velut ab humanitatis usu recessisse videamur? Ut placet, inquam. Quæ vero aut exercet, aut corrigit, prodest? Fateor, inquam. Bona igitur? Quidni? Sed hæc eorum est qui vel in virtute positi, contra aspera bellum gerunt, vel a vitiis declinantes, virtutis iter arripiunt. Negare, inquam, nequeo. Quid vero jucunda, quæ in præmium tribuitur bonis ? num vulgus malam esse decernit ? nequaquam : verum uti est, ita quoque esse optimam censet. Quid reliqua, quæ cum sit aspera, et justo supplicio malos coerceat, num bonam populus putat? Immo omnium, inquam, quæ excogitari possunt, judicat esse miserrimam. Vide igitur, ne opinionem populi sequentes, quiddam valde inopinabile confecerimus. Quid ? inquam. Ex his enim ait, quæ concessa sunt, evenit, eorum quidem qui sunt vel in possessione, vel in provectu, vel in adeptione virtutis, omnem quæcumque sit, bonam, in improbitate vero manentibus, pessimam esse fortunam. Hoc, inquam, verum est, tametsi nemo audeat confiteri. Quare, inquit, ita vir sapiens moleste ferre non debet, quoties in fortunæ certamen adducitur : ut virum fortem non decet indignari, quoties increpuit bellicus tumultus. Utrique enim, huic quidem gloriæ propagandæ, illi vero confirmandæ sapientiæ difficultas ipsa, materia est. Ex quo etiam virtus vocatur, quod suis viribus nitens non superetur adversis. Neque enim vos in provectu positi virtutis, diffluere deliciis, et emarescere voluptate venistis : sed prælium cum omni fortuna nimis acre conseritis. Ne vos aut tristis opprimat, aut jucunda corrumpat, firmis medium viribus occupate. Quidquid autem infra subsistit, aut ultra progreditur, habet præmium laboris. In vestra est enim situm manu, qualem vobis fortunam formare malitis. Omnis enim quæ videtur aspera, aut exercet, aut corrigit, aut punit.

« Jam ne igitur vides etc. » Ista est septima et ultima prosa hujus quarti libri : in qua philosophia deducit quamdam conclusionem ex præmissis. Et primo facit hoc. Secundo subjungit quamdam exhortationem. Secunda, ibi, « Quare inquit. » Primo ponit conclusionem intentam. Secundo comparat eam ad opinionem vulgi. Secunda, ibi, « Sed eam. » Primo dicit : Vides ne jam, o Boeti, quid consequatur hæc omnia quæ diximus. Dicit Boetius : Quid inquam? et philosophia : Omnem fortunam prorsus esse bonam. Dicit Boetius : Et qui inquam, idest quomodo, hoc potest fieri? Cui philosophia : Attende inquit. Cum omnis fortuna sive jucunda sive aspera, deferatur causa remunerandi vel exercendi bonos, vel causa puniendi vel corrigendi improbos, patet, quod omnis fortuna est bona : quam vel constat esse justam, sicut illa quæ punit malos et præmiat bonos : vel constat esse utilem, sicut quæ exercet bonos et corrigit malos. Dicit Boetius : Nimis, idest valde, est vera ratio : et si providentiam quam paulo ante docuisti et fatum considerem, tunc sententia est nexa, idest firmata, firmis viribus, idest rationibus. Notandum, quod ex quo secundum divinam providentiam bonis et malis, nunc prospera nunc adversa eveniunt, bonis propter remunerationem prospera et propter exercitationem in virtutibus adversa, patet quod prospera fortuna remunerans et adversa exercitans est bona. Item cum prospera fortuna malos emendet, ut visum est prius, et adversa ipsos corrigat et juste puniat patet etiam ipsam esse bonam.

« Sed eam si placet etc. » Hic comparat hanc conclusionem ad opinionem vulgi, ostendens eam vulgo esse inopinabilem : et inquirit quid vulgus sentiat de qualibet fortuna. Secundo ex opinione vulgi, concludit quoddam contrarium ipsi vulgo, ibi, « Vide igitur. » Dicit ergo : O philosophia, si placet, eam opinionem, quod omnis fortuna sit bona, numeremus inter eas opiniones quas paulo ante posuisti inopinabiles. Dicit philosophia : Quid, idest propter quid? Boetius dicit : Quia communis sermo hominum usurpat istud, idest in usum capit quorumdam

fortunam esse malam, quæ omnino bonam. Et dicit philosophia : Vis ne, o Boeti, accedamus paulisper sermonibus vulgi, ne nimium videamur recessisse a communi usu hominum? Dicit Boetius : Ut placet. Et philosophia : Nonne censes bonum quod prodest? Dicit Boetius : Ita est. Et philosophia : Fortuna quæ aut exercet aut corrigit prodest. Dicit Boetius : Fateor inquam. Ideo concludit philosophia : Omnis fortuna bona est quæ exercet et corrigit. Dicit Boetius : Quid ni? idest quare non. Et addit philosophia : Hæc fortuna quæ exercet est eorum hominum qui positi in virtute gerunt bellum contra aspera ; sed fortuna quæ corrigit est eorum hominum qui declinantes a vitiis arripiunt iter virtutis. Dicit Boetius : Negare nequeo. Quærit philosophia : Quid est de fortuna jucunda quæ tribuitur bonis in præmium? numquid vulgus decernit, idest judicat eam esse malam? Dicit Boetius : Nequaquam ; sed censet, idest judicat eam esse optimam sicut est. Quærit ulterius philosophia : Quid est de reliqua fortuna quæ punit, quæ cum sit aspera et coerceat malos justo supplicio, numquid populus, idest vulgus putat eam esse bonam? Dicit Boetius : Immo judicat eam esse miserrimam omnium quæ excogitari possint. Notandum, quod omnis fortuna vel est ad exercendum bonos et corrigendum malos homines, vel est ad remunerandum bonos et puniendum malos. Fortuna quæ est ad exercendum bonos et ad corrigendum malos homines, utraque est bona, etiam secundum opinionem vulgi : quod probat philosophia. Illud quod prodest bonum est ; sed fortuna quæ exercet bonos homines prodest bonis, et quæ corrigit malos prodest malis, ergo utraque est bona. Fortuna autem quæ exercet est bonorum qui gerunt bellum contra vitia. Fortuna quæ corrigit est malorum qui declinant ad virtutes. Fortuna autem quæ remunerat bonos, bona est etiam secundum vulgares ; sed quæ punit malos omnium pessima est secundum vulgares ; et hanc opinionem vulgi de utraque fortuna philosophia tangit in *littera*.

« Vide igitur etc. » Hic philosophia ex concessis a vulgo concludit quoddam inopinabile et contrarium vulgo ; scilicet malam esse fortunam tantum malorum, cum tamen opinetur vulgus ut plurimum malam fortunam evenire bonis : et dicit : Vide ne nos sequentes opinionem populi, idest vulgi, confecerimus, idest concluserimus quoddam valde inopinabile apud vulgum. Quid inquam? dicit Boetius ; et philosophia : Ex his enim quæ concessa sunt secundum opinionem vulgarem evenit quod eorum qui sunt in perfecta possessione virtutis, vel in profectu vel in adeptione virtutis, omnem fortunam esse bonam, sive sit prospera sive adversa ; manentibus autem in improbitate omnem fortunam esse pessimam. Et dicit Boetius : hoc verum est secundum opiniones vulgares, quamvis nemo audeat confiteri secundum veritatem : quia in rei veritate omnis fortuna bona est, tam bonorum, ut probasti. Notandum, quod omnis fortuna bona vel est remunerans, vel exercens, vel corrigens. Fortuna remunerans est eorum qui sunt in possessione virtutis. Fortuna exercens est eorum qui sunt in profectu virtutis. Fortuna corrigens est eorum qui incipiunt esse virtuosi. Ex quo relinquitur quod eorum qui permanent in malitia sit fortuna pessima ; et hoc verum est secundum opiniones vulgares. Nota, quod quælibet fortuna potest dupliciter considerari. Uno modo in comparatione ad causam universalem quæ omnia regit et disponit ordinando singula in finem eis convenientem, sic omnis fortuna bona est, ut probatum est. Vel potest comparari fortuna ad illum cui evenit : et sic solum illa dicitur bona quæ aliquod bonum confert illi cui advenit : et illa mala quæ nihil boni confert.

« Quare, inquit, ita etc. » Hic philosophia facit quamdam exhortationem, dicens : Ex quo omnis fortuna est bona, sapiens vir non debet moleste ferre, quotiens adducitur in certamen fortunæ idest cum fortuna ; et non decet fortem virum indignari, idest turbari quotiens increpuit, idest insonuit, bellicus tumultus, idest strepitus. Nam ipsa difficultas bellandi et resistendi fortunæ est unicuique viro forti et virtuoso materia,

idest causa gloriæ propagandæ; exercitium enim bellicum est causa gloriæ viro forti. Illi vero, scilicet viro virtuoso resistentia fortunæ est materia, idest causa confirmandæ sapientiæ, idest virtutis. Ex quo, idest ex qua victoria, talis difficultas virtus vocatur : dicitur enim virtus eo quod suis viribus nitens non superetur adversis. Et subdit : Neque enim vos positi in profectu, idest in via virtutis, venistis, in mundum diffluere deliciis, et emarcescere voluptate, prælium nimis acre conseritis cum omni fortuna. Ne tristis fortuna vos opprimat ejiciendo in desperationem, aut jucunda corrumpi alliciendo ad voluptatem, occupate, idest tenete, ergo medium virtutis firmis viribus ; quia quidquid infra subsistit a medio virtutis deficiendo, aut ultra progreditur medium virtutis excedendo, illud habet contemptum felicitatis, idest virtutis, et non habet præmium laboris, et in vestra manu, idest potestate situm est, qualem fortunam velitis vobis formare, scilicet bonam vel malam. Omnis enim fortuna quæ videtur aspera, aut exercet bonos et punit malos, et sic bona est. Notandum, quod philosophia hortatur sapientem ad magnanimitatem, cum dicit : Sapiens non debet moleste ferre fortunam. Nam secundum Aristotelem in *Ethicis :* Sapiens bene scit ferre fortunas, quia habet se sine vituperio sicut tetragonum. Corpus enim tetragonum quocumque projicitur firmiter stat ; et magnanimus est qui contra difformes insultus fortunæ unanimi mentis constantia militat. Notandum, quod virtus consistit in medio inter duo vitia extrema, ad quorum unum impellit prospera fortuna, ad aliud adversa : verbi gratia : Adversitas impellit ad desperationem et timiditatem, prosperitas autem ad præsumptionem et audaciam, inter quæ consistit medium virtutis, cujus excessus vel defectus est vitiosus : et hoc innuit philosophia in *littera.* Nota, quod in potestate hominis est facere fortunam sibi qualem vult, scilicet bonam vel malam : quod declarat philosophia in adversa fortuna, quia si eam accipimus bono animo pro exercitio et correctione, ipsa est bona : si autem eam toleramus malo animo etiam pro pœna ipsa mala est.

METRUM VII.

Bella bis quinis operatus annis
Ultor Atrides Phrygiæ ruinis
Fratris amissos thalamos piavit.
Ille dum Graiæ dare vela classi
Optat, et ventos redimit cruore,
Exuit patrem, miserumque tristis
Fœderat gnatæ jugulum sacerdos.
Flevit amissos Ithacus sodales,
Quos ferus, vasto recubans in antro,
Mersit immani Polyphemus alvo :
Sed tamen cæco furibundus ore,
Gaudium mœstis lacrimis rependit.
Herculem duri celebrant labores :
Ille Centauros domuit superbos,
Abstulit sævo spolium leoni,
Fixit et certis volucres sagittis :
Poma cernenti rapuit draconi,
Aureo læva gravior metallo :
Cerberum traxit triplici catena :
Victor immitem posuisse fertur
Pabulum sævis dominum quadrigis :
Hydra combusto periit veneno :
Fronte turpatus Achelous amnis,
Ora demersit pudibunda ripis :
Stravit Antæum Libycis arenis :
Cacus Evandri satiavit iras :
Quosque pressurus foret altus orbis,
Setiger spumis humeros notavit.
Ultimus cœlum labor irreflexo
Sustulit collo, pretiumque rursus
Ultimi cœlum meruit laboris.
Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Duxit exempli via : cur inertes
Terga nudatis ? superata tellus
Sidera donat.

« Bella bis quinis etc. » Hic incipit septimum et ultimum metrum hujus quarti ; quod dicitur sapphicum ab inventore, trochaicum a pede prædominante : in quo philosophia confirmat suam exhortationem exemplo virorum fortium qui spretis voluptatibus magnos subierunt labores, spe laudis et gloriæ. Et primo ponit plura exempla. Secundo hortatur nos ad imitationem eorum, ibi, « Ite nunc fortes. » Prima pars posset dividi in tot partes quot exempla ponit ; quæ patebunt. Primum exemplum est tale : Paris filius Priami regit Trojanorum in Græciam profectus rapuit Helenam uxorem Menelai, et duxit eam in Phrygiam regionem. Menelaus autem conquestus fratri suo Agamemnoni hoc factum. Menelaus convocatis principibus

græcorum transfretavit in Phrygiam et obsedit Trojam decem annis, quam tandem destruxit et majoribus interfectis populum captivavit. Cum autem Agamemnon proficisceretur versus Trojam, devenit in quamdam insulam ubi factus est ei ventus contrarius, et requisivit vates quid esset faciendum, qui dixerunt quod non haberet ventum prosperum nisi placaret Dianam sacrificando ei suam filiam. Cui licet hoc videretur durum propter pietatem paternam, tamen suadente Ulysse laudis et gloriæ super victoria obtinenda consensit ut eam immolaret, quo facto obtinuit ventum prosperum ad voluntatem. Dicit ergo in *littera*: Atrides, idest Agamemnon Atrei filius existens ultor operatus bella bis quinis, idest decem annis piavit, idest purgavit, ulciscendo amissos thalamos, idest uxorem contentam in thalamo fratris Menelai, ruinis, idest destructionibus Phrygiæ, idest Trojæ, quæ sita fuit in Phrygia, dum ille Agamemnon, optat dare, idest exponere vela Grajæ classi, idest navi græcali, et dum redemit ventos cruore filiæ suæ, ipse exuit, idest deposuit patrem, idest pietatem paternam, et sacerdos tristis existens fœderat, idest fœdere sacrificat miserum jugulum, idest collum vel guttur natæ, idest filiæ Agamemnonis; secundum enim Hugutionem jugulum est idem quod guttur vel gutturis incisio.

« Flevit amissos Ithacus sodales etc. » Hic philosophia ponit secundum exemplum, in quo declarat fortia acta ipsius Ulyssis, intendens talem fabulam. Ulysses rediens de bello Trojano, decem annis erravit in mari sustinens multa adversa; tandem casualiter venit ad antrum Poliphemi qui erat maximus gigas habens unicum oculum in fronte, qui socios Ulyssis occidit et voravit; super quo Ulysses contristatus sustinuit usque quo prædictus gigas cibo repletus obdormivet, quo dormiente oculum quem in fronte, habebat eruit. Qui evigilans furibundus quæsivit Ulyssem; sed excæcatus eum invenire non potuit. Dicit ergo in littera: Ithacus, idest Ulysses ab Ithaca regione, vel ab avo suo Ithaco sic dictus ille flevit, idest deflevit amissos sodales quos ferus Poliphemus recubans, idest morans in vasto antro, idest magno, mersit immani alvo, idest magno ventre; sed tamen Ulysses furibundus rependit, idest restituit, gaudium mœstis lacrymis, idest suis tristitiis ore, idest facie, Poliphemi, cæco, idest excæcato.

« Herculem duri etc. » Hic ponit aliud exemplum in quo describit acta Herculis et labores ejus, quibus fingitur meruisse cœlum, dicens: Duri labores assumpti, celebrant, idest celebrem reddunt Herculem. Cujus ponit primum laborem, scilicet domationem centaurorum, dicens: Iste Hercules domuit centauros superbos qui eum contempserunt. Ubi notandum, quod centauri monstra quædam dicta sunt ex medietate homines et ex medietate tauri: quos poetæ fingunt genitos ex semine Ixionis quod projecit in nubem qua Juno circumdederat se fugiens a facie ejus volentis cum ea concumbere: hos centauros Hercules domuit. Cum enim convenissent ad ludum palestræ in monte Folor, et Hercules congressus cum eis ipsos usque ad effusionem sanguinis prostravit.

« Abstulit sævo spolium etc. » Hic ponit secundum laborem Herculis, dicens: Hercules abstulit spolium, idest pellem sævo leoni. Ubi notandum, quod in silva Nemæa fuit quidam leo crudelissimus, qui homines totius regionis invasit; quem aggressus Hercules pro liberatione patriæ ipsum interemit et excorians ipsum pellem pro spolio abstulit.

« Fixit et certis volucres sagittis etc. » Hic ponit tertium laborem, dicens: Hercules fixit volucres, idest harpyas, certis sagittis. Ubi notandum, quod rex Phineus filios suos excæcavit qui novercam suam de stupro accusaverant; propter quod invidia deorum ipse est excæcatus, et appositæ sunt ei harpyæ, idest volucres virginei vultus, rapientes cibum de mensa ejus, quas Hercules sagitis suis fixit et fugavit.

« Poma cernenti rapuit draconi etc. » Hic tangit quartum laborem, dicens: Hercules rapuit poma draconi cernenti, idest custodienti illa rapuit aureo metallo, idest, cum clava aurea. Hercules

inquam factus gravior, idest fortior læva, idest manu. Ubi notandum, quod septem fuerunt filiæ Athlantis habentes hortum aureum cum pomis aureis quæ draco custodiebat. Hercules autem superveniens draconi poma aurea abstulit.

« Cerberum traxit triplici catena etc. » Hic ponit quintum laborem, dicens : Hercules Cerberum, idest canem infernalem traxit ab inferis triplici catena. Ubi notandum, quod Pyrithous volens sibi desponsare reginam inferni, Herculem et Theseum et alteros viros fortes assumpsit, quibus venientibus ad infernum Cerberus janitor inferni ipsos latratu suo impedivit, Hercules autem ipsum tribus catenis vinxit, vel secundum alios, ipsum traxit de inferno triplici catena, quia dicitur habere tria canina capita triplici catena vincta.

« Victor immitem etc. » Hic ponit sextum laborem, dicens : Victor, scilicet Hercules fertur posuisse immitem dominum, secundum Diomedem, in pabulum sævis quadrigis, idest æquis quadrigam trahentibus. Ubi notandum, quod Diomedes fuit rex Thraciæ, qui equos suos pavit humana carne, quem Hercules interfectum dedit suis propriis equis devorandum.

« Hydra combusto periit etc. » Hic ponit septimum laborem, dicens : Hydra, idest serpens periit combusto veneno suo. Ubi notandum, quod in Lernæa palude fuit quidam serpens habens plura capita, quorum uno præciso succrescebant tria, quem Hercules aggressus sagittando cum non videret se proficere, collecta congerie lignorum ipsum combussit.

« Fronte turpatus etc. » Hic ponit octavum laborem Herculis. Ubi sciendum quod cum Hercules vellet deducere filiam cujusdam regis quæ dicebatur Dejanira, fluvius Achelous quem debebat transire mutavit se in diversas formas pugnando contra Herculem ; cum autem ultimo mutasset se in speciem tauri, Hercules ipso dejecto abstulit sibi unum cornu, quod sacrificavit copiæ, idest deæ fortunæ ; propter quod Achelous verecundia confusus fugit et in aquis latuit : unde dicit in *littera :* Achelous amnis, idest ille fluvius fronte turbatus propter ablationem cornu, ipse demersit in ripis ora pudibunda, quia latuit præ pudore in ripis.

« Stravit Antæum libycis arenis etc. » Hic ponit nonum laborem, dicens : Hercules stravit, idest occidit Antæum illum gigantem arenis libycis, idest arenis Libyæ regionis. Ubi notandum, quod Antæus erat gigas de terra progenitus, cujus erat talis virtus, quod si aliquando ex sagittatione defatigaretur, tactu terræ statim recuperabat vires. Qui cum exerceret magnam tyrannidem in Lybia, advenit Hercules et congressus cum eo diu similiter luctabatur. Cum autem Antæus sentiret se debilitari, sponte cecidit in terram, et sic resumpsit vires ; quod Hercules cognoscens, ipsum a terra elevavit et supra pectus suum ipsum tenendo oppressit quousque spiritum exhalaret.

« Cæcus Evandri satiavit iras etc. » Hic ponit decimum laborem. Ubi notandum quod Cacus fuit monstrum evomens ignem per os, cujus pater fuit Vulcanus : manebat autem Cacus in monte Aventino spolians et occidens homines et furto plurimum insistens. Cum autem Hercules veniret de Hispania ducens secum multos boves, Cacus quosdam boves Herculis furabatur, et travit eos in antrum suum retrorsum per caudas ne furtum pateret. Cum autem Hercules quæreret boves, per mugitum unius bovis pervenit ad antrum Caci, quo extracto ipsum interficit : cujus morte placata est ira Evandri, quem idem Cacus multum offenderat. Unde dicit : Cacus, supple, morte sua quam passus est ab Hercule, satiavit, idest compescuit iras Evandri quem Cacus multum offenderat.

« Quosque pressurus etc. » Hic ponit undecimum laborem Herculis. Ubi notandum, quod in Arcadia erat quidam aper devastans totam regionem ; quem cum Hercules agitaret, aper sibi insultans humeros Herculis spuma maculavit, quem aprum tandem interfecit. Unde dicit : Setiger, idest aper gerens setas, notavit, idest maculavit humeros Herculis, supple, spuma vel saliva : quos : humeros altus orbis foret, idest erat com-

premeret; quia, ut statim patebit, Hercules humeris suis cœlum sustulit.

« Ultimus cœlum labor irreflexo etc. » Hic ponit duodecimum et ultimum laborem ejus. Ubi sciendum quod Athlas fingitur fuisse quidam gigas supportans cœlum humeris suis. Hic fatigatus rogavit Herculem ut cœlum supportaret quousque ipse respiraret; quod et Hercules fecit, et per hoc cœlum meruit. Unde dicit: Ultimus labor Herculis fuit quod sustulit, idest supportavit cœlum collo irreflexo, idest non inclinato, et rursus meruit cœlum tamquam pretium ultimi sui laboris.

« Ite nunc fortes etc. » Hic hortatur philosophia ad prædictorum fortium virorum exempla sectanda, dicens: Ite nunc fortes, resistentes adversitatibus, ite illic ubi ducit via celsa, idest ardua magni Herculis quæ est via virtutum et via magni exempli ad aggrediendum fortia. Et tunc invehitur contra tardos et vitiosos, dicens: Cur vos inertes, idest homines sine arte, sicut homines desidiosi, cur nudatis terga, idest dorsa, vestra fugiendo labores et adversa? nam tellus, idest terrena concupiscentia superata donat homini sidera, idest cœlum, quia superata terrena concupiscentia efficitur homo dignus cœlo quod est locus Deorum et spirituum. Nam secundum Aristotelem *secundo Cœli et mundi*, Omnes enim locum qui sursum est Deo attribuunt, et barbari, et græci quicumque putant Deum esse. De quo loco dicit Plato in *Phedone*: Viri speculativi viventes secundum vitam contemplativam cœlestes sedes recipiunt, in quibus felicitate Deorum potiuntur. Qua felicitate nos faciat participes Jesus Christus qui est Deus super omnia benedictus in sæcula sæculorum. Amen

LIBER QUINTUS

PROSA I

Dixerat, orationisque cursum ad alia quædam tractanda atque expedienda vertebat. Tum ego: Recta quidem, inquam, exhortatio, tuaque prorsus auctoritate dignissima. Sed quod tu dudum de providentia quæstionem pluribus aliis implicitam esse dixisti, re experior. Quæro enim an esse aliquid omnino, et quidnam esse casum arbitrere. Tum illa: Festino, inquit, debitum promissionis absolvere, viamque tibi qua patriam reveharis aperire. Hæc autem etsi perutilia cognitu, tamen a propositi nostri tramite paululum aversa sunt; verendumque est, ne deviis fatigatus ad emetiendum rectum iter sufficere non possis. Ne id, inquam, prorsus vereare. Nam quietis mihi loco fuerit, ea quibus maxime delector agnoscere. Simul cum omne disputationis tuæ latus indubitata fide constiterit, nihil de sequentibus ambigatur. Tum illa: Morem, inquit, geram tibi; simulque sic orsa est: Si quidem, inquit, aliquis eventum temerario motu, nullaque causarum connexione productum, casum esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo, et præter subjectæ rei significationem, inanem prorsus vocem esse decerno. Quis enim, coercente in ordinem cuncta Deo, locus esse ullus temeritati reliquus potest? Nam nihil ex nihilo exsistere, vera sententia est; cui nemo umquam veterum refragatus est; quamquam id illi non de operante principio, sed de materiali subjecto, hoc omnium de natura rationum, quasi quoddam jecerint fundamentum. At si nullis ex causis aliquid oriatur, id de nihilo ortum esse videbitur. Quod si hoc fieri nequit, nec casum quidem hujusmodi esse possibile est, qualem paulo ante definivimus. Quid igitur? inquam, nihilne est, quod vel casus, vel fortuitum jure appellari queat? An est aliquid, tametsi vulgus lateat, cui vocabula ista conveniant? Aristoteles meus id, inquit, in *Physicis* et brevi et veri propinqua ratione definivit. Quonam, inquam, modo? Quoties, ait, aliquid cujuspiam rei gratia geritur, aliudque quibusdam de causis, quam quod intendebatur, obtingit, casus vocatur: ut si quis colendi agri causa fodiens humum, defossi auri pondus inveniat. Hoc igitur fortuito quidem creditur accidisse; verum non de nihilo est, nam proprias causas habet; quarum improvisus inopinatusque concursus casum videtur operatus. Nam nisi cultor agri humum foderet, nisi eo loci pecuniam suam depositor obruisset, aurum non esset inventum. Hæ sunt igitur fortuiti causæ compendii, quod ex obviis sibi, et confluentibus causis, non ex gerentis intentione provenit. Neque enim, sed qui aurum exercuit, ut ea pecunia reperiretur intendit; sed, uti dixi, quod ille obruit, hunc fodisse convenit, atque concurrit. Licet igitur definire casum esse inopinatum, ex confluentibus causis, in his quæ ob aliquid geruntur, eventum. Concurrere vero, atque confluere causas facit ordo ille inevitabili connexione procedens, qui de providentiæ fonte descendens cuncta suis locis temporibusque disponit.

« Dixerat orationisque cursum etc. » Hic incipit quintus liber Boetii *de Conso-*

solvit eam. Videtur enim ex dictis sequi quod aliqua possunt præsciri quæ tamen non necessario eveniunt : si autem non necessario eveniunt possunt non evenire : et sic sequitur, quod aliquod præscitum a Deo non eveniat. Primo ergo philosophia dubitando de hoc quærit, dicens : Ex quo ita est quod ea quæ sunt præscita non sunt necessaria, sed possunt non evenire ; qui, idest quomodo fieri potest, ut ea quæ providentur futura esse non proveniant? Tunc solvit dubitationem, dicens, quod non negatur quod præscita non eveniant ; imo oportet dicere quod præscita eveniant ; sed tamen non eveniunt de necessitate. Unde dicit : Quasi vero : quasi diceret : Ista dubitatio procedit quasi non credamus ea quæ providentia prænoscit non esse eventura ; sed hoc non est verum ; sed potius arbitremur illud, scilicet quod licet futura eveniant, nihil tamen necessitatis habuisse in sui natura ut evenirent. Idem manifestat in exemplo. Quomodo aliquid certe comprehenditur quod tamen non est necessarium, dicens : quod aliquid cognitum eveniat et tamen non necessario, licebit quod tu hoc perpendas hinc, idest ex tali exemplo. Intuemur enim plura exempla oculis dum fiunt, idest dum sunt in fieri ; sicut ea quæ spectantur, idest videntur aurigæ facere in moderandis et flectendis quadrigis et cetera videmus ad hunc modum ut quæ fiunt in aliis actibus voluntariis. Numquid ulla necessitas compellit aliquod illorum ita fieri sicut oculis videtur? dicit Boetius : Minime ; et assignat rationem. Frustra enim esset effectus artis si omnia moverentur coacta ; et frustra esset ars flectendi quadrigam si necessario flecteretur. Igitur illa quæ cum fiunt carent necessitate existendi, eadem sunt futura sine necessitate priusquam fiant. Ex quo concludit quod quædam sunt eventura, quorum exitus, idest eventus sit absolutus ab omni necessitate. Et forsan aliquis diceret : ea quæ nunc fiunt non erant futura antequam essent. Hoc excludit, dicens : Nullum arbitror esse dicturum quod quæ nunc fiunt eventura non fuerunt : hoc enim esset nimis irrationabile : ideo necessario concluditur, quod hæc etiam præcognita habent eventus liberos : quia sicut scientia præsentium nihil importat necessitatis his rebus quæ fiunt in præsenti, sicut patet in exemplo prædicto de regimine quadrigæ, ita præscientia futurorum nihil importat necessitatis his quæ ventura sunt. Notandum, quod licet futura in comparatione ad divinam providentiam, sunt necessaria necessitate conditionata, non tamen omnia sunt necessaria necessitate absoluta. Multa enim libere eveniunt, sicut ea quæ fiunt ab arte et a voluntate, ut regimen quadrigarum. Si enim regimen quadrigarum necessario eveniret, frustra esset ars regendi quadrigam. Notandum, quod sicut res actu fiunt, ita erant futuræ : sed quædam actu libere fiunt, ergo erant libere futuræ, et per consequens non omnia sunt necessario futura : licet necessitate conditionata inquantum comparantur ad providentiam divinam : non tamen in sui natura considerata necessario eveniunt necessitate absoluta, sicut postea videbitur, ubi distinguet duplicem necessitatem, conditionatam et absolutam.

« Sed hoc, inquis etc. » Hic philosophia discutit motivum Boetii, utrum futura incerta, sicut sunt contingentia, possint certe præsciri. Et primo movet dubitationem de hoc, et tangit rationem dubitationis. Secundo assignat causam erroris, ibi, « Cujus erroris causa est. » Dicit primo : Sed tu inquis, o Boeti : hoc ipsum dubitatur, an possit esse ulla prænotio, idest præscentia illarum rerum, quæ non habent necessarios exitus, idest eventus : hoc enim nullo modo est possibile. Cum enim videntur hæc dissonare, scilicet præscientia et contingentia. Tu enim putas, si prævideantur contingentia necessitatem ipsa consequi, et si necessitas desit minime ea præsciri ; et putas nil posse comprehendi præscientia divina nisi certum. Et si ea quæ sunt incerti exitus, idest eventus sicut contingentia, si prævidentur illa quasi certa, tu putas illud esse caliginem opinionis non veritatem scientiæ ; et in hoc tu deciperis ; cujus deceptionis causa est error tuus circa judicium cognitionis. Credis enim diversum esse ab integritate scien-

tur aliter arbitrari rem quam sese habeat; et in hoc erras. Notandum, quod quia nos non possumus futura contingentia certe præcognoscere, putamus similiter Deum hoc non posse; res enim eadem modo se habens diversimode a diversis potest cognosci. Unde cognoscere rem aliter quam se habet ex parte rei cognitæ, non est scientia; sed cognoscere rem aliter quam se habeat ex parte cognoscentis bene est scientia; et sic futura contingentia licet in se sint incerta, possunt tamen præsciri a Deo sine errore falsitatis.

« Cujus erroris causa est etc. » Hic assignat causam erroris. Ubi notandum, quod causa erroris quare putamus futura incerta non posse certo præsciri, quia putatur quod facultas cognitionis sit secundum facultatem rei cognitæ, et non ipsius cognoscentis: quod est falsum. Primo ergo præmittit hujusmodi causam erroris. Secundo improbat ipsam, ibi, « Nam ut hoc brevi. » Dicit primo: Cujus erroris causa est, quia existimatur quod omnia quæ quisquam novit illa cognosci tantum ex vi et natura ipsorum quæ sciuntur, et non ex vi cognoscentis: quod totum est contra, idest per contrarium; quia res magis cognoscuntur secundum naturam cognoscentis. Omne enim quod cognoscitur non comprehenditur secundum sui vim, idest secundum modum suæ naturæ; sed potius secundum facultatem cognoscentis. Notandum, quod si cognitio esset secundum facultatem rei cognitæ, tunc res ab omnibus eodem modo cognosceretur, et sic aliquid comprehenderetur eodem modo ab intellectu humano et divino: quod falsum est; quia quæ sunt incerta comprehensione humana, sunt certa comprehensione divina. Cognitio ergo potius attenditur secundum facultatem potentiæ cognoscentis; ita quod quanto potentia est efficacior et certior, tanto certius et limpidius rem comprehendit.

« Nam, ut hoc brevi exemplo liqueat etc. » Hic probat quod facultas cognitionis est secundum facultatem potentiæ cognoscentis et non rei cognitæ. Primo declarat hoc exemplis. Secundo probat hoc idem per rationem, ibi, « Neque id injuria. » Prima in duas, secundum duo exempla. Secundum, ibi, « Ipsum quoque. » Primo dicit: quod cognitio sit secundum facultatem cognoscentis liqueat brevi exemplo. Nam visus aliter agnoscit eamdem corporis rotunditatem et aliter tactus. Ille enim (visus) manens eminus, idest a longinquo, intuetur totum corpus simul jactis radiis visualibus; hic vero, supple, tactus cohærens et conjunctus orbi, idest rotunditati, et motus circa ipsum ambitum, idest circa corpus rotundum, comprehendit, scilicet ejus rotunditatem, partibus, idest per partes. Notandum, quod innuit duplicem differentiam inter modum cognoscendi visus et tactus. Prima est quod visus a remotis existens cognoscit aliquod corpus rotundum. Tactus autem non cognoscit ipsum nisi conjunctus. Secunda differentia est quod visus totum corpus simul comprehendit, tactus autem per partes. Talis autem diversitas in cognoscendo non esset si res cognosceretur ex sui natura, cum eadem res manet in utraque cognitione. Notandum: quidam dixerunt visionem fieri per emissionem radiorum visualium ab oculis usque ad rem visam. Sed hæc opinio est contra Aristotelem: visio enim non fit extramittendo sed intus suscipiendo: patiente enim aliquo sensitivo fit ipsum videre, *secundo de Anima*. Hic autem loquitur opinione antiquorum, cum dicit quod visus intuetur totum corpus jactis radiis.

« Ipsum quoque etc. » Hic ponit secundum exemplum in virtutibus cognoscitivis subordinatis. Secundo ostendit quomodo istæ virtutes se habeant adinvicem, ibi, « In quo illud. » Primo ergo declarat quomodo idem a diversis potentiis diversimode comprehenditur, dicens: Sensus exterior aliter contuetur ipsum hominem, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia divina. Sensus enim exterior, sicut visus, judicat figuram hominis in subjecta materia, idest in sensibili materia; sed imaginatio solam figuram judicat, idest discernit sine materia, idest in absentia rei materialis. Ratio vero hanc imaginationem transcendit, et ipsam speciem, idest naturam specificam hominis quæ singularibus

inest perpendit, idest discernit universali consideratione : oculus vero, idest consideratio intelligentiæ est celsior, quia intelligentia divina supergressa ambitum universitatis qui existit in singularibus, illam simplicem formam, scilicet ideam hominis quæ est in mente divina, contuetur pura acie, idest speculatione puræ mentis. Notandum, quod primum exemplum fuit de virtutibus cognoscitivis non subordinatis : sicut de visu et tactu. Istud autem exemplum est de virtutibus subordinatis, quæ sunt quatuor : scilicet sensus exterior qui inest omnibus animalibus, imaginatio quæ tantum inest animalibus perfectis, ratio quæ tantum est in hominibus, et intelligentia per quam intelligit divinam cognitionem. Istæ virtutes habent diversum modum cognoscendi eamdem rem, scilicet hominem, ut declaratur in *littera :* quod non esset nisi cognitio fieret secundum facultatem virtutum cognoscentium et non rei cognitæ.

« In quo illud maxime etc. » Hic ostendit philosophia quomodo prædictæ virtutes cognoscitivæ se habent adinvicem : ostendens quod quidquid potest virtus inferior potest etiam et superior et amplius. Et primo hoc ostendit de intelligentia respectu aliarum virtutum. Secundo ostendit idem de ratione. Secunda, ibi, « Ratio quoque. » Primo dicit : In quo, idest in ordine istarum virtutum illud est maxime considerandum quod vis comprehendendi superior amplectitur in se inferiorem : quia virtus superior cognoscit omne illud quod inferior : inferior autem non consurgit ad superiorem, ita ut apprehendat illud quod superior. Quod manifestat in exemplo, dicens : Neque enim sensus aliquid valet appredendere extra materiam, et imaginatio contuetur species universales, idest minus particulares, sed ratio capit simplicem, idest universalem formam : intelligentia autem divina quasi desuper spectans, cum sit in supremo gradu cognitionis, ipsa concepta forma ideali dijudicat etiam cuncta quæ subsunt illi formæ ; ut cognoscendo ideam hominis cognoscit omnia quæ sunt in homine sed eodem modo comprehendit ipsam formam quæ nulli inferiori virtuti nota esse poterit : nam ipsa cognoscit universum, idest universalem formam rationis et figuram imaginationis et materiale sensibile, quod spectat ad sensum exteriorem, non utens ratione, nec imaginatione, nec sensibus : sed propiciens cuncta uno ictu mentis, idest absque decursu cognoscit : quod non facit ratio. Notandum, quod quia virtus superior virtutem includit inferiorem, sicut tetragonum includit trigonum, ut patet *secundo de Anima ;* ideo quidquid potest virtus inferior potest et superior et magis, quia modo magis universali comprehendit quod inferior modo magis particulari, licet non e converso : ideo quæ potest intelligentia humana comprehendere, potest et divina intelligentia, licet non e converso.

« Ratio quoque cum quid universale respicit etc. » Hic ostendit idem de ratione : quod sicut intelligentia comprehendit alias tres virtutes inferiores : sic ratio etiam comprehendit sub se alias duas virtutes, scilicet imaginationem et sensum, dicens, quod cum ratio respicit, idest cognoscit, quid universale, non utens imaginatione nec sensibus, et comprehendit imaginabilia et sensibilia universali comprehensione : hæc enim est ratio, quæ ita definit universale suæ conceptionis, homo est animal bipes rationale : quæ definitio cum sit universalis notio, scilicet notificatio, tunc nullus etiam ignorat rem esse imaginabilem et sensibilem, quæ hac definitione explicatur. Illa ratio considerat universale non utens imaginatione vel sensu, sed rationali conceptione. Tunc ostendit quod sicut ratio comprehendit imaginationem et sensum, sic imaginatio sensum comprehendit, dicens : imaginatio quoque tametsi (pro quamvis) sumpsit exordium ex sensibus visendi et formandi figuras : tamen absente sensu exteriori, imaginatio collustrat, idest cognoscit quæque sensibilia, non sensibili sed imaginaria ratione judicandi. Et tunc concludit dicens : Vides ne igitur quomodo cuncta potius utantur sua, idest propria facultate in cognoscendo quam facultate eorum quæ cognoscuntur? Notandum, quod

licet ratio in comprehendendo suum universale non utatur imaginatione et sensu, tamen in actu suo præsupponit imaginationem et sensum, quia nihil est in intellectu nisi fuerit in sensu. Similiter licet imaginatio in sua operatione non utatur sensu, tamen præsupponit sensum fuisse in actu, quia phantasia quam hic vocat imaginationem, est motus factus a sensu secundum actum, ex *secundo de Anima*.

« Neque id injuria etc. » Hic confirmat dictum suum per rationem, dicens : Illud, scilicet quod res cognoscitur non secundum sui naturam, sed secundum naturam cognoscentis, illud non contingit injuria, idest irrationabiliter. Nam cum omne judicium cognitionis sit actus et operatio judicantis, idest potentiæ cognoscitivæ, necesse est ut quisque cognoscens perficiat suam operam, idest suam operationem cognoscendi, non ex aliena potestate, scilicet rei cognitæ, sed ex propria potestate, idest ex virtute cognoscentis. Notandum, quod ex littera formatur talis ratio. Omnis actus et operatio sequitur conditionem illius potentiæ cujus est actus et operatio ; sed judicare sive cognoscere est actus et operatio potentiæ cognoscentis et non rei cognitæ ; ergo judicare et cognoscere sequitur modum et conditionem potentiæ cognoscentis et non rei cognitæ.

METRUM IV.

Quondam Porticus attulit
Obscuros nimium senes,
Qui sensus et imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,
Ut quondam celeri stilo
Mos est æquore paginæ,
Quæ nullas habeat notas,
Pressas figere litteras.
Sed mens si propriis vigens
Nihil motibus explicat,
Sed tantum patiens jacet
Notis subdita corporum,
Cassasque in speculi vicem
Rerum reddit imagines,
Unde hæc sic animis viget
Cernens omnia notio?
Quæ vis singula perspicit,
Aut quæ cognita dividit?
Quæ divisa recolligit,
Alternumque legens iter
Nunc summis caput inserit,
Nunc decedit in infima;
Tum sese referens sibi
Veris falsa redarguit?
Hæc est efficiens magis
Longe causa potentior,
Quam quæ materiæ modo
Impressas patitur notas.
Præcedit tamen excitans,
Ac vires animi movens,
Vivo in corpore passio,
Cum vel lux oculos ferit,
Vel vox auribus instrepit :
Tum mentis vigor excitus,
Quas intus species tenet,
Ad motus similes vocans
Notis applicat exteris,
Introrsumque reconditis
Formis miscet imagines.

« Quondam porticus attulit etc. » Istud est metrum quartum hujus libri quinti, quod dicitur glyconycum ab inventore, choriambicum a pede prædominante : in quo metro improbat opinionem stoicorum ex qua videtur sequi contrarium dictis suis. Fuit opinio stoicorum, quod cognitio intellectiva solum perficeretur ex hoc quod corpora exteriora suas similitudines imprimant in mentem, ita ut mens solum se habeat in ratione patientis, et res extra in ratione agentis. Ex quo sequitur, cum patiens trahatur ad naturam agentis et non e converso, quod cognitio sequeretur naturam rei cognitæ et non naturam rei cognoscentis : quod est contra dicta. Primo ergo ponit opinionem stoicorum. Secundo improbat eam, ibi, « Sed mens. » Primo ergo dicit : Quondam Porticus attulit senes, supple, stoicos, qui dicebantur senes propter maturitatem morum, senes inquam nimium obscuros, supple, in sententiis, qui stoici credunt sensus et imagines, idest rerum sensibilium formas imprimi mentibus ex corporibus extimis, idest exterioribus ; et posuerunt illa corpora eo modo imprimere imagines mentibus, ut quondam mos fuit alicui scribenti celeri stilo figere pressas litteras æquore, idest in planitie paginæ quæ pagina nullas prius notas habeat. Notandum, quod stoici dicuntur a stoa græce quod est porticus latine, quia Athenis in manifestissima porticu et aliis locis publicis stoici disputare solebant : et illi posuerunt animam tantum habere se in

ratione patientis respectu rerum exteriorum. Et quia cognitio magis videtur sequi virtutem activam quam passivam; ideo secundum eos cognitio potius debet attendi secundum facultatem rei cognitæ quæ est activa, quam animæ cognoscentis quæ est passiva.

« Sed mens etc. » Hic improbat hanc opinionem. Secundo ponit suam veritatem, ibi, « Hæc est efficiens. » Primo ergo deducit ad plura inconvenientia istam opinionem, dicens : Sed si mens vigens nihil explicat propriis motibus, idest si nullam actionem propriam habet; sed tantum jacet patiens, subdita notis, idest similitudinibus corporum; et si ipsa reddit, idest repræsentat cassas imagines rerum, idest similitudines in vicem speculi, idest ad modum speculi : tunc quæritur unde viget hæc notio, idest hæc cognitio animis, quæ anima est cernens omnia non tantum corporalia, sed etiam incorporalia. Notandum, quod primum inconveniens est : si cognitio intellectiva fieret per solam impressionem corporum in anima, tunc non esset virtus per quam anima cognosceret incorporalia; quia per solam impressionem corporum tantum cognosceret corporalia, nunc autem manifestum est quod etiam incorporalia cognoscit. Aliud inconveniens ponit, dicens : Si anima tantum est passiva; quæ vis animæ singula prospicit, idest judicat, aut quæ vis animæ cognita dividit, aut divisa recolligit, aut quæ vis animæ legens, idest apprehendens, alterum iter componendi et dividendi, nunc inserit caput summis, idest generalissimis ascendendo a specialissimis ad generalissima colligendo multitudinem, et nunc decidit, vel decedit secundum aliam litteram, idest cadit in infima, idest in specialissima procedendo a generalissimis ad specialissima dividendo? Tum, idest tandem anima referens, idest comparans sese sibi redarguit falsa veris, idest per vera. Notandum, quod ex littera talis formatur ratio : illa anima non est tantum passiva sed activa, quæ judicat componit et dividit, et veris falsa redarguit; sed anima intellectiva est hujusmodi; ergo etc. Major nota est, quia judicare, componere, dividere, redarguere videntur esse operationes activæ. Minor apparet : anima judicat inter verum et falsum, componit prædicatum cum subjecto, aliquando dividit prædicatum a subjecto et falsas opiniones redarguit.

« Hæc est etc. » Hic philosophia ponit veritatem, dicens : Hæc mens est magis causa efficiens, quæ est causa longe potentior quam illa quæ modo materiæ, idest similitudine materiæ patitur notas impressas. Et quia aliquis crederet quod in anima nulla esset passio, ideo subdit : quædam passio præcedit operationes animæ in uno corpore excitans et movens vires animi ad operandum : ut quando lux ferit oculos, tunc patitur visus : vel cum vox instrepit, idest insonuit auribus, tunc patitur auditus; et tandem vigor mentis excitus, idest excitatus vocans species quas intus tenet ad similes motus applicat eas notis exteris, idest similitudinibus exterioribus : et miscet, idest applicat imagines exteriores corporum formis, idest speciebus introrsum, idest in anima reconditis. Notandum, quod Boetius hic utitur sententia Platonica quæ ponit species rerum a principio naturaliter insitas animæ, sed anima sopita est in corpore, ita quod non intelligit per eas nisi excitetur per immutationem sensuum exteriorum; excitata autem evocat speciem similem illi quam sensus exterior impressit et applicando eam rei exteriori, sic intelligit per eam. Ad hanc intentionem etiam loquitur Linconiensis *primo Posteriorum*, dicens. « Ratio in nobis sopita non agit nisi prius per operationes sensuum quibus admiscetur fuerit experrecta. » Notandum, quod ex littera videtur, quod intellectus possibilis intelligendo etiam sit activus, cum sit causa efficiens, ut dicit in *littera*. Aristoteles autem *in tertio de Anima* vult quod intelligere sit pati, et quod intellectus nullam habet naturam nisi quod est possibilis vocatus. Ad hoc dicunt aliqui, quod quia anima comprehendit tam intellectum possibilem quam agentem, ideo anima est activa, immo causa effectiva intellectionis ratione intellectus agentis; sed est passiva ratione intellectus possibilis. Vel dicendum, quod intel-

lectus possibilis est potentia passiva ad formam quae ad primum ejus actum, cum intelligere sit pati; sed omnis potentia passiva de necessitate requirit potentiam activam quae reducat ipsam ad actum. Tale autem activum non potest esse res corporalis extra, cum agens sit praestantius passo; ideo tale activum ex parte animae erit intellectus agens cujus operatio est facere potentia intellecta actu intellecta, ita quod a rebus extra virtutem intellectus agentis imprimitur aliquid intellectui possibili per quod in actum intelligendi reducitur. Non est ergo intentio Boetii negare quin mens sit passiva ratione intellectus possibilis, sed vult quod mens sive anima magis habeat efficientiam in intellectione quam sit passiva ab ipsis corporibus extra; et per consequens efficientia intellectus non debet attribui rebus extra, quod erat de intentione stoicorum.

PROSA V.

Quod si in corporibus sentiendis, quamvis afficiant instrumenta sensuum forinsecus objectae qualitates, animique agentis vigorem passio corporis antecedat, quae in se actum mentis provocet, excitetque interim quiescentes intrinsecus formas: si in sentiendis, inquam, corporibus animus non passione insignitur, sed ex sua vi subjectam corpori judicat passionem; quanto magis ea quae cunctis corporum affectionibus absoluta sunt, in discernendo non objecta extrinsecus sequuntur, sed actum suae mentis expediunt? Hac itaque ratione multiplices cognitiones diversis ac differentibus cessere substantiis. Sensus enim solus cunctis aliis cognitionibus destitutus, immobilibus animantibus cessit, quales sunt conchae maris, quaeque alia saxis haerentia nutriuntur. Imaginatio vero mobilibus belluis, quibus jam inesse fugiendi appetendive aliquis videtur affectus. Ratio vero humani tantum generis est, sicut intelligentia sola divini: quo fit ut ea notitia caeteris praestet quae suapte natura non modo proprium, sed caeterarum quoque notitiarum subjecta cognoscit. Quid igitur, si ratiocinationi sensus imaginatioque refragentur, nihil esse illud universale dicentes, quod sese intueri ratio putet? Quod enim sensibile vel imaginabile est, id universum esse non posse. Aut igitur rationis verum esse judicium, nec quidquam esse sensibile; aut quoniam sibi notum sit, plura sensibus et imaginationi esse subjecta, inanem conceptionem esse rationis, quae quod sensibile sit, ac singulare, quasi quiddam universale consideret. Ad haec, si ratio contra respondeat, se quidem et quod sensibile, et quod imaginabile sit, in universitatis ratione conspicere; illa vero ad universitatis cognitionem adspirare non posse, quoniam eorum notio corporales figuras non possit excedere. De rerum vero cognitione firmiori potius perfectiorique judicio esse credendum; in hujusmodi igitur lite nos quibus tam ratiocinandi quam imaginandi etiam, sentiendique vis inest, nonne rationis potius causam probaremus? Simile est quod humana ratio, divinam intelligentiam futura, nisi ut ipsa cognoscit, non putat intueri. Nam ita disseris: Si qua certos ac necessarios habere non videantur eventus, ea certo eventura praesciri nequeunt. Harum igitur rerum nulla est praescientia: quam si etiam in his esse credamus, nihil erit quod non ex necessitate proveniat. Si igitur, uti rationis participes sumus, ita divinae judicium mentis habere possemus, sicut imaginationem sensumque rationi cedere oportere judicavimus, sic divinae sese menti humanam submittere rationem justissimum censeremus. Quare in illius summae intelligentiae cacumen, si possumus, erigamur. Illic enim ratio videbit quod in se non potest intueri. Id autem est, quonam modo etiam quae certos exitus non habent, certa tamen videat ac definita praenotio: neque id sit opinio, sed summae potius scientiae nullis terminis inclusa simplicitas.

« Quod si in corporibus sentiendis etc. » Haec est quinta prosa hujus quinti libri: in qua probat specialiter divinam cognitionem esse secundum modum cognoscentis et non rei cognitae. Secundo ostendit insufficientiam eorum qui ex vero modo cognoscendi improbant providentiam divinam, ibi, « Quid igitur. » Primo facit quod dictum est. Secundo infert duas conclusiones, ibi, « Hac itaque. » Primo dicit : Si in sentiendis, idest in cognoscendis corporibus animus noster non tantum insignitur, idest afficitur passione corporis; sed ex sua vi judicat passionem subjectam corpori, ita quod in cognoscendo sequitur proprium motum, quamvis qualitates objectae forinsecus afficiant, idest immutent, instrumenta, idest organa sensuum, et passio corporis antecedat vigorem agentis animi, quae passio provocet actum mentis in se, et excitet formas intrinsecus quiescentes : Si hoc est in animo nostro multo magis ea quae absoluta sunt cunctis affectionibus, idest qualitatibus corporum, sicut intelligentiae separatae et praecipue Deus, illa in discernendo non sequuntur objecta extrinsecus; sed expediunt, idest perficiunt actum suae mentis, idest operationem intellectivam secundum naturam propriam. Notandum, quod ex littera sic potest argui : Si id de quo minus videtur inesse, inest, et de quo magis. Sed minus videtur quod animus noster in cognoscendo sequatur modum suum, et non rei cognitae, et tamen sequitur fa-

cultatem suæ cognitionis; ergo multo magis intelligentia divina sequitur in cognoscendo proprium modum suæ cognitionis quam ipsius rei cognitæ.

« Hac itaque ratione etc. » Hic infert duas conclusiones ex præmissis, dicens : Ex quo cognitio sequitur naturam cognoscentis et non rei cognitæ, et cum cognoscentia sint diversa secundum naturam, oportet diversis cognoscentibus convenire diversas cognitiones. Unde dicit : Hac itaque ratione, quia cognitio sequitur naturam cognoscentis, multiplices cognitiones cessere, idest cesserunt diversis ac differentibus substantiis. Sensus enim solus destitutus aliis cognitionibus, cessit animantibus immobilibus, quales conchæ maris et quæcumque nutriuntur hærentia saxis. Imaginatio vero cessit mobilibus belluis quæ moventur motu progressivo, quibus videtur inesse affectus, idest appetitus fugiendi malum vel appetendi bonum. Ratio vero per quam comprehendimus universale, tantum est humani generis, sicut intelligentia est divini generis. Tunc ponit secundam conclusionem, quod illa conclusio est notior et nobilior quæ non solum apprehendit proprium objectum, sed etiam objecta aliarum notitiarum, idest cognitionum. Unde dicit : Quo fit ut ea notio, idest cognitio præstet, idest nobilior sit ceteris quæ suapte natura, idest propria natura, non modo, idest non tantummodo, proprium objectum cognoscit; sed etiam cognoscit subjecta ceterarum notitiarum. Nota circa primam conclusionem : quod cum actus et operationes diversificentur secundum diversitatem agentium et operantium; sequitur, si agentia et operantia sint diversa, quod habeant diversas operationes et cognitiones. Propter quod sensus sine aliis cognitionibus cessit animalibus immobilibus. Et accipitur hic sensus stricte pro apprehensione sensitiva, quæ solum immutatur ad præsentiam sensibilis. Sic enim distinguitur contra imaginationem, quæ non tantum apprehendit rationem præsentem, sed etiam absentem. Notandum, circa secundam conclusionem, quod quæcumque potentia plura cognoscit videt esse præstantior ea quæ cognoscit pauciora. Si ergo aliqua potentia cognoscit proprium objectum et cum hoc objecta aliarum potentiarum inferiorum, sicut est intelligentia divina, et non e converso; sequitur quod potentia superior plura cognoscens sit nobilior inferiori.

« Quid igitur etc. » Hic philosophia ostendit insufficientiam eorum quæ ex modo cognoscendi nostro improbant divinam providentiam. Secundo hortatur nos ad considerandum modum divinæ cognitionis, ibi, « Quare in illius. » Primo manifestat insufficientiam eorum per simile. Secundo applicat illud simile ad propositum, ibi, « Simile est. » Similitudo autem quam intendit talis est. Sensus et imaginatio sunt cognitiones inferiores quam ratio. Si ergo sensus et imaginatio vellent judicare modum recognoscendi rationis ex modo cognoscendi proprio, et dicere quod universale nihil esset quod ratio apprehendit; vel si verum esset judicium rationis vel esset particulare et sensibile, ratio vero diceret contrarium, manifestum est quod nos qui vigemus utraque cognitione potius assentiremus rationi, judicando motivum sensus et imaginationis esse insufficiens. Dicit ergo : Quid igitur si sensus et imaginatio refragentur, idest contradicant rationi, dicentes nihil esse universale id quod ratio putat sese intueri, sic arguendo. Quod enim est sensibile aut imaginabile id non posse esse universum, idest universale secundum judicium sensus et imaginationis. Aut igitur judicium rationis necesse est esse verum, et per consequens nec quidquam esse sensibile; quod est absurdum. Aut quoniam notum est sibi, supple, sensui et imaginationi plura esse subjecta sensibus et imaginationi, quæ necesse est esse sensibilia, crederesne conceptionem rationis esse inanem, quæ consideret illud quod sit sensibile et singulare, quasi quoddam universale? Ad hæc si ratio respondeat se conspicere in ratione universali illud quod est sensibile et imaginabile, illa vero, scilicet sensum et imaginationem non posse aspirare, idest pervenire, ad cognitionem universitatis, idest universalis, quia notio, idest cognitio eorum

non possit excedere limites corporales; et diceret ratio potius esse credendum firmiori et perfectiori judicio rerum. In hujusmodi igitur lite, scilicet inter sensum et imaginationem ex una parte, et rationem ex altera parte, nos quibus inest tam vis ratiocinandi quam imaginandi et sentiendi, nonne potius probaremus causam rationis, et reputaremus motiva sensus et imaginationis esse insufficientia? quasi dicat: immo. Notandum, quod judicio nobilioris potentiæ potius est standum quam judicio potentiæ ignobilioris. Cum igitur ratio sit potentia nobilior quam sensus et imaginatio, eo quod ratio comprehendit proprium objectum et objectum sensus et imaginationis, et non e converso; ergo potius standum est judicio rationis quam potentiarum inferiorum.

« Simile est etc. » Hic applicat illud simile ad propositum; et dicit: Illud quod est dictum de sensu et imaginatione respectu rationis, simile est ei quod humana ratio nihil putat divinam intelligentiam intueri, nisi ut ratio ipsa cognoscit; quod apparet ex ipso modo arguendi. Nam ita disseris, idest arguis: si quæ videntur non habere certos et necessarios eventus, talia nequeunt præsciri certo eventura. Igitur talium rerum nulla est præscientia; quam, scilicet præscientiam si credimus esse in his, nihil erit quod non proveniat ex necessitate. Si igitur sicut sumus participes rationis, ita possemus habere judicium divinæ mentis; sicut nunc judicavimus imaginationem et sensum oportere cedere rationi, sic censeremus, idest judicaremus, justissimum humanam rationem se submittere divinæ menti. Notandum, quod simile est de judicio sensus et imaginationis respectu rationis, et rationis respectu intelligentiæ divinæ. Nam sensui et imaginationi videtur quod ratio aliter non possit comprehendere rem, nisi sicut ipsa comprehendit; quod tamen falsum est. Sic similiter videtur rationi humanæ, quod intelligentia divina non possit res incertas cognoscere aliter quam ipsa cognoscit; quod falsum est. Nam quæ ratio humana incerte cognoscit intelligentia divina certo comprehendit.

« Quare in illius summæ intelligentiæ etc. » Hic philosophia hortatur ut dirigamus nos ad cognitionem divinæ intelligentiæ, dicens: Quare si possumus, erigamus per diligentem considerationem in cacumen illius summæ intelligentiæ, supple, divinæ. Illic enim ratio videbit quod in se non potest intueri, scilicet quomodo certa et definita præscientia Dei cognoscat illa quæ non habent certos exitus, et illud non sit opinio, sed potius sit simplicitas summæ scientiæ nullis terminis inclusa, quia simplicitas summæ sapientiæ est infinita. Notandum, quod si cognitio sequeretur facultatem rei cognitæ, et non virtutis cognoscentis, tunc sicut ratio humana cognoscit futura contingentia incerte, sic similiter intelligentia divina ea incerte cognosceret: sed quia facultas cognitionum est secundum facultatem virtutum cognoscentium, et intelligentia divina in cognoscendo excedit rationem humanam, poterit ipsa certe cognoscere quæ ratio humana incerte cognoscit.

METRUM V.

Quam variis terras animalia permeant figuris!
Namque alia extento sunt corpore, pulveremque verrunt,
Continuumque trahunt vi pectoris incitata sulcum.
Sunt quibus alarum levitas vaga verberetque ventos,
Et liquido longi spatia ætheris enatet volatu.
Hæc pressisse solo vestigia, gressibusque gaudent
Vel virides campos transmittere, vel subire silvas.
Quæ variis videas licet omnia discrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.
Unica gens hominum celsum levat altius cacumen.
Atque levis recto stat corpore, despicitque terras.
Hæc, nisi terrenus male desipis, admonet figura.
Qui recto cœlum vultu petis, exserisque frontem,
In sublime feras animum quoque, ne gravata pessum
Inferior sidat mens corpore celsius levato.

« Quam variis terras etc. » Hic incipit quintum metrum hujus quinti: quod dicitur archilochium ab inventore, dactylicum a pede prædominante. In quo ostendit hominem esse dispositum ad contemplationem cœlestium ex figura corporis sui. Et primo describit figuram corporalem aliarum bestiarum. Secundo figuram hominis, ibi, « Unica gens. » Primo dicit: Animalia permeant terras quam variis, idest valde variis figuris. Namque alia animalia extento corpore,

sicut sunt serpentes et reptilia, illa verrunt, idest vertunt pulverem, et incitata, idest mota vi pectoris, trahunt continuum sulcum, supple, in pulvere. Sunt alia animalia quibus inest vaga levitas alarum, quæ verberant ventos, et enatant, idest transeunt liquido volatu spatia longi ætheris, idest aeris. Sunt alia quæ gaudent vestigia pressisse solo, idest terræ gressibus suis, et transmittere, idest pertransire virides campos, et gaudent subire silvas ; quæ omnia animalia, licet variis formis, tamen facies eorum prona, idest ad terram inclinata, valet ingravare, idest ingravatos ostendere sensus hebetes, idest brutales. Notandum, quod philosophia tangit tria genera animalium, scilicet reptilia, volatilia et gressibilia : quæ licet differant in formis, quia quædam formantur ad reptandum ut serpentes, quædam ad volandum ut aves, quædam ad gradiendum ut bestiæ, tamen in hoc omnia conveniunt quod habent faciem inclinatam ad terram.

« Unica gens hominum etc. » Hic describit figuram hominis, dicens : Unica gens hominum, idest solum genus humanum, levat celsum cacúmen, idest caput suum altius, et levis stat recto, idest erecto corpore, et despicit terras vultu elevato ad cœlum : tu homo terrenus, qui recto vultu petis cœlum, et exeris, idest erigis frontem, hæc recta figura admonet te, quod tu male desipis, nisi etiam feras, idest extollas animum tuum in sublime, idest in cœlestia, ne mens gravata, idest gravedine depressa, pessum idest sub pedibus vel subtus (et est pessum adverbium loci), ne illa mens sidat, idest resideat inferior corpore elevato celsius. Notandum : cum homo habeat figuram corporis erectam ad cœlum, si anima non erigeretur ad contemplationem cœlestium, videretur corpus esse nobilius anima. Notandum secundum Aristotelem in *decimosexto de Animalibus*, « homo inter omnia animalia habet figuram rectilinearem : » de qua figura etiam loquitur Ovidius in libro *Metamorphoseos*, dicens :

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit, et erectos ad sydera tollere vultus.

PROSA VI.

Quoniam igitur, uti paullo ante monstratum est, omne quod scitur, non ex sua, sed ex comprehendentium natura cognoscitur, intueamur nunc, quantum fas est, quis sit divinæ substantiæ status ; ut quænam etiam scientia ejus sit, possimus agnoscere. Deum igitur æternum esse, cunctorum ratione degentium commune judiciam est. Quid sit igitur æternitas, consideramus. Hæc enim nobis naturam pariter divinam, scientiamque patefecerit. Æternitas igitur est, interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio : quod ex collatione temporalium clarius liquet. Nam quidquid vivit in tempore, id præsens a præteritis in futura procedit : nihilque est in tempore constitutum, quod totum vitæ suæ spatium pariter possit amplecti. Sed crastinum quidem nondum apprehendit : hesternum vero jam perdidit. In hodierna quoque vita non amplius vivitis, quam in illo mobili transitorioque momento. Quod igitur temporis patitur conditionem, licet illud sicut de mundo censuit Aristoteles, nec cœperit unquam esse, nec desinat, vitaque ejus cum temporis infinitate tendatur, nondum tamen tale est ut æternum esse jure credatur. Non enim totum simul, infinitæ licet vitæ spatium comprehendit atque complecitur : sed futura nondum transacta jam non habet. Quod igitur interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet : cui neque futuri quidquam absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur : idque necessarium est et sui compos præsens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem. Unde non recte quidam, qui cum audiunt visum Platoni, mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coæternum putant. Aliud est enim, per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit ; aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam esse præsentiam, quod divinæ mentis proprium esse manifestum est. Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturæ. Hunc enim vitæ immobilis præsentarium statum infinitus ille temporalium rerum motus imitatur : cumque cum effingere atque æquare non possit, ex immobilitate deficit immotum, et ex simplicitate præsentiæ decrescit in infinitam futuri ac præteriti quantitatem ; et, cum totam pariter vitæ suæ plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso quod aliquo modo nunquam esse desinit, illud quod implere atque exprimere non potest, aliquatenus videtur æmulari, alligans se ad qualemcumque præsentiam hujus exigui volucrisque momenti : quæ, quoniam manentis illius præsentiæ quamdam gestat imaginem, quibuscumque contigerit, id præstat, ut esse videantur. Quoniam vero manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit : eoque modo factum est, ut continuaret eundo vitam, cujus plenitudinem complecti non valuit permanendo. Itaque si digna rebus nomina velimus imponere, Platonem sequentes, Deum quidem æternum, mundum vero dicamus esse perpetuum. Quoniam igitur omne judicium secundum sui naturam, quæ sibi subjecta sunt, comprehendit, est autem Deo semper æternus ac præsentarius status : scientia quoque ejus, omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præs-

[illegible]

[illegible] Quæ cum ita sint, manet intemerata mortalibus arbitrii libertas. Nec iniquæ leges solutis omni necessitate voluntatibus, præmia pœnasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum præscius Deus, visionisque ejus præsens semper æternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positæ spes, precesque; quæ cum rectæ sint, inefficaces esse non possunt. Aversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis.

« Quoniam igitur, uti etc. » Hic incipit sexta prosa et ultima hujus quinti libri; in qua determinat veritatem de compassibilitate præscientiæ divinæ et liberi arbitrii. Et primo ponit suam determinationem. Secundo subjungit utilem exhortationem circa finem libri, ibi, « Adversamini igitur. » Primo ostendit modum divinæ cognitionis. Secundo solvit objectiones factas contra divinam providentiam. Tertio concludit compassibilitatem liberi arbitrii cum providentia divina. Secunda, ibi, « Quid igitur postulas. » Tertia, ibi, « Quæ cum ita sint. » Primo determinat de statu Dei qui est æternitas. Secundo ex hoc declarat modum divinæ scientiæ, ibi, « Quoniam igitur omne judicium. » Primo præmittit quod determinandum sit de æternitate. Secundo determinat ea, ibi, « Æternitas igitur est interminabilis. » Primo dicit: Quoniam monstratum est paulo ante, quod omne quod scitur cognoscitur non

ex sua natura, idest non ex natura rei scitæ, sed ex natura comprehendentium, idest cognoscentium, intueamur nunc, quantum fas est, quis sit status divinæ essentiæ vel substantiæ; ut possimus agnoscere quæ sit ejus scientia. Et subdit quod commune judicium cunctorum degentium, idest utentium ratione, est Deum esse æternum. Ideo consideremus quid sit æternitas : hæc enim nobis patefacit pariter naturam et divinam scientiam. Notandum, quod viri degentes ratione sunt viri præditi luce sapientiæ : et omnes isti concedunt Deum esse æternum. Nam Philosophus *octavo Physicæ* ex æternitate motus ostendit æternitatem motoris ; et omnes tam Græci quam barbari putantes deos esse, æstimant eos immortales. Notandum, quod quia æternitas Dei et natura et scientia Dei non differunt secundum substantiam, ideo cognita æternitate cognoscitur natura et scientia Dei.

« Æternitas igitur etc. » Hic prosequitur de æternitate. Et primo ponit ejus definitionem. Secundo declarat eam, ibi. « Quod si ex collatione. » Primo dicit, æternitas est possessio vitæ interminabilis existens tota simul et perfecta. Nota secundum Albertum *super libro de Causis :* Aliquid est æternum et in æternitate, et est ipsa æternitas, sicut Deus. Aliqua sunt æterna et sunt in æternitate, sed non sunt ipsa æternitas, sicut substantiæ separatæ. Alia sunt æterna non in æternitate nec sunt ipsa æternitas, ut motus, tempus, et mundus. Notandum, cum dicit : æternitas est possessio, ibi utitur nomine possessionis ad designandum immutabilitatem et indeficientiam æternitatis, quia ipsa firmiter possidetur et quiete habetur. Et dicit, vitæ, ad innuendum quod non viventia non mensurantur æternitate. Et dicit, interminabilis, ad differentiam illius vitæ quæ habet terminum a parte ante et a parte post, sicut vita hominis, vel a parte ante tantum sicut vita Angelorum. Et dicit : tota simul, ad differentiam vitæ angelicæ : quamvis enim esse Angeli secundum substantiam sit totum simul, non tamen secundum operationem, cum habeat operationes successivas et intellectiones. Et dicit : perfecta, ad designandum quod æternitati nihil deest : perfectum enim est cui nihil deest, *primo Cœli et mundi.*

« Quod ex collatione etc. » Hic declarat definitionem. Secundo redarguit quosdam qui vocabulo æternitatis abutebantur, ibi, « Unde non recte. » Primo ergo declarat definitionem æternitatis in comparatione ad tempus, dicens : Unde dictum est quod æternitas est possessio tota simul interminabilis vitæ : quod liquet clarius ex collatione idest ex comparationæ temporalium. Nam quidquid vivit in tempore, illud præsens existens procedit per successivam mutabilitatem a præteritis in futura : et nihil est in tempore constitutum quod pariter possit amplecti, idest comprehendere totum spatium vitæ suæ ; sed crastinum nondum apprehendit, hesternum vero tempus jam perdidit, et in hodierna vita non amplius vivitis, idest nihil plus est præsens de hodierna vita, nisi quod in isto mobili et transitorio momento continetur de vita ; et dicitur momentum illud indivisibile instans quo futurum copulatur cum præterito. Quidquid igitur patitur temporis conditionem, idest successionem, licet nunquam ceperit esse, nec desinat esse, sicut Aristoteles censuit de mundo, et licet vita, idest duratio ejus, tendatur, idest extendatur cum infinitate temporis, nondum tamen tale est ut jure credatur esse æternum ; quia non comprehendit neque complectitur simul totum spatium vitæ, idest suæ durationis, licet infinite, idest infinito tempore duret ; sed infinita nondum habet transacta, idest pertransita, et præterita non habet. Quicquid igitur comprehendit et possidet pariter totam plenitudinem interminabilis vitæ, cui nihil absit futuri, nec aliquid fluxerit præteriti, illud jure perhibetur esse æternum : quia illud æternum sui compos, eo quod nihil sibi desit, necesse est semper sibi assistere præsens et est necesse præsentem habere infinitatem, idest infinitam durationem temporis mobilis, idest successivi. Notandum, quod quia per cognitionem temporis devenimus in æternitatis cognitionem, eo quod opposita juxta se posita magis elucescunt ; ideo per naturam et succes-

nomine temporis declarat ordine naturam æternitatis. Sicut enim ratio temporis consistit in successione et apprehensione prioris et posterioris in motu, cujus una pars præteriit et alia est futura; sic ratio æternitatis per oppositum consistit in apprehensione uniformitatis illius quod omnino est extra motum, comprehendens simul præteritum et futurum tamquam præsens. Notandum, quod ipsius æterni nil transit in præteritum; ideo semper sibi præsens assistit: quia vero nunquam deficiet, sicut nec unquam incepit, cum habeat vitam interminabilem, necesse est quod adsint quælibet differentiæ temporis etiam si ponatur tempus infinitum. Et quia eodem modo assistit differentiis temporum per quem motum in se subsistit: motus autem in quo subsistit est præsentarius: ideo etiam assistit differentiis temporis per motum præsentem: ideo dicit quod necesse est æternum præsentem habere infinitatem temporis mobilis.

« Unde non recte quidam etc. » Hic philosophia reprehendit quosdam qui abutebantur vocabulo æternitatis. Secundo docet proprium modum loquendi, ibi, « Itaque si digna. » Primo facit quod dictum est. Secundo manifestat quomodo temporalia deficiunt a simplicitate divinæ naturæ quam nituntur imitari, ibi, « Hunc enim. » Primo dicit: dictum est quod æternitas non solum dicit interminabilitatem, sed etiam simplicitatem. Unde non recte quidam putant qui, cum audiunt visum esse Platoni mundum non habuisse initium temporis nec habiturum defectum, idest finem, hoc modo putant mundum conditum fieri coæternum conditori. Causa autem quare non recte putant est, quia aliud est duci per interminabilem vitam cum quadam successione, quod Plato tribuit mundo, et aliud est pariter, idest simul esse complexum totam præsentiam vitæ interminabilis, quod est proprium divinæ mentis. Et quia aliquis diceret: Si mundus nunquam incepit, videtur esse coæternus Deo; Ad quod respondet: Quod Deus est prior mundo non antiquitate temporis, sed simplicitate naturæ. Unde dicit: Neque ut Deus debet videri antiquior rebus conditis quantitate temporis, sed proprietate simplicis naturæ. Notandum, sicut patet ex libro *Timæi*, Plato voluit mundum incepisse, sed finem non habere; et hoc idem Aristoteles sibi imposuit in *libro Cœli et mundi*, dicens, quod solus Plato generat mundum. Quid est ergo quod dicit Boetius, quod Plato non posuit mundum incepisse. Ad hoc dicitur, quod dum Plato dixit mundum habuisse initium, intelligitur quod habuit initium institutionis, non autem temporis: sicut ponit exemplum de vestigio pedis: ut si pes ab æterno stetisset in pulvere, pes esset causa vestigii naturaliter præcedens vestigium licet non tempore.

« Hunc enim vitæ immobilis etc. Hic manifestat quomodo temporalia deficiunt a simplicitate divinæ naturæ quam nituntur imitari, dicens: Ille infinitus motus rerum temporalium imitatur quantum potest, hunc præsentarium statum vitæ immobilis, idest æternitatis; et cum eum non potest effingere, idest exprimere et æquare, deficit ab ejus immobilitate successive acquirendo quod simul habere non potuit: et ex simplicitate præsentiæ decrescit in infinitam quantitatem præteriti et futuri; et cum nequeat possidere pariter totam plenitudinem vitæ suæ, hoc ipso quod aliquo modo nunquam esse desinit, videtur aliquatenus æmulari illud quod implere non potest, alligans se, scilicet status temporalis, ad qualemcumque præsentiam hujus momenti, idest istantis exigui, idest indivisibilis, et volucris, idest transitorii: quæ scilicet præsentia istantis temporis gestat quamdam imaginem manentis præsentiæ, idest æternitatis, et præstat quibuscumque contingit ut illa esse videantur. Nam illa dicimus esse quæ sunt in præsenti momento. Quia vero non potuit manere, scilicet præsentia instantis propter naturam rei mobilis; ideo arripuit infinitum iter temporis per successionem: et eodem modo factum est ut continuaret vitam eundo de uno esse in aliud cujus plenitudinem non valuit, idest potuit complecti permanendo. Nota, quod infinitus motus rerum temporalium quantum potest imitatur

statum æternitatis, quia non potest eum totaliter exprimere, quia status temporalis est successivus, status æternitatis non : et status temporalis respicit præteritum et futurum, status æternitatis tantum præsens : tamen in hoc imitatur statum æternitatis, quod sicut æternitas nunquam deficit, sic infinitus motus rerum temporalium nunquam esse desinit. Et sicut in tempore est dare instans quod habet quamdam imaginem cum æternitate, ita quod sicut in æternitate aliquid dicitur est, et sicut illa dicimus esse quæ sunt in præsenti instanti ; ideo status rerum temporalium, licet non possit imitari statum æternitatis præsentialiter permanendo, tamen ipsum imitatur suam durationem successive continuando.

« Itaque si digna etc. » In ista parte docet philosophia quomodo proprie loquendum sit de Deo et mundo, dicens : Si nos sequentes Platonem velimus imponere nomina digna, idest convenientia rebus, dicamus Deum esse æternum, mundum vero dicamus perpetuum. Et hoc consonat dicto auctoris *Græcismi:* « Æternum vero sine principio, sine fine. Perpetuum cui principium, sed fine carebit. »

« Quoniam igitur omne judicium etc.» Hic philosophia ex dictis ostendit modum scientiæ divinæ. Primo ergo ostendit qualis sit scientia divina et qualiter sit nominanda, dicens : Quoniam omne judicium comprehendit ea quæ sunt sibi subjecta, idest sua objecta secundum sui naturam, idest secundum naturam virtutis cognoscentis : natura autem Dei talis est, quod semper ipsi Deo est status æternus et præsentarius : ex quo sequitur quod scientia Dei supergressa omnem motionem temporis manet in simplicitate præsentiæ et complectens infinita spatia præteriti et futuri temporis omnia considerat quasi jam, idest præsentialiter gerantur in sua simplici cognitione. Tunc ostendit quomodo scientia Dei est nominanda, dicens : Itaque si velis pensare præsentiam qua cuncta dignoscit, non dices divinam scientiam esse præscientiam quasi futuri ; sed rectius æstimabis divinam scientiam esse instantiæ, idest præsentiæ nunquam deficientis. Quod confirmat per etymologiam hujus nominis providentia, dicens : Unde cognitio divina non dicitur prævidentia, quia illa importat ordinem ad futurum ; sed dicitur providentia, quasi porro, idest procul a rebus infimis constituta quasi ab excelso cacumine rerum cuncta prospiciat. Notandum, quia cognitio sequitur modum rei cognoscentis ; ideo cognitio et scientia Dei sequitur statum et dispositionem Dei : status autem Dei est æternus et præsentarius, cum esse divinum mensuretur æternitate ; ergo scientia Dei erit æterna et præsentaria, ita quod omnia quæ sunt præterita et futura, cognoscit quasi sint præsentia. Notandum, quod aliquis diceret : non ens non potest alicui esse præsens ; sed præteritum et futurum est non ens ; ergo non potest essse præsens cognitioni divinæ. Dicendum, quod duplex est non ens. Quoddam quod nullo modo est nec potest esse ens : et tale non est realiter præsens alicui, cum nihil sit. Aliud est non ens non simpliciter, sed quia actu non est ens : et licet hujusmodi ens non possit realiter coexistere tempori præsenti, potest tamen coexistere æternitati ; quia æternitas cum sit infinita, excedit tempus præsens extendendo se ad præteritum et futurum. Et sic præteritum et futurorum sunt coæternitati coexistentia præsentialiter, quia in æternitate non est successio : unde non sequitur, si aliquid coexistit æternitati, quod pro tanto simpliciter existat; quia æternitas etiam extendit se ad non existens sicut ad præteritum et futurum. Notandum, quod Deo omnia sunt præsentia et sibi nihil est futurum ; ideo scientia sua non est dicenda præscientia quæ sonat aliquid futurum, nec debet dici prævidentia propter eamdem causam ; sed debet dici providentia quasi procul constituta a rebus inferioribus omnia prospiciens.

« Quid igitur postulas etc. » Hic solvit objectiones superius factas contra providentiam. Primo ergo ostendit qualiter hujusmodi objectiones solvantur. Secundo resumit primam objectionem, ipsam fortificando ut formalius solvatur.

Secunda, ibi, « Hic si dicas. » Circa primum notandum, quod tres erant rationes : quarum prima et secunda fundantur super hoc quod nihil potest esse præscitum a Deo nisi id sit necessarium. Tertia fundatur super hoc quod eventus incertus non potest certitudinaliter cognosci. Facit ergo duo. Primo ostendit quod præscientia non imponit necessitatem rei præscitæ ; per quod solvitur prima et secunda ratio. Secundo ostendit quod scientia Dei non mutat naturam rei ; sed simul stant certitudo a parte scientiæ incertitudo a parte eventus : per per quod solvitur tertia ratio. Secunda, ibi, « Quare hæc divina. » Primo dicit : Ex quo Deus cognoscit omnia tamquam præsentia, quid igitur postulas ut illa fiant necessaria quæ lustrentur, idest comprehenduntur, divino lumine, idest divina cognitione, cum nec homines faciant ea necessaria quæ præsentialiter videant, verbi gratia, quod homo videt in præsenti non facit esse necessarium ? numquid enim intuitus tuus addit, idest dabit aliquam necessitatem eis quæ tu cernis præsentia ? Dicit Boetius : Minime. Et philosophia : Si est digna collatio divini et humani intuitus respectu præsentis, sicut vos videtis quædam hoc præsenti temporario, idest in præsenti temporis, ita Deus suo æterno intuitu omnia cernit tamquam præsentia. Notandum, quod intuitus noster rei præsentis nullam imponit necessitatem rei præsenti, quia visio Socratis currentis non imponit necessitatem Socrati currenti, quia potest Socrates currere vel non currere. Sic etiam intuitus divinus quia omnia præsentialiter cognoscit nullam imponit rebus necessitatem, sed videt ea præsentialiter, sicut futura sunt necessario futura, et contingentia videt contingenter futura.

« Quare hæc divina prænotio etc. » Hic ostendit quod circa contingentia simul stant certa cognitio Dei et incertus eventus rei, dicens : Quare hæc divina prænotio qua Deus novit futura, illa non mutat proprietatem rerum quoad necessitatem et contingentiam, quia non imponit necessitatem rei quæ contingens est ; sed talia apud se spectat præsentia qualia olim proveniant futura ; nec confundit rerum judicia ut contingens faciat non esse contingens, sed uno intuitu mentis dignoscit tam necessario quam non necessario ventura, idest futura. Quod declarat in exemplo, dicens : Sicuti vos homines quando pariter, idest in eodem instanti videtis hominem ambulare in terra et solem oriri in cœlo ; licet utrumque simul sit conspectum, tamen discernitis hoc esse voluntarium, scilicet hominem ambulare in terra, et illud esse necessarium, scilicet solem oriri. Ita similiter divinus intuitus cuncta despiciens, idest deorsum aspiciens, minime perturbat rerum qualitatem, scilicet contingentiam et necessitatem rerum, dico, apud se præsentium ratione æternitatis, sed futurarum ad conditionem temporis. Quo fit ut cognitio futurorum Dei tamquam præsentium non sit opinio, sed cognitio veritate nixa, idest confirmata, cum cognoscit aliquid esse extiturum, idest futurum, quod idem non nesciat, idest bene sciat carere potest necessitate existendi. Notandum, de hoc quod dicitur Deum præsentialiter omnia cognoscere, scilicet præterita et futura, ponunt quidam exemplum de baculo fixo in aqua, qui successive toti fluvio præsens est, quia partibus ejus. Sic æternitas simul est cum toto tempore et cum omnibus quæ fluunt in tempore ; ita quod totum tempus et quidquid est successivum in tempore, est præsens æternitati : ut si ponatur æternitas sicut centrum, et totum tempus sicut circumferentia, tunc licet circumferentia continua moveatur et pars toti succedat, tamen in comparatione ad centrum uniformiter se habet. Aliud exemplum ponitur de aliquo qui vadit per viam et non videt homines post se venientes ; sed ille qui de alta turri respiceret, videret totam viam et homines per eam transeuntes tam præcedentes quam sequentes : sic Deus de speculo suæ æternitatis respiciens omnia præsentialiter videt tam præsentia quam futura.

« Hic si dicas etc. » Hic philosophia redit ad primam rationem superius positam, ipsam fortificando, ut formalius solvatur ; et fortificat eam. Secundo sol-

vit. Tertio resolutionem declarat. Secunda, ibi, « Respondebo. » Tertia, ibi, « Duæ enim » Primo dicit : Si dicas hic, scilicet objiciendo, illud non posse non evenire quod Deus videt eventurum, quia tunc Deus falleretur; quod autem non potest non evenire, id ex necessitate potest contingere, et sic astringas me ad nomen necessitatis, ut concedam contingens aliquo modo esse necessarium : Ego fatebor rem solidissimæ veritatis cui vix aliquis accesserit eam concedendo, nisi speculator divini, idest divinæ naturæ. Tunc solvit objectionem, dicens : Si coartaveris me ut concedam aliquam necessitatem futurorum; Respondebo : idem quod futurum est quo ad nos, cum refertur ad divinam notionem cui ipsum est præsens, dico necessarium esse, scilicet necessitate conditionata, scilicet rationæ præsentiæ; cum autem idem futurum perpenditur in sui natura ratione cujus habet futuritionem et indeterminationem in sui causa, necesse est videri liberum. Notandum, quod sicut illud quod in se est contingens, quando est nobis præsens, ratione præsentiæ sortitur quamdam necessitatem qua necesse est ipsum esse dum præsens sit : quia omnia sunt Deo præsentia, ratione istius præsentiæ in ordine ad ipsam divinam cognitionem sortiuntur quamdam necessitatem, licet in sui natura prorsus videantur libera.

« Duæ enim sunt necessitates etc. » Hic philosophia declarat solutionem per quamdam distinctionem necessitatis; et eam applicat ad propositum. Secundo concludit ex præmissis, simul stare quod aliqua sunt secundum se contingentia et incerta, quæ tamen eveniunt certitudinaliter inquantum a Deo prævisa. Secunda, ibi, « Fient igitur procul dubio cuncta. » Primo dicit : Duæ sunt necessitates : una simplex quæ est necessitas naturæ, sicut omnes homines necesse est esse mortales. Alia est necessitas conditionis; ut si scias hominem ambulare, illum ambulare necesse est; quia quod quisque novit, illud non potest aliter esse quam notum est. Sed hæc conditio, idest necessitas conditionata, minime trahit secum simplicem necessitatem; quia necessitatem conditionis non facit propria natura, sed adjectio conditionis. Nulla enim necessitas cogit incedere, idest ambulare voluntatem gradientem, idest ambulantem; quamvis necessarium sit ipsum incedere, idest ambulare tunc cum graditur, idest ambulat. Hanc distinctionem applicat ad propositum, dicens : Eodem modo si quid providentia divina præsens videt, illud esse necesse est, scilicet ea conditione qua provisum est, et qua ponitur sibi præsens, quamvis nullam habeat necessitatem naturæ. Sed Deus ea futura contuetur tamquam præsentia, quæ ex libertate arbitrii proveniunt : igitur hæc relata ad intuitum divinum fiunt necessaria per conditionem divinæ notionis; per se vero, idest in sui natura non habito respectu ad divinam cognitionem, ipsa non desinunt, idest deficiunt ab absoluta, idest a perfecta libertate suæ naturæ. Notandum, secundum intentionem Boetii, ista ratio, quidquid est provisum a Deo necessario evenit : solvitur dicendo, quod verum est quod necessario evenit necessitate conditionata, sed non necessitate absoluta. Alii aliter solvunt : quod illa propositio est vera in sensu composito, sed falsa in sensu diviso. Unde cum dicitur : Quidquid provisum est necessario evenit : verum est in sensu composito : quia impossibile est provisum a Deo non evenire : tamen in sensu diviso falsa est : quia eventus rei saltem contingentis in se non est necessarius.

« Fiunt igitur proculdubio cuncta etc. » Hic philosophia concludit ex prædictis, quod ista simul stant, quod aliqua secundum se sunt contingentia et incerta, quæ tamen certitudinaliter eveniunt inquantum prævisa a Deo. Secundo objicit contra hoc ibi, « Quid igitur refert non esse necessaria cum. » Primo dicit : Proculdubio cuncta futura sunt quæ Deus prænoscit esse : alioquin falleretur divina providentia : sed quædam eorum proficiscuntur, idest procedunt de libero arbitrio, ita quod quantum est de esse ipsorum possunt non evenire. Unde subdit : quæ quamvis eveniant tamen non amittunt propriam naturam libertatis, quia priusquam fierent potuissent non evenire. Nota, quod tota intentio Boetii fun-

datur super hoc, quod aliquid libere faciemus ex sui natura in comparatione ad præscientiam divinam necessario evenit; et talis est necessitas conditionata; quia suppositum præscitum est sic necessario evenit; sed non absolute circumscripta prævisione.

« Quid igitur refert etc. » Hic objicit contra solutionem et solvit objectionem. Secundo contra illam solutionem iterum objicit, ibi, « Sed si inquies in mea. » Objectio in hoc consistit: Ex quo futurum contingens præscitum certitudinaliter evenit et necessario, non videtur esse differentia inter contingens et necessarium. Unde dicit: Quid igitur refert contingentia et libere futura non esse necessaria, cum ipsa eveniant instar, idest ad similitudinem necessitatis? Tunc solvit, dicens quod inter eventum necessarium et contingentem hoc refert, quod manifestum apparet per exempla quæ paulo ante proposui: scilicet quod sol oriens et homo gradiens, quæ dum fiunt non fieri possunt, et ita utrumque est necessarium sub conditione præsentiæ, præsentia enim necesse est esse dum sunt præsentia; tamen unum eorum, scilicet sol oriens priusquam fieret necesse erat existere: alterum vero, scilicet homo gradiens, minime habet necessitatem fieri antequam fiat. Ita etiam illa quæ Deus habet præsentia proculdubio existunt propter necessitatem conditionis quia sunt prævisa evenire tanquam præsentia. Sed eorum quæ sic sunt prævisa, hoc de rerum necessitate descendit, sicut solem oriri; illud de potestate facientium, scilicet hominem ambulare. Ex quo concludit: Ideo non injuria diximus hoc prius, quod illa quæ contingenter eveniunt, si referantur ad divinam notitiam sunt necessaria, scilicet ex conditione divinæ scientiæ. Si vero per se considerentur, ipsa sunt absoluta nexibus, idest a vinculis necessitatis. Quod manifestat per simile: sicuti id quod patet sensibus, si referas ad rationem, tunc est universale: si autem referas ad sensum, tunc est singulare. Notandum quod si idem relatum ad diversa potest esse universale et singulare; videtur similiter quod idem comparatum ad diversa possit esse contingens et necessarium. Nam particulare habet rationem contingentis, et universale rationem necessarii. Sed videtur quod humana natura comparata ad intellectum agentem abstrahentem a conditionibus individuantibus, et comparata ad intellectum possibilem, habet rationem universalis; sed comparata natura humana ad sensum qui particulariter comprehendit, habet rationem singularis. Nam universale est dum intelligitur, particulare vero dum sentitur. Similiter erit de futuro contingenti; quod ipsum comparatum ad divinam præscientiam est necessarium conditionaliter, in se autem consideratum habet se contingenter.

« Sed si in mea, inquies etc. » Hic objicit contra solutionem jam dictam, et solvit illam objectionem. Secundo movet dubitationem, ibi, « Quid igitur. » Primo dicit: Tu objicies contra solutionem sic. Si in potestate mea est mutare propositum meum, scilicet currendo vel non currendo, ego evacuabo, idest frustrabo providentiam divinam, cum ego mutavero illa quæ prænovit esse futura. Ipse solvit, dicens: Ego respondeo te posse deflectere, idest mutare propositum; sed veritas providentiæ illa intuetur illud te posse, scilicet mutare propositum, et an facias, quod propositum mutas, et intuetur quo convertis tuum propositum; ideo scias te non posse vitare divinam præscientiam: sicuti quamvis libera voluntate te convertas in varias actiones tu non possis effugere intuitum præsentis oculi. Nota, quod licet homo possit mutare propositum suum: per hoc tamen non effugit præscientiam divinam, quia Deus illam mutationem prænoscit: posito enim quod Deus prævideret te cras iturum ad forum, quamvis possis non ire et proponas non ire, non tamen non ibis, quia Deus providet simul et propositum et potestatem non eundi, et mutationem propositi et actionem eundi; et ideo non potes aliquo modo effugere ejus præscientiam.

« Quid igitur, inquies etc. » Hic movet dubitationem, dicens: Tu forte inquies, quid igitur contingat ex ista solutione? mutabitur ne scientia divina ex mea dispositione, idest ex mea varia-

latio philosophiæ : cujus hæc est prima prosa : in qua philosophia vult solvere quædam dubia suam determinationem consequentia de fato et providentia. Videtur enim ex dictis quod casus non sit : quia si omnia sunt provisa, ita quod nihil eveniat præter ordinem providentiæ divinæ, videtur quod nihil casualiter eveniat, quia casus importat eventum inopinatum. Item videtur ex dictis quod liberum arbitrium non sit; quia omnia disponuntur secundum ordinem fatalis necessitatis, liberum autem arbitrium necessitatem excludit; videtur ergo, si ponitur providentia et fatum, quod omnino excludatur liberum arbitrium. Philosophia ergo in præsenti libro inquirit utrum casus sit et quid sit; et inquirit utrum liberum arbitrium sit, ponendo argumenta quibus liberum arbitrium cum providentia divina non videtur posse stare : post hoc ponit falsam solutionem quorumdam quam improbat, et ponit propriam quam rationibus confirmat; et de æternitate determinat, et alia plura, sicut patebit. Et dividitur iste liber in undecim partes; quia sex sunt prosæ et quinque metra ejus : quæ partes et quæ ipsis determinantur patebunt in processu libri. In prima prosa determinat de casu. Et primo Boetius tangit acta philosophiæ, commendans ejus exhortationem factam; et movet quæstionem de casu. Secundo philosophia excusat se ab ejus determinatione, et Boetius illam excusationem removet. Tertio philosophia determinat de casu. Secunda, ibi, « Tum illa, festino. » Tertia, ibi, « Tum illa morem. » Primo dicit : Philosophia dixerat hæc prædicta, et vertebat cursum orationis, idest sermonis ac tractanda quædam alia atque expedienda. Tunc ego, Boetius, inquam : O philosophia, recta est tua exhortatio facta, et prorsus est dignissima auctoritate; sed quod tu dudum dixisti (sexta prosa quarti libri) quæstionem de providentia implicitam, idest implicatam esse pluribus aliis, scilicet quæstionibus, ego experior re, idest realiter. Quæro enim an arbitreris casum omnino aliquid esse, supple, in rerum natura; et quidnam arbitraris esse casum, supple, in rerum natura. Notandum, per hoc quod dicit Boetius, Dixerat, innuit philosophiam jam expedivisse quæ ad sui speculationem spectabant, et ita determinasse principalem hujus libri intentionem. Et philosophia vertebat cursum orationis, idest orationem currentem, quia oratio philosophiæ non impediebatur ignorantia docentis, nec tarditate dicentis : hanc orationem vertebat ad quædam alia tractanda. Quæ autem fuerunt illa, Boetius non exprimit, quia forsitan sua opinione minus erant desideranda, vel forsitan quantum ad propositum extranea. Notandum, quod dicit exhortationem philosophiæ fuisse rectam, quia philosophia hortatur ad virtutes et ad contemptum fortuitorum : talis autem exhortatio quæ fit ad bonum prosequendum et ad malum fugiendum recta est. Et dicit exhortationem philosophiæ esse dignissimam auctoritate; quia quod a sapientibus dicitur, auctoritate sapientis dignum reputatur.

« Tum illa : festino, inquit etc. » Hic philosophia excusat se de hujus opinionis vel quæstionis determinatione. Et Boetius illam excusationem removet, dicens : « Ne etc. » Philosophia inquit : Ego festino absolvere, idest perficere debitum promissionis et aperire tibi viam qua revebaris ad patriam. Hæc autem quæ tu quæris de casu, etsi (pro quamvis) sunt perutilia cognitu, idest cognitione, tamen paulisper aversa sunt a tramite, idest via nostri propositi. Et dicit, paulisper : quia non sunt totaliter adversa; sed aliquantulum elucidant præmissa. Et est verendum, idest timendum, ne tu fatigatus deviis, idest quæstionibus extraneis, non possis sufficere ad emetiendum, idest transeundum rectum iter. Dicit Boetius : O philosophia, ne illud verearе, idest non timeas ; quia hoc fuerit mihi loco quietis, agnoscere ea quibus maxime delector. Et cum omne latus, idest omnis circumstantia tuæ disputationis mihi constiterit fide indubitata, nihil est quod ambigatur de sequentibus. Notandum, quod dicit, qua via reveharis patriam : hic patriam vocat beatitudinem quam prius invenire docuit. Illa autem per quæ homo pervenit ad ipsam, sunt virtutes, de quibus Boe-

tus intendebat agere non in hoc libro, sed in ultimis libris musicæ suæ, agendo de musica humana; intentionem autem suam non complevit, quia a rege Theodorico morte præventus fuit.

« Tum illa, morem, inquit etc. » Hic philosophia determinat de casu, solvendo præmissas causas et quæstiones. Primo solvit primam, an casus sit. Secundo secundam, quid sit casus, ibi, « Licet igitur. » Primo ostendit quid significetur per nomen casus, ponendo opinionem quorumdam. Secundo improbat illam opinionem, ibi, « Quis enim. » Primo dicit: O Boeti, ego geram tibi morem, idest conformabo me voluntati tuæ. Et simul sic est exorsa, idest sic incepit: si aliquis definiat quod ad nomen dicens casum esse eventum productum motu temerario, idest improviso et nulla connexione causarum, ego philosophia affirmo casum sic omnino nihil esse; et decerno, idest judico vocem casus prorsus esse inanem præter significationem rei subjectæ, sicut hæc vox chimæra inanis est. Notandum, quod quamvis quæstio si est præcedit quæstionem quid est, secundum quod quæstio quid est quærit de quidditate rei, quia quid est rei nulli debetur nisi enti, tamen quæstio quid est quærens de quo quid est nominis, est prima cognitio; et ideo ex quo quid est nominis, oportet scire de aliquo si est. Propter hoc philosophia ad quærendum de casu utrum sit vel non, accipit quod quid est quod significatur per nomen, et dicit: Si aliqui dicunt casum esse eventum temerarium sine omni causa productum, ego video vocem casus esse inanem, tamquam sibi nihil correspondeat in re.

« Quis enim coercente etc. » Hic philosophia improbat opinionem istam, ostendens casum nihil esse secundum eam. Secundo solvit quæstionem secundum rei veritatem, ibi, « Aristoteles meus. » Primo ponit unam rationem. Secundo aliam, ibi, « Nam nihil. » Antiqui dicebant quod casus est eventus temerarius, idest improvisus. Contra hoc arguit philosophia sic: Ubicumque omnia sunt provisa, ibi nihil est temerarium; sed omnia quæ sunt provisa sunt a Deo; ergo inter ea quæ sunt, nihil est temerarium. Hanc rationem breviter innuit in littera, dicens: Quis enim locus ullus potest esse reliquus, idest relictus, temeritati, idest improvisioni, Deo coercente cuncta in ordinem, scilicet provisum? quasi dicat: nullus. Notandum, quod omnia a Deo sunt provisa; cujus ratio est: Quorumcumque Deus est causa, omnia talia provisa sunt a Deo; sed Deus est causa omnis entis; ergo omnia entia a Deo sunt provisa. Quod autem Deus sit causa omnis entis, patet; quia ab ipso dependet cœlum et tota natura, ut patet ex duodecimo *Metaphysicæ*.

« Nam nihil ex nihilo existere etc. » Hic ponit aliam rationem probantem quod casus non potest esse sine omni causa productus, sicut dicebant antiqui; et arguit sic: Quod est ex nihilo nihil est; sed quod est ex nulla causa ex nihilo est; ergo quod ex nulla causa est nihil est. Sed secundum antiquos, casus est ex nulla causa, quia est productus sine omni connexione causarum; ergo casus nihil est. Unde dicit in littera: Vera sententia est cui nemo unquam veterum refragratus est, idest contradixit, scilicet ex nihilo nihil existere: quamquam illi antiqui illam propositionem ex nihilo nihil existere, jecerint, idest posuerint quasi quoddam fundamentum, non de operante principio, scilicet de Deo creatore, quia ille ex nihilo aliquid fecit; sed intellexerunt hoc de naturali subjecto, idest de tota natura fundata in materia. Et exponit seipsum dicens: Hoc est de natura omnium rationum, idest de materia quæ est subjectum formarum naturalium. Sed si aliquid oriatur ex nullis causis, id videtur esse ortum ex nihilo. Sed hoc fieri nequit, ut aliquid oriatur ex nihilo: ergo non est possibile casum esse hujusmodi, idest talem qualem paulo ante definivimus secundum antiquos, quod sit eventus temerarius sine connexione causarum. Quid ergo dicendum est de casu? quærit Boetius. Est de nihil in rerum natura quod jure queat, idest possit appellari casus vel fortuitum; vel est aliquid tametsi (pro quamvis) lateat vulgus, cui ista vocabula conveniant? Notandum, quod hæc propositio ex nihilo

nihil existere, vera est in comparatione ad causam particularem quæ in sua actione præsupponit materiam; tamen in comparationem ad causam universalem quæ est causa totius entis, non est vera. Unde dicimus Deum omnia creasse ex nihilo et fide tenemus; sed antiqui de isto modo productionis per creationem non loquebantur; sed primo modo. Unde Aristoteles in primo *Physicorum :* Impossibile est aliquid fieri ex his quæ non sunt : de hac enim opinione conveniunt omnes qui de natura sunt.

« Aristoteles meus id inquit in *Physicis* etc. » Hic philosophia solvit quæstionem de casu. Et primo ostendit eam esse solutam ab Aristotele; et ostendit modum ejus. Secundo declarat quod licet casus non habeat causas per se, habet tamen causas per accidens, ibi, « Hæ sunt igitur. » Primo dicit : Aristoteles meus, idest doctrina mea nutritus et edoctus definivit casum in physicis, idest *in secundo Physicorum* brevi ratione et propinqua veri, idest veritati. Et quærit Boetius : Quonam inquam modo? Dicit Philosophia : Quotiens aliquid geritur, idest fit, gratia cujuspiam rei, idest alicujus rei, et aliud contingit quibusdam de causis quam quod intendebatur, illud vocatur casus : ut si aliquis causa colendi agri fodiens humum inveniat pondus auri defossum, hæc inventio auri creditur fortuito, idest a casu accidisse, verum (pro sed) talis eventus casualis non est de nihilo, idest de nulla causa, sicut dicebat definitio antiquorum : nam eventus casualis habet proproprias causas, quarum concursus inopinatus et improvisus, supple, ab eo qui aliquid fecit causa alterius rei, videbitur operatus esse casum. Nisi enim cultor agri foderet humum, quæ, supple, fossio est una causa inventionis auri : et nisi eo loco depositor obruisset, idest abscondisset pecuniam suam : quæ est alia causa inventionis auri : aurum non esset inventum. Notandum, quod casus, secundum Aristotelem, est quando aliquid fit propter aliquem finem, ut fossio agri propter seminationem, si aliquid aliud evenit ex quibusdam causis præter hoc quod intendebatur, hoc est casus : ut inventio thesauri casualis est quæ non intendebatur a fossore agri. Ex quo patet quod inventio thesauri est casualis, non ideo quod non est prævisa a Deo, sed quia non est prævisa ab homine : et ita casus nihil est quo ad Deum : sed est aliquid quo ad hominem, præter cujus intentionem et provisionem evenit.

« Hæc sunt etc. » Hic ostendit philosophia quod licet casus habeat causas, non tamen habet causas per se, sed per accidens; dicens : Hæc igitur sunt causæ fortuiti compendii, idest fortuiti eventus : quod fortuitum compendium provenit ex causis obviis et confluentibus, non ex intentione gerentis : non enim ille qui aurum obruit, vel qui agrum exercuit, idest fodit, intendebat ut ea pecunia reperiretur : sed, ut dixi, præter gerentis intentionem evenit hunc fodere quo ille obruit pecuniam, et concurrit, supple, inventio pecuniæ. Notandum, quod causa efficiens non agit nisi moveatur a fine. Finis autem non movet nisi secundum quod est in intentione : et ideo respectu illius effectus qui est in intentione agens est causa per se : sed si aliquid contingat in actione præter intentionem agentis illius, agens est causa per accidens : et sic casus, quia contingit præter intentionem agentis, non habet causam agentem per se, sed per accidens.

« Licet igitur definire etc. » Hic philosophia solvit secundam quæstionem, ostendendo quid sit casus. Concludit ergo definitionem ejus ex jam dictis, dicens : Licet igitur definire casum esse eventum inopinatum ex causis confluentibus in his quæ geruntur ob aliquid aliud. Tunc ostendit quomodo effectus casualis cadit sub ordine providentiæ. Dictum est enim quod casus provenit ex causis confluentibus. Quod autem causæ confluant, hoc provenit ex ordine providentiæ. Unde dicit : Causas vero concurrere et confluere facit iste ordo, scilicet fatalis procedens inevitabili connexione, scilicet causarum, qui descendens, supple, ordo de fonte providentiæ cuncta disponit suis temporibus et locis. Notandum, quod definitio casus est bona, quia per eam casus distinguitur ab aliis. Per hoc quod dicitur, casus est eventus inopinatus,

excluduntur effectus necessario evenientes, vel frequenter, sicut solem oriri vel hominem nasci cum quinque digitis in una manu. Talia enim non eveniunt casualiter et fortuito. Per hoc quod dicitur, ex confluentibus causis, excluditur casus primo modo dictus qui secundum antiquos ponebatur procedere ex nulla concursione causarum. Per hoc autem quod dicitur in his quæ geruntur ob aliquid aliud, excluditur a casu causalitas per se : casus enim et fortuna sunt causæ per accidens, et fiunt præter intentionem agentis.

METRUM I

Rupis Achæmeniæ scopulis, ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax,
Tigris et Euphrates uno se fonte resolvunt,
Et mox abjunctis dissociantur aquis.
Si coeant, cursumque iterum revocentur in unum,
Confluat alterni quod trahit unda vadi ;
Convenient puppes, et vulsi flumine trunci,
Mixtaque fortuitos implicet unda modos ;
Quos tamen ipsa vagos terræ declivia casus,
Gurgitis et lapsi defluus ordo regit.
Sic, quæ permissis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frenos, ipsaque lege meat.

« Rupis Achæmeniæ scopulis etc. » Istud est primum metrum hujus libri, quod dicitur metrum elegiacum. Et primum metrum est dactylicum exametrum. Secundum est trochaicum pentametrum, vel dactilicum pentametrum. In quo philosophia ostendit quomodo eventus casualis se habet ad providentiam divinam. Est autem materia exempli, quod Tigris et Euphrates sunt duo fluvii ab eodem fonte procedentes, qui postea ab invicem dividuntur : et si iterum concurrerent, necesse est naves et alia quæ per illa flumina deferuntur concurrere : qui quidem concursus proveniunt inquantum reguntur decursu istorum fluviorum, et tamen est præter intentionem illorum qui regunt naves. Eodem modo concursus causarum casualiter, quamvis sit præter intentionem ipsorum agentium : tamen concurrunt secundum defluxum ordinis fatalis ex regimine divinæ providentiæ : et quamvis nobis ignorantibus ordinem divinæ providentiæ videatur aliquid casuale et fortuitum, tamen in comparatione ad Deum omnia sunt ordinata et provisa. Unde dicit in littera : Tigris et Euphrates resolvunt se uno fonte scopulis, idest ex concavitatibus rupis Achemeniæ, idest montis Parthiæ, ubi, scilicet in Parthia fugax pugna versa spicula, idest sagittas figit pectoribus sequentium. Est enim consuetudo Parthorum, quod fugiendo pugnant sagittando a tergo contra insequentes. Et mox, idest parvum post spatium, Tigris et Euphrates dissociantur abjunctis aquis, supple, aliis : et si dicti fluvii iterum coeant, idest conveniant, et revocentur in unum cursum, confluat, idest oportet confluere, illud quod unda alterni vadi, idest utriusque fluminis trahit, idest secum ducit, et conveniant puppes et trunci, vulsi, idest eradicati flumine, idest per flumen, et unda mixta, idest confluens implicet, idest implicabit fortuito naves et truncos, quos tamen vagos casus, idest casuales eventus, regit ipsa declivia terræ, idest depressio terræ dans viam fluvio, et defluus ordo lapsi gurgitis, idest currentis aquæ regit illos vagos cursus : et ita est de eventu casuali respectu providentiæ. Unde dicit : Fors, idest casus vel fortuna quæ videtur fluitare permissis habenis, idest sine regimine, illa patitur frenos, idest regimina, et meat, idest transit ipsa lege, idest per ipsam legem divinæ providentiæ. Notandum quod scribitur in Genesi : *Tigris et Euphrates sunt flumina quorum ortus est in paradiso*. Sed Hieronymus, auctoritate Salustii dicit, quod ortus Tigris et Euphratis demonstratur in Armenia, idest in Parthia, cui videtur Boetius consentire. Beatus autem Augustinus *super Genesim ad litteram* istam contrarietatem concordat, dicens : « Illud contingit in istis fluminibus quod in aliis experimur, scilicet quod aliquando absorbentur a terra et iterum oriuntur : et quia hoc sæpe potest contingere, ideo de ortu ipsorum fluviorum diversa possunt dici. » Quando enim Moyses dicit *in Genesi*, quod oriantur in paradiso, potest intelligi de prima origine eorum ; sed quod dicitur ab aliis quod alibi oriantur, potest intelligi de ortu eorum secundario.

Notandum, quod Parthia est regio quædam quæ alio nomine dicitur Achæmenia, unde dicuntur homines Parthi qui vincunt hostes suos fugiendo sagittas a tergo mittendo : et sic amor vincendus est fugiendo. Unde poeta dicit :

Qua specie Martis cedit victoria Parthis,
Cypris ea parte simili quoque vincitur arte.
Cypris, idest Venus quæ colebatur in Cypro.

Et pauper Henricus :

Proscribas igitur gladiis et fustibus ipsum,
Supple, amorem,
Et fugiendo fuga quem fuga sola fugat.

PROSA II.

Animadverto, inquam, idque uti tu dicis, ita esse consentio. Sed in hac hærentium sibi serie caussarum, est ne ulla nostri arbitrii libertas, an ipsos quoque humanorum motus animorum fatalis catena constringit? Est, inquit Neque enim fuerit ulla rationalis natura quin eidem libertas adsit arbitrii. Nam quod ratione uti naturaliter potest, id habet judicium quo quodque discernat per se : igitur fugienda optandave dignoscit. Quod vero quis optandum judicat esse, petit : refugit vero quod existimat esse fugiendum. Quare quibus inest ratio, ipsis etiam inest volendi nolendique libertas. Sed hanc non in omnibus æquam esse constituo. Nam supernis divinisque substantiis et perspicax judicium, et incorrupta voluntas, et efficax optatorum præsto est potestas. Humanas vero animas liberiores quidem esse necesse est cum se in mentis divinæ speculatione conservant : minus vero, cum dilabantur ad corpora ; minusque etiam, cum terrenis artubus colligantur. Extrema vero est servitus, cum vitiis deditæ rationis propriæ possessione ceciderint. Nam ubi oculos a summæ luce veritatis ad inferiora et tenebrosa dejecerint, mox inscitiæ nube caligant, perniciosis turbantur affectibus ; quibus accedendo, consentiendoque, quam invexere sibi, adjuvant servitutem, et sunt quodam modo propria libertate captiva. Quæ tamen ille, ab æterno cuncta prospiciens, providentiæ cernit intuitus, et suis quæque meritis prædestinata disponit, *pant' ephora cai pant' epacouei*.

« Animadverto inquam etc. » Hic incipit prosa secunda hujus quinti ; in qua incipit determinare de convenientia liberi arbitrii ad providentiam divinam. Et primo quærit an liberum arbitrium possit stare cum providentia divina : et philosophia probat liberum arbitrium esse. Secundo ostendit quomodo diversificatur in diversis. Et tertio ostendit actus liberi arbitriii cadere sub providentia divina. Secunda, ibi, « Sed hanc. » Tertia, ibi, « Quæ tamen. » Primo dicit : Animadverto inquam, idest cognosco, quomodo casus stat cum providentia, et ita consentio sicut dixisti. Et quærit Boetius : Est ne ulla libertas arbitrii in hac serie causarum sibi hærentium, an fatalis catena, idest fatalis necessitas constringit motus, idest affectus, humanorum animorum? Tunc philosophia probat liberum arbitrium esse, dicens : Libertas arbitrii est, non obstante prædicta connexione causarum : neque enim fuerit, idest esse poterit ulla rationalis natura quin libertas arbitrii eidem adsit. Et accipitur hic rationalis natura large pro omni eo quod habet cognitionem intellectivam. Probat autem quod omni naturæ rationali insit liberum arbitrium, dicens : Illud quod potest naturaliter uti ratione, id habet judicium quo discernat unumquodque : igitur per se dignoscit, idest discernit fugienda et optanta : quod autem quis judicat optandum id petit, idest prosequitur, et refugit illud quod æstimat fugiendum. Quare quibus inest ratio, illis inest libertas volendi et nolendi. Potest ergo sic ratio formari : Omne quod potest uti ratione habet judicium cognoscendi fugienda et optanda : sed quod quisque judicat optandum prosequitur, et quod judicat fugiendum, hoc refugit : ergo omne quod potest uti ratione habet libertatem volendi et nolendi. Notandum, quod dicit, illud quod utitur ratione habet judicium quo discernat unumquodque : hoc dicit ad dilferentiam judicii naturalis, quod est in brutis, quo non judicatur unumquodque agendum, sed aliquid particulare ; sicut ovis non judicat de quolibet fugiendo sed tantum de lupo ; et apes non habent industriam ad faciendum aliquod opus, nisi ad favos mellis : sed judicium rationis est de quibuslibet quæ aguntur. Notandum, quod dicit, habens rationis judicium per se judicat prosequendum vel fugiendum : licet enim bruta quodammodo cognoscant fugienda vel prosequenda, non tamen per se, quia non sunt causa judicii. Homo autem non solum cognoscit finem et ordinata in finem, sed cognoscit universaliter per modum collationis et per modum syllogisticum : etiam homo suum

judicium judicat et discernit : quia intellectus est virtus conversa supra se.

« Sed hanc non in omnibus etc. » Hic ostendit philosophia quomodo liberum arbitrium diversificatur in diversis, scilicet in Angelis et hominibus, dicens : Hanc, scilicet libertatem arbitrii, non constituo esse æquam, idest æqualem in omnibus : quia major est in substantiis divinis quam in hominibus. Nam supernis et divinis substantiis inest perspicax judicium, idest infallibile judicium, et inest eis incorrupta voluntas, idest inflexibilis ad malum, et in est præsto, idest parata, efficax potestas optatorum, quia non est in eis impedimentum executionis. Animas vero humanas necesse est esse liberiores, quando conservant se in speculatione divinæ mentis ; minus vero liberæ sunt cum dilabuntur ad corpora, idest ad curam rerum temporalium, et adhuc minus liberæ sunt cum colligantur terrenis artubus, idest affectibus, quibus minus resistere possunt passionibus insurgentibus. Extrema vero, idest maxima est servitus animarum quando deditæ vitiis ceciderint a possessione propriæ rationis, qua regi, idest dirigi deberent in agendis. Nam ubi, idest postquam animæ dejecerint oculos rationis et intellectus a luce summæ veritatis, ad inferiora et tenebrosa, idest ad terrena et carnalia, mox caligantur, idest obscurantur nube inscitiæ, idest ignorantiæ, et turbantur perniciosis affectibus, idest passionibus ; quibus accedendo et consentiendo adjuvant, idest augmentant servitutem, quam sibi invexere, idest induxerunt, et animæ vitiosorum sunt quodammodo captivæ propria libertate. Notandum quod liberum arbitrium est libertas judicandi et exequendi res. Vel secundum Boetium, super *primo Perihermeniæ*, liberum arbitrium est de voluntate judicium animi nullo extrinseco aut violento impediente, nullo cogente ad faciendum quod displicet, nullo impediente ne fiat quod placet. Notandum, quod liberum arbitrium in duobus consistit : in libertate judicandi, et in libertate exequendi potestate. Primum, scilicet libertatem judicandi impedit ignorantia ; sed libertatem exequendi impedit impotentia executionis et corruptio voluntatis. Quandoque enim possumus bonum perficere : tamen voluntate corrupta vitio non perficimus. In substantiis autem separatis non est ignorantia judicandi nec impotentia perficiendi, nec corruptio voluntatis : ergo in eis est maxima libertas arbitrii. Intelligentiæ enim in nullo falluntur : ergo habent perspicax judicium : et nunquam volunt nisi bonum : ergo in eis est incorrupta voluntas : et possunt perficere quidquid desiderant : ergo in eis est efficax potestas optatorum. Notandum, quod quidam dixerunt fuisse de intentione Platonis animas humanas simul esse creatas in cœlo, et postea descendere in corpora, et in eis detineri tamquam in vinculis. Secundum illos gradus libertatis animarum humanarum quas ponit in littera sic distinguuntur : scilicet quod animæ cum sint in cœlo creatæ in contemplatione divinæ mentis, sunt maxime liberæ ; cum autem desiderio corporum incipiunt descendere ad corpus, sunt minus liberæ : cum autem jam sunt colligatæ corporibus, adhuc sunt minus liberæ : sed minima libertas est in eis quando subduntur vitiis. Ista tamen expositio non est secundum veritatem : ideo aliter exponitur quod illas animas necesse est esse liberiores quæ contemplationi divinæ inserviunt, ut animæ virtuosorum et contemplativorum quorum conversatio in cœlis est. Illæ autem sunt minus liberæ quæ dilabuntur ad corpora, idest quæ descendunt ad curam rerum temporalium, sicut sunt practici qui negotiantur circa bona temporalia ad communem utilitatem dispensanda : adhuc minus liberæ sunt animæ quæ terrenis artubus colligantur, idest quæ descendunt ad curandum proprium corpus et ad propriam utilitatem : minime autem liberæ sunt quæ subditæ vitiis rationem amittunt. Vitio suo enim non unius tantum domini est servus, sed tot dominorum quot vitiorum, secundum beatum Augustinum.

« Quæ tamen ille etc. » Hic ostendit philosophia quomodo actus liberi arbitrii cadunt sub providentia divina : quia propter hoc quod divina cognitio se extendit

ad omnia; dicens: Quæ omnia dicta quo ad diversos gradus libertatis et quo ad omnes actus inde provenientes, cernit ille intuitus providentiæ divinæ cuncta prospiciens et quæque prædestinata disponit suis meritis reddendo bonis bona et malis mala. Et hoc confirmat auctoritate græca quæ sonat in latino : Omnia videt Deus et omnia audit : vel secundum alios sonat : Deus illustrat omnia clarius quam sol. Notandum, quod licet divina providentia ab æterno omnia prospexerit, non tamen propter hoc necessitatur liberum arbitrium ad faciendum bonum vel malum : quia secundum Aristotelem in *tertio Ethicorum*, « Homo est dominus suarum operationum a principio usque ad finem, » et ergo secundum merita operationum liberi arbitrii recipit pœnam vel præmium.

METRUM II.

Puro clarum lumine Phœbum
Melliflui canit oris Homerus :
Qui tamen intima viscera terræ
Non valet, aut pelagi, radiorum
Infirma perrumpere luce.
Haud sic magni conditor orbis :
Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt;
Non nox atris nubibus obstat.
Uno mentis cernit in ictu
Quæ sint, quæ fuerint, veniantque.
Quem, quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

« Puro clarum lumine Phœbum etc. » Istud est metrum secundum hujus quinti libri, quod dicitur archilochum ab inventore, dactylicum a pede prædominante : in quo philosophia commendat excellentiam divinæ cognitionis in comparatione ad solem materialem, dicens : Homerus oris melliflui, idest dulcis eloquentiæ, canit, idest describit Phœbum, idest solem clarum puro lumine; forsan enim Homerus fecit librum *de Claritate solis*. Qui scilicet sol non valet perrumpere, idest penetrare, intima viscera, idest profunda terræ, et pelagi, idest maris, infirma, idest debili, luce radiorum. Haud sic, idest non sic habet se conditor magni orbis, scilicet Deus; sed ipse sua cognitione penetrat omnia, cum nihil possit ipsum latere. Huic, scilicet conditori, tuenti, idest respicienti cuncta ex alto, scilicet cœlo, terræ sibi resistunt, nulla mole, idest magnitudine, sicut obsistunt radiis solis : nec etiam nox obscura obstat sibi atris nubilus : immo in uno ictu mentis, idest in unico mentali intuitu, cernit quæ sunt quantum ad præsentia; quæ fuerunt, quantum ad præterita ; quæ veniunt, quantum ad futura. Quem scilicet conditorem, quia respicit omnia solus, tu poteris dicere verum solem. Notandum : licet Deus omnia cognoscendo prævideat etiam illa quæ fiunt ex libero arbitrio, voluit tamen quasdam creaturas esse liberi arbitrii, quia hoc magis decet divinam bonitatem. Sicut enim et nobilius est regnum in quo non tantum servitur regi a servis, sed etiam a liberis, quam ubi tantum servitur a servis, sic melius erit regnum Dei et decentius ex hoc quod sunt aliquæ creaturæ libere servientes, sicut homo et Angelus, quam si essent solæ creaturæ serviliter operantes, cujusmodi sunt omnes creaturæ præter hominem et Angelum, quæ ex determinatione naturæ necessitantur ad sua opera.

PROSA III.

Tum ego, En, inquam, difficiliori rursum ambiguitate confundor. Quænam inquit, ista est? Jam enim quibus perturbare, conjecto. Nimium, inquam, adversari ac repugnare videtur, prænoscere universa Deum, et esse ullum libertatis arbitrium. Nam si cuncta prospicit Deus, neque falli ullo modo potest, evenire necesse est quod providentia futurum esse præviderit. Quare si ab æterno non facta hominum modo, sed etiam consilia, voluntatesque prænoscit, nulla erit arbitrii libertas : neque enim vel factum aliud ullum, vel quælibet exsistere poterit voluntas, nisi quam nescia falli providentia divina præsenserit. Nam si res aliorsum quam provisæ sunt, detorqueri valent, non jam erit futuri firma præscientia : sed opinio potius incerta : quod de Deo nefas credere judico. Neque enim illam probo rationem qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissolvere. Aiunt enim, non ideo quid esse eventurum, quoniam id providentia futurum esse prospexerit : sed e contrario potius, quoniam quid futurum est, id divinam providentiam latere non posse, eoque modo necessarium est, hoc in contrariam relabi partem. Neque enim necesse est contingere quæ providentur : sed necesse est quæ futura sunt provideri. Quasi vero, quæ cujusque rei causa sit, præscientiane futurorum necessitatis, an futurorum necessitas providentiæ laboretur. At nos illud demonstrare nitamur, quoquo modo sese habeat ordo causarum, necessarium esse eventum præscitarum re-

[illegible]

[illegible]

« Tunc ego. En inquam etc. » Hic incipit tertia prosa hujus quinti libri ; in qua Boetius objicit contra prædicta, ostendens non posse simul stare providentiam et liberum arbitrium. Et primo præmittit quod dicta possunt habere dubitationem. Secundo ponit rationem dubitationis, « Nimium inquam. » Primo dicit : Tum (pro tunc) finitis prædictis, ego Boetius inquam : O philosophia, rursus ego confundor difficiliori ambiguitate. Et quærit philosophia : quænam est ista ambiguitas ? jam enim conjecto, idest judico, quibus tu perturbare, idest perturbaris. Notandum, quod conjectare est ex aliquibus signis aliquid putare : et sic philosophia conjectat per locum a communiter accidentibus dubitationem Boetii, qui communiter quicumque loquuntur de providentia et libero et arbitrio, dubitant de compassibilitate eorum.

« Nimium inquam etc. » Hic Boetius exprimit suam dubitationem, ostendens providentiam et liberum arbitrium esse incompassibilia. Primo facit hoc. Secundo excludit quasdam vias quibus aliqui conabantur defendere providentiam, ibi, « Quid igitur. » Ad probandum ergo incompassibilitatem prædictorum, ponit tres rationes. Secunda, ibi, « Ad hæc. » Tertia ibi, « Postremo. » Primo ponit primam rationem. Secundo excludit quamdam solutionem, ibi, « Neque enim. » Primo modo dicit : Nimium videtur adversari et repugnare Deum prænoscere universa, et esse ullum libertatis arbitrium. Quod autem ista repugnant probat : nam si Deus prospicit cuncta, neque ullo modo falli potest, necesse est evenire illud quod providentia prævideri esse futurum : quod si non eveniret, falleretur providentia. Quare si ab æter-

no non modo, idest non tantum, facta hominum, sed etiam consilia et voluntates prænoscit, nulla erit libertas arbitrii; sed omnia evenirent de necessitate. Quod autem Deus sua providentia omnia præcognoscat, declarat. Neque enim poterit existere aliquod factum vel aliqua voluntas nisi quam præsenserit, idest præciverit, providentia divina, nescia, idest non potens, falli : nec possunt aliter evenire quam prævisa sunt : nam si valent detorqueri aliorsum, scilicet ut aliter eveniant quam prævisa sunt, non erit jam firma præscientia Dei, sed potius erit incerta opinio : quod judico nefas credere de Deo. Notandum, quod ex littera sic formatur ratio. Illa quæ prævidentur infallibiliter, de necessitate eveniunt; sed omnia prævidentur a Deo infallibiliter; ergo omnia de necessitate eveniunt, et sic perit libertas arbitrii. Notandum, quod scientia Dei non est opinio : quia opinio est eorum quæ sic et aliter se possunt habere, ex primo *Posteriorum;* scientia autem est eorum quæ non possunt se aliter haberere; ergo scientia Dei non est dicenda opinio.

« Neque enim illam probo rationem etc. » Hic philosophia excludit quamdam responsionem quæ posset dari ad prædictam rationem. Et primo ponit eam. Secundo eam excludit, ibi, « Quasi vero. » Primo dicit : Neque enim, probo, idest approbo illam rationem, idest responsionem qua quidam credunt se posse dissolvere nodum, idest difficultatem quæstionis. Aiunt enim, non ideo quid esse venturum quoniam providentia prospexerit illud esse futurum, idest venturum; sed potius e contrario, idest e converso : quoniam quod futurum est, illud non possit latere providentiam divinam : quasi dicat : eventus rei est causa præscientia, et non e converso; et ideo ex eventu debet concludi necessitas præscientiæ non e converso, secundum eos. Et isto modo necessarium est, hoc quod concluditur de eventu relabi in contrariam partem : scilicet ut quod concluditur de eventu, hoc concludatur de præscientia. Neque enim necesse est contingere quæ prævidentur, secundum eos; sed quæ futura sunt necesse est prævideri. Notandum, quod prior ratio prætendebat quod omnia futura de necessitate eveniant, quia Deus futura infallibiliter prætendit. Responsio autem quorumdam dicit contrarium : Dicit enim : non ideo quia Deus prævidet futura necessario eveniunt; sed quia ventura sunt, ideo Deus ea prævidet.

« Quasi vero etc. » Hic excludit istam responsionem, dicens : Ista responsio procedit quasi laboraretur quærendo cujus rei causa sit præscientia, utrum sit causa necessitatis futurorum, vel utrum necessitas futurorum sit causa providentiæ; sed nos nitamur, idest laboremus hoc demonstrare, scilicet necessarium esse eventum rerum præscitarum, quoquo modo, idest quocumque modo se habeat ordo causarum, etsi (pro quamvis præscientia non videatur inferre necessitatem eveniendi rebus futuris. Quod declarat in exemplo, dicens : Si aliquis sedeat, necesse est opinionem essé veram quæ conjectat eum sedere : et e converso si de aliquo vera sit opinio, quia sedet, necesse est eum sedere. Igitur in utroque, scilicet in opinione et sedente est necessitate : in hoc, scilicet in sedente, est necessitas sedendi; in altero, scilicet in opinione, est necessitas veritatis; sed non idcirco quisque sedet, supple, causaliter, quoniam vera est opinio, quia veritas opinionis non est causa sessionis; hæc, scilicet opinio potius est vera, quoniam præcessit quempiam, idest aliquem sedere. Et ita, cum causa veritatis ex altera parte procedat, tamen in utroque est communis necessitas. Et eodem modo contingit arguere de providentia et de his quæ providentur. Unde dicit : patet, idest manifestum est, ratiocinari de providentia et de rebus futuris. Nam etsi (pro quamvis) idcirco providentur quoniam futura sunt; non tamen ideo proveniunt quoniam providentur : nihilominus tamen necesse est a Deo vel ventura provideri, vel provisa evenire : ita quod utrique parti inest necessitas quamvis alterius causalitas : quod solum satis est, idest sufficit, ad perimendam libertatem arbitrii. Notandum, quod responsio ista quam innuit in *littera,* videtur fuisse ip-

sius Origenis, qui super *Epistolam ad Romanos* sic dicit : « Non propterea aliquid erit, quia illud Deus scit futurum ; sed quia futurum est, ideo scitur a Deo antequam fiat. » Quod tamen potest intelligi dupliciter : uno modo quod eventus rei sit causa præscientiæ secundum rationem consequentiæ, et sic responsio est vera ; alio modo potest intelligi quod eventus rei sit causa præscientiæ secundum existentiam, et sic est falsa ; et hoc modo improbatur hic a Boetio. Primo ergo ostendit Boetius, quod ista responsio non est ad propositum. Secundo ostendit quod non includit veritatem, ibi, « Jam vero. »

« Jam vero etc. » Hic philosophia ostendit quod ista responsio includit falsitatem, quia ponit quod aliquod temporale sit causa æterni. Dicunt enim quod res futuræ sint causa provisionis æternæ. Unde dicit : Jam vero præposterum est, idest perversum est, ut eventus rerum temporalium, dicatur esse causa æternæ præscientiæ, quod dicitur in ista responsione. Unde subdit : Quid est aliud arbitrari Deum ideo providere futura quoniam sunt eventura, quam putare quæ olim acciderint, idest ipsa futura, esse causam summæ providentiæ ? quasi dicat : nihil est aliud dicere. Notandum, quod nullum temporale est causa æterni, sed potius e converso. Indignius enim non est causa dignioris, eo quod causa dignior est effectu ; temporale autem indignius est æterno, sicut corruptibile ergo etc.

« Ad hæc sicuti enim quid esse scio etc. » Hic ponit secundam responsionem ad probandum secundam conclusionem, dicens : Ad hæc, supple, prædicta addenda est hæc ratio. Sicuti cum scio esse quid, idest aliquid, necesse est ipsum esse, ita cum novi quid futurum, necesse est idipsum esse futurum. Sic igitur fit, idest contingit, ut eventus rei præscitæ nequeat evitari. Notandum, quod ratio sic potest formari. Sicut se habet scientia respectu scibilis præsentis, sic præscientia respectu effectus futuri; sed cum scio in præsenti aliquid esse, necesse est ipsum esse ; ergo cum præsciatur aliquid futurum esse, necesse est ipsum futurum esse ; sed Deus præscit omnia futura, ergo necessario eveniunt, et sic iterum tollitur libertas arbitrii.

« Postremo si quid aliquis etc. » Hic ponit tertiam rationem ad idem, dicens : Si quis existimet aliquid esse aliorsum, idest aliter quam res se habet, illud non modo, idest non tantum non est scientia, sed est fallax opinio longe diversa a veritate scientiæ. Quare si aliquid ita futurum est ut ejus eventus non sit certus et necessarius, quomodo illud poterit præsciri eventurum? quasi dicat : nullo modo. Cujus rationem assignat, dicens : Sicut ipsa scientia est impermixta falsitati : esse quam concipitur : quia si posset aliter se habere, tunc scientia posset esse falsa. Unde subdit : ista est causa quare scientia careat mendacio : quia necesse est unamquamque rem ita se habere, sicut scientia comprehendit eam sese habere. Notandum, quod ratio quam intendit est ista. Quicumque existimat rem aliter esse quam est, ejus existimatio est falsa, et non est scientia, sed fallax opinio. Ergo si Deus præscit aliquod futurum esse, et si ipsum non necessario evenit sicut præscivit, præscientia Dei non erit scientia, sed fallax opinio ; ergo futura a Deo prævisa necessario eveniunt, et sic perit liberum arbitrium.

« Quid igitur etc. » Hic philosophia improbat modos quibus aliqui nituntur salvare providentiam. Et primo quærit quomodo possit salvari providentia divina, improbando duos modos quibus aliqui conabantur ipsam salvare. Secundo ponit tertium modum, similiter ipsam improbando. Secunda, ibi, « Quod si apud. » Primo dicit : Quid igitur dicemus? quonam modo dici potest quod Deus prænoscit hæc futura incerta? Primus modus est : ut dicatur Deum ea quæ providet judicare infallibiliter quamvis possint non evenire : sed id est inconveniens, quia tunc falleretur sua providentia. Unde dicit : Nam si Deus censet, idest judicat evenire infallibiliter quæ etiam possibile est non evenire, fallitur, supple, Deus : quod non modo, idest non tantum nefas est sentire de Deo, sed etiam nefas est voce proferre. Secundus modus est ut dicatur Deum provi-

dere futura indeterminate sicut sunt futura : sed isto modo providentia Dei non est certa. Unde dicit : Si Deus discernit ista futura esse quæ providentur indeterminate sicut sunt, ut scilicet cognoscat ea æque, idest æqualiter posse fieri vel non fieri, quæ est ista præscientia quæ nihil certum,nihil stabile comprehendit? quasi dicat : talis providentia nulla est. Et quid hæc præscientia refert, idest differt ab illo vaticinio ridiculoso Tiresiæ, qui dicebat : Quicquid dicam hoc erit vel non erit. Quo etiam, idest in quo, divina providentia præstiterit, idest prævalebit humana opinione, si judicat incerta sicut homines ea quorum eventus est incertus? quasi dicat : in nullo differt. Notandum, quod cum Tiresias vidisset duos serpentes simul coire, projecto baculo ipsos separavit abinvicem, et mutatus fuit in mulierem. Post septennium iterum serpentes coeuntes baculo separavit, et mutatus fuit in virum. Cum autem orta fuisset dissensio inter Jovem et Junonem an major esset delectatio in coitu viri quam mulieris, electus fuit Tiresias in judicem, qui expertus erat sortem utriusque sexus. Cum autem diceret majorem esse delectationem mulieris, Juno commota excæcavit ipsum. Jupiter autem sui misertus in recompensam amissi visus dedit sibi spiritum vaticinandi. Fuit autem hæc sua vaticinatio : quidquid dicam erit vel non erit. Si ergo Deus non aliter præsciret futura indeterminata, nisi quia erunt vel non erunt : non differret sua præscientia a præscientia Tiresiæ : quod est ridiculosum.

« Oportet si apud illum rerum etc. » Hic ponit tertium modum conantium salvare providentiam. Et est ut ponamus omnia evenire de necessitate, et auferamus liberum arbitrium. Primo ergo ponit istum modum. Secundo ostendit quæ inconvenientia sequantur ad ipsum, ibi, « Quo semel. » Primo ergo concludit istum modum, dicens : Quod si apud illum certissimum fontem omnium rerum nihil potest esse incerti, certus est eventus eorum quæ ipse firmiter præsciverit futura : quare nulla erit libertas humanis consiliis et actionibus quas divina mens sine errore falsitatis cuncta prospiciens alligat et constringit ad unum eventum. Notandum, quod nulla mutatio cadit circa fontem omnium rerum, quia cognitio ejus non potest esse incerta : etiam si esset incerta, esset imperfecta et diminuta : si ergo est certa respectu futurorum, necesse est ut omnia futura præscita a Deo necessario eveniant.

« Quo semel recepto etc. » Hic ponit inconvenientia quæ sequuntur si auferatur liberum arbitrium. Et primo ostendit quæ inconvenientia sequuntur ex parte hominum. Secundo quæ ex parte Dei. Tertio quæ ex parte conjunctionis hominum ad Deum. Secunda, ibi, « Quo nihil. » Tertia, ibi, « Igitur nec sperandi. » Inconvenientia ex parte hominum sunt : si non sit liberum arbitrium, frustra proponuntur hominibus pœnæ vel præmia, et injuste puniuntur mali et præmiantur boni, nec erunt vitia nec virtutes in hominibus, sicut nec in aliis quæ agunt necessitate naturæ et non libertate animi. Unde dicit : Quo semel recepto, idest posito, scilicet ut negetur liberum arbitrium, liquet, idest manifestum est quantus occasus, idest quanta destructio humanarum rerum consequatur. Frustra enim proponuntur bonis præmia et malis pœnæ : ita statuta et leges humanæ erunt inutiles quæ pœnas et præmia statuunt, quæ nullus motus animorum liber ac voluntarius meruit. Et illud videbitur inquissimum omnium quod nunc judicatur æquissimum, scilicet puniri improbos et remunerari probos, quos ad alterutrum, idest ad probitatem vel improbitatem non mittit propria voluntas, sed cogit certa necessitas futuri. Igitur virtutes et vitia non fuerint quicquam, sed potius erit mixta et indiscreta confusio omnium meritorum, scilicet bonorum et malorum. Nota, quod omnes virtutes et vitia oriuntur ex libera electione boni et mali ; et similiter punitio et remuneratio fiunt propter liberam actionem boni vel mali. Si ergo tollitur libertas arbitrii, non erit libera actio bona vel mala, et per consequens nulla erit virtus et nullum vitium, et injuste malus punietur cum ex necessitate malum operetur, et injuste bonus præ-

malorum cum ex necessitate operetur bonum, quod est absurdum dicere.

« Quoque nihil sceleratius etc. » Hic ostendit inconveniens quod sequitur ex parte Dei, scilicet quod Deus erit auctor malorum. Unde dicit : Cum omnis ordo rerum ducatur ex providentia divina, nec nihil liceat libere fieri ex humanis consiliis, fit, idest sequitur ut vitia nostra referantur ad auctorem omnium, supple, Deum ; quo nihil sceleratius excogitari potest quam Deum dicere auctorem malorum, quod tamen necessarium est ablata libertate. Notandum, quod defectus in operatione qui defectus non est in potestate Dei ut evitetur, necessario est ab agente et a producente. Si ergo actio voluntatis nostræ non est libera, defectus actionis secundum voluntatem reducetur in Deum ; et sic Deus erit causa defectuum nostrorum, quod est absurdum.

« Igitur nec sperandi aliquid etc. » Hic ponit inconvenientia quæ sequuntur ex conjunctione hominis ad Deum ; quia tolleretur actus deprecandi et actus sperandi, quibus maxime conjungimur Deo. Unde dicit : Igitur si tollitur liberum arbitrium, nec ulla ratio est sperandi aliquid nec deprecandi inter Deum et homines. Quid enim quisque deprecetur vel speret, si series indeflexa connectit omnia optanda ? quasi dicat : frustra fieret utrumque. Igitur auferetur illud unicum commercium, scilicet sperandi et deprecandi inter Deum et homines. Vocat autem spem et deprecationem commercium, quia istis meremur omnia beneficia ; unde subdit : siquidem pretio justæ humilitatis nos homines promeremur inæstimabilem vicem, idest retributionem divinæ gratiæ : qui modus deprecandi solus est quo homines videntur posse colloqui cum Deo, et conjungi inaccessæ, idest inaccessibili luci, supple, Deo, priusquam homines impetrent quod petunt : prius enim preces porrigimus quam effectum petitionis consequamur : quæ, scilicet spes et deprecatio, si nihil credantur habere virium recepta, idest concessa necessitate futurorum, quid erit quo conjungi possimus illi summo principi rerum ? quasi dicat : nihil. Quare necesse erit genus humanum dissæptum, idest disjunctum, suo fonte, idest a suo principio, supple, a Deo, fatiscere, idest deficere, ut paulo ante cantabas in *sexto metro quarti libri*. Notandum, quod actus deprecandi spectat ad intellectum, et est oratio secundum Joannem Damascenum, ascensus intellectus ad Deum vel in Deum : quo quidem actu insinuamus Deo indigentiam nostram : non quod Deo per insinuationem nostram aliquid innotescat quod prius ignoraverit ; sed ut nos ipsa insinuatione utendo consideremus in his esse recurrendum ad divinum auxilium. Actus autem sperandi pertinet ad voluntatem, quia ejus objectum est bonum futurum. Per istum actum adhæremus Deo tamquam perfecto principio bonitatis, innitentes ejus auxilio ad consequendum bonum quo indigemus. Sed si hujusmodi bonum necessario eveniret, vel impossibile esset evenire, uterque actus tam deprecandi quam sperandi esset inutilis.

METRUM III.

Quænam discors fœdera rerum
Causa resolvit ? quis tanta Deus
Veris statuit bella duobus,
Ut quæ carptim singula constent,
Eadem nolint mixta jugari ?
An nulla est discordia veris,
Semperque sibi certa cohærent ?
Sed mens, cæcis obruta membris,
Nequit oppressi luminis igne
Rerum tenues noscere nexus.
Sed cur tanto flagrat amore
Veri tectas reperire notas ?
Scitne quod appetit anxia nosse ?
Sed quis nota scire laborat ?
At si nescit, quid cæca petit ?
Quis enim quidquam nescius optet ?
Aut quis valeat nescita sequi ?
Quove inveniat, quisve repertam
Queat ignarus noscere formam ?
An cum mentem cerneret altam,
Pariter summam et singula norat ?
Nunc membrorum condita nube,
Non in totum est oblita sui,
Summamque tenet singula perdens.
Igitur quisquis vera requirit,
Neutro est habitu : nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia nescit :
Sed, quam retinens meminit, summam
Consulit, alte visa retractans,
Ut servatis queat oblitas
Addere partes.

« Quæ nam discors fœdera rerum etc. » Hic incipit tertium metrum hujus quin-

ti, quod dicitur adonicum, vel secundum alios archilochium ab inventore, dactylicum a pede prædominante : in quo facit exclamationem super incompassibilitate quæ apparet inter providentiam et liberum arbitrium. Et primo quærit quare sint incompassibilia, cum per se considerata sint passibilia. Secundo ponit responsionem ad hoc. Tertio contra responsionem objicit. Quarto objectionem solvit. Secunda, ibi, « An nulla. » Tertia, ibi. « Sed cur tanto. » Quarta, ibi, « An cum mentem. » Primo dicit : Quænam discors causa resolvit, idest separat; fœdera, idest concordias rerum, scilicet divinæ providentiæ, et liberi arbitrii, ne compatiantur se simul? aut quis Deus tanta bella statuit duobus veris, ut singula vera quæ carptim, idest sigillatim vel divisim accepta constent, idest permanent, eadem tamen mixta, idest conjuncta nolunt jugari, idest copulari se invicem compatiendo. Tunc ponit responsionem, dicens, quod istis duobus veris, scilicet providentiæ et libero arbitrio, nulla est discordia, sed apparentia discordiæ provenit ex debilitate nostri intellectus. Unde dicit : An est nota solutionis nulla est discordia veris : sed semper certa cohærent sibi, sed mens nostra obruta, idest oppressa, membris cæcis, idest cæcantibus animam, illa nequit igne, idest splendore, oppressi luminis, scilicet intellectus noscere tenues, idest subtiles, nexus idest conjunctiones rerum quæ videntur discordare. Notandum : si consideremus providentiam divinam per se, possibile est eam esse : si consideremus liberum arbitrium per se, etiam possibile est eum esse, ut patet ex dictis. Sed si consideremus utrumque simul, tunc videntur incompassibilia, sicut patet ex rationibus superioribus : secundum veritatem autem bene se compatiuntur, sed nobis non apparet, quia intellectus noster oppressus mole corporis non potest se elevare in hujusmodi cognitionem. Nam secundum sapientem, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena habitatio opprimit sensum multa cogitantem.*

« Sed cur tanto flagrat amore etc. » Hic philosophia objicit contra solutionem. Si enim anima ignorat istas subtiles conjunctiones, unde est quod desiderat eas scire, cum nihil ignotum possit desiderari ? unde dicit : Sed cur anima flagrat, idest ardet, tanto amore, idest desiderio, reperire notas tectas, idest notificationes latentes, veri, idest veritatis? Scit ne mens illud quod ipsa anxia, idest sollicita appetit nosse? quasi dicat : nullus. Oportet igitur dicere quod nesciat; et tunc sequitur aliud inconveniens, scilicet quod anima desideret illud quod nescit. Unde dicit : Si nescit illud, quid petit, idest desiderat, mens cæca, idest ignorans? Quid enim nescius optet quicquam? Quis enim valeat, idest potest sequi nescita, aut quis nescius potest noscere quo inveniat, supple, illud quod quærit? et quis ignarus, idest nescius queat, idest potest noscere formam repertam? quasi dicat : nullus. Notandum, quod dictum est in responsione, quod anima ignorat compassibilitatem providentiæ et liberi arbitrii, sed desiderat eam scire. Contra hoc arguit sic. Nullus apetit scire quod scit. Si anima desiderat scire aliquid, vel ignorat illud vel scit. Si scit; ergo non desiderat ipsum scire, quia nullus appetit scire quod scit, cum omnis appetitus sit ratione carentiæ. Si autem ignorat illud quod desiderat, quomodo ignotum desideratur cum voluntas non quærat incognitum? Ideo si ignorat nunquam cognoscet. Quis enim ignotum inveniet? Si enim paterfamilias quæreret servum fugitivum quem ignoraret, posset sibi multotiens occurrere quod ipsum non inveniret, sicut dicit Linconiensis *super primo Posteriorum.*

« An cum mentem cerneret altam etc. » Hic solvit objectionem. Ubi notandum quod Plato posuit animas esse in in cœlo creatas et habere cognitionem omnium perfectam, sed per lapsus ad corpora eam oblivisci cognitionem rerum in particulari et retineri eam in universali, et postea per exercitium recuperare cognitionem rerum in particulari : unde dicit sic : An est nota solutionis cum anima cerneret, idest specularetur, altam mentem, idest profundam mentem Dei, ipsa pariter, idest simul, norat, idest noverat, summam, idest universalem cog-

summam et singula, idest singularem cognitionem rerum; sed nunc ipsa condita, idest tecta nube membrorum, non est oblita sui in totum, idest totaliter; sed ipsa tenet summam, idest cognitionem universalem rerum, perdens singula, idest singularem cognitionem? Igitur quisquis requirit, idest investigat quaerendo vera, talis est neutro habitu, supple, ut perfecte cognoscat, vel quod penitus ignoret. Unde dicit: Nam neque novit, scilicet in speciali et perfecte illud quod quaerit, nec penitus nescit omnia; sed ipse meminit, idest in memoria habet, summam, idest universalem cognitionem, quam retinens consulit, supple, actuali consideratione retractans, idest revolvens per studium, alte, idest subtiliter, visa, idest prius in speciali cognita, ut ipsa queat addere oblitas partes partibus servatis, supple, in memoria. Notandum, quod secundum istam viam Platonis solveretur ratio prius facta: vel anima scit quod desiderat, vel nescit. Dico quod nescit in speciali et in propria forma; sed scit in universali. Et cum dicitur, nullus desiderat ignotum, verum est sicut notum in universali, tamen desiderat ipsum ut est ignotum in speciali. Et cum dicitur, si ignorat nunquam inveniet, verum est si ignorat, tam in generali quam in speciali; et si ignorat in potentia et in actu; si tamen scit in potentia et in universali, et ignorat actu et in propria forma, potest ipsum invenire et addiscere.

PROSA IV

Tum illa, Vetus, inquit, haec est de providentia querela, a M. Tullio, cum divinationem distribuit, vehementer agitata, tibique ipsi res diu prorsus multumque quaesita, sed haud quaquam ab ullo vestrum hactenus satis diligenter ac firmiter expedita. Cujus caliginis causa est, quod humanae ratiocinationis motus ad divinae praescientiae simplicitatem non potest admoveri; quae si ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur ambigui: quod ita demum patefacere atque expedire tentabo, si prius ea quibus moveris expendero. Quaero enim, cur illam solventium rationem minus efficacem putes, quae quia praescientiam non esse futuris rebus causam necessitatis existimat, nihil impediri praescientia arbitrii libertatem putat. Num enim tu aliunde argumentum futurorum necessitatis trahis, nisi quod ea quae praesciuntur, non evenire non possunt? Si igitur praenotio nullam futuris rebus adjicit necessitatem, quod tu etiam paulo ante fatebare, quid est quod voluntarii exitus rerum ad certum cogantur eventum? Etenim positionis gratia, ut quid consequatur advertas, statuamus nullam esse praescientiam. Num igitur, quantum ad hoc attinet, quae ex arbitrio eveniunt, ad necessitatem cogantur? Minime. Statuamus iterum esse, sed nihil rebus necessitatis injungere; manebit, ut opinor, eadem voluntatis integra atque absoluta libertas. Sed praescientia, inquies, tametsi futuris eveniendi necessitas non est, signum tamen est necessario ea esse ventura. Hoc igitur modo, etiam si praecognitio non fuisset, necessarios futurorum exitus esse constaret. Omne etenim signum tantum quid sit ostendit, non vero efficit quod designat. Quare demonstrandum prius est, nihil non ex necessitate contingere, ut praenotionem signum esse hujus necessitatis appareat. Alioquin si haec nulla est, nec illa quidem ejus rei signum poterit esse quae non est. Jam vero probationem firma ratione subnixam constat, non ex signis, neque petitis extrinsecus argumentis, sed ex convenientibus necessariisque causis esse ducendam. Sed qui fieri potest ut ea non proveniant quae futura esse providentur? Quasi vero nos ea quae providentia futura esse praenoscit non esse eventura credamus; ac non illud potius arbitremur, licet eveniant, nihil tamen ut evenirent sui natura necessitatis habuisse; quod hinc facile perpendas licebit. Plura etenim dum fiunt, subjecta oculis intuemur; ut ea quae in quadrigis moderandis atque flectendis facere spectantur aurigae; atque ad hunc modum caetera. Num igitur quidquam illorum ita fieri necessitas ulla compellit? Minime. Frustra enim esset artis effectus, si omnia coacta moverentur. Quae igitur cum fiunt, carent existendi necessitate, eadem prius quam fiant, sine necessitate futura sunt. Quare sunt quaedam eventura quorum exitus ab omni necessitate sit absolutus. Nam illud quidem nullum arbitror esse dicturum, quod quae nunc fiunt, prius quam fierent, eventura non fuerint. Haec igitur etiam praecognita liberos habent eventus. Nam sicut scientia praesentium rerum nihil his quae fiunt, ita praescientia futurorum nihil his quae ventura sunt, necessitatis importat. Sed hoc, inquis, ipsum dubitatur, an earum rerum quae necessarios exitus non habent, ulla possit esse praenotio. Dissonare etenim videntur; putasque si praevideantur, consequi necessitatem, si necessitas desit, minime praesciri; nihilque scientia comprehendi posse nisi certum. Quod si quae incerti sunt exitus, ea quasi certa providentur, opinionis id esse caliginem, non scientiae veritatem. Aliter enim ac sese res habeat arbitrari, ab integritate scientiae credis esse diversum. Cujus erroris causa est, quod omnia quae quisque novit, ex ipsorum tantum vi atque natura cognosci aestimat quae sciuntur: quod totum contra est. Omne enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem. Nam, ut hoc brevi liqueat exemplo, eamdem corporis rotunditatem aliter visus, aliter tactus agnoscit. Ille eminus manens, totum simul jactis radiis intuetur; hic vero cohaerens orbi, atque conjunctus, circa ipsum motus ambitum, rotunditatem partibus comprehendit. Ipsum quoque hominem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intelligentia contuetur. Sensus enim figuram in subjecta materia constitutam, imaginatio vero solam sine materia judicat figuram. Ratio vero hanc quoque transcendit, speciemque ipsam quae singularibus inest, universali consideratione perpendit. Intelligentiae vero celsior oculus exsistit. Supergressa namque universitatis ambitum, ipsam

illam simplicem formam pura mentis acie contuetur. In quo illud maxime considerandum est : nam superior vis comprehendendi amplectitur inferiorem : inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus aliquid extra materiam valet, vel universales species imaginatio contuetur, vel ratio capit simplicem formam : sed intelligentia quasi desuper spectans, concepta forma quæ subsunt, cuncta dijudicat : sed eo modo quo formam ipsam, quæ nulli alii nota esse poterat, comprehendit. Nam et rationis universum, et imaginationis figuram, et materiale sensibile cognoscit, nec ratione utens, nec imaginatione, nec sensibus, sed illo uno ictu mentis formaliter, ut ita dicam, cuncta prospiciens. Ratio quoque cum quid universale respicit, nec sensibus utens, imaginabilia, vel sensibilia comprehendit. Hæc est enim quæ conceptionis suæ universale ita definit : homo est animal bipes rationale. Quæ cum universalis notio sit, tamen imaginabilem, sensibilemque esse rem nullus ignorat, quod illa non imaginatione, vel sensu, sed rationali conceptione considerat. Imaginatio quoque tametsi ex sensibus visendi, formandique figuras sumsit exordium, sensu tamen absente sensibilia quæque collustrat, non sensibili, sed imaginaria ratione judicandi. Vides ne igitur, ut in cognoscendo cuncta, sua potius facultate, quam eorum quæ cognoscuntur, utantur ? Neque id injuria : nam cum omne judicium judicantis actus existat, necesse est ut suam quisque operam non ex aliena, sed ex propria potestate perficiat.

« Tum illa, vetus, inquit etc. » Hæc est quarta prosa hujus quinti libri : in qua philosophia incipit dissolvere quæstionem de compassibilitate providentiæ et liberi arbitrii. Et primo tangit difficultatem hujus quæstionis et causam difficultatis, et tangit modum procedendi circa ejus solutionem. Secundo dissolvit eam, ibi, « Quæro enim. » Primo dicit : Hæc querela, idest quæstio hæc de providentia est vetus, et est vehementer agitata, idest pertractata a Marco Tullio, cum distribuit, idest dividit, divinationem, idest in libro divinationum, ubi dividit divinationem in suas species : non solum hoc ; sed tibi ipsi est res multum diu quæsita. Sed haud quaquam, idest non alicubi, ab ullo vestrum satis diligenter et firmiter expedita. Cujus caliginis, idest difficultatis causa est quod motus, idest actus humanæ rationis, non potest admoveri, idest applicari ad simplicitatem divinæ providentiæ ; quæ si ullo modo excogitari queat, nihil relinquetur prorsus ambigui, quod scilicet rationem et causam difficultatis. Ita demum patefacere et expedire tentabo si prius expendero, idest declaravero ea quibus tu moveris. Notandum, quod quæstio de providentia divina et libero arbitrio est omnium quæstionum difficillima, de qua multi antiquorum dubitabant et nonnulli modernorum propter ejus difficultatem lapsi sunt ; quam Tullius in libro *Divinationum* pertractans non valuit dissolvere ejus difficultatem, negans penitus providentiam et præscientiam futurorum a Deo in prædicto libro *Divinationum*.

« Quæro enim etc. » Hic philosophia accedit ad solutionem quæstionis. Primo discutit motiva Boetii. Secundo solvit dubitationem sive quæstionem, ibi, « Quoniam igitur. » Circa primum sciendum quod duo fuerunt motiva Boetii principalia, circa hanc quæstionem. Primum qua videtur necessarium, si Deus prævidet futura, quod necessario eveniant. Secundum motivum quod futura quorum eventus est incertus, sicut sunt futura contingentia, non possunt a Deo certe provideri. Primo ergo pertractat primum motivum. Secundo secundum, ibi, « Sed hoc inquis. » Primo ostendit quod si Deus prævidet futura, non propter hoc necessario eveniunt. Secundo movet dubitationem, ibi, « Sed qui fieri potest. » Primo ostendit quod ex præscientia Dei non infertur necessitas libero arbitrio. Secundo ostendit quod præscientia Dei non sit signum necessitatis futurorum, ibi, « Sed præscientia. » Circa primum sciendum est quod prius improbavit quamdam responsionem, qua quidam nitebantur impedire rationem ostendentem non esse liberum arbitrium propter præscientiam divinam : quam responsionem hic resumit ostendens eam aliquo modo esse bonam, quia sufficienter impedit intentionem adversarii. Nam adversarius ex nullo alio probat necessitatem futurorum, nisi quia sunt præscita a Deo. Cum igitur ex responsione habeatur, quod præscientia nullam causalitatem habet super futura, videtur sufficienter ostensum esse, quod ea quæ procedunt ex libero arbitrio non sunt necessaria. Primo ergo ponit istam responsionem resumendo ejus solutionem, dicens : Quæro enim cur istam rationem solventium solventium putes minus esse efficacem quæ putat libertatem arbitrii non impe-

dixi a præscientia, quia æstimat præscientiam non esse causam necessitatis futurorum. Quod autem per istam responsionem impediatur illatio necessitatis futurorum, patet ex hoc, quia tu non trahis aliunde argumentum necessitatis futurorum, nisi quod ea quæ præsciuntur non possunt non evenire. Si igitur præscitio, idest præscientia futurorum, nullam adjicit, idest imponit, necessitatem rebus futuris, ut dicit responsio, ut tu etiam fatebare paulo ante; quid est, idest quid esse poterit, quod voluntarii exitus cogantur ad certum eventum? et ita per istam responsionem excluditur necessitas futurorum. Et manifestat se in exemplo, dicens: Ut advertas quid consequatur, gratia positionis, idest exempli, statuamus, idest ponamus per impossibile nullam esse præscientiam futurorum. Igitur hoc posito, quantum ad hoc, idest quantum ad istam illationem, qua ex præscientia concluditur necessitas futurorum, ea quæ eveniunt ex arbitrio coguntur ne ad necessitatem? Dicit Boetius : Minime. Et philosophia : statuamus iterum esse providentiam, sed nihil necessarium injungere rebus futuris : manebit, ut opinor, eadem libertas voluntatis integra et absoluta ab omni necessitate. Notandum, quod prior solutio improbata fuit bona et mala. In hoc fuit bona, quia posuit præscientiam non esse causam necessitatis futurorum. Dixit enim : ideo futura eveniunt, non quia Deus ea prævidet. Sed in hoc fuit mala, quia posuit futura esse causam præscientiæ Dei. Dixit enim, quia futura sunt, ideo Deus ea prævidet. Patet ergo ex responsione antiquorum quod præscientia non est causa necessitatis rebus futuris.

« Sed præscientia, inquies etc. » Hic ostendit philosophia quod præscientia divina non sit signum necessitatis rebus futuris. Secundo ostendit quod modus probandi ex signo non est efficax, ibi, « Jam vero. » Primo dicit : Tu inquies, idest dicere poteris : etsi (pro quamvis) præscientia non est necessitas eveniendi rebus futuris, tamen est signum ea necessario esse ventura ; et ita ex præscientia potest inferri necessitas futurorum tamquam ex signo. Hoc igitur modo ponendo præscientiam esse signum necessitatis futurorum, constaret exitus, idest eventus futurorum esse necessarios, etiam si non fuisset præcognitio. Quod probat ex natura signi, dicens : Omne namque signum tantum ostendit quid sit, idest manifestat illud cujus est signum ; sed non efficit quod designat. Quare ut prænotionem, idest providentiam appareat esse signum necessitatis futurorum, demonstrandum erat prius nihil contingere non ex necessitate, idest omnia evenire necessario : alioquin si hæc necessitas futurorum nulla est, nec illa præscientia poterit esse signum ejus rei quæ non est ; et ita non valet hic arguere necessitatem futurorum ex præscientia tamquam ex signo. Notandum, quod signum non est causa ejus cujus est signum, sed tantum manifestat signatum esse ; ut circulus non est causa venditionis vini ; sed tantum est signum venditionis. Si ergo præscientia esset signum necessitatis futurorum, presupponeret futura esse necessaria ; et sic ad ostendendum præscientiam esse signum necessitatis futurorum oportet prius ostendere futura, necessario esse futura, antequam præscientia esset signum necessitatis futurorum : alias præscientia esset signum alicujus rei quæ non est : quod est absurdum.

« Jam vero etc. » Hic ostendit modum probandi ex signo non esse efficacem ; et dicit : Constat, idest manifestum est, rationem subnixam, idest firmatam demonstratione, eam non esse ducendam ex signis, neque ex argumentis extrinsecus petitis, idest acceptis ; sed firma ratio ducenda ex convenientibus, idest ex propriis et necessariis causis. Cum ergo prædicta ratio processerit ex signo, non est efficax et demonstrativa, cum sit a posteriori : demonstratio autem quæ est potissima probationum, ipsa est a priori, cum sit ex causis per se immediatis prioribus et notioribus : et pro tanto etiam demonstratio est syllogismus faciens scire efficax ad probandum, ex primo *Posteriorum*.

« Sed qui fieri potest etc. » Hic philosophia movet quamdam dubitationem et

tione? scilicet cum ego nunc velim hoc nunc aliud, videtur ne prescientia divina ex hoc alternare, idest mutare vices suas noscendi, idest cognoscendi? ipse respondet : minime contingit hoc quod divina scientia mutetur, quia divinus intuitus præcurrit omne futurum et retorquet illud ad præscientiam propriæ cognitionis cognoscendo omnia simul tamquam præsentia : nec alternat, idest mutat vices suas prænoscendi, idest præcognoscendi nunc hoc nunc illud, scilicet successive, sicut tu æstimas ; sed manens liber a mutatione uno ictu prævenit et complectitur tuas mutationes. Quam præscientiam comprehendendi omnia tamquam præsentia Deus non sortitur ex rebus futuris ; sed ex propria simplicitate. Ex quo resolvitur, idest declaratur illud quod paulo ante posuisti, scilicet indignum esse si futura nostra dicantur præstare causam scientiæ Dei : vis, idest virtus, enim scientiæ divinæ cuncta complectens præsentialiter, ipsa constituit, idest imponit, modum omnibus rebus, quia scientia Dei est causa rerum ; ipsa vero nihil debet ipsis rebus, quia nihil ab eis accipit, sicut nos accipimus scientiam a rebus. Nota : si Deus simul non cognosceret ea quæ successive eveniunt in tempore, tunc scientia Dei esset variabilis, propter hoc quod cognitionem unius succederet cognitio alterius ; sed quia omnia simul cognoscit tamquam præsentia, ideo in sua scientia non cadit variatio, ut prius nesciat esse alicujus et postea sciat, vel quod prius sciat hoc non esse et postea esse : immo simul omnia cognoscit ; et ideo simul scit aliquid non esse in una differentia temporis mensurantis rem, et esse in alia differentia temporis.

« Quæ cum ita sint etc. » Hic concludit ex præmissis compassibilitatem liberi arbitrii cum præscientia, dicens : Quæ cum ita sint ut prædictum est, manet libertas arbitrii intemerata, idest incorrupta. Nec leges proponunt hominibus pœnas et præmia iniqua, idest injusta voluntatibus nostris solutis, idest liberatis ab omni necessitate. Manet etiam immobiliter Deus præscius cunctorum ; et præsens æternitas suæ visionis concurrit cum futura qualitate, scilicet bonitate et malitia nostrorum actuum dispensans, idest distribuens bonis præmia et malis supplicia. Nec frustra sunt positæ preces et spes in Deo quæ non possunt esse inefficaces cum sint rectæ. Nota : ex quo propter liberum arbitrium possunt res sic et aliter evenire, non injuste bonis præmia et malis supplicia proponuntur, nec spes et preces frustrantur. Frustrarentur autem omnia hæc si omnia vinculo necessitatis uterentur, sicut patet ex dictis.

« Aversamini igitur vitia etc. » Hic philosophia subjungit exhortationem utilem, dicens : Ex quo sic est quod non estis coacti necessitate ad faciendum aliquid ; sed manet in vobis libera voluntas ; Ideo aversamini, idest spernite vitia, ne per ea juste incurratis pœnas ; colite, idest exercete virtutes propter quas merita consequamini ; sublevate animum vestrum ad rectas spes quæ in veram beatitudinem tendunt ; porrigite in excelsum, scilicet ad Deum humiles preces : et hoc merito faciatis ; quia si non vultis dissimulare avertendo animum vestrum ab his, tunc magna vobis est indicta necessitas probitatis, idest virtutis; quia illud quod agitis non potest latere illum qui est judex actuum vestrorum. Unde subdit : Cum agatis ante oculos, idest cum actiones veræ sint in prospectu judicis cuncta cernentis, scilicet Dei. Nota, vitia sunt spernenda, quia reddunt hominem servilem : Nam *qui facit peccatum servus est peccati*. Et Seneca dicit : « Si scirem Deos peccata ignoscituros et homines ignoraturos, adhuc propter vilitatem peccati peccare erubescerem. » Virtutes autem sunt colendæ, quia virtus est quæ habentem perficit et opus ejus bonum reddit. Recta spes et rectæ preces sunt Deo porrigendæ, quia his Deo conjungimur et ipsum alloquimur ; et si non dissimulamus negligendo prædicta, magnam virtutis probitatem nobis indictam et promissam inde consequemur, quoniam omnia quæ agimus sunt in prospectu Dei cuncta cernentis. Sicut enim scribitur ad Hebræos quarto : *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

DE

MOTORIBUS CORPORUM CŒLESTIUM

QUÆSTIO SUBTILISSIMA

Quæstio est de motoribus corporum cœlestium. Et videtur, quod moveantur immediate a Deo. Dicit enim Philosophus II *de Cœlo et mundo*, quod causa prima movet causatum primum : sed causa prima est Deus, causatum primum mobile est cœlum, ergo etc.

Præterea, Boetius dicit libro *de Consol.* loquens de Deo, « Stabilisque manens das cuncta moveri. » Ergo videtur, quod maxime moveat quod est primum mobile : hoc autem est cœlum. Ergo etc.

Præterea, primi mobilis motor debet esse primus : sed primus motor est immobilis omnino, alias non esset status in mobilibus. Sed nihil est primum non immobile, nisi solus Deus. Ergo solus Deus est motor primi mobilis.

Præterea, ex motu et influentia cœlestis corporis est conservatio omnium corporum viventium. Ergo ex motore ejus erit conservatio omnium spirituum vivificantium ; quia, sicut se habet mobile ad mobile, sic se habet motor ad motorem : sed solus Deus est conservator et vivificator spirituum. Ergo solus ipse movet cœlum.

Sed contra, videtur, quod moveantur a propria natura. Sicut enim vult Philosophus, II *Phys.* « natura est principium motus et quietis in eo in quo est. » Ergo motus naturalis est a forma intrinseca. Sed motus cœli est naturalis, sicut probat Philosophus, VIII *Phys*. Ergo est a propria forma.

Præterea, leve potest sua virtute sursum ascendere nullo impellente, et similiter grave descendere absque intelligentia movente. Si ergo forma cœli perfectior est quam forma elementaris, et figura ejus est aptissima ad motum circularem, videtur, quod moveri possit a propria forma absque omni intelligentia.

Præterea, plus est movere seipsum exeundo locum proprium, quam non exeundo : sed virtus lucis est se diffundere per corpora alterius naturæ. Ergo videtur, quod multo fortius corpus cœli per naturam lucis possit in suo orbe se movere absque influentia alicujus spiritualis substantiæ.

Præterea, nullus motus necessarius dependet a voluntate creaturæ, tamquam a prima motore, II *Cœli et mundi* : sed motus cœli est uniformis et necessarius, secundum Sanctos et Philosophos, VIII *Phys*. Ergo non est a voluntate alicujus intelligentiæ.

Sed contra, motor est in actu respectu mobilis. Sed cœlum est mobile. Nihil autem idem simul est in actu et in potentia. Ergo cœlum non potest moveri a se, sive a propria virtute.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod cœlum movetur a pro-

pria natura, sicut gravia et levia; moti ex eo, quia Philosophus, II *Phys.*, vocat motum naturalem, cujus principium est natura inclinans ad talem motum, sicut patet.

Sed hoc non potest stare, nec in se, nec in sua ratione. In se quidem, primo ex parte motoris; cum, secundum Philosophum II *Phys.*, omnis motus sit ab aliquo. Quamvis ergo natura sit principium motus, non propter hoc dicitur motor, sed generans : nec propter hoc Deus dicitur motor, inquantum dat formam; quia sic cœlum dependeret immediate a Deo secundum moveri, sicut et secundum esse. Sed hoc non potest esse : primo, quia sic tolleretur ordo rerum, et connexio causarum, quæ est secundum ordinem divinæ sapientiæ. Secundo ex parte mobilis; quia in motis naturaliter, et in quibuscumque, quæ proprii motus sequuntur naturalem inclinationem, additio motoris ad mobile, sive ejusdem speciei, sive diversæ, causat intensionem in motu proprio lationis, et in alio remissionem; sicut patet in gleba; quia, ubi est talis natura, quanto plus multiplicatur, tanto fortius movetur : et, si sic esset in superioribus, tunc moveretur stella motu proprio velocissime et aliena delatione tardius : cujus contrarium apparet. Nec potest dici, quod hoc contingat, quon non compleat circulum, non propter tarditatem motus, sed propter magnitudinem circuli. Tertio ex parte spatii; quia motus naturalis non convenit nisi naturæ extra suum ubi, quo adepto, statim quiescit, sicut patet in terra; sed superiora moventur in suo ubi. Quarto ex parte termini; quia, cum natura determinetur ad unum, nunquam potest inclinari ad motum propter motum, sed propter aliquid determinatum, quod ex motu consequitur; motus enim non potest habere rationem termini, quia est id quod transit in alterum, et ita nunquam natura aliqua determinatur ad motum propter motum. Si igitur corpora superiora moverentur naturaliter, haberent aliquem terminum ad quem moverentur, et tunc ibi quiescerent. Omne autem appropinquans per motum naturalem ad suum ubi, movetur fortius; contrarium autem est de motu violento; et sic sequeretur, quod motus cœli aliquando esset tardior, aliquando velocior. Et sic patet, quod hæc positio in se stare non potest.

Nec etiam potest stare in sua ratione. Aliter enim dicitur naturale in superioribus, aliter in inferioribus; et aliter accipitur principium motus in istis et in illis. Unde notandum quod principium motus in istis et in illis. Unde notandum quod principium motus duplex est; passivum et activum. Activum est duplex : aliud formale ut forma, et aliud ut agens et movens. In illis autem quæ habent solum principium motus passivum, requiritur agens motor, quia illud non sufficit ad movendum. In illis vero quæ habent formale principium activum, non requiritur; quia sic sequeretur, quod igne moto ibi esse generans; quod falsum est. In illis vero ubi est agens activum movens, minus requiritur motor. Principium ergo motus in elementis est activum formale, quia in elementis est naturalis motus ratione inclinationis activi formalis. In cœlestibus vero corporibus principium motus est passivum, quia in eis est naturalis motus ratione inclinationis passivi.

Alii autem dixerunt, quod movetur a natura, et ab anima : a natura quidem, sicut a principio passivo, ab anima autem, sicut a principio activo : assignantes cuilibet orbi duos motores; unum scilicet conjunctum, et aliud separatum. Et ratio eorum erat, quia cum principium uniuscujusque rei sit unum, ab ipso non potest procedere nisi unum : et ideo a prima causa processit tantum unum causatum. Sed notandum, quod horum quidam, ut Simplicius et ejus sequaces, dixerunt, corpora cœlestia esse animata non solum anima intellectiva, sed etiam sensitiva. Et causa erat, quia, quicquid nobilitatis est est adscribendum magis digno, ut est corpus cœleste. Avicenna dixit ea esse animata anima imaginativa; et ratio est, quia non possunt movere nisi particulare. Aristoteles vero dixit, ea esse animata anima intellectiva. Cujus ratio est, quia omne quod movetur, ab alio movetur : et cum in motoribus et

motus non est procedere in infinitum, necesse est devenire ad aliquid movens separatum.

Sed hæc positio non potest stare. Primo, sicut ponebat Simplicius, scilicet quod essent animata anima sensitiva; quia, cum finis imponat necessitatem iis quæ sunt ad finem, et instrumentum sit propter animam, et non e converso. Si ergo corpora cœlestia essent animata anima sensibili, essent organica secundum exigentiam animæ sensitivæ. Constat autem hoc non esse. Et præterea essent complexionata: quod falsum est. Item etiam stare non est sicut ponebat Avicenna, scilicet quod sint animata anima imaginativa. Quia, sicut organum sensitivum est complexionatum, ita et organum imaginativum. Iterum etiam nec stare potest sicut Aristoteles posuit, scilicet quod sint animata anima intellectiva: quia cœlum est corpus simplex ejusdem naturæ in parte et in toto, et sic esset totum unum animal. Motivum autem positionis illorum continet errorem, quia ponit, quod ab uno primo principio non possit procedere nisi unum, sed a secundo possit. Hoc autem est inconveniens, quia, cum agat per intellectum, omnia potest producere. Item, cum suprema non sunt propter infima, sed e converso, ideo non potest coarctari numerus illorum propter numerum corporum: quod esset si unumquodque corporum haberet motorem conjunctum.

Et ideo alii dixerunt quod corpora cœlestia moventur a natura propria, sicut a principio passivo et naturali, et sicut ab activo moventur ab intelligentia non mediante anima, sed virtute propria. Intelligentia enim movet per contactum virtutis, et per imperium voluntatis. Propter quod et motus corporum cœlestium et dicitur naturalis, et dicitur voluntarius. Et hæc opinio melior est. Primo, quia magis congruit ordini divinæ sapientiæ, quæ inferiora regit et movet per superiora et media per prima. Corpora autem cœlestia media sunt inter superiora et inferiora, et ideo quantum ad durationem mensurantur ævo, sicut et Angeli; quantum autem ad motus successionem mensurantur tempore, sicut et alia inferiora corpora. Secundo magis congruit dignitati naturæ angelicæ. Cum enim Deo servire regnare sit, dignius obsequium esse non potest quantum ad obsequentis naturam, quam cooperari Deo in regimine providentiæ suæ: quod fit movendo corpora cœlestia, ex quorum motu generantur omnia inferiora. Unde servire Deo in executione divinæ providentiæ in majoribus, et in majori mundo, majus est, quam servire Deo in executione divinæ providentiæ in majoribus, et in majori mundo, majus est quam servire Deo in executione alicujus ministerii inferioris. Et ideo dicunt quidam, quod motores orbium de media hierarchia et de medio ordine sunt. Tertio magis congruit auctoritati doctorum sacræ Scripturæ. Dicit enim Augustinus in III *de Trinit.* quod « omnia corpora reguntur per spiritum vitæ rationalem » Gregorius etiam dicit in IV *Dialog.* quod « in hoc mundo visibili nihil, nisi per creaturam invisibilem, disponi potest. » Quarto magis convenit similitudini. Microcosmus etenim, idest minor mundus, est homo, in quo est quædam virtus movens alias, quæ motæ exeunt in actus debitos. Nam videmus in homine motum infimum, sicut cordis, qui est secundum apprehensionem sensitivam; et alios motus medios secundum apprehensionem imaginativam, et alios supremos secundum apprehensionem intellectivam. Notandum autem, quod in corporibus cœlestibus anima non debuit infundi propter eorum motum, quia motus non potest esse finis, cum omne quod movetur, moveatur propter aliquod quod non habet. Magis ergo motus est de ratione eorum quæ sunt ad finem, quam de ratione finis. Item notandum, quod, licet nihil virtutis finitæ sit ad opposita, tamen sphæræ possunt per accidens, et non per se ad opposita moveri: moventur enim uno motu per se; et alio per accidens, motu scilicet superioris sphæræ. Item, si quæritur, ubi sit motor in sphæra, qui movet ipsam sphæram; dicendum est, quod est in circumferentia. Sed notandum, quod est secundum determinatum situm mundi, scilicet ex parte orientis; non autem secundum de-

terminatam partem cœli; quia non est in loco, nisi per suam operationem. Et, quia ex parte orientis motus secundum nos incipit, ideo ex parte illa videtur operari, et per consequens ibi esse; et ideo illa pars cœli dicitur esse dextrum, a quo incipit motus. Item notandum, quod non est inconveniens Angelos movere corpora, cum et corpus lunare moveat mare, et adamas moveat ferrum contra suam naturam, et anima corpus ad diversas operationes. Item notandum, per quem modum Angelus moveat orbem; cum enim in Angelis nulla sit virtus nisi intellectiva, oportet quod eorum operationes sint intellectuales : et, quia omne tale agit per voluntatem » ideo oportet, quod motus cœli sit voluntarius. Sed hunc modum agendi vel movendi quidam vocant influxum, quidam autem virtualem contactum. Notandum etiam secundum quosdam, quod ordo nobilitatis in corporibus non attenditur secundum situm. Unumquodque ponitur in loco sibi magis convenienti, ubi scilicet est optimum sibi esse. Et ideo sol et luna sunt inferiora quibusdam aliis corporibus stellarum. Sed, quia continens est nobilius contento, ideo aliis videtur, quod secundum nobilitatem attendatur situs. Cujus ratio est, quia secundum Philosophum, cum superiora sint causa inferiorum mutabilium, oportet in eis esse aliquid quod est causa permanentiæ, et aliquid quod est causa mutabilitatis. Permanentiæ autem causa est sphæra stellarum fixarum; et, quia multas habet stellas, ratione diversorum effectuum est ibi abundantia lucis. Huic ergo sphæræ, quæ est causa permanentiæ, deserviunt et cooperantur tres planetæ; scilicet Saturnus Juppiter et Mars. Quantum vero ad causam transmutationis, sive mutabilitatis, præeminentiam obtinet sphæra solis; cui quidem serviunt et cooperantur sphæra Veneris circa generationem, Mercurii ad multiplicationem individuorum, et lunæ ad recipiendos omnes effectus.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus non intellexit quod primi orbis motor esset Deus per modum efficientis : ipse enim ponit virtutem motoris adeo proportionari mobili, quod, si minimum corpus adderetur corpori mobili, lassaretur virtus motoris in movendo, sicut dicitur in libro de *Cœlo et mundo;* sed ponit, quod Deus moveat causatum primum metaphorice, scilicet sicut finis et desideratum. Vel si ponit, quod moveat per modum efficientis, non ponit ipse, quod solus moveat, sed mediante virtute mobili proportionata. Unde potest intelligi verbum suum per quamdam appropriationem, et primariam influentiæ susceptionem.

Ad secundum dicendum, quod ex illa auctoritate non concluditur quod Deus immediate moveat; sed quod nihil moveatur absque divinæ virtutis influentia: nulla enim virtus alicujus motoris potest operari sine beneficio et auxilio divino.

Ad tertium dicendum, quod non oportet primi mobilis motorem esse omnimode primum, vel omnimode immobilem; sed sufficit, quod sit primum respectu aliorum motorum, et quod sit immobilis motu quo movet. Non enim oportet, esse statum in motore primi mobilis simpliciter, sed in genere creaturarum : omnes emim creaturæ defectivæ sunt et reducuntur in ipsum Deum, qui est principium et finis omnium.

Ad quartum dicendum, quod propositio non sequitur. Ordo enim est inter corpora secundum tantam prædominantiam et excellentiam, quod unum potest simpliciter influere in alterum : spiritus vero rationales, qui sunt motores et vivificatores corporum, sic habent gradum et ordinem, ut immediate a Deo perficiantur et formentur; et hoc est propter rationem imaginis, per quam sunt ipsius Dei capaces.

Ad illud autem, quod objicitur, quod moventur a propria forma, quia ille motus est naturalis, dicendum, quod motus ille per comparationem ad primum mobile naturalis dicitur, quia natura et figura ejus illi motui concordant. Nec oportet, quod omne naturale sit a principio intrinseco, sicut a tota causa; sed sufficit quod virtus intrinseca cooperatur virtuti activæ.

Ad aliud dicendum, quod ad motum gravis non sufficit solummodo gravitas, sive qualitas propria, immo concurrit

virtus nulla corporis praeter illas duas moventia quas posuit Philosophus scilicet generans grave et leve, et removens prohibens. Et quia haec ad motum coeli non possunt concurrere, oportet, ut concurrat virtus spiritualis substantiae.

Ad illud, quod objicitur de diffusione lucis, dicendum, quod illa non est motus localis proprie, sed magis alterationis. Unde, sicut ignis potest calorem suum diffundere deorsum virtute propria, et tamen non se movet de loco in quo est; sic in coelesti corpore intelligendum est esse.

Ad illud iterum, quod objicitur de necessario, dicendum est, quod verum est de voluntate vertibili. Quamvis autem voluntas Angeli sit per naturam vertibilis, tamen per gratiam omnino invertibilis efficitur. Et talem substantiam intelligendum est esse coeli motorem: quod ostendit ipsius motus nobilitas, uniformitas, et necessitas, et quies futura, cum erit perfecta superna civitas, ad quam consummandam ordinatur finaliter angelica ministratio. Ad quam Deus nos perducat. **Amen.**

APPENDIX

SERMONES

SERMO I (*a*).

IN I. DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia et gratia apud Deum, et homines. Cuncta quæ Dominus fecit, vel in carne passus est, documenta et exempla sunt salutaria; unde in Joan. XIII, 15, hoc : *Exemplum dedi vobis ut quemadmodum ego feci ita et vos faciatis.* Et quia unicuique ætati, maxime annos discretionis attingenti, non deest via salutis, ideo adolescentia Christi adolescentibus proponitur in exemplum. Proprium autem adolescentium est augmentum et profectus ; ideo ad exemplum adolescentium proponitur profectus Christi. Ut autem aliquid dicere possimus de profectu Christi quod sit honorem Dei, et ad salutem animarum nostrarum, in principio rogemus Dominum.

Puer Jesus etc. Si diligenter velimus verba ista considerare, quatuor in eis inveniemus Christi profectus ; scilicet profectum ætatis quantum ad corpus, profectum sapientiæ quantum ad intellectum, et profectum etiam gratiæ quantum ad hominum convictum. Revera omnes isti profectus sunt admirabiles imo stupore [1] et admiratione pleni. Admirandum enim est quod æternitas ætate proficiat, quia Filius Dei est æternitas, et est ab æterno. Psalm. CVI, 2, et Psalm. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, permanet veritas tua.*

Item admirandum est quod veritas in sapientia proficiat, quia profectus sapientiæ est cognitio veritatis, et Christus ipsa veritas est ; unde in Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, veritas, et vita.*

Item admirandum est quod gratiæ factor proficiat in gratia, et Christus gratiæ est actor. Unde in Joan. I, 17 : *Gratia, et veritas per Christum facta est.*

[1] Parm. omittit : « Imo stupore. »

(*a*) Sermo ille a D. Uccelli ex codice Regali Parisiensi 15034 extractus fuit, sed post ipsum, ut videre est, sexaginta tres mendas, vel omissiones in textu quem Editori Parmensi tradidit, in fidem codicis redeundo, invenimus. Nullibi D. Uccelli intellexit signum quod significat « ita, » et loco ipsius « ita » scripsit vel « ibi, » vel « in quo, » vel « jam, » vel « etiam. » Insuper, in fine sermonis, locum quemdam notabilem falso Ed. Parm. refert esse in codice truncatum, hunc enim locum codex integrum continet.

Sed admirandum est quod qui ante hominem creatus[1] apud homines proficiebat : immo magis homines debent proficere apud illum. Psalm. cxii, 4 : *Excelsus est super omnes gentes.* Quomodo igitur proficit Christus in aliis ?

Dico quod si recte volumus considerare, de profectu ætatis in promptu ratio apparet. Æternus Dei Filius temporalis fieri voluit, ut secundum ætates proficere posset. Isa. ix, vi : *Parvulus natus est nobis.* Si natus est ut parvulus, quare ergo non cresceret ut parvulus ? Alii profectus Christi majorem difficultatem habent. Christus naturam humanam integram assumpsit : secundum carnem parvulus natus est, non secundum animam, quia ab initio conceptionis suæ beatissima ejus anima Deo conjuncta plena fuit simul gratia et veritate. Unde in Joan. i, xiv : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis.* Plenus fuit simul gratia et veritate quia Unigenitus Dei ; sed ab initio Conceptionis fuit Unigenitus ; ergo tunc fuit plenus gratia et veritate, et perfectus[2] in virtute. Jerem. xxxi, 12 : *Femina circumdabit virum,* non ætate, sed mentis perfectione. Sed quo modo[3] dicitur proficere sapientia et gratia ?

Dicendum est quod aliquis dicitur proficere in sapientia, non solum quando acquirit majorem sapientiam, sed quando magis manifestatur in ipso sapientia. Verum est quod Christus a principio conceptionis suæ plenus fuit sapientia et gratia, sed non manifestavit eam a principio, sed quando alii consueverunt. In sapientia tunc dicitur proficere, non in se, sed quantum ad effectum quo in aliis proficiebat. Si voluisset ostendere sapientiam suam cum fuit septem annorum, potuissent homines dubitare de veritate naturæ humanæ assumptæ : et propter hoc Christus aliis voluit conformari : unde Apostolus ad Philipp. ii, 7 : *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.* Christus se parvum fecit, nostram parvitatem accipiendo, ut se parvum vere ostenderet, in similitudinem hominum factus est. Baruch. iii, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Et[4] quando primo solet apparere in homine indicium sapientiæ, tunc Christus primum manifestavit sapientiam suam, scilicet cum esset annorum duodecim ; paulatim igitur[5]. Et non voluit ostendere sapientiam suam, ut veritas naturæ humanæ in ipso comprobaretur, et ut daret nobis exemplum proficiendi in sapientia.

Quadrupliciter igitur, ut dictum est, Christi profectus : scilicet ætatis, sapientiæ, gratiæ et conversationis humanæ.

Primo prosequamur[6] de profectu ætatis Christi, qui est corporalis, et proponitur[7] nobis in exemplum ut proficiamus ætate corporis et mentis sicut ipse ; quia vacuus est profectus ætatis in corpore si non sit in anima. Unde simul agitur[8] de profectu ætatis Christi et sapientiæ et gratiæ ; quia si non proficit homo profectu mentis cum ætate corporis, quatuor sequuntur ex hoc inconvenientia : quia hoc est monstruosum, damnosum, grave, sive laboriosum, et periculosum.

Primo dico, proficere ætate corporis et non mentis est monstruosum. Homo componitur ex anima et corpore, sicut corpus componitur ex ceteris membris. Sed ponamus quod aliquod corpus crescat in uno membro, et sit parvulus in aliis membris ; hoc est monstruosum. Similiter quando aliquis est vir[9] secundum corpus, et non secundum mentem : propter hoc dicit Apostolus I Cor. xiii, 11 : *Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus, loquebar ut parvulus ; cum autem factus sum vir evacuavi ea quæ erant parvuli.* Parvuli cogitant de ludo et hujusmodi. Verum est quod Dominus mandat quod simus sicut parvuli, in Matthæo xviii, 3, dicens : *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Aliquis debemus

[1] Cod. : « Quod ipsi [illegible] »
[2] Fam. : « Plenus. »
[3] Fam. : [illegible]
[4] Fam. : [illegible]
[5] Fam. : [illegible]

[6] Cod. : « Prosequamur. »
[7] Fam. : « Proponitur. »
[8] Fam. : « Agitur » [illegible]
[9] Fam. [illegible] : « vir. »

retinere de parvulis, quia parvuli non sunt malitiosi, et sunt humiles : aliquid debemus abjicere de parvulis, quia parvuli carent sapientia. Unde Apostolus I Cor. xiv, 20 : *Nolite parvuli effici sensibus;* [1] sed malitia parvuli estote. Sensibus perfecti cogitbre debemus, ut quantum proficimus ætate corporis, proficiamus ætate mentis. Qui in uno pede cresceret, et non in alio, totum studium poneret in medico, quod cresceret similiter in alio pede. Similiter qui crescis ætatæ corporis, debes ponere totum studium tuum ut crescas etiam ætate mentis.

Item crescere ætate corporis, non mentis, est damnosum. Qui haberet tempus ad acquirendam rem magnam,et dimitteret ipsum fluere in vanum, magnum damnum reputaret ; sicut mercator tempore nundinarum, [2] quando credit multum lucrari, et scholaris quando credit audire lectionem utilem, si tempus illud amittat, reputat se multum damnificatum. Tempus datum est [3] tibi ut lucreris [4] non ista vilia, sed Deum et bona cœlestia, quæ nullus capere potest. Unde Apostolus I Cor. ii 9 : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparasti, Deus diligentibus te.* Propter hoc dicitur Eccl. xiv, 14 : *Ne prætereat te pars boni temporis.* Et Salomon, Prov. v, 9, 19 : *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli; ne forte repleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena. Ne des alienis honorem tuum.* Honor datur homini in bello,quando datur ei quod vincat inimicos suos. Talis honor datus est tibi, scilicet quo vincas mundum, carnem et diabolum. Sed quando das vires naturales ad serviendum diabolo, quæ datæ sunt tibi ut vincas diabolum, tunc honorem tuum das alieno. Sequitur : *Ne des annos juventutis tuæ crudeli;* idest, diabolo, qui est crudelis, quia quantumcumque servias ei, non dabit tibi requiem. Unde Jer. xvi, 13 : *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem. — Et labores tui sint in domo aliena.* Forte facis bona opera, in quibus laborasti. Si convertaris ad Dominum, erunt labores tui, idest opera bona, in domo aliena, quia sancti in patria gaudebunt de bonis operibus tuis, et non tu. Unde dicitur in Apoc. ii, 11 : *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

Item crescere ætate corporis, non mentis, est laboriosum. Sed dices : juvenis sum, volo ludere in juventute mea : cum ero senex convertam me ad Dominum. Certe committis te magno labori [5]. Quod homo assuescit a juventute sua, facile est ei ; quod patet, quia facile est rustico in campo laborare, quia consuevit, quod tibi est difficile. Si consuescis facere voluntatem tuam, et vivere in peccatis, aut desperas de vita æterna,aut conservas te magno labori. Unde Salomon : *Adolescens juxta viam suam ambulabit, et cum senuerit non recedet ab ea.* Et Jerem. iii, 17 : *Bonum est viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia sua:* quia iste de facili potest se levare supra se. Et ideo Christus dedit nobis exemplum bene operandi a juventute, quia cum esset duodecim annorum crevit sapientia.

Item periculosum est cum quis crescit ætate corporis, si non crescit ætate mentis. Deus rationem requirit de omnibus. Unde in Evangelio, Matth. xviii, 23 : *Simile est regnum cælorum homini ponenti rationem cum familia sua.* Deus dedit tibi tempus ut ei servias. Sed dicitur in Job. xxiv, 23 : *Dedit ei tempus, et ipse abutitur in superbia.* Deus [6] exiget a te rationem de tempore. Isa. : *Et dixi : sine causa, et vane consumpsi fortitudinem meam.* Ille vane et sine causa consumit fortitudinem suam qui tempus suum expendit in rebus inutilibus; et ideo sequitur in Isa. xlix, 4 : *Ergo judicium meum cum Domino.* Et Salomon, Ecclesiastes xi, 9 : *Lætare juvenis pro adolescentia tua. Scito quia pro his addu-*

[1] Parm. : « Scilicet malitia. »
[2] Sic cod. Parm. : Lucri « et in notula : forte : « Lucrari. »
[3] Parm. : « datum est enim ut »
[4] Parm. : « Lucreris. »
[5] Parm. : « eris. »
[6] Parm. : « Exigit. »

est te Dominus ut judicet. Est ne licet? Quid judicium? Non. Quia dicit Isa. lxv, 20: *Puer centum annorum maledictus erit, sicut peccator.* Unde in Baruch, iii, 11: *Inveterasti in terra aliena, deputatus es cum his qui descendunt ad infernum.* Sed nihil comparare de Dei misericordia, licet omnia tua bene reputaret. Hoc igitur est primum studium ut crescamus mente, sicut aetate. Sed quomodo crescit homo mente? Certe quando crescit sapientia et gratia. Et licet in Evangelio prius fiat mentio de sapientia quam de gratia, nos tamen prius dicemus de gratia, quia *initium sapientiae timor Domini*, Eccli. i, 16. Gratia occultum quid est, quia est in anima. Causae autem occultae non cognoscuntur nisi per effectus manifestos. Inter omnes autem effectus nullus est [1] ita manifestus sicut pax. Unde Apostolus semper conjungit pacem gratiae: *Fructus spiritus, gaudium, caritas, pax*, Galat. v, 22. Et quando quis habet pacem, signum est quod habeat gratiam, quia *non est pax impiis, dicit Dominus*, Isa. xlviii, 22. Et istud signavit Deus in perfecta gratia; quia cum esset annorum duodecim, ivit in locum pacis, scilicet in Jerusalem, quae interpretatur visio pacis. Igitur cum habemus annos discretionis, debemus conari ut attingamus pacem.

Sed multi decipiuntur, quia cum credunt se habere pacem non habent; unde dixerunt falsi prophetae: *Pax, pax; et non erat pax*, Jerem. vi, 14. Ut cognoscamus pacem veram, notandum quod pax debet habere quatuor conditiones: quia debet esse alta, sancta, perseverans et assidua, et cauta.

Primo pax gratiae debet esse alta. Homo inter duo constitutus est; et secundum hoc potest esse duplex pax. Ex una parte constitutus est inter carnem et spiritum, quae ad invicem bellant [2]; quia *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Spiritus altius est, et caro infima [3]. Secundum hoc [4] duplex potest homo facere pacem. Si facit pacem ita quod [5] spiritus consentiat carni; haec [6] non est pax alta, nec vera, sed infima [7] et falsa. Unde Sap. xiv, 22: *In magno viventes inscientiae bello tot et tanta mala pace palliantur, arbitrantur pacem.* Tales sunt in magno bello, quia habent bellum ignorantiae et remorsum conscientiae. Alia est pax quando caro consentit spiritui. Et quomodo fit ista pax? certe ut caro subjiciatur spiritui per macerationem carnis. Dicet aliquis: volo facere pacem ita [8] quod spiritus in aliquo consentiat carni, et sic erit pax, quia caro postea [9] erit subjugata spiritui. Hoc non potest esse; quia caro servilis est conditionis, et qui servo magis indulget tanto servus magis protervit. Unde in Prov. xxix, 21: *Qui delicate nutrit servum suum, inveniet eum contumacem.* Et Philosophus dicit: « Insatiabilis est delectabilis appetitus, et undique incipienti et concupiscenti operatio auget conatum. » Si satisfacis delectationi [10] carnis, non propter hoc sedatur, sed magis augetur, quia *qui bibit ex [11] hac aqua sitiet iterum.* Ista pax quomodo est facienda? certe conculcando carnem. Unde Isa. xxvii, 4, 5: *In praelio gradiar super eam, et faciet mihi pacem.* Propter hoc legimus quod Dominus ivit in Jerusalem, non descendit. Unde dicitur: *Ascendentibus illis in Jerusalem*, ivit cum illis, Luc. ii, 42.

Aliqui cum volunt facere pacem spiritus cum carne, faciunt abstinentiam, sed non servant consuetudinem. Volunt esse difformes aliis contra mandatum Domini in Evangelio. Matth. vi, 16: *Cum jejunatis, inquit, nolite fieri sicut hypocritae tristes.* In occulto debet homo facere opera bona, et in aperto debet esse conformis aliis. Unde in Eccl. xxxii, 1: *In illis esto sicut unus ex illis.* Augustinus cum venit Mediolani non jejunaverunt ibi homines, Romae autem et Carthagini jejunaverunt; mater ejus anxiebatur multum

[1] Parm.: « Ita. »
[2] Parm.: « Rebellant. »
[3] Parm.: « Infirma. »
[4] Parm.: « Sed hoc. »
[5] Parm.: « In quo. »
[6] Parm.: « Hoc est. »

[7] Parm.: « Infirma. »
[8] Parm.: « In quo. »
[9] Parm.: « Per eos. »
[10] Parm.: « delectationum. »
[11] Parm.: « De. »

si deberet jejunare vel non; et tunc Augustinus adhuc cathecumenus requisivit ab Ambrosio si deberet jejunare vel non : et dixit Ambrosius ; ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si non vultis pati scandalum, vel aliis facere. Unde Jesus, Luc. II, 42, ascendit secundum consuetudinem. Noli esse singularis, quia Deus multum videtur abhorrere singularitatem. Sed nota quod dixit : *Diei festi*. Si socii velint aliquid contrarium virtuti in illo non debes eis esse conformis. Unde in Exod. XXXII, 2 : *Non sequeris turbam ad faciendum malum*. Et Jerem. : *Interroga de semitis antiquis, et videte quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Illud pertinet ad pacem. Psal. CXXI, 3 : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas cujus participatio ejus in idipsum*. In idipsum, idest secundum concordiam sententiarum et morum aliorum.

Item ista pax debet esse assidua ; quia non sufficit eam [1] habere ad tempus, sed oportet quod homo sit in ea perseverans. Job. XXVII, 5 : *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea ; justificationem, quam cœpi tenere, non deseram*. Duo dicit : primo dicit : donec deficiam, idest usque in morte [2] : *Ab innocentia mea non recedam*. Homo recedit ab innocentia sua peccando. Unde in Eccl. XXVI : *Qui transgreditur a justitia ad iniquitatem Deus præparavit* [3] *eum ad rumphæam*, idest ad gladium acutum. Non sufficit quod homo non peccet ; sed si consuevisti benefacere, oportet quod opera bona non deseras. Unde dicitur : « Justificationem meam quam cœpi tenere non deseram, Unde in Apoc. II, 4 : *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam dereliquisti*. Et hoc significatur in Evangelio hodie. Luc. II, 43 : *Diebus festis mansit Jesus in templo*. Aliqui in festo bene abstinent a peccato, sed post festum redeunt ad peccatum. Debet enim homo permanere in justitia et innocentia sua, quæ signatur in libro Regum III Reg. II, 36, 37. Salomon ad Semei, qui interpretatur obediens : *Ædifica tibi domum in Jerusalem, et habita ibi ; et non exeas huc aut illuc : quacumque die exieris scito te interficiendum* ; idest debet pax ista esse assidua.

Quarto debet esse cauta. Vis facere pacem cum spiritus contra carnem ? Si velles facere pacem cum alio [4], et eum tibi subjugare, caveres tibi ab [5] amicis illius. Vis facere pacem cum spiritu contra carnem ? debes tibi cavere ab amicis carnis. Unde Jer. III, 4 : *Unusquisque* (se) *a proximo suo, scilicet* carnali, *se custodiat, et in omni fratre suo*, scilicet carnis, *non habeat fiduciam*; quia dicitur in Michæa VII 6 : *Inimici hominis domestici illius* ; et in Evangelio hodierno significatur hoc quando Dominus voluit manere in Jerusalem : *Non cognoverunt parentes ejus*, Luc. II, 43. Qui student perfectionem pacis spiritus debent sibi cavere ab amicis et familiaritate carnis. Psal. XLIV, 11 : *Obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum*. Scilicet in præsenti conferendo, et in futuro perducendo [6] ad gloriam; quod nobis præstare dignetur qui vivit et regna etc.

« *Jesus proficiebat etc.* » Dictum est hodie de duplici profectu Christi, scilicet de profectu ætatis et gratiæ.

Restat modo dicendum de duobus aliis profectibus ; scilicet de profectu sapientiæ et conversationis humanæ. Et sicut profectus gratiæ ostenditur in pace, ita [7] profectus sapientiæ in contemplatione. Unde in Eccl. I, 16, dicit Salomon : *Præcessi sapientia omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem* : et quia subdit : *Mens mea contemplata est multa sapienter*. Qui multa contemplatur sapienter, proficit in sapientia. Videte : Templum dicitur a contemplando, vel contemplatio a templo. Unde in hoc quod Dominus reperitur in templo, demonstrat nobis studium contemplationis, et quod per templum signatur [8] contemplatio. Dicit Psalm.

1 Parm. omittit : « Eam. »
2 Parm. : « mortem. »
3 Parm. : « Paravit. »
4 Parm. : « Illo. »
5 Parm. : « Inimicis. »
6 Parm. : « Perducendo. »
7 Parm. : « Et. »
8 Parm. : « Figuratur. »

xxvi, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram¹, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, et videam* templum ejus. Ille templum vere visitat qui venit ad templum, non pro nugis et ludis, sed ut contempletur voluntatem Dei.

Videamus quid Christus fecit in templo; et per ista scire poterimus si homo proficit in templo.

Ad hoc autem quod homo in sapientia proficiat quatuor, sunt necessaria : scilicet quod libenter audiat, diligenter inquirat, prudenter respondeat, et attente meditetur. Primo dico, ad hoc quod homo in sapientia proficiat necessarium est¹ ut quod libenter audiat ; quia sapientia ita ²est profunda quod nullus homo est sufficiens per se ad contemplandum. Per se ipsum oportet igitur quod audiat. Unde in Eccl. vi, 34 : *Si dilexeris audire, sapiens eris.* Dices : sum satis sapiens, nolo audire ; propter hoc subditur : *Audiens sapiens sapientior erit.* Prov. i, 5. Nullus est ita sapiens quin audiendo addiscat. Unde invenerunt Jesum audientem.

Sed quomodo debes audire ? certe perseveranter. Quidam unam lectionem volunt audire in una scientia transitorie; non ponunt ibi cor; sed Jesum invenerunt³ assidue post triduum. Ita ⁴ et tu assidue debes audire. Unde in Prov. viii, 34 : *Beatus qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie.*

Item debemus audire non solum ab uno, sed a multis ; quia dicit Apostolus I Cor. xii, 4, quod *divisiones gratiarum sunt.* Unus non est profectus in omnibus. Beatus Gregorius optime scivit moralitates, beatus Augustinus quæstiones solvere, et beatus Ambrosius optime allegorizavit. Quod non addiscis ab uno, addiscis ab alio. Unde in Eccl. vi, 35 : *In medio presbyterorum prudentium sta, et in sapientia cordium illorum conversare, ut possis audire narrationem Dei.* Quod non narrat unus, narrat alius. Non dico quod credam utile esse quod qui incipiunt primo audire scientiam aliquam, diversos audiant ; sed debent audire unum quousque sint fundati ; et cum sint fundati, audiant diversos, ut possint carpere flores ex diversis, idest quæ sunt utilia.

Item inventus est Jesus audiens multos, et stans in medio. Hoc est justi judicis. Auditori enim committitur officium judicis, quia juste debet judicare quæ audit. Job. xii, 11 : *Nonne auris verba dijudicat?* Auditor debet esse justus judex. Sed aliqui sequuntur opinionem magistrorum, quia audiunt eos ; sed nullus debet habere amicum in veritate, sed solum debet veritati adhærere ; quia dicit Philosophus quia discordia in opinionibus non repugnat amicitiæ. Christus fuit in medio, quia dicitur in Eccl. 15, 6 : *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit eum Dominus Spiritu sapientiæ et intellectus.*

Secundo ad profectum sapientiæ requiritur, quod homo diligenter inquirat; quia sapientia pretiosior est quam omnia quæ possunt desiderari. Unde in Prov. iii, 15 : *Pretiosior est cunctis opibus ; et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari.* Et in libro Sapientiæ vii, 8 : *Præposui illam sedibus et regnis.*

Videte qui indigent re temporali, non solum sunt contenti quod ea sibi offeratur, sed diligenter eam inquirunt ; et ⁵ ita nos diligenter debemus sapientiam quærere. Unde Salomon, Prov. ii, 4 : *Si quæsieris eam quasi pecuniam, invenies eam.* Transeunt aliqui montes et maria ut acquirant pecuniam ; sic et tu debes laborare pro sapientia. Unde et Jesum invenerunt in templo interrogantem et quærentem sapientiam, ut nobis exemplum quærendi sapientiam daret. Sed ubi debes quærere sapientiam, et a quibus ? certe a tribus.

Primo a magistro, vel a sapientioribus : unde in Deuteronomio xxxii, 7 : *Interroga patrem tuum,* idest magistrum, quia sicut pater te genuit corporaliter, ita⁶

¹ Pede omittit : « Et. »
² Paris. : « Ita est profunda, quando. »
³ Paris. : « invenerunt. »

⁴ Paris. : « Ut est. »
⁵ Paris. : « Etiam. »
⁶ Paris. : « Etiam. »

magister genuit te spiritualiter. *Et annuntiabit tibi; interroga majores, idest sapienter, et dicent tibi.*

Item non solum debes esse contentus ut interroges præsentes, sed debes interrogare antiquos absentes. Si non habes copiam quantum ad personas, habes [1] tamen quantum ad scripta. Quando vides scripta Augustini et Ambrosii, tunc interrogas ipsos. Job. VIII, 8 : *Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam*, idest memoriale quod tibi reliquerunt.

Item. Non solum non sufficit quod ipsos interroges vel etiam scripta, sed debes considerare in consideratione creaturarum; quia [2] dicitur in Eccl. I, 10 : *Deus effudit sapientiam suam super omnia opera ejus.* Opera Dei sunt judicia sapientiæ ejus. Sicut in artificiato multa possumus conjicere de sapientia artificis. Unde Job. XII 7 : *Interroga jumenta, et docebunt te; volucres cœli et dicent tibi.*

Item debet homo acquirere sapientiam cum aliis communicando. Unde Sapiens VII, 13 : *Quam sine fictione dedici et sine invidia communico.* Quilibet potest experiri quod nullus [3] ita bene potest proficere in scientia sicut in communicando aliis quæ ipse scit : et hoc est debitum, ut homo respondeat alii de eo quod novit. Unde in Prov. XXII, 21 : *Ut ostenderem tibi firmitatem, et eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.* Christus respondit : *Mirabantur omnes super prudentia et responsis ejus.* Luc. II, 47.

In responsione requiritur prudentia triplex [4].

Prima[5], est ut responsio sit proportionata personæ respondentis. Si aliquis quærat a te quod sit supra vires tuas, non ponas te ad respondendum. Unde : *Si tibi est intellectus, responde proximo tuo; si non, pone manum tuam super os tuum, ne capiaris in verbo* [6] *disciplinato et confudaris*, Eccl. V, 12.

Item requiritur prudentia in responsione ut responsio sit proportionata quæstioni, ut sit non cum phaleris verborum, sed ad quæstionem; aliter esset responsio ventosa. Unde Job. XV, 2 : *Numquid sapiens respondebit in ventum?* Christus prudenter respondit : *Mirabuntur omnes super prudentia et responsis ejus*, Luc. II, 47.

Tertium, quod est consummativum prudentiæ, est quod homo attente meditetur. Psalm. XVIII, 15 : *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* Exemplum habemus in Beata Virgine : *Quæ conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo*, Luc. II, 19. In expositione hujus verbi dicit quidam Græcus satis notabile verbum : « considera, inquit, prudentissimam mulierem Mariam, et veræ sapientiæ matrem qualiter scholaris pueri efficitur, et jam non ut puero, nec ut viro, sed ut Deo ei attendit; et sicut verbum ipsum in mente conceperat, ita [7] omnia [8] facta ejus et verba nunc concipit corde [9]. »

Videte circa meditationem beatæ Mariæ Virginis tria. Primo quod fuit fructuosa. Quid [10] est fructus meditationis? dico quod meditatio clavis est memoriæ multa potentis legere et audire, sed non potentis retinere, nisi meditantis. Psalm. CXVIII, 24 : *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* Sicut enim cibus non nutrit nisi prius masticetur, sic non poteris proficere in scientia nisi masticando ea quæ audis per frequentem meditationem.

Item meditatio beatæ Virginis fuit integra; quia conservabat [11] omnia verba. De omnibus auditis debet homo meditari.

Item meditatio beatæ Virginis fuit profunda. Aliqui solum superficialiter volunt meditari. Si non potes omnia meditari una vice, mediteris alia vice. Maria [12]

[1] Parm. omittit : « Tamen. »
[2] Parm. : « Quod. »
[3] Parm. : « Jam. »
[4] Parm. « Tripliciter. »
[5] Parm. : « Primo. »
[6] Parm. : « Indisciplinato. »
[7] Parm. « Etiam. »
[8] Parm. omittit : « Omnia. »
[9] Parm. « Concepit. »
[10] Parm. « Qui. »
[11] Parm. « Conservavit. »
[12] Parm. « Meditabat. »

conservabat omnia verba conferens in corde suo. Psalm. LXXVI, 7 : *Meditatus sum nocte in corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum.* Non est dubium quin ille qui libenter audit, prudenter respondet, diligenter inquirit, et attente meditatur, multum proficiet [1] in sapientia. Iste [2] est modus proficiendi in sapientia.

Restat modo de profectu conversationis humanæ. Verum est quod ex isto Evangelio, qui vellet, satis posset accipere conversationem humanam quantum ad subditos et quantum ad prælatos, et quia pauci sunt hic prælati et plures subditi, dicemus de subditis. Et notandum quod si vis proficere in conversatione humana, quatuor debes habere, scilicet pietatem, puritatem, humilitatem et discretionem.

Primo dico, si vis proficere in conversatione humana debes habere pietatem. Aliqui habent solum pietatem de se ipsis, ut in pace vivant et in sapientia proficiant ; sed aliis condescendere nolunt. Tales proficere possunt in gratia apud Deum, sed non apud homines. Sed Jesus proficiebat in gratia et sapientia apud Deum et homines. Illud signatur [3] in descensu [4] cum illis. Jesus tempore suo mansit in Jerusalem, sed quando voluit descendit. Unde in Cant. V, 1 : *Dilectus meus descendit in hortum suum*, idest, in hortum deliciarum ; et in scala quam vidit Jacob, vidit Angelos Dei ascendentes et descendentes, Gen. XXVIII, 12. Sic et nos debemus ascendere per spiritualem profectum, et descendere per pietatem ad proximum.

Alii condescendunt aliis, sed nimis, quia usque ad peccatum. Unde et Christus descendit in Nazareth quod [5] interpretatur flos, per quem figuratur puritas. Unde in Cant. I, 15 : *Lectulus noster floridus est.* Beatus qui in conscientia sua nihil habet fœtidum vel infamia dignum, sed solum odorem bonæ famæ. Unde in [6] Cant. XXIV, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Fructus scilicet in merito. Unde Apostolus Rom. VI, 22 : *Habetis fructum in sanctificatione* [7]. Flores sunt in futura patria.

Tertio debemus habere humilitatem. Unde Augustinus : « erubescat homo fieri superbus, ex quo Deus factus est humilis. Christus subditus fuit hominibus [8], ut tu subditus sis prælatis » Gregorius : « quisquis per motionem [9] proficit, obedientiam nunquam dimittit ; » antequam homo ad profectum conversationis humanæ perveniat necessarium est ipsum habere obedientiam tamquam ducentem ad bonum [10]. Et Christus summam obedientiam habuit. Aliqui bene sunt obedientes in levibus, non in magnis, sed Christus in magnis obediens fuit. Unde super illud, subditus erat illis ; Glossa. et quibus illis [11] dicit Glossa : homines erant justi et honesti, pauperes tamen et penuriam necessariorum habentes, teste præsepi partus venerandi ministro [12], per continuos labores necessaria corporis quærentes, et Christus cum eis laboravit. Psalm. LXXXVII, 6 : *Pauper sum et in laboribus a juventute mea.* Multi veniunt ad studium, volunt proficere in sapientia, intendunt non descendere sed ascendere ; non sunt in Nazaret sed in turpitudine peccati, non ut sint subditi, sed prælati. Sed Christus descendit in Nazareth, ubi erat subditus illis.

Quarto necessaria est discretio, quæ est discretio in obediendo. Certe superioribus debemus obedientiam in illis quæ nos non retrahunt a Deo. Unde beatus Petrus, Act. V, 29 : *Oportet obedire Deo magis quam hominibus.* Istam discretionem habuit Christus ; in illis quæ ipsum

1 Parm. : « proficit. »
2 Parm. omittit : « Iste est modus proficiendi in sapientia. »
3 Parm. : « Figuratur. »
4 Parm. : « Cum illo Jesus. »
5 Parm. : « Qui. »
6 Parm. : « in Eccli. XXIV, 23. »
7 Parm. : « Sanctificationem. »
8 Parm. : « Et. »
9 Parm. : « Profectum. »
10 Sic sed male intus Ed. Parm. qui omittit : « pervenire » et : « ipsum habere obedientiam » addens [illegible] in notula quadam : « Ita in Cod., sed videtur locus corruptus, nec ... occurrit. Forsitan : antequam homo ad profectum conversationis humanæ [perveniat], necessarium est [ire] ad bonum [virum] tanquam ad ducentem. »
11 Parm. : « Quibus illis. »
12 Parm. : « Præsepe » et omittit : « Partus venerandi ministro. »

non retrahebant a Deo subditus erat illis : *Nescitis* inquit, *quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse*? Luc. II,49 : Luc. LXXVII, 28 : *Mihi adhærere Deo bonum est*. Scilicet in præsenti per gratiam et in futuro per gloriam, quam nobis et vobis etc.

SERMO II

IN DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN (*a*)

Intravit rex ut videret discumbentes. Ita scriptum est Matth. XXII capitulo, et lectum in Dominicali. Secundum beatum Augustinum *super Gen. ad litteram* lib. V, 3 : « Sacra Scriptura sic loquitur ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos invitet : » ex quibus verbis tantum habemus quod sacra Scriptura singulis se conformat ; et ideo etiam dicitur Sapientiæ VIII, quod *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*. Et istud est privilegium sacræ Scripturæ præ aliis scientiis quod ipsa una existens potest omnibus satisfacere, singulis se conformare, cunctos de sibi necessariis secundum ordinationes suorum statuum plenissime informare. Ratio autem ejus est quia ipsa sola habet Deum pro causa efficiente, subjectiva, formali, exemplari, et pro causa finali ; Deus enim est causa ejus efficiens, ut prima veritas ; subjectum, ut immensa entitas ; causa formalis exemplaris, ut idealis speciositas ; finalis, ut summa bonitas ; et ideo cum ejus efficiens sit illud verum quod est omnis veri inclusivum, non est mirum si una existens singulorum intellectus instruit ; et quia ejus finis est illud bonum quod unum et simplex existens, et omnis boni contentivum, non est mirum, si cunctorum affectus allicit et reficit. Figuram valde opportunam habemus ad hoc Sap. VII, de manna, ubi scribitur quod ille unus cibus omnibus se conformavit, singulis satisfecit, quia cuilibet deserviebat voluntati, et ad quod quilibet volebat. Ratio autem præmittitur, quia habebat delectamentum omnis cibi et omnis saporis suavitatem. Ecce quia unus cibus erat quodammodo omnis cibi, ideo unus existens potuit omnibus satisfacere abundanter ; habemus ergo probatum beati Augustini auctoritate quod sacra Scriptura in hoc omnes alias scientias excellit quod ipsa sola valet omnem affectum plenius quietare, et omnem intellectum perfecte instruere sive illustrare : et hoc est quod sacra apte videntur innuere verba proposita : *Intravit rex etc.*

In quibus quidem verbis taliter introductis nostra sacra theologia a suis quatuor causis magnifice commendatur. Nam primo ostenditur ex parte subjecti, imperscrutabilis profunditatis cum dicitur *intravit*. Secundo ex parte efficientis, infallibilis veritatis, cum additur *rex*, quia rex dicitur a regendo, vel dirigendo. Tertio, ex parte causæ formalis, multiplicis utilitatis, cum adjicitur *videret*. Et quarto, ex parte finis, desiderabilis bonitatis, cum ultimo verbo subjungitur *discumbentes*. Primo igitur, cum dicit *intravit*, tunc ostenditur ex parte subjecti et causæ ; ubi advertendum quod sicut est differentia inter lumen vel lucem per essentiam et inter colorem, qui est quædam lux participata vel incorporata, quia lux vel lumen per se visum corporalem ingreditur, et se ipso vel per suam essentiam cognoscitur ; color autem, qui est quædam lux participata, per se ipsum visum vel oculum non intrat sed foris stat, et solum per suam speciem visum ingredietur et per eum cognoscitur ; sic consimilis est differentia inter esse divinum, quod est esse per essentiam, et esse causatum, quod est esse participatum ; quia solus Deus per suam essentiam valet intellectus nostros ingredi, et ab eis sine medio cognosci ; et nulla creatura hoc potest, quia nulla earum potest menti vel intellectui per se ipsam illabi ; sed foris manens solum per suam speciem potest intellectum ingredi ut ab eo cognoscatur. Ecce igitur in nostra sacra scientia non est aliquod ens creatum, quod foris stat, sed ens divinum, quod per se ipsum intellectum intrat : et istud

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

pulcherrime figuratum est, Exod. XXXIII capitulo, ubi scribitur quod solus Moyses ingressus est tabernaculum fœderis, et alii filii Israel stabant remote extra, unusquisque in ostio papilionis sui. Quid per Moysen legislatorem, qui interpretatur aquaticus, vel inventus in aquis, accipimus nisi Christum, qui est dux et legifer noster, et quem in mediis aquis sapientiæ salutaris reperimus? quid vero per tabernaculum pellibus caprinis et rubricatis tectum accipimus nisi librum sacræ Scripturæ, qui ad litteram ex pellibus mortuorum animalium compaginatur? in hoc tabernaculo, idest in hoc libro invenitur Cherubim, idest plenitudo scientiæ quæ ipsam continet arcam cum manna, virga Aaron et tabulis, idest trinum instrumentum, quo modo hic tres; scilicet Pater, cui attribuitur potentia, quæ figuratur per virgam, et Filius cui attribuitur sapientia, quæ figuratur per tabulas, et Spiritus sanctus cui attribuitur bonitas, quæ figuratur per manna, sunt unum in essentia, sicut hæc tria includebantur in una arca. Istud etiam tabernaculum, idest iste liber sacræ Scripturæ continet *candelabrum* idest illuminantia intellectum, *mensam propositionis*, idest reficientia affectum, altare *thymiamatis*, idest devotiones affectuum vel actuum, et *altare holocaustorum*, idest castigationes corporum. Hoc tabernaculum, intrat solus sacerdos idest, habet sacræ scientiæ librum solus Moyses, hoc est solus Christus intrat tanquam ejus proprium subjectum; et ideo dicitur Sapientiæ VIII, 16: *Intrans domum meam, conquiescam cum illa*, scilicet sapientia increata. *Non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus illius*. Ecce quando sapientia divina ingreditur domum intellectus, tunc conquiescit affectus, et ideo tædio caret utriusque actus; et hoc sit de primo. Secundo, cum dicit *rex*, ostenditur ex parte efficientis; et tunc ibi etiam animadvertendum quod aliter in via regitur vel dirigitur cui ducatum præstat lumen lucernæ vel ignis, et ille qui ducitur lumine solis vel alterius luminaris cœlestis; quia lumen lucernæ non potest terminum justum distantem ostendere, nec semper et colores ut in veritate sunt demonstrare. Etiam contingit quod in tali lumine circa conditiones et rerum et colorum frequenter erramus, et per consequens sæpius cespitamus. Sed e converso lumen cœli valet terminum distantem ostendere, et res et colores ut in veritate sunt, visui declarare. Unde etiam in tali lumine non sic erramus, neque cespitamus. Nunc autem sic est quod rex noster, qui nos regit et dirigit in via mandatorum Dei, qui est causa efficiens et auctor hujus scientiæ, differt ab auctoribus et rectoribus aliarum scientiarum; quia auctores aliarum scientiarum innituntur lumini naturalis rationis quæ non valet nobis finem supranaturalem ostendere, nec singula ut in veritate sunt intellectui declarare. Et hinc etiam est quod tales scientiæ, quamvis contineant multa vera, inter illa etiam continent aliqua falsa; nostra autem sacra scientia, quæ innititur lumini cœlesti, et quod rex noster nos in ea regit et dirigit per quoddam lumen supernaturale, ideo valet finem supernaturalem et singula ordinantia ad Deum veraciter demonstrare, et nihil falsum potest continere, secundum beatum Augustinum in fine II lib. *de doctrina christiana*. « Quidquid extra eam didicerimus, si noxium est, in ea damnatur; si utile est, in ipsa invenitur. » Figuram satis pulchram habemus ad hoc, Matth. v, ubi scribitur quod Magi qui erant mundi sapientes et philosophi, non ductu lucernæ sed stellæ supernaturaliter factæ venerunt in Bethlehem, idest in domum panis, et invenerunt panem Angelorum positum in præsepio quasi cibum jumentorum: in quo datur intelligi quod solum per istam scientiam, quæ innititur lumini supernaturali, possumus duci in cognitionem illius veritatis quæ sola valet intellectum plene reficere et affectum perfectum quietare.

Tertio, cum dicit: *Ut videret*, ostenditur ex parte causæ formalis esse multiplicis utilitatis; quia ista est forma tractandi vel modus procedendi in nostra Scriptura, quæ nunc sensu allegorico devotos accedit, nunc sensu tropologico mores corrigit, nunc sensu anagogico desideria sensuum ducit, et sic ad om-

nem plagam videt et respicit. Et secundum diversos sensus sic exponi est præ aliis scientiis sibi speciale. Cujus ratio potest sumi ex parte Dei, ut est ejus causa efficiens, et ut est ejus causa subjectiva. Nam quia causa efficiens hujus scientiæ est Deus, qui non solum est conditor vocum sed etiam rerum, et ideo congruum est ut in sua scientia non solum voces significent res, sed ipsæ res significent alias res ; causæ autem efficientes aliarum scientiarum fuerunt puri homines, qui solum fuerunt vocum prolatores, non rerum conditores ; et ideo in scientiis eorum solum debet esse sensus simplex, non multiplex, quia solæ voces debent significare res, et non res ulterius alias res. Objectum etiam sive subjectum hujus scientiæ est illa *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Scitis autem quod aliter videtur lux transiens per media diaphanitatis, maxime si in medio minoris diaphanitatis, accidant ibi multæ fractiones. Primo enim modo videtur lux pura, et non colorata ; sed secundo modo colorata colore multiplici ut patet in iride. Objicitur nostro visui sic lux divina considerata ut solum transit per mentem subtilissimam beatorum spiritum (et per) *eos glorificatos videtur* in sua puritate ; et ideo in scientia eorum non est multiplicitas sensum quasi quorumdam colorum : sed quia in nostra scientia, quæ quodammodo subalternata scientiæ illorum subalternatur, hæc lux consideratur non solum ut transiens subtile medium beatorum spirituum eos glorificando, sed etiam ut transgrediens mentem eorum, nostram corporalem naturam attingendo, et ut in tali medio multipliciter scientia per multas passiones et immissiones nos instruendo ; hinc est quod hæc eadem lux, quæ in scientia beatorum in sua puritate conspicitur, in nostra scientia sub multiplicitate sensuum quasi sub quadam diversitate colorum nostro intellectui objicitur. Nunc enim consideratur ut in via morum, regulans quantum ad sensum tropologicum ; nunc ut per passionem suam Ecclesiam sibi desponsans quantum ad sensum allegoricum ; nunc ut beatos in cœlo glorificans quantum ad sensum anagogicum. Et sic idem qui a beatis simpliciter conspicitur, secundum diversos sensus sacræ Scripturæ nostro intellectui diversimode objicitur ; et hoc est quod dicitur Apocalypsis IV, quod *in circuitu sedis erat iris similis visioni smaragdinæ*. Iris est coloris multiplicis, sed smaragdus est coloris seipsum in excessu vectantis. Ecce igitur ille etiam a nobis aspicitur in Scripturis sanctis. Sed qui sedet in sede majestatis suæ clare videtur a beatis : ille etiam a nobis aspicitur in Scripturis sanctis. Sed illorum visio dicitur smaragdina propter suam simplicitatem, et visus mentis recreationem ; ista iridalis propter sensuum multiplicitatem ; nihilominus tantam habet cum illa similitudinem propter objecti unitatem. Et hæc sufficiant de isto. Quarto cum dicit *discumbentes* ostenditur ex parte finis esse desiderabilis bonitatis homini. Discumbere proprie est convivientium, secundum illud : accumbens dormit, discumbens fercula sumit. Modo finis.

SERMO III.

IN III. DOMINICA POST FESTUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium : intresecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Matth. VII, 15-16. Duo esse in verbis istis sibi invicem contrariantia Apostolus testatur. *Spiritus, inquit, concupiscit adversus carnem, et caro adversus spiritum :* Gal. V, 17 : et cum in utroque, vel ex utroque contingit esse peccatum ; ex infirmitate carnis est aliquando peccatum, et aliquando [1] per ignorantiam spiritus. Unde Apostolus II ad Corinth. VII, 1 : *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.* Et sicut peccatum ex carne provenit ex carnis infirmitate ; unde in Matth. XXVI, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma ;* sic peccatum spiritus

[1] Parm. hic et infra : « Aliumi. »

provenit ex ignorantia spiritus, scilicet quando spiritus decipitur. Et ideo in ista Dominica munimur contra utrumque peccatum. Contra peccatum ex infirmitate carnis munimur per Apostolum in Epistola, qui dicit: *Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus*, Rom. VIII, 12. Contra peccatum ex deceptione spiritus munimur in Evangelio, ubi dicitur: *Attendite a falsis prophetis etc.* Rogemus Salvatorem qui nos cautos voluit esse contra utrumque peccatum, quod ipse[1] det mihi aliquid[2] dicere quod sit ad laudem ejus etc.

Attendite etc. Ad officium boni ducis pertinet quod milites[3] suos contra insidias reddat cautos. Verum est quod insidiosum et dolosum habemus hostem. Unde in Eccl. XI, 31: *Multæ insidiæ dolosi. Sedet in insidiis cum divitibus*, Psalm. X, 8, idest cum superbis. Istas insidias explicat Apostolus II Cor. XI, 14, dicens quod Satanas transfigurat se in Angelum lucis, et ministros ejus in ministros justitiæ. Contra ministros ejus reddit nos Dominus cautos in verbis propositis. In quibus quatuor docet. Primo enim docet genus hostium. Ibi: *Attendite a falsis prophetis*. Secundo docet modum insidiandi. Ibi: *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*. Tertium est nocumentum imminens. Ibi: *Intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Quarto docet modum comprehendendi eos. Ibi: *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Hostes isti, scilicet falsi prophetæ, etiam sunt valde periculosi, et ideo cavendi, quia ipsi nobis sunt periculosi sicut Angeli boni sunt nobis necessarii et utiles. Unde in Prov. XXVI, 18: *Cum[4] defecerit prophetia dissipabitur populus.* De falsis prophetis dicitur Jer. XXIII, 15: *A prophetis Jerusalem egressa est pollutio super terram.*

Nunc videamus qui sunt falsi prophetæ. Primo videamus quæ est ratio prophetæ, et quia contingit esse falsam prophetiam. Dico quod quatuor sunt de ratione prophetæ. Primum est revelatio divina: unde in Amos III, 7: *Non facit Dominus*[4] *verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.*

Aliquando revelantur alicui aliqua divinitus, sed non intelligit, sicut Nabuchodonosor vidit statuam, Dan. II, 31, et Pharaoni aliquid est revelatum, scilicet quod vidit spicas et boves, sed non intellexit, Gen. XLI, 2. Propter quod requiritur secundo intellectus. Unde in Daniel. X, 1: *Verbum revelatum est Danieli et intellexit sermonem.* Unde intelligentia opus est inter visiones.

Si homo haberet revelationem a Deo et cum hoc intelligeret, sed sibi retineret, nulla esset ibi utilitas: propter hoc tertio requiritur ut ea quæ hujusmodi sunt revelata et ipse intelligit, alteri annuntiet. Isa. XXI, 10: *Quæ audivi a Domino exercituum Deo Israel, annuntiavi vobis.*

Quædam sunt supra sensum humanum divinitus revelata et annuntiata, sed non crederent[5] homines nisi probarentur; et hujusmodi probatio est miraculorum operatio. Quod significatur IV Regum V, 8, ubi dicitur quod cum Naaman Sirus venisset ad regem Israel ut curaretur[6] a lepra, dixit Elisæus: *Mitte eum ad me, ut sciat prophetam esse in Israel.*

Sed juxta prædicta dico quod nomen prophetæ quatuor modis accipitur. Quandoque dicitur propheta cui fit revelatio divina. Unde in Numeris XII, 6: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium in visione loquar ad ipsum.*

Quandoque autem dicitur propheta non cui fit revelatio divina ut intelligat revelata. Unde in I Corith. XIV, 29: *Prophetæ duo vel tres dicant, et cæteri dijudicent.* Vocat ibi doctores et prædicatores per prophetas juxta illud: *Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam*, Eccl. XXIV, 46.

Alii dicuntur prophetæ qui recitant revelata, unde nuper aliquid filii Asaph editum prophetabant. Alii dicuntur prophetæ qui miracula faciunt. Unde dicitur quod corpus Elisæi mortuum propheta-

[1] Parm. omittit : « Mihi. »
[2] Parm. : « Dare. »
[3] Parm. : « Milites. »

[4] Parm. : « Deficit. »
[5] Parm. : « Crederent. »
[6] Parm. : « Ut curaret eum. »

vit. Eccli. XLVIII, 13, idest miraculum propheticum fecit. In libro IV, Reg. XIII, 21, dicitur quod quidam latrones territi corpus cujusdam interfecti mortuum projecerunt in sepulchrum Elisæi mortui, revixit ille.

Et sicut dicitur in Evangelio, cum Christus miracula faceret dixerunt Judæi : *Propheta magnus surrexit in nobis*, Luc. VII, 16. Dicit igitur : *Attendite etc.*

Sed quomodo accipitur hic propheta? dicit Chrysostomus quod prophetæ dicuntur hic non qui prophetant de Christo, sed qui interpretantur prophetiam de Christo, quia nemo potest sensus propheticos interpretari nisi per Spiritum sanctum.

Videamus qui dicuntur falsi prophetæ Quatuor modis contingit esse falsam prophetam. Primo ex falsitate doctrinæ. Secundo ex falsitate inspirationis. Tertio ex falsitate intentionis. Et quarto ex falsitate vitæ.

Primo dicuntur aliqui falsi prophetæ ex falsitate doctrinæ, ut quando falsa annunciant et docent. Ad officium prophetæ pertinet vera nunciare et dicere. Unde in Danel. X, 1, Verbum revelatum est Danieli, et est verbum verum ; et Dominus dicit : *Si quis annunciat sermones meos loquatur vere.* Sed multi annunciant false : unde in Canonica I Joan. IV: fiunt in populo pseudoprophetæ sicut et in vobis ; erunt magistri mendaces qui non metuunt sectas inducere prædicationis nomine. Mendax fuit Arius et consimiles sibi, qui voluerunt corrigere doctrinam Christi. Unde in Threnis II, 14 : *Prophetæ tui ludunt falsa et stulta.* Sed quæ stulta? qui falsa loquitur, libenter dicit [1] ea quæ placent. Isa. XXX, 10 : *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Interrogatus quæ falsa prophetæ viderunt, dicit : *Non aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Si aliqui dicunt bonum malum et malum bonum, sunt falsi prophetæ. Jer. : *Viderunt falsas assumptiones, et ejectiones*, Thren. II, 14. Illud quod assumitur elevatur et quod ejicitur damnatur.

Quando igitur extollenda deprimuntur, et deprimenda extolluntur, tunc vides falsas assumptiones. Per doctrinam Domini apparet quid extollendum est, et quid deprimendum. Conversatio sæculi et vita mundialis deprimenda est. Si quis dicat quod melius est jejunare sine voto quam cum voto, et alios retrahit a religione, ubi jejunatur cum voto, et suadet jejunare in sæculo sine voto, habet falsam doctrinam. Propheta dicit : *Vovete et reddite*, Psalm. LXXV, 2. Hoc dicit quia melius est jejunare cum voto quam sine voto ; aliter solum diceret, facite. Exemplum ponit Anselmus libro *de Similitudinibus*, dicens quod qui dat arborem cum pomis plus dat quam qui dat poma [2] tantum ; sic qui votum facit, et ipsum reddit, melius facit quam qui bonum sine voto facit : melius tamen est non vovere quam promissa non reddere. Eccl. V, 4.

Item dicuntur falsi prophetæ ex falsitate inspirationis. Veri prophetæ unde inspirantur? certe a Deo et Spiritu sancto. Unde in canonica II Petri I, 21 : *Non a voluntate humana allata est hominibus prophetia ; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines* [3]. Potest etiam a spiritu suo [4]. Utrumque invenimus in sacra Scriptura.

Primo dico potest quis inspirari falso a diabolo. Unde Jer. II, 8 : *Prophetæ ejus in Baal prophetaverunt.* In Baal, idest in diabolo, prophetare, est occulta dicere. Negromantici qui exquirunt veritatem de futuris inspiratione diaboli prophetant in Baal : et hoc est gravissimum inter peccata, et species idololatriæ. Nec excusantur ex hoc quod dicunt quod pro bono faciunt ; quia malum non debet fieri pro bono. Unde Apostolus Rom. III, 8 : *Faciamus mala ut eveniant bona? Quorum damnatio justa est.*

Alii inspirantur falso a spiritu suo. Unde in Ezechiele XIII, 3 : *Hæc dicit Dominus; væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Jer. XXIII, 16 : *Visionem cordis sui loquuntur.* Non ex ore Domini illi qui sequuntur rationem humanam, loquuntur

[1] Parm. : « Dicet. »
[2] Parm. : « Poma cum sic. »
[3] Parm. : « Prout. »
[4] Parm. : « respectu. »

ex spiritu suo. Tales sunt illi qui loquuntur secundum rationes platonicas, quæ non possunt attingere veritatem[1]; puta, sicut illi qui dicunt quod mundus est æternus.

Inveniuntur aliqui qui student in philosophia, et dicunt aliqua quæ non sunt vera secundum fidem; et cum dicitur eis quod hoc repugnant fidei, dicunt quod philosophus dicit hoc, sed ipsi non asserunt; imo solum recitant verba philosophi. Talis est falsus propheta, sive falsus doctor, quia idem est dubitationem movere et eam non solvere quod eam concedere; quod signatur in Exod. xxi, 33, 34, ubi dicitur quod si aliquis foderit puteum, et aperuerit cisternam, et non cooperuerit eam, veniat bos vicini sui, et cadat in cisternam, ille qui aperuerit cisternam tenetur ad ejus restitutionem. Ille cisternam aperuit, qui dubitationem movet de his quæ faciunt ad fidem. Cisternam non cooperit, qui dubitationem non solvit, etsi ipse habeat[2] intellectum sanum et limpidum, et non decipiatur. Alter tamen qui intellectum non habet ita limpidum bene decipitur, et ille qui dubitationem movit tenetur ad restitutionem, quia per eum ille cecidit in foveam.

Videte: pagani multi fuerunt philosophi et multa dixerunt de his quæ pertinent ad fidem, et vix invenietis duos concordare in unam sententiam; et quicumque aliquid veritatis dixit, non dixit eum sine admixtione falsitatis. Plus scit modo una vetula de his quæ ad fidem pertinent, quam quondam omnes philosophi. Legitur quod Pythagoras primo fuit pugil; audivit magistrum disputantem de immortalitate animæ, et dicentem quod anima esset immortalis; et in tantum allectus est quod dimissis omnibus dedit se studio philosophiæ. Sed quæ vetula est hodie quæ non sciat quod anima est immortalis? multo plus potest fides quam philosophia; unde si philosophia contrariatur fidei, non est[3] acceptanda. Unde Apostolus ad Coloss. [illegible], 8 et 19: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam falsam, aut inanem gloriam vos seducat volens quæ non vidit, ambulans frustra inflatus spiritu carnis suæ, non tenens caput*, idest Christum.

Alii sunt falsi prophetæ ex falsa intentione. Sed quæ est vera intentio prophetæ? certe utilitas populi. Unde Apostolus I Cor. xiv, 13: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem et consolationem*. Ad ædificationem ut homines reddat devotos; ad exhortationem ut eos in bonis operibus reddat promptos; ad consolationem ut eos reddat in adversis[4] patientes. Si aliquis[5] de doctrina sua quærat aliud quam utilitatem populi, falsus propheta est.

Qui est episcopus suscipit officium regiminis et prædicationis, et debet quærere utilitatem populi; si vero aliud quærat, scilicet[6] lucrum temporale aut inanem gloriam, falsus propheta est, quia non servat intentionem rectam. Unde dicit Chrysostomus quod multi sacerdotes non curant quomodo populus vivat, sed quomodo offerat. Unde conqueritur Dominus in Ezechiele xiii, 19: *Violant me propter pugillum hordei et fragmen panis*. Contra quos dicit Apostolus II Cor. ii, 17: *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes[7] verbum Dei*. Et dicit Gregorius quod adulterinæ cogitationis reus est, si placere oculis sponsæ quærit per quem sponsus sponsæ dona transmittit. Adulter in muliere non quærit generare prolem, sed quærit tantum temporalem[8] delectationem. Similiter ille adulterat verbum Domini qui non quærit generare prolem spiritualem, sed solum quærit lucrum temporale aut inanem gloriam.

Item sunt aliqui falsi prophetæ per malam vitam, sicut quando quis aliter docet, et aliter vivit: tunc doctrina ejus non est accepta. Et propter hoc Christus cœpit facere et docere. Et in Luca dicitur i, 70: *Sicut locutus est per os sanctorum*.

[1] Parm.: « Veritatem. »
[2] Parm. omittit: « Ipse. »
[3] Parm.: « [illegible]. »
[4] Parm.: « In illis. »
[5] Parm.: « [illegible]. »
[6] Parm.: « Si vero aliud quærat quam lucrum temporale aut inanem. »
[7] Parm.: « Servientes. »
[8] Parm.: « Corporalem. »

qui a sæculo sunt prophetæ ejus : quasi dicat : prophetæ per quos Dominus loquitur debent esse sancti, sed[1] de quibusdam[2] conqueritur Dominus per Jeremiam xxiii, 11 : *Sacerdotes, inquit, et prophetæ polluti sunt, in domo mea vidi malum eorum.* Rogemus Dominum etc.

Collatio.

Attendite a falsis prophetis etc. Dictum est hodie de hostibus populi Christiani, scilicet de falsis prophetis ; nunc videndum est quomodo insidiantur nobis. Apostolus autem ad Corinth, aperit eorum insidias. Et similiter Dominus in Evangelio cum dicit : *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium etc.* In quo hypocrisis intelligitur, quia latibulum falsorum prophetarum latibulum est hypocrisis. Unde Apostolus ad Tim. iv, 1 : *Spiritus manifeste dicit : In novissimis diebus venient illusores discedentes a fide attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum loquentium in hypocrisi mendacium.* Si quis consideret vitam et mores, videbuntur sibi boni, qui austeram vitam ducunt,a conjugiis et cibis delicatis abstinent, sed attendunt spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum.

Attendatis quid est quod dicit : *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, Matth. vii, 15 ; oves sunt Christi fideles qui Christo obediunt. Unde in Joan. x, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt.* Vestimenta[3] ovium sunt imitationes[4] Christi. Apostolus ita dicit Eph. iv, 23 : *Renovamini in spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.* Duo tangit hic : quia justitia videtur pertinere ad proximos exterius, et sanctitas veritatis ad interiorem animæ dispositionem. Unde impletur illud Prov. xxxi, 21 : *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* Scilicet virtutibus animæ[5] interius et bonis operibus exterius[6].

Verum est quod si falsi prophetæ utramque vestem haberent, oves Christi essent. Per vestes exteriores homo accedit ad homines : et per hoc quod dicit, *Veniunt ad vos in vestimentis ovium*, intelligitur quod assumunt opera exteriora per quæ veniunt ad vos, quia per interiora opera accedunt ad Dominum.

Et notandum quod quadruplex est vestis ovium Christi ; scilicet latriæ, justitiæ, pœnitentiæ et innocentiæ. In nomine vestis latriæ est vestis divini cultus, quam oves Christi habent in hoc quod intendunt cultui divino. Istam vestem recipiunt oves Christi in baptismo. Unde Apostolus ad Galatas iii, 17 : *Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Istam vestem induunt oves Christi quando intendunt orationi. Unde in Ecclesiastico l, 12 : *In ascensu altaris incensi gloriam dedit Deo.*

Istam vestem assumunt hypocritæ propter duo ; scilicet propter inanem gloriam, et propter lucrum. Propter inanem gloriam assumunt eam publice et manifeste orando. Unde in Evangelio Matth. vi, 4 : *Qui amant in synagogis et angulis platearum orare, ut videantur ab hominibus*, et in Synagogis, idest publice. Sed numquid est id malum cum scribatur : *Benedicite Domino omnes Angeli ejus?* Dicit Chrysostomus quod non tantum tangit locum quam animum. In occulto orat qui animum non ad homines sed ad Deum habet. Si solus oraret quis in camera et vellet videri ab hominibus, publice oraret. Quid igitur prohibetur? Scilicet ne homines animum habeant ad hoc quod videantur ab hominibus orare : hoc vitandum est christianis.

Unde Chrysostomus : « orans nihil novum faciat ut ab hominibus videri possit neque clamando, neque pectus percutiendo, neque[7] manus elevando : sed si oras in societate sicut alii, in secreto oras : novos autem gestus et modos quærere pertinet ad hoc quod dicit in Synagogis orare. » Debet homo in orando conformis esse aliis, non novos modos quæ-

1 Parm. addit : « Sunt. »
2 Parm. : « De quibus. »
3 Parm. : « Nostra vestimenta. »
4 Parm. : « Imitatores. »

5 Parm. : « Interius. »
6 Parm. : « Exterius. »
7 Parm. : « In. »

rare, sicut hypocritæ qui publice orant propter inanem gloriam, et item orant prolixe[1] propter lucrum. Unde in Evangelio Matth. xxiii, 14 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui devoratis domos viduarum, orantes longas orationes*, scilicet qui orant propter hoc ut lucrum acquirant. Aliqui hypocritæ quando lucrum quærunt a mulierculis, orant longas orationes, ut eas reddant devotas, et ab eis dona recipiant.

Sed numquid malum est prolixe orare? Respondit Augustinus et dicit : absit ab oratione multa loquutio ; sed non desit multa precatio, tamen[2] si perseveret intensio ; nam hoc negotium plerumque plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu, quam afflatu.

Alia est vestis ovium Christi, quæ est justitia et misericordia ; de qua Job xxix, 14-16. *Indutus justitia sicut vestimento. Oculus fui cæco, et pes claudo, pater fui pauperum.*

Istam vestem assumunt hypocritæ[3] propter. Unde in Evangelio Matth. vi, 1-2 : *Attendite ne justitiam faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : et cum facis eleemosynam noli tuba canere sicut hypocritæ faciunt.* Chrysostomus dicit quod tuba est omnis actus vel sermo per quem jactantia demonstratur : verbi gratia, das eleemosynam sed non dares eam nisi honestiori personæ quæ tibi retribuere pôtest, tuba est.

Item vis occulte dare eleemosynam ut laudabilior[4] videatur, tuba est.

Tertia vestis ovium Christi est pœnitentia. Psal. lxviii, 12 : *Posui vestimentum meum cilicium.* Ista veste, scilicet simulatæ pœnitentiæ et austeræ vitæ, utuntur hypocritæ. Unde in Evangelio Matth. vi, 16 : *Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant faciem suam ut videantur hominibus jejunare.* Hoc quærunt et hoc appetunt ut videantur hominibus jejunare. Augustinus in hoc capitulo : nam interdum non in solo corporearum rerum nitore, sed etiam in sordibus luti posse esse pompam, et eo perniciosiorem, quod sub nomine servitutis Domini decipit. Philosophus dicit : « quod homo utetur habitu viliori quam exigat ejus status, potest pertinere ad jactantiam. » Ista exteriora sunt insignia quædam. In exercitu quilibet [illegible] portat signum suum ; portat, [illegible]. In quolibet statu debet homo mediocribus esse contentus, nec nimis abjecta quærere. Unde Augustinus : « nec nimis pretiosis, nec nimis vilibus uti debemus. » Et quare? quia in his duobus gloriam quærere possumus. De ista veste vili dicitur in Zach. xiii, 14 : *Non operientur ultra pallio saccino*, scilicet ut simulentur.

Quarta vestis ovium Christi est innocentia, quæ est vestis limpida et pulchra, ut in Prov. xxxi, 25 : *Fortitudo et decor indumentum ejus.* Istam vestem, scilicet simulatæ pietatis et munditiæ assumunt hypocritæ. Unde in Evangelio Matth. xxiii, 27 : *Væ vobis hypocritæ qui similes estis sepulchris dealbatis*, scilicet quæ apparent hominibus dealbata, *intrinsecus autem sunt plena ossibus mortuorum et omni spurcitia*, idest rapina et immunditia. Et dicit Chrysostomus : « quod turpe est apparere, turpius est esse : quod formosum est apparere, formosius est esse. » Isti sunt qui veniunt in vestimentis ovium qui non sunt oves, ut illi qui quærunt lucrum temporale et honores proprios. Unde Augustinus distinguit, et dicit quod alia est persona furis, alia lupi, alia pastoris, et alia mercenarii : quia pastor utilitatem ovium intendit, lupus et fur oves destruit, mercenarius ex ovibus proprium lucrum quærit. Augustinus : « Mercenarius est tolerandus, pastor amandus et lupus fugiendus, » et hoc est quod dicit Evangelium Matth. vii, 15 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Et notandum quod hypocritæ comparantur lupis propter quatuor[5] : quia lupi oves rapiunt, eis non parcunt, et eas dispergunt, et in sua malitia perseverant.

[1] Parm. — Publice. —
[2] Parm. omittit : — Tamen, et addit : — Intensio. —
[3] Parm. — Hypocritæ magnæ. —
[4] Parm. — Laudabiliter. —
[5] Parm. — Tres. —

Primo dico, hypocritæ comparantur lupis, quia lupi oves rapiunt, et hypocritæ rapiunt bona animæ et corporis, ponunt homines in errorem, et persequuntur eos corporaliter, et spoliant rebus. Unde in Ezechiele xxii, 27 : *Principes ejus in medio ejus, quasi lupi arripientes prædam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, et ad avare lucrum sectandum.*

Secundo[1] hypocritæ comparantur lupis, quia lupi oves dispergunt. Unde in Evangelio : *Lupus rapit et dispergit oves*, Dominus dicit : *Qui non est mecum contra me est.* Ergo et *qui non congregat, dispergit.* Sed quid est dispergere ? Certe dispergitur quis, quando ab eo quod ecclesia docet discedit.

Tertio[2] hypocritæ comparantur lupis, quia nullo modo parcunt. Unde in Act. xx, 29, dicit Apostolus : *Scio, quod post discessionem meam intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi.* Qui hominem interficeret et non parceret ei, dummodo posset lucrari unum denarium, diceretur multum crudelis. Sic faciunt hypocritæ. Melior est vita animæ quam corporis ; et hypocritæ ut habeant honores et sequaces, seducunt animas.

Quarto[3] hypocritæ comparantur lupis, quia tamquam lupi in malitia sua perseverant. Unde in Sophon. iii, 3 : *Judices ejus lupi usque ad vesperam*, idest usque in finem. Propter quatuor igitur posita falsi prophetæ tamquam lupi sunt cavendi[4].

Sed quo modo deprehenduntur lupi ? ostensum est cum dicitur : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Augustinus dicit, quod multi decepti sunt in hoc quod vestimenta ovis computant pro fructibus. Vident aliqui simplices aliquos facere bona opera exteriora et jejunare, orare, et hujusmodi quæ sunt vestes ovium, et non sunt vestes eorum propriæ : oves autem Christi non debent vestes suas habere odio si lupi eis se tegant.

Sed qui sunt fructus ovium? proprie possumus dicere quod sunt quatuor fructus ovium, ex quibus deprehenduntur lupi, seu hypocritæ. Primus consistit in affectione, secundus in locutione[5], tertius in operatione, et quartus in tribulatione. Primus est cordis, secundus oris, et tertius operis, et quartus patientiæ et fortitudinis.

Primo dico, oves Christi, sive sancti, habent proprium fructum cordis, qui est amor Dei et proximi. Unde Apostolus Galat. v, 22 : *Fructus autem spiritus, gaudium, caritas et pax :* Sed hypocritæ alium fructum habent, scilicet ambitionis, quia honores amant. Unde Isa. x, 22 : *Visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur.* Hypocritæ amant primos recubitus[6] in cœnis, et primas cathedras in Synagogis. Si aliquis vult præfigi honori ostendat exterius humilitatem, tunc vestis non respondet fructui.

Alius est fructus ovium Christi in locutione, quia boni loquuntur bonum, et de bono. Unde Apostolus ad Heb. : *Per ipsum offeramus hostiam, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Si aliquis dicat aliquid quod dissonat ejus operibus, non habet vestes similes fructui. Unde in Prov. xviii, 20 : *De fructu oris viri replebitur venter ejus.* Difficile est quod cor plenum invidia non eructet quandoque aliquid ex illo, quia *ex abundantia cordis os loquitur.* Unde Gregorius : « pravi dum recta prædicant, valde difficile est ut quandoque et ea quæ tacite ambiunt non eructent. »

Tertius fructus ovium Christi ex quo deprehenduntur hypocritæ, est bonæ operationis, quia in bonis est fructus bonus. Apostolus Rom. i, 13 : *Habetis fructum in sanctificatione.* In malis autem fructus est malus. Unde in Prov. x, 16 : *Fructus impii ad peccatum*, idest ad operationem peccati. Augustinus in quodam sermone dicit : qui sub perfectione christianitatis

[1] Parm. omittit : « Secundo hypocritæ comparantur lupis, quia lupi oves dispergunt. Unde in Evangelio : « *Lupus rapit et dispergit oves*, » Dominus dicit : *Qui non est mecum contra me est.* Ergo et qui *non congregat, dispergit.* » Sed quid est dispergere ? certe dispergitur quis, quando ab eo quod Ecclesia docet discedit.

[2] Parm. : « Secundo. »

[3] Parm. : « Quarto. »

[4] Parm. : « Cavendi. »

[5] Parm. : « Intentione. »

[6] Parm. : « Recubitus. »

insolito squalore et sordibus in se oculos hominum convertit, cum id voluntate faciat, non necessitate patiatur, ex ceteris ejus operibus cognosci potest utrum id ad contemptum ornatioris habitus aut ambitione faciat. Quandoque potest contingere ex humilitate quod homo splendidum habitum accipiat, quandoque autem ex ambitione. Considera in aliis ejus operibus, si in illis contemptus ambitionis, tunc ex humilitate facit; si non facit, ex operibus ejus cognosci potest[1], quia qui vile habitum portant ex una parte, et alia parte proferunt signa pœnitentiæ et mansuetudinis, oves Christi sunt. Si non; simulatores sunt. Unde facile, inquit, hypocritæ deprehendi possunt. Viam per quam jussi sumus ambulare laboriosa est. Hypocritæ laborare non eligunt.

Item hypocritæ ostendunt se mites, sed cum occasionem habent persequendi, tunc maxime persequuntur. Unde Gregorius: si qua vero fidei tentatio erumpat, statim lupi mens rabida habitum[2] ovilis pellis expoliat, quantum[3] contra bonos in sæviat persequens ostendit[4].

Quartum signum quo deprehenduntur hypocritæ est tempore tribulationis. Unde in Prov. xv, 6: *Pro fructibus impii conturbatio, dextrum viri per patientiam*[?] *noscitur*. Augustinus *in Sermone Domini de monte* dicit de hypocritis: cum cœperint, inquit, aliquibus tentationibus subtrahi vel negari quæ isto velamine consequuti sunt, vel consequi cupiunt, necesse est appareat utrum lupus in pelle ovina sit, aut ovis in sua. Propter hoc dicit Apostolus II Tim. ii, 21: *Si quis se emundaverit ab istis*, scilicet peccatis, *erit vas ad honorem paratum omnino*: quod nobis præstare dignetur qui cum Patre etc.

SERMO IV

DE FESTO CORPORIS CHRISTI (a)

Habitus in Consistorio pleno.

Hodiernæ festivitatis ac celebritatis, Patres Reverendissimi, memoria lætabunda nos admonet ut in laudibus sacrosancti corporis Christi maneamus exultantes. Quid enim dulcius, quid suavius mentibus electorum quam abyssum divinæ charitatis offerre, et cumulum superabundantis dilectionis extollere, et quia in mensa novæ gratiæ carnem suam in cibum et sanguinem suum pretiosum in potum filiis suis, et hæredibus regni, quod promisit Deus diligentibus se, per manus sacerdotum jugiter subministrat! Tua sunt hæc veneranda opera, Christe, cujus virtus immensa, pietas copiosa, qui in hoc sacratissimo cibo et pane supersubstantiali in memoriam priorum mirabilium venerandum prorsus et mirandum commercium invenisti ut in esca agni immaculati et incontaminati Jesu Christi assequantur remedium qui per esum ligni vetiti morbum incurrerant et amiserant immarcescibilem æternæ gloriæ coronam.

O mira circa nos, et omni laude dignissima divinæ bonitatis et largissimæ pietatis indefessa emanatio qua nobiscum in hoc sacramento universorum termino sacrificiorum usque ad consummationem sæculi indesinenter existit; et quæ filios adoptionis pane reficit Angelorum et inebriat charitate filiorum! O singularis humilitas Deo grata, et a seipso prædicata, quæ nullius formidat habitaculum, nec cujusquam, quamquam polluti, ventris hospitium! O vere solaris et nequaquam quibuscumque contaminanda spurcitiis aut inquinanda contagiis munditia puritatis, quæ mentem[5]... fœditates universas exterminat? O vere cibus spirituum beatorum, qui nos semper hic reficis et in te nunquam deficis![6] non confractus, non divisus, non consumptus, sed integer et solidus perseverans, antiqui rubi conspectionem et farinæ et olei admirandam durationem absque detrimento in hoc sacramento insinuans! O Sacramentum mirabile in quo Deus absconditur, et Moyses noster occultat faciem sub pallio operum, et in generatione et progenie venerandus! in quo

[1] [illegible]
[2] [illegible]
[3] [illegible]
[4] [illegible]
[5] [illegible]
[6] [illegible]
(a) Ex manuscripto [illegible]

virtute verborum, supplente divina actione species symbolicæ in carnem et sanguinem convertuntur; in quo subsistunt accidentia præter subjectum, et lege naturæ non confracta, et consecrationis virtute, unus et totus Christus in diversis locis, more vocis, in se existens invariabiliter et immutabiliter perseverans nihil contaminationis et diminutionis ex participatione suscipiens in singulis fragmentis hostiæ totus integer et perfectus, sicut speculum, in se toto et in suis partibus manifestat. Sub duplici autem specie a fidelibus convenienter offertur, quamquam sub utraque veraciter totus existit, ut donaret etiam hominibus utriusque partis, scilicet animæ et corporis, salutem, et revocaret ad memoriam amaritudinem geminæ passionis! O virtus ineffabilis sacramenti, quæ affectum igne charitatis accendit, et superliminaribus domus nostræ super utrumque postem sanguinem agni immaculati distillat! O vere conflictantis incolatus viaticum, et sustentatio viatorum, debilium fortitudo, antidotum infirmorum, augmentum virtutum, abundantia gratiarum et purgatio vitiorum, refectio mentium, vita debilium et unio membrorum in compage charitatis! fidei ineffabile sacramentum et charitatis augmentum, spei vehiculum, Ecclesiæ firmamentum, extinctorum fomitus, et corporis mystici complementum. Hic sunt species ligni vitæ, Domine Jesu. O pastor et pabulum, sacerdos et sacrificium, cibus et poculum electorum, panis vivus et cibus spirituum,remedium quotidianæ infirmitatis,edulium,alimonia novitatum! O sacrificium laudis et justitiæ, novæ gratiæ holocaustum, prandium bonum, non altilium, non taurorum, sed carnium pinguium et vindemiæ defecatæ, quo reficiuntur amici et inebriantur beati! O mensa, benedictione plena, mensa propositionis referta pinguedine! O mensa immensa, stupendis plena prodigiis, dulcedine omnium suavior, omni referta pinguedine delectabilior, omni odore fragrantior, omni decore elegantior, omni cibo desiderabilior, et quam Christus suis sodalibus et commensalibus ministravit, quam pater familias exhibuit filio revertenti post epulas agni typici. Lavacrum in piscinis configuratum! O pascha nostrum in quo immolatur Christus, et qui transitum vitiorum ad virtutem exposcit, et libertatem efficit spiritualium Hebræorum! O esca satiabilis non execrabilium, et quæ fidei masticationem et devotionis saporem exquirit et unionem charitatis, et non dentibus exterioribus sed fidei articulis dividentem! O viaticum peregrinationis usque ad montem virtutum viatores adducens! O panis vivus in cœlo genitus, in utero vero Virginis fermentatus, in patibulo crucis excoctus, in altari appositus, in speciebus reconditus, cor meum in bonum confirma et in semita hujus viæ consolida, mentem meam lætifica, cogitationes emunda. Hic est panis, et verus, qui sumitur et non consumitur, sumitur et non digeritur, convertit et non convertitur, reficit et non deficit, perficit et sufficit ad salutem, præstat vitam, confert gratiam, culpam remittit, enervat concupiscentiam. Cibus mentium, cibus fidelium qui intellectum illustrat, affectum inflammat, defectum purgat, desiderium sublimat. O calix suavitatum a devotis epotandus! O calix calidus, calix in Christi sanguinem confirmatio Testamenti, vetus fermentum expurga imple spiritum mentis nostræ ut simus nova conspersio epulantes in azymis sinceritatis et veritatis. O vere ferculum Salomonis, consolationis cœnaculum, præsentis tribulationis pulmentarium, alimentum delectationis, et panis æternæ felicitatis pignus, unitatis fomes, virtutum cibus, pabulum suavitatis, signaculum sanctitatis! Numquid parvitas hostiæ ad humilitatem non refertur, rotunditas ad obedientiam, ad parcimoniam exilitas, candor ad puritatem, carentia fermenti ad benevolentiam, ad patientiam, ad charitatem decoctio, ad discretionem Scriptura, sensus ad permanentiam, circulus ad consummationem? O panis pinguis et azyma, o altissimæ latibulum potestatis! Sub speciebus enim visibilibus et rebus exiguis res admirabiles et prorsus eximiæ continentur. O corpus et anima, divina substantia inseparabilis ab utroque! Cujus in hoc sacramento mirifico declarantur magnalia,

siquidem fidei ejus, bone Jesu. Accidentia sola post consecrationem subsistunt; quod sumitur, et non convertitur, non scinditur, non atteritur, quod ab omnibus totum sumitur, quantum ab uno tantum a mille, quantum a mille tantum ab uno. Quod in multis altaribus, et consecratione et confractione particulæ totum adest, quod totus tua in veritate sumitur et sanguis totus in veritate bibitur! Et tu es sacerdos et hostia, et sanctorum adest præsentia superiorum, qui tuam extollunt magnificentiam et singularem prædicant majestatem. Tua hæc est potentia, Domine, qui facis mirabilia magna solus, excedens sensum et intellectum, et ingenium et rationem et imaginationem, qui instituisti et commisisti discipulis hoc sacramentum miraculis plenum! Non accedas ergo ad mensam terribilem absque reverentiæ devotionis et dilectionis fervore; nec absque actuali pœnitentia et memoria redemptionis. Agnus enim sine macula, sine contagione et sorde peccati, in azymis est sumendus. Non desit accedentis confessionis lavacrum, fidei fundamentum, charitatis incendium, passionis æstum, probationis judicium. Sic accede ad dominicam cœnam ad mensam pinguedine plenam et virtute refertam, ut demum pervenias ad nuptias veri agni in quibus inebriabimur ab ubertate domus Dei, regem gloriæ Deumque virtutum in decore suo visuri, et panem in regno patris gustaturi, præstante Domino nostro Jesu Christo, cujus virtus et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V

IN NATIVITATE B. M. VIRGINIS. (a)

Lux orta est justo, et rectis corde lætitia, Psalm. xcvi, 12. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.* Verba ultima sunt in I Canonica beati Jacobi i, 17. Datum bonum sunt temporalia; datum melius bona naturalia, ut corpus et anima; datum optimum sunt bona gratuita et æterna gloria. Omne datum optimum, per quod intelligitur gratia, est a Patre luminum.

Gratia dicitur donum optimum ad operandum meritorie; unde in Joan. xv, 5: *Sine me nihil potestis facere.* Item gratia dicitur donum perfectum ad consequendum bonum gloriæ. Et ista a Patre luminum. Psal. lxxxiii, 12: *gratiam* in præsenti, *et gloriam* in futuro *dabit Dominus.* Quoniam igitur gratia Dei est tam efficax donum ad operandum bonum in præsenti, et assequendam æternam gloriam in futuro, in principio rogemus Dominum ut det nobis gratiam etc.

Lux orta est justo. Verbum istud est breve, et in eo multiplex sententia: et est in Psalm. xcvi, 12.

Legimus quod nativitas beatæ Virginis multis figuris in veteri Testamento est præmonstrata: et inter alias figuras tribus figuris est specialiter designata: scilicet in ascensu auroræ, in ortu stellæ, et in egressione virgæ de radice.

In ascensu auroræ designatur ipsius nativitas quantum ad ejus sanctificationem. In ortu stellæ præfiguratur quantum ad ejus virginitatis integritatem. In egressu virgæ quantum ad elevationem et magnam comtemplationem.

De ascensu auroræ, quo præfigurabatur nativitas beatæ Virginis quantum ad ejus sanctificationem, habetur in Genesi xxxii, 26, quod dixit Angelus ad Jacob: *Dimitte me: jam ascendit aurora.* Jacobo luctante coetus significatur antiquorum Patrum qui luctabantur cum Angelo duobus brachiis, scilicet fletu et oratione. Unde in Oseæ xii, 4: *Invaluit ad Angelum, et confortatus est: flevit et rogavit eum.* Sed postquam Angelus cognovit ascensum auroræ in nativitate beatæ Virginis gloriosæ, dixit: *Dimitte me*, quasi dicat: noli me amplius rogare, sed recurre ad beatam Virginem. Aurora finis est noctis præcedentis et initium diei sequentis. Similiter in ortu beatæ Mariæ Virginis nox culpæ est terminata, et dies gratiæ est inchoatus:

(a) Ex manuscripto D. Joseph. et [illegible]

unde Sedulius : dedit vitiis finem et moribus disciplinam.

Secundo præfigurata est nativitas Virginis gloriosæ in ortu stellæ quantum ad virginitatis integritatem. Unde Balaam Num. xxiv, 17 : *Orietnr stella ex Jacob, et consurget virga de Israel.* Comparatur autem ejus ortus stellæ, quantum ad virginitatis integritatem ; quia sicut stella radium emittit sine sui corruptione et sine luminis diminutione et amissione, sic beata Virgo Filium suum genuit sine violenta carnis apertione, et sine virginitatis amissione. Unde Bernardus : « merito beata Virgo sideri comparatur ; quia sicut sidus emittit radium suum sine sui corruptione, et sicut radius emissus non diminuit sideris claritatem, sic nec Filius matris Virginitatem. »

Tertio fuit præmonstrata nativitas gloriosæ Virginis in egressu virgæ quantum ad ipsius contemplationem. Isa. xi, 1 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet etc.* Virga erecta est versus cœlum : in quo signatur contemplatio beatæ Virginis, quæ superavit ista terrena et habuit cor elevatum ad superna. Unde Bernardus : oh Virgo sublimis ! in quo sublimi ? mentem erigis usque ad sedentem in throno, usque ad Dominum majestatis. Sic ergo triplici figura præfigurabatur nobis nativitas beatæ Mariæ Virginis. Fuit autem sicut aurora in nativitate, sicut stella oriens in Filii Dei productione : virga egrediens in honesta conversatione. Istas figuras David sub uno versu comprehendit dicens : *Lux orta est justo etc.* Lux terminat noctem et inchoat diem, emittit radium, nec incurrit corruptionem, et omissis inferioribus naturalibus tendit ad superiora. Cœtus autem Apostolorum in Evangelio appellatur lux. Unde Matth. v, 14 : *Vos estis lux mundi.*

Item Angeli dicuntur lux : unde in Genesi i, 3 : *Dixit Deus, fiat lux, et facta est lux.* Et dicit *Glossa* quod hoc intelligitur de spiritibus beatis, scilicet de Angelis ; et cum beata Virgo transcendat coetum Apostolorum et Angelorum, propter ipsius excellentiam competenter dicitur lux.

Item alia ratione potest appellari lux. Videmus Deum qui dicit Joan. viii, 12 : *Ego sum lux mundi :* et beata Virgo istam lucem germinavit, et impossibile est lucem generari nisi a luce, univoca generatione : ergo competenter dicitur lux. Bene igitur conveniunt sibi verba ista : *Lux orta est justo etc.*

Notantur autem hic duo specialiter. Primo ortus gloriosæ Virginis, cum dicitur : *Lux orta est.* Secundo nativitatis fructus, ibi : *Justo et rectis corde lætitia.* Lux orta est *justo*, idest Patri Joachim, sicut ejus filia, et *justo*, idest Christo orta est *lux*, idest beata Virgo tamquam specialis mater futura : vel orta est *justo*, idest pœnitenti tamquam advocata. Unde cantatur : « eia Virgo advocata nostra. »

Item lux orta est *justo*, idest justitiam exercentibus, idest activis : *et rectis corde lætitia*, idest contemplativis. Justitiam operantes dicuntur activi : ad superna elevati per contemplationem dicuntur contemplativi : et isti indigent luce dirigente ad bonam operationem, et ad Dei contemplationem. Patet modo quare beata Virgo dicitur lux, et quibus figuris præfigurata est. De hac parte : *Lux orta est justo* erit sermo : de residuo erit collatio.

Visæ sunt rationes quare beata Virgo lux appellata : addamus adhuc et alias. Videmus quod lux corporalis est origo gaudiorum, dux viatorum vel itinerantium, expulsiva tenebrarum, diffusiva similitudinis, mater gratiarnm cœlorum, speciosissima creaturarum, et delectatio et consolatio oculorum. Ista inveniuntur in beata Virgine propter quæ conspectus appellatur bonus.

Primo dico, est lux origo gaudiorum, quia existens in mari multum appetit et gaudet de luce. Unde id bene convenit Virgini quæ figuratur in Esther viii, 16. Unde dicitur Judæis, idest confitentibus, scilicet christianis qui Christum Deum et hominem confitentur, *nova lux*, idest beata Virgo, quæ dicitur lux nova, quia « nec primam visa est nec habere sequentem. » Et dicitur lux (quia) est sine tenebris peccati et ignorantiæ. Oriri visa est oculis cordis, et quomodo nunc fit oculis corporis ; gaudium, interius ; *honor* quoad

gratiosam, et loquentium quæ ad Deum. De gaudio ortus hujus dicitur Salomonis, Prov. xxiii, 25 : *Exsultet quæ genuit te*, idest beata Virgo, *(scilicet) dicetur ; lætetur quæ genuit*.

Secundo est lux (lux) et dux itineris. Similiter beata Virgo directrix est in via lucis. In Joan. xii, 35, dicitur : *Ambulate, dum lucem habetis, ut tenebræ vos non comprehendant.* (Dicit : ambulate, in bono proficiendo ; non dicit, state otiosi sicut illi de quibus dicitur in Evangelio, Matth. xx, 6 : *Quid hic statis tota die otiosi?* Non dicit : dormite, sed : ambulate, *dum lucem habetis*, idest beatam Virginem, *ne tenebræ vos comprehendant*, idest opera tenebrarum, vel tenebrosi Angeli, idest dæmones, vel tenebræ, idest infernalia supplicia. Unde Prov. iv, 18, dicitur : *Justorum semita, quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem.* Justorum semita, idest beata Virgo, quæ semita est, idest arcta et munda ; scilicet beata Virgo est munda per Virginitatis munditiam, et arcta per religionis arctationem, et recta per viæ rectitudinem. Justorum igitur semita, idest beata Virgo quasi lux, quantum ad se, splendens, quantum ad alios, procedit de bono in melius proficiendo, et crescens usque ad perfectum diem, idest usque ad gaudium æternitatis.

Tertio, lux est expulsiva tenebrarum. Similiter ad potentiam Virginis gloriosæ extirpantur vitia. Isaiæ ix, 2 : *Populus qui ambulabat in tenebris*, (scilicet ignorantiæ ante adventum Christi et nativitatem beatæ Mariæ Virginis) *vidit lucem magnam*, scilicet beatam Virginem, quæ fuit lux magna, quia sicut Filius ejus totum mundum illuminat, sic beata Virgo totum genus humanum. De ista luce dicitur in Genesi i, 3 : *Dixit Deus, fiat lux et facta est lux.* Fiat lux ad animæ beatæ Virginis creationem, et facta est lux in sanctificatione. Gen. i, 4 : *Et divisit Deus lucem a tenebris*, quia post peccatum non fecit. De ista luce dicitur in Genesi xxxii, 26 : *Dimitte me : jam enim ascendit aurora.*

In aurora fugantur tenebræ et introducitur lux. Similiter beata Virgo fugat tenebras peccati, et introducit lucem gratiæ. Etiam dicitur aurora, quasi hora rorans, quia in ejus ortu melliflui facti sunt cœli. Item dicitur aurora, quasi avium hora, quia tunc garriunt et quasi harmonicis gaudium et lætitiam adducunt aves ; sic et patres cœli lætitiam habuerunt in ortu Virginis. Item dicitur aurora, idest aurea aura, a preciositate. Unde Bernardus : « tolle solem qui illuminat totum mundum : ubi dies est? tolle Mariam, maris stellam hujus magni et spatiosi, idest mundi, et quid nisi caligo et densissimæ tenebræ relinquentur? quid ergo? si præsens est, tenebra fugatur, et si præsens est, lux inchoatur. »

Quarto est lux radiorum suorum diffusiva et communicativa. Similiter beata Virgo radios suæ gratiæ omnibus diffundit et communicat. Unde in Ecclesiastico xxiv, 26 27 : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini : Spiritus enim meus super mel dulcis etc.* *Transite* scilicet de mundi vanitate *ad me* scilicet plenam gratiæ ; vel *transite*, de mundi errore ad me habentem virtutem ; vel *transite* de deliciis ad me castitatem amantem, et a meis generationibus, idest a charismatibus gratiarum, adimplemini : non parum accipietis, videlicet multum : *Spiritus enim meus super mel dulcis*, quia beata Virgo omnibus est propitia et misericors ; unde Bernardus : « Beata Virgo omnibus sinum suæ misericordiæ aperit, et omnes de plenitudine ejus accipiunt, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam : porro Filius Dei carnis substantiam ; ut nullus sit qui se abscondat a calore ejus. »

Quinto est lux mater gratuita colorum. Sic beata Virgo mater est virtutum. Sicut colores pulchrificant corpus, sic virtutes animam, quia mater virtutum est beata Virgo. Dicitur in Eccl. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis*, scilicet quo ad Deum. Dilectio est duorum ligatio. Ligat nos cum Deo. *Et timoris*, quo refugimus peccatum. Salomon : *Justus timet, et declinat a malo. Et alibi* dicitur Eccli. i, 27 : *Timor Domini expellit peccatum. Et agnitionis*, scilicet sanctæ fidei, *et sanctæ spei*, idest spei

futuræ beatitudinis. Unde Bernardus : « si quid, inquit, est nobis virtutis, si quid salutis et gratiæ, totum ab illa novimus redundare quæ deliciis affluebat. » Hic est enim ille hortus conclusus quem divinus Auster perflavit, et fluunt amorata illius in charismata gratiarum.

Sexto, est lux splendidissima creaturarum. Similiter beata Virgo. Unde in libro Sapientiæ VII, 29 : *Speciosior est sole,* idest viro justo lucente in Ecclesia militante; et *super omnem dispositionem stellarum,* idest sanctorum in Ecclesia triumphante, *luci* comparata, idest angelicæ creaturæ, *invenitur potentior* dignitate et pulchritudine.

Septimo et ultimo, est lux delectatio et consolatio oculorum. Similiter beata Virgo est consolatio hominum. Unde in libro Sapientiæ VII, 10, dicitur, *super salutem,* qua fugatur infirmitas, *et super speciem* corporis, qua purgatur deformitas, *dilexi eam et proposui pro luce* bonæ vitæ *habere illam.* Ista lux odiosa est malis, ut dæmonibus, et delectabilis bonis. Unde beatus Augustinus dicit quod «palato infirmo panis est amarus qui sano est dulcis; et oculis ægris odiosa est lux quæ puris oculis est amabilis. » Hæc lux est amabilis intellectui qui sanatur per fidem, et affectui qui sanatur per charitatem. Nec mirum si beata Virgo est amabilis; quia de ipsa dicitur Esther II, 15, quod *erat enim formosa valde et incredibili pulchritudine, et oculis omnium gratiosa et amabilis videbatur.* Prov. XI, 16, dicitur de ipsa : *Mulier gratiosa inveniet gloriam,* scilicet æternam, ad quam nos perducat qui cum Patre et Spiritu sancto vivit etc.

Collatio.

Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. Psal. XCVI, 12. Dictum fuit hodie qualiter beata Virgo in ortu suo est lux corruscans : restat videre qualiter est lætitia rectis ; quia notatur ibi : *Et rectis corde lætitia.* Lætitia promittitur in sacra Scriptura non quibuslibet rectis, sed rectis corde, idest perfecte rectis. Sic exponemus quod intelligitur per Job. I, 1, de quo dicitur : *Erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum, et recedens a malo.* Simplex in intentione, rectus in opere. *Timens Deum et recedens a malo,* idest peccato. Unde Salomon Prov. XIV, 16 : *Sapiens timet et declinat a malo.* Et alibi. Prov. XV, 28 : *Per timorem declinat omnis homo a malo.* Tali recto promittitur lætitia.

Videndum est quod duplex est homo : unus interior, alius exterior. Et secundum hoc requiritur quod perfecte rectus habeat rectiudinem in homine interiori et exteriori. Homo interior consistit in anima : anima autem duas habet partes, scilicet intellectum et affectum. Et secundum hoc requiritur quod sit rectitudo in homine interiori : primo, ex parte intellectus, quia rectitudo est veritatis cognitio; secundo, oportet quod sit rectitudo ex parte affectus, qui est bonitatis veræ delectatio; quia cognitio charitatis rectificat intellectum, et amor veræ bonitatis rectificat affectum.

Primo, dico, cognitio summæ veritatis rectificat intellectum; unde Psal. LXXII, 1 : *Quam bonus, idest valde bonus, Israel Deus his qui recto sunt corde!* Est bonus, idest bonorum suorum diffusivus his qui recto sunt corde, idest qui habent cognitionem summæ veritatis per fidem; quia fides est lux specialis ad cognoscendum Dominum, et ea quæ sunt circa Dominum. Psalm. CXXIV, 4 : *Benefac Domine bonis* quantum ad affectum *et rectis corde,* quantum ad intellectum. Patet modo quod ad hoc quod homo sit perfecte rectus requiritur rectitudo luminis interioris, scilicet animæ ex parte intellectus.

Secundo, requiritur rectitudo hominis interioris ex parte affectus; de qua rectitudine dicit Bernardus, quod rectitudo creaturæ rationalis est conformare suam divinæ voluntati. Ista autem conformitas consistit in charitate, quæ transformat amantem in amatum, non secundum substantiam, sed per conformitatem voluntatum.

Item, plus oportet quoque omne esse rectum in exteriori homine; ad quæ tria requiruntur : primo ut sit rectus visu, sive aspectu; secundo ut sit rectus in

locutione vel affectu; tertio, ut sit rectus in incessu.

Primo, dico requiritur quod sit homo exterior rectus in visu, sive in aspectu. Unde Salomon in Prov. iv, 24 : *Oculi tui recta videant, et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*, dicit : *Oculi tui recte videant*, non solum interius sed exterius quæ licita sunt videre ; quia dicit Gregorius : « non licet intueri quod non licet concupisci. Dicit : « *Recta videant*, scilicet exempla sanctorum et bona opera proximorum *Et palpebræ tuæ etc*. Debet homo oculos deprimere ad ista inferiora et humilia. Sed quidam habent oculos elatos per superbiam et cordis elationem ; de quibus in Proverbiis vi, 17 18 : *Sex sunt, quæ odit Dominus ; et septimum detestatur anima ejus, scilicet oculos sublimes, et linguam mendacem*. Pavo quando gloriatur de cauda sua, et aspicit pedes suos, statim caudam dimittit. Similiter si aliqui boni efferantur per superbiam, quod absit, respiciant pedes suos et humiliabuntur. Dicit : *Oculi* in plurali, non uno tantum ; et dicit, *recta* non sinistra videant.

Secundo, debet homo exterior esse rectus in locutione secundum affectum. Apostolus ad II Tim. ii, 15, enim dicit : *Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis*. Loquitur prælatis principaliter, et ex consequenti omnibus aliis. Dicit : *Cura te ipsum*, per dolorem contritionis : *Exhibe te Deo operarium verbum inconfusibilem*, scilicet qui non sit dignus confusione, sed laude et remuneratione. Talis est qui utilia dixit. Sed mali digni sunt confusione. *Recte tractantem verbum veritatis*. Quidam non recte tractant verbum veritatis ; scilicet illi qui propter gloriam aut honorum excellentiam prædicant, vel ad propriam jactantiam ; sed recte tractant qui ad hoc tractant verbum veritatis ut Deus glorificetur, proximus ædificetur.

Audivi de quodam magistro in Theologia qui per viginti quinque annos rexerat, et per viginti annos, ut confessus fuit in morte (quod), plus rexit propter vanam gloriam quam propter Dei commendationem et proximi ædificationem.

Gladius pulcher, qui ordinatus est ad secandum, si quis utetur eo ad fodiendum fimum, male utetur eo, quia non utetur eo respectu finis ad quod ordinatus est. Similiter verbum veritatis ordinatum est ad Dei laudem et proximi ædificationem. Qui igitur alio modo vel fine utitur, male utitur. Propter hoc dicitur Eccli. xxviii, 20 : *Verbis tuis facito stateram*, idest pondera verba tua si sint ad laudem Dei, vel non; vel si sint nociva proximo vel non : *Et frænos ori tuo rectos*. Rectum est frænum quando non est plus ex una parte quam ex alia : sed quando est laxum ex una parte, et ex alia multum stringit, tunc non est rectum. Sed aliquando unus etiam recte tenet frænum oris in prosperitate, sed in adversitate blasphemat et murmurat : de quibus in epistola Jacobi i, 26 : *Si quis putat se esse religiosum, et non refrænat linguam suam* a verbis malis, et blasphemat, *vana ejus religio est*.

Tertio, debet omnis homo exterior esse rectus in intellectu. Unde Apostolus ad Hebræos xii, 13 : *Rectos facite gressus pedibus vestris*, scilicet et mentis et corporis, *ut non claudicans quis erret* per infidelitatem in intellectu, *magis autem sanetur*, scilicet per gratiam divinam. In affectu aliquis claudicavit in duas partes ; unde in libro III Regum xviii, 21 : *Ut quid claudicatis in duas partes? si Dominus est, sequimini ipsum*. Aliqui claudicant in uno pede qui habent veram fidem in intellectu, et odium boni ex parte affectus.

Utroque pede claudicant qui habent errorem infidelitatis in intellectu, et odium bonitatis in affectu ; vel qui sunt elati tempore prosperitatis, et murmurant tempore adversitatis. Propter hoc dicit Apostolus Hebr. xii, 13 : *Rectos facite gressus pedibus vestris etc*. Scilicet ut adsit humilis patientia, fides vera, et bonus amor. Si igitur habemus hominem rectum ex parte hominis interioris et ex parte hominis exterioris, talibus promittitur lætitia.

Sed dices : qui descripsit rectos corde, qualiter non similiter rectos corpore, vel rectos gressu vel visu? Ratio et quia quando (est) rectitudo in homine in-

teriori, tunc est rectitudo in homine exteriori; quia Matth. vi, 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex,* idest sine plica duplicitatis, sive erroris, *totum corpus tuum erit lucidum,* idest tota congeries operum tuorum erit bona et recta. Quia igitur homo exterior dependet ab homine interiori, ideo descripsit tantum rectum corde et non corpore. Patet modo qui sint recti.

Isti recti scitis quid faciunt? Tria Domino rependunt : primo, vitam corrigunt; secundo Dominum diligunt; tertio, Dominum benedicunt, et pro beneficiis sibi a Deo collatis gratias Domino referunt.

Primo dico, vitam corrigunt : unde in Proverbiis : *Impius,* qui non habet pietatem ad Dominum, nec compassionem ad proximum, *effrænat,* idest non frænat, *vultum,* idest animum, *pertinaciter,* idest imprudenter et irreverenter; *qui autem est rectus corrigit viam suam* per prævidentiam. Talis est qui est rectus rectitudine justitiæ ad proximum, et rectitudine contemplationis ad Deum. Sed impius effrenat vultum ne mandatum Dei recipiat, vel si recipiat, opere non adimpleat.

Secundo, recti corde Deo adhærent per dilectionem. Unde in Cant. i, 4 : *Recti diligunt te.* Psalm. xxiv, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi,* scilicet per fervorem et habitum caritatis.

Tertio, recti corde Domino pro beneficiis acceptis gratias referunt; unde in Esdræ ultimo (III Esdr. ix, 46), scilicet quando *Esdra absolvisset legem, steterunt omnes recti.* Cum absolvisset legem, idest absolute legisset et exposuisset. Lex dicitur quia non ligat; *sed et benedixit Dominum altissimum,* Dominum Sabaoth omnipotentem; et respondit omnis populus : amen. Etiam sequitur. *Et congregati sunt omnes in Jerusalem celebrare lætitiam* ad quam etc.

DOMINICA IN ROGATIONIBUS

MAGISTRI THOMÆ HAQUIN

SERMO ANECDOTUS [a]

Petite et accipietis. — Dicit Apostolus ad Romanos quod orare debeamus sæpius ignoramus. Ideo advocatus noster Jesus Christus de quo Johannes in canonica sua : *Advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum, et hunc justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, iste advocatus invitat hodie nos ad petendum, et promittit nobis dare, imo jurat nobis dare, dummodo petamus in nomine Salvatoris quæ sunt necessaria nostra saluti. Unde in principio evangelii hodierni ita dicitur : *Amen, amen dico vobis si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Iste advocatus noster incitat nos ad petendum, et docet nos formare petitionem nostram. Secundum hoc in verbis istis tria tangit. Primo ad petendum nos invitat : *Petite*; secundo, de impetrando nos assecurat ; *Et accipietis*; et tertio ut recte petamus quod nobis est necessarium certificat : *Ut gaudium vestrum*, ait, *sit plenum*, quia alibi dicitur : *Omni habenti dabitur, et abundabit*, et in Lura : *Petite et accipietis ; quærite et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis. Petite confidenter, et accipietis* donum fortunæ quo corpus sustentatur ; *quærite* diligenter, et *invenietis* bonum gratiæ quo anima reficitur ; *pulsate* incessanter, *et aperietur vobis* janua gloriæ, ut gaudium vestrum impleatur.

Primo ergo invitat nos Dominus in verbis istis ad petendum, in quo notatur summa ejus curialitas, qui ita curialiter ad petendum nos invitat.

Quatuor autem sunt quæ multum nos debent movere ad petendum : primum, nostra inopia et necessitas ; secundum, summa Christi liberalitas ; tertium, petendi temporis opportunitas ; quartum, impetrandi securitas.

Primum dico quod debet nos movere ad petendum est nostra inopia, seu necessitas. Nihil enim habemus boni a nobis, sed ad Deo. Apostolus : *Quid habes*, scilicet boni, *quod non accepisti. Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* Peccator nihil habet a seipso, nisi peccatum suum, et qui in peccato mortali est perdit totum quidquid facit, quia ut ait Jacobus in canonica sua : *Si quis totam legem servaverit, offendat autem in uno, reus omnium factus est.* Qui offendit Deum, mandata ejus transgrediendo, ita damnabitur pro uno peccato, sicut pro pluribus. Vel, *qui offendit in uno*

(a) Ex cod. Regio Parisiensi, [illegible]

largitore omnium bonorum Christo, *reus omnium factus est*, id est, omnium malorum detrimentum patietur. Vel, *qui offenderit in uno*, scilicet contra præceptum charitatis, quia charitas est mater omnium virtutum, *factus est* aliarum virtutum *reus*, sicut qui patrem familias offendit, per consequens et totam familiam. Peccator ergo qui jacet in multis peccatis in magna miseria est positus, quia non cognoscit suos defectus, quem plane redarguit Johannes in Apocalypsi : *Dicis quia dives sum, et locuples, et nullius egeo, et nescis quia miser es, et miserabilis, et pauper, et nudus, et cæcus. Dicis quia dives sum* in scientiis, *locuples* in divitiis, *nullius egeo*, quia sanus et fortis, *et nescis quia miser es* per culpæ commissionem, *miserabilis* per bonorum gratuitorum amissionem, *pauper* per virtutum spoliationem, *cæcus* per tui non cognitionem, *nudus* per infamiam. Omnia mala facit peccatum. Ergo ad petendum primo nos debet movere nostra inopia et necessitas quæ tanta est quod nihil boni habemus a nobis, imo solum peccata et defectus, et quidquid boni habemus, a Deo habemus.

Secundum quod debet nos movere ad petendum est summa Christi liberalitas. Ipse est enim bonorum omnium largissimus distributor, qui signatur per illum regem Assuerum, de quo legitur quod dixit Esther reginæ. « *Si dimidium regni mei petieris, dabo tibi.* » Iste non dat amicis suis partem regni sui, sed totum regnum suum. Ille regnavit super centum viginti provincias, iste regnat super totum mundum. Ergo plus quam Assuerus. Ipse est qui dat curialiter, generaliter, abundanter. Ista tria notantur in quadam auctoritate quam dicit Jacobus : *Dat omnibus abundanter, et non improperat. Dat*, non vendit : ecce curialitas ; *omnibus* : ecce abundantia ; *et non improperat* : ecce libertas. Donum ejus non est donum insipientis de quo dicitur : *Donum insipientis non erit tibi utile ; dabit, et improperabit tibi.* Ibi non habet locum illud vulgare dictum : « Ad bonum petitorem, bonum refutatorem ; » sed : « Ad bonum petitorem, largissimum datorem. » *Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.* Datum bonum est donum fortunæ : datum melius, donum naturæ ; *optimum*, donum gratiæ ; *perfectum*, donum gloriæ. Ipse dat omnia ista dona. Plus paratus est dare quam nos accipere, de quo Gregorius : « Erubescat humana pigritia, quia plus vult Deus dare quam nos accipere; plus vult misereri, quam nos a miseria liberari. » Et tamen, cum tanta sit ejus curialitas, de quibusdam conqueritur qui nolunt petere, cum dicat Beatus Gregorius de eo : « Non se denegat qui se offert omnibus petentibus multum dare. Scit enim quia multum indigemus. Sine eo nihil possumus. »

Tertium quod debet nos movere ad petendum est temporis opportunitas. Qui habet aliquid facere in curia alicujus principis servat tempus opportunum, quando Dominus est lætus, et familia læta. Sic modo tempus est opportunum petendi, quando Dominus noster Jesus Christus per carnis nostræ representationem vadit ad curiam cœlestem, rogaturus pro nobis Patrem. Unde modo sunt Dies Rogationum, in quibus vult Deus quod rogemus eum, quia, ipso ascendente in cœlum, lætantur angelici cives, et omnes cœli barones. Et ideo, quia tempus est modo opportunum, non expectemus cum divite epulone, qui tarde petiit guttam aquæ, nec impetravit ; nec cum fatuis virginibus quibus clausa est janua. Propter hoc dicitur in Psalmo : « *Venit tempus miserendi ejus. Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Pro hac*, scilicet peccatorum remissione, ut Deus remittat peccata nostra. Ad hoc enim datus est Spiritus Sanctus, et ad hoc est petendus. Unde in Matthæo : *Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se.*

Quartum est impetrandi securitas, et istud sequitur ex tribus primis habitis, quia ex quo est tanta inopia nostra et necessitas, tanta Dei benignitas, et ad petendum temporis opportunitas, patet haberi impetrandi securitas. Unde in canonica Johannis : *Hæc est fiducia quam*

habemus ad Deum, ut quodcumque petierimus, audiet nos. Glossa dicit : « Si petamus necessaria saluti nostræ. »

Verum quia hodie multi ad petendum et orandum sunt pigri, hæc duo alia super omnia movere nos debent ad petendum, scilicet orationis pretiositas et ingruens necessitas. — Pretiositas, quia cum ista tria bona, jejunium, eleemosyna, oratio, sint nos ordinantia ad vitam æternam habendam, oratio est dignior, quia jejunium et eleemosyna sunt respectu ejus quod est juxta nos, oratio est respectu ejus quod est supra nos. Unde est dignior, quia ad Deum vadit, et ibi mandatum peragit quo caro pervenire nequit.

Necessitas orandi patet ex tribus propter quæ clamant homines, propter ignem, aquam, latrones. Ignis luxuriæ nos infestat ; aqua avaritiæ nos molestat ; latrones infernales nos infestant et molestant ; et ideo quia tot in præsenti habemus impugnatores, frequenter ad Deum debemus mittere orationes, ut in præsenti audiat nos per gratiam, in futuro largiatur nobis vitam æternam.

COLLATIO

Petite et accipietis. Dictum est in primo sermone quod multa sunt quæ nos debent movere ad petendum. Verum quia multa sunt per quæ potest frustrari petitio nostra, ideo in isto sermone possumus ponere septem impedimenta, per quæ frustratur petitio nostra. Primum impedimentum est propter petendi indiscretionem. Secundum, propter petentis hæsitationem, seu dubitationem. Tertium, propter petentis immunditiam et indignitatem. Quartum, propter hypocrisim. Quintum, propter odium et rancorem. Sextum, propter ad proximum duritiam. Et septimum, propter divinæ legis contemptum et inobedientiam.

Primum ergo impedimentum est propter petentis indiscretionem. De isto dicit Jacobus : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis*, id est, indiscrete, sicut petiit mater filiorum Zebedæi ut unus sederet ad dexteram ejus, alius ad sinistram in regno suo ; quibus respondit Dominus : *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem bibiturus sum ?* hoc est, pati similem passionem quam ego passurus sum ? *Possumus*, dixerunt ; et Dominus : *Calicem meum bibetis ; sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis*... Glossa : « Sine meritis procedentibus. » Augustinus contra illos qui petunt honorem sæcularem ita dicit : « Cum ea quæ Deus laudat et promittit petitis, secure a Deo petite, quia Deus illa concedit ; quando autem temporalia petitis, cum discretione petite. Utrum nobis prosint an obsint, melius scit Deus quam homo. » Multi tamen libentius petunt Deum propter temporalia quam propter æterna, et omnes tales indiscrete petunt, quia non est Dei dare tam parvum donum, sicut non decet regi Franciæ dare obolum. Vel tales libenter non audit Deus, quia non est eis commodum suum, sicut pueri orant ne verberentur in scholis, qui tamen non exaudiuntur.

Secundum impedimentum quare aliquis non exauditur, est propter hæsitationem suam, seu dubitationem. Contra quos Jacobus : *Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat similis est fluctui maris qui a vento movetur.* Non ergo existimet homo ille aliquid accipere a Deo. Gregorius : « Indignus cœlesti benedictione efficitur, qui dubio quærit Dominum. » Hoc est quod dicit Joannes in canonica sua : *Omnia quæcumque petieritis in fide, credite quia accipietis.*

Tertium impedimentum est indignitas petentis et immunditia. Hoc est quod dicit Isaias : *Cum multiplicaveritis orationes vestras, non exaudiam vos* ; reddit causam : *Manus enim vestræ*, hoc est opera vestra, *sanguine*, hoc est peccato, *plenæ sunt*, etc. ; *Nos inique egimus, et ad iracundiam te provocavimus ; idcirco inexorabilis es.* Contra tales in Psalmo : *Si iniquitates quæ sunt in corde meo*, Glossa : « Consideras, » *non exaudies* ; Glossa : « Illa puritas orationis a Deo exauditur. » Pura autem est oratio quam suo tempore non intervenit cura sæculi. Longe est animus a Deo quando curis sæcularibus est occupatus. Prior ergo purgandus est animus, et a curis sæcu-

laribus sequestrandus, ut acies mentis ad Deum dirigatur. Exemplum habemus in oculo corporali. Si immundis et ribaldis non daret Episcopus Parisiensis præbendas Ecclesiæ suæ, quomodo Pontifex cœlestis voluptuosis dabit præbendas gloriæ.

Quartum impedimentum est propter hypocrisim et simulationem. Hypocrita enim ore clamat, et corde tacet. In quorum persona Isaias : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Gregorius : « Vitam æternam si ore quærimus, et corde non desideramus, clamando tacemus. » Unde in persona hypocritæ notabile verbum dicit : « Hypocrita, ait, clamat cum ipsum tribulatio rerum temporalium angustat, quem tempore opportuno Deus non audit quia tempore pacis clamorem Domini non audivit. »

Quintum impedimentum est propter odium cordis et rancorem. In Ecc. : *Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam.* Nullus a Deo recipit veniam, nisi fratri suo relinquat rancorem. Exemplum in Evangelio de illo servo nequam cui dictum est a Domino suo : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne oportuit misereri conservo tuo, sicut et ego tui misertus sum ? et jussit tortoribus tradi, donec redderet universum debitum.* Et concludit Evangelista : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque de cordibus vestris.* Hoc est pactum quod facit Dominus nobiscum : *Dimittite, et dimittetur vobis*, aliter non. Ideo *in oratione Dominica : dimitte nobis*, etc.

Sextum impedimentum est propter duritiem ad proximum, sicut isti divites qui tot habent de bonis hujus mundi, et nihil volunt dare pauperibus Christi ; tales quia non faciunt misericordiam, nec invenient post mortem a Deo, sicut dives epulo in inferno non impetravit guttam aquæ, quia Lazaro pauperi de mica panis noluit subvenire.

Septimum impedimentum et ultimum est propter legis divinæ contemptum et inobedientiam. In Ecc. *Qui obturat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis*, id est, non audietur in consistorio curiæ cœlestis, sicut aliquis excommunicatus non auditur in curia alicujus judicis sæcularis.

Nota quod super omnia istud valet ad impetrandum homini consideratio fragilitatis propriæ, et consideratio bonitatis divinæ. Unde Isidorus : « Cum coram Deo ad orandum assistimus, gemere et flere debemus, recolentes quam multa et gravia sunt peccata quæ commisimus, quam crudelia inferni supplicia quæ meruimus, quam incomparabilia gaudia quæ expectamus. » Latrones et trutanni docent nos orare. Latro attendens quid fecit et tormentum sibi præparatum, inter ista duo cum multis lacrymis misericordiam petiit. Trutanni membra infirmiora et turpia ostendunt aliis, et sana abscondunt, ut alios moveant ad pietatem. Sic nos infirmitates nostras, peccata nostra, in præsenti Deo ostendamus, ut nos in præsenti audiat per gratiam, in futuro conferat vitam æternam. Amen.

I

Sermo S. Thomæ Aquinatis in Dominica prima Adventus coram universitate parisiensi (1).

Cœlum et terra transibunt. Matth. xxiv, 35. Fratres carissimi, quanta sit delectatio, quanta sit amœnitas, quanta sit suavitas in verbis sapientiæ cœlestis, patet etiam per Philosophum naturalem qui de creata, scilicet, scientia, X *Ethic.*, hoc scribit : « omnes delectationes aliquando sequuntur : maxima autem delectatio, quæ est secundum operationem sapientiæ, delectabilissima operatio quæ est secundum operationem sapientiæ. » Philosophus etiam theologicus scribit, Sap. vii, 7 : quod *super aurum et super speciem dilexit eam*, idest cœlestem sapientiam de qua agimus. Ea propter rogabimus in principio Dominum nostrum Jesum Christum omnis sapientiæ fontem, ut ipse, qui secundum beatum Dionysium, VII, cap. I, *Angelicæ hierarchiæ*, est principalis instructor omnium cœlestium spirituum et devotarum animarum, ut intelligentias nostras irradiet, corda inflammet, et ora fœcundet ad honorem nominis sui, sive evangelicam doctrinam et ædificationem animarum nostrarum.

Cœlum et terra transibunt etc. In verbis istis, quæ Salvator noster providissimus et clementissimus suarum ovium saluti pie consulens ad cautelam futuri judicii discipulis suis in persona omnium fidelium commendavit, littera prætermissa, quia plana est, describitur justi et injusti conditio, dum *cœli* nomine ponitur cœlestis viri mira sublimitas, et *terræ* nomine ponitur mundani hominis digna vilitas, et per verbum *transibunt* caute ponitur utrorumque distincta qualitas.

Describens ergo cœlestis viri sublimitatem miram et eminentiam dignam appellat eum cœlum. Considerandum autem quod cœli nomine cœlestis homo significatur. Propter hoc quod est cœlum :

Luminosæ magnitudinis, sicut probat Philosophus II *de cœlo et mundo*. In quo ostenditur quod vir justus debet esse luminosus per cœlestem sapientiam. Ecclesiastici xxiv, 6 : *Ego feci in cœlo ut oriretur lumen indeficiens.*

Speciosæ figuræ, sicut probat Philosophus II, *de cœlo et mundo*, in quo ostenditur quod vir justus debet esse circularis per capacem misericordiam, sive orbicularis per pietatem latam, et caritatem perfectam. Ecclesiastici xxiv, 8 : *Girum cœli circuivi sola*, dicit æterna sapientia.

Causativum motus, sicut probat Philosophus, VIII *Physicorum*. In quo ostenditur quod vir justus debet esse semper motus per specialem diligentiam. Job. xxxviii, 37 : *Quis enarrabit cœlorum rationem, et concentum cœli quis dormire faciet?*

Altum situ, sicut probat visus et effectus. In quo ostenditur quod vir justus debet (esse) excelsæ sanctitatis per eminentiam, quia Ecclesiastici xliii, 1 (dicitur) : *Altitudinis firmamentum*, idest altitudo firmamenti, *pulchritudo ejus* etc.

(1) Ex [illegible] D. Uccelli.

Comparatur nihilominus homo mundanus terræ, ratione :

Capacitatis intelligentiæ. Genesis I, 2. *Tenebræ erant super faciem abyssi. Terra autem erat inanis et vacua.*

Infirmitatis avaritiæ. Coloss. III, 2. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Ps. XLIII, 24. * *Adhæsit in terra venter noster.*

Ariditatis malitiæ. Genesis I, 10. *Et vocavit Deus aridam, terram.*

Immutabilitatis animæ, sive vitæ, sive sententiæ. Ecclesiastes I, 4. *Terra* vero in æternum stat.* Et præmittitur : *Generatio præterit* bonorum, *et generatio* justorum *advenit.* Quare? (quia) malus non corrigitur vel mutatur. * autem.

II

Sermo S. Thomæ de Aquino, in dominica prima Adventus in domo Prædicatorum Bononiæ coram universitate [a].

Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Rom. XIII, 12. Apostolus Christianorum Doctor et dux in fide et veritate in tempore hoc Domini nostri gratiosi adventus per verba ista, sive in his verbis, informat ad duo, scilicet ad liberalem horrorem omnium mundialium macularum et vitiorum, et ad honorabilem amorem sive assecutionem cœlestium virtutum.

Primum facit cum dicit : *Abjiciamus opera tenebrarum.*

Secundum cum subdit : *et induamur arma lucis.*

Circa primum nota, quod opera et vitia mundi tenebrosa dicuntur : et ideo abjicienda.

Quia in eis est manifestus defectus sapientiæ ad cognoscendam veritatem. Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non * cognoverunt.*

Quia in eis est manifestus defectus prævidentiæ ad præcavendum malum. Sap. XVII : *Tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt.*

Circa secundum nota, quod opera Evangelii et charismata Spiritus Sancti sunt nobis arma contra mundum, carnem, et diabolum, et constituunt in luce.

Quia per effectum gratiæ illuminantis instar lucis faciunt nos agnoscere divinum secretum. II Cor. IV, 6 : * *Deus autem, qui dixit de tenebris lucem splendescere etc.* * Quoniam Deus.

Quia per effectum gratiæ conciliantis instar lucis pacificant quod inter nos gestamus bellum. Proverb. VI, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux etc.*

Quia per effectum gratiæ honestantis instar lucis decorant nos, et in nobis totum universum. Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.*

(a) Ex recensione D. Uccelli.

III

[illegible]

Convertimini ad me, et salvi eritis.

(Isa. xlv, 22.)

Videns Dominus quod quasi per totum annum ipsum dimisimus, imo, quod pejus est, ipsum tota virtute et toto corpore tanquam proditores impugnavimus, patrem filius, dominum servus, medicum infirmus, rogat nos ut convertamur ad ipsum tanquam ad dominum; in quo patet ejus misericordia, qui primus rogat nos de pace facienda. Unde illud Jer. iii, 22: *Convertimini ad me, filii, revertentes, et ego revertar ad vos.* Certe si judex furem, et dominus servum proditorem primo invitaret ad pacem, magna esset benignitas. Nos autem licet simus de familia sua, de mensa sua, de pane suo, et de suo vino, non tanquam servi emptitii, sed tanquam servi conductitii contra ipsum tota die pugnamus, et nihilominus contra ipsum ejus stipendiis militamus. Secundum illud Jerem. viii, 6: *Attendi et auscultavi, nemo quod bonum est loquitur; nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo dicens: quid feci? omnes enim conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in praelium.* Quasi dicat Dominus: licet ego vos proditores meos expectaverim, et vos non voluistis emendam facere, nec delictum vestrum recognoscere, imo, quod pejus est tanquam equus effrenatus adhuc non cessatis contra me currere, ego tamen adhuc rogo vos quod convertamini ad me: quod quidem signum est immensae misericordiae. (Eccl. xvii, 28): *Quam magna misericordia Domini et propitiatio illius convertentibus ad se!* quasi dicat valde magna misericordia, quia Dominus modo proditores suos et adversarios statim si vellet posset occidere, et tamen rogat quod convertantur, et paratus est totum remittere. (III Reg. viii.) Si in loco isto egerint poenitentiam a via sua mala, et conversi fuerint tu exaudies eos de coelo, et dimittes peccata servorum tuorum. Et propter hoc dicit: *Convertimini.*

Sed nota quod sacra Scriptura peccatorem converti praecipit infra se, ut timeat; intra se, ut lugeat; circa se, ut videat; retro se, ne pereat; ante se, ut caveat; supra se, ut pareat, idest obediat.

Peccatores igitur infra se converti dicuntur, ut damnatorum tormenta videant, sicut fures patibulum, ne praesumant de caetero committere furtum, tandem expectantes consimile judicium. Propterea dicit Ps. ix, 28: *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quae obliviscuntur Deum.* Ecce qui dicuntur converti, et ubi et quare. Qui dicuntur converti, sunt peccatores, quia si conversi non fuerint comprehendentur in peccato suo, sicut fur in furto suo, qui dum non sperat comprehenditur et suspenditur. Et juste quondam judex rogat eum de pace facienda, et converti non vult a malitia sua. Propter hoc dicitur Ezech. xxxiii, 9. *Si annuntiante te ad impium ut a viis suis convertatur, non fuerit conversus a via sua; ipse in iniquitate sua morietur*, hoc est in delicto suo comprehendetur et morti adjudicabitur. Sed quo converti debent? in infernum: *Convertantur* inquit, *peccatores in infernum*, considerantes quod ibi inveniunt pessimum hospitium, et hospitem malum, et aeternum supplicium. Certe stultus esset qui propter unum parvum feudum omni tempore suo vellet in miseria vivere, malam societatem habere, fel et sulphur et quaecumque sunt amara per totum tempus vitae suae comedere. Tales sunt peccatores, qui propter minimam delectationem ignem merentur aeternum, et infinitam amaritudinem tormentorum. Et propter hoc bonum esset eis quod converterentur in infernum, et dimitterent peccatum suum. Nota exemplum de Fulcone Massiliensi (*b*), qui dum quaereret a seipso: quo vadis Fulco? et diceret ei conscientia quod iret in infernum ibi perpetuo moraturus, conversus est et factus est monachus albus, et postea Massiliensis episcopus. Et propter hoc Dominus dicit

(a) Ex sermone D. [illegible]

(b) Episcopus Massiliensis XXX.

Ezech. xxxiii, 11 : *Convertimini a viis vestris pessimis. Et quare moriemini, Domus Israel?* Convertimini et vivite. Sed quare dicuntur converti, qui obliviscuntur Dominum? *Convertantur*, inquit Psalmista Ps. lix, 18, *omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.* Sunt enim tales sicut fur, qui dum furtum facit de judice non cogitat, et subito deprehenditur et suspenditur. Sed mitius tamen agit cum ipsis judex cœlestis, quam terrestris. Judex enim temporalis statim suspendit furem comprehensum et devictum vel convictum. Judex autem cœlestis expectat ipsum cognitum et confessum. Et propter hoc dicit Dominus Ezech. xxxiii, 11 : *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat.* Hæc est salva vita. Quantumcumque deliquerit se reddat. Sic igitur peccatores converti debent infra se, ut timeant.

Item converti debent intra se, ut lugeant. Sicut usurarius, vel aliquis dives dum redit ad domum suam, et invenit in ea pro tritico lolium, pro argento fimum et pro victualibus multitudinem lapidum, et tunc qui paulo ante prædives fuerat, erit ad paupertatem reductus, se miserum et nudum clamat ; tales sunt peccatores, qui dum essent in gratia, bonis omnibus abundabant ; quando autem sunt in peccato, dum recurrunt ad conscientiam tamquam ad domum propriam, inveniunt eam omni bono vacuam, et omni malo plenam, et pro multitudine virtutum congeriem lapidum, hoc est, multitudinem peccatorum inter se et Deum murum facientium. Et hoc est quod dicitur cuidam Apocalyp. iii : *Tu dicis quod dives sum, et nullius egeo, et nescis quia pauper es, et nudus, et cæcus.* Hæc autem conversio figuratur III Regum xx, ubi dicitur quod venit Isaias ad Ezechiam ægrotantem, et dixit ei :
ræcipe. *Dispone* * *domui tuæ quia morieris, et non vives*, qui convertit faciem suam ad parietem, et flevit fletu magno. Domui suæ disponit, qui peccatum sordes de conscientia projicit ut cum venerit Dominus non dormiat in luto sed in lecto. Indecens enim esset regem in stabulo ponere. Ad parietem se convertit, qui congeriem peccatorum advertit. Peccator enim quot peccata mortalia facit tot lapides in carcere diaboli ponit, et se ipsum recludit. Imo diabolus ipsum tenet in carcere captum, et egredi non sinit. Thren. iii 7 : *Circumædificavit adversum me ut non egrederer, aggravavit compedem meum. Conclusit vias meas lapidibus quadratis* *. Incarceratur peccator in * quad
consensu, comprehenditur in consuetudine, concluditur et immuratur in obstinatione. Propter hoc bonum est convertere se ad istum parietem et magno fletu sicut Ezechias. Fletus enim contritionis lavat sordes conscientiæ, et in metu suo confringit et ejicit lapides ; imo quod plus est, subvertit parietem, idest peccatorum congeriem, et facit pacem inter furem et judicem, hoc est, inter Deum et peccatorem, quod patuit in ipso Ezechia, quoniam cum se convertisset ad parietem et flevisset, misertus est Dominus ejus, et sanavit eum. Quod figuratum est Lucæ xxii, 61, ubi dicitur : *Conversus Dominus respexit Petrum.* Sequitur : *Et egressus foras Petrus flevit amare.* In quo patet summa benignitas Redemptoris, qui quantumcumque deliquerimus facit pacem nobiscum, quando convertimur ad cor nostrum gementes et plangentes peccatum nostrum. Imo, quod plus est, prius interpellat de pace, quem videt super peccato perfecte pœnitentem, secundum illud Ps. lxxxiv, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus meus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor*, hoc est ad propriam conscientiam, cognoscentes et plangentes malitiam propriam.

Converti debent peccatores circa se, ut videant enormitatem peccatorum, et peccantium qui in mundo sunt. Ezech. viii : *Fili hominis, putas ne, vides tu abominationes magnas quas isti faciunt, ut recedam a sanctuario meo? Et adhuc conversus videbis abominationes majores. Ingredere ergo et vide quas faciunt hic. Ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio et universa idola domus Israel, in pariete depicta.* Reptilia, ore et ventre terram amplexantia, et laborioso super terram reptantia significant avaros, quorum to-

ta vivunt, totus nisus est in temporalibus acquirendis ; animalia super omnem pecudum pinguescentia se, sicut sunt porci verres et bajuli, nec non et lutosa sive paludosa demorantia, quibus significat et luxuriosos, qui sicut animalia bruta nec tempora nec horas observant, sed passim et indifferenter se ingurgitant, et in turpitudinibus suis tamquam jumenta jacent, et in immunditiis crapulæ et luxuriæ dormire non erubescunt, sed imaginem illis Dei proprio sanguine lotam et redemptam polluere præsumunt. Idola vero, superbos et hypocritas appella, qui statura sunt magni, sicut statuæ vel idola, intus vero sunt putridi et omni corruptione pleni, sicut sunt imagines cooperta, quæ plenæ sunt intus vermibus et exterius deauratæ. Et hæc tria sunt, ad quæ nos jubemur convertere, ad avaros, ad voluptuosos et ad præsumptuosos, non ut imitemur, sed ut detestemur, qui totaliter aversi sunt a creatore, et conversi per amorem ad suam inferiorem creaturam. Quod significatum est Ezech. VIII, 15, post verba proposita, ubi dicitur : *Adhuc conversus videbis abominationes majores his. Et vidi in atrio templi Domini quasi viginti quinque viros dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem.* Ad litteram enim tales vix una hora volunt ire ad ecclesiam, conversi totaliter ad prosperitatem mundanam, quibus statim comminatur Dominus dicens : *Numquid leve est hoc domui Juda, ut facerent abominationes istas, quia replentes terram in iniquitate conversi sunt ad irritandum me ?* Sequitur 18 : *Ego faciam in furore meo : non parcet oculus meus, nec miserebor.*

Item converti debent peccatores retro se, ne pereant. Peccator enim de peccato currit ad peccatum ; quia diabolus trahit ipsum sicut carnifex porcum suum, vel luctator lubricus ursum, et non advertit incommodum quod sequitur ipsum ; quia se non convertit retrorsum, hoc est non respicit post tergum suum, sicut de anima pœnitente dicitur Tren. I, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est ; omnes qui glorificabant eam spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus.* Supple, quam ipsa non videbat. Sicut simia vel capra, quæ posteriora sua non videt, sed videntur ab aliis. Sequitur : *Ipsa autem gemens conversa est retrorsum.* Si enim simia turpitudinem suam videret, vel ipsam cognosceret, procul dubio simul et verecundata gemeret et doleret. Nec solum converti debet peccator post terga, ut pudibunda videat, sed ut arcum extensum ad percutiendum advertat, et devitet secundum illud Ps. VII, 13 : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum etc.* Tria tangit : gladium, arcum et sagittas. Gladium est ultio manifesta in præsenti, quod frequenter percutit obstinatos subito dum non sperant ad interitum deducendos. Unde Dominus tamquam statim percussurus clamat Job. XIX, 29 : *Fugite a facie gladii* *, *ultor enim est iniquitatis gladius.* Arcus enim est sententia definitiva, sententia contra peccatores intensa non solum in generali judicio, quod fiet in fine, sed etiam in particulari, quod fit in morte. Et mirabile est quod non timetur arcus iste. Quotidie enim videmus arcum istum percutientem ante nos, retro nos, juxta nos, nunc interficientem senem, nunc juvenem, nunc infantem, et tamen ictum istum non timemus, quamvis certitudinaliter expectemus. Sumus enim sicut signum ad sagittam, tantum enim circuit sagitta signum, nunc de longe, nunc de prope, quod ad ultimum transfigit illud. Et certe qui tenet arcum illum, et est fortissimus et arcus tenens peritissimus, ut quando voluit, et sicut voluit, percutiat, et transfigat. Et ideo dicit Job, XXIX, 20 : *Si arcus meus in manu mea instaurabitur.* Sagittæ vero placitationes acerbissimæ illius sententiæ, quæ contra peccatores ad ultimum proferentur, de quibus dicit Ps. CXIX, 4 : *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis.* Potentis sunt, quia nemo potest resistere ; acutæ, quia omnes possunt transfigere ; sed desolatoriæ, quia nullus potest effugere, et propter hoc mortiferæ. Ezech. V, 16 : *Sagittas immittam in eis, quæ erunt mortiferæ* *.

Item converti debent peccatores ante

* *quoniam ultor.*

* *quam[...] miser[...]*

se, ut caveant. Sicut viator malam viam prævidet et evitat, propter hoc Dominus dicit prædicatori Ezech. III, 19 : *Si annuntiaverit impio, et ipse non conversus fuerit ab impietate sua*, idest anima sua impia, *ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu vero animam suam liberasti*. Sed multi sunt quibus dicitur de via mala, non tamen declinant ab ea ; propter hoc aliquando obicem inveniunt, et cum non sperant in foveam cadunt. Ezech. III, 20 : *Si conversus fuerit justus a justitia sua, et iterum fecerit iniquitatem : ponam offendiculum coram eo, et ipse morietur*. Loquitur contra ipsos qui aliunde dimiserunt malam viam et iterum redierunt ad ipsam et propter hoc aliquoties incurrunt mortem. Actor. III, 20 : *Pœnitemini, et convertimini*. Ezech. XVIII, 30 : *Et non erit vobis in ruinam iniquitas*. Et Joan. III, 10 : *Qui conversi sunt de via sua mala et misertus est Dominus super malitiam, quam dixit * ut faceret eis, et non fecit*.

locutus fuerat.

Item converti debent peccatores supra se, ut pareant, idest obediant Domino. Sicut dictum est supra, ut redeant ad ipsum tamquam ad Dominum suum, secundum illud Eccles. v. 8 : *Ne * tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim venit hora illius et in tempore vindictæ disperdet te*, hoc est diversis pœnis te perdet, nisi conversus fueris. Si autem converti volueris, benigne suscipiet te. Joel. II, 13 : *Convertimini ad Dominum, qnia benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia*. Est enim benignus vocando, misericors attrahendo patiens expectando, multæ misericordiæ recipiendo ; benignus, quia quamvis proprium Dei Filium, qaantum in nobis est, iterum crucifigamus, quotidie benignus suscipit et misericordiosissime totum remittit, secundum Tob. XIII, 8 : *Convertimini peccatores, et facite justitiam coram Deo, credentes quia faciet vobiscum misericordiam*. Imo certe plus conversionem nostram sitit, quam nosmetipsi, promittens quod convertetur ad nos tamquam amicus ad amicum, si converti voluerimus ad ipsum, secundum illud Zach. I, 3 : *Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus*. Ad vos autem nobiles et ignobiles, parvos et magnos, sine differentia personarum. Isa. XLV, 22 : *Convertimini ad me et salvi eritis*. Propterea enim expectat Dominus ut misereatur nostri. Rogemus Dominum etc.

* non.

IV

ITEM FERIA IV CINERUM (a)

Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. (Matth. VI, 27.)

Sicut gallice dicitur : *A bon seigneur manière douce;* Idest familia dulcis, et propter hoc Dominus noster Jesu Christus, qui summe bonus est, instituit nos tamquam servos suos, qualiter debeamus in suo servitio nos habere. Vult autem quod habeamus abstinentiam, misericordiam et munditiam. Primum supponit tamquam notorium, cum dicit : *Tu autem cum jejunas*. Secundum præcipit tamquam meritorium, quando dicit : *Unge caput tuum*. Tertium consuluit tamquam necessarium, quando dicit : *Faciem tuam lava*. Dicit ergo : *Tu autem etc.*, quasi dicat : quidam sunt qui jejunant propter laudem humanam sicut hypocritæ ; sed ego non multum curo de suo jejunio, quia non jejunant propter vitam æternam, sed propter laudem humanam, de quibus præmittitur Matth. VI, 16 : *Cum jejunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes; exterminant enim facies suas, ut videantur hominibus jejunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. Sunt enim exterius deaurati, sed intus putridi, similes imaginibus exterius ornatis, sed intus vermibus et corruptione plenis. Sunt enim tales ante conspectum humanum lucidi, sed ante Dominum squallentes et fœtidi. Et propter hoc dicitur Eccles. I, 37 : *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum*. Hominum dicit, non Dei, quia Dominus bene novit eorum abscondita. Bonus enim auri fabricator non accipit aurichalcum pro auro, nec stannum pro argento.

(a) Ex recensione D. Uccelli.

Quare autem Dominus plus exigit, isto tempore jejunii, abstinentiam, quam in aliquo tempore? Ratio est, scilicet, propter varias necessitates. Corpus enim impinguatum et bene [illegible] recalcitrat et servire recusat, sed famelicum et attenuatum satis libenter et humiliter serviat. Et propter hoc dicitur Judith, IV, 8 : *Humiliaverunt filii Israel in jejuniis animas suas.* Sed quoniam diabolus jejunantes persequitur, jejunium non debet esse solum, sed debet habere socias orationem et eleemosynam. Peccator enim, dum est in peccato suo, pacem habet cum diabolo; quando autem videt quod desinit peccare, et aggreditur pœnitentiam, statim diffidat et persequitur eum, quia dimisit servitium suum. Et hoc satis est figuratum Matth. IV, 2, ubi dicitur quod Jesus, *cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit, et statim accessit tentator.* Et propter hoc dicitur Tob. XII, 8 : *Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna.* Sine istis enim duobus non est jejunium in tuto loco, quia certe peregrinus non vult secure solus inter latrones; unde oratio est necessaria, quoniam advocat Dominum et adducit eum in adjutorium. Eleemosyna vero impetrat suffragia pauperum. Et propterea oratio necat pestes mentis, et eleemosyna pestes cupidinis. Et quando diabolus videt jejunantem hominem sic fulcitum, non audet impugnare ipsum. Latro enim solus non impugnat peregrinum, quem videt habere bonum conductum. Et propter hoc dicitur Matth. XVII, 20 : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in* oratione et jejunio.* Oratio enim fugat diabolum, sicut clamor pastoris fugat lupum, et jejunium fugat luxuriam. Luxuria enim delicata est, unde multum odit societatem jejunii. Et propter hoc vult Dominus quod jejunemus.

* [illegible]

Et nota quod jejunium debet fieri in caritate; aliter enim non esset acceptum Deo, sicut non placet ferculum oblatum in vase sordido; quod innuit Isaias LVIII, 3 : *Quare jejunavimus et non aspexisti?* Et respondet Dominus : *Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie.* In caritate autem fieri non potest, nisi comitentur ipsum contritionis anxietas, confessionis integritas, satisfactionis asperitas, et continuationis integritas.

Prodest ergo jejunium si fiat in cordis anxietate, sicut magis placent carnes quæ bene lotæ sunt; carnes immundæ et crudæ sunt insipidæ, sicut et ferculum jejunii Domino placet, quando cor lotum est aqua compunctionis, et coctum igne doloris et contritionis. Joel. II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro etc.* Et bene dicit *in toto corde*, quia Dominus non vult in eodem hospitio cum suo hoste manere. Satis enim magnus est Dominus ad tantillum hospitium possidendum; nec vult quod in una parte cordis sit puritas et in alia sterquilinium, sicut in quibusdam, qui unum peccatum dimittunt et aliud faciunt. Et additur : *In jejunio, et fletu, et planctu*, quia jejunium est contra concupiscentiam carnis, fletus contra concupiscentiam oculorum, planctus contra superbiam vitæ. Carnales enim nesciunt jejunare, cupidi lugere, nisi pro amissione pecuniæ, nec superbi plangere. Semper enim volunt esse in lætitia et dissolutione, et inter jejunia committetur anxietas de peccatis. Addit : *Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*, sicut fecerunt Judæi; quasi dicat : tanta est differentia inter dolorem Christianorum et Judæorum, quanta est differentia inter scissionem vestium et cordium; in quo tangitur quam vehemens debeat esse dolor contritionis. Dolor enim contritionis vadit usque ad scissionem cordis; ut quanta fuit in peccato delectatio, tanta sit in pœnitente contritio. Dolor autem contritionis ostenditur Esther XIV, 4 : *Cum deposuisset Esther vestes regias, fletibus ac luctui apta vestimenta* suscepit, et pro unguentis variis, cinere et stercore implevit caput, et cor suum humiliavit jejuniis : omniaque loca, in quibus ante lætari consueverat, crinium* lacrymatione complevit.* Ecce significatur doloris vehementia; se viliter induere, plorare, jejunare, capillos lacerare; vestimenta mutantur, quando vetusta conversatio deponitur. Et certe impietas grandis est in habitu dissoluto patris suspendium memorari, vel in patibulo visitare : quod

* indumenta.

* [illegible] lacerationе

fit in jejunii fine, scilicet veneris sancti. Inconveniens etiam est ridere, quando videmus judicem nostrum ex sola misericordia pro nobis reis et miseris crucem sustinere. Hoc est (non) habere cor delicatum, cum videmus regem regum toto corpore distentum et crucem portare ; et propter hoc debemus crines lacerare, quod est minimae cogitationes et affectiones a nostris cordibus removere.

Item jejunium fieri debet in integritate confessionis. Unde dicitur Isai. LVI, 6 : *Hoc est jejunium quod elegi. Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Colligationes impietatis vocat majora peccata, quæ peccator colligit tamquam incendii sui in ligna, in quibus etiam diabolus ligavit eum sicut suum, vel sicut carnifex pecus interficiendum. Istæ colligationes solvuntur in confessione, quando post contritionem solvitur vinculum linguæ. Secundum illud Jo. XI, 44 : *Solvite eum et sinite abire.* Scilicet de laqueo. Fasciculos deprimentes vocat circumstantias aggravantes, sicut ordo, persona, locus, et hujusmodi quæ quandoque sunt mortalia, quandoque venialia, et tamen multum animam aggravantia. Ita enim potest quis onerari pulvere sicut luto, arena sicut lapide magno.

Multa siquidem venialia sunt ad majus peccatum, vel ad casum disponentia. Et propter hoc per confessionem sunt solvenda. Aliter vero est ne colligantur in fine peccatorum cum illis fasciculis, de quibus dicitur Matth. XIX, 30 : *Colligite zizania, et colligate* ea (in) fasciculos ad comburendum.* Zizania vocat peccatorem, tamquam herbam inutilem et infructuosam. In mala enim terra non potest crescere bona herba, sed quando bene culta est, tunc est perferendis fructibus apta, et propter hoc dicitur Joel. II, 15 : *Sanctificate jejunium ;* hoc est in sanctitate facite jejunium. Sequitur 19 : *Ecce ego mittam vobis frumentum, et vinum, et oleum ;* quasi dicat : seminate semen jejunii in anima purgata, et bene per contritionem et confessionem præparata, et eveniant vobis infinita bona.

...lligate.

Item fieri debet nostrum jejunium in asperitate satisfactionis. Et propter hoc dicitur I Mach. III, 47 : *Jejunaverunt in die illa, et induerunt se ciliciis, et* asperserunt cinerem capiti suo.* In cilicio notatur asperitas satisfactionis, in cinere memoria resolutionis. Inter omnia enim indumenta vestimentum cilicii asperrimum est. In quo datur intelligi quod emenda, quæ pro peccato fit, debet esse gravis et afflictiva, unde dicitur de Judith VIII, 6 : *Habens super lumbos suos cilicium, jejunabat cunctis diebus.* In continentia, in pœnitentia tamquam in veste cilicina. Quanto magis debet hoc facere natura virilis, robusta et fortis ! Sed.... qui nolunt modo portare cilicium modicum, tunc libenter portarent in die judicii montis vel collis unius operimentum, secundum illud Apocalyp. VI, 16 : *Dicent montibus : cadite super nos, et collibus, operite nos a facie sedentis super throno, et ab ira agni.* Et ideo dicitur Jerem. VI, 26 : *Accingere cilicio, aspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum, quia repente veniet super te* vastator,* dicit Dominus. Sicut autem per cilicium intelligitur asperitas satisfactionis, sic in cinere memoria resolutionis, quæ semper debet esse in capite : hoc est in pœnitentis corde. In cujus signum cinis hodie ponitur supra capita nostra, ut recognoscamus quia in cinerem omnia membra nostra redigentur. Job. XXXIV, 15 : *Deficiet omnis caro.* Similiter et homo in cinerem revertetur. Quemadmodum enim cinis et pulvis cito a vento disperguntur ; sic subito dum non speramus minimo fletu, die justitiæ, corpus nostrum in cinerem revertetur. Job XXX, 19 : *Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri.* Certe vento nihil velocius, favilla nihil levius, cinere nihil vilius ; in quo nobis datur intelligi, quod dies nostri transeunt velocius, faciliter, et viliter. Imo, quod plus est, irrevocabiliter, sicut cinis in ventum dispersus non potest ulterius congregari. Et propter hoc dicitur Ecclesiastici X, 9 : *Quid superbis terra et cinis ?* Omnis potentatus via brevis. Hodie est rex et cras morietur. Et propter hoc dicebat ille rex magnus David Ps. XXXIV, 13 : *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio,* quasi quadam optima armatura contra hostem. Mirabiliter enim

[illegible] carnem, et [illegible] diabolum. Lu-[illegible] enim post Christum lavabit barram. Sic autem piscis [illegible], nec vulpes le-[illegible], propter superfluitatem spinarum, sed potius invenit pullum, vel [illegible] tempore multiplices habe-[illegible], et ideo bene dicit Ps. lxviii, 11: *Operui in jejunio animam meam.* Jejunium enim est optimum experimentum [illegible] virtutis, et spiritus immundus non libenter hospitatur in loco mundo, sed sicut porcus est in luto, vel in fimo. Est enim sicut canis, qui libentius currit in coquinam, quam in cameram regiam.

Item jejunium debet fieri cum integritate continentiae. Parum enim prodesset [illegible] cum usque in [illegible], et in hujusmodi rei signum Christus jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, sicut dicitur Matth. iv. Quadragesima enim est totius anni decima, et propter hoc diligenter esset reddenda tamquam, scilicet, portio divina. Aliis enim diebus solent ire mundani possessionibus suis ampliandis et corporibus reficiendis, et quod pessimum est, tempus suum expendunt non solum in sollicitudine mundi, sed etiam in servitio diaboli. Et propter hoc vult Dominus quod saltem tempus istud exhibeatur sibi. Quanto enim a carnalibus desideriis magis abstinemus, tanto carnes agni immaculati, veram scilicet corpus Christi suscipiemus devotius, sicut etiam lecatores (1) abstinere solent, quando ad mensam [illegible], ubi bona fercula ministratum se sperant, venire; et ideo abstinendum est per quadragesimam istam, ut sanctius et delectabilius accedamus ad illam mensam. Et hoc figuratum est III Reg. xix, ubi dicitur quod cum Elias jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, venit ad montem Dei Horeb. Et propter hoc dicitur Judith. iv, 12: *Exaudiet Dominus petitiones vestras, si permanseritis in jejuniis vestris.* Dominus enim facit sicut faciunt isti magni qui quando jejunant adventum vel aliam quadragesimam, libenter vocant pauperes jejunantes in societatem suam. Esther iii, 6: *Jejunabo cum ancillis meis, et ingrediar ad regem.*

Sequitur: *Unge caput tuum*: in quo tangitur secundum, sive misericordia. Sicut enim vult Dominus ut faciamus ei servitium de corpore quod nobis dedit, quod fit per abstinentiam, ita vult quod faciamus ei servitium de professione, quod hic fit per misericordiam et eleemosynarum largitionem. Unde dicit hic glossa: unget caput tuum, ut delectationis odor fragret in operibus misericordiæ: quod per oleum significatur. Oleum enim ceteris liquoribus supernatat; et opera misericordiæ ceteris operibus præeminent et Deo placent. Et ideo dicitur Exod. xl, 11: *Omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum*, quasi dicat: illa sanctiora reputentur opera, quæ procedunt ex compassione.

Notandum tamen, quod quadruplex est unctio, figurativa, mitigativa, conservativa, expeditiva. Inunguntur reges, inunguntur infirmi, inunguntur mortui, inunguntur pugiles. Est enim unctio regum per quam significatur quod, nisi per ipsos steterit, habebunt regnum æternum; et hoc figuratum est I Regum x, 1, ubi dicitur: quod *tulit Samuel lenticulam olei, et effudit super caput Saulis, et ait: Ecce unxit te Dominus* [a] *super hæreditatem suam, ut eruas populum ejus de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt.* Hoc est enim officium regum et sæcularium principum: inferiores defendere, non opprimere. Nec solum inunguntur reges, sed nos omnes, quia non solum nobiles erunt reges, sed et pauperes, nisi per ipsos steterit. Jacob. ii, 5: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et hæredes regni cœlestis, quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem*; quem scilicet debetis honorare tamquam regem futurum. Hæc autem unctio tangitur II Cor. i, 21: *Unxit nos Deus, et signavit, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Unxit nos, sicut dicit *Glossa*, in reges et sacerdotes, ut dignitatem regiam habeamus. Et de hoc dedit nobis Dominus bonum signum, et

[a] *in principem, et liberabis*

(1) [illegible]

(1) *Lecator*, scilicet, [illegible], *gulosus*. V. Du Cange ad hanc vocem.

bonum pignus. Rex enim, quando inungitur, certus est de regno habendo, nisi per ipsum steterit. Sed præter unctionem dedit nobis Dominus signum bonum, hoc est bonum merellum, (*a*) scilicet imaginis suæ signum in animabus nostris, in præsumptionem et bonum pignus, scilicet gratiam suam. Sed caveamus nobis, quod nisi sigillum integrum detulerimus nobiscum, et merellum ipsum, hoc est gratiam suam bene custodierimus, regnum præmissum non habebimus; propter hoc Apostolus dat nobis memoriale. Eph. I, 13 : *Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.*

Item inunguntur infirmi ad mitigationem, ut patet in extrema unctione. Jacob. V, 14 : *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo* sancto *in nomine Domini.* Spiritualiter loquendo, per ininfirmos possumus intelligere pauperes, abjectos et imbecilles, quos divites ungunt, quando scilicet eis aliquam eleemosynam faciunt. Sicut enim unctio morbum mitigat, sic eleemosyna angustiam et penuriam paupertatis sedat. Hæc unctio significatur Lucæ VIII, 46, ubi dicitur de Magdalena : *Oleo caput meum non unxisti? hæc autem unxit pedes meos. Propter hoc dico tibi : remittuntur ei peccata multa.* Maria, quæ interpretatur amarum mare, significat animam pœnitentem propter compassionem pauperum, in amaritudine cordis existentem, quæ cum committitur proximo, tamquam membrum pro membro. Pedes vero sunt pauperes hujus mundi. Pedes enim sunt inferior pars corporis et vilior, sed necessarior. Homo enim ponit pedem in luto, ubi non poneret digitum. Sic et divites hujus mundi pauperes, tamquam suos pedes, in vilioribus officius ponunt, et laboriosis operibus, tamquam suos pedes, exponunt. Pedes etiam corpus deferunt, et isti Christum per mundum, tamquam venalem, gerunt ad hospitia divitum, clamantes de pane propter Dominum : hoc est, date nobis panem, et nos dabimus vobis Deum. Isti sunt pedes, de quibus dicitur I. Reg. II, 9 : *Pedes sanctorum suorum servabit*, idest pauperes, qui sancti sunt; sed impii in tenebris conticescent, quia etiam nec pauperi Deum venalem deferenti responsionem parant. Istis ungit, sicut dictum est, qui dolorem eorum per eleemosynam lenit. Et hoc specialiter pertinet ad sacerdotes et prælatos Ecclesiæ, in cujus signum manus eorum inungitur. Manus enim uncta tangit mitius dolorem. Et propter hoc ipsi dicunt Isaiæ LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde* etc. Sed nota quod chirurgicus cæcus infirmitatem non videt, et propter hoc nec mitigare nec ungere dolorem valet. Sunt enim quidam divites hujus mundi, quos excæcavit fetor immunditiæ carnalis, et ardor concupiscentiæ temporalis : et propter hoc propriam infirmitatem non cognoscunt, nec etiam aliis mederi possunt. Unde cuidam tali dicitur Apocalyp. III, 17 : *Tu dicis quia dives sum etc. et nescis quia miser, et pauper etc.* Sequitur 18 : *Collyrio unge oculos tuos, ut videas.*

Item inungimus corpora mortuorum, ne putrescant, myrrha probata. Per myrrham, quæ corpus servat a putredine, intelligitur virtus pœnitentiæ. Sicut enim carnes incisæ sine medicamine corrumpuntur, et putrescunt, et scaturiunt vermibus, ita sine pœnitentia corpus nostrum corrumpitur concupiscentiæ motu. Est enim pœnitentiæ virtus sicut vehementia frigoris in hieme, qui vermes interficit, et malas herbas crescere non sinit. In hujus unctionis signo dicitur Judit. X, 3 : *Lavit Judith corpus suum, et unxit se myrrha optima.* Judith confitens interpretatur, et per ipsam pœnitens intelligitur : myrrha etiam, quæ est amara, servat a corruptione carnalis concupiscentiæ. Hæc autem myrrha, scilicet pœnitentia, dicitur bona, quæ quidem monstratur in verbo. Cant. V, 13 : *Labia* * *ejus stillare-*

* *distil-*

(*a*) « Longe vero frequentior nota qua merallus pro symbolo seu tessera occurrit, quæ in pluribus Ecclesiis canonicis, capellanis, aliisque præbendariis dantur in præsentiæ signum, ut his, quolibet Sabbato exhibitis, testentur quoties et quibus officiis interfuerint, et debitas recipiant distributiones, ita ad hanc vocem, in annotationibus Glossarii, Du Cange Parisiis 1845.

runt myrrham primam. Mollior, quando distillatur de lapide. Cant. v, 5: *Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Optima, quando distillatur in lignum, id, scilicet, cum fit de aliquo communitatis debet, vel in beneficio, vel in conversatione. Eccles. xxiv, 21: *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris*; hoc est odoriferæ conversationis. Sed nota quod muscæ libenter corrumpunt unguentum, nisi sit optimum. Secundum illud Ecclesiastæ x, 1: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti*; hoc est tentationes dæmonum importunæ pœnitentiam [illegible].

Item est quoddam unctio, quâ pugiles ungebantur ad oppositionem, scilicet ut ab adversario suo non possint teneri. Et hoc est unctio patientiæ, quâ Dominus ungit pugnantes in labore pœnitentiæ, de qua dicitur Ecclesiastici xxxviii, 8: *Qui semper erunt ad pœnitentiam, et prophetas fecit* [illegible]. Sicut enim unguentum mitigat laborem, et dolorem tollit, et durum corpus ad laborem promptum reddit; sic virtus patientiæ tollit animæ angustiam, et hominem reddit ad omnia gravia propter Deum sustinenda robustum. Et propter hoc dicitur Ecclesiastici xxxviii, 7: *Curans mitigabit dolorem, et unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis, et non consummabuntur opera ejus.* Sed nota quod inter omnes unctio patientiæ est necessaria pugnatori: unde si per impatientiam, vel alicujus adversitatis amaritudinem, fuerit percussus vel læsus, debet secum semper unguentum habere quo possit visum recipere. Samson enim [illegible] non fuit nisi cæcus, sicut dicitur Judic. xvi. Hoc autem est unguentum, amaritudo, scilicet, dominicæ passionis. Tob. vi, 9: *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo.*

Sequitur: *Faciem tuam lava.* In quo insinuatur lotionem quod requirit Dominus, scilicet munditiam vitæ spiritualis. Sicut enim vult hominem sibi servire de corporibus et possessionibus per abstinentiam et misericordiam, ita de animabus per interiorem munditiam. Facies enim per quam cognoscitur quæ mentis hominis est, in qua relucet imago Dei, quando pura et munda sit, tunc est Deo grata; si vero sordida, detestabilis et odiosa. Propter hoc dicitur de Joseph Genes. xliii, 31: quod *faciem lota egressus est ad fratres suos.* Sed nota. Diabolus aliquando volentem lavare se persequitur, et impedire nititur, quemadmodum cum aliquis magnum aliquid in possessione sua teneri et exire non permittit, quod figuratum est Tob. vi, ubi dicitur, quod exivit Tobias uti lavaret pedes suos, et ecce piscis, idest diabolus, voluit eum deglutire. Et propter hoc ille qui lavat pedes suos, hoc est affectiones suas per aquam pœnitentiæ, pedes suos coinquinare non debet, et quo sibi diabolum insidiantem judicat. Cant. v, 3: *Lavi pedes meos; quomodo coinquinabo illos?*

Hujus autem lotionis quatuor sunt impedimenta, quorum duo sunt ex parte lavantis, sed alia duo ex parte lotionis. Primum igitur impedimentum est ex parte illius qui lavari debet, quando se lavari non permittit, quod vitium regnat hodie in prælatis, qui tamquam scabiosi vel tignosi se lavari non permittunt, licet tigna sive scabies frequentius adhæreat capiti; et tamen dicitur Levitici I, 8: quod caput hostiæ cum intestinis et pedibus lavantur aqua. Caput prælati; intestina magis quam caput attingentia, et in ventre latitantia, sunt collaterales prælatorum et secretarii; pedes vero quilibet subditi, qui omnes aqua correctionis vel pœnitentiæ sunt abluendi; et tales significantur per Petrum, de quo dicitur Joann. xiv, 8: quod noluit lavari quousque Dominus dixit ei: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Et tunc respondit: *Non solum pedes, sed et manus et caput.* Et de Naaman IV. Reg. v, 10, quod ei dixisset Helisæus: ***Vade et lavare*** *septies in Jordane*, qui interpretatur humilis descensus, abiit indignans.

Secundum impedimentum ex parte illius, qui lavari debet, est quando partem debitam non lavat. Cum enim ea, quæ de corde exeunt, coinquinent hominem, sicut dicitur Matth. xv, inter omnes corporis partes maxime lavari debet cor. Et propter hoc dicitur Jerem. iv, 14: *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias. Usque quo morabuntur in te*

cogitationes noxiæ? Si enim sordes essent in pedibus, et ego abluerem manus, nihil esset. Sunt enim quidam qui operationes habent mundas, sed habent immundissimas cogitationes, nec apostema chirurgicis monstrant, ut sordes intrinsecus latitantes ejiciant, et propter hoc laborant periculose; quibus dicitur Isai. I, 16 : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis... dicit Dominus :* quasi dicat : vos abluitis facies vestras propter aspectum humanum, sed sordes cordis vestri non effugiunt conspectum meum. I. Regum XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor.*

Item primum impedimentum ex parte lotionis est, quando lavacrum est immundum, unde nullus lavatur in aqua immunda, quæ quidem est carnalis concupiscentia, quæ quasi aqua munda videtur carnalibus, tamquam animalibus brutis. Sunt enim sicut sus, qui magis eligit aquam lutosam quam mundam, et sicut jumentum quod potius bibit aquam turbulentam quam claram, de quibus dicitur II. Petri II, 20 : *Si enim refugientes coinquinationes mundi, his rursus implicati superantur : facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* Sequitur 22 : *Contigit enim eis illud veri proverbii : canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabro luti,* quasi dicat : aliqui sunt qui lavant indumenta sua in aqua clara, hoc est in vera pœnitentia, et tunc bene sunt munda, secundum illud Exodi XIX, 10 : *Sanctifica populum et lavent vestimenta sua;* sed postea conculcant ea pedibus suis in lutum, et tunc nihil prodest lotio ; imo potius est derisio, abluere scilicet vestimenta et postea polluere, secundum illud Eccles. XXXIV, 31 : *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio illius?* Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? quasi dicat : nihil.

Item ultimum impedimentum ex parte lotionis est, quando lavacrum parvum est. Sordes enim magnæ lavari non possunt in modica aqua. Similiter enormia peccata lavari non possunt in modica pœnitentia. Super quo decipiuntur quidam, qui multa peccata habent, et modicum lugent. Omni tempore vitæ suæ volunt peccare, et vix unam quadragesimam pœnitent; contra quos dicitur Prov. XXX, 12 : *Est generatio quæ sibi munda videtur, et tamen non est lota a sordibus suis.* Et propter hoc Judith lavabat se non in modica aqua, sed in ipso fonte, de quo dicitur Judith XII, 7, quod singulis *noctibus exibat in vallem Bethuliæ, ut lavaret* se in fonte aquæ :* hoc est in abundantia lacrymosæ pœnitentiæ, secundum illud Ps. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Unde et Naaman, quia leprosus erat præcipitur abluere se, non in fonte, sed in ipso flumine. IV. Reg. V, 14 : *Descendit Naaman, et lavit se septies in Jordane, et restituta est caro ejus, velut* sicut caro pueri parvuli.* Rogemus etc.

* et bap[tizabat]

* sic[ut]

V

FERIA VI QUÆ EST POST FERIAM IV CINERUM. (*a*)

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum. Isai. LVIII, 1.

In principio quadragesimæ facit Dominus, sicut solent facere principes terrarum, terram suam malis consuetudinibus et malis habitatoribus plenam visitantes. Præmittunt ei nuncios, scilicet ut ex parte sua denuntient malefactoribus quod excessus suos corrigant, et ad emendam veniant, alioquin se graviter puniendos sciant. Per totum enim annum istum Deum offendimus, et peccata peccatis accumulavimus; et propter hoc Isaiæ, et cuilibet prophetæ prædicanti dicit Dominus ! *Clama, ne cesses,* quasi dicat ; ostende populo meo peccata sua, ut confiteantur et deserant ipsa ; sin autem, cum venerit in die sancto Paschæ, si imparatos invenerit, indignans abjiciet. Et si ante ipsum imparati venire præsumserint, gravioribus forte tormentis afficiet ; propter quod vult quod quilibet prædicator peccata sua delinquentibus

(*a*) Ex recensione D. Cecelli.

prædicet assidue et manifeste. Propter primum dicit : Clama ; propter secundum addit : ne cesses. Unde notandum est quod tria genera hominum sunt clamantis generaliter officium exercentia, scilicet speculatores, advocati et præcones. Unde tripliciter clamor legitur in scriptura, speculatorum, advocatorum, et præconum. Speculatores sunt prælati majores, advocati sunt prælati inferiores, sicut sunt simplices sacerdotes, præcones sunt officium prædicationis exercentes. Majorum prælatorum, tamquam speculatorum, est præmunire. Inferiorum prælatorum, tamquam advocatorum, est perorare. Prædicatorum, tamquam præconum, est excitare.

Igitur majores prælati, tamquam speculatores, præmunire debent populum et clamare si viderint ignem vel hostem. In veritate videmus totum mundum hodie incendio subjacere. Ubique enim succenditur ignis invidiæ, iræ, avaritiæ, luxuriæ, quia per peccatores, tamquam per instrumenta sua, non cessat diabolus ubique terrarum habitatores incendere. Et propter hoc prælati, tamquam speculatores vigiles et excitati, clamare debent : ad ignem, ad ignem ; propter quod in persona illorum clamat Joel. I, 19 : *Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti*, idest flamma combussit peccatores. Speciosa deserti vocat majores et nobiliores hujus mundi, quos hodie comedit, hoc est devorat ignis cupiditatis et avaritiæ. Peccatores vocat istos minores, quos hodie combussit ignis iræ, invidiæ, et luxuriæ. Terribile verbum dicit speculatoribus, hoc est Ecclesiæ prælatis super populum sibi subditum vigilare negligentibus, et hostis insidias non pronuntiantibus. Ezech. XXXIII, 9 : *Et te, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel. Si ergo me dicente ad impium, morte morieris, non fueris locutus ut se custodiat, ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Propter hoc, dicit Dominus : Clama, ne cesses, quasi dicat tamquam speculator clamantis officium habes.

Item inferiores prælati, tamquam reorum advocati, idest peccatorum. Debent enim pro ipsis ante judicem perorare, hoc est in orationibus suis ante judicem supplicare pro peccatoribus. Hoc est ipsorum officium ante Dominum ; ad hoc enim conducti sunt decimis et oblationibus et aliis proventibus ecclesiasticis, ut ante Deum non cessent die noctuque preces effundere pro suis parrochianis. Et propter hoc tamquam conductis advocatis cuilibet eorum dicitur I Reg. VII, 8 : *Non cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum*, ac si diceretur : hoc est officium tuum. Et procul dubio quantumcumque sit malus sacerdos, aliunde conservat et protegit Dominus populum suum, non propter ipsum, sed propter sacrificium quod offert. Quid est enim quod denegat pater, quando videt filium suum proprium ante conspectum suum, pro peccatis sui populi sibi immolari? quasi dicat, nihil. Et hoc significatum est I Regum VII, 9, ubi dicitur : *Tulit Samuel agnum lactentem unum, et obtulit illum integrum holocaustum Domino, et clamavit ad Dominum pro Israel, et exaudivit eum.*

Item prædicatores, tamquam Domini præcones, debent populum excitare ; et hoc officium habuit beatus Joannes Baptista, de quo dicitur Joan. I, 23 : *Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, sicut dixit Isaias propheta* ; debent enim facere isti prædicatores sicut isti præcones, qui quando Dominus terræ debet de novo civitatem vel castrum intrare, clamant per vicos et plateas ut tollant lutum et lapides et cetera offendicula de plateis, ne forte offendant aspectum Domini venientis. Modo Dominus in hac sacra et solemni die Paschæ debet ad nostrum hospitium declinare, debet nobis in thalamo nostri cordis suum proprium corpus et sanguinem ministrare ; et propter hoc debemus animas nostras, tamquam habitaculum Dei, per totam quadragesimam istam mundare. Certe si quispiam ex parte principis alicujus proclamaret quod tollerentur immunditiæ de plateis, non esset aliquis qui non faceret. Et Dominus Jesus Christus, non per unum garrientem, sed per sanctum Joannem Baptismam clamat, quod via

paretur sibi, non homini, et tamen pauci sunt, vel nulli qui obediant ei. Nec solum clamat per Joannem Baptistam, sed etiam per Isaiam eximium Domini prophetam, et secretarium ejus speculatorem Isai. XL, 3 : *Vox clamantis in deserto : parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Sequitur VIII : quia *revelabitur gloria Domini :* hoc est manifestabitur gloriosus filius Dei, quem qui non recipiunt, judicium Dei expectant, tamquam suum Dominum contemnentes, qui ipsum non in domum, sed in stabulum ponunt, quia conscientiam suam per confessionem purgare non satagunt, secundum illud Ezech. IX : *Clamavit propheta in auribus populi dicens : appropinquavit dies visionis*. unusquisque vas interfectionis habet in manu sua.* Indigne quidem suscipientibus mors est non vita, venenum non medicina. Nullus enim ad nuptias agni venire debet, nisi paratus, alioquin potius excludendus quam recipiendus, secundum illud Matth. XXV, 6 : *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Sequitur 10 : *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias ;* sed illis quæ paratæ non sunt debet dicere sacerdos : *Amen dico vobis nescio vos*, et claudenda est janua. Tales enim excludi, non recepi debent, secundum illud Apocalypsis ultimo, 15 : *Foris canes, et impudici etc.*

*propin- averunt tationes urbis

Sequitur : *Non cesses clamare ;* quasi dicat : continue clames, quia continue necessarium vides. Et nota, quod tres sensus præcipimus continue exercere, scilicet, pedes, os, et manus. Pedes ergo sunt affectiones, sive voluntates quas ferimus, et quo ferimus. Et isti pedes debent ferre nos ad Dominum, tamquam ad patrem nostrum, et non ad diabolum, tamquam ad capitalem inimicum ; ad cœlum, non ad infernum, secundum illud Jerem. III, 19 : *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis ;* sed in orationibus, non in contumeliis contra Dominum, sed in actionibus gratiarum, secundum illud Coloss. I, 9 : *Non cessamus orantes pro vobis, et postulantes ut impleamini agnitione voluntatis Dei.*

Item operationes vestræ debent exerceri, non in opprimendo proximos, sed in liberando, secundum illud Proverb. XXIV, 11 : *Eos qui trahuntur ad mortem, liberare non * cesses*, non rapiendo sua sed largiendo vestra. Proverb. XXI, 26 : *Qui justus est, tribuet, et non cessabit*, idest continue dabit, secundum illud Ecclesiastes XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere non cesset manus tua.* Et sic adimplebis : *Clama, ne cesses etc.*

VI

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ. (a)

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. II Corinth. VI, 2.

Sicut dicitur gallice : *Un jour de respect cent ans vaut*, propter quod Dominus, quem offendimus a Pascha, scilicet per totum istum annum usque ad quadragesimam, ostendit nobis in his verbis superfluitatem sive supereffluentem suæ misericordiæ bonitatem, quia non solum ostendit nobis unum diem ad reconciliationem necessariam, sed totam quadragesimam. Et propter hoc dicit Apostolus, tamquam ejus præco, sive vicarius : *Ecce nunc tempus acceptabile ;* quasi dicat : quantumcumque deliqueritis, isto tempore corrigere poteritis, et tamen si velitis hodie satisfacere, vel emendam per confessionem præmittere, plus placet mihi quam si usque ad finem quadragesimæ expectaretis. Et propter hoc, post præmissum verbum, statim sequitur : *Ecce nunc dies salutis ;* quasi dicat : in die hac, quæ nunc est, si confiteri vel pœniteri volueritis, animarum vestrarum salutem acquirere poteritis. Ait enim : *Tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui*, Isaiæ XLIX, 8. Certe, sicut scitis, stultus esset infirmus, vel usque ad mortem vulneratus, si statim posset sanari, vel a morte liberari, et usque ad Pascha, vel ultra, vellet sanitatis suæ tempus differre. Multi autem sunt qui nunc ad mortem vulnerati sunt, et tamen sanitatis suæ tempus differunt, propter quod dicitur Ecclesiastes III, 3 : *Tempus occidendi, et tempus sanandi ;*

(a) Ex recensione D. Uccelli.

quasi dicat : tempus acceptabile, et peccati mortalis animam occidentis, usque nunc fuit, nunc autem tempus sanctitatis salutis est. Et ideo sicut dicitur vulgariter : *Qui ne fait quand il peut, il ne fera quand il voudra.* Ut autem ad instructionem fidelium breviter intendamus, notandum est quod quatuor sunt quæ solent homines ad opera excitare : quæ sunt, temporis opportunitas, brevitas, instabilitas, et utilitas. Hoc est, quando videt tempus congruum, breve, necessarium et utile.

Maxime excitat hominem ad operandum, quando habet tempus opportunum. Tunc autem est opportunum, quando suis necessitatibus præsens est et conveniens. Et propter hoc dicit Apostolus : *Ecce nunc tempus acceptabile etc.*, quasi dicat : tempus istud nobis concessum præsentaliter videte. Ecce enim quæ præsentia sunt solum ostenduntur, et ad usum devenire conceduntur. Et ideo dicit Apostolus Rom. XIII, 11 : *Scientes hoc tempus, quoniam hora est jam de somno surgere*, quasi dicat Apostolus : vos scitis quoniam opportunum nobis est hoc tempus. Et propter hoc non debetis dormire per torporem et negligentiam ; sed surgere per strenuitatem et diligentiam. Stultus enim esset homo, si toto die vellet dormire, et in sero cum laborantibus mercedem recipere. Et propter hoc dicit Psalm. CXVIII : *Tempus faciendi, Domine*, quasi dicat : qui vult recipere debet laborare. Et in veritate stultus esset lathomus vel carpentarius, si posset quinque solidos in die lucrari, et non lucraretur. Sic etiam stultus esset mercator, si posset modium frumenti pro tribus vel duobus denariis habere, si non vellet ad emptionem festinare. Nunc autem possumus mercari pro minimo labore requiem sempiternam, pro una eleemosyna, pro uno parvo jejunio, et pro aliquantula pœnitentia. Et propter hoc dicitur Eccles. VIII, 6 : *Omni negotio tempus est, et opportunitas, et multa hominis afflictio. Qui ignorat præterita et futura, nullo potest scire nuntio* ; quasi dicat : negotium debet facere homo, dum tempus est opportunum, ut dictum est, et de dudum dolere : quia nescit respondere, nec de præterito tempore videre quod commisit, et ignorat utrum futurum tempus utilitati suæ deservire possit ; multos enim videmus intendere lucris temporalibus, sed paucos lucris spiritualibus, contra quod dicitur Eccles. XI, 18 : *Est qui locupletatur parce agendo.* Sequitur 20 : *Et nescit quod tempus pertereat illum, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et moriatur.* In quo patet stultitia mundanorum. Stultus esset mercator, si bene faceret factum aliorum, et male faceret suum. Tales sunt qui multiplicant et augmentant possessiones filiorum et nepotum ; animæ vero suæ et animarum eorum, scilicet, faciunt detrimentum. Propter hoc dicit Apostolus : *Ecce nunc tempus*, ad bene, scilicet, expendendum et conservandum, quoniam opportunum, secundum illud Eccles. IV, 23 : *Fili, conserva tempus, et devita a malo.* Et cum multi sunt qui illud inaniter consumant, licet sit omni substantia pretiosior, quod patet, quia sine tempore nihil lucrari possumus ; contra quod dicitur Eccles. XX, 7 : *Lascivus et imprudens non servabunt tempus*, non advertentes quod de quolibet momento temporis oportebit reddere rationem. Ideo dicitur Galat. VI, 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes etc.*

Non solum autem ad operandum excitat temporis opportunitas, sed etiam brevitas : et propter hoc dicit : *Ecce nunc tempus acceptabile*, quasi dicat : ita minimum habetis de tempore, quod non habetis nisi hic et nunc. Stultus esset debitis obligatus, si assignata esset hora, in qua se totaliter aquietare posset, si illam non diligenter observaret, dum tamen post illam horam alium terminum non haberet, et iterum se sollicitudinibus inutilibus occuparet. In veritate nunc Domino satisfacere possumus ; post mortem vero non erit tempus satisfactionis, sed potius recipiendi sive bonum sive malum. Et propter hoc, quoniam tempus breve est, non debemus superfluis et inutilibus occupari. Et propter hoc dicit Apostolus I Cor. VII, 29 : *Itaque, fratres, tempus breve est : reliquum est, ut qui habent uxores sint tamquam non habentes, et qui gaudent tamquam non gau-*

dentes, et qui emunt tamquam non possidentes. Et sequitur : *Præterit enim figura hujus mundi.* Exemplum de navi et transeuntibus in ea, et aliis transeuntibus qui, nave mota, motum suum non advertunt, sed alieni : quasi dicat : cito præterit quidquid delectabile, quidquid utile, quidquid amabile videtur in hoc mundo. Et hoc est quod dicitur Job. XIV, 1 : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.* Ecce quod brevitas vitæ nostræ comparatur flori decidenti, et umbræ transeunti. Flos enim subito nascitur, et subito desiccatur; sic et homo. Isai. XI, 6 : *Omnis caro fœnum, et gloria ejus quasi flos fœni**. Umbra vero transit et non revertitur, sic et homo. Sap. II, 5 : *Umbræ transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri.* Cum igitur ita breve sit tempus hominis, et longa sit via suæ peregrinationis, quia de exilio ad præmium, de miseria ad gloriam, stultus est qui onerat se temporalium sarcinis. Propter hoc dicitur Ecclesiastes VII, 1 : *Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit ?* Stultus enim esset peregrinus, qui longam haberet facere viam, et modicum de tempore, si vellet se de diversis fasciculis et sarcinis onerare, maxime si latronum timeret insidias, et modicum haberet de tempore. Quod breve autem sit tempus, et quod periculosum viatoribus, dicit Dominus Ezech. VII, 2 : *Venit finis, finis venit.* VII : *Venit tempus, prope est dies occisionis. Nunc de propinquo effundam iram meam.*

* agri

Sicut autem ad operandum urget temporis brevitas et congruitas, sic et mutabilitas, sive instabilitas. Stultus est enim viator, quando facit pulchrum tempus in mane, si expectat usque ad vesperum. Similiter et operator, quia dicitur Eccles. XVIII, 26 : *De* mane usque ad vesperam mutabitur* tempus, et hæc omnia citata in conspectu* Dei.* Instabilitas vero, sive mutabilitas tangitur ubi dicitur : *tempus. Ecce nunc tempus acceptabile.* Tempus enim de se dicit mutabilitatem. Cum enim omnia, quæ mutantur et alterantur, in tempore varientur, nihil mutabilius sive instabilius ipso tempore. Unde Philosophus dicit, quod tempus est mensura motus rerum mutabilium. Unde dicitur Ecclesiastes III, 1 : *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub sole**, hoc est, transitoria sunt ea quæ sub sole sunt et mutabilia, et hoc patet. Nunc enim homo jucundus est, et nunc tristis; nunc dives, nunc pauper; nunc in honore, nunc in abjectione. Sumus enim sicut in mari navis, quæ, dum quietum est mare, velociter transit; cum vero ventus intumescit, nunc ad alta tendit, nunc ad abyssum descendit, et in momento mergitur sive confringitur. Nunc enim homo sanus, nunc infirmus. Statim, dum non sperat, labitur, et tunc gaudium in luctum convertitur. Ideo dicitur Ecclesiastici XXXIII, 9 : *Mutavit* tempora et dies festos eorum, et illi* dies festos celebraverunt ad horam.* Sicut videmus quod flos modico vento rapitur ab arbore, et minutissimus pulvis impetu turbinis de montium vertice, sic anima de corpore. Et propter hoc dicitur Isaiæ XVII, 13 : *Rapientur sicut pulvis montium a facie terræ, et sicut umbra coram tempestate in tempore vespere :* hoc est in tempore mortuis suæ. Et propter hoc dicit Seneca Epist. I : « Vindica te tibi, et tempus quod adhuc aut auferebatur, aut subripiebatur, aut excidebat, collige et serva tibi. Quem enim mihi dabis, qui aliquod tempori pretium ponat? Qui diem æstimet? Qui se intelligat quotidie mori? » Quotidie enim morimur, quotidie aliqua pars vitæ nostræ subtrahitur, et illud instans, quo vivimus, cum morte dividimus. Multis enim ictibus securis percutit arborem, sed ultimo ictu prosternitur. Homo enim de die in diem vadit ad mortem, sed ultima dies, quæ forsitan erit hodie, conclusionem faciet. Eccles. V, 9 : *Subito veniet ira illius. et in tempore vindictæ disperdet te.*

* A
* ...mmutabitur
* ...n oculis
* ca...
* immu...
* in i...

Sicut autem ad operandum excitat temporis congruitas, brevitas, et instabilitas, sic et utilitas. Et propter hoc sequitur : *acceptabile, Ecce,* inquit, *nunc tempus acceptabile :* hoc est accep-

tandem, non respondam, quoniam utile est tempus istud acceptabile ad tria. Ad medicandum, quantum ad peccatores, ad fructificandum, quantum ad pœnitentes, ad lucrandum, quantum ad proficientes. Hoc ad litteram enim videmus, quod nunc germinant omnia renascentia, quæ saluti humanæ sunt necessaria. Non est nunc aliqua herba tam minima, quæ non germinet, vel non frondeat, vel aliquam viriditatem ostendat. Similiter non deberet esse christianus aliquis, qui modo plus solito non deberet orare, eleemosynas facere, et cætera hujusmodi. *Omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur*, ut ardeat, sicut dicitur Matth. iii, 10. Hoc est tempus ad fructificandum. Apocalyp. ii, 21 : *Ecce ego dedi ei** *tempus ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere a fornicatione sua*, propterea *mittam eam in lectum, et qui fornicantur** *cum ea, in maxima tribulatione erunt.* Dicitur de anima peccatrice. Nunc nostrum nobis est tempus ad pœnitendum concessum, non ad peccandum, sicut arboribus ad fructificandum. Quod si non fecerimus, faciet nobis Dominus, sicut facit hortolanus arbori, quamdiu fructum non facit : succidit. Matth. iii, 10 : *Ecce jam securis ad radicem arboris posita est. Agite ergo dignos fructus pœnitentiæ.* Quod enim nobis modo concedit tempus (est) ex misericordia. Tempus accipiet, et secundum justitiam judicabit. Secundum illud Psal. lxxiii, 3 : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo etc.* Et sic nos videmus quod hortolanus plantulas bonas et herbas nutrit, et malas et infructuosas evellit et ejicit ; sic etiam Dominus aliunde facit : bonos enim vivere sinit, et malos, tamquam steriles, et fructum bonorum operum in aliis impedientes, succidit, et de mundo ejicit, secundum illud Ecclesiastes iii, 2 : *Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est.* Propter hoc dicit : *Ecce nunc tempus acceptabile.*

Non solum tempus istud est acceptabile ad fructificandum, sed etiam ad medicandum. Istis enim temporibus, solent medici dare medicinas. In veritate multi sunt, qui per totum annum istum in infirmitate peccati languerunt : nunc autem mittit Dominus per mundum physicos suos, hoc est prædicatores et confessores. Nec solum mittit, sed etiam cuilibet proprium physicum assignat, videlicet proprium sacerdotem, ut languidos curet et mortuos suscitet. Dicitur enim Ecclesiastes iii, 3 : *Tempus occidendi, et tempus sanandi.* Tempus occidendi fuit tempus de peccato, sed tempus sanandi nunc est, scilicet tempus pœnitentiæ. Et licet infiniti sint maculâ peccati infecti, et licet infiniti sint morbidi, et licet infiniti sint mortui, paucos tamen videmus sanari, non quia medicos non habeant, sed quia medicos spernunt, et de medicina non curant, quamvis dicatur Eccles. xviii, 21 : *Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam.* Certe superbus esset infirmus, si Rex vel Papa mitteret ei physicum suum ad sanandum eum, et ipsum contemneret. Physici Regis cœlestis sunt presbyteri, quos mittit ad peccatores, et tamen nec audire volunt nec recipere : et propter hoc non est mirum si moriuntur aliquoties sine medico, qui dum poterant habere medicum, noluerunt ; propter quod dictum fuit in fine illud Jerem. viii, 15 : *Expectavimus pacem, et non erat bonum ; tempus medelæ, et ecce formido.* Aliquando enim erit, quod si totus mundus rogaret Dominum, non posset peccator habere medicinam, vel medicum unum, et propter hoc dicit Dominus Jer. xi, 14 : *Noli orare pro populo hoc, et ne assumas pro eis laudem : quia non exaudiam in die** *clamoris ad me, in tempore afflictionis.* Et propter hoc dicebat Apostolus : *Ecce nunc tempus acceptabile.* Et propter hoc Apostolus rogat nos in hac eadem epistola II Corinth. vi : *Hortamur** *vos, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis. Ait enim : tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.*

* tempore

* Exhortamur

Item non solum est acceptabile tempus ad medicandum et fructificandum, sed etiam ad lucrandum, sive ad acquirendum. Nota quod vulgariter dicitur : *Qui veut gagner perd le tout.* Ad litte-

ram enim pauperes, qui per totam hyemem fuerunt otiosi, isto tempore locant operas suas, ut lucrentur et solvant, quæ hyeme mutuo acceperunt. Et nos gelicidio peccati per multum tempus congelati, bonum opus, et præcipue vitæ æternæ meritorium, facere non potuimus; nunc autem lucrari possumus valde bonum forum. Propter hoc dicitur Ecclesiastes III, 6 : *Tempus acquirendi, et tempus perdendi.* Tempus perdendi fuit in tempore præterito, quando quidquid fecimus, scilicet in peccato mortali, totum perdidimus : nihil enim proficit ad vitam æternam; sicut vineæ, quando congelatæ sunt vehementer, fructum facere non possunt, sed aliunde per pedem finduntur et in ignem mittuntur, sicut nuper patuit. Tempus acquirendi est tempus quadragesimæ. Hoc enim tempore, quidquid per totum annum amisimus, possumus recuperare; quia sicut dicit Augustinus, pœnitentia est optima res et perfecta. quæ omnes defectus revocat ad perfectum. Debemus modo facere propter eum, sicut faciunt agricolæ, qui terras, quæ usque ad martium otiosæ fuerunt, modo seminant, et aliquoties totius hibernagii defectum reparant. Unde aliquotiens plus prodest martiivagium, quam hibernagium. Propterea si huc usque negligentes fuimus, nunc debemus solliciti et intenti esse, bonum semen seminando; hoc est bonum opus faciendo, quia si multum non seminaverimus, multum non metemus. Galat. VI, 8 : *Quæ seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne, scilicet, metet corruptionem : qui autem in spiritu seminaverit, de spiritu et metet vitam æternam. Bonum igitur facientes, non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes. Igitur dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

VII

ITEM DOMINICA I QUADRAGESIMÆ (*a*).

Non in solo pane vivit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth. IV, 4.

In Evangelio hodierno legitur quod Dominus Jesus ductus est a spiritu in desertum ut tentaretur a diabolo, et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit, et tunc tentatus est a diabolo dicente, lapidibus demonstratis : *Dic ut lapides isti panes fiant;* quasi volens ipsum capere per gulam, tamquam faciliorem ad omnia facinora paratum. Et tunc Dominus respondit verbum propositum, scilicet : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei;* in quo nobis ostenditur quod, inter omnia peccata mortalia, per gulam præcipue diabolus peccatoribus insidiatur; quod etiam in primis parentibus patuit, quos per gulam decepit, dicens Gen. III, 5 : *Scit Deus, quod in quocumque die comederitis de ligno vitæ, aperientur oculi vestri*; qui ceciderunt, et cum tota posteritate sua relegati fuerunt. Et certe numquam aliquod morsellum tam care fuit emptum, quoniam per illum omnes morimur, et ærumnis et miseriis temporalibus obligamur. Unde dictum est Adæ, et in ipso nobis omnibus, tamquam successoribus ejus Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Sed quia panis iste sufficeret multis, nec unquam aliunde quærerent, si haberent ad sufficientiam, secundum illud Joa. VI, 14 : *Domine, da nobis panem hunc semper*, ideo dicit Dominus : *Non in solo pane vivit homo;* quasi dicat : cum sit in homine duplex natura, spiritualis, scilicet, et corporalis, sicut sunt corpus et anima, duplicem tangit utriusque refectionem, materialem, scilicet, et spiritualem. Propter primum dicit : *Non in solo pane vivit homo,* quasi dicat : homo quantum ad naturam corporis, sustentatur cibo panis materialis; sed non sufficit panis iste. Habet enim naturam spiritualem, scilicet animam; et ista desiderat panem spiritualem, scilicet sacræ scripturæ doctrinam. Et propter hoc sequitur : *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Est igitur panis naturam nutriens corporalem, de quo dicitur Ecclesias XXIX, 28 : *Initium (necessariæ res) vitæ hominis, panis et aqua.* Non dicit carnes et pisces,

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

per dies vinum, sed aquam. Hæc enim cerula sunt ad necessitatem, sed alia frequenter comeditur ad voluptatem, et superfluitatem; et hoc præcipue tempore quadragesimali. Nunc enim est tempus dietæ. Cum enim per totum annum latam infirmi fuerimus, modo nobis assignatum est tempus ad salutem recuperandam. Et non mirum, quod medicus non sanat infirmitatem, nisi per arctam dietam, hoc est per multam asperitatem Isa. xxx, 20 : *Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem*. Sed multi sunt, sicut infirmus desperatus, qui non vult tenere dietam, sed qualibet hora vellet replere ventrem. Secundum illud Exod. xvi, 3 : *Comedebamus panem in saturitate*. Vix enim possunt per quadragesimam una die jejunare.

Hic autem panis, quo sustentatur natura corporalis, est acquirendus cum labore, comedendus cum dolore, largiendus cum amore.

Hic panis enim cum labore debet acquiri, non otio comedi. Quamvis sint multi, sicut vulpes qui occidunt pullos, et ova nec aliquem fructum (afferunt) nisi malum et nocivum, sicut et ipsi mali et nocivi, quales sunt raptores et usurarii, qui pauperem devorant, et nihil boni faciunt, non attendentes illud quod dicitur Genes. iii, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Et nota quod dicit : pane tuo, non alieno, quod est contra raptores et usurarios, qui suum *Pater noster quotidie repetunt*. Aiunt enim Matth. vi, 11, et Luc. xi, 3 : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : suum petunt et alienum rapiunt, secundum illud quod dicitur Eccles. xxxiv, 25 : *Panis egentium vita eorum, qui defraudat eum, homo sanguinis est*. Dicitur etiam : *Comede in sudore*, hoc est in labore. Sudor enim signum est laboris. Sed sunt bombinæ, qui comedunt flores, quibus nasci debent apes, qui tamen non fructificant, imo, quod pejus est, fructum apum devorant. Volunt enim bene comedere et bene bibere, et nihil facere, contra illud quod dicitur Proverb. ultimo 19 : *Manum suam misit ad fortia, et panem otiosa non comedit*.

Item panis iste debet comedi cum dolore, præcipue tamen a peccatoribus, qui non sunt digni pane quo vescuntur. Recipiunt stipendium Domini, et occupantur servitio diaboli. Propter hoc dicitur in Ps. cxxvi, 2 : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*, hoc est panem, de quo dolere debetis. Proditores enim sunt Domini, qui vescuntur de pane suo, et de vino suo, et tamen sustinent et fovent adversariam partem, scilicet diaboli adversarii sui, quæ quidem magna perditio est, secundum illud Ps. xl, 10 : *Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*. Tales enim sunt sicut ribaldi, qui pretiosa fercula comedunt et fortia vina bibunt, et quando solvere non possunt, spoliantur et egregie verberantur. Nunc enim isti peccatores in jucunditate bibunt et comedunt, sed quando venient ad computandum, ipsi ponent molam suam sub bancho, quia risus eorum convertetur in luctum; et propter hoc dicitur de viro isto Tob. ii, 5 : *Manducavit panem suum cum luctu et tremore*, commemorans illud quod dicitur per Amos prophetam : *dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum*. Et propter hoc præcipitur Deut. xvi : *Septem diebus comedes panem afflictionis*.

Item panis iste est largiendus ex amore, quia pauperibus dandus est ex compassione, secundum illud Isai. lviii, 7 : *Frange esurienti panem tuum*. Et notabiliter dicit : frange ; quia non præcipit dare panem integrum, sed panis frustum, ut non solum uni detur sed pluribus. Videmus enim quod gallina spicam integram non ponit ante pullos, sed confringit et distribuit; quod est contra quosdam, qui nesciunt eleemosynam facere nisi uni forsitan, tamquam noto vel familiari sibi, cujus contrarium fecit Dominus Luc. xxii, 19 : ubi dicitur quod accepit panes, et fregit, et dedit discipulis suis discumbentibus, non uni sed pluribus, et hoc innuitur Act. ii, 46 : ubi dicitur quod frangebant circa domos panes etc. Quidquid enim damus pauperibus, ante nos tot advocatos præmittimus ad Dominum. Nec solum decet pa-

nem frangi, sed esurienti dari. Sunt enim multi, qui familiaribus suis non egentibus, sed divitibus sua distribuunt, observantes id quod dicitur gallice : non amittit eleemosynam qui porco suo dat eam. Similes usurario, qui pecuniam suam dat ad usuram, ut eam recipiat multiplicatam. . . . . Contra quos dicitur Tob. IV, 17 : *Panem tuum cum egenis et esurientibus comede.* Sunt enim quidam, sicut asinus qui nescit mingere nisi in aqua. Plus enim divitibus quam pauperibus exhibent largitatem suam, contra illud Ecclesiastes XI, 1 : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas,* hoc est divitias mundanas. Aqua enim in mari non est projicienda, sed potius in terra sitienti et arida. Similiter nec eleemosyna divitibus, sed pauperibus est facienda. Unde versus : *Si diviti dono, latices in flumine pono.* Et hoc est quod dicitur Prov. XXII, 9 : *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur : de panibus enim suis dedit pauperi.* (De hac materia in sermone : *Quot panes habetis.*)

Sequitur : *sed in omni verbo etc.* quasi dicat : exterior homo, scilicet corpus, sustentatur pane materiali, sed interior, scilicet anima, pane spirituali, scilicet verbo Dei. Multos enim hodie videmus laborantes pro pane materiali, sed paucos pro pane spirituali, licet comedentes panem materialem necessario moriantur. Alii vero, qui comedunt panem spiritualem, de vita in vitam transferuntur, et hoc est de vita gratiæ in vitam gloriæ. Joa. VI, 32 : *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dedit* * [dat] *vobis panem de cœlo verum.* Et sequitur : *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Qui autem comederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Istum panem vocat evangelicam doctrinam.

Sed attende quod verbum Dei aliter operatur in sanis, aliter in infirmis, aliter in mortuis. Conservat sanos, sanat morbidos, vivificat mortuos. Verbum igitur Dei sanos, idest justos, conservat et continuat in vita gratiæ. Joan. V, 24 : *Qui audit verbum meum, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam,* in se manentem. Verba enim Dei sunt sicut quædam medicina sanitatis spiritualis conservativa. Certe non est aliquis dives in mundo, qui non vellet semper habere medicinam, quæ in ipso conservaret semper sanitatem corporalem ; quanto magis spiritualem? Et pro certo doctrina sacræ Scripturæ quoddam est medicamentum, sive dieta vitæ spiritualis, secundum illud Baruch IV, 1 : *Scribam eis præcepta mea, et multiplices leges meas, quas qui audierit homo vivet in eis.* Propter hoc non est mirum, si totus mundus plenus est mortuis, quia nec de medicina curant, nec de medico. Secundum illud Exodi XII, 30 : *Non erat domus, in qua non jaceret mortuus;* quamvis dicat summus medicus Proverb. IX, 2 : *Serva mandata mea, et vives.* Sunt enim mandata dieta quædam quotidiana, sine qua non est vita. Nec solum respuunt medicamentum, sed ipsum medicum, qui de seipso dicit Proverb. IX, 11 : *Per me multiplicabuntur dies tui, et addentur tibi anni vitæ.* Propter hoc conqueritur Joan. V, 40 : *Vos non vultis venire ad me, ut vitam æternam habeatis.*

Item verbum Dei non solum conservat sanos, sed sanat morbidos, illos scilicet qui leviter cadunt, et difficiliter resurgunt, tamquam difficiles ad bonum, et promptos, et pronos, et paratos ad omne malum. Propter hoc dicitur in Ps. CVI. 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos, et ejecit eos de infirmitatibus eorum* * [*eripu interit bus*]. In quo patet summa pietas salvatoris, qui per physicos, hoc est prædicatores suos, sine aliquo sumptu mittit medicinam suam, hoc est salutarem doctrinam, adeo virtuosam quod sanitati restituit morbidos, et a morte liberat eos. Certo non est vetula, quæ, si laboraret ad mortem, medico non daret quidquid habere posset, etsi non haberet nisi duos pullos aut duos caseos. Et Dominus exponit gratis medicinam animarum, sanctum scilicet verbum suum, de quo dicitur Sap. XVI, 12 : *Neque herba neque malagma sanavit eos, sed sermo tuus omnipotens, Domine, qui sanat omnia.* Ecce quod dicit omnia sanare verbum divinum, non verbum vetularum. Deus enim dedit vim verbis sacræ Scripturæ, non verbis vetulæ,

quod attendens regulus ille dixit : *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed dic tantum verbo et sanabitur puer meus.* Et dixit ei Jesus : *Vade, filius tuus vivit*, et rediens ad domum suam invenit eum sanum, et cognovit quod in illa hora sanatus fuerat in qua dixit, *filius tuus vivit*, sicut dicitur Joan. iv, 47. Item verbum Dei non solum conservat sanos, sanat morbidos, sed vivificat mortuos, secundum illud Joan. v, 25 : *Venit hora, et nunc est, quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* In monumentis sunt peccatores et obstinati, et præcipue cupidi, tamquam in terra et in terrenorum amore totaliter infossi, qui dum aliquando verba Dei audiunt, per pœnitentiam resurgunt, similes Lazaro, cui cum dixisset *Lazare, veni foras*, statim surrexit qui erat mortuus. Et propter hoc dicit Dominus, tamquam peritus et summus medicus Isai. lv, 1, 2, 3 : *Venite ad me, audite, et vivet anima vestra.* Bene etiam dicuntur esse in monumentis, non tamquam homines rationabiles, sed tamquam cadavera fœtida, vel ossa arida nullum spiritualem humorem habentia, quos paratus est vivificare ipse medicus sola gratia sua. Ezechielis xxxvii, 4 : *Ossa arida, audite verbum Domini, et intromittam* in vos spiritum et vivetis.* Verbum enim divinum est tamquam vivificans emortuum truncum, qui ad humorem aquæ profert fructum suum, secundum illud Job xiv, 7 : *Lignum habet spem, si præcisum fuerit rursum virescit, et si in pulvere emortuus fuerit truncus ejus, ad odorem aquæ germinabit etc.* Aquam vocat sacram scripturam, quæ peccatorem tamquam truncum mortuum vivere facit per gratiam, secundum illud Job. viii, 11 : *Numquid potest* scirpus vivere absque humore? aut* crescere carectum sine aqua?* quasi dicat : non. Et propter hoc dicit : *Ossa arida, audite verbum Domini, intromittam* vos.* Et certe non est aliqua ita debilis vetula, quæ filium suum mortuum non adduceret libenter ad physicum, si sciret eum resuscitandum. Summus physicus dicit Amos v, 6 : *Quærite Dominum et vivetis* etc.* Et certe Dominus liberalis est medicus, quia postquam resuscitavit mortuum non dimittit eum, nisi resuscitatus ille prius dimittat illum. Amos v, 14 : *Quærite bonum et non malum, ut vivatis, et Dominus erit vobiscum.* Rogate Dominum etc.

(a) [illegible]

VIII

FERIA II POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ (a).

*Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas, et liberabo eas, et * educam eas de populis, et congregabo eas de terris, et introducam eas in terram suam, et pascam eas in montibus Israel.* Ezech. xxxiv, 12 et 13.

* educam eas de populis et introducam eas in

In his verbis, sub similitudine pastoris et ovis, septem beneficia tangit Dominus, quæ paratus est facere fidelibus suis. Quatuor prima facit peccatoribus ; tria vero sequentia facit pœnitentibus et perfectis hominibus. Bonus enim pastor requirit oves perditas, visitat infirmas, liberat impeditas, educit inclusas. Perditur ovis, hoc est anima fidelis, quando recedit ab eo, quando, scilicet, ovis a pastore suo, vel ab ovili proprio, hoc est a fideli consortio ; quando diabolus invenit et segregatam devorat et occidit, secundum illud Joan. x, 12 : *Lupus rapit, et dispergit oves.* Hunc autem Dominus requirit, quando de ore diaboli per misericordiam eruit. Ezech. xxxiv, 10 : *Ecce ego requiram gregem meum de manu eorum.* Et infra sequitur xvi : *Quod perierat, ego requiram.* Et bene dicit : *ego requiram*, quia negligentes sunt alii pastores, sed potius devorant suas oves, secundum illud Ezech. xxxiv, 5 : *Greges mei facti sunt in rapinam, et in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor.* Neque enim requisierunt gregem meum pastores.

Item languet ovis, quando pastor delectatur in peccato suo ; quam pastor suus sanare debet, et si membra sua fuerint confracta consolidare. Tunc autem sanatur et consolidatur, quando per medicamentum fovetur, et bonis actibus confirmatur. Unde contra pastores malos

Dominus clamat Ezech. xxxiv, 4: *Quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod confractum non alligastis;* et propter hoc oportet me visitare per misericordiam, quod omisistis per negligentiam. Ezech. xxxiv, 12: *Sicut visitat pastor gregem suum, sic visitabo oves meas.* Sequitur xvi: *quod confractum fuerit alligabo, et quod infirmum fuerit consolidabo.*

Item ovis impeditur et ligatur, quando tenet diabolus, ita quod a peccato recedere non sinit. Sicut ovis aliquando tenetur in fructetis, sive spinis, ita quod non potest ad domum venire; hanc autem solvit Dominus, quando solvit omnia peccata, retiacula peccatorem retinentia et retardantia. Ezech. xxxiv, 12: *Liberabo oves meas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis;* hoc est in die mortis, sive in die culpæ mortalis hominem excæcantis. Hoc est quod dicitur Eccles. li, 4: *Liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, et de multis tribulationibus, quæ circumdederunt me.*

Item ovis quæ includitur et retinetur, est ipsa anima fidelis quæ non sinitur egredi, quemadmodum cum ovis in alicujus pascuis retinetur capta, ut ad pascua non egrediatur, sed in fecibus infamiæ moriatur. Propter hoc ipse Dominus educit eam in fecibus suis jacentem, secundum illud Psal. xxxix, 1: *Expectans expectavi Dominum.* Et sequitur: *et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fecis.* (Hoc habes supra expositum, ubi: *Salvatorem expectamus*). Hoc autem innuitur Joan. x, 3. Bonus pastor *proprias oves vocat nominatim, et educit eas,* tamquam suas in parco diaboli deceptas, in quarum persona clamat Psalmista Ps. cxli, 3: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo,* hoc est sacerdoti christiano, cui confitemur in nomine tuo. Sic igitur omnis ovis vagabunda, quæ quidem est anima peccatrix, requiritur in vocatione, visitatur in consolatione, liberatur in expeditione, educitur in restitutione; hoc est quando restituitur libertati suæ. Vivis autem justis, tamquam ovibus suis spiritualibus vel specialibus, tria facit. Congregat, inducit et pascit. Congregat in mundo, inducit in judicio, et pascet in regno. Summus enim pastor congregat errantes oves, inducit exeuntes, reficit accumbentes.

Suas igitur oves Dominus congregat in hoc mundo, in unitate dilectionis. Lupus enim animalia congregata timet aggredi; sic et diabolus in caritate unitiva congregatos. Mich. ii, 12: *Congregatione congregabo Jacob totum te; in unum ponam te quasi gregem, quasi pecus in * ovili caularum.* Et Ezech. * med
xxxvii, 21: *Ecce ego assumam filios Israel: et congregabo eos, et faciam eos in gentem magnam *, et rex unus erit in* * una
omnibus imperans; et non erunt ultra duæ gentes, secundum illud Oseæ i, 11: *Et ponent sibi etc. Congregabuntur filii Israel *.* * Jud

Item inducet in judicio. Quos enim congregavit in unitate dilectionis, inducet in terram promissionis. Et hoc est quod dicitur hic. Inducet eos in terram suam, hoc est suis meritis et laboribus acquisitis, et antiquis patribus repromissam. Et tunc complebitur illud Exodi vi, 7: *Assumam vos in populum, et ero vester Deus, et tunc scietis quia ego sum Dominus, qui eduxerim * vos in terram* * indu... rim
*super quam levavi manus meas *, ut da-* * man... mea
rem eam patribus vestris.

Pascet in regno accumbentes, non istis voluptatibus fastidiosis, sed illis de quibus dicitur Ezech. xxxiv, 14: *In pascuis uberrimis pascam eas, in montibus excelsis Israel erunt pascua earum. Ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel: ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus.*

IX

ITEM FERIA II POST DOMINICAM I QUADRAGESIMÆ (*a*).

*Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine * mundi.* Matth. xxv, 34. * a con... tution

Legitur in Evangelio hodierno qualiter Dominus ad judicium sit venturus. Unde

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

verbis istis præmittitur : *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris. Et tunc dicet his, qui a dextris ejus erunt : Venite benedicti* etc. In quibus verbis ostenditur, quam familiaritatem et amorem ostendet se Dominus familiaribus et amicis suis. Hoc autem ostenditur tripliciter : Verbo vocationis, signo benedictionis, et facto retributionis. Propter primum dicit : *Venite* ; ac si dicat Dominus : *Ego sum ostium*, sicut dicitur Joan. x, 7, et propter hoc non potestis venire nisi per me. Oportet tamen quod prius post me veniatis, secundum illud Matth. xix, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Luc. ix, 23 : *Si quis vult venire post me, abneget se* etc. Et tandem veniatis ad me, secundum illud Eccles. xxiv, 26 : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me* etc. Joan. vi, 37 : *Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras*, ut postmodum intretis per me. x, 9 : *Si quis autem introierit, salvabitur : et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Tunc igitur dicet suis : *Venite*. Et hoc tam divitibus quam pauperibus, mendicis, scilicet, et amicis, activis et contemplativis. Tales enim venire solent ad festum, pauperes ut reficiantur, divites ut honorentur. Venite ergo mendici. Matth. xi, 28 : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Vocantur ad refectionem onerati onere pœnitentiæ, quod quidem non est onus aggravans, sed allevans : et hoc patet quia anima pondere pœnitentiæ onerata, recto tramite currit ad cœlum, secundum illud Matth. iii, 2 : *Agite pœnitentiam ; appropinquavit enim regnum cœlorum.* Navis in aqua citius currit, quando mediocriter est onerata, quam si esset vacua. Equus etiam quadrigæ junctus dulcius trahit eam, licet onus oneri conjungatur. Et propter hoc dicitur Matth. xi, 29 : *Tollite jugum meum super vos, jugum enim meum suave, et onus leve.*

Item vocat laborantes in operibus misericordiæ, ut requiescant, tanquam scilicet fatigati. Apocalyp. xiv, 13 : *Amodo enim jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos.* Omnes autem istos vocat ad supernam refectionem, tanquam famelicos, et ipsam vehementer desiderantes. Unde sequitur 23 : *et ego reficiam vos.* Prov. ix, 5 : *Venite, comedite panem meum.* Et ipsi sunt qui vocantur ad nuptias.

Item vocat amicos, hoc est vivos perfectos et contemplativos ; et hoc ut honorentur. Tunc enim qui modo deridentur in mundo, coronam portabunt in cœlo. Cant. iv, 8 : *Veni de Libano, soror mea, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis.* Ter dicit : *Veni de Libano*, qui interpretatur candidatio. Nullus intrabit ad nuptias, nisi habeat triplicem puritatem ; candorem conscientiæ, nitorem vitæ, splendorem famæ. Et isti sunt qui sunt amicti stolis albis, sanguine agni dealbatis : hoc est imitatione Dominicæ passionis. Apocalyp. vii, 13 : *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venerunt? Isti sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni*, ut scilicet sine contradictione intrent palatium cœli, tanquam scilicet regiis vestibus induti, secundum illud Apocalyp. ultimo 14 : *Beati qui lavant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas... et per portas etc.*

Sequitur : *benedicti*. In quo tangitur familiaritas in signo benedictionis. Tunc enim summus Pontifex dabit eis suam benedictionem. E contrario suis inimicis dabit maledictionem suam, quibus non dicetur : venite in cœlum, sed ite in abyssum. Matth. xxv, 41 : *Ite maledicti etc.*, quasi dicat : recedite cum maledictione mea de consortio beatorum descendentes in abyssum, sed in consortium damnatorum.

Amici siquidem benedicentur dupliciter : a creatura, et a creatore. A creatura propter opera misericordiæ. Proverb. xxii, 9 : *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur ; de panibus enim suis dedit pauperibus**. Et ista benedictio nihil aliud * paup

erit, quam quædam congratulatio pauperum coram creatore suo. Eccles. xxxi, 28 : *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.*

Item benedicentur a creatore propter executionem justitiæ, sive pœnitentiæ, quod figuratur in Job, qui per multa flagella, post adversitates immensas, a Deo meruit benedici. Job xlii, 5 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* *ninus n be-rit* Sequitur 12 : *Et benedixit* Dominus novissimis Job, magis quam principio ejus.* Benedictio enim Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio ; sicut dicitur Proverb. x, 6 : *Benedictio Domini super caput justi;* sicut ibidem dicitur Eccles. xi, 24 : *Benedictio Dei in mercedem justi festinat.*

Item ostendit se familiarem suis amicis ; et hoc dupliciter. Largiter et curialiter facto retributionis quantum ad donum, et quantum ad modum. Propter primum dicit : *Possidete regnum Dei;* quasi dicat : in possessione do vobis vitam æternam, sive regnum æternum nequaquam vobis auferendum. Et tunc complebitur illud Matth. xxvi, 10 : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Qualiter autem acquiratur hæc possessio dicitur Luc. x, 25 : *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo ?* Et respondetur 27 : *Diliges Dominum Deum tuum etc.* Matth. xix, 29 : *Omnis qui reliquerit domum etc., centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.*

Sequitur : *Quod vobis paratum est etc.* In quo tangitur curialitas creatoris, qui tale donum ab initio mundi paravit amicis suis. Matth. xxii, 4 : *Omnia parata sunt: venite ad nuptias.* Sequitur 8 : *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui vocati sunt,* *runt* *non erant* digni.* Nec solum paratus est cibus, sed etiam locus. Joan. xiv, 2 : *Vado parare vobis locum.* De quo loco dicitur Apocalyp. xii, 6 : *Fugit mulier in solitudinem, ubi invenit locum a Deo sibi paratum.* Rogemus etc.

X

FERIA IV QUATUOR TEMPORUM IN QUADRAGESIMA (*a*).

Ascende ad me in montem. (Exod. xxiv, 12.

Videns Dominus quod quidam usque ad hodiernum diem jacuerunt in lecto peccati, quidam sederunt ad mensam diaboli, quidam sederunt in foro mundi, monet quod ascendant in montem cœli, tamquam ad palatium Dei, quemadmodum et ipse, qui est caput nostrum, ascendit, secundum illud Mich. ii, 13 : *Ascendit iter pandens ante eos ; divident et transibunt portam, et ingredientur per eam ; et transibit rex eorum coram eis, et Dominus in capite eorum*; membra enim debent sequi caput. Inconveniens enim est quod caput in imo, et corpus collocetur in altum, sed in quocumque debent sequi Dominum suum, et non remanere post ipsum.

Et propter hoc dicitur : *Ascende ad me in montem ;* quasi dicat ; non jacens in lecto concupiscentiæ carnalis, sicut paralyticus, qui dimidiam partem amisit corporis. Homines enim carnales ad carnalia sunt fortes, sed ad spiritualia debiles ; similes asino, qui in posterioribus fortis est, sed in anteriori parte, qua crucem continere videtur, est multum debilis : de quibus dicitur Matth. viii, 8 : *Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur.* Vere pueri dicuntur paralytici, quia multi, tamquam ignavi, in hoc lecto moriuntur frequenter, similes jumentis, qui putrescunt in stercoribus suis, quibus dicitur IV Reg. i, 16 : *De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Est enim diabolus sicut venator, qui feram in cubili suo latitantem quærit, et latenter interficit. In cujus figura dicitur I Reg. xix, 15 : *Afferte eum ad me jacentem in lectulo, ut moriatur* ;* dixit Saul de *…ccnd…* David. Qui autem in hoc lectulo mortui fuerint, transferentur sicut mortui de lecto in feretrum, hoc est de lectulo concupiscentiæ carnalis in lectum mise-

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

riæ æternæ. Apocalyp. ii, 22 : *Dedi ei tempus, ut pœnitentiam ageret, et non vult pœnitere * a fornicatione sua; et projiciam eam in lectum et qui cum ea mœchantur, in tribulatione maxima erunt.* Et propter hoc talibus dicitur Josue xviii, 3 : *Usquequo marcetis ignavia, et non ascenditis * ad terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis?* Et hoc est quod dicitur hic : *Ascende ad me.* Ascende, dicit, non jace.

Item ascendere debemus, non sedere ad mensam diabolicæ tentationis, ubi hæc apponuntur fercula, quæ nociva delectamenta, sive desideria mala. Et propter hoc dicitur in Psal. cxxvi, 2 : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*, hoc est delectationem culpæ mortalis, de qua dolere debetis. Periculosum est enim ad hanc mensam sedere. Diabolus enim est sicut latrones et mali hospites, qui quando bene comedunt et bibunt cum sociis et hospitibus suis, jugulant eos et interficiunt; vel sicut proditores et venefici, qui sub cibis delicatis et ferculis venena abscondunt, et homines perimunt. Et propter hoc dicitur Prov. xxiii, 1 : *Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apponuntur * ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes potestatem in animam tuam *. Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.* Nota de Nabuchodonosor Daniel v, 25, qui dum comederet et biberet vidit manum scribentem in pariete, *mane, thecel, phares*, quasi dicat : hodie numerata sunt et appensa in divina statera omnia peccata tua, et dum bibis epulans, dives a mundo transferreris in infernum, quemadmodum dicitur de illo divite qui comedebat et bibebat quotidie splendide etc. Et sequitur : *Mortuus est dives et sepultus est in inferno.* Propter hoc dicit : non sedeas ad mensam maledictionis, sed ascende ad montem mensæ divinæ fruitionis. I Reg. ix, 19 : *Ascende ante me in excelsum, ut comedas mecum hodie.*

Item, ascende, dicit, non sta tamquam in foro mundanæ curiositatis, in quo non est standum sed potius laborandum. Stultus enim esset operarius qui posset tres solidos vel quatuor lucrari in die, et aliis operas suas locantibus in foro remaneret otiosus. Modo possumus lucrari bonum forum, quia cœleste regnum, pro parvo jejunio refectionem æternam, pro pœnitentia momentanea requiem interminabilem. Et propter hoc non debemus stare, sed potius de virtute proficere in virtutem. Redarguit enim Dominus nos tamquam operarios otiosos Matth. xx, 3 : ubi dicitur : quod exiens pater familias vidit quosdam stantes in foro otiosos, et dixit eis : *Quid statis tota die otiosi? Ite et vos in vineam meam.* Igitur stare non debemus tamquam otiosi, sed sic stemus tamquam ad ambulandum vel ad laborandum parati, secundum illud Tob. v, : *Invenit Tobias juvenem splendidum, stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum.* Sed potius ascendendum de merito in meritum, de mundo in cœlum, secundum illud Psal. lxxxiii, 6 : *Beatus homo * cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* Et bene dicit : *Cujus est auxilium abs te;* cum homo tam præteritis peccatis quam præsentibus sit oneratus, qualiter ascendere posset, nisi Dominum haberet adjutorem? Propter hoc enim Christus ascendit in altum ut nobis ascendere volentibus, sed non valentibus, extenderet manum ad auxiliandum, sicut facit peregrinus peregrino qui transit malum passum Deut. xxxiii, 26 : *Ascensor cœli auxiliator tuus.* Non debemus ascendere ludendo per lasciviam et dissolutionem, sed flendo per compunctionem et devotionem. Et propter hoc dicit : *Ascensiones in corde suo disposuit; in valle lacrymarum, etc.* Semper enim homo timere debet ne recedat, quantumque proficiat vel ascendat dum ad cœlum perveniat. Unde dicitur II Reg. xv, 30, quod *David ascendebat clivum olivarum, scandens et flens operto capite.* Non est igitur jacendum, vel sedendum, vel standum, sed ascendendum in montem, secundum præceptum divinum. *Ascende*, inquit, *in montem.*

Sed nota quod triplex est mons, scilicet mons culpæ, mons gratiæ, et mons gloriæ. Ad primum ascendunt superbi,

sed præcipitantur; ad secundum justi, sed transferuntur, ad tertium beati, sed ibi reficiuntur.

Est igitur mons culpæ, qui dici potest mons elationis, cui comminatur Dominus Jer. LI, 25 : *Ecce ego ad te mons pestifer, dicit Dominus, qui corrumpis universam terram. Extendam manum meam super te, et evellam * te de petris, et dabo te in montem combustionis, et eris perditus in æternum.* Ad hunc montem non esset ascendendum, sed potius descendendum, quod significavit nobis Jesus Matth. VIII, 1, ubi dicitur quod *cum descendisset Jesus de monte, stetit in loco campestri.* Ad hunc montem voluit ascendere Lucifer, et cum collegis suis præcipitatus est in sterquilinium inferni Isai XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui dicebas in corde tuo : in cœlum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti etc.* Et sequitur : *et similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.*

'vam

Item est mons gratiæ, sive perfectionis vitæ, de quo dicitur Isai. II, 3 : *Venite ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas etc.* In hoc enim monte tenet Dominus scholam suam, quod innuitur Matth. V, 11, ubi dicitur, quod *videns Jesus turbas, ascendit in montem, et accesserunt ad eam discipuli ejus, et docebat eos dicens : beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Unam partem istius lectionis bene retinent multi, sed aliam tradunt oblivioni. Volunt enim regnare in gloria, sed nolunt esse pauperes cum ipso in via. De hoc monte transfertur homo in montem gloriæ, quod figuratur Deut. XXXII, 49 : ut dictum est Moysi : *Ascende in montem hunc Abarim, et contemplare * terram quam daturus sum filiis Israel.* Abarim nuncupatur transitus.

ide

Item est mons gloriæ, de quo dicitur Isaiæ XXV, 6 : *Faciet dominus in monte hoc convivium cunctis * populis.* Ecce quod convivium illud erit nobile, quia illud faciet Dominus. Erit generale, quia cunctis gentibus. Erit delectabile, propter hoc sequitur, *convivium pinguium* ad reficiendum, *convivium vindemiæ defecatæ* ad delectandum. Hic est mons, de quo dicit Ps. XXIII, 3 : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus,* quasi dicat, nullus ascendet nisi penitus exoneratus, ut sit puritas in opere, veritas in more, serenitas in corde. Hic est ascensus ad quem invitamur Gen. XXXV, 3 : *Surgite et ascendamus in Bethel ad eum qui exaudivit me in die tribulationis, et socius fuit itineris mei.* Et hoc est quod proprie hic dicitur. Quod vobis etc.

nibus

(*a*) Ex recensione D. Cecelli.

XI

ITEM FERIA QUARTA QUATUOR TEMPORUM IN QUADRAGESIMA (*a*)

Magister, volumus a te signum videre.
(Matth. XII, 38.)

Infidelissimi Judæi non poterant nec volebant, tamquam excæcatissimi, nisi signa viderent, hoc est miracula, sive mirabilia facta, propter quod Dominus dicit eis Joan. IV, 48 : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Judæi enim signa quærunt, sicut dicitur I Corinth. I, 22, propter quod ipso prædicante ad eum frequenter accedebant et ipsum tentantes non illuminationem cordium, non salutem animarum quærebant sed solum signa et mirabilia videbant Matth. XVI, 1 : *Accesserunt ad eum Pharisæi tentantes, ut signum de cœlo mitteret * eis.* Et similiter faciunt in verbo proposito, dicentes : *Magister etc.* Et bene dicunt *a te.* Sunt enim alia signa multa, quæ ab illo non sunt.

*ostende

Est enim signum collectivum, deceptivum, discretivum, directivum et revocativum. Primum superbiæ, secundum lasciviæ, tertium pœnitentiæ, quartum misericordiæ, quintum justitiæ. Primum diaboli, secundum hominis mali, tertium hominis justi, quartum hominis Christi, quintum hominis Dei.

Est igitur signum superbiæ tamquam vexillum, sed diaboli, quod in prælia contra Dominum portant superbi tamquam principales in exercitibus principis

est, quæ signo suo multi congregantur ad pugnandum contra Dominum, sicut milites congregantur quando vident signum domini sui. Unde et superbi sunt signiferi diaboli, propter quod dicit Glossa super illud Job. XLI, 25 : *Ipse est rex super universos* * *filios superbiæ*. Evidentissimum signum damnatorum est superbia, sed humilitas est salvandorum, quibus dum quisque discernitur sub quo rege levetur. Et de hoc signo dicitur Apocalyp. XVI, 14 : *Spiritus dæmoniorum facientes* * *signa, et procedebant* ** *ad reges totius terræ congregare illos in prælium*. Tali enim superbi sunt qui impugnant Redemptorem suum. Et in veritate per hoc signum congregavit hodie diabolus magnum exercitum tam minorum quam majorum, et tam clericorum quam laicorum, quos tandem ducit ad hospitium suum, tamquam rex exercitum pugnatorum, ut reddat ei stipendium suum. Apocalyp. XII, 1 : *Visum est signum magnum in cœlo*, hoc est Ecclesiæ militantis alto atrio. Sequitur 3 : *Et ecce draco magnus et rufus habens capita septem*, quantum ad numerum septem capitalium vitiorum, *et cornua decem*, quantum ad transgressionem decem præceptorum, *et cauda sua trahebat tertiam partem stellarum*, hoc est illorum quorum conversatio videbatur esse in cœlo, non in terris.

Est signum deceptivum, scilicet signum peccatorum, quod est signum lasciviæ, per quod multi decipiuntur hodie. Diabolus enim facit sicut latrones, qui signum ponunt in via periculosa, per quod divertere faciunt viatores, et ita spoliant et jugulant non advertentes. Et propter hoc eliget in fine omnium temporum Antichristum, tamquam specialem proditorem et imitatorem suum, de quo dicitur II Thessal. II, 9 : *Adventus ejus est secundum operationem Satanæ, et in omni virtute, et signis mendacibus. In omni seductione iis qui pereunt*, quasi dicat : Antichristus quando venerit, signa mendacia faciet in fine, sicut diabolus facit hodie multos seducendo, multos occidendo. Habet autem diabolus suos vicarios : hoc est lascivos et voluptuosos tamquam suos tabernarios, qui ubique signa lasciviæ proclamantes et relinquentes nunc in taberna, in postibulo, et in omni lascivia hac, secundum illud Sap. II, 8 : *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria* * *nostra*. Et sequitur 9 : *Ubique* * *relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors.*

Item est signum discretivum, scilicet bonorum quod est signum pœnitentiæ, per quod boni distinguuntur a malis, justi ab injustis, quemadmodum ab ove distinguitur ovis. Per hoc enim signum discernitur ovis Dei ab ove diaboli, quemadmodum discernitur ovis hominis ab ove proximi sui. Carnifex enim diabolus interficere potest pecudem, sive ovem suis pecudibus associatam, nisi viderit eam signo contrario signatam. Signum diaboli signum est malitiæ, de quo dicebat illa sancta mulier Esther XIV, 16 : *Tu scis quod abominor signum superbiæ, quod est super caput meum in die ostentationis meæ*. Signum Dei signum est pœnitentiæ, quo signo signati non timent machinationes diaboli, sicut nos videmus quod domus religiosorum signatæ signo crucis non timent brachium justitiæ sæcularis. In cujus signum dicitur Ezech. IX, 4 : *Signa* Tau *super frontes virorum gementium et dolentium*. Et sequitur : *Omnes interficite : super quem autem videritis signum* Tau, *ne occidatis, et a sacrario* * *meo incipite*. Ecce quod Dominus interfici præcipit non signatos pœnitentiæ, et quod majus est propter signum misericordiæ malis parcit propter bonos, quemadmodum videmus quod judex malis filiis propter bonum patrem parcit : et qui castrum vel civitatem expugnat, omnibus adversariis suis parcit, si forte signum suum in eminentiori loco posuerint. Nota de muliere meretrice Jericho Rahab scilicet exploratoribus Josue II, ubi signum coccineum etc. In cujus rei signum dicitur Apocalyp. VII, 3 : *Nolite nocere terræ*, idest cupidis, *et mari*, idest voluptuosis, *neque arboribus*, tamquam elatis, *quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.*

Item est signum directivum scilicet signum Christi, quemadmodum misericordiæ. Ipse enim pro nobis signum sempiternum exposuit, secundum leges huma-

nas quidem, sicut in actibus antiquorum legitur rebelles majestatis imperatoriæ tamquam signum ad sagittas ponebant et interficiebant. Dominus enim Jesus pro nobis capitalibus inimicis, scilicet se signum ad sagittas exposuit. Justus pro injustis, amicus pro inimicis. Threnorum III, 12 : *Tetendit arcum suum, et posuit me quasi signum ad sagittam.* Et hoc signum dicitur signum directivum, quoniam ad ipsum debemus oculos mentis dirigere, nec unquam oblivioni dare. Si enim Dominus pro servo, vel medicus pro infirmo se ipsum spontaneum morti exposuisset, ut eum sanaret, vel a morte liberaret, numquam oblivisci debuisset. In cujus signum semper promittitur nobis illud Numer. XXI, 9 : *Fecit Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo, quem percussi aspicientes* * *sanabantur.* Serpens æneus habens serpentis figuram, non venenosam naturam, Christus est humanatus, et sine peccato conceptus, et natus, quem recolere debemus pro nobis suspensum et mortuum, sicut innuitur hic, ut liberemur et sanemur a servitute diaboli et a languore peccati. Utinam attenderemus exemplum beatæ Elisabeth, quæ similitudinem et imaginem sponsi sui Lantgravii depingi fecit in pariete coram se, facie sua, in propria camera, ut repræsentaretur semper ei qualiter mortuus fuerat hæreditate sua sibi restituenda. Si enim mulier mortem hominis occisi pro hæreditate temporali semper præ oculis habuit, quanto magis anima fidelis mortem Christi pro nobis occisi semper præ oculis debet habere, nec unquam oblivioni dare. In cujus figura dicitur Exod. XII, 13 : *Erit vobis sanguis agni in signum in ædibus, in quibus eritis*, quasi dicat effusionem sanguinis Christi semper præ oculis habebitis, per quem liberati estis Exod. XIII, 9 : *Erit quasi signum in manu sua, et quasi monumentum ante oculos tuos.* Hoc autem signum non solum est ostensivum misericordiæ, sed directivum in viam salutis æternæ, quemadmodum nos videmus quod cruces ponantur in biviis, ut sint signum directionis et ostensionis viæ peregrinis transeuntibus. Sic enim oportuit Christum pati et intrare in gloriam suam per crucem ignominiæ, sicut dicitur Lucæ ultimo, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum etc.*, sic oportet nos intrare in vitam æternam per crucem pœnitentiæ. Propter hoc dicitur Isaiæ LXII, 10 : *Elevate signum ad populos* 2, *ingrediantur portas duces.* Sicut enim videmus quod princeps ingrediens castrum recipit omnes armis suis insignitos, sicut et Christus omnes fideles armis pœnitentiæ, tamquam armaturæ suæ signaculo, vestitos. Et propter hoc dicitur Jer. IV, 6 : *Levate signum in Sion. Confortamini et venite.* Quis enim ante conspectum Dei auderet venire, nisi signum haberet carissimæ prolis suæ? Esther IV, 11 : Si quis ingreditur atrium intus non vocatus, absque ulla contrarietate moriatur, nisi auream virgam extenderit rex in signum clementiæ.

* ... per- ...ssi ...erent

Item est signum revocatorium, et istud est signum divinæ justitiæ, quod ostenditur quoque peccatoribus, ut revocentur a malitia sua, quemadmodum ostenditur patibulum latronibus, qui dum furcas aspiciunt, attendunt pœnam latronibus paratam. Jer. IV, 2 : *Signum prædicate, nolite celare :* quasi dicat prædicatoribus moderni temporis, audacter prædicate, quia sicut fecit Dominus prædecessoribus vestris, sic faciet vobis. Isaiæ XIII, 2 : *Super montem caliginosum*, idest tenebrosum intellectum humanum, *levate signum*, hoc est ostendite diem divinæ justitiæ, manifestum judicium. Nota de Lucifero, et de Adam, et de cœteris hujusmodi. Sequitur : *Exaltate vocem* vestram, hoc est manifeste prædicate divinæ justitiæ vindictam, quemadmodum dicitur Isaiæ XVIII, 3 : *Cum elevatum fuerit signum, videbitis, et clangorem tubæ audietis.* Rogemus etc.

XII

SABBATO QUATUOR TEMPORUM IN QUADRAGESIMA (a).

Deus pacis sanctificet vos per omnia. I. Thessal. V, 23.

Sicut dicitur gallice : tali domino talis familia, unde sicut videmus quod si do-

(a) Ex recensione D. Cecelli.

minus est largus et liberalis, vult servos suos habere largos et liberales, sicut carnalis vult habere servos suos carnales et voluptuosos ; et sic de aliis. Et propter hoc dicitur Eccles. x, 2 : *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus, et qualis rector civitatis, tales et habitatores in ea.* Unde cum Dominus noster Jesus Christus sit sanctus, hoc est purus et mundus, secundum quod dicitur Levitici xi, 44 : *Sancti estote quoniam* ego sanctus sum Dominus Deus vester, et ne polluatis** animas vestras, vult habere familiam puram et sanctam, sicut dicitur I Tessal. iv, 3 : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Hoc attendens Apostolus dicit hic : *Deus pacis sanctificet vos etc.*

Deum pacis vocat unigenitum Dei Filium Christum Jesum, propter tria. Quoniam pacis amator ; pacis prædicator ; pacis reformator. Deus igitur pacis dicitur, quia amat pacem. Unde viros pacificos adoptat sibi in filios. Matth. v, 9 : *Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur.* Iste certe cum talibus hospitatur, secundum illud Psal. lxxv, 3 : *In pace factus est locus ejus.* Augustinus in Psalm. cxix : « pax sum, litigare non novi et condiscordantes fugio, consentientibus assisto. » Unde monet nos Apostolus II Cor. xiii, 11 : *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum* semper.

Dicitur Deus pacis, quoniam pacis prædicator. Unde post resurrectionem quoties inter discipulos veniebat, pacem prædicabat. Joan. xx, 26 : *Stetit Jesus in medio discipulorum, et dixit eis : pax vobis.* Ephes. ii, 17 : *Veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope,* quasi dicat : per ipsum accessum habemus ad pacem ; quin imo *discipulos suos* pacem prædicare præcepit. In quo nobis dedit formam pacis prædicandi proximis. Luc. x, 5 : *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : pax huic domui.* In quo patet quam graviter peccant ministri Christi, qui subditos perturbant, inter quos pacem mittere debent, quemadmodum dicit magister noster Christus per psalmistam Ps. cxix, 7 : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus etc.* Jer. xxix, 7 : *Custodite** *pacem civitatis, ad quam feci vos transmigrare : quoniam in pace illius erit pax vestra.* Et Apostolus monet nos Philipp. iv, 8 : *De cætero, fratres, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, hæc cogitate, hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum.*

Item Deus pacis, quoniam dicitur pacis reformator. Fecit enim pacem inter Deum et hominem ; inter creaturam et creatorem. Imo per illam reformandam mori voluit et crucifigi. Unde Coloss. i, 19 : *In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare : et per ipsum reconciliare omnia, in ipsum pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* In quo patet quam graviter peccant qui pacem, per quam Christus mortuus est, non diligunt nec observant. Sicut enim dissonum essset et periculosum, si esset inter membra corporis discordia, ut puta si pes manum impugnaret, et sic de aliis, sic inconveniens videtur quod inter fideles, qui membra Christi sunt, sit discordia vel dissensio. Et propter hoc dicitur Coloss. iii, 15 : *Pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua et vos vocati estis in uno corpore,* scilicet ut unum corpus non destruatis, sed constituatis, quod quidem corpus, sicut dictum est, conglutinavit proprio sanguine in cruce, faciens pacem iis qui prope, et pacem faciens iis qui longe. Ephes. ii, 13 : *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui eratis aliquando longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, in unum novum hominem faciens pacem, ut reconciliaret aliis in uno corpore Dominus per crucem interficiens inimicitias in semetipso.*

Sequitur : *Sanctificet vos,* hoc est sanctos faciat, quasi dicat : scio quod est sanctus, et diligit sanctitatem, et propter hoc desidero vestram sanctificationem.

Quantum autem diligit Dominus sanctitatem, tripliciter ostendit. Vult enim habere mundum apparatum, mundum comitatum, mundum famulatum.

Deus igitur diligit mundum apparatum, et præcipue mundam domum, sicut dicitur in Ps. xcii, 5 : *Domum tuam, Do-*

mine, decet sanctitudo. Vere decet regem regum mundum et purum habere domicilium, quoniam de tali domo faciet dormitorium suum. Eccles. XXIV, 15 : *In civitate sanctificata similiter requievi.* In cujus rei signum vult ecclesiam dedicari, secundum illud Ps. XLV, 5 : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Utinam attenderent sacerdotes quanto labore, quanto ministerio, quanta solemnitate sanctificatur ecclesia, ut ipsam mundam tenerent et non polluerent. Sed completum est hodie illud Sophoniæ III, 4 : *Sacerdotes ejus polluerunt templum* * ; mundiorem enim hodie tenent cameram quam ecclesiam, unde non videtur esse oratorium divinum, sed stabulum jumentorum. Utinam attenderent illud III Regum, IX, 3 : *Sanctificavi domum hanc, quam ædificavi, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* Et quoniam non exhibent honorem debitum, hodie sunt in abjectionem, nec multum respicit Deus ad ecclesiæ defensionem. III Regum IX, 7 : *Auferam Israel de medio* * *terræ : et templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo.* Super alia vero mundam desiderat habere mensam, et ea quæ pertinent ad ipsam, eo quod in ipsa ponet corpus suum in cibum, et sanguinem in potum. Exod. XXIX, 30 : *Mundabis altare cum immolaveris hostiam expiationis.* Et postmodum sequitur 43 : *Et sanctificabitur altare in gloria mea.* Sed in veritate hodie mundior est mensa presbyteri, quam altare Dei, mundiora linteamina quam pallia, mundius manutergium post epulationem, quam post sacram communionem.

[margin: ...ctum; ...erficie]

Item non solum diligit Dominus sanctum apparatum, sed etiam sanctum comitatum, quia non solum vult mundas domus habere, sed etiam mundos socios, quos voco plebanos (*a*), et alios subditos in eadem domo cohabitantes, et ad minus sacro die Paschæ convenientes, quos vult esse sanctos : hoc est puros et mundos, quia sicut dicitur Eccles. XIII, 21 : *Si communicabit lupus agno aliquando, sic et peccator justo. Quæ enim est communicatio sancti* * *ad canem ?* quasi dicat : nulla. Imo sicut in Ps. XVII, 26 dicitur : *Cum sancto sanctus eris etc.* Et propter hoc præcipitur sacerdotibus, ut intendant, istis præcipue diebus, sanctificandis animabus. Josue VII, 13 : *Surge, sanctifica populum et dic eis : sanctificamini in crastinum,* quasi dicat : non expectetis usque in Pascha, sed sanctificamini, si potestis, in die crastina. Et si nolunt facere propter te, dicas eis, quod hoc facis me præcipiente. Levit. XX, 7 : *Sanctificamini, et estote sancti quia ego sanctus sum Ego Dominus qui sanctifico vos :* quasi dicat : ego sum sanctus et mundus, et habere volo socios et commensales sanctos et mundos : et hoc præcipio vobis per sacerdotem vestrum, tamquam per præconem meum. Et in veritate multum est inverecundus et præsumptuosus, qui se jungit societati, sive mensæ Domini, non vocatus et non sanctificatus.

[margin: * sanc... homi...]

Item vult habere mundum famulatum. Suos enim vult esse sanctos et puros, alioquin minatur eis mortem. Exod. XIX, 22 : *Sacerdotes qui accedunt ad me* *, *sanctificentur, ne percutiam eos,* quemadmodum percussus est Oza, qui tetigit arcam, quia, sicut dicunt sancti, non purgatus secundum legem, qui ante agnoverat propriam uxorem. Ecce quia percussus est Oza propter propriam uxorem, quanto magis timere debet cognoscens adulteram concubinam ? Præcipitur III Esdræ I, 3, quod nullus tangerет arcam, licet solummodo rerum figuralium contentivam, nisi prius purificatus secundum ritum legalem ; sic enim dicitur ibi : *præcepit Esdras sacerdotibus, ut sanctificarent se in positione arcæ sanctæ.* Quanto magis sanctificare se debet sacerdos evangelicus contrectans et consecrans sacrosanctum Domini corpus ? Et ideo dicitur Exod. XXVIII, 41 : *Sanctificabis illos, ut sacerdotio fungantur mihi, et facies eis femoralia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ.* Et nota de immunditia sacerdotum.

[margin: * ad Do... num...]

Sed notandum quod dicit Apostolus : *Per omnia sanctificet nos*, inquit, *Deus.*

(*a*) Id est, parochos.

fra cenam; vult enim Dominus quod ministretur sibi in mundis vasis, mundis manibus, et mundis habitu; hoc est puro corde, pura operatione, munda et honesta conversatione, ut quidquid est servo suo sanctificetur, quantum ad affectionem, quantum ad operationem, et quantum ad conversationem.

Vult ergo Dominus, quod in ministerio suo habeamus munda vasa; hoc est pura corda. Isai. lii, 11: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Immundum displicere solet in oculis magnatorum, nec vasis immundis solet infundi pretiosus liquor. Et propter hoc dicitur Eccles. ii, 20: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Et bene dicit: *in conspectu illius.* Ipsi siquidem soli patent corda nostra, utrum scilicet sint munda vel immunda. Et propter hoc timere debemus, ne si forte ad mensam suam immunda vasa deferamus, indignationem ipsius incurramus. II Corint. vii, 1: *Emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Utinam attenderent prælati nostri temporis, quod dixit David I Regum xxi, 5: *Si de mulieribus agitur*, propriis supple, *continuimus nos ab heri, et nudius tertius, et fuerunt vasa puerorum sancta; porro hæc via polluta est, sed hodie sanctificabitur in vasis.* Si sic dicebant de uxoribus propriis, quanto magis dicerent de alienis? In quo patet quod Dominus non vult sibi serviri vase immundo, sed sancto et puro; quod innuitur I Thessal. iv, 4: *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem, ut sciat unusquisque vas suum possidere in honore et sanctificatione.*

Item vult, quod serviatur sibi mundis manibus; hoc est mundis operationibus. Non enim vult quod ministretur sibi manibus immundis, sive pollutis, de quibus dicitur Isai. lix, 2: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, et digiti vestri pleni sunt iniquitate.* Et propter hoc dicitur Exod. xxviii, 41: *Cunctorum consecrabis manus et sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi.* Non enim placere posset ferculum immundis manibus oblatum; propter quod dicitur Exod. xxix, 33: *Ut sit placabile sacrificium, et manus offerentium sanctificentur.*

Item vult Dominus quod serviatur ei munda veste, idest honesta conversatione. Ut sicut antequam essent de familia Dei Speculati ostenderunt malum exemplum per inhonestam conversationem, ita nunc semetipsos ostendant puros et mundos per sanctæ conversationis honestatem Rom. vi, 19: *Ut sicut exhibuistis membra vestra servire injustitiæ* et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*; hoc est in sanctam conversationem I. Petri i, 15: *Secundum eum qui vocavit vos sanctum, et vos sancti in omni conversatione sitis*, quod significatum est Exod. xix, 10: *Sanctifica illos hodie, et cras lavent vestimenta, ut sint parati in diem crastinum**. Prima dies est præsentis miseriæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ.

* immunditiæ

* tertium

XIII

ITEM SABBATO QUATUOR TEMPORUM (a).

Levantes oculos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.* Matth. xvii, 8.

* levantes

Patet sensus evangelicus; moraliter autem loquendo per istos ad divinæ majestatis intuitum assumptos designatur status perfectorum ad contemplanda secreta cœlestia, secretariorum spiritualiter assumptorum: propter quod in his verbis duo spiritualiter attenduntur: Abnegatio terrenorum, cum dicitur: *levantes oculos*; et contemplatio supernorum cum dicitur: *neminem viderunt, nisi solum Jesum.* In viris igitur perfectis tangitur contemptus et abnegatio bonorum temporalium, quando dicitur: *levantes oculos*, quasi dicat: non inclinantur per

(a) Ex [illegible] D. [illegible].

desiderium malum ad inferiora, sed elevantur ad bona cœlestia desideranda. Sunt enim quidam sicut animal brutum, quod semper habet ad terram oculos inclinatos, licet aliud dicat dispositio naturalis, prout dicit sermo poeticus Ovid. Met. l. i, 85 :

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, et erectos ad sydera tollere vultus.

Et isti sunt de quibus dicit Psalm. xvi, 11 : *Statuerunt oculos suos declinare in terram*, hoc est ad terrenorum concupiscentiam, quod est contra naturam oculi, qui non inferius, sed superius collocatur in humano corpore. Non enim situatur in pede, sed in capite, per quod datur intelligi quod oculus mentis inferius non debet dirigi, sed superius elevari, secundum illud Ps. xxiv, 4 : *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis*. Et notabiliter dicitur : *oculos meos*, hoc est affectionem et intentionem meam, non solum conversationem. Sunt enim multi sicut milvus, qui sursum elevatur corporaliter, oculi tamen ejus semper respiciunt ad terram si fortasse aliquid videat cadaveris, vel alicujus aviculæ cui supersedere possit, postea supersedit, sed quandoque decipitur, quia dum capere satagit, illaqueatur. In quo patet stultitia mundanorum, et specialiter hypocritarum, qui conversationem habent cœlestem, sed terrenam affectionem, de quibus dicitur Proverb. xvii, 24 : *Oculi stultorum in finibus terræ ;* quasi dicat : sicut milvus, oculum mentis habet stultus ad hæc inferiora, ut videat voluptuosa et carnalia desideria ; sed vir justus est tamquam aquila pennis virtutum elevata. Anima enim sursum elevatur, ut non mundi gloriam, tamquam volatilem passerem, sed ipsum Deum sine confusione tamquam prædam nobilem apprehendat. Aquila non volat ad passeres vel ad muscas. Et propter hoc dicit Psal. xxiv, 1 : *Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in te confido, non erubesco*[*], quasi dicat vir justus, tamquam avis spiritualis : Si volatu meo, te, Domine, tamquam avem nobilissimam apprehendam, non erubesco.

Ut autem aliquantulum generalius procedamus, notandum quod ad aliud levant damnati oculos, ad aliud damnandi, ad aliud pœnitentes, ad aliud perfectionis operibus insistentes.

Damnati levant oculos ad tranquillitatem beatorum, ut deprecentur; peccatores adhuc non damnati, sed damnandi nisi pœnituerint, ad deformitatem peccatorum, ut confundantur ; pœnitentes ad immensitatem præmiorum, ut consolentur ; viri perfecti ad retributionem meritorum, ut remunerentur. Elevant igitur oculos damnati misericordiam petituri, sed numquam accepturi. Dum enim sentiunt ardorem ignis, evadere vellent si possent, sed quoniam contra ipsos data est definitiva sententia, nunquam misericordiam consequentur, et significantur tales per divitem Epulonem, de quo dicitur Luc. xvi, 19 quod induebatur purpura et bysso, epulabatur quotidie splendide, sed postmodum sepultus est in inferno. Hoc est enim coemeterium avarorum et omnium damnatorum. Et postea sequitur 23 : *Elevans autem oculos, dum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus, et clamavit et dixit : Abraham miserere mei : mitte Lazarum ut intingat extremum digiti in aqua, ut refrigeretur lingua mea, quia crucior in hac flamma*. Et sequitur 25 *Fili, recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala ; nunc vero consolatur, tu vero cruciaris*. Ecce quod pœnam mitigari petiit sed non obtinuit, quoniam post mortem non erit locus miserendi, sed recipiendi ea quæ in hac vita meruimus. Quia vera sententia non est adhuc contra nos lata, dum in hac vita vivimus misericordiam consequi possumus : post mortem vero non. Et propter hoc dicit Psalmista Psal. cxx, 1 : *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum etc*. Montes vocat sanctos ad Dei gloriam sublimatos, qui nunc advocati sunt et intercessores reorum, ne contra ipsos sententia proferatur.

Item levare dicuntur peccatores oculos ad fœditatem et deformitatem peccatorum, ut confundantur. Peccator enim animam sanguine Christi lotam in ster-

quirimus, sive in favillas peccatorum tamquam sus porcus provolvitur, nunc revelans ipsam ipsius sponsam Christi scilicet, unde clamat Augustinus : « O quæ major iniquitas, ut animam pretioso sanguine mundatam in sordibus peccatorum voluptatibus quisque prosternat viliter et conculcet ! » Certe, sicut dicit Hermes : « cadit asinus, statim est qui sublevet ; cadit anima, non est qui sustollat. » Et propter hoc dicitur Jerem. III, 2 : *Leva oculos tuos in directum, et vide ubi nunc prostrata sis ; polluisti terram in fornicationibus tuis ; quamobrem prohibitæ sunt stillæ pluviarum, et serotinus imber non fuit* ; quasi dicat : si recto oculo statum tuum cognoscere velles, o misera anima, quod in fæcibus peccati conspurcasti, sicut jumentum in stercore suo, polluens te in peccato, sed et alios inficiens mali exempli fetore, sive fumo ; et propter hoc per mundare in præsenti stilla gratiæ caruisti, nec nisi pœnitentiis in fine manifestis lacrymarum contritionis, sed in peccato, scilicet, morieris.

Sed notandum quod multi sunt sicut porci in luto, qui statim exspectant securim, et tamen in sterquilinio lasciviendo recalcitrant. Nec advertunt illud quod dicitur I Paralip. XXI, 16 : *Levansque oculos suos David vidit Angelum Domini stantem inter cælum et terram, evaginatum manu tenentem gladium* ; et licet gladium animadversionis divinæ non videant, nihilominus tamen capitibus suis imminentem exspectant, similes ovi sub securi carnificis jacenti, sed non advertenti. Utinam attenderent ad Josue V, 13 : *Levavit oculos suos*, scilicet Josue, *et vidit virum stantem contra se evaginatum gladium*.

Item levare dicuntur pœnitentes oculos ad immensitatem præmiorum ut consolationem recipiant, et bona opera faciendo non deficiant. Nunc autem opera parva, tamquam grana pauca seminant, sed in futuro fructum magnum ex parvis operibus colligent. Joan. IV, 35 : *Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt ad messem* ; quasi dicat : considerate quod in proximo est, quod ex operibus vestris, tamquam ex seminibus bonis, mercedem metatis sive colligatis. Qui enim in præsenti vita non habent nisi plenum pugnum, seu plenam manum, projecientque sic de semine in terram viventium, ad libitum suum possidebunt in æterna retributione. Gen. XIII, 14 : *Dixit Dominus ad Abraham : leva oculos tuos in directum, et vide a loco in quo nunc stas*. Et sequitur : *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo*. Et certe stultus esset, qui pro uno pede terræ totam regionem unam, sive regnum unum commutare vellet, cujus rei figura dicitur Gen. XIV, 10 : *Elevans Lot oculos suos vidit omnem regionem, elegitque sibi regionem juxta Jordanem, et recessit ab oriente*, hoc est a mundana prosperitate.

Item perfecti viri debent oculos levare ad laborum suorum remunerationem ; sed tamen caveant ne sint sicut pharisæus, qui per humilitatem habitus prætendit exterius signum abjectionis, interius tamen plenus est omni nequitia et dolo. In superficie bonus, sed in operibus malus. Tales enim Deus non respicit sed abjicit ; quod advertens ille bonus publicanus pectus percutiebat, nec ante Dominum tamquam præsumptuosus interiora humana videntem comparare præsumebat Luc. XVIII, 13 : *Publicanus a longe stans, nolebat oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori*. Plures enim similes sunt Balaam, qui beatitudinem filiorum Israel commendavit, et tamen ad illam non pervenit. Licet dixerit : *Moriatur anima mea morte justorum* ; sicut dicitur Num. XXIII, 10. Tales enim similes sunt histrionibus, qui facta proborum narrant, et tamen nihil probitatis perpetrant. Num. XXIV, 2 : *Elevans oculos suos, Balaam, vidit Israel in tentoriis suis commorantem per tribus suas, et ait : quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel*. Contra tales audacter dicebat David Ps. CXXII, 1 : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis* ; quasi dicat : audacter levo faciem meam ad te, quoniam omnem iniquitatem amovi a me. Non enim venio sicut fur coram judice, sed sicut servus fidelis coram suo remuneratore secun-

dum illud Job. xi, 14 : *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non permanserit* * *in tabernaculo tuo injustitia : tunc levare poteris faciem tuam absque maculis, et eris stabilis, et non timebis.* Patet ergo quod dictur : *Levantes oculos etc.*

serit

Sequitur : *Neminem viderunt nisi solum Jesum.* In quo tangitur secundum, scilicet contemplatio supernorum. Verus enim contemplativus dedignatur videre vanitatem mundi. Unde de Paulo dicitur Actor. ix, 8, quod *apertis oculis nihil videbat.* Et propter hoc dicit quod *neminem viderunt, nisi solum Jesum.* Talibus enim sufficit præ oculis habere Salvatorem suum. Nec mirum. Talis enim visio gaudium generat in anima, et indicibiliter reficit ipsam, secundum illud Isaiæ, lx, 5 : *Tunc videbis, et afflues ; et mirabitur, cor tuum.* Isai. liii, 11 : *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur.*

Sunt autem quatuor, quæ visionem istam impediunt. Sunt enim quatuor, per quæ res aliqua videri non potest, quæ sunt elongatio, transpositio, caligatio et vituperatio, quæ loquendo spiritualiter sunt adversatio a creatore, conversio ad creaturam, obstinatio malitiæ, et desperatio veniæ. Non potest igitur res videri, quando nimis elongatur a vidente. Sic nec Deus Eccles. xv, 7 : *Homines stulti non videbunt eam,* scilicet sapientiam divinam. *Longe enim est a malitia* * *et dolo.* Sed quamvis elongemur a Deo, non tamen elongatur a nobis. Unde et subito dum non speramus percutit, quoniam enim manum ejus elevatam non videmus, ictum justitiæ suæ non formidamus. Sic latro, quia non videt vindicem, non timet ejus sagittam, sive sententiam, vel sicut bos non timet securim carnificis elevatam, quia non videt : propter hoc dicitur Isaiæ xxvi, 11 : *Domine, exaltetur manus tua, et non videant.* Sunt enim plures sicut adulterus, qui dum non videt sponsum in thalamo credit eum a longe esse ab eo, unde dum non sperat capitur, et aliquando interficitur. De talibus dicitur Job. xxiv, 15 *Oculus adulteri observat caliginem dicens : non videbit me oculus, et cooperit* * *vultum suum,*

rbia — *eriet*

De talibus dicitur similiter Eccles. vi 5 : *Non videbit* * *solem nec cognovit distantiam boni et mali,* quasi dicat : non advertit, quod quanto recedit a sole justitiæ, tanto accedit ad tenebras infernalis miseriæ. Bonum igitur esset iis, qui elongati sunt per culpam, quod redirent per pœnitentiam, et sic viderent Deum, et haberent ipsum Joan. i, 1 : *Rabbi* (quod interpretatur magister, *ubi habitas? Venite, inquit, et videte :* quasi dicat : appropinqua, si vis videre me. Sequitur : *Venerunt, et viderunt, et manserunt.*

* *vidit*

Item non potest res videri propter caligationem, hoc est propter inveteratam consuetudinem. Homo enim cæcutiens per senectutem limpide vel clare videre non potest, et tales ducit diabolus ad voluntatem suam, sicut vultur aviculam excæcatam, et sicut molendinarius equum propter frequentem circuitum excæcatum, quod innuitur Thren. iii. 1, in persona pœnitentis : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Me minavit et adduxit in tenebras, et non in lucem. Vetustam fecit pellem meam.* Et tales significantur per Isaac, de quo Genes. xxvii, 1 : *Senuit Isaac, et caligaverunt oculi ejus, et videre non poterat ;* hoc est enim quod summopere desiderat diabolus, scilicet hominem excæcare, quia tunc ducit eum de luto in lutum, de peccato in peccatum, sicut catulus hominem excæcatum vel molendinarius equum, ut dictum est : quod significatur Judic. xvi, 21, ubi dicitur quod Philistiim apprehenderunt Samsonem et eruerunt oculos ejus, et clausum in carcere molere fecerunt. Et isti significantur per Heli, de quo dicitur I Reg. iii, 2 : *Heli jacebat in lectulo* * *suo, et oculi ejus caligaverunt, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur,* quia tales non habent in lucem gratiæ, nec majus donec extinguatur possunt videre. Malum enim bene possunt videre, sed non bonum. Similes noctuæ, quæ non potest videre lucem et tamen bene videt noctem sive tenebram Jer. xvii, 6 : *Erit sicut myricæ in deserto* steriles, in operibus bonis. Sequitur : *Et non videbit cum venerit bonum.*

* *loco*

Item impeditur visus corporalis prop-

ter aliquod corporis interpositionem. Similiter et circa spiritualia. Unde et aliquis exterius in tenebris videre non potest, impeditur enim radius solaris, et sic tenebris tenebatur propter oppositionem corporis et sui opaci, sicut patet in incarceratis, per quos intelliguntur peccatores quos diabolus tenet in carcere suo, tamquam latrones comprehensos in delicto suo, quibus Dominus dicit Cantic. iii, 11: *Egredimini filiæ Sion, et videte regem Salomonem*, quasi dicat: non desperetis propter culpæ magnitudinem, sed exeatis de peccato tamquam de carcere diaboli, et sic videbitis Dominum parcere volentem facere cupientem. Et hoc est quod dicit: *Et videte regem Salomonem*; Salomon interpretatur pacificus. Sed sunt quidam ingratissimi peccatores, quos frequenter dimittit Dominus, et parcit. Sicut judex misericors fures deprehendit frequenter, et compatiens absolvit, sed tamen pejus faciunt, et domum sanctorum, hoc est ecclesiam, gravius et sæpius impugnant, quod ad ultionem judex fortificat. Contra quos dicitur Isai. xxvi, 10: *Misereamur impio et non discet facere justitiam; in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini.* Et Isai. vi, 10: *Claude oculos ejus ne forte oculis videat, et auribus audiat, et convertatur et sanem eum*, tamquam fures ingratissimos. Tales nequissimi expectant in hora mortis confusionem, quoniam in peccato suo tamquam in furto deprehensi judicabuntur tantum secum habentes peccatorum sarcinam, accusantibus angelis ipsorum et contra ipsos proferentibus testimonium Isai. xliv, 9: *Ipsi testes eorum sunt, quia non vident neque intelligunt, ut confundantur.* Sic igitur patet qualiter in quibusdam visio spiritualis impeditur, de quibus dicitur Isai. xlii, 18: *Surdi audite, et cæci intuemini ad videndum*, et impleatur in præsenti in vobis illud Isai. ix, 2: *Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, et tandem perveniamus ad illam gloriosam visionem, de qua Isai. lxvi, 14: *Videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt*, quod complebitur in illa gloriosa resurrectione secundum illud Job. xix, 26: *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Quod nobis præstare dignetur etc.

XIV

ITEM DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA (a)

Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.
(I Thessal. iv, 3.)

Servus sciens voluntatem domini sui, et non fecit, vapulabit multis, sicut dicitur Lucæ xii, 46. Et hoc videmus ad litteram. Potentes enim hujus mundi volunt quod ad nutum obediatur eis: quod si non fuerit factum, in subditos vel subjugatos sibi deserviunt, flagellant et cruciant, licet frequenter minus sapienter præcipiant; quanto magis Deus homines, quibus nihil præcipit nisi bonum et honestum, servos inobedientes flagellabit deserviens? Sapient. vi, 5: *Nec custodistis legem justitiæ, nec secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende ergo, et cito apparebo vobis etc.* Hoc attendens Apostolus notificat nobis divinam voluntatem, ut evitemus furoris ejus indignationem, dicens: *Hæc est voluntas Dei etc.* In quibus verbis duo specialiter attenduntur, per quæ quilibet ad ea quæ sibi præcipiuntur facienda constringitur; quæ sunt auctoritas et honestas, ut sit auctoritas in præcipiente, sed honestas in exequente. Tangitur auctoritas, quando dicitur: *Hæc est voluntas Dei*, quasi dicat: hoc non dico tamquam servus, sed tamquam Dominus. Et in veritate si clamaret ribaldus aliquis bannum regis, in quo voluntatem ejus expresse notificaret, nullus esset qui contradiceret; et cum clamet beatus Paulus, unus de cœlestis curiæ nobilioribus, quod animas vestras sanctificetis, et hoc ex parte regis non terrestris sed cœlestis, et tamen servum præconizantem contemnimus, et voluntati summi principis non obedimus! Licet scriptum sit Rom. ix, 19: *Voluntati ejus quis resistit?* Quasi dicat: quis est ausus contradicere voluntati divinæ? Ipse enim

(a) [illegible]

est qui sicut vult, et quando vult, et ubi vult, operatur, ut dicit Psalmista : *Omnia quæcumque voluit fecit, in cœlo* Luciferum præcipitando, *in terra*, Adam et Evam proscribendo, *in mari*, mundum per diluvium submergendo, et in omnibus abyssis, Sodomam et Gomorram, Datan et Abiron puniendo. Hæc igitur voluntas est in omnibus adimplenda, quia nec cœlum, nec terra, nec aqua, nec aliqua alia potest effugere creatura. Esther XIII, 9 : *Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati.*

Ad faciendum autem ejus voluntatem movere debet, quod nihil vult nisi congruum et honestum. Vult enim quod a culpa resiliamus et vivamus in gratia, quod satisfaciamus in pœnitentia, et quod regnemus in gloria.

Hæc est voluntas facienda. Quod nobis dicat, quod nos resiliamus a culpa, hoc est quod in verbo præsenti tangitur : *Hæc est voluntas Dei*, scilicet *ut abstineatis vos ab omni fornicatione*, *ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore.* Ex quo ergo scimus ejus voluntatem, omnem immunditiam vitare debemus. Certe stultus est leprosus immundus et deformis, si medicus eum curare vellet, et curari respueret. In cujus rei figura dicitur Matth. VIII, 4 : *Ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Jesus manum suam, dixit : volo, mundare.* Et multi sunt qui plus faciunt voluntatem diaboli, tamquam scilicet proditores. Cum enim homo ad hoc creatus sit et factus, ut voluntatem Dei faciat, secundum illud Apoc. IV, 11 : *Domine, tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt.* Faciunt tamen voluntatem adversarii sui, unde et diabolus trahit ipsos, tamquam dominus captivos suos in bello spirituali derelictos. II Tim. II, 26 : *Dedit illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, ut resipiscant a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur, et ducuntur ad ipsius voluntatem.* Et vere ducit eos, et trahit de sterquilinio in sterquilinium, hoc est de peccato in peccatum. Et propter hoc dicit hic Apostolus : *Hæc est voluntas Dei, ut abstineatis etc. Ut sciat unusquisque etc.* Hæc est voluntas Dei facienda, quia vult quod vivamus in gratia. Gratia est animæ vita. Homo enim moritur per culpam, sed vivificatur per gratiam. Et certe stultus esset infirmus si nollet habere medicum, per quem recuperaret sanitatem. Summus enim medicus numquam desiderat mortem nostram, sed potius vitam, secundum illud Ezech. XIX, 23 : *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus ? et non ut magis convertatur et vivat ?* quasi dicat : meruit mortem propter peccata sua, tamen sufficit mihi quod convertatur, salva vita sua. Et certe stultus esset fur in furto deprehensus, vel adversarius in bello captus, si non vellet se, salva vita sua, reddere. Ezech. XVIII, 31 : *Et quare moriemini domus Israel? convertimini * et vivite.* Nec esset mirum si judex offenderetur et indignaretur, si fur nollet emendam promittere, salva vita, plus eligens mortem quam vitam. Unde Psal. XXIX, 6 : *Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.* Indignatur enim quod nos interficimus nos veneno culpæ, et vult quod nos vivamus medicina gratiæ. Unde vult quod convertamur ad ipsum, tamquam infirmi ad medicum Ezech. XXIII, 11 : *Nolo mortem peccatoris *, sed ut convertatur et vivat.*

* rever mini

* impi

Item hæc est voluntas ejus, quod satisfaciamus in pœnitentia, in quo patet summa benignitas ipsius, qui cum statim posset occidere adversarium suum, expectat eum ad pœnitentiam, et promittit misericordiam, secundum illud II Petri III, 9 : *Non tardat Dominus suam misericordiam *, ut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Quotiens vero peccamus, totiens ejus proprium Filium crucifigimus, secundum illud Hebr. VII, 6 : *Rursum crucifigentes Dei Filium et contemptui * habentes.* Et tamen expectat nos et vocat ad pœnitentiam, promittens misericordiam Osee VI, 6 : *Misericordiam volo * et non sacrificium.* Et hoc quidem prædicavit Matth. IX, 13 : *Dicite quid est : misericordiam volo et non sacrificium.* Et propter hoc

* prom sionem suam sicut

*stensi

* volu

dicitur Coloss. i, 9 : *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes : et in omni bono opere fructificantes.* Non enim vult Dominus quod in horto sint arbores infructuosæ, sed tales arbores excidi et in ignem mitti, sicut dicitur Matth. iii. Et propter hoc dicit : non solum in bono opere *fructificantes*, sed *placentes* per omnia, quia non solum vult quod in bonis operibus pœnitentiæ fructificemus, sed quod honestam et placentem conversationem inter homines habeamus. Aliquotiens enim plus placet odor arboris, et pulchritudo quam fructus. Et propter hoc dicitur I Petri, ii, 12 : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam.* Et sequitur : *Quia sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Et quia sæcularis et dissoluta societas pervertit mores et infamiam generat, sicut tenebra superveniens obscurat diem, et admixtum absynthium permutat quamcumque dulcedinem, et modicum fermenti totam massam corrumpit, ut dicit Apostolus. Propter hoc, dicit Apostolus Rom. xii, 2 : *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta.* Idest volens bonum satisfactionis, et placentiam honestæ conversationis, et perfectionem finalis perseverantiæ. Parum enim diligitur arbor, quando nisi semel fructificat. Nec multum placet Domino pœnitentiam incipere, et pœnitentiam non consummare. Propter hoc dicitur Philipp. ii, 13 : *Deus operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate.* Derisio enim est cum quis de luto surgit, et statim in luto se prosternit. Et parum prodest implere dolium bono vino, et statim effundere. Propter hoc dicitur Coloss. iv, 12 : *Stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei.* Stetis dicit, perseverando, ne inveniamini impatientes sustinendo. Et propter hoc dicitur Hebr. x, 36 : *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.*

Item hæc est voluntas faciendo, quoniam vult quod regnemus in gloria. Ipse enim est *qui vult omnes homines salvos fieri*, sicut dicitur I Tim. ii, 4. In quo patet summa Dei liberalitas, quoniam facientes voluntatem Patris, in fratres et sorores adoptat in via, ut sint cohæredes in patria. Matth. xii, 50 : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille est meus frater, et soror, et mater.* Si ergo facientes voluntatem Patris, matres sunt et fratres et sorores, constat quod eis non negabit Dominus introitum regni cælestis. Quis enim permitteret fratri vel sorori ostium patris sui claudi ? Ideo dicitur Matth. vii, 21 : *Non omnis qui dicit : Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei etc.*; quasi dicat : non intrabunt qui serviunt timore mundano, sed qui faciunt voluntatem Patris, idest qui obediunt timore filiali, ipsi intrabunt in regnum Dei. Sed quoniam reges terreni de miseria vitæ præsentis tendunt necessario ad effectum mortis, ne forte credamus quod obtentum regnum per mortem vel aliquod infortunium amittamus, promittitur voluntatem Dei facientibus bonum non transitorium sed æternum. I Joan. ii, 17 : *Mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum*; hoc est : mansionem acquirit æternam. Facientes voluntatem mundi, quantumcumque bene servierint, hic vivunt, sed transeunt de vita ad mortem temporalem pariter in æternam ; sed facientes voluntatem Dei transeunt de morte ad vitam, secundum illud Joan. vi, 38 : *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam etc. Hæc est autem voluntas etc., ut omnis etc.*, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Sequitur : *Sanctificatio vestra.* Dicit Tullius quod amicitia est idem velle et idem nolle. Unde David amantissimus Domini dicit Psal. xxxix, 9 : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui etc.* Et Paulus post conversionem dicit Actor. ix, 6 : *Domine, quid me vis facere ?* Christus etiam etiam dicit in passione Matth. xxvi, 39 : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Igitur si nos vere Deum

diligimus et ipsi consentiri debemus, de quo dicitur : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra :* hæc est puritas nostra et sanctitas. Sicut enim in præcedenti sermone dictum est, et vulgariter dicitur : similis similem quærit ; igitur cum Dominus sanctus et purus sit, nullum vult habere socium nisi sanctum et purum, secundum illud Psal. xvii, 26 : *Cum sancto sanctus eris etc.* Quis enim sanus libenter habitaret cum leproso, mundus cum immundo? Propter hoc dicitur I Petri i, 15 : *Secundum eum, qui vos vocavit, sanctum, ut et vos sancti in omni conversatione sitis.*

Ad sanctificationem autem, hoc est puritatem et munditiam, quatuor debent movere, scilicet ipsam sanctificationem vel potius comitari, quæ sunt dolor culpæ, timor pœnæ, pudor maculæ, fœtor infamiæ vel immunditiæ. Comitari debent sive præcedere sanctificationem nostram, hoc est purgationem, dolor scilicet de peccato, quod significatum est in Psal., ubi dicitur : *In exitu Israel de Ægypto etc., facta est Judæa sanctificatio ejus;* quasi dicat : quando Jacob et Israel exierunt de terra Ægypti, in Judea fuerunt sanctificati. Per Jacob et Israel significatur status pœnitentiæ, vel pœnitentis ; per exitum de Ægypto egressus de peccato. Per sanctificationem in Judæa factam intelligimus purgationem, quæ fit per veram confessionem. Et ecce ratio. Jacob interpretatur supplantatus, et significat pœnitentem, diabolum devictum in bello spirituali sub pedibus conculcantem. Diabolus enim pugnat contra nos, ne acquiramus per humilitatem pœnitentiæ quod ipse perdidit per elationem superbiæ. Sed verus pœnitens eum tamquam fortis pugil sub pedibus suis tenet, quotiens contra tempestatem ejus prævalet : quod figuratum est Genes. xxvii, 36, ubi dicitur de Jacob : *Recte* * *vocatum est nomen ejus Jacob, supplantavit enim me en altera vice.* Nec solum significatur pœnitens per Jacob, sed etiam per Israel. Interpretatur enim vir videns Dominum quoniam pœnitens in bello spirituali positus Dominum semper habet præ oculis, sciens quod non permittet eum superari, si pro posse suo resisteret tentationibus adversarii sui, secundum illud Act. viii, 55 : *Stephanus vidit cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei,* tamquam paratum scilicet subvenire. Isti exeunt de Ægypto, quando recedunt de peccato. Ægyptus enim interpretatur tenebra vel augustia. Tenebrosa est anima quamdiu est in statu culpæ. Unde quanta est differentia inter diem et noctem, tanta est differentia inter animam offuscatam per culpam, et illuminatam per gratiam : quod figuratum est Exod. x, 22, ubi dicitur *factæ sunt tenebræ horribiles super universam terram Ægypti,* ita quod *nemo vidit fratrem suum, neque movit se de loco ubi erat : ubicumque autem erant filii Israel, erat lux.* Tales enim nec noverunt Deum tamquam Deum, nec tamquam fratrem suum, nec habiles sunt ad aliquod bonum opus faciendum, sed sicut peccatores excæcantur per culpam, ita viri pœnitentes illuminantur per gratiam. Sicut autem tenebrosa est anima per statum culpæ vel pro statu, sic angustiatur in statu pœnæ. Conceptum enim culpæ non potest parere sine magno dolore. Jerem. iv, 31 : *Vocem quasi parturientis audivi, angustias ut puerperæ.* Unde patet quantus debet esse dolor contritionis, qui comparatur angustiæ parturientis Isai. xxi, 3 : *Angustia possedit me sicut angustia parturientis.* Igitur de Ægypto exit quando tenebras culpæ cum dolore contritionis dimittit. Unde dicitur de Babylone, per quam congregatio peccatorum significatur Aposcal. xviii, 4 : *Exite de illa populus meus,* sicut, scilicet sanus de societate leprosorum. Sequitur : *Ut ne participes sitis delictorum ejus.* Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava, sicut morbida ovis totum gregem, sive leprosus sanum. Sequitur : *Et de plagis ejus ne accipiatis.* Sicut aliquotiens accidit quod peregrinus simplex inter fures capitur et male tractatur. Post exitum de Ægypto, hoc est de peccato, sacrificatur, hoc est purgatur, pœnitens in Judæa, hoc est in confessione vera. Judæa vero interpretatur confessio. Omnia enim in confessione lavantur. Sicut enim pannus sordidus et immundus abluitur et mundificatur in aqua, ita conscientia

* juste

peccatoris abluitur et sanctificatur in confessione vera. I Cor. vi, 11 : *Abluti estis, sanctificati estis*. Et hoc significatum est Num. xxxi, 23 : *Quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis purgabitur**. Vasa, quæ non sustinent ignem istum, non sunt peccatorum corda qui purgari non debent, nec possunt quamdiu sunt in peccato per ignem divinum, sed sanctificantur et purgantur per aquam contritionis, et lavacrum lacrymosæ confessionis.

Item sicut præcedere debet dolor culpæ sanctificationem istam, sic præcedere debet timor pœnæ, sive timor justitiæ divinæ. Timor enim est sicut ostiarius ejiciens de domo cordis quidquid displicere potest oculis domini venientis. Sicut enim dicitur Eccl. i, 27 : *Timor Domini expellit peccatum**, *et qui sine timore est non poterit justificari*. Unde quod præcedere debeat innuitur Eccl. ii, 20 : *Qui timent Dominum præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas*. Et bene dicit : *Præparabunt*, hoc est antequam recipiant ipsum in domum suam, et non ponant in stabulum, sed in cor purum et mundum, quod innuitur Joan. xi, 55, ubi dicitur quod *ascenderunt multi Jerosolymam ante Pascha, ut sanctificarent semetipsos*, quod est contra illos qui expectant usque ad Pascha confiteri peccata sua, non attendentes quod ad sanctificationem integre faciendam concessa est tota Quadragesima, non hebdomada una. Non enim ablutione una potest mundari immunditia magna. Propter hoc dicitur : *Præparabunt corda sua*, secundum illud Amos iv, 12 : *Præparare in occursum Dei tui, Israel* : et sic sanctificabuntur ; hoc est purgabuntur, et abluentur tanquam vas sordidum et immundum, caventes ne præcipitent se iterum in lutum. Quid enim prodest de luto extrahere, et illud iterum in lutum statim projicere ? Unde Dominus conqueritur Malach. ii, 11 : *Transgressus est Juda, et abominatio facta est in Israel, quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit*. Et vere diligit Dominus domum sanctificatam, hoc est conscientiam puram et mundam, ita quod libenter habitat in ea. III Reg. ix, 3 : *Sanctificavi domum hanc quam ædificasti mihi, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum*. Et Eccl. xxiv, 15 : *In civitate sanctificata similiter requievi*. Cum autem videt quod de camera sua fit stabulum, projicit et abominatur, nec inhabitare dignatur. III Reg. ix, 7 : *Templum quod sanctificavi nomini meo, projiciam de conspectu meo*, et non inhabitabo ibi.

Item præcedere debet sanctificationem istam pudor maculæ. Verecundum enim esset homini sapienti in luto jacere diu, sicut porcus. Verecundum etiam esset, postquam a luto surrexisset, vestimenta sordida non abluere, sed in conspectu populi portare. Quanto magis verecundum est christiano corpus et animam immundam portare coram Deo suo. Ideo dicitur II Cor vii, 1 : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in nomine Domini**, hoc est reverentia Salvatoris nostri. Quis enim ad mensam regis terrestris sordidis vestibus accedere præsumeret? quanto magis ad mensam cœlestis regis ? Et propter hoc dicitur Exod. xix, 10 : *Vade ad populum, et sanctifica illos hodie, et cras, laventque vestimenta sua. Et sint præparati** *in diem tertium, in die enim tertia descendit Dominus*. Verba ista dicuntur cuilibet sacerdoti, qui debet sanctificare domum Domini et mundare. Quod ut bene faciat debet esse in eminentia vitæ non in luto jacere ; sicut dicitur de Moyses Exod. xix, 14 : *Descendit Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum*. Ad hoc enim positi sunt in Ecclesia, ut per ipsos mundentur peccatorum corda et conscientia. Ipsi enim sunt tamquam medici purgationem cordium facientes et inter lepram et lepram distinguentes. Unde bene mitti debent ad eos parochiani sui, ad minus semel in Quadragesima, ut judicent de lepra et lepra, de domo munda et immunda, quod figuratur Levitici xvii, 14 : *Homo qui sanctificaverit domum suam considerabit sacerdos utrum bona sit an mala*. Et notabiliter dicit quod domum istam sanctificent hodie et cras : in quo datur intelligi quod confessio non debet differri. Sicut enim videmus quod homo po-

*timore D…

* parati

nit pedem suum in lutum, et statim stergit sotularem suum, posuit autem spiritum suum in lutum et per totum annum permittit eum fœtidum et immundum! Et propter hoc dicit Dominus Josue vii, 13 : *In crastinum sanctificamini.* Et bene dicit quod lavent vestimenta. Vestimenta lavare est omnem immunditiam per confessionem tergere. Unde dicitur Levit. viii, 31 : *Sanctificavit* * *eos vestimento suo.* Sed multi sunt sicut indumentum infectum, quod dilaniari potest, non ablui, de quibus dicitur Ezech. xliv, 19 : *Non sanctificabunt populum in vestitu suo* * *:* Diem autem tertium vocat diem sanctificationis. Prima enim dies est contritio, secunda confessio, tertia satisfactio postquam descendit Dominus in animam pœnitentis. II Paralipom. vii, 16 : *Elegi et sanctificavi locum ut habitem* * *ibi in sempiternum.*

'um que ctificas- eos in estitu — *vestibus suis* — *t sit no- n meum*

Item movere debet ad sanctificationem fœtor immunditiæ. Non enim poneret dominus pretiosum liquorem in vas immundum. Et propter hoc dicitur I Thessal. iv, 4 : *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore.* Et sequitur : *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* In vase enim immundo non vult Deus sibi serviri, sed in puro et pretioso. Et propter hoc dicit Apostolus II Tim. ii, 20 : *Nam in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam fictilia et lignea ; quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam,* Si quis autem emendaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile domino, et ad omne opus bonum paratum. (De sanctificatione require immediate supra) Patet ergo quod dicitur : *Hæc est voluntas Dei etc.* (Rogemus etc.)

XV

ITEM DOMINICA SECUNDA IN QUADRAGESIMA (*a*).

Ecce mulier Chananea a finibus illis egressa clamavit, dicens : miserere mihi *, *Domine fili David.* Matth. xv, 22.

* *mei*

Sicut gallice dicitur : *Besoin fait trotter la vieille* (*a*), et propter hoc ista mulier Chananæa, per quam significatur rationalis creatura per peccatum effeminata, ad medicum cucurrit, patriam deserit, ostendit infirmitatem, postulat medicinam, propter quam ipsa gerit typum animæ pœnitentis. In quatuor commendatur, quoniam præparatur ad bonum, elongatur a malo, manifestat miseriam, postulat misericordiam.

Mulier igitur ista per quam significatur, ut dictum est, rationalis creatura per peccatum debilitata, primo igitur præparat se ad bonum, et hoc notatur cum dicit : *Ecce mulier Chananæa*, quæ interpretatur præparata. Sciebat enim quod medicina non datur nisi homini bene præparato. Et certe medicina gratiæ non datur, nisi voluntas hominis ad faciendum pœnitentiam sit præparata. Prius enim præcedere debet præparatio voluntatis, et postea sequitur purgatio cordis, unde et longa dieta, et omnium noxiorum abstinentia solet indici volentibus accipere medicinam. Et propter hoc dicitur Eccles. ii, 20 : *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in aspectu* * *illius sanctificabunt animas suas.* Et bene dicit : *Qui timent Dominum,* quia timor retrahit ab omnibus nocivis, secundum illud Eccles. i, 27 : *Timor Domini expellit peccatum,* et compellit hominem ut præparet se ad purgationem peccatorum faciendam, et animam sanctificandam et emundandam. Et propter hoc præparatio fieri debet in conspectu Domini, tamquam scilicet in conspectu summi medici, qui bene novit interioris hominis voluntatem, nec latet ipsum animam esse bene vel male præparatam. Et propter hoc dicit : *Qui timet dominum etc., et in conspectu illius etc.* Et hoc est quod dicitur I Reg. ii, 31 : *Deus scientiarum, Dominus est; et ipsi præparantur cogitationes.* Si igitur infirmus moriatur propter defectum medicinæ, medico non imputet, sed negligentiæ suæ. Paratus enim est infundere gratiam suam, sed tamen hominis est præparare animam suam Proverb. xvi, 1 : *Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam.* Propter hoc dicitur de ista muliere : *Ecce mulier Chananæa*, quasi

* *con*

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

dicat : videbo peccatricem obstantem medico, tamquam paratam ad suscipiendam medicinam. Secundum illud Amos iv, 12 : *Præparare in occursum Dei tui, Israel* : quasi dicat : præparare in occursum medici, præparata facere pro sanitate quidquid medicus injunxerit (1). I Regum, vii, 3 : *Præparate corda vestra etc.*

Et sequitur : *De finibus illis egressa*. In quo innuitur secundum, scilicet egressus a peccato. Per Tyrum enim et Sydonem, unde exierat mulier ista, significatur status culpæ. Tyrus enim interpretatur angustia, tamquam scilicet lætale vulnus interficiens ipsam vel vulnerans ad mortem. Unde dicitur Baruch, iii, 1 : *Anima in angustiis posita, et spiritus anxius clamat ad te*, tamquam, scilicet, ad medicum postulans medicinæ beneficium. Item per peccatum efficitur peccator venatio diaboli, secundum illud Eccles. xiii, 23 : *Venatio leonis onager in eremo*. Diabolus enim est sicut venator, qui venari non desistit, donec aliquid apprehenderit Jerem. xvi, 16 : *Mittam eis venatores,* venabuntur eos de omni monte, et de cavernis petrarum*. Fines autem peccati sunt delectatio morosa, quantum ad ultimam peccati recordationem et propositum iterum non peccandi quantum ad recidivationem. Et hujusmodi est, de quibus finibus, non solum de ipso peccato, peccator tenetur egredi. Egressus iste figuratus est Genes. xii, 1, ubi dicitur de Abraham : *Egredere* de terra tua, et de cognatione tua, et de domo etc.* Et xix, 12, ubi dicitur : *Surgite et egredimini de loco isto*. Et paulo post (17) dictum est ad Lot : *Surge, et egredere, ne tu pereas in scelere civitatis, et noli respicere post tergum tuum, nec stes in omni circa regione*. Circa, hoc est : ne redeas ad culpam, et evites omnem peccati circumstantiam. Sunt enim multi sicut sus, qui libenter revertitur ad lutum, vel sicut musca, quæ libenter sequitur unguentum. Quoniam igitur periculosum est infirmantibus in regione hac manere, in qua quotquot morantur, moriuntur, ad exemplum hujus mulieris non debemus morari, sed egredi, nec regredi. Stultus enim esset infirmus, qui in domo in qua omnes moriuntur vellet morari. Et propter hoc dicitur Jerem. xxi, 8 : *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac, morietur, qui autem egressus fuerit, vivet.*

Item commendatur hæc mulier, sicut dictum est, quia manifestat miseriam, quam habet fieri per confessionem. Et propter hoc dicitur : *Clamavit, dicens : Filia mea etc.* Filia ista est peccatoris anima, quam diabolus vexat trahendo eam de luto in lutum, hoc est de peccato in peccatum, sicut de gula ad luxuriam, de luxuria ad rapinam, et hujusmodi, tamquam ad gursam (a) suam. Et ista significatur per uxorem Levitis, de qua Judic. xx, 5 dicitur : Gabaonitæ *circumdederunt domum, in qua manebam, nocte, volentes me occidere et uxorem meam incredibili libidinis furore vexantes, denique mortua est.* Iste Levites significat prælatum, sponsum et custodem animarum, cujus domum, hoc est ecclesiam, invadunt dæmones tamquam Gabaonitæ. Interpretatur enim vallis mœstitiæ. Et ipsum prælatum interficere volunt, pro anima, tamquam pro sponsa sua ; viriliter resistentem cernunt, sed ad ultimum ipsam tamquam fragilem superant, et per immundas pollutiones coinquinant, trahentes eam et vexantes de fimo in fimum usque ad mortem : hoc est, usque ad finalem impœnitentiam, in qua frequenter interficiunt eam. Et tales dicturi sunt in fine illud Sap. v, 7 : *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Quoniam hæc filia taliter vexatur, et tantum infirmatur, offerenda est ad medicum, hoc est ad Christum, ut videat morbum et apponat remedium. Ipse enim est qui non solum sanat vivos, sed etiam suscitat mortuos Matth. ix, 18 : *Ecce princeps unus accessit, et clamavit* dicens : Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, et impone manum super eam, et vivet.* Manus imponit iste medicus super animam mortuam, quando

* et adoravit eum

(1) [illegible]

virtute confessionis clamat, et per ministrum suum sanat et absolvit peccatorem, et hoc (quantum) ad clamorem confessionis. Ibi enim confunditur diabolus, quia non potest audire clamorem pœnitentis et confitentis, imo fugit sicut lupus ad vocem pastoris, vel ad latratum canis. Quod figuratur Nehemiæ IX, 28 : *Conversi sunt et clamaverunt ad te; tu autem exaudisti et liberasti eos,* tamquam scilicet ovem de ore lupi. Sequitur : *In misericordiis tuis magnis, temporibus* *multis *infinitis* *. Cum enim ostenditur in confessione periculum culpæ, summus medicus, misericors et pius statim apponit medicamentum pœnitentiæ vel misericordiæ. Et propter hoc dicitur hic : *Miserere mei, fili David,* quasi dicat : tu vides morbum, sed misericorditer appone remedium. In quo tanguntur quatuor, videlicet post denuntiationem miseriæ supplicatio misericordiæ. Et propter hoc dicit : *Miserere mei,* quasi dicat : scio quod medicus es, et solo verbo morbidam animam sanare potes Sap. XVI, 10 : * illos *Misericordia tua adveniens sanabat eos* *. In quo patet summa Dei benignitas, qui se, licet nobilissimum, medicum facit abjectissimorum peccatorum : imo quod majus est, adversariorum suorum. Quis enim medicus sanat adversarium suum? Et tamen David clamat in persona peccatoris Ps. VI, 3 : *Miserere mei, Domine, quia infirmus sum.*

Ostendit autem Dominus ipsis peccatoribus se misericordem tripliciter : expectando, remittendo et suscipiendo. Expectat ad veniam, remittit offensam, suscipit ad pœnitentiam.

Expectat igitur eos ad veniam tamquam rex inimicum capitalem. In quo patet ejus benignitas, qui statim posset adversarium interficere, tamen expectat et dissimulat si forte velit ad emendam venire. Et hoc est quod dicitur Isai. XXX, 18 : *Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri; et idcirco* * ideo *exaltabitur parcens vobis.* Et bene dicit : *Exaltabitur parcens vobis,* quia quanto magis descendit nobis ex misericordia, tanto magis exaltabitur et provocabitur contra nos ejus justitia; sicut nos videmus quod magister discipulo negligenti, et correctionem promittenti frequenter parcit, sed quando videt quod deterioratur, flagellat et gravius verberat. Dissimulat tamen et expectat; si tamen viderit ejus correctionem. Sic et Dominus. Unde Sap. XI, 24 : *Misereris omnium, quia omnia potes, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt.* Sed ista misericordia multis est in detrimentum, quoniam discipulus suæ voluntati demissus parum addiscit, et disciplinam non metuit : sic et impius. Isai. XXVI, 10 : *Misereamur impio, et non discet* facere *justitiam, in terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Sed Dominus frequenter facit sicut hortolanus, qui quanto diutius expectavit fructum arboris, et ejus sterilitatem videt, indicit, et in ignem mittit et ardet. Matth. III, 8 : *Agite dignos fructus* * *pœnitentiæ. Jam enim securis* * f... *ad radicem arboris etc.* fruct... Quod est contra quosdam qui de misericordia confidunt gr... et fructum pœnitentiæ non faciunt. Et ideo dicitur Eccles. V, 5 : *De propitiato peccato noli esse sine metu; nec adjicias peccatum super peccatum. Et dicas : miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Quia ira* * *et indignatio ab illo cito approximant, et in peccatores respicit ira illius.* * mis... dia e... Quos enim dudum expectavit per misericordiam, cito disperdit per justitiam. Nota de ficulnea quamdudum expectavit, et ad ultimum succendi fecit, quia fructum non invenit Luc. XIII, 6. Certe multis expediret, quod Dominus cum illis durius ageret. Non enim expedit quod usurarius terminum proroget debitori, quia quanto magis terminus prorogatur, tanto magis debitum augmentatur. Ita est de istis peccatoribus, quia quanto magis expectant in præsenti, non aquietantes se per pœnitentiam, tanto magis obligantur ad majorem pœnarum solutionem. Et propter hoc. II Mach. VI, 13 : *Etenim multo tempore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim ultione adhibere magni beneficii est indicium. Propter quod quidem numquam a vobis misericordiam suam amovet. Corripiens enim in adversis, populum suum non derelinquit.*

Dum miseretur Dominus peccatoribus, iram et offensam remittendo, quae quidem magna benignitas est. Et ideo dicitur Eccles. xvii, 24 : *Convertere ad Dominum, et derelinque* * *peccata, et minue offendicula.* Et Joel. ii, 13 : *Convertimini ad Dominum; quoniam benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia*, quasi dicat : per totum annum istum usque ad hunc diem, tanquam proditores pugnastis contra Dominum, attamen suscipiet vos, si volueritis reverti ad ipsum, secundum illud Eccles. xvii, 26 : *Convertimini ad Dominum, et derelinquite peccata.* Sequitur 27 : *Confitebere vivens, vivus et sanus confiteberis, et laudabis Dominum Deum, et gloriabere* * *in miserationibus ejus.* Quasi dicat : in terra miserebitur tui, quia glorificaberis. Ubi in gloria coronaberis Ps. cii, 4 : *Qui coronat te in misericordia et miserationibus.* Quare ergo converti debeamus, dicit : *Quoniam benignus et misericors est*, quasi dicat : in tantum benignus est, quod misericordia plenus est. Quod in incarnatione patuit, quando condemnatos ex justitia sola misericordia salvos fecit, secundum illud Tit. iii, 4 : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Unde postquam de utero misericordissimæ matris natus fuit, misereri non destitit, secundum illud Job. xxxi, 18 : *Ab infantia mecum crevit miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum.* Nutritus in schola matris suæ misericordiam didicit, quam postea nunquam oblitus fuit, secundum illud Ps. xvi, 10 : *Numquid obliviscetur misereri Deus? etc.* quasi dicat : non. Et mirabile esset, si daret oblivioni misericordiam, cujus quotidie recordatur. Non obliviscitur, et propter hoc dicitur (Abacuc ultimo 2) : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Et in Ps. xxiv, 6 : *Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiarum tuarum.* In tantum enim se ostendit patientem et misericordem, quia, sicut dictum est, omnem indulget et remittit offensam. Unde cum dixisset : *Convertimini etc.* : statim concludit : *Patiens, et misericors, et præstabilis, etc.* Unde consulitur nobis Isai lv, 7 : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus.* Et addit rationem : *Quoniam multus est ad ignoscendum.* Et videte quia promittit indulgentiam iis, qui derelinquunt vias suas et cogitationes suas, hoc est peccata manifesta et occulta. Quis enim ignosceret homini, vel hosti se non offendere desistenti ?

Item promittit ad se revertentibus misericordiam non pugnantibus contra se. Revertuntur ad ipsum vere confitentes, tamquam ingratitudinem suam recognoscentes, et se de cetero Deum non offendere promittentes. Et propter hoc dicitur Prov. xxviii, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Qui autem confitetur ea, et totaliter dimittit ipsa, inveniet misericordiam. Non enim est in curia Dei, sicut in curia mundi. Ibi peccator confessus condemnatur, sed hic absolvitur; quæ quidem est magna misericordia. Unde cum dixisset sapiens Eccles. xvii, 26. *Ante mortem confitere. A mortuo enim quasi nihil perit confessio*, statim subdit : *Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se!* Quasi dicat : valde magna, quia quos condemnat mundus, absolvit Deus.

Item non solum est misericors Deus, quia expectat ad veniam, remittit offensam, sed suscipit ad pœnitentiam. Unde dicit Psal. xxxix, 12 : *Tu autem Domine, ne longe facias miserationes tuas a me : misericordia autem tua, et veritas tua semper susceperunt me.* Hoc est non semel aut bis, sed quotiescumque pœnitere voluit, susceperunt me. In quo patet ejus ineffabilis pietas, quoniam sponsam suam, scilicet animam peccatricem, contra sponsorum mortalium consuetudinem, quantumvis fornicantem, ad ultimum tamen revertentem, et semper diligit et semper recipit. Jer. iii, 1 : *Vulgariter dicitur, si dimiserit etc. Tu autem fornicata es etc.* *Tamen*

revertere et ego suscipiam etc. Et ne forte desperet sponsa, tamquam post reversionem plorans et verecunda, ne forte cito reconcilietur in gratia, dicit Isai. xxx, 19 : *Plorans nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui Dominus; ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. Et dabit panem arctum, et aquam brevem,* quasi dicat : reconciliabit te in gratiam. Sed bene vult, quod tu facias pœnitentiam tuam. Hæc autem susceptio figuratur Luc. xv, 20, ubi dicitur de filio prodigo revertente : *Cum adhuc longe esset, vidit eum pater ipsius, et misericordia motus, occurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.* Et Luc. i, 54 : *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Rogemus Dominum etc.

XVI

DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA (*a*).

Ambulate in dilectione. Ephes. v, 2.

Sacra Scriptura quandoque nos docet surgere de lecto concupiscentiæ carnalis; quandoque stare super firmum perseverantiæ finalis, sed aliquotiens ambulare per latum amicitiæ spiritualis. Propter primum dicitur Rom. xiii, 11 : *Scientes quia hora est jam de somno surgere.* Loquitur Apostolus tamquam somnolento viatori, qui longam debet viam ire, sed parum habet de tempore. Multi enim sunt peccatis onerati, qui minimum habent de tempore, quoniam sunt in fine vitæ suæ, et tamen tantum distant a curia Dei quantum distat porta inferni a porta cœli. Et propter hoc dicit : *Scientes hoc tempus, quia hora est etc.* Et Ephes. iii, 14 : *Surge qui dormis, et exurge a mortuis etc.* Comparat peccatores homini dormienti, et homini mortuo, et homini cæco. Peccator enim nec habet motum bonæ operationis, sicut dormiens, nec robur defensionis, sicut mortuus, nec visum bonæ cognitionis, quoniam cæcus. Et propter hoc periculum docet nos sacra Scriptura surgere et ambulare, quod significatum est Actorum xii, 6, ubi dicitur de Petro dormiente peccatorem significare : *Erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.* Et sequitur quod dixit ei Angelus : *Surge velociter.* Petrus dormiens, peccator piger et negligens; duo milites, mors et diabolus, quorum unus insidiatur vitæ, alter animæ. Duæ catenæ, sunt malus actus, et malus usus, sive timor male humilians, et amor male inflammans. Et quoniam periculosus est iste status, dicit : *Surge velociter, et sequere me;* hoc est quod dicitur Joan. v, 8 illi paralytico : *Surge et ambula.*

Item aliquotiens sacra Scriptura docet nos stare super pedes finalis perseverantiæ. Et hoc est quod dicitur Ezech. ii, 1 : *Fili hominis sta super pedes tuos, et loquar tecum.* Ecce quod Dominus non vult loqui, nisi stanti et in bonis operibus perseveranti. Non enim est decens, quod servus sedens aut jaciens loquatur cum Domino. Et propter hoc sequitur : *Ingressus est in me spiritus Domini, postquam locutus est mihi, et statuit me supra pedes meos.* Dominus enim cum talibus libenter hospitatur et familiariter alloquitur, et præstat ad resistendum diabolo robur. Diabolus enim stantes, tamquam viriliter resistentes, libenter impugnat. Et quando bonum et famosum militem superare potest, mirabiliter gaudet et exultat : propter quod præveniens nos sapiens, dixit Eccles. ii, 1. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem,* quasi dicat : præmunio te, quod contra plures et fortes adversarios habes solus pugnare. Ephes. vi, 12 : *Non enim est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die mala, et in omnibus perfecti stare.* (Hoc habes expositum supra). Sic ergo sacra Scriptura docet nos fugere, docet nos stare. Non solum autem stare sed ambulare, hoc est de bene in melius

(*a*) Ex recensione D. Cecelli.

gentiam, quod innuitur nobis Tobiæ v, 5 : *Invenit Tobias juvenem stantem, splendidum*, *præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum.* Propter hoc dicitur hic : *Ambulate in dilectione*, hoc est ambulate per viam spiritualis amicitiæ. Apostolus autem in istis verbis duo facit. Invitat ad profectum, et docet proficiendi modum. Primum facit, cum dicit : *Ambulate*, hoc est de bono in bonum proficite. Ad quod nos invitat Dominus Joan. xii, 35 : *Ambulate dum lucem habetis, ut tenebræ vos non comprehendant.* Stultus esset viator, qui mane posset incipere aggredi viam, et expectaret usque ad noctem, quales sunt quidam, qui in juventute sua pœnitentiam facere possent, et usque ad senectutem expectant.

Ambulare igitur debet homo per quadruplicem viam, ut tandem perveniat ad patriam. Prima via debet esse per terram doloris, sive prima dieta. Secunda per terram pudoris. Tertia per terram laboris. Quarta per terram honoris.

Debemus igitur primo transire per terram doloris. Hæc est prima dieta. Debet enim peccator primo de peccato dolere. Sicut enim non contingit ire in terram promissionis, nisi prius mari transito, sic nec peccator ad quietem regni cœlestis, nisi prius transeat per amaritudinem doloris peccati. Quod figuratum est in filiis Israel Exod. xv, 10 : *Filii Israel ambulaverunt per siccum in medio maris.* Per mare, quod amarum est, et ejicit omnes sordes, intelligimus amaritudinem contritionis. Non enim est maris gutta, quæ non sit amaritudine respersa. Nec intra mare tam dulcis aqua, quæ non convertatur in amaritudinem. Et quamvis in se sit amarum et videatur impurum, nihil in se retinet immundum aut sordidum. Similiter cor contritum non habet aliquam partem, nisi dolore respersam. Nihil dulce temporaliter sapit, nihil immundum retinet sed rejicit. De hoc itinere potest intelligi illud Eccl. xxiv, 8 : *In fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti*, hoc est totam conscientiam meam diligenter circuivi, non relinquens alicubi sordes peccati. Num. xxxiii, 8 : *Profecti filii Israel de Phihahiroth, transierunt per medium mare, et ambulantes tribus diebus per desertum Etham castrametati sunt in Mara.* Phihahiroth interpretatur cor nobilitatis, et significat quosdam qui cor habent ita nobile, quod nullam volunt aggredi humilitatem pœnitentiæ, nisi pro sua voluntate, sed egredi debent et mare transire, hoc est per amaritudinem contritionis lacrymosæ, ubi non statim inveniunt lacrymas compunctionis, et propter hoc in Mara debent morari, hoc est amaritudine cordis contriti. Mara enim interpretatur amaritudo.

Item secunda dieta debet esse per terram pudoris, quod significatum est Num., xxxiii, 8, ubi dicitur quod *filii Israel ambulantes per desertum Ethan castrametati sunt in Mara.* Et postea sequitur 10, quod venerunt ad mare rubrum. *Profectique de mari rubro castrametati sunt in desertum Sin.* Mara ut dictum est, interpretatur amaritudo, per quam prima die debet transire peccator. Tandem debet venire per Ethan, quod interpretatur robur gratiæ, quoniam amaritudo contritionis cum gratia robustum facit hominem, contra tentationes hostis, in tantum quod audet transire mare rubrum, hoc est per amaritudinem verecundiæ confessionis. Rubor enim verecundiæ signum est. Quis enim fur ausus esset venire coram judice suo deprehensus in furto, sine confusione? In signum hujus dicitur III Reg. xxi, 27 : *Scidit Achab vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite.* Sed nota quod, sicut dictum est, filii Israel profecti de mari rubro venerunt in Sin, quod interpretatur odium, seu mandatum, quia postquam peccator vere contritus est, et verecunde confessus, debet odire peccatum, et exponere se ad faciendum divinum mandatum, sive placitum, secundum illud Isai. xxxviii, 1, ubi dicitur, quod cum dixisset Dominus Ezechiæ : *Dispone domui tuæ quia morieris tu, et non vives*, versus ad parietem, hoc est ad peccatorum congeriem, *flevit amare* et ait : *Obsecro, Domine, memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in*

oculis tuis fecerim. Et notabiliter dicit : *Ambulaverim coram te,* tamquam scilicet fur deprehensus in furto, vel mulier deprehensa in adulterio, et hoc in veritate non abscondens vel excusans peccatum meum coram sacerdote, et hoc in corde perfecto, proponens culpam et ita evitare facto, sicut ore dico. Nihil enim mihi prodesset misericordiam petere, hoc pacto quod deterius nunc vel simile facerem, juxta illud Gen. xvii, 1 : *Ambula coram me, et esto perfectus.* Perfectus est qui ita peccatum dicit, quod iterum peccare non proponit, quod est contra quosdam, qui confitentur se non corde perfecto vel integro, quia relinquunt unam partem Domino, et aliam partem diabolo, ex una parte venenum, et ex altera parte remedium, qui significantur per Asa, de quo dicitur I Paral. xxv, 2 : * *Ambulavit coram Domino, veruntamen non in corde perfecto,* scilicet ore serviens Domino, sed voluntate et facto diabolo.

cit bo-
um in
spertu
mini

Item tertia dicta debet esse per terram laboris, ut sicut laboravit in culpa, laboret in pœnitentia, et quemadmodum exposuit se in servitio diaboli ex malitia, ita se exponat servitio Dei ex justitia. Dicunt enim damnati Sapient. v, 7 : *Ambulavimus vias difficiles, erravimus a via veritatis, et lumen justitiæ non illuxit* * *nobis,* quasi dicant : multum in peccato laboravimus, et de nobis justitiam non fecimus, nec in proximum bonum exemplum ostendimus. Et certe melius fuisset nobis, quod de nobis ad tempus justitiam fecissemus, quam per justitiam divinam in æternum damnati fuissemus. Et propter hoc dicitur Micheæ vi, 8 : *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te; utique facere judicium* de te ipso, *et diligere misericordiam* cum proximo, *et sollicite ambulare cum Deo tuo,* quasi dicat : si sic velis facere, de familia Dei tui poteris esse. Sin autem de te justitiam non feceris, in curia Dei sine misericordia judicaberis. Unde quilibet nostrum dicere posset illud Proverb. viii, 20 : Ego *in viis justitiæ ambulo.* Et certe qui hic se judicaverit in curia justitiæ, hostes calumniantes non timebit in mortem, secundum illud Psal. cxviii, 121 : *Feci judicium et justitiam; non tradas me calumniantibus me.* Immo qui de se justitiam fecerit est electus de familia Dei, sicut dictum est Isai., xxxiii, 15 : *Qui ambulat in justitia, et loquitur veritatem, iste in excelsis habitabit.* Boni enim propositi solent esse ballivi et domini magni, et a principibus exaltari. Si vero justitiam non fecerimus in terra nostra, faciet Dominus sicut faciunt reges, quando barones et milites male tenent justitiam, quia quando tales dimittunt latrones sine signo, frequenter suspendunt eos in patibulo. Et de hoc dicitur Sap. vi, 5 : *Non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, nec secundum legem Dei ambulastis,* quæ scilicet jubet malefactores puniri, juxta illud Exodi xxii, 18 : Itaque, *maleficos non patieris vivere.* Sequitur : *Horrende et cito apparebit vobis,* idest subito et dum non speratis, justitiam ejus sentietis. Ideo clamat David, ut dictum est : *Feci judicium et justitiam etc.* Dæmones enim insidiantur illis, qui de se justitiam non faciunt, sicut bedelli principum latronibus fugientibus terram Domini pusillanimis et negligentis. Utinam attenderent hoc illi, qui delicate vivunt nunc, et corpus licet proditorem et insuperabilem adversarium indesinenter nutriunt, licet dictum sit Baruch. iv, 26 : *Delicati mei ambulaverunt vias asperas.* Certe, si diligenter præmium quod expectant attenderent, ambularent, et non deficerent, sicut videmus quod operarius diurnus libenter laborat, et quasi lætatur, quando bonum præmium expectat, secundum illud Isai., xl, 31 : *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ* *, *volabunt et non deficient.*

luxit

Item quarto et ultimo transire debet per viam amoris, quoniam ista via securior est vel planior, placidior et termino propinquior. Amor enim omnia gravia levia facit, aut pene nulla. Est enim amor sicut comes jucundus in via, vel sicut vehiculum deferens sarcinam, sive socium fatigatum. Per istam præcipit nos Dominus ire, Deuter. x, 12 : *Et nunc Israel, quid Dominus requirit a te, nisi ut diligas eum, et ambules in viis ejus.* In quo patet mira Dei benignitas

* sicut
læ, au
ludu

qui difficultatem sibi ex socio parat in via. Et certe melius valet socius in via, quam denarius in bursa vel corrigia. Nullam enim possunt habere indigentiam, qui talem habent societatem suam. Proverb. viii, 20: *Ego in via justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.* Et hoc est quod dicitur Sic: *Ambulans in illuc...* (In illuc... habes aliter.)

XVII

ITEM DOMINICA TERTIA IN QUADRAGESIMA (1)

Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum.
(Luc. xi, 14.)

Scriptum est Ps. c, 7: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam*; quasi dicat: cum ego sim humilis. Matth. xi, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde etc.*, diabolus autem sit superbissimus. Job. xli, 25: *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*, ideo ego et diabolus in eadem domo habitare non possumus. Propter hoc oportet quod ego vel ipse exeamus. Sed justum est quod ipse exeat, maxime cum ipsum possim, sciam, et velim ejicere. Cum enim habeam potestatem ejiciendi eum, per me, non per alium, debet ejici. Ad Dominum enim pertinet ejicere malefactores de sua regione Matth. viii, 16: *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat quos* verbo.*

* spiritus

Item per me, non per alium debet ejici, quia modum ejiciendi novi. Scio enim quod pusillanimus est, ejiciendus est per clamorem orationis, sicut lupus ad clamorem pastoris, vel ad latratum canis. Scio etiam quod delicatus est, libenter habitat in delicatis. Cum enim exierit ab homine, circuit loca arida et inaquosa, quærens requiem et non invenit. Et propter hoc ejiciendus est virtute jejunii, vel carnis maceratione, Matth. xvii, 20: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejunio.*

Item per me debet ejici, quoniam nolo secum in eodem hospitio commorari. Non enim decet ribaldum vilem et abjectum in eadem domo manere cum principe, vel in eodem lecto jacere, Joan. xii, 31: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Locus enim regum est in thalamo. Locus garcionum est in stabulo. Multi tamen sunt qui tantum honorem parant dæmoni, quia ipsum hospitantur in thalamo Domini sui, cum locum suum eligat in visceribus porci; hoc est in conscientia gulosi vel luxuriosi, Matth. viii, 31: *Dæmones autem rogabant Jesum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos*. Et ecce cum magno impetu abiit totus grex per præceps in mare: et mortui sunt in aquis.* Et certe stultum est recipere hospitem qui præcipitanter, dum non sperat, tamquam latro nocturnus, interficit ipsum hospitem. Ad ipsum igitur pertinet ejicere dæmonium, quoniam potest, scit et vult eum dejicere, tamquam adversarium suum; et hoc invenitur hic ubi dicitur: *Cum ejecisset etc.* In quo tria specialiter attenduntur. Tangit enim Evangelista Dei potestatem, hostis feritatem et nostram veritatem, sive Christi potentiam, hostis nequitiam, et nostram prudentiam. Potentia Christi tangitur in electione. Cum enim diabolus fortis sit, ita ut nullum timeret, et non sit potestas sub cœlo quæ ei possit comparari, sicut dicitur Job. xli, 24, constat quod ejici non potest, nisi virtute supercœlesti.

* greg. porcor.

Ipse enim Deus ipsum ejecit de cœlo, sicut canes et porci ejiciuntur de ecclesia, sive ribaldi vel viles personæ de loco nobili, vel de nobilium camera, Ezech. xxviii, 16: *Repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccati; et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherubim.* Iniquum siquidem fuit, quod ad Dei similitudinem aspiravit, et qui factus erat ut ministraret, sine ministerio ministrari voluit et propter hoc ejectus est de palatio cœli in sterquilinium inferni. Et propter hoc multum timere debent peccatores hujus mundi. Cum enim rex non parcat nobilioribus et familiaribus, quanto minus parcet inferioribus et remotis personis? Unde terribile verbum dicitur peccatoribus Ezech. xi, 8: *Gladium metuistis, et*

(1) Ex recensione D. Bonif.

ducam *gladium educam * super vos, et ejiciam vos de terra, et dabo vos in manu hostili.*

Item non solum ipsum ejicit de cœlo, sed etiam de corde humano, tamquam adversarium de castro suo, vel sicut sacerdos excommunicatum de templo, imponens ei silentium, ut tamquam excommunicatus per tentationem vel per suggestionem non alloquatur hospitem suum Luc. xi, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum.* Multi tamen sunt, qui licet excommunicatum, et a sanctorum angelorum consortio sive collegio separatum, in domum recipiunt, et longa siquidem familiaritate revertentem, de facili colligunt, et mandatis ejus obediunt; propter quod in hodierno Evangelio dicitur : *Revertar in domum meam, unde exivi; tunc assumit, etc., et ingressus etc., et sicut etc.* In quo patet ipsorum perditio, qui Domini sui recipiunt adversarium de regno suo projectum et forbanitum, secundum illud Deut. xxix, 28 : *Ejeci * eos de terra mea, in ira, et in furore et indignatione maxima.* (...it...de ...a sua) Et propter hoc faciet Dominus istis proditoribus suis, qui suos recipiunt adversarios, sicut faciunt terreni domini de suis hominibus proditores suos et forbanitos suscipientibus, cum ipsis forbanitis mittentes eos in carcerem, vel exponentes eos ad mortem, secundum illud Jerem. xv, 1 : *Non est anima mea ad populum istum,* tamquam, scilicet, proditorem meum. *Ejice eos a facie mea. Quod si dixerint quo ejicientur? qui ad mortem ad mortem; qui ad gladium ad gladium; et qui ad captivitatem ad captivitatem.*

Item in judicio per diffinitivam sententiam ipsos projiciet in inferno. Tunc enim judicabuntur carceri proprio, et tunc augmentabitur eorum pœna, quando videbunt quæ homines possedere per humilitatem pœnitentiæ, et ipsi perdiderunt per timorem superbiæ. Et tunc complebitur illud Matth. viii, 11 : *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Sed non est æquum quod remaneant ibi soli; imo tamquam dominis suis servient eis in pœna quibus in hac vita servierunt in culpa. Et hoc eorum stipendium in æternum, scilicet irrevocabile supplicium. Tunc enim complebitur illud Matth. xxv, 30 : *Servum inutilem et pigrum ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Et Jerem. x, 15 : *Ejiciam vos de terra hac, in terram quam ignoratis, et servietis ibi diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Sequitur : *dæmonium,* in quo notificatur hostis nequitia. Dæmonium enim interpretatur sanguineus; et certe diabolus non sitit, nisi sanguinem peccatoris, et ejus damnationem, Proverb. i, 16 : *Pedes eorum ad malum currunt; et festinant ut effundant sanguinem. Frustra enim jacitur rete ante oculos pennatorum.* Et dicitur de diabolo tamquam de venatore et aucupe. Venator vel aucupes, quando videt bestiam in reti vel in laqueo captam, currit et interficit. Sed avis videns laqueum pennis extensis evolat et exultat. Similiter diabolus, quos tenet in laqueo frequenter interficit, sed homo pœnitens pennis virtutum evolat et effugit, et in gratiarum actionem prorumpit, sicut homo qui malum passum evitavit et non periit, secundum illud Ps. cxxiii, 6 : *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium : laqueus contritus est, et nos liberati sumus.* Licet autem ita crudelis sit, tamquam pessimus homicida, multi tamen sunt qui recipiunt eum in societate sua, contra consilium Apostoli dicentis, I Cor. x, 20 : *Nolo vos socios fieri dæmoniorum :* quia *non potestis fieri * participes mensæ Domini et mensæ dæmoniorum.* (* ess) Sicut princeps et episcopus de societate sua solent ejicere servientes, et clericos suos, quos vident vel audiunt ribaldorum et infamium personarum societatem tenere. Non enim decet quod ribaldus vilis et immundus in eadem mensa, vel in eadem paropsyde comedat cum principe, vel bibat cum eodem calice I Cor. x, 20 : *Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum,* quasi dicat : ex quo bibitis ad calicem diaboli, tamquam ad calicem excommu-

aliud, non licere ad colendum Domini. Sicut enim quis non haberet tempore forbannitum regis terreni, vel participare cum excommunicato a Domino Papa, vel ab aliis prælatis, et tamen recipiunt diabolum a Deo forbannitum, et de societate sanctorum angelorum ejectum tamquam excommunicatum, Apoc. xviii, 2 : *Cecidit Babylon, et facta est habitatio dæmoniorum.* Facit enim Dominus de peccatore, sicut rex de castro forbannitum suum occupantem, quod prosternit ad terram, nec relinquit lapidem super lapidem. Ita Dominus præcipitat tales de porta cœli usque ad portam inferni, tunc in mundo in infernum, tamquam forbannitorum suorum diuturnum receptaculum, secundum illud Baruch. iv, 35 : *Habitabitur a dæmoniis in multitudine temporis.* Et bene dicit : *habitabitur.* Sunt enim peccatores sicut quidam latronibus et raptoribus consentientes, et eos in domo sua recipientes. Non unum sed plures, secundum illud Lucæ viii, 30 : *Interrogavit Jesus dæmoniacum, dicens : quod nomen tibi est. Et dixit : Legio : quia multa dæmonia in illum intraverunt.* Cum enim vident fures, quod in tali hospitio libenter accipiuntur et non arcentur, illuc libenter accurrunt. Similiter et dæmones faciunt, secundum illud Isai. xxxiv, 13 : *Erit Sion cubile draconum et occurrent sibi dæmonia.*

Talium autem stultitia patet tripliciter, quia dæmones tamquam mali hospites, miseram animam velut hospitam suam vexant, fœdant et necant.

Ipsam igitur primo vexant trahendo de loco in locum, hoc est de peccato in peccatum, de loco in locum, hoc est de mundo in miseriam vel in infernum, ut dicit mater Ecclesia de peccatrice anima, Matth. xv, 22 : *Miserere mei, fili David : quia filia mea male a dæmonio vexatur* (Hoc habes expositum supra). Diabolus enim tales infatuat, qui tamquam lunatici nunc præcipitant se in ignem, hoc est in ardorem concupiscentiæ carnalis, nunc in aquam, hoc est in flexibilitatem concupiscentiæ temporalis. Unde in persona prælati dicitur Matth. xvii, 14 : *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est et male patitur : nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam.* Et sequitur : *Increpavit eum Jesus, et exiit ab eo dæmonium.* Tales enim Dominus increpat per prædicatorem suum, sicut pater filium voluptuosum et gulosum, et aliquotiens a malitia revocat eum, quod est quasi ejicere dæmonium. Prædicatores enim et confessores totiens ejiciunt dæmonia, quoties convertunt peccatorem a malitia sua. Luc. ix, 1 : *Convocatis duodecim apostolis, Jesus dedit eis potestatem super omnia dæmonia.* Et Marc. xvi, 17 : *In nomine meo dæmonia ejicient etc.*

Item non est recipiendus talis hospes, quoniam fœdat animam, sicut jumentum stabulum, vel upupa nidum. Et propter hoc Scriptura vocat eum spiritum immundum Lucæ iv, 33 : *In synagoga autem erat homo spiritum* habens immundum* ; diabolus enim veniens in animam per malitiam facit sicut divites, quando de novo acquisierunt et intraverunt aliquam domum ; faciunt enim de stabulo coquinam, et de coquina latrinam, et sic de aliis. Similiter diabolus quando venit in animam, ut dictum est, de camera Dei facit stabulum diaboli. Unde postquam dictum est Apocalyp. xviii, 2 : *Cecidit Babylon, et facta est habitatio dæmoniorum,* statim addit : *et custodia dæmoniorum omnis spiritus immundi, et omnis volucris immundæ.* Quod autem polluat sordibus peccatorum animas, satis patet in verbis suis. Et propter hoc quod sordida et immunda habet verba, satis ostenditur quod sordidatur ejus conscientia. Et propter hoc dicitur Apocal. xvi, 13 : *De ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ vidi exire tres spiritus immundos in modum ranarum,* qui sunt spiritus dæmonum. Draco, qui venenosum et fœtidum habet anhelitum, significat detractorem feces aliorum in ore resolventem, et alios inficientem. Bestia, quæ gulosa est, et in fecibus jacet, significat gulosos et luxuriosos, qui vix loqui possunt nisi de immunditiis gulæ. Pseudopropheta est quilibet peccator, promittens sibi spatium longioris vitæ, qui non loquitur nisi de sordibus temporalis concupiscentiæ. De istorum ore tres exeunt spiritus immundi, blasphemiæ, lasciviæ et contumeliæ, quæ

* [illegible]

procedunt de peccatorum corde, tamquam de vase sordido per diabolum hospitem sordidato.

Item non est recipiendus talis hospes, quoniam necat animam, sicut latro suum hospitem. Actor. XIX, 16 : *Insiliens in eos homo, hoc est in Eneam et filios ejus, in quo erat dæmonium pessimum, invaluit contra eos, ita quod nudi et vulnerati effugerent.* Nudat enim gratuitis, vulnerat in naturalibus et aliquotiens corporaliter interficit, sicut gluto porcellum quem diu nutrivit : quod innuitur Tobiæ VI, 14, ubi dicitur quod tradita fuit Sara septem viris, et mortui sunt, sed et audivi quia dæmonium occidit eos. In luxuriosos enim et abusores legis matrimonialis habet diabolus specialiter potestatem. Nota de clerico, et juvencula, et vetula candelam in manu tenente, quos suffocavit diabolus, in diœcesi Carnotensi. Tamen non vos ipsos passim interficit diabolus, ut alios alliciat. Si enim passim eos interficeret, pauci vel nulli fornicarentur, unde facit sicut facit aucupes, qui bene permittit tres vel quatuor aviculas transire ante quam rete trahat, ut aliæ sequantur, et ita plures capiat et interficiat. Posset tamen præcedentes, si vellet, interficere. Et hoc innuitur Tobiæ VI, 16 : *Dixit angelus : ostendam tibi qui sunt illi, quibus prævalere potest dæmonium* in his *qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et ita vacent suæ libidini, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Imo certe tales sunt pejores porcis et jumentis et certis animalibus brutis, qui temporibus certis et causa fœtus coeunt ; et propter hoc non est mirum si aliquando pereunt. Unde sequitur Tabiæ VI, 17 :
dæmo- *Iis diabolus, habet potestatem* *.

m super Sequitur : *Locutus est mutus.* Mutus
eos. erat peccator tempore culpæ ; nec solum mutus, sed et cæcus, nec cognoscebat periculum, Matth. XII, 12 : *Oblatus est ei dæmonium habens, mutus et cœcus.* Satis autem loqui debet, non verba mala, non verba vacua, sed verba bona.

Loquuntur enim quidam verba mala, scilicet verba blasphemiæ contra Deum, secundum illud Psal. LXXVII, 19 : *Male locuti sunt de Deo.* Sunt enim tales similes canibus Acteonis, qui dominum suum dicuntur lacerasse. Unde posset Dominus dicere illud poeticum,

Acteon ego sum, dominum agnoscite vestrum ;

vel sicut phreneticus, qui dentibus impetit custodientes se. Similes Nicanori, de quo dicitur I Machab. VII, 42 : *Male locutus est super te et super sancta tua*, sed nunc *judica illum secundum malitiam ejus.* Et sequitur qualiter fuit postea dilaceratus membratim. Loquamur ergo non verba blasphemiæ contra Dominum, nec verba detractionis contra proximum, et maxime contra amicum nostrum. Eccles. VIII, 4, 5 : *Non litiges cum homine linguato... ne male de progenie tua loquatur.* Sunt enim quidam sicut canis, qui hominem non advertentem mordet, vel sicut scorpio, qui capite blanditur et cauda pungit, de quibus dicit Psal. XXXIV, 20 : *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant :* Sequitur : *Induantur confusione et reverentia, qui maligna loquuntur super me, etc. Nec dicant : devorabimus eum.*

Item loquitur insuper non solum non mala, sed et non vana, sicut verba lasciviæ, secundum illud Ps. XI, 3 : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum etc.* Sunt enim quidam, qui non possunt loqui nisi de vanitatibus mundi, similes joculatoribus et histrionibus, qui libentius loquuntur de Rulando et Uliviero, quam de Deo vel de aliquo sancto. Plus enim loquuntur de mundo, quam de cœlo, et sicut communiter dicitur : homo cognoscitur unde sit ad idioma suum. Unde qui habent idioma mundi, non cœli, ostendunt se esse cives terrestres, non cœlestes sive de familia Dei, non mundi Joan. III, 31 : *Qui de terra est, et de terra loquitur.* Sive enim intus, sive extra, semper habet in ore suo verba vana et sæcularia. Secundum illud Psal. XL. 7 : *Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur etc. Egrediebatur foras, et loquebatur in idipsum.*

Item loqui debemus verba non mala, non vana, sed bona, ut videamur esse non de familia mundi, sed Dei, secundum illud Zachariæ I, 13 : *Respondit*

Dominus aspexit, qui loquebatur in sua asina (?), verbis consolatoriis. Inter omnia vero verba, illa quæ magis sunt necessaria, sunt verba confessionis, et tamen pauci sunt, qui de hoc animæ suæ velint loqui. Sapientes sunt in alienis negotiis, sed insipientes in suis; de quibus conqueritur Dominus Jer. viii, 6: *Attendi et auscultavi, dicit Dominus, Nemo quod bonum est loquitur, et nullus pœnitentiam agit super peccato suo dicens: quid feci?* quasi dicat Dominus: ego diu exspectavi eos ad emendam, sicut creditur debitorem suum, et auscultavi si alloqueretur me de pace, sed confiteri nolunt, nec pœnitere proponunt. Loquela confitentis tres debet habere comites: scilicet anxietatem contritionis, veritatem planationis, æquitatem satisfactionis. Igitur vere confitentem debet sequi, sive comitari anxietas contritionis. Debet enim dolere de tempore quod consumpsit, de Deo quem offendit, et de pœna quam meruit. Et propter hoc dicebat Job. x, 1: *Loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo: noli me condemnare.* Et præmittitur: *Tædet animam meam vitæ meæ* etc.; quasi dicat: tædet me, quod tantum vixi, quia tempus meum inaniter expendi, et consumpsi, et multa mala coram oculis Domini feci, secundum illud Ecclesiastis ii, 17: *Tæduit me vitæ meæ, videntem mala quæ sunt sub sole.* Sequitur: *Dimittam eloquium meum*, quasi dicat: adversum me loquar et accusabo me coram sacerdote solo, ne debeam accusari coram judice summo, et universo sanctorum collegio. Plus enim expedit sacerdoti, quod accuset se coram archidiacono suo, quam accusetur alias episcopo coram tota synodo. Plus expedit furi, quod denudet furtum coram amico suo, quam accusetur coram præposito, et tota terræ concilio. Propter hoc dicitur in Psalm. xxxi, 5: *Dixi: confitebor adversum me* etc. *Loquar in amaritudine animæ meæ*; quasi dicat: conceptum dolorem, scilicet peccatum, emittam cum dolore sicut mulier partum de ventre, secundum illud Isai. xlii, 14: *Tacui, silui, sicut parturiens loquar.* Et bene dicit: *In amaritudine*; venenum enim [illegible], quoniam amarum, non posset evomi sine amaritudine. Job. vii, 12: *Non parcam ori meo; confitebor in amaritudine animæ meæ.*

Item confessio non solum debet esse amara, sed vera et recta, quia dicitur Proverb. xvi, 13: *Qui recta loquitur, diligetur.* Et bene dicit: *Qui recta loquitur.* Sunt enim quidam, qui recte non possunt loqui, sicut pueri, sicut sunt qui nesciunt confiteri, in quorum persona dicitur Jerem. i, 6: *Nescio loqui, quia puer ego sum.* Et similiter balbutiendo loquuntur, quia nec plane nec certe peccatum suum confitentur, contra illud Isai. xxxii, 4: *Lingua balborum velociter loquetur, et plane.* Velociter, per omnia peccata discurrendo; plane, nude et aperte peccatum suum, sicut est, confitendo, tamquam scilicet ore aperto et dilatato, non dimidiato. Sunt enim quidam sicut primas, qui nolebat cantare nisi medio ore, quia non habebat nisi dimidiam præbendam, contra quos dicitur in Ps. lxxvii, 2: *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio*; quasi dicat: aperte dicam, et totum dicam. Sed quidam sunt, qui loqui non possunt: obturat enim diabolus os eorum, ne exeat peccatum, sive clamet peccator in confessione, sicut fures faciunt, qui obturant os hominis ne clamet; unde dicitur gallice: *Il est embouselé*; quorum typum gerit ille mutus, qui adductus fuit ad Jesum Marc. vii, 32: *Adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur ut imponat ei manum.* Et sequitur quod *apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.* Ecce quia diabolus obturaverat ei aures, ne audiret prædicantem, et esset sicut aspis, qui obturat aures suas ne audiat incantatores, et clauserat os ejus, ne exiret peccatum per confessionem, sicut carcerarius claudit ostium super latronem. Sed Dominus primum aperuit aures, et postmodum os, et sic locutus est recte. Frequenter enim auditus verbi Dei extorquet confessionem peccati. Et bene dicit, quod loquebatur recte, quia, sicut dictum est supra: *Qui recte loquitur, dirigetur*; quia qui recte non confitetur de peccato,

non dirigetur ad misericordiam, secundum illud Proverb. xxviii, 13 : *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit*, idest recte, *misericordiam consequetur.*

Item non solum debet esse amara et vera, sed debet esse etiam justa. Debet enim peccator justitiam facere de se ipso, ut non judicetur a Deo, quia, sicut dicitur I Cor. xi, 31 : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Et propter hoc dicitur nobis in Psal. lvii, 2 : *Si vere utique justitiam loquimini, recte judicate, filii hominum.* Multi enim sunt, qui confitentur quod bene meruerunt magnam pœnitentiam, sed tamen nolunt facere judicium de seipsis. Certe quando fur judicatur, non debet evadere sine justitia. Similiter quando peccator judicavit semetipsum in confessione, non debet evadere sine justitia pœnitentiæ. Multi enim sunt, qui non faciunt justitiam in terra, et propter hoc habitant in ea latrones, hoc est, motus carnales, secundum illud Isai. xxvi, 18 : Quia non
ilutes feci- ius *fecimus justitiam* * *in terra nostra, ideo nos ceciderunt habitatores terræ.* Et tamen Dominus præcipit facere justitiam, secundum illud Isai. xliii, 1 : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum :* quam quia non fecimus, forsitan fiet de nobis sicut de latrone qui, quando non vindicatur in curia baronis vel militis pusillanimis, capitur et suspenditur in regis terra. Et propter hoc dicebat Psalmista Ps. cxviii, 121 : *Feci judicium et justitiam etc.* Pravi judiciarii propter negligentiam suam amittunt jurisdictionem suam, et devolvitur ad curiam altiorem. Similiter qui non faciunt hic justitiam, de corde et corpore suo vindicabuntur coram judice summo. Qui vero bene justitiam tenuerit, majorem acquirit dignitatem. Sicut nos videmus, quod præpositi justi et boni solent fieri ballivi et castellani domini sui et familiares. Et propter hoc dicitur Isai. xxxiii : *Qui ambulant in justitiis, et loquitur veritatem etc. Iste in excelsis ha-*
lebunt li ejus *bitabit. Regem in decore suo videbit* *, *et oculi ejus cernent terram de longe*, quasi dicat : qui bene fecerit justitiam in terra sua, et vere confessus fuerit peccata sua, hic erit de familia summi regis, commensalis ejus et familiaris, et contemnet omnia delectabilia vitæ præsentis. Rogemus etc.

XVIII

DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA (*a*).

Ejice ancillam et filium ejus. Galat iv, 30, et Genes. xxi, 10.

Gallice dicitur : *Il ne fait pas mal sa journée qui de fous se délivre...* Et bonum est sibi cavere a stulto et a puero. Et propter hoc dicitur Prov. xxii, 10 : *Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, et cessabunt causæ et contumeliæ.* Propter hoc attendens Apostolus, quod affectio carnalis est tamquam quædam ancilla litigiosa et fatua, filius etiam ipsius ancillæ, idest opus carnale, est tamquam filius præsumptuosus et rebellis dominæ suæ, videlicet rationi, præcipit quod mater et filius ejiciantur, idest affectio carnalis, et opus ipsius carnis, dicens cuilibet nostrum : *Ejice ancillam, et filium ejus.* Hæc enim duo præcipue sunt a nobis istis temporibus elonganda, tamquam dominæ, videlicet animæ, contrariantia. Nulla enim domina sapiens et discreta contemni, vel vituperari se permitteret ab ancilla sua voluptuosa et litigiosa. Caro enim servire debet animæ, quia dum rationalis anima, tamquam domina reprehendit, objurgans et affligens statim contradicit : quod figuratum est Tobiæ iv, 9, ubi dicitur quod cum Sara *pro culpa sua ancillam increparet, respondit ancilla : amplius ex te non videamus filium aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.* Sara, quæ interpretatur princeps, est anima, ancilla sua caro misera, quæ numquam vellet quod anima filium aut filiam pareret, hoc est bonum opus aut bonam affectionem haberet, quam, quia præcipit macerare carnem, vocat homicidam. Et propter hoc Apostolus præcipit ipsam ejici, et prolem suam. Est enim

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

Agar sicut ancilla Saræ, quæ dum concepit tanquam adultera de domino suo, dominam contempsit, et servire contempsit et respuit; quod significatum est Genes. XVI, 4 : Videns se ancilla Sarai concepisse, despexit dominam suam. Ita caro tanquam ancilla rebellis tollens concepit, gratiam spiritus rationalis ablatam perdonationem sibi commisit, et hanc vere dominam suam, hoc est animam, contemnit et despicit; et propter hoc ejiciendam præcipit. Utinam dicerent, sicut solent dicere boni mariti sponsalibus suis, illud Genes. XVI, 6 : Ecce ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet! Et statim sequitur quod dicit Angelus : *Ejice ancillam, et filium ejus*. Sed nota quod ancillam istam, hoc est carnalem affectionem, et hominem carnaliter viventem, tanquam filium et ancillam, Dominus præcipit ejici.

Unde notandum qualiter Dominus tales ejicit, quando ejicit, et quo ejicit. Dominus autem tam istos, quam omnes malos, dupliciter præcipit ejici : propter peccatum occultum, et propter peccatum manifestum; hoc est propter peccatum in voluntate, et propter peccatum in operatione. Dominus igitur ejicit hominem, quando plenus est iniquitate et dolo. Non enim vult Dominus iniquos et dolosos habere in societate sua. Ezechielis XXVIII, 16 : *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti : et ejeci te de monte sancto Dei*. Negotiatores isti sunt usurarii vel peccatores, qui minimo lucro, vel etiam pro minima delectatione peccati vendunt animas suas, tota die largas facientes cum diabolo. Nec dico animas suas tantum, sed animas Christi sanguine redemptas, in quo patet eorum dolus et eorum iniquitas, quoniam pro nihilo, vel minimo vendunt tam pretiosas, vendentes animam, et mercantes sibi mortem æternam. Et certe si mercator rem alienam venderet, tanquam fur condemnandus esset. Et si sciphum aureum daret pro parvo poculo vini, fatuus reputaretur. Et quoniam Dominus de talibus mercatoribus non curat, ipsos de domo sua, tanquam fures et latrones, ejicit et flagellat : quod figuratum est Matth. XXI, et Joan. II, 15, ubi dicitur quod Dominus facto flagello de funiculis, cœpit ejicere vendentes et ementes de templo, vendentes animam, et mercantes, ut dictum est, mortem æternam.

Item ejicit Dominus hominem propter peccata manifesta, et præcipue transgressores pacti in baptismo initi, et transgressores præcepti sui. Et certe quando sponsa fidem datam sponso, coram facie sua et amicorum, infringit et se cuilibet exponit, non est mirum si eam ejicit, et præcipue si transgreditur et frequenter reconciliata eum contemnit. Imo si paterfamilias ejicit servum, magis se exponentem servitio adversarii sui quam sibi, maxime si bene sibi providet, si diligit eum, si magnum in excessu suo expectat salarium, in veritate non est mirum; et propter hoc dicitur Deuter. XXIX, 25 : *Quia dereliquerunt pactum Domini sui, quod pepigit cum eis, quando eduxit eos de terra Ægypti, et servierunt diis alienis, quibus non erant attributi, idcirco ejecit eos de terra sua in ira*, pro culpa exprobrando, *in furore* pœnam infligendo, *in indignatione maxima* misericordiam subtrahendo. Sequitur : *Et projecit eos in terram alienam*, sicut, scilicet, homicidas qui mittuntur extra patriam sine revocatione.

Viso quare ejicit, videndum est quando ejicit. Propter quod notandum quod tales ejicit de consortio suorum et suo. Tales igitur ejicit de sorte bonorum, ne alios inficiant et corrumpant, sicut ovem morbidam de grege, vel dentem putridum de ore, sive pomum putridum de acervo, ne vicina sibi corrumpant et inficiant; quod significatum est Genes. XX, 9 ubi dicitur, quod *cum vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac*, idest ipsum ad idololatriam provocantem, vel alios ad aliud inhonestum inducentem, dixit : *Ejice ancillam, et filium ejus*. Debet talibus fieri, sicut fit leprosis, qui ejiciuntur de consortio sanorum. Leprosus enim nec in mensa participare debet cum sanis. Et certe tales nec pacem habent cum proximis, nec participes sunt bonorum Ecclesiæ, et præcipue interdicitur eis mensa Eucharistiæ. Num, V, 2,

Levitici XIII et 14 : *Præcipe filiis Israel ut ejiciant de castris omnem leprosum, ne contaminent ea, cum habitaverit vobiscum.* Præcipitur enim Ecclesiæ, ne tales cum aliis habitare sinat, ne corruptione sua sanos corrumpant. Num. V, 4 : *Fecerunt sicut præceperat Dominus, et ejecerunt omnes leprosos extra castra.*

Item tales ejicit Dominus de consortio suo, sicut ejicit aliquis magnus servum suum ebriosum et male morigeratum de servitio suo; quod figuratum est Genes. III, 24 : ubi dicitur : *Ejecit Dominus Adam de paradiso, et posuit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium ad custodiendam viam ligni vitæ.* Si sic ejectus est Adam, quia trangressus est mandatum de comestione unius pomi, quid faciat de totius Decalogi transgressoribus? Si pro tantillo delicto clausum est cœlum, ita quod genus humanum fuit relegatum, et per mortem Christi oportuit aperiri, qualiter aperietur illis, qui obligati sunt reatu gravis et enormis peccati? Quando autem diaboli vident tales ejectos de consortio Dei, et omnium sanctorum, tunc de ipsis faciunt capitulum suum, hoc est adire hurchapason, ludunt de talibus ad pilam, quoniam unus diabolus projicit ad alium, præcipitando de peccato in peccatum, ut de gula ad luxuriam, de luxuria ad rapinam; et sic de aliis, secundum illud Isai. XXII, 18 : *Coronans coronabit te Dominus tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam et spatiosam.* Tunc complebitur illud Sophoniæ II, 4 : *Quia Azotum in meridie ejicient,* hoc est, manifeste de peccato in peccatum. Sic igitur tales ejicit Dominus de consortio suorum et suo.

Sed quandoque ejicit in vita, quandoque in morte. Istos igitur Dominus ejicit in vita, non habens curam eorum, tamquam rem de qua non curatur. Et hoc figuratum est Genes. IX, 14 : Dixit Cain : *Ecce ejicis me a facie terræ, et a facie tua abscondar, eroque vagus et profugus super terram, et omnis qui inveniet me, occidet me.* Tales enim Dominus exponit omni periculo, quia præsidio Dei destituuntur, sicut navis sine nauta procellis et omnibus ventis exponitur, et sicut æger desperatus, qui voluntati suæ dimittitur, secundum illud Psalm. LXXX, 13 : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Hæc ejectio figurari potest Apocalyp. XI, 2 : ubi dicitur : *Atrium quod est foris templum, ejice foras, quoniam datum est gentibus.* Istud atrium peccatorum est, intra quod diabolus hospitatur, et quia non pertinet ad templum Ecclesiæ triumphantis, foras ejicitur, et diabolo datur.

Item tales ejicit in morte, quia tunc ponitur diabolus in sesina de preda sua, sine contradictione vel revocatione aliqua Ezech. XI, 8 : *Gladium meruistis, et gladium immittam* * *super vos in manus hostium.* Diabolus enim est, sicut leo qui bestiis aliis de cubilibus et cavernis exeuntibus insidiatur, secundum illud Psal. CVIII, 7 : *Cum judicatur, exeat condemnatus.* Sequitur : *Ejiciantur de habitationibus suis.* Judicium vocat mortem, quia tunc sententia definitiva datur contra peccatorem, et tunc diabolus animam de corpore ejectam rapit, sicut lupus ovem, quam ab aliis ovibus trahit, et ad latebras deferens lupillis suis exponit. Danielis IV, 28 : *Regnum tuum transiit* * *a te. Et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua.* Sic igitur tales ejicit.

* indu
* tran

Sed quo ejicit? Ad dolorem incomparabilem et inconsolabilem, et laborem interminabilem. Tales igitur ejicit ad dolorem inconsolabilem et incomparabilem. Illic enim erit tristitia sine consolatione, fletus sine cessatione. Matth. XXV, 30 : *Servum pigrum et inutilem ejicite in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.* Faciet Dominus de talibus, sicut judex de homicidis et proditoribus, quos a conspectu suo, post sententiam latam, duci facit et projici in profundum latrinæ. Jer. XV, V : *Non est anima mea ad populum istum; ejice eos a facie mea, et egrediantur,* scilicet, tamquam forbaniti propter delictum suum. Aliquotiens enim contingit, quod veri hæredes pro delictis suis exhæredantur, et extranei propter servitium suum hæredarii efficiuntur. Similiter justi, si ceciderunt a justitia et bonitate sua, et

peccatorum, si recesserit a malitia sua, secundum illud Matth. VIII, 11: *Venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno patris mei; filii autem regni ejicientur foras.* Et Osee IX, 15: *Propter malitiam adinventionum suarum de domo mea ejiciam eos; non addam ut diligam eos.*

Deus ejiciet ad laborem interminabilem eum, qui non una die voluit facere pœnitentiam. Sicut enim incessanter diabolo serviunt in hoc mundo, ita sine fine servient in inferno. Jer. XVI, 12: *Ecce unusquisque ambulat post pravitatem cordis sui mali, ut me non audiat, et ego ejiciam vos de terra hac ad terram, quam ignoratis, et servietis ibi diis alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Et bene dicit: *De terra hac*, scilicet de terra viventium in terram morientium. Non enim est justum quod bastardi succedant in hæreditatem paternam cum filiis legitimis, secundum illud Judic. XI, 2: *Ejecerunt Jephte fratres ejus, dicentes: hæres in domo patris nostri esse non poteris, quia de adultera matre natus es.* Et hoc est quod dicit Apostolus: *Ejice ancillam, et filium ejus.* Et sequitur: *Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Rogemus Dominum etc.

XX

ITEM DOMINICA QUARTA IN QUADRAGESIMA. (a)

Sequebatur eum multitudo magna. Jo. VI, 2.

Tali sancto talis offerenda, et tali domino talis familia. Quoniam igitur Dei Filius magnus erat dominus, necesse erat quod magna eum sequeretur familia. Et propter hoc dicitur hic: *Et sequebatur eum multitudo magna.* Et certe gloriosum est sequi talem Dominum. Gloriantur enim milites hujus mundi, quando sunt de familia nobilis et magni domini. Eccles. XXIII, 38: *Magna gloria est sequi Dominum; longitudo dierum assumetur ab eo*, quasi dicat: gloriosum et securum quia sequentes suos nobilitat, faciens eos reges et magnos dominos, secundum illud Matth. XIX, 28: *Vos qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Nec expellit cito de societate sua. Et propter hoc dicit: *Longitudo dierum assumetur ab eo*, hoc est semper si voluerit, morabitur in comitatu suo. Hoc attendens ille juvenis Matth. VIII, 19, dixit: *Magister, sequar te, quocumque ieris.* Acquiritur fructus bonus discipulis, qui sequuntur magistrum quocumque se transferat ad legendum, vel sicut bonus miles, qui in omni periculo sequitur dominum suum. Turpe enim est dominum armatum viriliter ad pugnam procedere; et militem pusillanimem et corde pavidum recedere. Unde ipse dicit Matth. X, 38: *Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus*; idest non est dignus esse de familia mea. Quamvis autem tantus sit Dominus, multi tamen sunt qui alios eligunt dominos. Habet enim diabolus familiam suam, mundus suam, caro suam, et Deus suam. Unde quidam sequuntur diabolum per altum superbiæ, quidam mundum per arctum avaritiæ, quidam carnem per latum, sive per fimum luxuriæ vel carnalis concupiscentiæ, quidam Deum per rectum justitiæ.

Sunt igitur quidam qui sequuntur diabolum, tamquam dominum suum, et præcipue superbi. Cum enim sit superbus et præsumptuosus, superbos, præsumptuosos vult habere famulos, quia tali domino talis familia. Ipse enim est de quo dicitur Job. XLI, 25: *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Ubi dicit Gregorius *in Job.* lib. XXXVI, c. XVIII: Evidentissimum damnatorum signum est superbia, sicut humilitas salvandorum, quibus dum quisque discernitur, sub quo rege militat invenitur. Et propter hoc conqueritur Dominus III Reg. XVIII, 18: *Dereliquistis mandata mea, dicit Dominus, et secuti estis Baalim*, qui interpretatur excelsus. In quo patet eorum stultitia. Sunt enim sicut agnus, vel pullus equinus, qui lupum sequitur, vel sicut peregrinus stultus, qui se ducatui latro-

(a) Ex sermonario D. Conti.

nis exponit. Et propter hoc dicitur Judic. II, 12 : *Dimiserunt Dominum patrum suorum, qui eduxit eos de terra Ægypti, et secuti sunt deos alienos.* Et sequitur : *Iratus Dominus contra illos tradidit eos in manus diripientium,* sicut princeps, scilicet, proditorem, qui cum deberet esse de familia sua, partem adversarii fovet ; talibus autem se monstrat multum familiarem diabolus, quoniam illi, qui sibi militant in vita, secum hospitabuntur post mortem in gehenna, tamquam in domo propria. Apocalyp. VI, 8 : *Ecce equus pallidus, et qui sedebat super illum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.* Equus iste, super quem diabolus vadit, peccator est, qui diabolum portat ad infernum, tamquam vinctum suum. Qui pallidus dicitur, quoniam in illo non viget calor caritatis, candor puritatis et nitor honestatis. Super istum dicitur mors sedere, per quam diabolus intelligitur, quoniam mortem sitit, mortem parat, et in morte vivit. Hunc sequitur infernus, hoc est infernalis exercitus qui ducit ad infernum, tamquam princeps exercitum suum.

Item alii sequuntur mundum, sicut dictum est, per arctum avaritiæ, de quibus dicitur Ezech. XXXIII, 31 : *Audiunt sermones tuos, et non faciunt eos,* quasi dicat : nihil faciunt de divino sermone, *et avaritiam sequitur cor eorum,* non avaritia cor. Et bene dicit : quia avaritia non sequitur cor eorum, quia quanto magis capiunt, tanto magis cupidi fiunt, et quanto plus habent, tanto magis habere desiderant ; unde sunt sicut stultus, qui sequitur umbram suam, de quo dicitur Eccles. XI, 10 : *Si secutus fueris, non apprehendes.* Sunt autem tales sicut acute febricitans, qui bibit aquam frigidam, credens se refrigerare calorem, sed quanto magis bibit, tanto plus calefacit, et aliquotiens magis sitit, Oseæ XII, 1 : *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum.* Cum enim avarus desiderat habere aliquid, utpote domum vel vineam, dicit quod sufficeret si posset habere illam ; sed non fecit nisi accendere ignem, ut patet in clericis nostris, qui de præbenda sitiunt dignitatem, quod non est ignem extinguere, sed potius ligna lignis addere, et ignem augmentare. Et propter hoc dicitur Eccles. XXXIII, 2 : *Quasi qui apprehendit umbram, et sequitur* æstum ; sic qui attendit ad visa mendacia ;* hoc est ad ista temporalia, quæ satietatem promittunt et famen inducunt. Utinam attenderent illud Matth. VIII, 19, et Matth. XX, 21 : *Cum enim dixisset juvenis : magister, sequar te quocumque ieris ; dixit illi Jesus : vade, et vende universa quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* At ille abiit tristis. Erat enim multas possessiones habens. Et dixit Jesus : *quam difficile, qui possessiones habent, intrare in regnum cœlorum : Facilius est enim camelum etc.* Super quem locum dicit beatus Bernardus : « Sane felices liquet esse, qui exonerati sunt et expedite sequuntur Dominum. Arctissimum enim nos foramen expectat. Si quem sequimur consequi volumus, per angustam viam contendamus ingredi : portam arctam ingredi necesse est. Et sequitur : *Quid tu, camele gibbosus, quid tu, pecuniose, proditoris loculos tuos tollis ? Non sic, impie, non sic ingrederis, foramen acus hujusmodi sarcinam non admittit.* Sed completum est illud Isaiæ I, 23 : *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Et illud Jer. VIII, 10 : *A minimo usque ad maximum avaritiæ omnes student*.*

* *per sequit*

* *omn avariti sequun*

Item alii sequuntur carnem, per lutum concupiscentiæ ; et propter hoc non possunt esse de familia Dei. Non enim vult habere socios, nisi mundos et puros, Apocalyp. XIV, 4 : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocumque ierit.* Cum igitur tales immundi sint intus et exterius, non possunt esse de familia Dei, sicut mundi et puri. Unde consulitur eis Num. XV, 39 : *Recordentur omnium mandatorum Dei, nec sequantur* immundas *cogitationes, et oculos per res* illicitas et *varias fornicationes... sintque sancti Domino suo.* Sunt enim quidam sicut ursus, de quo dicitur quod cum omni femina, non solum sui generis, sed etiam alterius, se offert obtutibus ejus, quando coire desiderat. Est enim animal valde luxuriosum, propter quod aliquotiens, dum sequitur feminam, insidiantibus

tur et spasmum, sciendo quod per vehementiam libidinis efficitur lubrica caro, aut aliquod simile patitur. Similiter intelligitur de carnali homine cogitationem suam sequente, et dum non operatur, anticipatur morte, et in ipso peccato deprehenditur; quod satis ostenditur Prov. vii, 7: *Considero vecordem juvenem, qui per plateas transit juxta angulum, in obscuro, advesperascente die. Et ecce occurrit ei** *mulier ornatu meretricio ad capiendas animas etc.* Et sequitur statim, 22: *Sequitur eam quasi bos ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur, velut si avis festinet ad laqueum, et nescit quod de periculo illius animæ agitur.*

Item alii sequuntur Dominum per viam justitiæ, sive perfectionis, de quibus dicitur Isai. xxxiii, 15: *Qui ambulat in justitiis et loquitur** *veritatem, iste in excelsis habitabit etc.* Cum enim Dominus sit justus et justitiam diligat, bonos justitiarios in societate sua vocat Isai xli, 2: *Quis suscitavit ab oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se?* quasi dicat: Dominus enim sibi similem quærit, et quia justus est justos diligit. Propter hoc dicitur Proverb. xv, 9: *Abominatio est Domino via** *impii, qui autem sequitur justitiam, diligetur** ab eo. Et bene dicit: *Qui sequitur justitiam*; dolus autem et fraus præoccupaverunt eam, secundum illud Isai. lix, 14: *Conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit etc.* Invenimus enim hodie multos bonos artifices, utpote lathomos bonos, bonos fabros, bonos etiam clericos, sed paucos bonos justitiarios. Pauci enim sunt, qui sequuntur justitiam. Si tamen sequerentur eam, de facili apprehenderent. Ipsa enim, quæ malefactores capit, de facili capere se permittit. Eccles. xxvii, 9: *Si sequaris** *justitiam, apprehendes eam.* Sed tamen justitia vult secum habere misericordiam comitem. Unde videmus quod cum Deus justissimus sit, tamen citra condignum punit, et supra condignum remunerat. Citra condignum enim punit damnatos, supra condignum remunerat bonos. Proverb. xxi, 21: *Qui sequitur justitiam et misericordiam, inveniet vitam, justitiam et gloriam.* Vitam ante mortem, justitiam et misericordiam ipsum custodientem in morte, gloriam et honorem quantum ad stolam animæ et corporis. Propter hoc dicebat Job xxiii, 11: *Vestigia ejus secutus est pes meus; viam ejus custodivi, et non declinavi ab ea.* Sicut enim bonus servus, qui semper sequitur dominum suum ad talum, donec veniat ad hospitium, vel sicut bonus canis, qui semper sequitur prædam, donec apprehendat eam.

Ipsum autem sequi debemus propter tria: quia nihil facilius ante mortem; nihil securius in morte; nihil fructuosius post mortem.

Nihil igitur facilius ante mortem, quia ipse docuit nos viam I Petri ii, 21: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et ecce via ejus: *Qui peccatum non fecit*: ecce via puritatis; *nec inventus est dolus in ore ejus*: ecce via veritatis; *qui cum pateretur, non comminabatur*: ecce via patientiæ finalis. Parum enim esset ipsum sequi usque ad terminum viæ per pœnitentiam, et postmodum reverti per recidivationem. Stultus enim esset peregrinus, si reverti vellet ad domum suam, postquam distasset a sancto Jacobo nisi per unam dietam. Et propter hoc dicitur Num. xxxii, 11: *Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis et supra, terram quam pollicitus sum Abraham, Isaac, et Jacob, quia noluerunt sequi me, præter Caleb filium Jephone, et Josue filium Nun: isti enim impleverunt voluntatem meam.* Super quod dicit Chrysostomus: « Timeo ne in tam parvo numero intremus in vitam æternam, vel in terram æternæ hæreditatis, in quam parvo numero intraverunt filii Israel, in terram promissionis. »

Item sequi debemus, quia nihil securius in morte. Qui enim socii sui fuerunt dum viverent, in morte custodientur ab eo. Bonus enim et fidelis peregrinus socium suum in infirmitate non dimittit, sed diligenter custodit: et propter hoc dicit Joan. x, 27: *Oves meæ vocem meam audiunt, et cognoscunt me, et sequuntur me: et ego vitam æternam do eis.* Et non

peribunt in æternum. Et non rapiet quisquam de manu mea. Diabolus enim est sicut lupus, qui ovibus a caulis exeuntibus et ingredientibus insidiatur ; sed Dominus est tamquam bonus pastor, qui quando oves emisit ante eas vadit, et oves eum sequuntur, et ducit ad pascua. Animas enim egredientes de mundo præcedit, ut aperiat eis januam, et introducat in vitam æternam. Joan. x, 4 : *Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, et oves eum sequuntur, quia sicunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo.*

Item ipsum sequi debemus, quia nihil fructuosius post mortem. Propter hoc dicitur Luc. xviii, 22 : Si vis esse perfectus, *vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus et habebis thesaurum in cælis, et veni sequere me.* Et propter hoc clamat Bernardus super illud Matth. xix : *Vos reliquistis omnia et secuti estis me, centuplum accipietis etc.* « Quid infamiæ est quod cunctantur homines relinquere simpla pro centuplis? ubi cupidus? ubi ambitiosus? ubi conquisitor hujus sæculi? Quid ad fidele negotium, et quæstuosissimas nundinas avaritia contemnit, et obdormiunt homines? Si enim secuti fueritis, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis : quam nobis etc.

XXI.

DOMINICA DE PASSIONE. (a)

Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.
Heb. ix, 12.

Sicut dicitur gallice : *Qui ne péche ne meurt.* Peccaverat servus, punitus est filius, quoniam venditur, relegatur et occiditur, ne (servus) moriatur, venditur ut redimatur, relegatur ut in hæreditatem introducatur. Unde sensus verbi propositi talis est. Effudit Filius Domini proprium sanguinem, ut redimeret hominem, et aperiret aulæ cœlestis portam.

Propter quod in his verbis duo specialiter ostenduntur, scilicet passionis acerbitas, et passionis utilitas. Tangitur acerbitas passionis in proprii sanguinis effusione. Tangitur utilitas in duobus. In humani generis redemptione, cum dicit : *æterna redemptione inventa;* et cœlestis januæ reserationem, quando dicit : *introivit etc.*

Tangitur ergo passionis acerbitas in hoc, quod Dei Filius sanguinem proprium effudit. Sacerdotes veteris legis non effundebant proprium sanguinem, sed potius alienum, utpote taurorum, aut hircorum, aut sacrificandorum proprium. Sed Dei Filius non effudit alienum, sed proprium. In quo nobis ostenditur, quod tanto plus dilexit Deus christianum populum, quam judaicum, quanto plus pater diligit filium quam vitulum, animam nostram quam carnem. Sanguis enim vituli mundabat carnem : sed sanguis Christi mundificat animam. Et propter hoc dicitur Hebr. ix, 13 : *Si enim sanguis hircorum et taurorum aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi etc., emundabit conscientiam nostram ab operibus carnis mortuis ad serviendum Deo viventi!* Tanta siquidem erat labes originalis peccati, quod non multum curabat Deus de servitio nostro manibus sordidis et immundis exhibito. Non enim decebat tantum Dominum habere cor sordidum et immundum servum. Quod attendens Dei Filius, servum propriis manibus lavit, et effuso sanguine de toto corpore lavacrum fecit, secundum illud Apoc. i, 51 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

Hanc autem sanguinis effusionem tria reddunt indicibiliter admirandam : Severitas ex parte Patris facientis, benignitas ex parte prolis sustinentis, necessitas ex parte hostis indigentis. Patet igitur severitas Patris in hoc, quod pro servo malo punit Filium innocentem. Nullum enim jus humanum dictat, quod propter impium immunis et innocens puniatur. Nulla ratio dictat quod pro malo servo bonus filius moriatur ; et tamen circa genus humanum Deus Pater afficiebatur

(a) Ex recensione D. Uccelli.

bonitas, quod, ut servum redimeret, proprium Filium voluit crucifigi, et sic sibi genus humanum reconciliari. Coloss. i, 19 : *In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare.* Ecce quod summe fuit amorosum, quia Deus. Sequitur : *Et per eum reconciliare omnia in ipso, pacificans per sanguinem ejus**, *sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* Forbannitum erat genus humanum a curia Dei, sed relegatus est Filius, ut revocaretur servus, et per ejus sanguinem reductus est a porta inferni usque ad januam paradisi. Quis unquam filium forbanniret, ut famulum revocaret? Quis unquam filium suspendi fecit, ut servum a patibulo liberaret? Et tamen dicitur Ephes. ii, 13 : *Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine crucis ejus.* Et certe contra peccatores ingratos sanguis Christi clamabit vindictam, qui dum funderetur in cruce clamabat misericordiam, juxta illud Job. xvi, 19 : *Terra, terra, terra, ne operias sanguinem meum, nec inveniat in te locum latendi clamor meus.* Nunc autem sanguis Christi latere videtur, et dissimulans, et expectans ad pœnitentiam ; sed tunc contra peccatores, tamquam contra crudeles homicidas, clamabit exoptans et expetens vindictam. Unde cum dixisset Joannes Apostolus Apocal. i, 5 : *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, statim addit 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum*, videntes ejus gloriam, non emendare valentes ingratitudinem suam.

Item patet prolis benignitas, eo quod gratis pro fure mori sustinuit. Quis enim medicus pro infirmo mori vellet, aut dominus pro servo, vel etiam pater pro filio? et tamen Dei Filius mortuus est gratis pro fure redimendo, et pro servo liberando. Apocal. v, 9 : *Occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Rom. iii, 23 : *Omnes peccaverunt et egent gratia** *Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, et per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem posuit** *propitiationem in sanguine ipsius.* In quo magna datur fiducia nostri temporis peccatoribus, quia per mortem filii gratis reconciliavit inimicos, quanto magis pro nobis, propter quod effudit proprium sanguinem exorabit apud patrem suum? Rom. v, 8 : *Commendat Deus caritatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, quanto** *magis justificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum?* Sanguis enim Christi quidam advocatus est pro peccatoribus ante Deum, jugiter et incessanter movens ipsum ad pietatem. Hebr. xii, 22 : *Accessistis ad novi testamenti mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius clamantem** *quam Abel.* Sanguis enim Christi petit veniam, sed sanguis Abel petit vindictam. Genes. iv, 10 : *Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Hoc idem fiet peccatoribus in die judicii de sanguine Christi. Nec mirum ; quoniam per musculos et venas et nervos sanguinem suum fudit, imo latus proprium aperiri permisit. Jo. xix, 34 : *Unus militum aperuit lancea latus ejus, et continuo exivit sanguis et aqua.* Et hoc ut maculam purgaret, secundum illud i. Jo. i, 7 : *Sanguis Jesu Christi filii Dei emundavit** *nos ab omni peccato.* Naturam etenim nostram, tamquam tunicam nostram, scilicet, sanguine proprio rubricavit, ut iisdem cum ipso vestibus induti, sine contradictione aliqua, post ipsum tamquam milites post regem suum, intremus curiam cœli, secundum illud Apocalyp. xxii, 14 : *Beati qui lavant stolas suas in sanguine agni.* Sequitur : ***Et per portas intrent civitatem.*** Nos iterum in luto conculcavimus eam, scilicet, nostram vestem, et propter hoc maximam expectamus vindictam secundum illud Heb. x, 28 : *Irritam quis faciens legem Moysi sub duobus aut tribus testibus absque ulla retractatione** *moritur. Quanto igitur majora putatis** *mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, et Spiritui Sancto contumeliam fecerit?* Et statim sequitur : 31. ***Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis.***

* multo

* loquentem

* emundat

* sine ulla miseratione

* magis deteriora

Item patet hominis necessitas. Cum enim primus homo semetipsum diabolo non solum se, sed totam posteritatem suam quodammodo vendidit, ut cum vendit aliquis arborem, non solum vendit radicem sed truncum, et quidquid in arbore est; similiter cum vendit aliquis domum, non solum vendit fundamentum sed parietes et tectum, et quantumcumque vis exiguum lapidem aut lignum; et propter hoc decrevit Deus quod illius transactionis redemptio non fieret, nisi per aliquem, qui ipsum cum tota prosteritate redimere valeret, quod esse non potuit homo purus; et propter hoc oportuit, quod ille redimeret qui homo esset et Deus, qui posset quod purus homo non posset nec per se nec per alium facere, quod satis ostenditur in Ps. xxv,2: David enim, qui potentissimus erat et justissimus, ait : *Redime me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego,* quasi dicat : alius non posset; quod satis patet quia omnes erant in damnatione eadem; unde si unus non poterat, nec alius. Ps. XLVIII, 8 : *Frater non redimit, redimit homo; non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ, etc.* Propter hoc misertus Deus Pater fecit sicut solent facere patres carnales, qui filium suum captum in taberna decenter de suo redimit. Et vere genus humanum redemit Deus Pater de suo, quoniam de proprio Filio. Galat. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum etc., ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Et hoc est quod dicitur hic : *Æterna redemptione inventa.* Quasi dicat per proprium sanguinem redemptio nostra fuit facta, et postmodum intravit in sancta. Prius enim fuit servus redemptus, et postmodum hæreditati prædictæ restitutus. Igitur utilitas passionis prima fuit redemptio nostra. Fecit enim Dei Filius, sicut princeps magnanimus hujus mundi, qui filium suum mittit in hostagium, ut redimat milites suos in prælio captos; diabolus enim totum capiebat mundum, et propter hoc misit Deus Filium suum unicum, tamquam in hostagium, ut dicitur Eccles. XXIX, 19 : *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam.* Isai. LII, 3 : *Gratis venundati estis, et sine argento redimemini,* idest sine argento redemit vos Dei Filius. Sed tamen multi sunt sicut latrones, de quibus dicitur, quod numquam postea diligunt eos, qui liberaverunt eos de furtis. Et hoc innuitur Isai. LXIII, 9 : *In delectatione sua, et in indulgentia ipse redemit eos : ipsi, autem provocaverunt ad iracundiam spiritum ejus et afflixerunt et conversus est eis in inimicum.* Et vere affligit eum, quoniam iterum crucifigit eum Heb. VI, 5 : *Rursus crucifigentes etc.* Quamvis enim pro eis pugnaverit in cruce, tamen ad adversarium suum transierunt, et ipsum impugnant quotidie. Unde ipse clamat Isai. LIV, 22 : *Revertere ad me, quia ego redemi te,* dicit redemptor tuus Israel. Sed notabiliter dicit : *æterna redemptione inventa.* Quoniam triplex est redemptio.

Redimitur ergo homo aliquotiens per se ipsum, aliquotiens per censum, aliquotiens per amicum. Similiter peccator aliquotiens redimitur per carnis macerationem, aliquotiens per temporalium distributionem, aliquotiens per finalem interventionem. Redimit ergo homo semetipsum, quando corpus et animam, quam diabolo vendidit per culpam, redimit per pœnitentiam, faciendo de ipsa terra fossatum. Levitici XXV, 39 et 49 : *Si vendiderit se frater tuus,... si potuerit se ipsum redimet;* quasi dicat; aliud gagium, sive pignus non ponat. Sed dum Deus sibi accomodat tempus et corpus, pœnitentiam faciat. Stultus est enim, qui tantum expectat quod non habeat unde debitum solvat. Et certe non est aliquis in inferno, qui se non intenderit aliquotiens acquietare Deo; præventus enim morte nihil solvere potuit : et propter hoc in possessione diaboli detentus interiit. Unde terribile verbum dicitur Levitici XXV, 29 : *Si vendiderit aliquis domum suum intra muros urbis, habebit licentiam redimendi, donec unus annus impleatur : sin autem, emptor possidebit eam, et posteri ejus jure perpetuo.* Domus autem hæc est anima, quoniam mansio divina : totiens diabolo vendimus quotiens mortaliter peccamus; sed ipsam redimere possumus, dum intra muros

militantis Ecclesiæ eramus, et dum in hac vita vivimus; sic autem, cum fine perdidisset jam diabolus. Et propter hoc humanum esset, quod de carne vindicaremus, et de ipsa justitiam faceremus, et sic ipsum de manu diaboli liberaremus, Isai. x, 27 : *Non in justitia redimemur*.

Item redimitur homo per sua, videlicet per eleemosynarum largitionem. Aliquotiens enim per minimam eleemosynam in caritate factam, et ex compassione factam vel datam, homo redimit animam suam, imo, quod majus est, recuperat hæreditatem æternam per peccatum perditam. Et certe stultus esset, qui magnam hæreditatem modico vel minimo pretio redimere nollet. Eccles. xx, 12 : *Est qui multa redimat modico pretio.* Tota enim temporalis substantia, in comparatione ad æternam hæreditatem, non est nisi obolus unus. Certe si aliquis esset in manu Saracenorum, vellet dedisse totam Franciam si esset sua, ut esset extra. Cum igitur anima sit in manu dæmonum, et redimi possit per eleemosynam, in caritate factam, stultus est qui non redimit eam. Prov. xiii, 8 : *Redemptio animæ viri, propriæ divitiæ**. Et propter hoc consulitur Nabuchodonosor Daniel iv, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas in misericordiis pauperum.* Et nota quod tangit hic duplicem eleemosynam, effectus, scilicet, et affectus. Multum enim dat pauperi, qui compassionem cordis sui dat ei ; et si recipere non potest in domo, recipit in corde suo ; et hæc est vera misericordia, de qua dicitur Proverb. xxvi, 6 : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas.*

Item redimitur homo per alium, utpote fratrem vel amicum suum, et sic redemit Deus genus humanum. Fecit enim Deus Pater, sicut bonus vicinus, qui proximo suo mittit vel accommodat pretium, unde redimere possit gaudium suum vel pignus. Unde Psal. cx, 9 : *Redemptionem misit Dominus populo suo etc.* Ista redemptio Filius Dei fuit, pro nostra redemptione datus, ut attendat homo quantum debeat animam suam caram tenere, pro qua redimenda voluit Dei Filius se ipsum dare. I Petri i, 18 : *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis etc., sed pretioso sanguine quasi agni immaculati etc.* In quo patet summa liberalitas Salvatoris, qui pro creatura de nihilo facta dedit semetipsum creantem et gubernantem omnia, ut rem de nihilo factam faceret pretiosam, quia tanto pretio redemptam. Gemma enim, eo quod care venditur, vel emitur, pretiosa reputatur ; propter hoc dicitur I Timo. ii, 5 : *Unus est mediator Dei et hominum Christus Jesus, qui dedit semetipsum pro omnibus etc.* Et bene dicit, *pro omnibus*. Sua enim passio sufficiens fuit pro omnibus. Fecit enim dominus sicut templarii et alii religiosi, qui visitant incarceratos, portantes secum sufficiens pretium ad omnes redimendos, non tamen omnes redimunt, sed eos qui redemptione digni sunt, utpote quia falsi christiani adversarii nominis Christi. Et propter hoc dicitur Matth. xx, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis*, pro omnibus sufficientem.

Sequitur : *Introivit semel in Sancta.* In quo tangitur secundum beneficium passionis, scilicet introitus regni cœlestis. Justum quidem erat, ut aperiretur janua, cum amoverentur omnia impedimenta, tanquam omnia retinacula, quia, sicut dicitur Apocalyp. v, 8 : *Nemo poterat in templum intrare**, *donec solverentur septem signacula plagæ*, hoc est, omnia fidei incommoda genus humanum retardantia. Per septenarium enim universitas designatur, in cujus rei figuram sanguine vituli tabernaculum septies aspergi præcipitur Levit. iv, 6. *Cum intinxerit sacerdos digitum in sanguine vituli : asperget eo septies coram Domino*, quia per sufficientem dominici sanguinis effusionem relegatur quidquid impedire potest Ecclesiam militantem. Cum igitur Christus dicatur Dominus, sacerdos, et magister, intravit in sancta, sicut Dominus ad offerendum, sicut sacerdos ad supplicandum, sicut magister ad instruendum. Intravit igitur Christus Ecclesiam triumphantem, sicut Rex vel Dominus ecclesiam materialem, ut faciat oblationem suam. Ephes. iv, 8 : *Ascendens Christus in altum, captivam duxit capti-*

* *intrare donec consummarentur septem plagæ* [margin note, partly cut off]

vitatem, et de illa Deo Patri gratissimam fecit oblationem, quando clamavit ante paradisi portam : *Attollite portas principes vestras, etc.* Et sequitur : *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Fecit enim Christus in ascensione, sicut solent facere filii nobilium qui post obtentam de inimicis victoriam, captivos in prælio captos deducunt ad patrem suum : unde repetitur Ps. XXIII, 7 : *Attollite portas principes vestras, etc., et introibit Rex gloriæ.* Et post : *Dominus fortis et potens : Dominus potens in prælio ;* quasi dicat : ego sum qui deduco mecum acquisitos in bello. Nec solum illos Christus introduxit, sed quotquot ad cœlum veniunt introducit. Facit enim Christus, sicut bonus pastor qui præcedit oves, ut aperiat ostium, et introductis præparet locum et cibum. Et hoc est quod dicitur Jo. XVI, 7 : *Ego sum ostium : si quis per*
lvabi-ur *me introierit salvus erit*, et ingredietur, et egredietur et pascua inveniet.*

Item introivit sicut sacerdos ad interpellandum. Pontifices enim et sacerdotes ecclesiam intrant, ut pro peccatoribus interpellent. Sic et Christus intravit ecclesiam triumphantem, ut pro peccatoribus assisteret ante Patrem, tamquam advocatus ante judicem I Jo. II, 1 : *Si pec-*
quis averit *cavimus*, advocatum habemus etc.* Hebr. IX, 24 : *Introivit Jesus in ipsum cœlum, ut appareret vultui Dei pro nobis.* Et certe nulla potest esse veniæ diffidentia, quando pro nobis ostendit Filius Patri latus et vulnera. Et ideo dicitur Hebr. VI, 19 : *Anchoram fixam ac tutam habemus, incedentem usque ad interiora velaminis. Præcursor pro nobis introivit Jesus Christus etc.*, quasi dicat : habemus bonam et firmam spem, tamquam anchoram in solido fixam, qua ad portum perveniemus. Quoniam Christus nauta noster est, progrediamus igitur tuti ; non ingrediamur timidi, quia Christus dux noster est ; perveniamus securi, quoniam advocatus noster est.

Item introivit sicut magister ad erudiendum. Ivit enim ante nos, ut nobis ostenderet introeundi viam sive modum. Bene verum est quod pueris, hoc est innocentibus, dedit viam, quando dixit Jo. III, 3 : *Nisi quis renatus fuerit denuo ex aqua et Spiritu Sancto etc.*, quia locus ille non est deputatus nisi mundis et puris, cum sit locus mundus et purus : *Non enim introibit in illam aliquod coinquinatum*, Apocalyp. XXI, 27.

Scimus enim quod aliam viam monstravit famulis, hoc est pœnitentibus, in humilitate pœnitentiæ sibi servientibus, et mandata ejus custodientibus Deut. IV, 2 : *Custodite mandata Dei, quæ ego præcipio vobis, ut possitis introire terram lacte et melle manantem.*

Item ostendit aliam viam amicis, hoc est contemplantibus et perfectis viris, quia via pauperis et indigentis. Unde cum juveni dixisset Dominus : *Vade, et vende omnia quæ habes etc.* Sequitur : *Et abiit tristis : erat enim multas possessiones habens.* Et sequitur : *Quam difficile qui possessiones habet, in regnum cœlorum* intrare, sicut dicitur Matth. XIX. Et ibidem : *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem introire etc.*

Monstrat enim aliam viam ingredientibus, aliam progredientibus, aliam pervenientibus. Primis monstrat viam innocentiæ, secundis viam pœnitentiæ, tertiis viam indigentiæ. Sed aliam viam ostendit supererogantibus, hoc est, martyribus, et ea quæ magis ardua sunt aggredientibus et consummantibus. Istis enim ostendit viam pœnitentiæ, sive patientiæ, quam quidem viam ipse tenuit, quoniam per passionem et patientiam portam intravit. *Oportuit enim Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Luc. ultimo, 26. Et hoc figuratum est Hebr. IX. In secundo autem tabernaculo semel introibat summus Pontifex, non tamen sine sanguine. Oh ! si Dominum oportuit pati, ut intraret in regnum suum, qualiter intrassent servi, nisi Dominus sanguinem suum effudisset ? Cum enim via nimis videretur aspera, Christus ipsam madefecit, et emollivit sanguine suo, ne servis aspera videretur. Imo sanguinem proprium fudit in via, ut verus christianus confidenter, tamquam canis venaticus, sequeretur vestigia sua. Hebr. X, 19 : *Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam.* Sequitur : *Accedamus ad*

jam non carnis. Christus igitur, ut intraret regnum suum, sanguinem fudit proprium. Et nos igitur de carne nostra faciamus hostiam poenitentiae, si coelestem volumus januam introire. Ps. xcv, 8: Tollite hostias, et introite in atria ejus. Sed certe multi sunt, qui non primam, nec secundam, nec tertiam aggrediuntur. Et propter hoc tamquam mortui, vel nihil male vestiti, de nuptiis ejiciuntur. Heb. iii, 11: Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam, quasi dicat: numquam fuerunt de familia mea, neque de societate mea, dum essent in via; propter hoc non regnabunt mecum in patria. Sed contra dicebat in persona perfectorum Psalmista Ps. cxxxi, 7: tamquam in domo Dei notus, et cognoscens familiam Dei, quoniam frequenter conversatus est ibi: *Introibimus in tabernaculum*, etc. Quod nobis, etc.

XXI

ITEM DOMINICA DE PASSIONE (a)

Tulerunt lapides * *ut jacerent in eum.*
(Joan. viii, 59.)

Gallice dicitur, et verum est: de bono facto collum fractum. Sunt enim quidam, qui sunt sicut aliqui malefactores, quibus quanto magis parcitur, tanto deteriores efficiuntur, secundum illud Isai. xxvi, 10: *Misereamur impio, et non discet facere justitiam.* Et hoc satis ostenditur in Evangelio praesenti, nec non in aliis Evangeliorum verbis, quia quamvis Dominus famelicos pavisset, infirmos curasset, mortuos suscitasset, et innumerabilia bona fecisset, ipsum tamen Judaei obruere voluerunt lapidibus, quia reprehendebat eorum malitiam, et docebat eos viae veritatem: unde sequitur, quod Dominus conqueritur Jo. x, 32: *Multa bona opera* * *operatus sum vobis, propter quod horum vultis me lapidare?* Unde pro se et suis conqueritur Luc. xiii, 34: *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt* *, quemadmodum patuit in Joanne * et in beato Stephano, et in multis aliis in novo Testamento, de quibus dicit Apostolus Heb. xi, 37: *Lapidati sunt, secti sunt*, etc. Et certe, bone Jesu, non tantum te voluerunt lapidare Judaei, sed falsi quotidie te lapidant Christiani. Quot enim peccata faciunt, tot contra te lapides projiciunt. Per lapides enim in Scripturis intelligimus peccata, sicut jam videbimus. Et hoc figuratum est II Reg. xvi, 13: Ibat Semei maledicens et mittens lapides contra David. Semei interpretatur vanum nomen; et significat falsum christianum, qui nomen Dei portat in vanum. Sicut enim dicit Leo papa in *Sermone* xxiv: qui se christianum dicit et opera Christi non facit, ipse se seducit, et veritas in eo non est. Tales quotidie maledicunt Deum, et blasphemiis provocant ipsum, qui tot lapides projiciunt in coelum, quot blasphemias dicunt contra Dominum. In veritate numquam ribaldus vel latro forbanitus, ejectus de bona villa, vilius quam Christus ejicitur hodie de civitate mundana. Sicut enim dictum est, blasphemiis et maledictis Deum impetunt, et quantum in ipsis est de sua societate ejiciunt. Quod figuratum est IV Reg. xxi, 13, ubi dicitur de Naboth, per quem significatur Christus: *Ejecerunt eum extra civitatem, et lapidibus obruerunt* *. Quemadmodum avis per jactum lapidis fugit, et avolat quantumcumque sit domestica, sic et Christus lapidibus blasphemiarum concussus, recedit de societate nostra. Eccl. xxii, 25: *Mittens lapides in volatilia dejiciet illa; sic et qui conviciatur amico suo, dissolvit amicitiam.*

Ut autem contemptum et ingratitudinem peccantium melius videamus, sciendum est quod in sacra Scriptura aliquando peccatores, aliquando peccata per lapides intelliguntur. Lapis enim habet quatuor proprietates ipsis peccatoribus convenientes. Lapis enim habet ponderositatem, immobilitatem, soliditatem, impetuositatem.

Per lapides igitur intelligimus peccatores, propter ponderositatem; in quo

(a) Ex [illegible].

significatur pronitas ad malum. Sicut enim nos videmus quod lapis suo pondere movetur de facili, et tendit deorsum, sic isti peccatores nimis faciliter inclinantur ad malum. Thren. III, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea, posuerunt lapides super me*, quasi dicat : ego peccator cecidi præceps in lutum peccati, quoniam portabam super collum meum torsellum diaboli. Diabolus enim facit de peccatore collaterios sive portitores suos, quoniam facit eos portare fimum et immunditiam peccatorum. Zach. v, 7 : *Ecce talentum plumbi portabatur*. Et IX, 15 : *Devorabunt populos et subjicient eos lapidibus fundæ*. Per lapides hic intelligimus ipsa peccata, ipsis peccatoribus tamquam lapidibus suppositis, quæ peccata lapidos fundæ dicuntur, quoniam ab ipso diabolo contra virum justum, tamquam castrum divinum, projiciuntur, secundum illud II Par. XXVI, 14 : *Præparavit Ozias fundas ad jaciendos lapides*.

Item dicuntur peccatores lapides, propter immobilitatem, per quam intelligitur difficultas ad bonum. Lapis enim difficile mobilis est, sicut et isti peccatores cum difficultate ad bonum moventur. Exod. xv, 16 : *Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, donec, Domine, populus transeat* * *etc.*, quasi dicat : isti peccatores, tamquam lapis ponderosus et immobilis tantum occupat locum, sed viri justi currunt de bono in bonum. Sunt enim peccatores sicut lapis in luto, qui cum sit immobilis ab omnibus transeuntibus conculcatur. Diabolus enim de talibus peccatoribus facit pontem, sive passagium, secundum illud Daniel. VI, 17 : *Allatus est lapis, et positus est super os laci*. Et in veritate multa passagia potest hodie facere diabolus, quoniam multos habet lapides otiosos. Mich. I, 6 : *Ponam Samariam, quasi acervum lapidum in agro*. Lapides in acervo non faciunt nisi numerum, et agrum, in quo sunt, impediunt ne faciat fructum ; similiter isti peccatores sunt in Ecclesia numero, non merito, et non solum fructum non faciunt, sed alios impediunt. Mich. III, 12 : *Jerusalem quasi acervus lapidum erit*. Et IV Reg. xxv : *Omnem agrum aperuerunt lapidibus*.

* *per-transeat*

Item lapides dicuntur peccatores, propter soliditatem quantum ad obstinationem, hoc est assuefactionem in omni malo. Job. 41, 15 : *Cor ejus indurabitur, quasi* * *lapis, et stringetur quasi malleatoris incus*. Quanto magis incus concutitur, tanto magis induratur. Similiter tales quanto magis objurgantur, tanto magis indurantur : et si aliquando compunctionis aquis emolliuntur, sicut nos videmus quod aquæ lapides excavant, et corrodunt et excoriant circum adjacentem aggerem, secundum illud Job. XIV, 19 : *Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur*, tantum ad modicum tentationis impetum indurescunt. Sunt enim tales sicut crystallus, qui ex aqua congelatur in lapidem solidum et frigidum. Job. XXXVIII, 30 : *In similitudinem lapidis indurantur* * *aquæ*. Non video consilium nisi unum, scilicet quod projiciantur in fornacem ferventissimæ caritatis vel tribulationis, et illic decoquantur ut non deficiant, sed ut in melius mutentur, quemadmodum nos videmus quod aliqui lapides sunt, sicut sunt illi qui de natura mineralium convertuntur in aurum, vel argentum, vel ferrum, vel æs. Et propter hoc dicitur Job, XXVIII, 2 : *Lapis calore solutus, in æs vertitur, et habet argentum venarum suarum principia, et auro locus est in quo conflatur, ferrum de terra tollitur;* et sequitur *lapis*, quasi dicat : in fornace caritatis alii convertuntur in aurum amoris, alii in argentum nitoris, alii in ferrum soliditatis, alii in æs sonoritatis. Sin autem nec emolliat aqua compunctionis, nec liquefaciat fornax amoris vel adversitatis, saltem constringat illos malleus dominici timoris. Eccles. XLIII, 16 : *In magnitudine sua confracti sunt lapides grandinis, et in conspectu ejus commovebuntur montes*, hoc est confringentur peccatores tamquam obstinati, et turbabuntur tamquam elati.

* *t*
* *d*

Item lapidi comparantur peccatores, propter impetuositatem, per quam intelligitur velocitas in descensu, quoniam tales velocissime descendunt ad infernum, sicut nos videmus quod lapis ponderosus velocissimo motu descendit ad centrum, vel ad imum. Et certe, quando

gis ponderosus magno projectus impetu, tanto velocius tendit ad imum. Sic peccatores tanto velocius descendunt ad infernum post mortem. Exod. xv, 5 : *Descenderunt in profundum quasi lapis*. Lapis enim ponderosus cadit tanto velocius descendit, vel impetuose validissimo motu cadit in terram. Similiter anima peccatoris mortalis ponderis, manu divinæ potentiæ projicitur in gehennam. Quod figuratum est, Apoc. xviii, 21 : *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens : hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna in abyssum, et ultra non invenietur*. De lapidibus enim ponderosis videmus quidem facere petrarias suas, et mangonellos quos prius in altum projiciunt, ut sic super turres vel murum violentius cadant et descendant. Similiter Dominus istos peccatores elevari permittit, et subito dum non sperant in profundum inferni dejiciuntur : quod figuratum est I Machab. vi, 51 ubi dicitur : *Statuit Antiochus balistas, et machinas, et tormenta ad lapides ejaculandos*.

Item sicut peccatores dicuntur lapides, similiter et peccata, propter quatuor lapidis effectus. Lapis enim aliquotiens impedit visum, aliquotiens sordidat tactum, aliquotiens retardat gressum, aliquotiens reddit captum.

Peccatum igitur dicitur lapis, in quantum impedit visum, quantum ad cognitionem. Quemadmodum nos videmus quod paries interpositus impedit visum corporalem. Unde peccatum est tamquam lapis superpositus oculo, ne videat Dominum. Propter quod dicitur I Machab. v, 47 : *Obstruxerunt portas lapidibus*, quoniam *excluserunt et qui erant in civitate*. Portæ animæ sunt sensus interiores et exteriores, scilicet intellectus rationalis et visus corporalis, quos ita diabolus obturat, ut non cognoscant Deum nec timeant peccata, nec advertant quod bona temporalia phantastica sunt et transitoria, propter quod peccatum aliunde dicitur lapis caliginis, excæcans scilicet oculos interiores hominis Job, xxviii, 3 : *Lapidem caliginis, et umbram mortis dividit torrens a populo peregrinante*. Per torrentem intelligo mortem, impetu suo parvos et magnos, tamquam lapides graves et leves, de mundo tamquam de via tollens, et omnes sordes et lapides in vallem efficiens, hoc est, peccatores, more torrentis in infernum præcipitans. Lapidem caliginis intelligo peccatum deprimens, et excæcans hominis intellectum ; umbram mortis intelligo peccatorem, qui non est nisi quædam umbra subito veniens et subito recedens, qui dicitur umbra mortis, quoniam inter se continet mortem, imo, quod plus est, comitatur ipsam mortem, sicut umbra comitatur hominem, et populum peregrinantem intelligo quemlibet viatorem. Sensus igitur est : torrens mortis de præsenti vita tollet subito peccatorem, et auferet ab eo peccandi potestatem, et finiet culpæ maculam. Diabolus enim mortuis spiritualiter facit, sicut facere consuevimus mortuis naturaliter. Ipsis enim oculos claudimus, et lapidem supponimus. Similiter diabolus talis peccatoribus claudit oculos cordis, et supponit lapidem obstinationis : et tales significantur per Lazarum Jo. xi, 38 : *Erat autem spelunca ; et lapis superpositus erat ei*. Et dixit Iesus : *Tollite lapidem*.

Item peccator dicitur lapis, quoniam aliquotiens sordidat tactum, quantum ad affectionem. Lapides enim propter terrenam naturam tactum coinquinant, et præcipue lapis lutuosus. Similiter peccatum ; et præcipue peccatum avaritiæ et luxuriæ mirabiliter coinquinant tactum cordis ; hoc est affectum peccatoris Eccles. 22, 1 : *In lapide luteo lapidatus est piger*. Piger dicitur accidiosus, qui de facili contrahit maculam, sicut nos videmus quod aqua, quæ non movetur, de facili corrumpitur. Contra tales projicit Dominus tales lapides lutuosos et immundos, utpote gulæ, luxuriæ, avaritiæ et hujusmodi. Isti sunt lapides leprosi, quos præcepit Dominus projici. Lev. xiv, 39 : *Si invenerit sacerdos crevisse lepram, jubeat eruí lapides, in quibus lepra est, et projici eos extra civitatem*, quoniam debet fieri purificatio domus spiritualis, sicut in lege fiebat mundatio domus materialis. Et significatur hoc I Machab. iv, 42 ubi dicitur et ostenditur quales debeant esse

sacerdotes, et quod sit eorum officium : *Elegit Judas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, et mundaverant sancta, et tulerunt lapides contaminationis.*

Item peccatum dicitur lapis, quoniam retardat gressum quantum ad operationem. Est enim peccatum sicut lapis positus ante cæcum, vel sicut murus impediens viatorem, ne perficiat dietam suam : unde dicitur Eccles. XXXII, 25 : *In via ruinæ non eas ; et non offendas in lapides.* Et 21 : *Via peccantium complanata est lapidibus, et in fine illorum inferi et tenebræ, etc.*

Item peccatum dicitur lapis, quoniam concludit captum, quantum ad resilitionem : unde quot peccata facit homo, tot lapides ponit in carcere suo, Ierem. III, 7 : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar ; aggravavit compedes meos* *. Et sequitur : *Conclusit vias meas lapidibus quadris.* Non enim solum diabolus tenet peccatores in carcere, sed ipsimet carcerem suum corroborant quotidie. Et certe stultus est latro, qui corroborat carcerem suum ; et tunc completur illud Amos V, 2 : *Domus ædificabitis lapidibus quadris* *. Isti sunt lapides, quos quotidie projiciunt peccatores in Jesum, quantum in ipsis est lapidantes ipsum. Et propter hoc timeo, ne lapidibus lapidantes se desuper (sit) fulgurans super ipsos, dum non sperant, in ira et in indignatione, secundum illud Ezech. XXXVIII, 22 : *Judicabo eum peste, et sanguine, et lapidibus immensis,* hoc est pœnis gravibus, et magnis, secundum illud Ezech. XIII, 13 : *Imber inundans in furore meo erit,* quasi dicat : tantum effundam super eos de miseria et pœna quantum effunditur super terram de pluvia. Sequitur : *Et lapides grandes in ira in consummationem*, vel *consumptionem*, quod a nobis avertat, etc.

* compe- n meum

* quadro lapide

XXIII

IN DIE PALMARUM. (a)

Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu.
Philidp. II, 5.

A Dominica Passionis usque ad diem Resurrectionis recordatur Ecclesia tormenta liberalissimi Redemptoris, ut cordibus nostris imprimat passionis dolorem, et nos moveat ad habendam compassionem. Et propter hoc in verbo proposito Apostolus dicit : *Hoc sentite in vobis, etc.*, quasi dicat : hoc sentite in vobis per teneritudinem compassionis. Compunctiones enim clavorum, et lanceæ, corpus dominicum perforantium, perforare debent et impungere per compassionem cor nostrum, ut sentiamus dolorem suum, propter quod dicitur Eccl. XXII, 24 : *Pungens oculum deducit lacrymas, et qui pungit cor, profert sensum ;* quoniam in veritate si lanceam haberemus in oculo per considerationem, et clavos in corde per compassionem, et lacrymæ diffluerent ab oculis, et cor affligeret memoria passionis. Et pro certo filius, qui non compatitur patri patienti, aut est mortuus, aut fatuus ; mortuus enim non sentit, fatuus vero non discernit, et quoniam talium infinitus est numerus, quasi compatiendo dicitur Eccl. XXII, 20 : *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus, et super fatuum plora, defecit enim sensus.* Sicut enim mortuus non videt, et fatuus non discernit, ita sunt hodie multi, qui non discernunt, nec attendunt quanta pro ipsis passus sit Filius Dei.

Et notandum quod de Domino nostro Jesu Christo triplici sensu sentire debemus, scilicet, sensu visus, quantum ad cognitionem, sensu gustus, quantum ad compassionem, et sensu tactus, quantum ad tollerationem. Hoc est ; sentire debemus de Christo, recognoscendo, compatiendo, et sustinendo, sive compassioni ejus communicando.

Dicit igitur Apostolus : *Hoc sentite,* hoc est, videte et recognoscite quia ille, qui pro vobis suspendi voluit, verus Deus est. In quo patuit mira dispensatio divinæ bonitatis, quoniam cum natura divina nec pati possit nec mori, quoniam immortalis et impassibilis, humanam assumpsit naturam passibilem et mortalem, ut pro nobis pateretur et moreretur. Quid majus excogitare posset misericordia divina, nisi quod ipsum Deum pati in natura humana faceret, et justitiæ judicem

(a) Ex recensione D. Uccelli.

adjudicari morti procuravit? Hoc totum fecit pro homine, licet verus Deus esset, tamen Patris Unigenitus. I Joan. v, 20 : *Scimus quod Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, hic qui enim verus Deus et vita æterna*; quasi dicat : scire debemus quod ipse verus existens Deus in humana natura pro nobis est mortuus, ut per mortem suam vitam obtineremus. Et propter hoc dicit Apostolus : *Hoc sentite*, quasi dicat : recogitate quanta nobis bona contulerit, sicut dicit Bernardus : quanta pro nobis mala sustinuit, subdidit mundum, promisit cœlum, et cum nihil magis vel majus haberet, ad ultimum dedit semetipsum, justum pro injustis, et innocentem pro condemnatis. Et propter hoc dicitur Eccl. xiv, 22 : *Beatus vir, qui in justitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei*. Valde beatus est, qui recogitat frequenter quæ fuit justitia, quæ regem fecit suspendi pro servo, judicem pro reo, innocentem pro inimico, et qui sentit, hoc est qui recogitat circumstantias dominicæ passionis, qualiter a discipulo traditus, qualiter viliter tractatus, multipliciter illusus, crudeliter flagellatus, qualiter propriis humeris crucem portaverit, qualiter in magnæ diei solemnitate, in nobilissima civitate, confluentibus undique populis, tandem in medio latronum tamquam latro fuerit Rex et Dominus crucifixus. Et propter hoc dicit : *Beatus vir, etc. et in sensu, etc.*

Item *sentite* : hoc est sensu gustus per devotionem et compassionem jugiter recogitando. Quis enim sine devota compassione recordari valeat unicum Dei Filium miserabiliter et tristabiliter, matre conspiciente, cum latronibus suspensum, profuso sanguine conspersum, scissis musculis, et nervis perforatis, ut nos a peccatis ablueret? Quis unquam amicus, frater, pater, vel mater de toto corpore sanguinem fudit, imo quis unquam latus proprium aperiri permisit, ut saltem amici, vel filii sordes ablueret? Et ecce Dei Filius non solum pro fratribus, aut amicis aut filiis, sed etiam pro capitalibus hostibus pedes, manus et latus aperiri permisit, et mundissimo sanguine sordes peccatorum nostrorum lavit. Apocalyp. i, 5 : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Quis igitur non afficiatur devotione, diligenter considerata tantæ benignitatis exhibitione? Et propter hoc dicitur Sap. i, 1 : *Sentite de Domino in bonitate*, quasi dicat : bonitatem, quam fecit nobis Dei Filius, per devotionem et compassionem animadvertite. Et certe quando pugilem nostrum recogitamus pro nobis ita crudeliter pertractatum, si non compatimur, miserabiliores vel insensibiliores sumus insensibilibus creaturis. In morte siquidem sua sol obscuratus est, velum templi scissum est, petræ sunt scissæ, et monumenta aperta sunt, et mortui surrexerunt. Et propter hoc clamat Bernardus : « Quid es homo, qui non compateris Christo morienti ? cum omnia elementa compassa sint ; sol obscuratus est : terra mota est etc. » Et sequitur : « Solus homo miser non compatitur, pro quo solo Christus occiditur. » Satis sentiebat ille dolorem istum, de quo dicitur Jer. iv, 19 : *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me ; non tacebo quoniam vocem tubæ* audivit anima mea*. Per ventrem intelligimus memoriam, in qua, sicut in ventre reponuntur cibaria, reponi debent acerbissima dominicæ passionis tormenta. Dominicæ siquidem passionis amaritudinem, velut in quodam fasciculo recolligere debemus, et in memoriam reponere, secundum illud Cant. i, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, etc.* Et hoc non sine dolore, et omnium sensuum perturbatione interiorum et exteriorum. Patiente siquidem capite, patiuntur omnes sensus in corpore, nec est aliquod membrum quod non compatiatur capiti patienti. Sensus igitur est auctoritatis prædictæ, amaritudines dominicæ passionis recordor, et cum dolore cordis et omnium sensuum perturbatione patienti compatior, et præcipue quando recolo noctem illam terribilem, de qua dicitur Heb. v, 7 : *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Et Matth. xxvii, 50 : *Jesus autem clamans voce magna, emisit spiritum*. Et mirum est quod in istis inferioribus saporem mirabilem invenimus, ea

* *buccinæ*

autem, quæ Dei sunt, licet melliflua non sentimus. Et ratio est quia carnales sumus, et carnaliter vivimus, et palatum cordis nostri infectum est his inferioribus corruptibilibus et immundis. Plus enim sapit porco lutum, quam mundissimum stratum; plus jumento immundum stabulum, quam reclinatorium aureum; plus asino cardo, quam garofalus. Et propter hoc dicitur Rom. VIII, 5 : *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt : qui enim sunt spiritu, quæ spiritus sunt sentiunt.*

Item debemus sensu tactus, quantum ad sustinentiam et passionis experientiam, ut sicut corporaliter Christus in carne sua passus est pro nobis, inimicis suis, ita in carne nostra peccatis obnoxia patiamur pro nobismetipsis. Inconveniens est enim Dominum laborare, et servum quiescere, regem pro militibus pugnare, et milites in papilionibus lascivire. Et propter hoc dicitur I Petri IV, 1 : *Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.* Idem III, 21 : *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, etc.;* quasi dicat : Christus pro nobis passus est, et per passionem intravit in gloriam suam. In quo nobis ostenditur, quod si cum ipso gloriari volumus, viam quam tenuit tenere debeamus Eccl. V, 12 : *Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui;* quasi dicat : numquam dimittas viam, quam tenuit caput tuum, quoniam membra debent sequi necessario caput suum, et tenens veritatem sensus, sicut canis venaticus, nullo eventu, nulla fatigatione desistit a præda, quidquid occurrerit ei, donec ipsam teneat; sic servus bonum numquam dimittit dominum suum, donec ad hospitium veniat. Ideo clamat Paulus Hebr. XII, 3 : *Recogitate eum, qui talem adversus semetipsum a peccatoribus sustinuit contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccata repugnantes :* quasi dicat : Dominus noster tanta sustinuit pro peccatis nostris, et vos igitur hoc idem sentite, si de suis militibus vultis esse. Ephes. IV. Qui enim perfecti sumus hoc sentiamus. Hoc igitur triplici modo sentire debemus de Christo.

Sed nota quod tria sunt, quæ sensum istud impediunt; sicut tria sunt, quæ naturaliter sensum vel odorem impediunt, sive tollunt : Somnus ignorantiæ, fetor conscientiæ, senectus accidiæ vel consuetudinis malæ. Ignorantia tollit sensum cogitationis, concupiscentia gustum devotionis, et ignavia tactum bonæ operationis.

Tollit igitur in homine sensum cogitationis somnus ignorantiæ. Sicut enim dormiens non audit, nec discernit, similiter et error ignorantiæ, vel somnus, excæcat multos, et periculum in quo sunt videre non sinit. Propter hoc tales comparantur dormientibus in mari, vel nantæ clavum, quo tota navis regitur, amittenti. Vera enim cognitio deducit hominem, ne submergatur in amaritudinibus et periculis vitæ præsentis, et ut per ipsam, tamquam per nautam, sine periculo deveniat ad portum salutis. Multi tamen sunt, qui suam ignorantiam recognoscunt, et periculum vident, et consilium non requirunt; et propter hoc pereunt; quod dicitur Proverb. XXIII, 34 : *Eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo et dicens : verberaverunt me, sed non dolui, etc.* Tales enim ad mortem vulnerat diabolus per culpam mortalem, et tamen non sentiunt dolorem. Facit enim diabolus sicut latro peregrino, vel sicut chirurgicus infirmo. Dant enim eis potionem, videlicet peccati delectationem. Non sentiunt quando spoliantur a diabolo, vel quando vulnerantur ab ipso. Et propter hoc dicit : *Verbevaverunt me, sed non dolui, traxerunt me, et non sensi,* captivitate scilicet occulta. Sicut adamans attrahit ferrum, vel quando Caribdis, sive Scilla, navigium. Hoc attendens Sapiens dicit Sap. VII, 7 : *Optavi et datus est mihi sensus, etc.* Item vehementer impedit sensum spiritualem fetor carnalis concupiscentiæ. Fetens enim fetorem non sentit; similiter, licet sterquilinium concupiscentiæ carnalis sit fetidissimum, quia infectum est cordis palatium, tamquam vas sordibus assuetum, nihil spirituale

sentit, nihil dulcedinis desipit. Et hoc figuratum est in Lot, Genes. xix, 33, ubi dicitur quod ipse dormiens cum filiabus [illegible], et ibi sequitur : quod non sensit quando concubuerit, et quando surrexit. Sed etiam, quamvis [illegible] habet [illegible] Tertium, [illegible] non sentit. Similiter per [illegible] carnalis, sed si [illegible] caput elevaret, [illegible] patriæ dulcedinem sentiret. Sicut naturales dicunt de [illegible], qui [illegible] spectat ad [illegible], vel [illegible], eo quod illi venti [illegible] sunt, et quoniam illis temporibus [illegible] arbores, et odorem quemdam [illegible] deferunt, secundum illud Cant. iv, 16 : *Surge aquilo, et veni auster*, etc. [illegible] propter hoc dicebat Daniel, iv, 31 : *Levavi oculos meos ad cœlum, et sensus meus redditus est mihi.*

Item senectus spiritualem impedit senectus sensus. Acumen enim sensuum [illegible] viget in decrepito, sicut in [illegible]. Per senes intelligimus in peccatis suis senescentes, qui parum Deo vel de peccato suo sentiunt. Nec mirum quia nihil in vase suo, nisi sordidum ponit ; et tales significantur in Berzellai, qui interpretatur ferrum II Reg. xix, 35 : *Numquid, ait, vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum ? aut delectare potest servum tuum cibus et potus ?* quasi dicat : non. De talis dicitur Eccles. xxv, 3 : *Tres species odivit anima mea*, et [illegible] sequitur : *Senem fatuum et insensatum.* Tales enim sunt sicut homines febricitantes [illegible], quibus nullus cibus sapit, imo despicit omnis cibus. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit ?* etc. Galat. iii, 1

Contra tales attenderent incommodum, quod sequitur insensatos, hoc est illos, qui non aliquid sentiunt de Deo, nec etiam sciunt se ipsos, mirabiliter exponerentur.

Ipsos enim post mortem triplex sequitur incommodum. Primum est creaturarum impugnatio. (a) enim nunc impugnant Deum, tamquam frenetici medicum suum, impugnabunt eos omnes creaturæ. Cœlo enim mittet coruscationes, [illegible] et tonitrua. [illegible] in eos ignis. Aer subtrahet refrigerium, terra pastum, aqua potum, et sic de omnibus creaturis Sap. v, 21 : *Acuet autem iram in lanceam, et pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.*

Item secundum incommodum erit Creatoris maledictio Sap. iii, 12 : *Mulieres eorum insensatæ, nequissimi filii eorum. Maledicta creatura eorum.* Mulieres vocat muliebriter et carnaliter viventes, filii ipsorum, imitatores eorum quibus omnibus male dicturus est Dominus, quoniam insensati sunt, eo quod mala, quæ ventura sunt eis, præcogitando non sentiunt, secundum illud Eccles. xvi, 19 : *Montes simul, et colles, et fundamenta terræ commovebuntur. Et in his omnibus insensatum est cor* eorum. Quoniam enim Deus differt vindictam, expectans ad pœnitentiam, nec Deum timent, nec hominem reverentur, quorum typum gerunt illi senes, de quibus dicitur Dan. xiii, 5 : *Diverterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ne viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.*

Item tertium incommodum est tormentorum inflictio. Sunt enim quidam similes stulto, de quibus gallice dicitur : stultus non timet donec capitur ; quibus dum parcitur deteriores efficiuntur, sicut de quibusdam dicitur II Cor. iii, 14 : *Usque in hodiernum diem obtusi sunt sensus eorum*, quibus quanto magis parcitur in via, tanto eis majora infligentur tormenta Sap. xii, 23 : *Illis qui in vita sua insensate ac injuste vixerunt, per hæc quæ coluerunt*, hoc est, inordinate dilexerunt, *dedisti summa tormenta.* Propter hæc omnia dicit Apostolus : *Sentite in vobis etc.*, quasi dicat : sic cum Jesu Christo passiones et tormenta sentiamus in via, ut cum ipso quiescamus in patria ; quod etc.

XXIV

ITEM IN DIE PALMARUM. (a)

[illegible] *Ecce Rex tuus venit.*
Matth. xxi, 5.

Quando Reges terreni venturi sunt in aliquam regni sui civitatem, præmittunt

(a) [illegible] D. Denifl[illegible]

nuntios, ut recepturos præmuniant, ut ea quæ Regi sunt necessaria præparent. Similiter Rex regum et Dominus dominantium venturus in Jerusalem, quam elegerat passioni, præmunivit in Jerusalem Judæos habitantes, præmittens nuntium in veteri Testamento, secundum illud Zach. IX, 9 : *Jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator; ipse pauper*, quasi dicat : veniet Rex tuus, et non injuriosus, quasi justus non exactor vel oppressor, quasi salvator, non sumptuosus vel pomposus, quasi pauper. Et hoc quidem fecit in novo Testamento. Cum enim hodierna die venire disposuisset, cum appropinquasset Jerusalem, misit duos discipulos, quasi injungens eis et dicens : *Dicite filiæ Sion*, quoniam *ecce Rex tuus venit tibi*. In quibus verbis duo specialiter attenduntur, propter quæ venientes libenter recipiuntur ; quæ sunt, venientis auctoritas, et adventus utilitas. Primum tangitur cum dicitur : *Ecce Rex tuus*. Secundum cum subditur : *Venit tibi*. Tangitur enim venientis auctoritas , quando dicit : *Ecce Rex* ; quasi dicat : videte Regem, non solum cœlum, sed mundum totum, sua præsentia nobilitantem. Nobilitas enim Regum nobilitat et decorat totum regnum. Ipse quidem est de quo dicitur Eccles. x, 17 : *Beata terra*, *cujus Rex nobilis est*.

Ipse quidem Rex est, cujus nobilitatem Scriptura commendat. In ingressu Matth. II, 2 : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum* ?

Item in progressu Jo. I, 49 : *Dicit Nathanael : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel*. Unde in hodierna die turbæ clamabant Jo. XII, 13 : *Benedictus qui venit in nomine Domini*, *Rex Israel*.

Item in regressu : Unde II Paralip. XXIX, 20 : *Rex Ezechias adunavit principes*, *et ascendit in domum Domini*.

Item in egressu ; unde scriptum est Matth. 27 : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Propter hæc hodie nobis dicitur : *Ecce Rex tuus etc*. Sunt autem quatuor, propter quæ Reges commendantur. Propter infinitatem potentiæ, propter profunditatem scientiæ, propter severitatem justitiæ, et propter serenitatem clementiæ, hoc est, quando nec terrore concutitur, nec errore seducitur, nec amore corrumpitur, nec furore subvertitur. Si potens, reverendus ; si sapiens, attendendus vel audiendus ; si justus, metuendus ; si clemens, diligendus.

Dicit ergo : *Ecce Rex* potentissimus I Tim. VI, 15 : *Solus potens Rex regum*, *et Dominus dominantium :* et propter hoc metuendus. Prov. XXIV, 21 : *Time Dominum, fili mi*, *et Regem*. Et in veritate non est mirum si timetur, quoniam in adversarios suos mirabiliter decrassatur, quod patuit Luciferum præcipitando, primos parentes cum tota posteritate relegando, diluvium inundando, Sodomam et Gomorram subvertendo, et pœnas interminabiles infligendo. Et propter hoc dicitur Jerem. x, 6 : *Domine*, *magnus es tu*, *et magnum nomen tuum in fortitudine*. *Quis ergo non timebit te*, *o Rex gentium ?* Unde propter fortitudinem suam comparatur leoni, quo nullum animal fortius est, quoniam post rugitum suum animalia non figunt gradum, nullum mansuetius quando prosternuntur ante ipsum. Dominus, sicut imperatores, exercet iram suam, sed in pœnitentes ostendit misericordiam, et propter hoc dicitur Proverb. XIX, 12 : *Sicut fremitus leonis, ita et ira Regis*, *et sicut ros super herbam*, *ita et hilaritas ejus*. Fremitus leonis omnia animalia, quantumcumque sint audacia, tremere facit, ros super herbam descendens, etiam mortuam quasi virescere cogit ; sic et justitia Dei peccatores terret, sed misericordia quantumcumque mortuos peccato resuscitat ad pœnitentiam. Proverb. XVI, 15 : *In hilaritate vultus Regis vita*. Dicunt naturales quod leo famelicus, dum ad prædam vadit, si aliquod animal quantumcumque corpulentum sibi resistens advertit, in illud, omnibus aliis dimissis, sine misericordia desævit. Et propter hoc significat Christum, qui peccatores sibi resistentes in momento perdit, et innumerabilibus pœnis, dum non sperant, affligit, secundum illud Proverb. XX, 2 : *Sicut rugitus leonis, ita est terror Regis : qui provocat eum, peccat in animam suam*. Et bene dicit, *in animam*, quoniam etsi parcat corpori, non tamen spiritui. Animam

animam separatam a corpore recludit in carcerem gehennæ. Sic enim videmus quod faciunt principes: leges suas et statuta transgredientes manifeste relegant, vel incarcerant, vel occidunt, secundum qualitatem culpæ. I Esdræ VII, 26: *Quicumque** *non fecerit legem Dei sui, et legem Regis diligenter, judicium de eo erit, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ, sive certe in carcerem.*

Item sicut dictum est: *Ecce Rex* potentissimus, ita dicere potest: *Ecce Rex* sapientissimus, cujus sapientia patet, quoniam leges et decreta congruentissima statuit, quæ nihil nisi licitum et honestissimum præcipiunt, quibus regit et dirigit totum universum; unde et legifer dicitur Isai. XXXIII, 22: *Dominus Rex noster, Dominus legifer noster; ipse enim etc.* Et propter hoc firmiter observandus, secundum illud Daniel. VI, 15: *Omne decretum, quod constituit Rex, non liceat immutari.* Certe si Rex aliquis bannum fecisset intra urbem, quod nullus intraret tabernam, vel prostibulum, vel aliquid simile, pro qualibet vice perderet unum membrum, certe nullus esset ausus transgredi mandatum suum. Nunc autem Deus præcipit hæc omnia, nec tamen custodiuntur, sed pro nihilo reputantur; et propter hoc gravissimam expectant vindictam, quia sicut nos videmus quod transgredientes jussa principum forbanniuntur et dissipantur, sic isti peccatores, dum non sperant, de terra tolluntur, secundum quod dicitur Proverb. XX, 26: *Dissipat impios Rex sapiens, et incurvat super eos fornicem*, hoc est, Dominus ipsos expellit de mundo, et relegat et incarcerat in inferno. In Ecclesia primitiva Christum fideles libenter, dum prædicabat, audiebant, et ejus sapientiam fideliter intendebant, et propter hoc ab ipso diligebantur, et ipsum diligebant secundum illud III Reg. X, 23: *Magnificatus est Rex Salomon super omnes reges terræ, et universa terra desiderabat videre sapientiam ejus**. Nunc autem contemnitur ejus sapientia. Plus enim vigent hodie leges mundi, quam leges Dei. Plus timetur statutum humanum, quam præceptum divinum. Et propter hoc [illegible] natur nobis Dominus Jer. XXIII, 5: *Suscitabo David germen justum: et regnabit Rex, et sapiens erit: et faciet judicium et justitiam in terra.* Sequitur 10: *Quia adulteris repleta est terra, sacerdos et propheta polluti sunt.*

Item ecce Rex justissimus, de quo dicitur Proverb. XXIX, 4: *Rex justus erigit terram suam.* Ad litteram enim Rex justus multum exaltat terram suam, quando scilicet bonus justitiarius est. Honor enim est principi quando bene tenet justitiam, secundum illud Psal. XCVIII, 4: *Honor Regis judicium diligit.* Quantum diligit Deus justitiam, ostendit a principio mundi. Ab initio enim mundi carcerem fecit æternum et acerbissimum, quemadmodum principes et reges, quam cito veniunt ad terram, furcas elevari faciunt in signum justitiæ Isai. XXX, 33: *Præparata est ab heri Topheth, a Rege præparata, profunda et dilatata, et nutrimenta ejus ignis et ligna multa, et flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Topheth interpretatur gehenna vel stultitia, aut ampla pœna stultorum: et significat carcerem infernalem, in qua Dominus incarcerat stultos suos, sicut pater filios lascivos et male morigeratos, ubi sentitur ampla pœna, quoniam æterna. Hic dicitur: *Ab heri præparata est*, hoc est ab initio mundi, ut nullus se excuset per ignorantiam, *profunda* ut nullus exeat, *dilatata* ut multos recipiat. Hanc *nutrit ignis*, hoc est acerbitas gehennalis, *et ligna multa*, hoc est damnatorum multitudo copiosa, *flatus Domini* jugiter insufflans, et incessanter succendens ignem acerbissimum et fetidissimum, tamquam sulphureum in animas et corpora damnatorum, ante judicium et post judicium. Nec solum hoc ostendit signo, carcerem faciendo, sicut judex furcas elevando, sed etiam de malefactoribus justitiam exercendo sicut judex maleficum suspendendo. Matth. XXII, ubi dicitur de illo, qui non habebat vestem nuptialem: *Dicit Rex ministris: ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium.*

Item ecce Rex clementissimus et benignissimus. Sicut enim dicitur Proverb.

xx, 28 : *Misericordia et veritas custodiunt Regem, et roborabitur clementia thronus ejus.* Ecce quod misericordia et clementia præcedunt, et sequitur veritatem justitiæ, quoniam in omnibus operibus Dei præcedit misericordia. Qui patienter peccatorem expectat ad veniam, vocat ad pœnitentiam, promissis allicit, et licet capitalem inimicum in peccato nutrit. Sequitur : etiam clemens misericordia, quoniam damnatos citra condignum flagellat, et supra condignum remunerat. Hoc attendens quod significat animam pœnitentem dicit Hester xiii, 15 : *Et nunc Domine Rex, Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere.* Quamvis enim capitales inimici Dei simus, quamvis adversario suo servierimus, quando videt nos destitutos angelorum auxilio, et sanctorum suffragio, deditos hosti, propinquos morti, non potest animam suam continere, quemadmodum videmus quod mater filium a patre verberari procurat, et tamen sustinere non valens, super ipsum puerum se prosternit et jactat. Et propter hoc dicitur Hester xiv, 3 : *Domine mi, Rex qui solus noster es, adjuva me solitariam, cujus præter te nullus est auxiliator.*

Sequitur : *Veniet tibi*, in quo significatur secundum, scilicet adventus utilitas. Venit enim propter utilitatem nostram. Erat enim genus humanum propter delictum primi parentis detentum, nec habebat unde se redimere posset. Unde Filius Dei venit ut semetipsum in pretii solutionem daret; secundum illud Matth. xx, 28 : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam * pro multis :* propter quod et Judas ipsum vendidit, sed tamquam stultus mercator pro valde minimo pretio dedit : propter quod dolens, sed vere non pœnitens, ad ultimum se suspendit. In quo patuit summa liberalitas in patre, qui pro servo redimendo misit filium. Imo quod majus fuit, ut de servo filium faceret, filium vendi permisit. Galat. iv, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Patet etiam summa benignitas in prole, qui propter inimicos mori voluit, et per mortem suam vitam restituit. Unde de illo potest dici illud Jerem. xx, 6 : *In Babylonem venies, et illic morieris, ibique sepelieris.* Per Babylonem intelligimus Jerusalem, in qua fecerunt Judæi diebus istis summam confusionem Christo. Babylon enim interpretatur confusio, in qua pro nobis Christus et mortuus est et sepultus.

Generaliter autem loquendo venit Christus ad quatuor, quoniam potentissimus venit, ut dictum est, ad infirmorum defensionem, quoniam sapientissimus ad mandatorum instructionem, quoniam justissimus venit ad perversorum correctionem, quia clementissimus venit ad conversorum salvationem.

Venit igitur ut infirmos et imbecilles defenderet. Diabolus enim ligatum ducebat genus humanum ad limbum, nec erat qui posset effugere violentiam manuum ejus. Et propter hoc venit Dei filius, ut captum solveret et prædam de ore diaboli, sicut pastor ovem de ore lupi, potenter eriperet. Isai. xxxiii, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, ipse veniet et salvabit nos.* Et postea convertens sermonem ad diabolum dicit : *Laxati sunt funiculi tui, sed non prævalebunt, et tunc dividuntur spolia multarum prædarum,* quasi dicat : tetendisti laqueum quasi aucupes, vel venator, sed non capies multum, et si forsitan aliquid ceperis, in adventu Christi deprædaveris. Deus enim Pater, videns genus humanum auxilio destitutum, misit eum pugilem potentissimum, qui cum diabolo luctans in cruce pugnavit, et ipso superato genus humanum salvavit, secundum illud Isai. xl, 10 : *Ecce Dominus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur.* Nec solum etiam venit propter ipsos defendendos, sed etiam propter nos. Videns enim diabolum contra nos tota die pugnare, facit sicut solent facere reges militibus suis ab hostibus in aliquo castro conclusis et obsessis. Mittit enim nuncios suos dicens : viriliter pugnetis, quoniam magnam mercedem expectatis, et statim veniet Dominus ut auxilietur vobis, secundum illud Isai.

xxxv, 4: *Dicite pusillanimis: confortamini, et nolite timere, Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos.*

Item quoniam sapientissimus, venit ut ignorantes erudiret. Matth. xxi, 23: *Veniente Jesu in templum, docebat eos, ita ut mirarentur omnes dicentes**: *quis est hic?* Quam autem lectionem legerit audite, dicitur Osee x, 12: *Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam*, quae est declinare a malo et facere bonum, non facere alia, quae nobis nolumus fieri. Et certe nulla lectio brevior, nulla melior. Et hoc est quod ipsemet dicit Matth. v, 17: *Non veni solvere legem, sed adimplere. Nisi abundaverit justitia vestra etc.* Et postea legit lectionem suam, et exponit eam 21: *Audistis quia dictum est antiquis: non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Postea subdit aliam lectionem: *Non moechaberis*, et exponit. Post illam dicit: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam moechatus est in corde suo.* Tertio subdit: *Audistis etc. Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros etc.* Et haec est lectio, quam in figura promiserat se in novissimis temporibus lecturum Daniel. x, 14: *Et nunc veni, ut docerem te, quae ventura sunt in novissimis temporibus.* Quamvis autem tantum magistrum miserit Deus, paucos habet scholares. Plures enim sequuntur falsam prudentiam mundi, quam veram doctrinam Christi: unde conqueritur Jo. iii, 19: *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim mala eorum opera.*

* [illegible]

Item justissimus, quoniam venit ut peccatores corrigeret, quod habetur Matth. xxi, 12 ubi dicitur, quod veniens Jesus Jerosolimam *intravit in templum*, hodierna die postquam dixerunt pueri: *Benedictus qui venit in nomine Domini, et facto quasi flagello de funiculis, ejiciebat omnes vendentes et ementes de templo.* Puto quod si iterum veniret, luxuriosos, gulosos, usurarios, detractores et hujusmodi, turpiter ejecisset eos. Sed istis nunc parcit Dominus, qui venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum: sed in die mortis, et in die judicii veniet, et ad unguem omnia discutiet, sicut nos videmus quod usurarius diu exspectat, et postea districtissime computat. Malach. iii, 2: *Ecce veniet, et quis poterit cogitare diem adventus ejus? Ipse enim quasi ignis conflans*, totum scilicet exterminans, *et quasi herba fullonum*, totum scilicet attingens et distinguens. Et ne forte nos per ignorantiam excusemus, dudum praemunivit nos Isai. xxx, 27: *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum, lingua ejus quasi ignis.* Multi tamen sunt similes illi servo stulto, de quo dicitur Luc. xii, 45: *Quod si dixerit servus ille in corde suo, moram facit Dominus meus venire, et coeperit percutere pueros**, *edere, bibere et inebriari; veniet Dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus ponet cum infidelibus.*

* *servos et ancillas*

Item quoniam clementissimus venit ut poenitentes reciperet, et ad poenitentiam revocaret. In quo patuit ejus misericordia, quoniam de coelo descendit ad terram, ut invitaret inimicos suos ad pacem faciendam. Matth. ix, 12: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores* ad poenitentiam. Ecce quod Christus exercuit etiam officium medicatoris. Venit enim ad nos magnus medicus, quoniam ubique magnus jacebat infirmus. Venit etiam ut peccatores, tamquam oves errantes, ad viam veritatis reduceret, et ad ovile dominicum suis humeris reportaret, secundum illud Luc. xv, 4: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves etc. Nonne vadit ad illam quae perierat etc. Et imponit in humeris suis gaudens etc.* Et hoc est quod ipsemet dicit Luc. xix, 10: *Venit filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat.* Et hoc est quod dudum praedixerat per Isaiam xiv, 1: *Prope est: ut veniat tempus ejus etc. Miserebitur enim Dominus Jacob, et Israel salvabitur**, *et requiescere eum faciet super humum suam.* Quod etc.

* *et eliget adhuc de Israel*

XXV

IN PASCHA (a).

Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur. I Cor. v, 7.

Videns Apostolus quod hodierna die, per Dei gratiam, sumus ad mensam Dei accessuri, duo facit, quoniam accessuros allicit, et invitat. Allicit, ostendens cibum esse delicatum ; invitat, ostendens cibum esse præparatum. Allicit ergo accessuros ad mensam dominicam, et ostendit quod cibus est delicatus, quando dicit : *Pascha nostrum immolatus est Christus ;* quasi dicat : Christus pro nobis est pridie immolatus. Pascha enim, hoc est pastus sive refectio nostra, fit hodie. Pascha enim uno modo dicitur a pascendo, secundum illud Marci xiv, 14 : *Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem ?* Hoc dicit Christus, quoniam in veritate dum corpus suum recipimus, et in nobis reficitur spiritualiter, et animas nostras reficit sacramentaliter. Facit enim Apostolus, sicut fieri solet bonis lecatoribus, quibus, ut libentius ad mensam veniant amici sui, dicitur quod bona cibaria sunt comesturi, bonum etiam vinum potaturi. Et in veritate nullus cibus pretiosior corpore Jesu Christi, nullus potus delicatior potu sanguinis sui, et propter hoc dicit : *Pascha nostrum immolatus est etc. Itaque epulemur.* Sed nota quod triplicem Christi legimus immolationem : Figuralem, corporalem et sacramentalem. Primam in lege, secundam in cruce, tertiam in altari quotidie.

Immolatio igitur Christi figurata fuit in lege, per immolationem agni sine macula, vel aliquid hujusmodi. Per agnum enim Christus figurabatur in lege, propter puritatem munditiæ, qui dum immolabatur, immolatio Christi figurata figurabatur Exod. xii, 3 : *Tollat unusquisque agnum, et hædum similiter, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel. Et sument de sanguine ejus, et ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum.* Agnus innocens et mansuetus Christus est, cujus sanguine linire debemus utrumque postem domus nostræ, videlicet animæ, quantum ad intellectum et affectum, ut recognoscamus quod pro nobis sanguinem fudit, et afficiamur per amorem, eo quod tantum nos dilexit, quod pro nobis sanguinem suum fudit. Ista eadem immolatio figurata fuit Levit. iv, 15, ubi dicitur : *Immolato vitulo in conspectu Domini, infert sacerdos, qui unctus est ex * sanguine* * de
ejus in tabernaculum testimonii, et tincto digito asperget septies contra velum. Vitulus sacrificio aptus Jesus Christus passus, cujus sanguinem sacerdos per recordationem et devotionem ponere debet in tabernaculo cordis sui, tamquam remedium et medicamentum omnis peccati, quod figuratum est nomine septenarii. Quoniam in veritate istud sacramentum præservativum est, et etiam medicamentum omnium peccatorum, et præcipue venialium.

Item est immolatio Christi corporalis, quoniam Filius Dei secundum carnem immolatus est in ara crucis ; et quemadmodum nos videmus quod sicut carnifex animal super banchum extendit, et nunc ad pedes anteriores, nunc ad posteriores, nunc ad caput, nunc ad lumbos gladium extendit, sic impiissimi Judæi manus et pedes et latus Christi perforaverunt, et coronam spineam plectentes ad caput ejus, totum corpus pretioso sanguine est rubricatum. Unde de populo Judaico dicitur Levit. i, 10 : *Agnum anniculum, et absque macula offeret, immolabitque illum coram Domino. Sanguinem vero illius fundet super altare per circuitum.*

Item est immolatio sacramentalis, et hæc est de qua proprie dicitur hodie : *Pascha enim nostrum etc. Itaque epulemur etc. Non in fermento etc.* Ad istud enim sacramentum nullus accedere debet corruptus, aut ulla quacumque nequitia vel malitia plenus. Si enim ad mensam materialem, vel cibum corporalem nullus accedit, nisi lotis manibus, quanto magis ad mensam spiritualem, ad ipsum domi-

(a) Ex recensione D. Uccelli.

nisum corporis? quoniam non bene praeparatis non est medicina sed venenum, quia est vita vel mors; bene vero praeparatis, non est venenum sed antidotum. Et propter hoc dicitur Esdrae vi, 19: *Sanctificati** *sunt sacerdotes et levitae, quasi vir unus, et omnes mundi ad immolandum Pascha.* Cum enim cibus iste sanctus sit et mundus, et quantum est de se dignos manducantes sanctificans et mundans, nullus debet accedere nisi sanctus et mundus. Non est enim cibus porcorum aut immundorum animalium, sed animarum sanctarum. Et propter hoc dicitur Levit. v, 24: *Ista est lex hostiae, quae offertur pro peccato, et immolatur Domino, quia sanctum sanctorum est. Sacerdos, qui offert, eam comedet in loco sancto, et quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur.*

* Purificati enim fuerant.

Sequitur: *Itaque epulemur*: quasi dicat: ex quo cibus est ita delicatus, ex quo diligentissime praeparatus, *itaque epulemur*, non epulas carnales, quae maculant animam, secundum illud Judae i, 12: *Hi sunt in epulis suis maculae, convivantes*, sicut sunt gulosi super omnem escam semetipsos effundentes. Unde nota quod duplex est differentia epularum, carnalis, et spiritualis sive sacramentalis. Primae distribuuntur in stabulo carnalis concupiscentiae. Secundae dispensantur in thesauro militantis Ecclesiae. De primis dicitur in persona carnalium Sap. xix, 11: *Adducti* concupiscentia postulaverunt escas pro epulatione, et vexationes peccatoribus supervenerunt.* His enim epulis tota damnificatur hominis substantia, temporalis, corporalis et spiritualis. Harum enim abusus hominem depauperat. Paucos enim gulosos divites videmus. Etenim si prosperam vitam ducunt in principio, laute et dissolute viventes, secundum illud Eccles. x, 19: *In risum faciunt panem et vinum, ut epulentur viventes**, in fine tamen miserabiliter sunt pauperes. Quemadmodum enim aqua commotiva corrodit terram, ita carnalis concupiscentia annihilat temporalem substantiam. Prov. xxi, 17: *Qui diligit epulas, in egestate erit: et qui diligit** *vinum et pinguia, non ditabitur.*

* abducti.

* vescentes.

* amat.

Item istarum excessus corpus debilitat. Superfluitas enim potus et cibi calorem extinguit naturalem, sicut nos videmus quod superfluitas lignorum aliquotiens suffocat ignem materialem, propter quod generantur infirmitates in corpore, sicut hepatis, paralysis et hujusmodi. Et ideo dicitur Eccli. xxxvii, 32: *Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas. Propter crapulam enim multi obierunt. Qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Ad litteram enim videmus quod epulantes multum, parum vivunt, et subito suffocantur; pauperes enim abstinentes, incolumes et robusti multo vivunt tempore. Ideo dicitur Eccles. xxix, 29: *Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quam multae epulae et splendidae in peregre sine domicilio.* Ad litteram enim peregrinus parum comedit, donec redierit ad domum suam. Et nos similiter abstinentes esse debemus, donec perveniamus ad aeternam mansionem.

Item istarum appetitus, dum tamen immoderatus, concupiscentiam generat, etiam animam gravat. Frequenter enim contingit, quod gulam sequitur luxuria, tamquam dominam pedissequam, secundum illud Jacob. v, 5: *Epulati estis super terram, et in luxuriis vestris enutristis corda vestra.* Nec solum damnificat animam, quia maculat eam, sed etiam mortem acquirit aeternam, ut patuit in divite epulone, de quo dicitur Luc. xvi, 19: *Homo quidam erat dives, et epulabatur quotidie splendide.* Et sequitur: *Mortuus est dives, et sepultus est in infernum.* Sunt enim tales sicut apis, quae post multas florum collectiones moritur in faecibus multis. Et hoc subito, dum non sperant, ut patuit in illo divite Lucae xii, 19. Cum enim dixisset: *Anima, multa bona habes: requiesce in annos plurimos, epulare, comede, et bibe*, statim audivit: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam, quae autem praeparasti etc.* De istis enim non dicit Apostolus: *itaque epulemur*, sed de sacramentalibus, quae nobis dispensantur hodie in mensa matris Ecclesiae.

Istas autem epulas tria debent specialiter comitari. Conscientiarum discussio,

eleemosynarum largitio, præceptorum impletio, ut scilicet ordinetur homo juxta se, et super se.

Ad hoc igitur convivium accedentes conscientias suas debent discutere, ut nihil remaneat intus immundum, nihil exterius inhonestum. Ad mensas enim divitum invitati mundi venimus et honesti, quanto magis ad mensam Dei? Eccl. xxx, 27 : *Splendidum cor, et bonum in epulis est : epulæ enim illius diligenter fiunt;* quasi dicat : quando vas cordis est interius mundum, tunc bonum est quod cœlestibus intersit epulis. Quis enim bonum ferculum ponet in vas sordidum et immundum? Sed si bene sit lotum per lacrymas contritionis et compunctionis, tunc aptum est et conveniens istis epulis percipiendis, quoniam diligenter paratum ad tam delitiosum ferculum suscipiendum. Et propter hoc sequitur in prædicta auctoritate : *Splendidum cor, etc. Epulæ enim illius diligenter fiunt.* Et super omnia cavendum est, ne rancor vel ira teneatur in corde. Justum enim sacramentum est amoris, nec nisi a familiaribus et amicis comeditur. Non enim faciliter inimicos nostros ad convivium invitamus. Et propter hoc dicitur Deut. xxvii, 7 : *Immolabis hostias pacificas etc. Occides et epulaberis* * *coram Domino Deo tuo.*

* *medes*

Item comitari debet eleemosynarum largitio, præcipue quarundam quæ non solum cadunt sub misericordia, sed sub justitia, sicut sunt primitiæ, decimæ, et cetera jura parochialia. Deut. xxvi, 10 : *Dimittes decimas coram sacerdote, et adorato Domino epulaberis.*

Item comitari debet injunctorum impletio, non solum a Domino Deo tuo, sed a proprio sacerdote Deut. xvi, 11 : *Epulaberis coram Domino Deo tuo, custodiesque ac facies quæ præcepta sunt tibi;* quasi dicat : paratus eris facere quidquid injunctum erit, semper habens Deum præ oculis tuis, quando corpus ejus suscipis, secundum illud Deut. xvi, 11 : *Epulaberis coram Domino Deo tuo.* Qui digne suscipit epulas sacramentales, quæ fiunt in thalamo militantis Ecclesiæ, lætus transferetur ad epulas æternales in palatio gloriæ, secundum illud Ps. xli, 5 : *In voce exultationis et confessionis sonus epulantis.* Tunc enim erit generale festum, solemne convivium angelis et hominibus præparatum Deut. xvi, 14 : *Epulaberis in festivitate coram Domino Deo tuo etc.* Et tunc complebitur illud Deut. xii, 10 : *Transibitis Jordanem, et habitabitis in terram, quam Dominus Deus noster daturus est vobis.* Et sequitur : *Ibi epulabimini coram Domino Deo vestro*, ubi scilicet epulabimini jugiter in gratiarum actione, percipietis incessanter et delectabiliter secundum illud Ps. lxvii, 4 : *Et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.* Quod nobis etc.

XXVI

ITEM IN PASCHATE. (*a*)

Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum.
Marc. xvi, 6.

Sicut gallice dicitur, quod ut paret fermentum mane surgit fœmina prudens, quod satis ostenditur in Evangelio præsenti. Narrat enim Evangelista, quod istæ tres bonæ mulieres valde mane venerunt ad monumentum, quærentes Jesum, et non invenerunt eum; unde post præmissa verba, cum dixisset Angelus : *Jesum quæritis Nazarenum*, statim subdidit : *Surrexit, non est hic :* Si enim tempestivius venissent, forsitan ipsum invenissent. In quo datur nobis intelligi, præter sensum historicum, quod multi quærunt Jesum, et non inveniunt ipsum, secundum illud Cant. iii, 1 : *Quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.* Et Oseæ v, 6 : *In gregibus suis et armentis vadunt ad quærendum Dominum, et non invenient eum.* Non enim quærendus inter porcos et tauros, sed inter angelos.

Si autem Dominum volumus invenire, quinque modis oportet illum quærere, videlicet confidenter, prudenter, diligenter, instanter, et patienter.

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

Quæramus ipsum confidenter, non diffidenter, quoniam si sic quæsierimus, inveniemus, secundum illud Prov. viii, 17 : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Mane vocat tempus juventutis, quo qui Dominum quærunt, leviter inveniunt. Contra eos qui non quærunt in juventute, sed differunt usque in senectutem, tanquam in vespere. Et certe citius invenitur res de die, quam de nocte. Unde stultus est, qui credit invenire per noctem, quod amisit per diem. Et stultus est homo, qui se credit invenire, postquam factus est cæcutiens, rem quam non invenit dum esset videns. Sic sunt quidam, qui Deum quærere potuissent dum essent in statu juventutis, et qui exspectant usque ad vesperam senectutis, ut dictum est, quibus dicitur Joan. viii, 21 : *Quæretis me et non invenietis, et in peccato vestro moriemini.* Exemplum terribile talium habetur in Esau, de quo dicitur Hebr. xii, 17 : *Ne quis fornicator aut profanus, ut Esau qui propter unam escam vendidit primogenita* sua, et cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est ; non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Et hoc fuit, quia non quæsivit quando debuit, et sicut debuit. Qui enim obtulit se passioni, nunquam absconderet se devote quærenti. Cum enim dixisset Joan. xviii, 4 : *Quem quæritis?* et Judæi respondissent : *Jesum Nazarenum*, respondit : *Ego sum.* Certe qui semetipsum obtulit quærentibus inimicis, nunquam suis fidelibus se negabit. Ait enim Matth. vii, 7 : *Quærite, et invenietis.* Ubi dicit sanctus : multum inveniri desiderat, qui fideles suos ad ipsum quærendum invitat..... Unde magnates hujus sæculi quærentibus semetipsos abscondunt, et vix etiam ubi sunt inveniri possunt. Dominus autem, qui nunquam est inclusus, nunquam exclusus, omnibus se exponit, ab omnibus se inveniendum ostendit Isai. lv, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest ; invocate eum, dum prope est.*

Item quæri debet prudenter. Quærit autem prudenter, qui quærit eum quando debet, et quomodo debet. Quærit quando debet, et prudenter quod nunc quærit. Ad hoc enim statutum est tempus præsens. Act. xvii, 26 : *Definivit* Deus statuta tempora, et certos terminos inhabitationis* eorum, quærere Deum, si forte attrectent aut attrectent eum.* Et certe si certum tempus, et certus numerus assignatus essent alicui, quibus invenire deberet aliquam rem pretiosam, et negligeret, stultus esset. Dum vivimus hic in præsenti, Deum possumus invenire, quem post mortem non inveniemus, nisi viventes invenerimus. Cant. v, 6 : *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo : at ille jam declinaverat, et transierat.* Prudenter etiam quærit, qui quærit in loco ubi est. *Non enim invenitur in terra suaviter viventium*, sicut dicitur Job xxviii, 13 ; nec in tumultu sollicitudinum mundanorum, secundum illud Cant. iii, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea.*

* definiens

* habitationis

Item prudenter quærit, qui quærit sicut debet, quia quæri debet de die, non de nocte : hoc est in luce gratiæ, non in tenebris culpæ. Res enim, quæ de nocte perditur, de die reperitur, non per noctem Cant. iii, 1 : *In lectulo meo per noctem quæsivi, quem diligit anima mea ; quæsivi illum, et non inveni.*

Item quæri debent diligenter. Videmus quod cum aliquid parvum amisimus, utpote denarium vel obulum, diligentissime quærimus. Quando igitur diligentius quærendus est ipse Deus? Luc. xv, 8 : *Quæ mulier habens drachmas decem, et si perdiderit unam, nonne accendit lucernam, et evertit* domum, et quærit diligenter donec inveniat?* quasi dicat : multo igitur fortius debemus quærere ipsum Deum, postquam amiserimus eum. Istam diligentiam docuit nos Virgo Maria, quæ tantum circuivit, quod cum in templo invenit et reperit Luc. ii, 44 : *Quærebant* eum inter cognatos et notos. Existimantes eum esse in comitatu. Et non invenientes, reversi* sunt in Jerusalem, et post triduum invenerunt eum in templo.* Ecce quam diligenter quæsivit, quoniam inter suos, inter alienos, per civitatem, et in ipso templo ; quo invento dixit : *Ego et Pater tuus dolentes quærebamus te.* Non enim invenitur Jesus, nisi dili-

* evertit

* requirebant

* regressi

genter quæsitus. Sed sunt quidam, qui quærunt eum vago corde, plus cogitantes de alio quam de ipso. Et propter hoc non invenerunt, quoniam unum quærunt, et aliud cogitant, sicut homo melanconicus, qui quærit aliquando quod tenet in manu sua, de quibus dicitur Sap. XIII, 6 : *Et hi fortassis errant, Deum quærentes et volentes invenire,* sed tamen non inveniunt, supple, quoniam corde perfecto non quærunt: Non enim attendunt illud Jer. XXIX, 13 : *Quæretis, et non invenietis* donec quæsieritis in toto corde.*

* *cum*

Item quæri debet instanter. Non enim una die solum quærendus est, sed omni tempore ; non in una oratione, sed in pluribus ; non in uno bono opere, sed in pluribus. Stultum enim esset rem pretiosam incipere quærere, et statim dimittere vel desistere : et propter hoc dicitur Isai. XXI, 12 : *Dixit custos : venit mane et nox ; si quæritis, quærite ;* quasi dicat : die et nocte quærite. Utinam essemus sicut canis venaticus, qui tantum quærit prædam, quod invenit eam ; vel sicut bonus servus, qui tantum Dominum sequitur, quod consequitur. Et hoc est quod dicitur Ps. CIV, 4 : *Quærite Dominum, et confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Et bene dicit : *Quærite Dominum et confirmamini*, quoniam sunt quidam, qui Deum non quærunt, et si quærunt, valde tepide quærunt, quod malum habentes in pedibus similes sunt Asa, de quo dicitur II Paralip. XVI, 12 : *Ægrotavit Asa dolore pedum vehementissimo, sed nec in infirmitate sua quæsivit Dominum,* licet esset assidue quærendus, sicut dictum est. Unde hoc vocabulum *quærite* frequenter invenitur Soph. II, 3 : *Quærite Dominum omnes mansueti terræ. Quærite justum, quærite mansuetum, si quomodo abscondaris ab ira furoris* Domini,* quasi dicat : quærite corde, quærite ore, quærite opere, si vos vultis eum invenire. Non enim ad primum ictum aperitur ostium, sed oportet pulsare, secundum illud Matth. VII, 7 : *Quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis.*

* *in die furoris*

Item quærendus est patienter. Etsi ei labor est in quærendo, patienter tamen quærendus est, quia præmium magnum confert quærentibus et invenientibus. Certe non est aliquis pauper clericus, qui non libenter per æstatem et hiemem quæreret Papam, si crederet quod daret ei bonam, et pinguem præbendam. Et certe Dominus quærentibus se promittit, et solvit in regno suo bonorum omnium plenariam possessionem Eccles. LI, 29, ubi loquitur de divina sapientia : *Venter meus turbatus* est quærendo illam, et* propterea habebo* possessionem bonam.* Patienter igitur quærendus est, quia non solum ditat in patria, sed etiam suos socios ditat in via, quemadmodum nos videmus quod quando aliquis vadit ad curiam Romanam, tam ipse quam omnia sua in protectione Domini Papæ sunt. Similiter Dominus quærentes ipsum, in conductum suum recipit, et tam a viventibus quam a morientibus tollit insultus adversariorum II Paralip. XV, 15 : *In toto corde* suo quæsierunt eum, (scilicet Deum), et dedit eis requiem ab inimicis per circuitum.* Et breviter ipsum quærentibus parat in præsenti vitam gratiæ, et in futuro vitam gloriæ. Propter primum dicitur in Ps. LXVIII, 33 : *Quærite Deum, et vivet anima vestra.* De secundo Proverb. VIII, 35 : *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Rogemus Dominum, etc.

* *cont... t...* * *poss...* * *t... volu...*

XXVII

DOMINICA IN OCTAVA PASCHÆ. (*a*)

Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum.
Jo. v, 4.

Duo sunt, quæ mirabiliter appetuntur : nobilitas et probitas. Magna est enim gloria, quando aliquis potest vere dicere se esse filium Regis, aut comitis, secundum illud Osee IX, 11 : *Gloria eorum a conceptu, ab utero, et a partu.* Quamvis istam nativitatem multæ miseriæ comitentur, secundum illud Job. XIV, 1 : *Homo natus de muliere, repletur multis miseriis,*

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

bona cujus tempore. Sicut enim sunt homines, ubi mors in hujusmodi, ignominiam quidam contemnere, periculose quidem sanctaverit, liberique quidam, ut dicit Bernardus, non enim est aliquis quantumcumque nobilis, qui possit istas ignominias sive miserias evitare, secundum illud Sap. vii, 3 : *Ego natus communem accepi aerem, et primam vocem similem omnibus emisi plorans. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus enim introitus ad vitam, et similis exitus.* Si gloriatur quis se esse filium Regis terrestris, quanto magis se esse filium Regis coelestis? Et certe quicumque in ipsum fideliter et firmiter credunt, ex ipso per gratiam nati sunt, secundum illud Jo. i, 12 : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus : qui non ex sanguinibus etc. Sed ex Deo nati sunt*, quoniam istam nativitatem non facit opus carnale, sed potius spirituale, et quanto cariorem habet homo animam, quam carnem, tanto cariorem habet prolem spiritualem, quam carnalem : hoc est illos, qui secundum spiritum vivunt, plus quam illos, qui carnis opera faciunt, de quibus duobus dicitur Jo. iii, 6 : *Omne, quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est*; quasi dicat : sicut Deus spiritus est, ita filii ejus spirituales sunt, et sui patris imitatores sunt.

Ut autem breviter transeamus ultra nativitatem, quae ex Deo est, duo specialiter attendamus, videlicet quibus, et quare Dei filii fieri debeamus.

Quantum ad primum, nota quod sunt tria hujus generalis nativitatis causae : aequitas, veritas et caritas.

Cum enim Deus pater justus sit, et omnem diligat aequitatem, secundum illud Psal. x, 8 : *Justus Dominus et justitiam dilexit, aequitatem vidit vultus ejus*; non vult habere filios, nisi justos. Sed justitiam et aequitatem proximis facientes, et amat, et in filios adoptat. Jo. iii, 10 : *Omnis, qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem* *, quasi dicat : ex ipso quod justus non est, non recognoscit Dominus ipsum tamquam filium, sed tamquam adulterinum. Et propter hoc, si justus esset, proximos suos, tamquam ex eodem corpore natos, diligeret. Dicit enim justitia naturalis, quod frater diligatur a fratre. Pro certo multum superbus esset, qui in filium a Rege, vel ab Imperatore adoptari nollet; sed si injusti simus, idest si non facimus aliis quod nobis volumus fieri, et e contrario, adoptamur in filios Dei. Et propter hoc dicitur I Jo. ii, 29 : *Si scitis quoniam Deus est justus, scitote quoniam omnis, qui facit justitiam, ex ipso natus est.*

Item ex Deo nasci procurat veritas. Cum enim filius Dei sit Dominus veritatis, sicut in Ps. xxx, 6 dicitur, et I Esdrae vii : *Benedictus Dominus veritatis*, et Jo. xiv, 6 : *Ego sum via, veritas et vita*, non vult habere filios mendaces, tamquam degeneres, sed omnino veraces. Unde tales non dicit esse filios Dei, sed filios diaboli Jo. viii, 44 : *Vos ex patre diabolo estis*. Et sequitur : *quia veritas in eo non est; est enim mendax et pater ejus*, idest mendacis sive mendacii. Et in veritate signum magnum est, quod homo sit filius mendacis, hoc est diaboli, quoniam non vult audire veritatem, tamquam imitatorem patris sui, qui est ex Deo : *Propterea vos non auditis, etc.* Et e converso, quoniam diligit et audit veritatem, ostendit se veritatis imitatorem I Jo. iv, 6 : *Nos ex Deo nati sumus, et qui novit Deum, audit nos*. Super omnes autem veritates, illa, quae facit filium Dei, maxime est veritas fidei. Unde si non essemus fideles, nisi quia fides facit esse filium Dei, firmiter credere deberemus in eum. *Omnis enim qui confitetur Christum in carne venisse, ex Deo natus est*, sicut dicitur in Jo. iv, 2. Benedicta sit fidei virtus, quamvis abjiciat, quamvis egenum faciat fratrem Christi, quoniam filium facit ipsius Dei I Jo. v, 1 : *Omnis qui credit quoniam Christus est Jesus, ex Deo natus est.*

Item cum spiritus sanctus sit caritas, de ipso enim per appropriationem dicitur I Jo. iv, 16 : *Deus caritas est, et qui manet in ea, in Deo manet, etc.*, non vult habere filios nisi caritativos et mansuetos, et illos, qui caritatem habent, reputat fratres suos I Jo. iv, 7 : *Qui diligit*

fratrem suum, ex Deo natus est, secundum illud gallicum : qui me diligit, et canem meum diligit. Et etiam communiter loquendo non videtur diligere patrem, qui non diligit proximum, tamquam Dei filium. Et hoc est quod dicitur I Jo. v, 1 : *Qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui ex eo natus est.* Contra naturam universorum animantium est, quod unum odiat alterum ejusdem generis : unde leo eligit leonem, et canis, canem, et sic de aliis. Cum igitur nos omnes ex uno patre simus, et unam Dei similitudinem in nobis præsentemus, nos ad invicem diligere debemus : quod si facimus, ex Deo videmur nati, secundum illud I Jo. iv, 7 : *Carissimi, diligamus invicem : quia caritas ev Deo est, et qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est, et cognoscit Deum.*

Sic igitur patet nobilitas appetenda, scilicet adoptio divina, quam sequitur probitas ; videlicet victoria mundana. Fortis est homo, qui fortem et famosum superat adversarium. Et certe mundus magnus est adversarius, et magnam habet secum familiam, divitias, delitias et honores, et omnes talibus adhærentes. Et propter hoc ipsum vincere magna probitas est. Unde beatus Joannes Christi discipulus, et a mundo totaliter alienatus, pro se et suis consimilibus dicebat I Jo. v, 19 : *Scimus quia ex Deo nati sumus ; et totus mundus iu maligno positus est,* hoc est malo igne concupiscentiæ situs, quasi dicat : quia quæ mundi sunt dimissimus, nos pauperes Christi filios esse demonstravimus. Sed totus mundus in maligno positus est, quia, quæ dimissimus, vicimus. Ipsum enim fugere, vel non diligere, vincere est, quemadmodum nos videmus quod Parthi fugiendo vincunt, et instando frequenter superantur. Et ideo dicebat Joannes de quibusdam I Jo. ii, 13 : *Vos ex Deo estis, et vicistis malignum,* hoc est mundum, ut dictum est in malo igne, vel in maligno positum. Sed nota, quod non est solus iste divinæ filiationis fructus : imo tria commoda sortiuntur. Tales enim liberat ab omni malo. Liberat enim eos primo a malo culpæ. Non enim vult, quod filii sui sint imitatores filiorum diaboli, qui nesciunt facere nisi malum, tamquam imitantes patrem suum, de quibus dicitur I Jo. iii, 8 : *Qui facit peccatum, ex diabolo est;* imo vult quod imitentur eum, de quo dicitur I Petri ii, 22 : *Qui peccatum non facit, nec inventus est dolus in ore ejus.* I Jo. iii, 9 : *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam ex Deo natus est, et in hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.*

Item liberat ipsos a malo pœnæ. Diabolus enim in tales potestatem non habet, nec vivos nec mortuos. Bonus enim pater non libenter permittit vexari filios suos. Et propter hoc dicitur I Jo. v, 18 : *Scimus quod omnis, qui natus est ex Deo, non peccat : sed generatio conservat eum, et malignus non tangit eum,* sicut nec vilis ribaldus filium ante patrem suum. Et hoc est quod dicitur I Jo. iv, 4 : *Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eum, quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo.*

Item liberat ipsos a male tentationis, quæcumque sit, vel hostis invisibilis vel visibilis. Servus enim non audet impugnare filium ante conspectum patris, et etiam filius, præsente patre, fortius et audacius impugnat hostem. Et certe satis ignominiosum est generoso, quando non potest resistere vilissimo servo, videlicet diabolo. Sed tamen victoriosum est, quando superat hostem crudelem et malignum : et propter hoc commendantur quidam I Jo. ii, 13 : *Scribo vobis filioli*, quia fortes estis et vicistis malignum.* * *ad te... v... vi...*

Nec solum liberat snos ab hostibus invisibilibus, a mundo scilicet et ab omnibus desiderabilibus ipsius. Non enim vult fideles suos ab istis visibilibus et phantasticis bonis decipi, sed vult quod in ipso solo totam habeant fiduciam, tamquam in bonorum omnium largitore. Sola enim fiducia parat victoriam contra omnem tentationem mundanæ prosperitatis, secundum illud I Joan. ultimo, 4 : *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra,* certa scilicet et firma, et hoc est quod dicitur hic : *Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Rogemus etc.

XXVIII

ITEM DOMINICA IN OCTAVA PASCHÆ. (a)

Pax vobis. Joan. penultimo, 19 et 26.

Dominus Jesus, ad discipulos veniens pro salute pacem prætendit, quoniam nulla salus ubi pax non est, et cum ipse Deus pacis sit, pacificam vult habere hospitem, hoc est, pacatam conscientiam. Cum talibus enim libentissime commoratur, eo quod in pace factus est locus ejus, et propter hoc, dicit Apostolus II Cor. ultimo, 11 : *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.*

Quantum autem diligat pacem, ostendit nascendo, conversando, moriendo, resurgendo : hoc est, ingrediens, egrediens, et regrediens. Hoc igitur ostendit nascendo, quia statim angeli cecinerunt : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* In quo patet pacis nobilitas, quam angeli promiserant, et quasi serenissimam cantilenam nascentis Jesu decantant. Sciebant enim, quod talem cantilenam libentissime audiebat, qui semetipsum Deum pacis appellat Isai. IX, 6 : *Vocabitur nomen ejus Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Quoniam autem princeps pacis est, non vult habere nisi pacificam familiam. Vulgariter enim dicitur : tali Domino talis familia. Propter hoc non vult, quod aliquis, quantumcumque magnus, coram illo se videat, nisi pacem et concordiam diligat. Ideo dicitur Heb. XII, 14 : *Pacem et sanctimoniam sequimini, sine qua nemo videbit Deum.*

Item quantum diligat pacem, ostendit prædicando. Eph. II, 17 : *Veniens in mundum prædicavit* pacem iis qui longe, et pacem iis qui prope.* Pacem quoque discipulis inter omnes virtutes recordavit. Unde salutatio Apostolorum erat : *Pax huic domui.* In signum quod erant discipuli ejus, qui pro pace facienda venerat incarnari : unde præcepit eis Luc. X, 5 : *In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : pax huic domui : et si fuerit ibi filius pacis, requiescet super eum* pax vestra : sin autem ad vos revertetur, etc.* Solent autem in testamentis patres filiis cariora relinquere, quapropter cum Dominus discipulis pacem reliquerit, videtur quod ipsam præ ceteris virtutibus habuerit cariorem. Ait enim Jo. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

Item quantum pacem dilexerit, ostendit moriendo ; quoniam ut pacem faceret ad inimicos, ab inimicis voluit crucifigi, sicut dicitur Coloss. I, 19 : *In ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliare omnia, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt.* Ecce quantum pacem caram habuit, pro qua crucifigi, ut dictum est, sustinuit. Solent mundani pro rebus carioribus in duello pugnare. Cum igitur Christus usque ad mortem pro pace pugnaverit, videtur quod inter virtutes pretiosam pacem judicavit. Dicitur Ephes. II, 13 : *Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum*, in unum hominem novum faciens pacem, et reconcilians ambos, in uno corpore dominico per crucem interficiens inimicitias in semetipso.

Item quantum dilexerit pacem, ostendit resurgendo ; propter quod post resurrectionem, quando primo discipulis apparuit, inter omnes virtutes primo de pace fecit mentionem Jo. ultimo : *Pax vobis : ego sum nolite timere :* et hoc est quod dicitur hic : *Pax vobis.* Sed ne forte nomen pacis nos decipiat simpliciter intellectum, sciendum quod est pax detestabilis, et pax appetibilis : hoc est pax mala, pax vera, pax mera. Prima malorum, secunda bonorum, tertia beatorum.

Est igitur pax detestabilis, quoniam peccatorum, de qua dicitur in Ps. LXXII, 3 : *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Zelavi non zelo misericordiæ, sed zelo justitiæ, quasi dicat : vellem

(a) Ex manuscripto D. Lovell.

quod puniret Deus istos peccatores, pacem cum vitiis et concupiscentiis habentes. Istam pacem non vult Dominus observari, sed penitus amoveri Matth. x, 34 : *Nolite putare* * *quod veni pacem mittere in terra : non enim veni pacem mittere, sed gladium.* Carnale siquidem desiderium abscindendum est, et projiciendum ab homine, sicut membrum putridum a corpore. Fugienda est item societas malorum, et abjicienda. Sicut ovis morbida a grege projicitur, ne corrumpat alias, vel sicut leprosus evitatur, ne sani per eum corrumpantur. Pax enim ipsorum guerra est, licet pax esse videatur insipientibus, secundum illud Ezech. xiii, 10 : *Deceperunt populum meum*, carnales scilicet, et alii peccatores. Sequitur : *Dicentes : pax, pax, et non erat* * *pax :*

uia pa- n vene- im in erram

* est

Pax autem peccatorum triplex est; jucunditatis assumptæ, securitatis præsumptæ, impunitatis promissæ.

Est igitur pax peccatorum jucunditatis temporalis prosperitatem sibimet assumentium, et per amorem inordinatum in temporales possessiones requiescentium. Et isti sunt, quos exterret memoria mortis, eo quod timent amittere prosperitatem vitæ præsentis, quorum tanto major est dolor, quanto major est ad possessiones amor. Cum enim aliquid, quod summe diligimus, perdimus, maxime dolere consuevimus, et si nullus esset amor, nullus esset dolor. Et hæc est ratio, quia maximus dolor sentitur in morte dilecti, scilicet quem habet anima ad corpus suum naturaliter. De pace et dolore talium Eccl. xli, 1 : *O mors, quam amara est memoria tua, homini* injusto *et habenti pacem in substantiis suis*, viro quieto, et cujus viæ directæ sunt in operibus suis : quasi dicat, valde amara est talibus mortis memoria. Et certe si tantum terret eos mortis memoria, multo magis mortis experientia. Et certe non tantum mortem timerent, nisi plus præsentia quam futura diligerent. Unde dicit *Glossa:* qui mundi prosperitatem et divitias diligit, amara est illius mors corporalis, quia futuræ vitæ gaudia parvipendit. Quamvis autem hujus mundi divites in tanto periculo vivant, quod bellum habent cum carne per blanditias seducente, cum hoste per insidias impugnante, cum mundo per prospera demulcente, cum conscientia graviter arguente, cum proximis quos opprimunt, cum Domino quem offendunt, tamen tot et tanta mala pacem reputant, quia nec periculum, in quo sunt, advertunt, nec Dei justitiam metuunt, et per amorem inordinatum istis inferioribus conglutinati sunt. Et hoc est quod dicitur Sap. xiv, 22 : *Non sufficit* * *errasse circa Dei scientiam, sed in magno viventes inscientiæ bello. Et tanta mala pacem appellant : et insaniæ etc.*, ut precedenti sermone.

* suff

Item est pax in talibus securitatis præsumptæ. Magna quidem et enormia peccata faciunt, et tamen sententiam judicis non advertunt. Et certe magna præsumptio est contra tantum Dominum pugnare vilem homiculum, morti mancipatum, nec judicium formidare. Dimittunt fures latrocinia, quando sciunt aliquem principem strictam justitiam de latrocinio facere vel exercere. Nos tamen non contra hominem, sed contra Deum pugnamus, et stultum est judicium non timere subditum. Ideo dicitur I Thess. v, 2 : *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint : pax et securitas; tunc super eos repentinus veniet* * *interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.* Nota quod in hac auctoritate quædam sunt ponderanda secundum *Glossam*, videlicet manifestatio criminis cum dicitur : *dies;* potentia judicis, ibi : *Domini;* incertitudo temporis, ibi : *fur;* impræparatio sui, ibi : *cum enim dixerint pax, etc.*; subitatio damni, ibi : *repentinus, etc.*, gravitas mali, ibi : *sicut dolor parturientis;* impossibilitas evitandi, ibi : *et non effugiet*, quasi dicat : in morte manifestabuntur peccata tua omnia, et coram judice summo, quando nescis, et dum non speras, imprætoribiliter, inconsolabiliter, et irremediabiliter. Unde Gregorius exponens verbum illud Luc. xix, 42 : *Et quidem in hac die, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis,* sic dicit : anima perversa præsentibus rebus dedita, terrenis delectationibus occupata, abscondit sibi mala sequentia vel futura, providere si-

* supe ni

quidem corpus, quidquid præsentem lætitiam impedit. Cumque in præsenti delectatione se deserit, quid aliud facit, nisi quod ad ignem [illegible] cadit? ut de ipsa dici possit : *et nunc, in hac die, quæ ad pacem tibi, abscondita sunt ab oculis tuis.*

Item est in filiis pax impunitatis promissæ. Furbarii quidem et malefici latitant in silvis et latebris, intendunt furtis et maleficiis, et in iis omnibus securi sunt, quia judicem non advertunt. Judex autem, vel dominus terræ subito, dum non sperant, advenit, et omnes vel captos incarcerat vel suspendit. Forte dignum est quod Dominus peccatores turbanivit, secundum illud Isai. XLVIII, 22 : *Non est pax impiis, dicit Dominus*; quasi dicat : diffido vos, et tamen non timent, sed malitias exercent, unde dum non sperant moriuntur et damnantur. Similes lupo, qui tantum vadit ad caulam, quod cadit in foveam, vel muribus qui tantum sequuntur carnem vel invicem, quod includuntur in muscipula. Et propter hoc præmonuit eos Dominus Deut. XXIX, 19 : *Ne dicat in corde suo, pax erit mihi, et ambulabo in pravitate cordis mei : et absumat ebria sitientem. Et Dominus non ignoscet ei, sed tunc quam maxime furor ejus fumet, et zelus contra hominem illum, et sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine : et deleat nomen ejus sub cœlo, et consumat eum in perditionem*, post judicium scilicet, quasi dicat : punietur vivus, maledicetur moriens, condemnabitur mortuus.

Item est pax commendabilis, etiam bonorum, de qua dicitur Rom. XII, 18 : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes : non vosmetipsos defendentes, carissimi, sed date locum iræ : est enim** : *mihi vindicta etc.*

Unde nota, quod triplex est pax : Interna, fraterna, superna. Superna, hæc est ad Deum qui supra nos est : interna intra nos est : fraterna juxta nos est. Est igitur pax interior, quæ tranquillum et pacatum reddit hominem interiorem, ut in corde non sit inordinatus amor, nec in intellectu perplexitatis error. Philip. IV, 7 : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras.* I Cor. XII : Quia nobilissimum membrum de facili læditur, et intellectus perturbatione cordis offuscatur. Sine veritate non potest esse parata domus conscientiæ, nisi pacificentur bestiales motus carnalis concupiscentiæ. Nullus enim in pace quiesceret, si spicas et urticas intus ad carnem haberet. Et ideo dicitur Job. V, 23 : *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi, et tunc scies quod pacem habebit* tabernaculum tuum*, quasi dicat : macera carnem tuam expellens de terra hac, hoc est de carne terrena, carnales concupiscentias, tamquam malas herbas et malas bestias, et erit pax in conscientiæ domo, remotis et ejectis malis bestiis, et malis herbis de horto tuo. Pax enim non potest esse in terra, nisi tollantur de terra malefactores. Neque potest esse pax in animo, nisi procul pellatur adversatrix concupiscentia ; in cujus rei signum dicitur de Asa, qui interpretatur tollens II Paralip. XIV, 6 : *Erat Asa quietus, quia nulla temporibus ejus bella surrexerunt*, pacem Domino largiente.

* habeat

Item est pax fraterna, ad quam invitat nos Apostolus Eph. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis : unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ ;* quasi dicat : ex quo vos estis unum corpus, inter vos, tamquam inter corporis membra, non debet esse pugna. Et cum vos debeatis esse unum corpus et una anima, vos non debetis scindere corda vestra. Cordis enim scissio mors est. Et cum vos, tamquam peregrini vel socii, simul tendatis ad unum hospitium, ut sitis de illius domini familia, dum estis in via non debet inter vos esse discordia. Ridiculosum esset, si manus cum pede pugnaret, vel pes cum capite. Tales enim dicerentur insanire. Caput sunt prælati, pedes subditi, manus mediocres alii, qui omnes pacifice debent vivere, non ad invicem pugnare, tamquam in eodem corpore Coloss. XXXI, 5 : *Pax Dei exultet in cordibus vestris*, sicut vocati estis in uno corpore.* Satis etiam esset inordinatum, si extra patriam suam peregrinus impugnaret peregrinum, civis, civem suum.

* in qua vocati

Ideo nobis tamquam civibus dicitur et peregrinis Jerem. xxix, 7 : *Quærite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci : et orate pro ea, quoniam in pace* * *ipsius erit pax vestra.* Supple : dum tamen illa pax sit vera, non simulata, sicut de quibusdam, contra quos dicitur Jer. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.* Lingua ista, lingua terrena est, lingua detractoria, de qua dicitur Eccles. xxviii, 16 : *Lingua tertia multos commovit, et dispersit eos de gente in gentem*, et addit : *Sussurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes*, quasi dicat : sive occulte, sive manifeste, sive simulatorie detrahit, maledictus sit a Deo, qui multos turbavit. Et certe frequenter hujus detractionis causa principalis est invidia, ut patuit in Joseph, de quo dicitur Gen. xxxvii, 4 : *Videntes fratres Joseph, quod a patre plus ceteris* * *amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.*

* *illius vobis*

* *cunctis filiis*

Item est pax superna, quantum ad ipsum, qui est supra nos. In ipso creatore solo, non in alio pacem possumus invenire, secundum quod ipse dicit Jo. xvi, 33 : *In mundo pressuram habebitis*, et in me pacem. Et certe jucundissimum est habere pacificum socium in via, unde ipsemet dicit Malach. ii, 6 : *In pace et æquitate ambulavit mecum.* Et breviter loquendo, si non habemus pacem ad Deum, stultissimi sumus, quoniam in momento potest perdere nos, et confringere sicut figulus vas suum. Et ideo Job ix, 4 : *Sapiens corde est, et fortis robore : quis restitit ei, et pacem habuit? Qui transtulit montes, et nescierunt hi, quos subvertit in furore suo.* Vocat enim magnos montes angelos malos, sive parentes primos, et omnes alios adversarios suos, quos, dum non advertunt, transfert de loco ad locum : hoc est de mundo ad infernum, et subvertit tamquam furiosus de summo mundanæ prosperitatis in profundum æternæ damnationis. Et propter hoc consulitur nobis Job xxii, 21 : *Acquiesce ei, et habeto pacem cum illo, et per hæc habebis fructus optimos.*

Item est pax desiderabilis beatorum, quoniam spiritus rationalis in Domino totaliter requiescit. Cum enim in anima sit triplex principium naturale, scilicet cognitivum, amativum et operativum, hoc est per quod possumus cognoscere, diligere et operari, sicut intellectus, affectus, et effectus. Tunc intellectus requiescet in veritatis contemplatione, nullum aliud tamen exterius judicans ad perfectam et jucundissimam divinæ pulchritudinis apprehensionem. Baruch. iii, 14 : *Disce ubi sit prudentia* indeceptibilis, *ubi sit virtus* infatigabilis, *ubi sit intellectus* inobscurabilis ; *ut scias simul ubi sit lumen oculorum, et pax.* Hæc est perfecta cognitio tuum pacificans intellectum, nihil ulterius quærens quam Deum, et tunc perfecte complebitur illud Lucæ ii, 29 : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace ; quia viderunt oculi etc., lumen ad revelationem etc.*

Item requiescet affectus et appetitus noster in amantissimæ suavitatis participatione. Tunc enim tanta respergetur anima suavitate, quod absorbetur a delectatione, sicut apis a melle, nihil intra se sentiens præter Deum, complens et perficiens ejus desiderium Isai. lxvi, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis*, hoc est, delectabitur tamquam lac a mammilla suscipere. Unde compatiens peccatori, Dominus dicit Isai. xlviii, 18 : *Utinam attendisses mandata mea : tunc enim facta fuisset quasi fluvius* * *pax tua, et justitia tua quasi gurges maris,* quasi dicat : tunc haberes de bono, et fuisset quasi arena semen tuum.

* *flu*

Item requiescet noster affectus in tranquillissimæ serenitatis continuatione. Unde tunc dicetur sedere vel obdormire Isai. xxxii, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta etc.* Et in Ps. iv, 9 : *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Et tunc complebitur illud Cantic. viii, 10 : *Ego murus et ubera mea turris, ex quo facta sum coram eo pacem inveniens* *. Rogemus. etc.

* *rep*

XXIX

ITEM IN PENTECOSTE (a).

LXI. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Joan. xiv, 26. Salvator noster Jesus Christus tamquam bonus magister discipulos suos dum præsens esset multa docuerat ad salutem necessaria. Nunc autem ut plenius et perfectius informarentur promittit eis alium magistrum, videlicet Spiritum Sanctum, quod hodierna die quidem completum est, quia sicut dicitur Act. ii, 1 : *Cum complerentur dies Pentecostes, etc. factus est repente etc., repleti sunt omnes etc., et cœperunt loqui, etc.* In quo patuit etiam in dante largitas et in dono pretiositas, et in facto fructuositas, ut dictum est supra.

Spiritualiter autem loquendo demonstratur in verbis istis quod Spiritus Sanctus in animam veniens tamquam bonus et peritus medicus contrariis contraria sanat.

Cum enim quadruplex Spiritus malus infestet animam, scilicet Spiritus angustiæ, spiritus immunditiæ, spiritus ignaviæ, spiritus malitiæ, mittetur Spiritus Sanctus quadrupliciter. Cum enim Spiritus angustiæ exasperet in adversis mittitur Spiritus Sanctus ut consolator. Cum Spiritus immunditiæ coinquinet in prosperis, venit ut sanctificator. Cum enim Spiritus ignaviæ reddat difficilem ad bonum, datur ut corroborator. Et (cum) Spiritus malitiæ reddat pronum ad malum, datur ut informator, ut ex verbis præsentibus ostenditur.

Infestat igitur homines Spiritus in angustia positos ita quod vix, aut modicum, requiescere sinit, ut patet illis quos urget adversitas tamquam gladius in corde confixus, ita quod vix consolationem recipiunt. Sicut febricitans de vita desperatus, quod ostenditur Exodi vi, 9 : *Non acquieverunt filii Israel Moysi consolanti,* scilicet eos, et erudienti. Sequitur : *propter angustiam Spiritus et opus durissimum* quo oppressi erant. Summum autem remedium est quod tales clament ad Dominum, sicut infirmus ad medicum, aut vulneratus ad chirurgicum, ut de vulnere tollat gladium, et apponat consolationis remedium et medicamentum, secundum illud Baruch iii, 1 : *Domine anima in angustiis posita, et Spiritus anxius clamat ad te, etc.* Venit Spiritus ad consolandum et mitigandum, et hoc est quod dicitur hic : *Paraclitus Spiritus Sanctus, etc.* Paraclitus enim interpretatur consolator. Joan. xiv, 16 promittitur talibus : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis ut maneat vobiscum.* Certe dici dolere non posset qui talem consolatorem recipit in hospitium suum. Et bene dicit : *alium Paraclitum.* In mundo enim nulla vera vel integra consolatio, quin imo multos habet oppressores et paucos consolatores. Est enim mundus sicut mare in quo major piscis minorem devorat et ab alio devoratur. Eccles. iv, 1 : *Vidi lacrymas innocentium et neminem consolatorem.*

Item coinquinat hominem spiritus immundus, videlicet diabolus. Est enim sicut porcus qui non vult habere lectum nisi sordidum. Non enim libenter est nisi in locis ab humore carnalis concupiscentiæ defæcatis. Est enim talis cum delicatis iste immundus spiritus : nec libenter habitat cum abstinentibus et famelicis, ut dicitur Luc. xi, 24 : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida et inaquosa, quærens requiem et non inveniens; tunc dicit : revertar in domum, etc.* Immunda quidem conscientia dormitorium diaboli est. Et propter hoc innuitur Spiritus Sanctus in animam tamquam purgator et sanctificator. Et hoc innuitur cum dicitur : *Sanctus.* Sanctus enim idem est quod mundus. Non enim vult habere thalamum nisi purum et mundum. Unde descendit in Virginem, cujus tabernaculum sanctificavit Altissimus. Luc. i, 35 : *Spiritus Sanctus superveniet in te, etc.* Sancto enim et mundo non decet habere nisi mundam domum. Unde cum peccas-

(a) Ex [illegible] D. [illegible]

set David cum uxore Uriæ in oratione sua petiit a Domino : *Cor mundum crea in me, Deus, etc.* Et sequitur : *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me.* Sciebat enim quod a fictis et falso petentibus effugiebat Spiritus Sanctus, secundum illud, Sap. I, 5 : *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

Item gravat hominem Spiritus ignaviæ, de quo dicitur Ezech. XXI, 7 : *Tabescet omne cor, et infirmabitur Spiritus*, qui spiritus infirmitatis dicitur eo quod in tantum onerat peccatorem quod vix etiam ad cœlum respicere sinit. Diabolus enim in tantum inculcat homini peccatum super peccatum, quod mirum est quin præcipitatur quotidie in infernum. Imo diabolus ipse sedet super ipsum peccatorem sicut homo super jumentum suum. Unde peccator significatur per equum pallidum de quo Apocaly. VI, 8 : *Ecce equus pallidus; et qui sedebat super illum nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.* Quid mirum si natura nostra debilis et infirma sursum respicere non potest quæ continua supra dorsum suum portat et peccatum et diabolum? Et hæc infirmitas significatur in illa muliere de qua dicitur Luc. XIII, 11 : *Ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis * jam multis annis, et inclinata erat, nec omnino poterat sursum respicere*, propter depressum et incurvatum intellectum. Et propter hoc mittitur Spiritus tamquam corroborator.

nis
n et
lo

Verbo Domini cœli firmati sunt, idest cœlestes viri, *et Spiritu oris ejus virtus eorum,* sicut dicitur Ps. L, XXXII, 6 : Et propter hoc sequitur in verbo proposito : *quem ego mitto vobis a Patre.* Patri siquidem attribuitur in divinis virtus, id est potentia de cujus missione dicitur Galat. IV, 6 : *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem Abba, Pater,* hoc est in quo recognoscimus ipsum Patrem filios suos viriliter roborantem, quem petit Apostolus. Ephes. III, 16 : *Det vobis Deus secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus.* Spiritus enim Sanctus veniens in animam audaciam parat, et ad resistendum contra tentationes hostis corroborat, secundum illud Ezech. III, 24 : *Ingressus est in me Spiritus Domini, et statuit me super * pedem meum* quem scilicet, diabolus ante prostraverat, et sub pedibus suis conculcaverat. Et tunc peccator cum Psalmista clamat Ps. LIV, 9 : *Expectabam eum qui salvum fecit a pusillanimitate spiritus et tempestate.* (Hoc habes expositum alibi). Et hunc spiritum habuit Samson, de quo dicitur. Judic. XIII, 6 : *Irruit Spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem.* Item impugnat et infestat hominem spiritus nequitiæ, quia nec in alio diligit bonum, nec in se, quod proprie dicitur invidiæ de quo dicitur Jacob. IV, 5 : *Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in nobis?* Et hunc spiritum habuit Saul qui David elegantem et strenuum juvenem nec etiam videre poterat, de quo dicitur I[a] Reg. XVI, 14 : *Spiritus Domini bonus recessit a Saul, et exagitabat eum Spiritus nequam, a Domino,* et iste spiritus multos hodie decipit. Invidus enim de nemine potest bonum dicere. Ipsum enim docet diabolus adinvenire falsa, tamquam illos qui sunt de schola sua, de quibus dicitur hic I[a] Tim. IV, 1 : *Manifeste dicit Spiritus, quod in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, etc.* Lingua scilicet talium flabellum est diabolicum secundum illud tertio Reg. ultimo 22 : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum* et decipiam Achab, qui interpretatur frater patris, hoc est dæmon, quem imitatur quoniam ipse mendax est et pater ejus. Tales enim sunt detractores et invidi qui sunt de parte diaboli tamquam ejus advocati, contra quos dicitur I[a] Joan. IV, 5 : *Ipsi de mundo sunt ideo de mundo loquuntur, et mundus audit eos. Nos ex Deo sumus, et qui novit Deum, audit nos, et in hoc cognoscimus spiritum erroris et spiritum veritatis* quasi dicat : illi qui de mundo sunt tamquam sibi consimiles, detractores et invidos audiunt. Et in hoc clarum est qui sunt illi qui habent spiritum veritatis et spiritum falsitatis. Et propter hoc Spiritus Sanctus in animam veniens ipsam tamquam discipulam erudit et informat et quid cogitandum et quid dicendum,

* pedes meos

quid faciendum, quid fugiendum, tamquam magister veritatis demonstrat. Unde talis anima quae secum Dominum habet, non aliquid mali judicat nec diffinit, nec praedit. Et propter hoc sequitur: *Paraclitus autem Spiritus etc.* Sequitur: *Ille vos docebit omnia.* Et hoc est quod dicitur Joan. xvi, 13: *Cum venerit Paraclitus Spiritus veritatis ille, vos docebit omnem veritatem.* Regnum etc.

XXX

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS

[illegible]

Sermo S. Thomae Aquinatis (1)

LIX. *Cum (autem) venerit Paraclitus quem ego mittam vobis Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Jo. xv, 26. Sicut gallice dicitur secure loquitur qui per testimonium loquitur, et hoc Dominus Jesus nolens aliquem post Ascensionem suam de ipso dubitare, duplex testimonium se dicit habiturum esse, divinum scilicet et humanum. Dicitur enim Deuter. xix, 15: *In ore duorum vel trium testium * stat omne verbum.* Habuit ergo testimonium divinum et hoc irrefragabile, videlicet Spiritum Sanctum quo nullus major, nullus fidelior. Et hoc est quod dicitur hic: *Cum venerit Paraclitus ille arguet mundum de peccato, de justitia et de judicio,* quasi dicat: clarum est quod hic testis malus non est. Si enim malus diligeret, nequaquam malos argueret nec pro judicio staret, sed potius derideret, juxta illud Prov. xix, 28: *Testis nequam deridet judicium.*

Item commendatur ejus auctoritas vel dignitas cum dicitur: *Quem ego mittam a Patre,* qui scilicet super omnem naturam est, Quia et principium omnium creaturarum est, et omnia quaecumque facit per testem istum, scilicet per Spiritum Sanctum operatur. Judith. xvi, 17: *Misisti Spiritum tuum Domine et creata sunt, et * non est qui tuae possit resistere voluntati.* Hic est qui dum in cordibus Sanctorum infunditur, per ipsum Deo Patre illuminantur, Galat. iv: *Misit Deus Spiritum filii sui in corda filiorum suorum in quo clamamus Abba Pater.* Nec mirum si testatur Spiritus Sanctus missus a Patre quoniam ipse est Pater testimonium perhibentis pro se. Joan. viii, 18: *Testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.*

Item commendatur ejus veritas cum dicitur: *Spiritum veritatis,* hoc est amans et docens omnem veritatem. Joan. xvi, 13: *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis a Patre, ille vos docebit omnem veritatem.* Et certe non est mirum si Spiritus veritatis Christo testimonium perhibeat, cum ipse Christus sit veritas Joan. Joan. xiv, 6: *Ego sum via, veritas et vita.* Homini vero de se ipso testimonium perhibenti facile est perhibere testimonium. De Christo autem dicitur Joan. viii, 14: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est.* Est igitur Spiritus Sanctus testis bonus, testis bonus, testis dignus, testis verus, unus de illis tribus testibus de quibus dicitur I Joan. v, 7: *Tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus,* et ipse est de quo dicitur hic: *Cum venerit Paraclitus etc. ille testimonium etc.* Tales testes non habet mundus qualis est Spiritus Sanctus. Dicitur enim. Joan. xiv, 16: *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum Spiritum veritatis, quem mundus non potest * recipere.* Sed in mundo multi sunt testes mendaces et fallaces qui non perhibent testimonium veritatis, sed potius impugnant veritatem. Proverb. xxvi, 28: *Lingua Testis fallax non amat veritatem,* contra quos tamquam sibi contrarios Dominus in judicio decrassabit. Cum enim sit veritas ipsos tamquam veritatis inimicos odit et persequitur. Unde cum dixisset Salomon in Proverb. vi, 16: *Sex sunt quae odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus; oculos sublimes, linguam mendacem,* sequitur: *testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias.* Et si odit eos constat quod

(1) [illegible]

non evadent corrigis inunctis, sicut gallice dicitur, quia dicitur Proverb. xix,5 : *Testis falsus non erit impunitus, et qui loquitur mendacium non effugiet etc. Testis falsus non erit impunitus; et qui loquitur mendacium peribit*, in illo.

Habuit ergo Christus testimonium non solum divinum sed etiam humanum sanctissimorum et excellentissimorum virorum utpote discipulorum et apostolorum suorum. Joan. xvi, 27 : *Et vos testimonium perhibetis, quia ab initio mecum estis.* Unde dicitur ille scientissimus, I Joan. i, 1 : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ hoc testamur et annuntiamus vobis.* Sed heu hodie quoniam peccator habet testimonium non pro se sed contra se, divinum pariter et humanum et insensibilium creaturarum! Testimonium igitur contra hominem perhibent creator et creatura, duplex scilicet rationalis et irrationalis, sive animata et animata.

Generaliter vero loquendo habet homo testimonium adversarium sibi quadrupliciter, super se, intra se, et infra se. Est igitur testis hominis supra se, Deus quem nihil omnino latet quoniam etiam affectiones et quantumlibet minimas cogitationes intuetur et singillatim perscrutatur omnia ponderans et omnia numerans. Sap. i, 6 : *Non liberabit maledictum a labiis suis : quoniam rerum illorum testis est Deus, et* cogitationum ipsius scrutator est verus*, quasi dicat : modo non reputant grave peccatum si male loquantur et si male cogitent, et si male delectentur, sed non evadent ita de facile sicut credunt, quia non evolat ita minimum mendacium de ore quod non ponderetur in statera divinæ justitiæ. Zier. xxix, 23 : *Locuti sunt * mendaciter, et ego non mandavi eis, ego judex et testis dicit Dominus* omnipotens. Si tantum ponderantur verba, quanto magis ponderantur enormia facta. Apocalyp. iii, 14 : Dicit Dominus *testis fidelis et* verax. Scio opera tua.* Certe non est fur ita effrons si sciret quod testis suus verax et fidelis deberet ipsum pro voluntate sua judicare. Itaque in eadem causa contra communem consuetudinem judex et testis esset qui mirabiliter non timeret. Et certe moriens peccator accusabitur ab eo tamquam occultorum conscio et judicabitur ab ipso tamquam a judice suo. Malach. iii, 5 : *Accedam ad vos in judicio, et ero testis velox maleficis, adulteris, et pejuris, et illis qui calumniantur mercedem mercenarii, et viduas et pupillos opprimunt *, et non timuerunt me, dicit Dominus.*

** illius* — *…um in …ine …quod …n* — *…rus* — ** opprim… peregrin…*

Item habet homo testem paratum intra se, scilicet remorsum conscientiæ propriæ. Et certe sicut gallice dicitur : qui habet malum vicinum, habet (malum) matinum. In summo nulla pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus, unde summopere condemnabit hominem injustum conscientiæ testimonium. Quis enim excusaret malefactorem contra se ipsum testimonium proferentem. Rom. ii, 12 : *Quicumque in lege peccaverunt per legem judicabuntur.* Et sequitur : *testimonium illis reddente conscientia ipsorum, et intra se invicem * cogitationum accusantium vel etiam deferentium*, quoniam sicut mala conscientia condemnabit malos, ita bona defendet bonos. II Cor. i, 12 : *Hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ.*

** cogita… nibus ac… santibu… aut etia… defendei… bus*

Item habet homo testimonium circa se, quoniam ipsum accusabunt hæc temporalia quæ vel nimis amavit, vel indebite procuravit; et tunc videbit peccator quod mundus quem tantum cum suis passionibus diligit proditor ejus erit, quoniam non habet ita minimum obulum male acquisitum qui non dicat suo modo testimonium contra ipsum. Unde dicitur Jac. v, 1 : *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris quæ advenient vobis : argentum vestrum et aurum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et* devorabit carnes vestras tamquam ignis.* Imo quod erit dolor super dolorem, ipsi filii quibus dimiserunt temporalem substantiam insurgent contra parentes ipsos de injustis possessionibus accusantes. Sap. iv, 6 : *Ex iniquis somnis filii qui nascuntur, testes sunt adventus parentes nequitiæ in interrogatione sua.* Ipsum etiam tempus quod nunc usurarii

** mandu… bit sicu…*

veniant et quod illi peccatores insultet sicut ipsum adversum accusabit, quoniam non est minimum in tempore momentum quod non computetur bonis in meritum et malis in demeritum. Thren. i, 15: *Vocavit adversum me tempus, ut contereret meos.* Si tempus accusabit electos, quanto magis peccatores et reprobos qui suum in deliciis vivunt, et in senectute sua vix poenitere possunt? Certe tunc dicturi sunt illud Job. xvi, 8: *Oppressit me dolor meus, et in nihilum redacti sunt omnes artus mei, et rugae meae testimonium * perhibent contra me.*

Item habet homo testem paratum contra se, vel infra se, quemlibet infidelem. Quilibet infidelis et mendax contra peccatorem in testem recipietur; et hic est diabolus. Sed non audietur contra justum sive poenitentem. Ps. xxvi, 12: *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.* Cum enim diabolus mendax sit non potest esse nisi testis fraudulentus; ideo in curia veritatis contra justos non est audiendus, quia dicitur Proverb. xii, 17: *Qui mentitur testis fraudulentus.* Sed quia non observantibus est fides servanda, sicut jura clamant, contra mendaces testis mendax recipietur, et cum illo quem accusabit condemnabitur, secundum illud Prov. xxi, 28: *Testis mendax peribit.* Sic igitur habet homo testes paratos contra se qui nunc omnes tacent, sed in hora mortis contra peccatorem omnes prosilient, secundum illud Job. x, 17: *Instauras testes tuos contra me, et iram tuam multiplicas * contra me* et poenae *tuae*, idest *poenae militant in me* hoc est, tamquam milites pugnant contra me. Unde non video remedium aliud nisi quod judicem placemus et cum ipso pacificemus, de nobis metipsis justitiam facientes, et contra tentationum insultus nos metipsos ad certamen praeparantes ut contra nos non praevaleant isti supradicti testes. Hebr. xii, 1: *Habentes tantam * multiplicitatem testium, curramus ad propositum nobis certamen *, aspicientes in auctorem fidei, et * consummatorem Jesum.* Rogamus etc.

XXXI

IN DIE PENTECOSTES (a).

LX. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Act. ii, 4. Sicut dicitur gallice: *prometre san doner est a fol conforter*, idest promittere et non dare est stultum confortare. Et propter hoc Dominus noster Jesus Christus discipulos suos quibus in recessu suo Spiritum Sanctum promiserat nolens decipere sed vere quod promiserat adimplere, Spiritum Sanctum Paraclitum hodierna die misit, et sic quod promiserat adimplevit. Dixerat enim Joan. xiv, 16: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Ecce quod promisit eis solatium in desolatione. Paraclitus autem interpretatur consolator. Socium in tribulatione, magistrum in praedicatione, quod totum completum est in hodierna die. Dum enim essent discipuli congregati propter metum Judaeorum *factus est repente de caelo sonus tamquam advenientis Spiritus etc.*: Ecce quod venit in solatium timoris. *Seditque super singulos eorum.*: Ecce quod venit in socium laboris. *Et apparuerunt illis etc., et coeperunt loqui etc.*: Ecce quod venit in remedium erroris. Venit enim ne timore turbarentur, ne labore frangerentur, ne errore fallerentur; et tunc completum est verbum propositum: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto etc.* In quo tria specialiter attenduntur: libertas, pretiositas, et fructuositas. Tangitur in dante libertas, vel liberalitas quando dicit: *repleti sunt omnes*. In munere, pretiositas quando dicit. *Spiritu Sancto.* In recipiente fructuositas quando dicit: *et coeperunt loqui.*

Largitas enim et liberalitas Dei Patris tangitur quando dicitur. Et replevit omnes, majores scilicet et minores, discipulos. Probabile quidem est quod omnes repleverit cum tota domus in qua erant

(a) Ex [illegible]

repleta esset; sicut impossibile est quod homo sit in tota domo plena forti vino et non inebrietur ab ipso. Scriptum est enim Act. I, 2 : *Factus est repente etc. et replevit totam domum ubi erant sedentes.* Et hæc repletio (quæ) facta est, figurata est Exo. XXVIII, 3, ubi dicitur Moysi : *loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi spiritu prudentiæ.* Ecce quod cunctos replet, prudentes facit, et ad eorum doctrinam fideles suos transmittit. Licet autem tunc repleti dicantur, non est credendum quod antea non repleverit quos a principio mundi sibi discipulos et apostolos prælegit.

Unde notandum quod triplicem habuerunt plenitudinem sufficientiæ, abundantiæ, et redundantiæ. Primam ante vocationem, secundam post vocationem, tertiam in hodierna die.

Habuerunt igitur sufficientem plenitudinem antequam vocarentur, quia cum Dominus Jesus Christus sanctissimus, imo sanctus sanctorum esset, non est verisimile quod non bonos et justos in societatem vocasset. Unde dicere poterant pro illo statu illud Ps. LXXXIX, 14, 15 : *Repleti pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala*, ac si dicerent discipuli Salvatoris; antequam vocares nos eramus in abjectione quoniam piscatores, pauperes, et egeni, multis etiam miseriis expositi secundum illud Job. XIV, 1 : *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis,* sufficienti tamen bonitate pro diebus illis repleti. Cum enim divina bonitas omnem repleat creaturam rationalem juxta cujuslibet capacitatem et dispositionem secundum illud Sap. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, scilicet viventium et moventium. Constat quod ille magis replevit quod ad majus bonum promovere disposuit. Proverb. VIII, 20, dicit divina Sapientia. *In viis justitiæ ambulo, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.* Cum igitur isti beati discipuli fuerint amici, constat quod antequam vocarentur sufficienti bonitate sunt repleti.

Item habuerunt plenitudinem abundantiæ postquam vocati sunt. Tunc enim abundantius tamquam sociis et discipulis manum aperuit et abundantiori gratia replevit, unde dicere poterant illud Psal. LXXXIX, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua, exultavimus, et delectati sumus.* Mane vocat exordium legis gratiæ vel principium vocationis apostolicæ in qua recipiunt plenitudinem misericordiæ divinæ. Magna enim fuit misericordia piscatores simplices et idiotas in societatem vocare. Et propter hoc non fuit mirum si lætati sunt, et delectati cunctis diebus vitæ suæ. Magnum enim est gaudium et magnus honor quando pauper clericus vocatur a summo Pontifice, quanto magis a creatore? Hanc repletionem desiderabant per Spiritum Sancti Patres antiqui. Eccles. XXXVI, 15 : *Miserere civitati* sanctitatis tuæ Jerusalem. Reple Syon inenarrabilibus virtutibus tui et gloria tua populum tuum.* Magna gloria est alicui civitati quando de clericis quidam in episcopos et archiepiscopos sunt electi. Et propter hoc fuit magna gloria terræ promissionis, quando de piscatoribus suis electi sunt principes super omnem familiam, et etiam in socios creatoris, in quibus completum est illud Philip. I, 11 : *Repleti fructu justitiæ per Jesum Christum in laudem et gloriam Dei.*

* *sanctificationis*

Item habuerunt plenitudinem superabundantem hodierna die quoniam in tantum inebriati sunt vino spiritualis abundantiæ, quod illam plenitudinem continere non valentes incontinenti cœperunt aliis eructare; sicut nos videmus in dolio musto repleto quod præ fervore quodam de plenitudine rejicit, terram circum adjacentem madefacit. Unde de illis cantat Ecclesia : Musto madere reputant quos Spiritus repleverat, etc. Et hoc est quod dicitur Eccles. XXXIII, 17 : *Quasi qui vindemiat, replevi torcular.* Torcularia vocat Apostolorum corda divinæ sapientiæ tamquam vini receptacula. In tantum siquidem de plenitudine divinæ sapientiæ receperunt quod totum mundum sua doctrina repleverunt. Propter quod cantat Ecclesia illud Sap. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* hoc est discipulos et apostolos quos Dominus constituit principes super orbem terrarum. Sequitur : *et hoc quod continet*

nonnam coronam habet terra; hoc est discipulos et apostolos habere facit. Nihil aliud vult dicere, nisi quod in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Sicut enim imber de cœlo descendens totam terram plerumque infundit et fructificare facit, sic et apostolica doctrina totam Ecclesiam replevit et fructibus bonorum operum fecundavit. Unde de Petro et Paulo et alio quolibet apostolo dici potest illud Eccli. xxxix, 8: *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, et ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ*. Sic igitur habuerunt triplicem plenitudinem, sufficientiæ, abundantiæ, et redundantiæ per quas meruerunt indeficientem plenitudinem obtinere, videlicet plenitudinem abundantiæ cœlestis. Quoniam enim indeficienter seminaverunt in via, sine fine metent in patria, secundum illud Galat. vi, 9: *Bonum autem facientes non deficiamus*. Hæc sunt bona de quibus dicitur in Ps. lxiv, 5: *Replebimur in bonis domus tuæ*.

Ecce quæ refectio datur eis et aliis sanctis abundanter. Unde dicit: *Replebimur*, etc. Tunc enim habebit anima quidquid desiderabit. Prov. xiii, 25: *Justus comedit, et replet animam suam*.

Dabitur etiam delectabiliter. Unde dicit: *in bonis*. Nullum enim majus bonum quam habere ut dictum est, quidquid optabimus ad votum. Psal. cii, 5: *Qui replet in bonis desiderium tuum; renovabitur ut aquilæ juventus tua*.

Item nobiliter, cum dicit: *domus tuæ*. Nobilissimum siquidem erit in domo regis refici, gloriosæ mensæ socius effici. Hæc est domus de qua dicit Ezech. xliii, 5: *Introduxit me Deus in atrium interius; et repleta est gloria domus Domini*.

Item infatigabiliter. Unde sequitur: *Sanctum est templum tuum mirabile in æquitate*. Cum enim viderint sanctissimam sanctorum societatem mirabilem Dei præsentia se cunctis pro meritis distribuentem æqualiter et indeficienter contemplabuntur et indeficienter reficientur. Tunc enim complebitur illud Isai. lviii, 11: *Requiem dabit tibi Dominus Deus semper, et replebit splendoribus animam tuam*.

Sequitur: *Spiritu Sancto*, in quo tangitur secundum, scilicet pretiosus. Quid enim melius, quid jocundius, quid potentius quam Spiritus Sanctus. Sap. xii, 1: *O quam bonus et suavis Spiritus tuus Domine in omnibus*. Et vere nihil melius.

Illos enim quos replet facit strenuos in adversitate, quod patuit in apostolis. Cum enim hodierna die recepissent Spiritum licet ante essent pusillanimes et pavidi, constanter et sine timore motis prædicaverunt verba Dei. Unde Petrus qui ad vocem ancillæ magistrum negavit post receptionem Spiritus Sancti audacter dicere potuit illud Mich. iii, 8: *Repletus sum fortitudine Spiritus Domini, judicio et virtute ut annuntiem Jacob scelus suum, et Israel peccatum suum*. Et de Paulo et Barnaba dicitur Act. xiii, 50: *Excitaverunt persecutionem in Paulum et Barnabam, et ejecerunt eos de finibus suis at illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Discipuli autem replebantur gaudio et Spiritu Sancto*.

Item quos replet facit timidos in prosperitate; in cujus rei signum cum enumerasset Isaias dona Spiritus Sancti, quibus nihil jocundius aut utilius est in vita, ultimo posuit donum timoris. Noluit enim Dominus quod post tantum donorum spiritualium abundantiam haberent occasionem elationis. Et propter hoc ultimo posuit donum timoris. Unde de quolibet illorum dici potest illud Isai. xi, 2: *Requiescet super spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini*.

Item quos replet facit sapidos in perplexitate: tanta enim scientia repleti fuerunt quod nulla fallacia nullo errore seduci potuerunt vel perverti. Tunc enim impletum est illud Isai. xi, 9: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis*. Et hæc est quod proprie dicitur hic: *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui*, etc.

Hanc igitur habuerunt Apostoli plenitudinem, et discipuli Christi. Sed discipuli

mundi longe habent suam declarationem. Completum est enim hodie illud Isai LI, 5 : *Terra eorum repleta est delicto. Fugite igitur de medio Babylonis, et salvet unusquisque animam suam.* Loquitur Dominus sicut loquitur judex præmuniens bonos ut fugiant de societate latronum ne cum ipsis inducantur ad suspendium : Unde dicitur : *fugite.* Frequenter enim accidit quod innocens cum furore capitur et suspenditur. Febricitans enim sanum corrumpit, et porcus contagiosus totum gregem porcorum inficit. Et propter hoc bonum est vitare illorum societatem. Tales enim ejiciendi sunt de societate bonorum, sicut leprosus de societate sanorum, vel sicut arbor sterilis de horto ne impediat lignum fructiferum. Ezech. XXVIII, 16 : *Repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti et ejeci te.*

Nota quod quosdam replet spiritus vanitatis, quosdam fumus voluptatis, et quosdam humus cupiditatis.

Quosdam ergo non replet Spiritus Sanctus, sed spiritus vanitatis et superbiæ ventus. Unde tales similes sunt instrumento rusticano, videlicet charo quod gallice dicitur *chenirecte* quod propter venti repletionem magnum esse videtur, sed ex sufflato vento pellis morticina cognoscitur, quibus dicitur super illud Philipp. II, 7 : *Exinanivit semetipsum, velut pellis morticina.* Quid extenderis ; o sanies fœtida quid inflaris? caput est humile, et membrum superbum. Absit. Hæc est repletio de qua dicitur Ezech. XXVII, 25 : *Repleta es, et glorificata nimis in corde maris, et in aquis multis.* Aquæ quæ sunt in corde maris citius intumescunt, et ad alta cito ascendentes in abyssum in momento descendunt. Sic et isti superbi cito dejiciuntur. Ascendunt enim usque ad cœlum et descendunt usque ad abyssum. Unde tales significantur per illum pessimum Antiochum de quo dicitur II Mach. IX, 7 : *Superbia repletus Antiochus spirans ignem in Judæos præcepit accelerari negotium, sed contigit illum impetu euntem de curru cadere.* Tales enim sunt sicut arbor elevata quæ subito fulguris ictu confringitur et ad nihilum redigitur. Unde de isto eodem dicitur ibi : *supra modum humanum superbia repletus, qui sibi Paulo videbatur maris fluctibus imperare, et montium altitudines in statera ponderare, nunc* * *in terra humiliatus in* gestatorio * portabatur viliter, manifestam Dei virtutem in se contestans etc. Nota quod sequitur.

* *ad terr*

Item quosdam non replet Spiritus Sanctus, sed concupiscentiæ fumus. Quidam enim faciunt de templo Dei coquinam diaboli ; sicut sunt gulosi de quibus dicitur Isai. XXVIII, 7 : *Absorpti sunt a vino, erraverunt* * *præ ebrietate, omnes mensæ eorum repletæ sunt vomitu* *, *sordibusque.* Et quoniam venter et genitalia sunt vicina, imo gula luxuriæ est pedissequa, procurat diabolus quod de camera regis fiat postribulum. Vilissimus ribaldus intrat cubiculum ejus, sicut canis qui libenter intrat lectum bene paratum. Et in veritate tales faciunt maximum dedecus Deo, qui de sponsa Dei faciunt adulteram diaboli, et habitaculum divinum faciunt stabulum diabolicum. Et hæc est repletio de qua dicitur Ezech. IX, 9 : *Repleta est terra sanguinibus, et civitas repleta est aversione. Igitur meus non parcet oculus, neque miserebor.* Et hoc est quod aperte dicitur Jer. XXIII, 10 : *Repleta est terra adulteris propheta namque et sacerdos polluti sunt in domo mea.*

* *in*
* *sordibu*

Item quosdam replet non Spiritus Sanctus, sed cupiditatis humus, ut patet in istis mercatoribus et aliis avaris qui similes soricibus et formicis et aliis vermibus qui congregare non cessant, et ut cumulos suos majores faciant, alios vermiculos spoliant, de quibus dicitur Job. III, 15 : *Possident aurum, et replent domos suas argento.* Sed contingit talibus sicut formicis quæ postquam congregaverunt et magnum cumulum fecerunt, formica leo, idest formicarum rex de cavernis ejicit et fame mori permittit ; quod patuit in illo divite de quo dicitur Luc. XII, 20 : quod cum replesset horrea sua, statim audivit : *Stulte hac nocte repetent animam tuam a te, etc.* Ideo comminatur eos Dominus Ezech. XXVIII, 16 : *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti :*

et opere, de illi bene dicit tales repletos iniquitate, quia nec etiam veritatem habent in ore. Jurant enim et pejerant tota die, secundum illud Eccles. xxiii, 12: *Vir jurans multum* * *replebitur iniquitate.*

Sic igitur quosdam replet ventus elationis quos in fine replebit ignominia pro gloria, ut in secundo Machab. ix, de Antiocho, ut supra.

Item quosdam replet non Spiritus Sanctus, sed fumus voluptatis, quos in fine replebit angustia et dolor. Job vii, 4: *Replebor doloribus usque ad tenebras.* Prov. xii, 21: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit: impii autem replebuntur malo.*

Item quosdam replet fumus cupiditatis quos in fine replebit inopia. Reg. ii, 5: *Repleti prius, pro panibus se locaverunt*: hoc est conduxerunt. Quod ad litteram patuit in filio prodigo, de quo dicitur Luc. xv, 16: quod consumpta substantia sua *cupiebat replere ventrem de siliquis quas porci manducabant: et nemo illi dabat.*

Sequitur: *et cœperunt loqui.* In quo tangitur ultimum, scilicet hujus repletionis utilitas, quia statim cœperunt loqui variis linguis, idest, idiomatibus diversis, secundum illud Act. ii, 6: *Audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes.* Et xix, 6: *Venit Spiritus Sanctus super illos, et loquebantur linguis.*

Est notandum quod illos quos replet Spiritus Sanctus loqui facit, audacter, ardenter, et prudenter, ut videbitur. Loqui facit audacter ne timeant, ardenter ut moveant, prudenter ut valeant. Diffidant enim in bono prædicatore timiditas, tepiditas, curiositas.

Suos igitur prædicatores loqui facit Spiritus Sanctus audacter. Propter quod dicit Spiritus Sanctus Paulo Actor. xviii, 9: *Noli timere, sed loquere. Ecce ego tecum sum* dicit Dominus. Et Actorum iv, 31: *Repleti sunt Spiritu Sancto et loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Et talis erat Stephanus de quo dicitur Act. vi, 10: *Non poterant resistere, et sapientiæ et spiritui qui loquebatur.* Luc. xxi, 15: *Dabo vobis os et sapientiam* etc. cui etc.

Item facit loqui ardenter ut moveant. Neque enim ardere possunt verba quæ de corde frigido proferuntur, ut dicit Bernardus. Et istorum typum gerit Helias de quo dicitur Eccles. xlviii, 1: *Surrexit Elias quasi ignis ardens, et* * *sermo ejus quasi facula ardens.* Et hoc est quod dicitur Act. ii, quod *apparuerunt illis dispertitæ linguæ sicut ignis, et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et cœperunt loqui*, etc.

Item loqui facit prudenter ut valeant, et non quærant curiosa set proficua juxta cujuslibet capacitatem et conditionem, aliter scilicet malis, et aliter scilicet justis, et sic dicitur de illis. Isa. Cor. ii, 6: *Sapientiam Dei loquimur inter perfectos, sapientiam vero* * *non hujus sæculi quæ destruitur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio.* Et propter hoc dicit eis Dominus, Matth. x, 19: *Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare, etc. Non enim vos estis, etc.*

His linguis loquuntur illi quos replet Spiritus Sanctus. Sed aliis et aliis linguis, quos docet diabolus, de qua lingua dicitur in Psalmo li, 4: *Tota die injustitiam cogitavit lingua tua; sicut novacula acuta fecisti dolum.* Et vere lingua ista lingua est iniqua vel injusta quia nec Deum timet nec hominem reveretur.

Est præsumptuosa, injuriosa, et perniciosa. Vere præsumptuosa, quia ipsum Deum blasphemus et maledicus impugnare non cessat. Unde tales similes sunt cani rabido, qui dominum suum mordet, viro furioso qui custodientem se dentibus appetit, et pro posse nocet. Et isti sunt quibus Ps. xi, 4 imprecatur: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. Qui dixerunt* etc. *Quis noster* etc. *Disperdat*, inquit, hoc est diversis pœnis perdat. Certe puto quod nulla major est culpa linguæ quam creatorem suum blasphemare vel blasphemus impugnare; sicut nulla lingua magis punietur quam illa lingua quæ de blasphemiis convincetur; quod satis innuitur Apoc. xvi, 11: *Blasphemaverunt Deum cœli; præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis, et* * *manducaverunt linguas suas* * *præ dolore.*

Item est lingua injuriosa. Et certe nimis injuriosa quæ proximum fallit et proximum diffamat. Proximo detrahit, et lingua tertia dicitur. Eccl. xxviii, 16 : *Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos de gente in gentem. Multos enim turbavit pacem habentes.*

Et bene dicit : *lingua tertia* quia tripliciter nocet, quoniam aliquoties denudat malum occultum ; et sic dicitur lingua dolosa quæ occulta voluit manifeste dicere, de qua dicitur Jer. ix, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est ; in ore suo cum amico suo pacem loquitur, et occulte ponit ei insidias.* Et in Ps. cix, 2 : *Domine libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Quid detur tibi* etc. *Sagittæ potentis acutæ* etc. Et hæc quidem est magna nequitia, dum in lucem profert quod in abscondito scitur. Et propter hoc dicitur lingua nequam. Contra quod dicitur Eccles. xxviii, 28 : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam, et ori tuo facito ostia,* quasi dicat : nec audias eos, nec loquaris cum illis.

Item aliquoties publicat et dilatat, malum manifestum. Et hæc est proprie lingua detractoria. Detrahære enim est malum alterius quantumcumque publicum ex libidine propalare. Et quoniam periculosum est aures talibus accomodare, eo quod talia verba venenosa sunt, et de venenosis cordibus proferuntur, dicitur Eccles. x, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Prov. xxv, 23 : *Ventus aquilo dissipat pluvias et facies tristis linguam detrahentem.*

Item aliquoties denigrat bonum. Dicitur enim Prov. xxvi, 28 : *Lingua fallax non amat veritatem.* Propter hæc tria mala dicitur lingua tertia. Lingua, inquit, tertia multos commovit. Et sequitur Eccl. xxviii, 23 : *Beatus qui tectus est a lingua nequam, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus.*

Item est lingua perniciosa, non solum præsumptuosa contra Deum, non solum injuriosa contra proximum, sed etiam pernitiosa contra proprium subjectum. Dicitur enim Proverb. xv, 4 : *Lingua immoderata conteret spiritum.* Ad litteram enim immoderata loquela multum nocet animæ. Hostis enim quando videt portas civitatis apertas libenter et faciliter intrat ; similiter et diabolus. Prov. xxv, 28 : *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, sic homo qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* E converso de viro justo et modesto dicitur Proverb. x, 19 : *Qui moderatur labia sua prudentissimus est : argentum lingua justi.* Non sic loquebantur Apostoli sed variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Rogamus Dominum.

XXXIII

FERIA SECUNDA POST PENTECHOSTEN (*a*).

*Cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant * verbum Dei.* Act. x, 44, Sicut ex diversis Sacræ Scripturæ sententiis comprehenditur nec aliquid cogitare nec intelligere, nec loqui, nec facere possumus nisi nos adjuvet Spiritus Sanctus. *audiet

Igitur non possumus aliquid sine Deo cogitare. II Cor iii, 5 : *Fiduciam habemus ad Deum : non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, * tamquam ex nobis, sed sufficientia (nostra) ex Deo est.* * qua

Item nec intelligere. Prov. ii, 16 : *Dominus dat sapientiam* et intelligentiam *et ex ore ejus sapientia et prudentia.*

Item nec aliquid dicere I[a]. Cor. xii, 3 : *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Ex illud Matt. x : *Cum steteritis* etc.

Item nec facere Joan. xv, 5 : *Sine me nihil potestis facere*, propter hoc rogabimus ipsum Dominum nostrum Jesum Christum ut ad audiendum, retinendum, perferendum sanctum verbum suum ordinet voluntatem, illuminet intellectum, administret sermonem, præstet virtutem ad laudem et gloriam suam et utilitatem animarum nostrarum.

Cecidit Spiritus sanctus etc. In præ-

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

sicut loquebatur dicitur quod cum prædicaret Petrus per virtutem Domini nostri Jesu Christi remissionem peccatorum fieri credentibus Spiritus Sanctus cecidit; hoc est in signo visibili de sursum subito venit, et obstupuerunt qui cum Petro venerant quoniam et in gentes, hoc est in quos gentiles gratia Dei diffusa est. Ideo, quod variis linguis loquebantur : in quo patet quod proficuum est audire verbum Dei, quoniam super tales descendit Spiritus Sanctus, et qui prius loquebantur linguis blasphemantibus contra Deum, ipsis penitus immutatis laudant et glorificant ipsum. Ut autem verbum propositum clarius videamus scire debemus quod donum cujuslibet propter duo specialiter commendatur, quæ sunt largitas et bonitas, quoniam, scilicet, bonum dat, et large dat, ut sit bonitas in dono, et largitas in modo, quia scilicet in dono spiritum gratiæ hodie recipimus. Propter bonitatem in dono dicit quod cecidit super omnes qui audierant etc. Patet igitur bonitas doni per Spiritum Sanctum fidelibus suis hodierna die de cœlis missi. Non enim misit patriarcham aut prophetam aut angelum, sed Spiritum Sanctum in extremæ dilectionis signum. Spiritus enim Sanctus est donum illud quo nihil melius excogitari potest. Propter hoc dicit sapiens, Sap. xii, 1 : *O quam bonus est Domine, Spiritus tuus in nobis*. Bonum Filii donum, quoniam in pretium redemptionis ; bonum Spiritus Sancti donum, quoniam in solatium peregrinationis, et propter hoc (dicitur) : *Domine, bonus Spiritus tuus in nobis*. Sed notandum quod sine causa non dicit quod Spiritus Sanctus cecidit, quia dum non speratur, descendit. « Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia » Ambr. lib. II in *Luc.* cap. »

Sed ut donum Spiritus Sancti altius commendemus, sciendum quod Spiritus Sanctus dicitur mitti, dicitur venire, dicitur cadere : quod totum nos invitat ad agendas gratias tanti muneris largitori. Sicut communiter videmus datorem muneris redduntur quinque specialiter commendabilem, scilicet qualitas, liberalitas, largitas, et promptitas. Placet enim donum quando datur curialiter, efficaciter, liberaliter, largiter et præsentialiter. Laudatur enim curialiter conferentis veritas, consolationis liberalitas, vel puritas intentionis, largitas muneris, brevitas temporis. Et hæc omnia commendantur in dono Dei Patris, hoc est in gratia Spiritus Sancti, quam hodie dedit fidelibus suis.

Commendatur curialitas dantis Spiritum Sanctum quando dicit scriptura, quod Deus Pater misit ipsum. Curialius enim est exennium mittere quam pro recipiendo mandare. Propter hoc Deus Pater facit sicut pater familias qui fidelibus suis et amicis et hujusmodi magnis solemnitatibus exennia mittit. Credendum est enim quod (sicut) Deus Pater hodierna die Spiritum Sanctum discipulis misit, fidelibus suis mittet eum ut recognoscant eum Patrem suum, Galat. iv, 6 : *Quia filii Dei sumus misit Deus Pater Spiritum Sanctum in corda vestra, in quo clamamus : abba, Pater*, idest in quo recognoscimus ipsum Patrem. Et nota donum istud mitti filiis. Nullus enim nisi filius dignus est recipere tantum donum. Et dicitur in corda mitti filiorum ut arguat et reprehendat peccata eorum tamquam magister discipulum. Joan. xvi, 7 : *Si ego non abiero Paraclitus non veniet : Si autem abiero mittam eum ad vos.* Qui *cum venerit, ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Suggerit enim Spiritus Sanctus cordi : Commisisti culpam, nec egisti pœnitentiam, propter quid expectas condemationis sententiam ? propter ingratitudinem.

Item sicut commendatur curialitas in conferente, sic commendatur veritas in receptione. Sunt enim multa munera quæ promittuntur et mittuntur, nunquam tamen recipiuntur. Numquam enim veniunt ad manum illius cui mittuntur, propter quod dicitur : Pater mittere Spiritum Sanctum, Spiritus enim Sanctus venire dicitur quando in recipiente præsentatur. Nec frustra, nec vacuis manibus in domum conscientiæ tantus dominus venit, sed miraculum facit omni acceptione majus idest magis mirabile omnibus. Animam enim mortuam per culpam vivificat per

gratiam. Ezech. xxxvii, 9 : *A quatuor ventis veni Spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.* Quatuor venti sunt quatuor affectiones per animam discurrentes, quando, sicut dicit Isidorus considerat; quem offendit, quoniam creatorem, quem sicut ipsam de nihilo fecit, ita sicut voluerit et quando voluerit ad nihilum rediget; propter quod oportet (consideret), quoniam in similitudine Dei transfertur in similitudinem diaboli. Quid amisit, quoniam propriam hæreditem nullo pretio sine gratia recuperandam. Quid meruit, quoniam pœnam interminabilem, nec prece, nec pretio, nec ingenio, nec fortitudine fugiendam. Propter hoc dicit a quatuor ventis veni spiritus, et insuffla super interfectos, idest super peccatores morte culpæ mortuos, et æternæ morti, sicut dictum est, adjudicatos, et reviviscant medicina pœnitentiæ qui mortui sunt veneno culpæ. Sicut enim homo mortuus naturaliter non potest vivificari nisi per miraculum, ita nec anima mortua spiritualiter nisi per Spiritum Sanctum. IIª Cor. iii, 6 : *Spiritus est qui vivificat* qui veniens in animam deceptam per malitiam sapientem et cautam reddit tamquam magister discipulum docendo vitæ veritatem.

Item commendatur puritas sive liberalitas in intentione, quoniam scilicet ille qui dat nullum lucrum intendit aquirere, sed sola sua liberalitate donum suum indigenti confert. Et propter hoc Deus Pater dicitur dare Spiritum Sanctum, quæ benignitate sola sine meritis nostris, donat nobis ipsum Luc. xi, 9 : *Petite et accipietis, quærite et invenietis; pulsate et aperietur.* Et sequitur : *Pater enim vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se.* In quo patet creatoris benignitas qui nos ad petendum invitat. Multum enim dare desiderat qui pauperem ad petendum sollicitat, et modum petendi demonstrat : propter quod dicit : petite, per orationem, quærite, per devotionem, pulsate, per continuationem, et aperietur vobis ad desideriorum vestrorum completionem. *Pater enim vester, etc.* Et bené dicit : dabit spiritum bonum quoniam vitæ spiritualis continuationem. Animam enim quam Spiritus Sanctus inhabitat et in vita gratiæ tamquam medicus bonus continuat, et a mortis gehennalis acerbitate conservat. Ezech. xxxvii, 6 : *Dabo vobis spiritus, et vivetis.* Hoc autem procurat Filius apud Patrem pro nobis advocatus. Si tamen ipsum corde diligimus et ejus mandatis obedimus. Joan. xiv, 15 : *Si diligitis me mandata mea servate. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitnm dabit vobis qui a Patre procedit.*

Item commendatur largitas in munere, quando scilicet non datur solum ad sufficientiam, sed etiam ad superabundantiam. Propter hoc Spiritus Sanctus dicitur effundi, quod est largiter et abundanter dari, sicut aqua vel aliqua liquida substantia quæ cum effunditur circumquaque diffunditur. Non enim est apud Deum Patrem personarum acceptio, sed indifferenter parvis et magnis, bonis et malis etiam bona sua largitur. Act. x, 45 : *Obstupuerunt ex circumcisione fideles, quia et in nationes Spiritus Sancti gratia effusa est.* Hujus autem Spiritus redundantia patuit in discipulis qui Spiritum Sanctum in tantam abundantiam habuerunt quod suis prædicatoribus universum repleverunt orbem. Joel. iii, 28 : *Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ, etc.* Hic autem Spiritus inhabitans animam diffundit in eam inextimabilem caritatem per quam et amicos diligit in Dominum, et inimicos diligit propter Dominum. Rom. v, 5 : *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Magna misericordia Dei qui donum dat æqualem sibi, quia donum ejus Spiritus Sanctus est qui caritatem in nobis infundit, ut ipse diligatur qui non dilectus nos dilexit.

Item commendatur in dono brevitas temporis. Sicut enim dicitur Prov. xiii, 12 : *Spes quæ differetur, affligit animam.* Si enim anima penitens post peccatum diu gratiæ beneficium expectaret, præ tædio simul et desperation tabescere diu gratiæ beneficium expectaret præ tædio simul et desperatione tabescere posset, nec unquam reconciliari se cre

deret per gratiam quæ Deus abstulit per culpam. Propter hoc Pater cœlestis redientem videt et currens omni bono vestibus depinxit hospitalis gratiæ suæ benedixit. Act. II, 2 : *Factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes*, etc. Et propter hoc dicitur hic : *Cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, et obstupuerunt ex circumcisione fideles* etc. Talem hospitem qui domum quam inhabitat bonis omnibus replet, et restituit per gratiam quidquid animæ tulit per culpam, rogemus etc.

Sequitur alia pars sermonis. Superius ostensa fuit bonitas in dono, sed in verbis sequentibus ostenditur largitas in dono quando dicit : *cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum*. Ipse enim est de quo dicitur Jacob. I, 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum*. Et sequitur : quoniam *dat omnibus affluenter, et non improperat*. (Hujus auctoritatis expositionem habebis I Coloss. III). Et nota quod dicit : *super omnes qui audiebant*, tam divites quam pauperes, tam justos quam peccatores, tamen a peccato per pœnitentiam recedentes. Sed aliter se habet ad istos, aliter ad illos. Et nota quod peccare contingit quatuor modis, secundum quod dicit Gregorius in *Moralibus*, lib. XXV, c. XXXIV, n. 24, per ignorantiam, per infirmitatem, per certam malitiam, per amorem vitiorum, per detestationem virtutum : et in his omnibus Spiritus Sanctus parat remedium.

Contingit ergo ex ignorantia peccare quantum ad dignoscenda, propter quod Spiritus Sanctus descendit in animam, sicut doctor ad instruendum. Cum enim peccatum excæcaverit animam, passim semetipsam exponeret ad omnem immunditiam nisi Spiritus Sanctus illuminaret eam, sicut cæcus vel in tenebris ambulans ad omnem disponitur ruinam. Propter hoc dicitur Joan. XVI, 13 : *Cum venerit Paraclitus Spiritus veritatis ille vos docebit omnia*, scilicet fugienda et facienda et credenda. Docet fugere culpam, sicut venenum, facere pœnitentiam sicut remedium, desiderare patriam tamquam proprium locum. Unde Spiritus Sanctus in animam veniens tamquam lux per tenebrosa loca cæcum deducens, quod figuratum est Nehemiæ IX, 19 : *Columna ignis non recessit ab eis per noctem, ut ostenderet eis iter. Et spiritum bonum dedisti eis qui doceret eos*. Et nota quod Spiritus Sanctus dicitur columna, dicitur ignis, dicitur doctor et dominator. Veris enim pœnitentibus est fulcimentum ne corruant per impetum tentationis, lucerna ne corruant in præcipitio vitiorum, doctor ne remaneant in Ægypto præsentis miseriæ, sicut servi, sed transeant per desertum pœnitentiæ sicut amici, recipiantur ad palatium gloriæ sicut filii.

Item peccare contingit ex infirmitate quantum ad facienda. Peccatum enim facit hominem pronum ad malum et difficilem ad bonum. Suo enim pondere eum inclinat ad *amorem terrenorum et retardat eum a contemplatione supernorum, propter quod etiam peccator bestiæ comparatur quæ semper habet vultum inclinatum ad terram, secundum illud Ps. XLVIII, 13 : *Homo cum in honore esset non intellexit* etc. Et hoc figuratum est Luc. XIII, 11 : *in illa muliere de qua dicitur : Ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis : et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, quam cum vidisset Jesus vocavit eum ad se dicens : mulier dimissa es ab infirmitate tua*. Mulier ista anima carnalis et fragilis quæ inclinat peccatorem ad amorem terrenorum, nec sinit ad amorem super-cœlestium : sed Deus videt eam per misericordiam : propter hoc Spiritus Sanctus in animam descendit tamquam Dominus ad animandum et adjuvandum. Rom. VIII, 26 : *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*. Facit enim Dominus servo sicut bonus miles facere solet filio qui prius experitur ejus virtutem, et postmodum adjuvat eum in bello post multos ictus jam succumbentem. Cum enim non sit potestas sub cœlo quæ possit diabolo comparari, sicut dicitur Job. XLI, 24 : homo prævalere non posset nisi Spiritus Sanctus eum invaret. Propter hoc dicitur Ephes. III, 16 : *Det vobis Dominus virtute*

*amorem

corroborari per Spiritum ejus, quasi dicat : aliter sustinere non possetis nisi Spiritus Sancti adjutorium haberetis. Qualiter enim sustinuissent martyres, et præcipue teneræ virgines tantam passionum acerbitatem nisi Spiritus Sanctus adjuvasset eorum imbecillitatem? Propter hoc dicitur Proverb. XVIII, 14 : *Spiritus viri* * *adjuvat imbecillitatem suam.* (* sustentat)

Item peccare contingit ex certa malitia quantum ad fugienda, per suggestionem hostis qui bonum vertit in malum et homines ad malitiam armat vexans eos per invidiam interius et provocans ad proximorum molestiam quemadmodum canis irritatus sibilo mordet innocentem et ejus insidiis non advertentem, quod figuratum est primo Reg. XVI, 14 in Saul qui David innocentem persequebatur. Sicut enim legitur *Spiritus Domini Bonus recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.* Spiritus enim bonus cohibebat manum sevientis in proximum, sed spiritus malus tamquam canem rabidum provocabat ipsum, propter hoc descendens Spiritus Sanctus adeo cohibendus. Job. XXVII, 3 : *Donec supereat alitus in me, et Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur* * *injustitiam.* (* mendacium) Ecce quod Spiritus Sanctus cohibet manum, cohibet verbum cohibet animum. Et propter hoc dicit quod Spiritus Sanctus in naribus suis est : hoc est moribus ut nullam faciat iniquitatem, in labiis ut nullam perferat falsitatem, in corde, scilicet, ut nullam meditetur dolositatem. Non recedit ab innocentia vitæ puritatem conservando, donec deficiat innocentia perseverando.

Item contingit peccare per amorem inordinatum, quem introducit ardor concupiscentiæ carnalis quæ templum Domini comburit, et imaginem ejus deturpat et inficit, et quæ prius fuerat in sanguine Redemptoris abluta sordidatur et denigratur, sicut fumo paries, aut imaginis deauratæ superficies in lutum viliter conculcata, quod figuratum est primo Mach. II, 8 ubi dicit vere pœnitens *Væ mihi, templum ejus sicut, homo ignobilis. Omnis compositio ejus ablata est, et coinquinaverunt eam gentes.* Templum Dei anima viri justi cujus nobilitas est imaginis regis cœlestis impressio, et ignobilitas ejusdem obscuratio. Compositio virtutum et donorum spiritualium dispositio; ablatio, spoliatio quando vitia pro virtutibus inferuntur et pro donis cumulus malitiarum inculcatur; et tunc animam et ipsam emendam. Unde per aquam significatur Joan. VII, 37 ubi dicitur : *In die magno festivitatis clamabat Jesus : si si quis sitit veniat ad me, et bibat aquam vitæ gratis. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et dabo vobis cor novum et Spiritum novum* * *dabo in visceribus vestris.* Aqua enim vim habet refrigeraturam ut extinguat ardorem concupiscentiæ carnalis.

Item peccare contingit, ut dictum est, per odium virtutis, et præcipue per odium caritatis quæ virtutem et pulcritudinem parat omnibus virtutibus aliis. Propter hoc cuidam dicitur Apoc. II, 3 : *Habeo adversum te,* **pauca quia reliquisti caritatem tuam primam. Memento igitur unde excideris : et age pœnitentiam, et prima opera fac : Sin autem.* Spiritus autem Sanctus in animam descendens, et animam miserans viduam et a Deo repudiatam adjudicatam morti et bonis omnibus virtutibus ornat et sponso per gratiam reconciliat. Propter proximum dicitur Job. XXXVI, 15 : *Spiritus Domini ornavit cælos : et obstetricante manu ejus* (eductus) *est coluber tortuosus.* Per cœlos intelligo spirituales viros quorum conversatio est in cœlis. Horum ornamentum pulcritudo virtutum. Sicut enim mulier turpis et inornata et despicitur et respuitur a marito, sic anima per culpam deformata et virtutibus spoliata despicitur a Deo. Et propter hoc ipsam virtutibus ornat ut ut oculis majestatis suæ magis ac magis placeat. Ideo dicitur Ier. II, 32 : *Numquid* * *potest virgo oblivisci ornamenti* * *sui*, etc. Gene. II, 1 : *Perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum.* Sed ne cum sponsa videatur adulteram dimittere, dicit quod per manum ejus, hoc est obstetricem, hoc est per prudentiam et m nsuetudinem operantem ejicitur coluber tortuosus, idest diabolus, qui coluber

sus et dicitur propter vehementiam suggestionis, et ventus propter subtilem ejus temptationem. Si igitur Spiritus Sanctus servat sponsam, nihilominus aliam sponsam jam per prædicatorem suum prosequitur suam. Isai. LXI, 1, dicitur in persona prædicatoris : *Spiritus Domini super me eo quod unxerit me ad annuntiandum, mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem captivis indulgentiam* etc. Rogemus.

Sic igitur Spiritus Sanctus se habet ad malos per pœnitentiam tamen conversos. Sed nota quod aliter se habet ad bonos quoniam sicut ipsorum quinque prætèrita monstratur differentia, sic et illis quinque differentia præstat. Est igitur status viventium, exeuntium, pervenientium, resurgentium et quiescentium.

Est igitur status militantium sive viventium, quos consolatur Spiritus Sanctus ne timeant quoniam vivunt inter hostes callidos, in aliena terra mortis peculiaris incertitudinem habentes, domus terrestris casum imminentibus capitibus expectantes. Aggæi secundo 6 : *Dicit Dominus : Spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.* Propter quod desolatus et pusillanimis ille fortis Dei amicus clamat : *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me.*

Item dirigit exeuntes sive morientes ne pereant. Isai. LXIII, 13 : *Eduxit eos Dominus per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.* Spiritus enim Domini ductor fuit, quasi dicat : sicut equus in deserto currens non timet leonem et ursum, et animal in campo descendens non invenit cuisque obstaculum ; sic nec boni, decedentes habentes Spiritum Sanctum in exitu non timent diabolum. Habent enim pignus, hoc est arram vel certitudinem, spei firmitatem, et securitatem conscientiæ. II Cor. I, 22 : Signavit nos *Deus Spiritu Sancto sicut pastor oves suas ne alieni rapiant eas.* Sequitur : *et dedit pignus cordibus nostris.*

Item deducit pervenientes ne devient, sed recto tramite perveniant in patriam qui vitæ rectitudinem tenuerunt in via. Ps. CXLII, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* etc. Et tunc duce Spiritu, Spiritus revertetur in terram suam, secundum illud Ps. CXLV, 4 : *Exibit Spiritus ejus, et revertetur in terram suam* et cetera.

Item suscitabit resurgentes ut redeant. Virtute enim Spiritus Sancti cum indivisa sint opera Trinitatis, anima redibit ad corpus, ut totus homo remuneretur in gloria qui se totum afflixit in pœnitentia. Qualiter enim vel quo modo nostrum corpus affligeremus nisi dictante Spiritu Sancto nunc in spe, tandem in re resurrecturos credemus. Rom. VIII, 23 : *Sed ultra nos primitias habentes Spiritus*, hoc est in corporibus nostris nunc in spe prima concupiente ingemiscimus adoptionem filiorum Dei idest adoptari inter filios Dei in patria qui nunc servi mundi sumus in via. Sequitur : *Expectantes redemptionem * nostram*, et tunc redimentur per gratiam a corruptione qui nunc subjiciuntur per culpam corporali miseriæ : et hoc per Spiritum Sanctum cujus virtute suscitabitur hospitissæ suæ, hoc est animæ domicilium. Roman. VIII, 11 : *Vivificabit Dominus mortalia corpora nostra propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis.*

* *corporis nostri*

Item reficit quietos ut gaudeant, propter quod nunc nobis clamat increata sapientia Eccles. XXIV : *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis * adimplemini Spiritus enim meus super mel dulcis etc.* Transite dicit nobis tanquam viatoribus et amicis suis de exilio ad patriam, de morte ad vitam, de miseria ad gloriam, *et a generationibus meis adimplemini*, hoc est a bonis a præsentia mea generatis, quæ sunt visio sine errore, fruitio sine dolore, requies sine labore, jubilus sine timore. *Spiritus enim meus*, hoc est spiritualis divinitas mea *super mel dulcis, et hæreditas mea*, hoc est humanitas, hæreditario mihi conjuncta, super mel et favum. In contemplatione divinitatis quiescat intellectus, reficiatur affectus, et in contemplatione humanitatis beatificetur et glorificetur omnis exterior sensus, quem nec habet nec habiturus est angelus vel archangelus, quod vobis et nobis etc.

* *Implemini*

XXXV

COD. BIBLIOTECÆ S. MARCI VENETIIS XCII, s. 22. 1.

Pag. 257. — *Sermo in IX Dominica post Trinitatem Sancti Tomæ de Aquino* (a).

Homo quidam erat dives qui habebat villicum; et hic diffamatus est apud illum quod * *dilapidasset bona illius*, Luc. XVI, 1. Omnis affluentia gratiarum procedit ex plenitudine divini thesauri, qui est in abscondito divitiarum Dei, nec potest aliquis cognoscere de illo nisi Deo ostendente; et ideo ostensionem ejus petebat Moyses dicens : ostende mihi Domine thesaurum tuum *fontem aquæ vivæ;* ergo quia sermo imminet nobis de divinis divitiis, recurramus ad illum *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*, Colos. II, 3 et rogamus Dominum nostrum etc.

* *dissipasset bona ipsius*

Homo quidam etc. Valde periculosum est homini quod ignoret suum modum et mensuram, et ex hoc provenit quod ultra se ipsos eriguntur in superbiam, quia æstimant se dominos, non ministratores rerum. Dicunt illud Job. XXI, 15, *quis est Omnipotens ut serviamus ei?* Et similiter dicitur in Job. XI, 12. *Vir vanus in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri se liberum natum putat.*

Onager est asinus silvestris qui non habet possessorem. Aliqui credunt se esse sine jugo, et videtur eis quod licet eis quicquid libet; et ut ista elatio auferatur de corde nostro, proponitur nobis parabola de villico.

Proponuntur autem hic duæ personæ. Persona Domini, ibi : *homo quidam erat dives.* Secundo proponitur persona villici, ibi, *qui habebat villicum.*

Primo, dico, proponitur nobis persona Domini cum dicit : etc. Circa personam Domini tria vocantur. Conditio, ibi : *Homo quidam;* ejus facultas, ibi : *erat dives*, et ejus provisio, ibi : *qui habebat villicum.*

Primo, dico, tangitur persona Domini, ibi : *Homo quidam.* Homo iste Deus est, licet Deus, quantum ad naturam humanam sit vere homo, non tamen quantum ad naturam divinam circumscriptus vel comprehensus, sed dicitur homo quantum ad naturam divinam propter tria : Propter similitudinem, propter familiaritatem, et propter proprietatem.

Primo, dico, Deus quantum ad naturam divinam dicitur homo propter similitudinem. Secundum communem usum loquendi res nominantur nominibus suarum imaginum, et imagines nominibus rerum. De ista similitudine Dei cum homine dicitur in Genesi : *Faciamus hominem ad similitudinem et imaginem nostram.*

Illud privilegium habet homo inter ceteras creaturas inferiores, quod homo ad Dei imaginem creatur : non corporis sed mentis, et in hoc præfertur ceteris creaturis. Imago Herculis vocatur Hercules, Hercules nomine imaginis suæ, et Deus vocatur homo.

Si homo ad imaginem Dei creatus est, cavere debet sibi quod se incorruptum custodiat et mundum. Ecce habemus imaginem Dei depictam in ligno; si quis projiceret in eam lutum vel sputum, numquid non diceretur blasphemus? multo plus qui imaginem ad Dei similitudinem creatam corrumpit, quia multo excellentior est imago Dei in anima quam imago Christi in ligno. Augustinus Serm. IX, *de decem chordis :* « Imago Dei es, quam per fornicationem et diffluentias libidinum corrumpis, non attendens cujus imaginem violas. » Si est imago ista corrupta per peccatum, debet homo expoliare, totam fœdationem et renovari. Unde ad Coloss. III, 9 : *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis,* * *induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem Dei secundum eum qui creavit eum.* Quidquid peccati vel fœdationis est in nobis debemus expoliare et novum hominem induere, ut cognoscamus eum mente et opere.

* [illegible]

Secundo dicitur Deus homo ratione familiaritatis. Si conversaretur aliquis cum

(a) Ex recensione D. Uccelli.

similior fieretur : ista conversatione factus est familiaris. Item quadam familiaritate et conversatione potest dici homo, quia delectabile est ei cum hominibus esse. Unde dicit in Proverb. viii, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, et in tantum fuit ei delectabile cum hominibus conversari, quod non sufficit ei conversari cum eis spiritualiter, sed corpus nostrum voluit assumere, ut conversationem corporaliter cum hominibus haberet. Unde in Baruch. iii, 38 : *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* In terris visus est, et quomodo? Dicit Joannes i, 14 : *Verbum caro factum est.* Si ita familiarem Deus se exhibuit nobis, et nos debemus nos ei exhibere familiares. Ingratus igitur est qui non curat habitare cum Deo.

Magna præsumptio esset si rex quæreret familiaritatem pauperis, et ille refugeret familiaritatem regis. Rex omnipotens quærit familiaritatem tuam, et quomodo? Dicitur in Apocalyp. iii, 20 : *Ego*, inquit, *sto ad ostium*, et ad affectum per voluntatem intrat aliquid in cor, *et pulso*, bonum propositum immittendo, *si quis aperuerit mihi intraibo**, *et cœnabo cum eo*. Quando aliquis aperit Christo affectum cordis, tunc intrat Deus et reficit et reficitur, gaudet in te, et te gaudere facit. Si Deus ita familiaris est nobis, debemus studere esse ei familiares. Ps. xxvi, 4 : *Unam petii a Domino, hanc requiram etc.* Sap. viii, 16 : *Non habet amaritudinem conversatio ejus, nec tædium convictus illius.*

Aliqui sunt quorum conversatio habet amaritudinem, pungunt et contristant alios; aliorum conversatio habet tædium, quia dicunt vana, vel quia non placent. In Deo nihil invenies nisi quod delectet. Omnis delectatio nihil est respectu delectationis Dei.

Tertio dicitur Deus homo propter proprietatem humanam. Quid est proprium hominis? esse mansuetum natura, quia homo naturaliter est animal sociale. Quædam animalia divisim vivunt, feræ, leones, et ursi; sed ista proprietas in tantum naturalis est homini quod benignitas humanitas appellatur. Si contingat quod aliquis est pestifer vel nocivus, dicitur inhumanus, quia accepit naturam feræ, ut leonis et ursi. Unde in Prov. xxviii, 15 : *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.*

Ista proprietas maxime convenit Deo, quia *miserationes ejus super omnia opera ejus* Ps. cxliv, 9 ; imo est ipsa bonitas et longanimitas : unde Apostolus ad Titum iii, 4 : *Apparuit humanitas et benignitas Salvatoris nostri, etc.* Quia igitur propter Dei similitudinem, familiaritatem, et ejus proprietatem quilibet debet esse incorruptus, Deo devotus, et proximo benignus, patet modo de conditione istius hominis, cum dicit *homo*.

Sequitur videre de ejus facultate, quæ notatur cum dicit *dives*. Sed quæ fuit ejus facultas? dico quod fuit dives tripliciter. Primo ratione perfectionis naturæ ; secundo ratione affluentiæ donorum ; et tertio ratione multitudinis rerum possessarum.

Primo, dico, est Deus dives ratione perfectionis naturæ. Contingit quod aliqui sunt divites in rebus possessis, sed sunt tenues internis, sicut stulti qui non habent sapientiam. Quidam debebat filiam suam nuptui tradere : occurrerunt ei duo, unus fuit dives in substantia, sed tenuis in sapientia. Alius fuit sapiens, sed non fuit dives. Ivit ad quemdam sapientem, quæsivit ab eo cui debebat tradere filiam suam. Respondit ille : malo virum indigentem divitiis quam divitias indigentes viro. Sed Deus dives est in se ipso ; quidquid boni invenitur in creatura ex ipso est. Si quæris scientiam aut bonitatem, totum excellentissime et primordialiter est in Deo. De istis divitiis dicit Apostolus xi, 33 : *O altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei!* Ex quo infinitæ divitiæ sunt in ipso, summo desiderio debemus satagere ad tenendum Deum. Qui scit thesaurum plenum divitiis in loco in quo eum potest adipisci, stultus est si totum studium suum non ponat ad acquirendum thesaurum illum. Thesaurus divitiarum est in Deo quem potes adipisci. Unde in Evangelio Matth. xiii, 44 : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem* * *cum invenit homo, vadit et vendit*

* qui invenerit

omnia quæ habet et emit agrum illum. Si istas divitias habes quæ sunt in Deo, nihil tibi deerit. Unde in libro Sapientiæ : *Venerunt mihi omnia bona cum illa.* Et Dominus dicit Moysi xxxiii, 19 : *Ego ostendam tibi omne bonum.* Solus Deus potest replere desiderium nostrum.

Secundo dicitur Deus dives secundum affluentiam et abundantiam donorum. Dicitur bene quod aliquis non est multum dives, sed habet multa dare. Deus dat affluenter et non minuitur ejus thesaurus. Apostolus Ephes. ii, 4 : *Deus qui dives est in misericordia*, idest qui abundanter tribuit misericordiam. *Dives est enim in omnes qui invocant illum.* Si quis abundanter daret, multi ingererent se ad accipiendum. Sed si vis accipere, Deus paratus est tibi dare.

Debes te ingerere ad accipiendum. Ps. xxxiii, 6. *Accedite ad eum, et illuminamini.* Et in Apocalyps. xxii, 11 : *Sanctus sanctificetur adhuc.* Debet homo semper appetere magis ac magis habere spiritualia. Appetitus suus non habet modum neque mensuram, sed appetitus in hiis quæ sunt ad finem regulantur secundum mensuram. Augustinus : « Finis quem intendit medicus est sanitas : ea quæ sunt ad finem istum sunt medicinæ. » Medicus non dicit : nolo istum curare non perfecte, sed quantum melius possum. Unde respectu finis non ponit mensuram ; sed si diceret : dabo ei fortissimam medicinam quam potero ; male diceret, quia medicinæ sunt ad finem. In hiis debet habere mensuram. Bona animæ sunt finis ; bona corporis sunt ad finem. Unde de bonis temporalibus debemus quærere secundum mensuram, sed de bonis animæ debemus quærere quantum possumus. Sed aliqui volunt virtutem modicam. Dicunt sufficit mihi hoc facere, sed divitias nolunt moderari. Unde non sufficit eis una præbenda, sed quanto plures habent, et plures etiam appetunt ; sed Deus dives est in misericordia, et in affluentia donorum ; ideo semper debemus accedere ad ipsum pro spiritualibus bonis ; de temporalibus debemus ei committere, quod det nobis de eis secundum quod videbitur ei expedire. Unde in Evangelio Matth. vi, 33 : *primum quærite regnum Dei ; et hæc omnia adjicientur vobis.*

Item est dives Deus in possessione, quia sua sunt omnia. Ps. xxiii, 1. *Domini est terra* etc., *gloria et divitiæ in domo ejus.* Ps. cxi, 3 ; et *cum esset dives, propter nos egenus factus est* II Cor. viii, 9 ; et in hoc debemus considerare quod non debemus confidentiam habere in temporalibus sed in spiritualibus. Si homo videret servum alterius, et ille servus promitteret ei servire, non deberet in hoc confidere, quia dominus posset eum impedire ; sed si dominus servi permitteret quod ei serviret, tunc confidere posset ; ideo in Deo confidere debemus, quia ipse potest omnia dare. Unde Apostotus ad Timoth. vi, 17 *Divitibus hujus* *, *mundi præcipe non sublime sapere*, idest non superbire in hiis quæ terrena sunt, *neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo qui dat* * *omnia affluenter.* In ipso est inchoatio spei. Est igitur Deus dives tripliciter. Patet modo de hominis conditione et de ejus facultate.

Videamus de ejus provisione, quæ notatur cum dicitur : *qui habebat villicum.* Sed quis est iste villicus ? dico quod villicus est administrator villæ. Unde est quod Deus per suam potentiam omnia per se ipsum facere potuit, sed noluit, imo commisit aliis administrationem, et sibi reservavit gubernationem, et voluit quod alii ministarent, ut servaretur pulchritudo ordinis et perfectio universi. Ponatur quod unus non indigeret alio : non esset pulchritudo ordinis. Ps. ciii, 24 : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine : omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.*

Item voluit omnia per seipsum gubernare propter voluntatem, quia noluit quod res aliqua esset supervacua. Unde in libro Sapientiæ xiv, 4 : * *Cum sis potens omnia salvare*, sequitur ; *ut non essent cuncta supervacua opera tua, exiguo ligno credunt homines animas suas.* Quare fecit Deus solem ? Ne egeremus ejus calore et luce. Et si non haberet utilitatem, supervacuus esset ; et tu superfluus es in mundo, si non facis utilitatem. Ps. « *Numquid vane constituisti* (omnes) *filios hominum ?* » quasi

flent : agnosco. Et Dominus servum inutilem jussit projici in tenebras exteriores Matth. xxv, 30. Quid igitur dicendum est de servis malis?

Item voluit Deus aliis committere administrationem propter liberalitatem. Voluit Deus quod bonitas sua transiret in alios. Dicit Dionysius *de cælest. Hierarch.* c. III, quod nihil divinius est quam Dei cooperatorem fieri : et quando prædicas ad salutem animæ, vel alia bona facis, tunc Deo cooperaris. Unde dicit Deus Moysi Exod. VII, 1 : *ego constitui te Deum Pharaonis.*

Dicit : *qui habebat villicum.* Qui sunt villici? Dicit quod Deus in diverso ordine constituit villicos. Primo constituit angelos qui administrarent super omnem creaturam. Unde Augustinus *de Genesi ad litt.* : « omnia corpora reguntur per spiritualem creaturam. » Apostolus Hæbr. I, 14 : *omnes sunt administratorii spiritus.* Isti sunt magni ballivi. Sed sunt minores isti qui sunt præpositi rebus terrenis. Unde in Genes. I, 26 : *Faciamus hominem ad similitudinem et imaginem nostram : et præsit piscibus, bestiis et volatilibus*, et breviter omnibus. Ps. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, sed addens quoniam *Dominus ipse est Deus.* Ps. XCIX, 3. Unde Chrysostomus : *de parabola villici inter Spuria*, « advena es, et transitorii et brevis usus sunt tibi jura commissa. » Et ponit duo exempla dicens : modo habes agrum vel servum, considera quot dominos ante habuit infinitos ; vix habent tot glebas. Item est de te sicut de illo qui sub umbra quiescit : recedis, et venit alius qui quiescit ibi sicut et tu. Sic cedit tibi in mundo secundum divinam providentiam, non tuam. Igitur villicus es, non dominus.

Item sunt ballivi medii inter homines et angelos, qui sunt super homines et hominibus præpositi sunt. Apostolus I Cor. IV, 1 : « *Sic nos existimet homo* * sicut *præpositos et administratores.* » Item suscitavit gloriosos ministros, scilicet beatos Dominicum et Franciscum qui administrarunt salutem hominum, et ad hoc fuit ipsorum spirituale studium ut homines inducerent ad salutem, et omnes sancti quæsiverunt administrare salutem hominum, et bonorum laborum gloriosus est fructus. Ideo gloriosi sunt modo in cœlestia patria, ad quam nos perducat qui cum Patre etc.

COLLATIO

Homo quidam etc. Sicut dictum fuit hodie, in verbis istis duæ personæ introducuntur, scilicet persona domini et persona villici : de duobus aliqua dicta sunt, nunc de villico dicemus.

Et possumus circa villicum tria considerare, scilicet ejus officium, ejus abusum, et periculum ; Officium, quia villicus fuit : Abusum, quia dilapidavit bona domini : Periculum, quia diffamatus est. Dixi quod villici sunt administratores, ut angeli et homines.

Et quia homines sumus, dicamus quod homo est cui commissa est cura dispensationis bonorum. Tria committit Dominus homini. Seipsum, bona spiritualia, et res exteriores. Primo, dico, committit Dominus homini seipsum. Hæc est differentia inter hominem et alia animalia, quod Dominus dedit homini potestatem sui. Potest homo facere de se quod vult, sed alia animalia moventur instinctu naturali. Unde in Ecclesiastico xv, 14 : *Deus ab initio constituit hominem, et* * *illum dimisit eum in manu consilii sui.* Si tu commisisses aliquid alicui, exigeres ab eo rationem ; sed nota : Si leo occidit hominem, non punit eum Deus, quia non est ei cura de se ipso commissa. Apostolus I Cor. IX, 9 : *Numquid est cura Deo de bobus?* Sed Deus hominem sibi ipsi commisit ; ideo rationem debet ei reddere. Unde in Ecclesiaste XI, 9 : *Ambula in via* * *cordis tui*, idest secundum desideria voluntatis tuæ, *in intuitu oculorum tuorum*, idest secundum intellectum, *et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.*

Secundo, commisit Deus homini bona spiritualia, quia homo in sua potestate habet uti bonis spiritualibus, et potest eis uti bene vel malo. Unde in Evangelio Matth. XXV, 14 : *Homo peregre proficiscens vocavit servos suos et dedit eis bona sua*, idest temporalia, et dixit Luc. XX, 13 : *negotiamini* * *donec venio.* Si ha-

* [illegible]

* reliquit illum

* viis

* dum

bes caritatem potes ea uti bene vel male, et oportebit te reddere rationem de hoc. Unde Apostolus ad Cor. XIV, 32 : *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.* Et de hoc oportebit reddere rationem. Gregorius : *Hom.* IX *in Evang.* « Cum crescunt dona, rationes crescunt donorum. »

Tertio, commisit Deus homini bona exteriora, ut eis utatur. Ps. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* etc., et Deo rationem reddere debes. Si aliquis dominus commisisset tibi bona sua, oporteret te rationem reddere illorum in fine anni ; sic Deus in fine vitæ tuæ exiget rationem de præbendis tuis. Unde contra malos dicitur in canonica Jacobi V, 1 : *Agite nunc *plorate, plorantes et ululantes in miseriis * quæ advenient vobis.* Sequitur Jacob V, 9 : *Ecce judex ante jam ad januam assistit.* Patet modo de officio villici.

* plorate
* vestris

Videamus de abusu villici, quod notatur cum dicit : *dissipavit bona illius.*

Sed qualiter dissipat villicus bona domini sui ? Tripliciter : primo, dico, dissipat villicus bona domini sui per usurpationem. Verbi gratia ponatur quod villicus, cui dominus commisit villam, vel alia bona, non vellet facere utilitatem domini sui, sed sibi eam attribueret, ille diceretur fur. Deus commisit te tibi non ut sis tuus, sed ut sis suus, et quæras gloriam Dei, non tuam. Apostolus II Tim. II, 15 : *Sollicite cura te ipsum, exhibere Deo operarium inexprobrabilem, inconfusibilem.* Sed quidam non reputant se liberos. Dicunt illud Job. XXI, 15 : *Quis est Omnipotens ut serviamus ei ?*

Item si Deus dedit tibi scientiam aut virtutem, ad quid dedit tibi nisi ut servias ei, et des ei gloriam? Unde in Ecclesiastico LI, 23 : *Danti mihi sapientiam dabo gloriam.* Dicit Hilarius : « hoc præcipuum vitæ meæ officium me debere tibi, omnipotens Pater, conscius sum, ut te omnis sermo meus et sensus loquatur. » Sed aliqui, non tales, dixerunt Ps. XI, 5 : *labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est ?* Si sciunt bene se disputare et legere, nolint ex hoc impugnare Deum et fidem. Unde Isaias III, 8 : *lingua eorum, et adinventiones eorum contra Dominum.* Deus dedit tibi divitias, ut convertas in honorem Dei. Unde dixit David *Paralip.* XXIX, 14 : *tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* E contra quidam reputant omnia sua, non Dei. Job. XXII, 17 : *Quasi nihil posset facere Omnipotens * reputaverunt eum ; cum replesset domum eorum bonis,* Isaias XXIV, 5 : *Dissipaverunt fœdus sempiternum* scilicet quod creaturæ omnes debent esse propter gloriam Dei. Dissipat igitur villicus bona domini sui per usurpationem.

* æs... ban... cum imp... do...

Sed contingit quod villicus, sive dispensator, dissipat bona domini sui indebite retinendo. Qui vinum deberet vendere et retineret donec corrumperetur, dissipat bona domini sui indebite retinendo. Habes curam tui, non quod tibi soli intendas et de te solo curam geras. Sic oculus non est factus pro se solo, sed ut corpori deserviat.

Dixit quidam senex, Terentius *Autontim.* Act. I, Scen. I : quia homo sum, nihil a me humani alienum puto.

Item accepisti gratiam a Deo. Credis quod ideo habes eam, quod solus eam habeas? Certe non, sicut sol non habet claritatem pro se solo, sed ut eam effundat aliis, dedit tibi Deus gratiam ut dispenses eam aliquis. Unde beatus Petrus : I Pet. IV, 10 *Unusquisque *, prout accepit gratiam, in alterutrum *, ministratores sicut boni dispensatores Christi.* Et Sapiens dicit VII, 13 : *quam sine fictione didici et sine invidia communico.*

* s...
* ad... tr...

Item debes temporalia aliis ministrare, non solum habere ad tuam voluntatem solum. Apostolus I Tim. VI, 17 : *Præcipe divitibus hujus sæculi non sublime sapere, et facile tribuere.* Dixit Philosophus, *Polit.* lib. II, lect. IV, quod optimæ sunt civitates in quibus possessiones sunt distinctæ et usus communes. In Joele dicitur I, 17 : *apothecæ dissipatæ sunt,* (quoniam) *confusum est triticum,* ad litteram est consumptum ; propter hoc dicitur in canonica Jacobi V, 2 : *divitiæ vestræ * computruerunt ; vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum vestrum et argentum æruginavit, et ærugo illorum erit vobis in testimonium.*

* puti... s...

Dicit Basilius : *Hom.* in illud Lucæ, *Destruam* ; « solent dicere homines : Deus

non est justus. An injustus est Deus inæqualiter multis res dispensans? Non est injustus. Cur ergo tu abundas, ille mendicat, nisi ut et illam vitæ dispensando, tu præmia consequaris, et ille patientiæ bonis coronetur? At tu non deprædator es, quæ tibi commissa sunt dispensanda appropriando? est equidem panis quem tu tenes, nudi tunicam quam in conclavi conservas. Discalceati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentum quod humi reconditum habes; quocirca tot injurias quot dare posses. »

Alii villici, seu dispensatores, sunt dispensatores per prodigam diffusionem. Primo semper effundunt diabolo per mollicem delectationem, contra quos dicitur in Proverbiis v, 9 : *Ne dederis honorem tuum alienis, et annos tuos crudeli.* Alii si habent gratiam, vendunt eam favore vulgi, contra quos dicitur Matth. vii, 6 : *nolite sanctum dare canibus.* Temporalia dant histrionibus, non darent aliquid bono viro, contra quos dicitur Eccl. xii, 5 : *da justo**, *bono, et non receperis et noli recipere peccatorem*, scilicet, in quantum peccator est, ad fovendum eum in peccato. Legitur Luc. xv, 13, quod filius prodigus partem substantiæ suæ expendit vivendo luxuriose. Utinam non multi animam expenderent! Patet modo de officio villici et de ejus abusu.

Videamus de periculo villici. Apparet autem periculum istius villici ex tribus. Primo ex diffamatione. Unde dicitur quod *diffamatus est*. Secundo ex officii amissione. Unde dicitur : *jam non poteris amplius villicare.* Tertio apparet periculum villici, quia non potest se amplius juvare; unde dixit : *fodere non valeo, mendicare erubesco.*

Primo, dico, apparet periculum villici, sive dispensatoris, ex diffamatione.

Habuit multa bona aliquis, venit ad mortem, peccata sua non latent. Quis diffamavit eum? Conscientia sua et sanctorum, et ipse Deus cui *omnia nuda et aperta sunt.*

Item periculum villici apparet ex officii amissione, quia dictum est ei : non poteris amplius villicare. Habuisti scientiam et potentiam; venis ad mortem, non poteris amplius ea habere. Ps. xlviii, 17 : *dives cum interierit non sumet omnia*, idest nihil. Job. i, 21 : *nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.*

Dices, forte potero mihi aliquid acquirere? certe, non, quia non poteris te juvare. Unde dicit : *fodere non valeo, mendicare erubesco*; propter hoc dicitur in Ecclesiaste ix, 10 : *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas.* Dices forte, rogabo beatam Virginem et Sanctos quod juvent me? Certe non erit tunc locus mendicandi. Unde dicitur : *mendicare erubesco.* Virgines fatuæ voluerunt mendicare, sed nihil datum est eis, *sed quæ paratæ fuerunt intraverunt ad nuptias.* Matth. xxv, 10. Est igitur villicus in periculo.

Sed quod est remedium? qui haberet causam coram judice et esset accusatus, et crimen ejus esset notum, quid esset saluberrimum consilium? dico quod saluberrimum consilium esset quod rex daret ei, scilicet si rex ei diceret : fac hoc et liberaberis. Hoc esset saluberrimum consilium. Christus dat tibi consilium. Quando aliqui sunt diffamati, nec possunt amplius villicare, nec fodere possunt, nec mendicare, debent facere consilium Christi, qui dicit Luc. xvi, 9 : *facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

Sed quod est illud consilium et mammona? Hoc est consilium quod Daniel dedit Nabuchodonosor dicens Daniel, iv, 24 : *consilium meum placeat tibi regi : peccata tua eleemosinis redime.* Dicit : de mammona iniquitatis. Debemus ne divitias iniquas, sicut de furto, dare pauperibus? certe non, quia dicit Augustinus lib. *de verbis Domini* : Serm. xxxv : « noli te fingere talem Deum qualem hominem contemnes. » Et Dominus dicit : Isai. lxvii, *ego odio habeo rapinam in** *holocaustis.* *holocausto

Quatuor modis solet exponi, sive intelligitur quod dicit : de mammona iniquitatis. Uno modo exponit Basilius dicens : quod mammona iniquitatis dicit, quia divitiæ sunt iniquitates. Raro contingit

quod aliquis habeat divitias quin aliquis antecessorum inique eas acquisiverit. Augustinus dicit *de verbis* Domini, serm. xxxv quod divitiæ dicuntur mammona iniquitatis, quia iniquus eas divitias æstimavit; vel dicuntur mammona iniquitatis quia perducunt ad iniquitatem. Chrysostomus dicit, (Theophyl. in hunc locum), quod divitiæ dicuntur mammona iniquitatis, quia inique eas retinuisti. Habes redditus et viginta vel quadraginta libras in thesauro modo? saltem in morte distribuas.

Est cui debent distribui. Quidam sunt solliciti de se ipsis quantum ad famam. Dicit Christus : *ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Augustinus conjungit duo verba verbis Christi et villici. Villicus dicit Luc. xvi, 4 : *ut cum amotus fuero, recipiant me in domos suas*, et Dominus dicit Luc. xvi, 9 : *in æterna tabernacula*. Et dicit Augustinus : *de Verbis Domini*, serm. xxxv, qui sunt illi quorum sunt æterna tabernacula, nisi Sancti Dei? qui sunt qui ab eis recipiuntur in æterna tabernacula, nisi qui eorum necessitati deserviunt, et quod opus est eis hilariter subministrant? Isti sunt minimi Christi, qui dimissis omnibus secuti sunt Christum.

Numquid dandæ sunt eleemosinæ peccatori? dico quod ceteris paribus melius est dare justo quam peccatori; quia dando justo opus quod facis meritorium est, et similiter opus quod ille facit; sed non sic est in peccatore; imo solum est meritorium opus quod tu facis, non quod ille facit. Dicit Chrysostomus, xxxiii *ad Populum Antiochenum* : « ars artium potissima est eleemosina. Non enim edificat domus luteas, sed perennem impendit nobis vitam. » Quod nobis præstare etc.

XXXIX

F. 195 tergo. — Sermo in festo omnium Sanctorum Sancti Thomæ de Aquino (a)

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi. Ps. xxxii, 12 : Multis modis sancta mater Ecclesia studium suum adhibet ad hoc quod filios suos provocet ad desiderandum cœlestia. Et si recte inspicere vultis, videtur totum studium suum tendere ad hoc, quod, contemptis terrenis, transferat nos ad desiderandum cœlestia; quod ex fundatore primo Ecclesiæ Salvatore nostro patet, qui in prædicationis suæ et doctrinæ studio dixit Matth. iii, 2 : *agite pœnitentiam*, ut nos removeret a mundanis; *appropinquavit regnum cœlorum :* hoc dicit, ut nos alliciat ad desiderandum cœlestia.

Inter alia provocativa cœlestis desiderii recolit et infigit hodie cordibus nostris gloriam sanctorum in quam tendimus. Si placet, in principio rogabimus Deum, quod pro convenientia tantæ celebritatis det mihi aliquid dignum dicere, quod sit ad ejus honorem et omnium sanctorum, et ad salutem animarum nostrarum.

Beata gens etc. Inditum est communiter animis hominum, ut delectabiliter audiant laudes patriæ suæ et parentum suorum. Laudes patriæ, ut ad eam redire festinent : laudes parentum, ut eos imitando non sint degeneres.

Sed quæ est patria nostra? patria ad quam tendimus est cœlestis patria. Unde Apostolus Heb. xiii, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Parentes nostri sunt spirituales viri, qui nos docuerunt, nos instruxerunt, exemplum recte bene vivendi nobis præbuerunt. Isti sunt sancti in patria quorum solemnia hodie celebramus, et ideo ipsorum laudibus debemus cum jucunditate insistere. Unde in Ecclesiastico xliv, 1 : *laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua*.

Videte : Spiritus Sanctus per os David collegium istud Sanctorum commendat quadrupliciter. Primo ex eorum dignitate. Secundo ex eorum rectore. Tertio ex eorum dispositione. Quarto ex ipsorum electione. Ex eorum dignitate commendat collegium illud sanctorum, ibi ; *Beata gens*. Ex eorum rectore, ibi : *cujus Dominus Deus ejus*. Ex ipsorum

(a) Ex recensione D. Uccelli.

dispositione commendat populum, cum dicit populus; ex eorum electione (cum) dicit quem elegit Dominus etc.

Primo, dico, commendat David collegium istud sanctorum ex ipsorum dignitate, ibi: Beatus populus. Dignitas collegii istius notatur quia pervenerunt illuc quo tendimus. Item possident quidquid desideramus. Item constituti sunt super illud quod intelligere possumus.

Primo, dico, attenditur dignitas sanctorum, quia pervenerunt illuc quo tendimus. Beatitudo finis est omnium actionum nostrarum. Unde Apostolus ad Romanos vi, 22 : *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*. Et videte, dicit Augustinus libro *de civitate Dei* : « quis est finis desideriorum nostrorum, nisi pervenire ad regnum ubi nullus est finis? » Et videte, finis hominis tribus comparatur in sacra Scriptura. Primo comparatur coronæ. Unde Apostolus II Tim. iv, 8 : *In de reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. Aliquando comparatur bravio. Unde Apostolus ad Philippenses iii, 14 : *ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis*. Item aliquando comparatur mercedi. Unde in Evangelio Matth. v, 12 : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*.

Nec immerito comparavit Filius hominis istis tribus, quia omnis actio nostra ad tria reducitur. Actio quorumdam est per certamina, quantum ad activos. Unde Job. vii, 1 : *Militia est vita hominis super terram* : et qui legitime certaverint eis debetur corona, quia II Tim. ii, 5 *non coronabitur nisi qui legitime certaverit*.

Alii currunt, ut contemplativi ; et isti nihil habent retardans ipsos, sed velociter currunt. De istis dicit Ps. cxviii, 32 : *Viam mandatorum cucurri*. Sed certantibus debetur bravium. Apostolus I Cor. ix, 24 : *omnes currunt, sed unus solus bravium accipit*.

Alii sunt laborantes, ut prælati, qui exercent salutaria in plebe ; et istis debetur merces. Unde Apostolus I Cor. iii, 8 : *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum laborem suum*.

Sed quæ est gloria sanctorum in patria? Dico quod consecuti sunt coronam tamquam boni certatores. Assecuti sunt bravium tamquam cursores, et consecuti sunt mercedem tamquam operarii boni. Homines in mundo laborant habere coronas, sed illa corona est corruptibilis ; corona sanctorum est incorruptibilis. Unde Apostolus I Cor. ix, 25 : *illi quidem ut corruptibilem * habeant coronam, nos vero incorruptibilem*. Est igitur dignitas sanctorum, quia pervenerunt illuc quo tendimus. * *corruptam accipiant; nos autem incorruptam*

Item habent quidquid desideramus, et adhuc amplius. Unde in Proverbiis x, 24 : *Desiderium suum justis dabitur*. Considera quid desiderare potes in voluptatibus et delectationibus, totum habent sancti. Dico, in delectationibus spiritualibus, non in mundanis et fœdis. Ps. xv, 11 : *Delectationes tuæ in dextera tua*.

Si desideras divitias, sancti opulentissimi sunt. Nihil deest timentibus Dominum Prov. i, 33 : *abundantia perfruentur*.

Item, si desideras honores, sancti in maximo honore constituti sunt. Ps. cxxxviii, 17 : *Nimis honorificati honorati sunt amici tui, Deus*. Si appetis scientiam, illam perfecte habent sancti, quia ipsi bibunt scientiam de ipso fonte sapientiæ. Sancti plenissime habent quidquid homo potest hic (a) peccando, vel non peccando appetere. Apparet igitur dignitas sanctorum, quia ipsi pervenerunt quo tendimus, et habent quidquid desiderare possumus.

Item sunt in summo constituti ultra id quod intelligere possumus, quia ultra id quod potes intelligere est beatitudo beatorum. Unde Isaias lxiv, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te quæ præparasti * diligentibus te*. * *expectantibus*

Quæ est ratio quod sancti sunt in summo constituti ultra id quod intelligere potes? Certe quia sancti in patria quantum ad omnia habent impletum desiderium suum. Et quomodo possunt omni bono impleri, nisi veniant ad fontem omnis boni? Quando arbor est onusta fruc-

(a) Ed. absque [illegible]

tibus, si venis ad unum ramum non potes accipere omnes fructus ejus. Similiter si vadas ad alium ramum ; sed qui radicem amputaret omnes fructus auferret arbori. Similiter non potes perfrui omni bono, nisi venias ad fontem omnis boni : ille est Ps. CII, 5, *qui replet in bonis desiderium tuum.* Unde dixit Dominus Moysi Exod. XXXIII, 39 : *ego ostendam tibi omne bonum*, idest me ipsum, in quo est omne bonum ; et quia Deus magnus est super omnem intellectum, ideo sancti qui fruuntur Deo in tantum sunt elevati, quod nullus attingere potest. Unde Isaias LIII, 14 : *Sustollam te super omnem altitudinem terræ*, idest super omnem altum quod terrenus homo potest intelligere : *ditabo*, inquit, *te altitudine patris tui*, Ps. CXLIX, 9 : *gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Patet igitur dignitas et gloria sanctorum in patria, quia ipsi pervenerunt illuc quo tendimus, habent quidquid desiderare possumus, et sunt in alto constituti ultra id quod intelligere possumus.

Videamus de eorum rectore. Tota dignitas sanctorum dependet ex ipso rectore. Valde miserum est et abjectum et horrendum quod homo subdatur inferiori se, vel vili. Unde comminatur Dominus per prophetam dicens : *Tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium.* Qui dignum habet cui serviat, est batus. Unde in Ecclesiastico XXV, 11 : *Beatus qui non servivit indignis se.* Indigni sunt dæmones ; nos sumus filii Dei. Indignum est quod serviant filii inimico patris ; beati qui Deo serviunt. Unde in libro III Regnum X, 8 : *Beati servi tui.* Justum est esse subditum Deo. Summa perfectio rei est quod sit subdita suo perfectori. Materia non est perfecta nisi subdatur formæ, et aer non est decorus nisi quando subjicitur soli, nec anima est perfecta nisi subdita sit Deo.

In hoc igitur consistit beatitudo nostra, quod simus subditi Deo.

Posses dicere : numquid subjecti sumus Deo ? Verum est, sed mediate : scilicet mediantibus angelis, prælatis et pedagogis, qui nos custodiunt quomodo debemns ad beatitudinem pervenire ; sed sancti in patria non sunt subjecti pedagogis. Unde Apostolus I ad Cor. XV, 24 : *Deinde finis ; cum tradiderit Christus regnum Deo Patri, et cum evacuaverit omnem principatum.* Dicit igitur : *beata gens, cujus Dominus Deus ejus.*

Et videte quod fuerunt aliqui, et sunt qui dixerunt felicitatem et beatitudinem esse in terrenis, quorum opinio describi- in Ps. CXLII, 13 : *Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oves eorum fætosæ*, et cetera quæ ponit. Sequitur : *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Ita dixerunt vulgares, et falsa est opinio ista, quia transeunt omnia sicut umbra.

Item non replent, quia *avarus non implebitur pecunia.* Invenias in terrenis quod maneat, quod desiderium impleat, et confiteor tibi quod ibi est beatitudo; sed in invenitur. False igitur æstimant beatitudinem esse in terrenis. Ubi igitur est beatitudo ? Psalmista respondet et dicit Ps. CXLIII, 15 : *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.*

Item alii sunt vel fuerunt, ut Stoici, qui beatitudinem et felicitatem dixerunt esse in interioribus bonis. Habere virtutes et scientiam dixerunt summum bonum ; quorum opinio reprobatur in Jeremia IX, 23 : *Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua et non glorietur, nec fortis in fortitudine sua.* Quare ? quia quidquid est intus te ipsum subditur naturæ tuæ, sed quod beatum te facit debet esse supra te, non tibi subjectum ; propter hoc sequitur : *sed in hoc glorietur, scire et nosse me.*

Sunt alii qui dicunt, quod beatitudo est in his quæ sunt juxta nos. Confidebant tales in homine, contra quos dicit Ps, CXLV, 2 : *Nolite confidere in principibus.* Non est etiam confidendum in angelis, quia aliqui dixerunt quod finis noster est videre angelos, sed constituitur intellectus noster ad visionem summæ causæ. Anselmus : « Non enim videndo angelos beati sumus, sed videndo virtutem qua diligimus angelos. »

Beata gens cujus est Dominus Deus ejus. Et quomodo ejus ? Dico quod est Deus ad cognoscendum, ad possidendum, et ad fruendum.

Primo, dico, est Deus eorum ad co-

gnoscendum. In hoc est perfecta beatitudo sanctorum in patria, quod cognoscunt Deum. Unde Augustinus, libro *Confessionum* Cap. IV, n. vii : « Infelix enim homo qui scit illa omnia, te autem nescit ; beatus qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui autem te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus. » Beatitudo est quod cognoscamus Deum, sive quod habeamus Deum ad cognoscendum. Sed numquid sancti in patria cognoscunt Deum ? certe sic. Unde Jeremias xxxi, 34 : *Non docebit vir (ultra) proximum suum, et vir proximum suum, dicens : cognosce Dominum ; omnes cognoscent me, a minimo eorum usque ad maximum.*

Sed quomodo habent sancti Deum ad cognoscendum ? Dico quod istam cognitionem duo concomitantur, clara et aperta visio, et perfecta ad Deum assimilatio.

Primo, dico, istam cognitionem concomitantur clara et aperta visio.

Videmus enim modo a remotis Deum per similitudinem creaturarum et in ænigmatibus. Unde Job xxxvi, 25 : *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur eum procul.* Apostolus ad Rom. i, 20 : *Invisibilia* (*) *Dei per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur* ; sed in patria sancti vident Deum clare, non in speculo et ænigmate.

Ad hoc autem quod clare videamus Deum oportet quod habeamus oculos puros. Si oculi habent caliginem, vel si fuerint turbati, non sufficiunt ad videndum claritatem solis. Similiter si in mente tua est ignis concupiscentiæ, ignis iræ, vel ignis malorum desideriorum impedit te a visione Dei Ps. lvii, 9 : *Supercecidit ignis*, scilicet concupiscentiæ, *et non viderunt solem*, idest Deum. Igitur istam cognitionem concomitatur clara et aperta visio.

Item concomitatur eam perfecta ad Deum assimilatio ; quia cognitio non fit nisi per assimilationem cognoscentis ad cognitum, ut vult Philosophus ; sed sancti perfectam habent assimilationem ad Deum. Unde in Joanne I Joan. iii, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.* Si vis pervenire ad assimilationem Dei in patria, debes studere assimilari ei in bonis operibus hic. Christus venit pacem mittere in terra. Eph. ii, 14 : *Ipse est pax nostra qui fecit utraque unum.* Non semines igitur jurgia : sed ad pacem reducas discordias, si vis Christo hic assimilari. Unde in Evangelio Matth. v, 9 : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Filius habet perfectam assimilationem cum patre. Habebimus igitur in patria Deum ad cognoscendum et ad videndum. Unde Augustinus in *Psalm.* xxviii : « Finis omnium actionum nostrarum promittitur ista contemplatio. » Scribitur Deut. x, 9 quod filii Levi non habuerunt partem inter fratres, quia Dominus possessio eorum. Sancti habent Deum in possessione, et sufficit eis. Ps. xv, 6, 5 : *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei, etc.* Sed quomodo possident sancti Deum ? Dico quod sunt beati possidendo Deum, quia Joan. iv, 16 : *Beatus qui tenuerit eum.* Et qualiter perveniunt ad ejus possessionem ? Dico per dilectionem. Unde in Joanne. Joan. iv, 16 : *Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et in Tobia xiii, 18 : *Beati omnes qui diligunt te.*

Sed quid possides possidendo Deum ? Dico quod possidendo Deum possides quod in Deo est. Et quid est in Deo ? gloria et divitiæ. Pas. cxi, 3 : *Gloria et divitiæ in domo ejus.* Sancti in patria habent gloriam et honorem. Omnes sunt reges Apoc. v, 10 : *Fecisti nos reges Deo nostro regnum.* Ista gloria promittitur humilibus, quia Job. xxii, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Et in Evangelio Matth. v, 3 : *Beati pauperes, (spiritu) quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

Item sancti habent infinitas divitias, quia habent quidquid homo desiderare potest.

Sed quibus datur ista possessio ? numquid litigantibus ? certe non. In mundo acquirit homo quandoque terrena litigando, et per fraudem. Sed cœlestes divitiæ acquiruntur per mansuetudinem. Unde in canonica Jacobi i, 2 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Et in

Evangelio. Matth. v, 4 : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Habent igitur sancti Deum ad cognoscendum et possidendum.

Tertio, sancti in patria habent Deum ad fruendum et delectandum. Job. xxii, 26 : *Super Omnipotentem deliciis afflues* : Sancti in patria non delectantur in re temporali, sed in Deo fonte totius boni. Unde Dominus Luc xxii, 30 : *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*. Quid est edere super mensam Dei? Hoc est delectari et refici in quo Deus reficitur. Et quid est hoc in quo Deus reficitur? Hoc est ejus bonitas. Quando reficeris de bonitate Dei, tunc edis in mensa Dei, et hoc est beatitudo Sanctorum. Unde dicitur Luc. xiv, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno * sanctorum*. *Dei

Et videte : delectatio ista tres proprietates habet : quia gaudium istud est consolatorium. Per illud gaudium homo amisit omnes tristitias. Unde Isaias lxv, 16 : *Oblivioni traditæ sunt angustiæ, priores non sunt in memoria nec ascendent super cor, quia videbitis et exultabitis in his quæ feci*. Augustinus dicit libro XXII, *De civitate Dei* c. xxx, quod aliter obliviscitur doloris eruditus et doctus, et aliter expertus et passus. Eruditus et doctus obliviscitur doloris quando negligit. Expertus et passus quando transfertur ad gaudium. Et sancti propter gaudium obliviscuntur omnium dolorum. Est igitur gaudium illud consolatorium.

Item est plenum. Quare est plenum? quia est de creatore, et de creaturis omnibus nihil occurret menti tuæ quod te non faciet gaudere.

Ingredietur ad contemplationem divinitatis, et egredietur ad contemplationem creaturarum, et ubique refectionem inveniet in Deo et creaturis. Est igitur gaudium plenum. Unde in Joanne xvi, 24 : *Petite ut gaudium vestrum sit plenum*. Augustinus : « Ad istam satietatem nemo pervenire potest nisi esuriendo justitiam. Unde in Evangelio Matth. v, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur*. »

Item est illud gaudium purum non permixtum mœrori et anxietatibus, sicut gaudium sæculi, de quo dicitur Prov. xix, 13 : *Risus dolore miscebitur*. Isaias xxxv, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet ab eis dolor et gemitus*. Et in Proverb. i, 33 : *Abundantia perfruetur, timore malorum sublato*. Illud gaudium habebunt misericordes, quia Matth. v, 7 : *Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequuntur*. Augustinus : « Ipse est finis noster, quem sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, et sine fatigatione laudabimus; sed quid erit in illo fine? sine fine vacabimus, vacando videbimus, videndo amabimus, amando laudabimus. Beatus qui erit in illo fine, quia Ps. xxxv, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine*. »

Ad illam beatitudinem perducat nos qui cum Patre et Filio et Spiritu Sancto vivit et regnat etc.

COLLATIO

Beata gens, cujus est Dominus etc. Circa illud gloriosum collegium sanctorum, cujus festum hodie celebramus, dictum fuit de sanctorum dignitate et de ipsorum rectore.

Propter temporis brevitatem dicendum est aliquid de ejus dispositione, quæ designatur nomine populi. Quid est populus? Augustinus introducit diffinitionem populi talem *de Civitate Dei*, lib. XIX, c. xxxi : Populus est cœtus multitudinis juris consensu utilitatis communione sociatus.

Et videte, secundum hoc, in nomine populi tria accipi possunt. Numerosa multitudo, ordinata distinctio, et concors unio.

Primo, dico, ad populum requiritur numerosa multitudo, quia unus vel duo non faciunt populum. Ista gens habet ne multitudinem? certe sic. Unde in epistola hodierna : *Vidi turbam magnam quam nemo dinumerare poterat*. Hoc pertinet ad dignitatem regis, et maxime istius regis, quod habeat magnum populum. Unde in Prove. v : *In multitudine populi dignitas regis*. Et Boetius dicit, quod rex gloriatur de civium multitudine.

Terra nihil est in comparatione ad cœlum. Dionysius dicit *Cœlest. Hierarch.* c. xiv : Quod multitudo materialium nihil

est respectu spirituum. Et de Domino dicitur : *Millia millium ministrabant ei : et decies millies centena millia assistebant ei*, et postea, multitudo omnium sanctorum.

In libro primo Regum : *Israel Juda innumerabiles sicut arena maris multitudine et bibentes et comedentes.* Solus Deus scit multitudinem sanctorum. Ps. CXLVI, 4 : *Qui numerat multitudinem stellarum.* Multitudo igitur populi pertinet ad dignitatem regis.

Item, pertinet ad jucunditatem. Homo est corruptibilis naturæ. Multitudo populi pertinet ad magnitudinem gaudii. Unde Isaias XXII, 2 : *Urbs frequens, civitas exsultans.*

Item, multitudo numerosa pertinet ad securitatem nostram. Multi sunt sancti nobiscum. Unde in libro Judicum V, 20 : *Stellæ manentes in cursu suo et ordine*, *contra Sisaram pugnaverunt*, idest contra diabolum. Et Heliseus dixit puero suo IV Reg. VI, 16 : *Noli timere ; multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illis.* Multitudo igitur Sanctorum in patria est Sanctis ad gaudium, Deo ad honorem, et nobis ad securitatem.

Dicendum de electione sanctorum. Traditur distinctio sanctorum ex conditione in epistola : sed ista diversitas est in mundo, non in cœlo. Unde Apostolus ad Coloss. III, 11, *Ubi non est Barbarus neque Scytha, Judæus et Gentilis.* Et beatus Petrus : Act. X, 35 : *In omni gente qui timet Deum, et operatur justitiam, acceptus est illi.*

In Evangelio ergo dicitur nobis differentia sanctorum, quæ erit in patria in populo glorioso. Traduntur nobis aliqui reges. Verum est quod omnes sancti regnant cum Deo, sed specialiter regnant Apostoli. Unde in Luca XXII, 29 : *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater*, et sicut fuerunt rectores ecclesiæ, ita in patria habent regiam dignitatem.

Et quomodo acquisiverunt ipsi regnum? Certe paupertate. Alii acquirunt regnum divitiis. Audiamus Petrum, qui dicit de acquisitione regni : Matth. XIX, 27 : *Ecce, inquit, nos reliquimus omnia.* Et Dominus dicit : Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu ; quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Sunt novi argumentatores qui nesciunt quid dicunt. Ipsi dicunt, quod virtus consistit in medio, et ita omnia renuntiare et virginitas non sunt de genere virtutum, quia non sunt in medio. Dicit Philosophus : inexperti ad pauca respicientes facile enuntiant. Non oportet quod in medio secundum quantitatem, sed secundum rectam rationem. Dicit Philosophus in *quarto Ethicorum*, quod magnanimus magnitudine est in extremis, sed eo quod ut oportet est medius, quia est magnanimus, ubi debet secundum quod debet, et propter quod debet. Philosophi omnia sua deposuerunt, ut possent vacare philosophiæ et continenter vixerunt. Si hoc fuit apud Gentiles, bene debet esse in Christianis. Sed si vir vellet continere quando mulier petit debitum, hoc esset vitiosum, sed in virginitate est summa virtus. Igitur Apostoli acquisiverunt regnum paupertate.

Invenimus victores martyres qui Heb. XI, 33 : *Per fidem vicerunt regna*, et isti sunt beati mites, quia non murmur resonat, non querimonia. De ipsis dicitur in Evangelio : Matth. V, 4 : *Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram.*

Item invenimus quosdam in solatio viventes, ut sunt sancti confessores qui lugebant in mundo et magnam pœnitentiam agebant. Videtis Antonium et Benedictum, qui in fletu et magna et austera pœnitentia vixerunt, et modo sunt in gaudio et consolatione. Unde in Evangelio Matth. V, 5 : *Beati qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur.*

Item, invenimus in cœlo judices justissimos, scilicet prophetas qui justitiam prædicaverunt ; et isti fuerunt esurientes justitiam, et ideo modo saturantur. Unde in Evangelio Matth. V, 6 : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam ; quoniam ipsi saturabuntur.*

Item, in patria invenimus cœtum Patriarcharum, qui insistebant operibus misericordiarum, et istis servatur adhuc in cœlo dignitas recipiendi alios. Unde Abraham, qui omnes in hospitio suo recipiebat, etiam angelos, Gen. XVIII, 3, ha-

bet dignitatem in cœlo quod omnes in sinu Abrahæ recipiuntur, et ideo dicitur : Heb. XIII, 2 *hospitalitatem nolite oblivisci*. Abraham omnes electos in sinu suo recipit. Unde dicitur : Matth. VIII, 11 *venient ab Oriente* (*et Occidente*), *et recumbent in sinu Abraham et Isaac et Jacob*. De istis dicitur in Ecclesiastico : XLIV, 10 *Isti sunt viri misericordiæ, quorum pietates non defuerunt*.

Item, in patria invenimus cœtum virginum, quæ munditiam servaverunt. Hæc est casta generatio. De istis dicitur in Evangelio : Matth. V, 8 *Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt*.

Item, invenimus in patria chorum angelorum qui intendunt paci; de quibus in Evangelio : Matth. V, 9 *Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur*. Patet modo quomodo pauperes acquisiverunt regnum, mites terram, lugentes consolationem, esurientes justitiam adepti sunt satietatem, misericordes consecuti sunt misericordiam, mundi visionem Dei, et pacifici vocantur filii Dei. Ad illud consortium nos perducat qui cum Patre etc.

XL

F, 263. — SERMO S. THOM.E DE AQUINO, IN FESTO BEATI MARTINI. (a)

Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit LXXXIII, 6. Satis expresse verba proposita demonstrant Beatum Martinum per auxilium divinum ad altitudinis gloriam pervenisse. Illud auxilium paratum est omnibus. Et sicut beatus Martinus indiguit auxilio divino ad hoc ut ad altitudinis gloriam perveniret; ita et nos indigemus divino auxilio ut possimus ad gloriam pervenire; ideo secundum monitionem Apostoli Heb. IV, 16 : *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ* ejus; *ut misericordiam consequamur, et gratiam* * *obtineamus in tempore opportuno*, ut det mihi aliquid dicere etc.

(* in margin: nvenia-mus)

Beatus vir etc. Hoc habet humana consuetudo, ut quando aliquis ad magnum statum, vel ad magnam dignitatem promovetur, hujus promotionis memoriam recolit ipse et sui. Hodie beatus Martinus promotus est ad maximam dignitatem et principatum, scilicet ad regnum cœlorum, ideo beatitudinis ejus memoriam recolit mater Ecclesia.

Circa ipsius beatitudinem tria occurrunt consideranda ex verbis propositis. Primo possumus considerare beatitudinis ejus principium, secundo processum, tertio beatitudinis ejus terminum. Principium sive causa beatitudinis ejus fuit divinum auxilium, quod notatur cum dicitur, *Beatus vir*. Processus est in ascensiones, fuit scilicet profectus de virtute in virtutem, quod notatur cum dicit : *Ascensiones in corde disposuit*. Terminus beatitudinis ejus est assecutio æternæ beatitudinis, quod notatur cum dicit : *in loco quem posuit*. Et quare? Psalmista LXXXIII, 3, statim exponens quod dixit, subdit : *Etenim benedictionem dabit legislator*. Ecce divinum auxilium. *Ibunt* de virtute in virtutem. Ecce ascensus de virtute in virtutem. *Videbitur Deus deorum in Sion*. Ecce locus quem posuit.

Primo, dico, quod principium sive causa perveniendi ad dignitatem aliquam est divinum auxilium; et rationabiliter in creaturis invenimus, quod si aliquid contingit alicui naturaliter, illud causa est illius. In illis quibus non contigit naturaliter, sicut ignis naturaliter est calidus; et ideo est causa calefactionis in illis quibus non contingit naturaliter : et Deus naturaliter est beatus, ideo est causa beatitudinis in aliis. Unde Apostolus : I Tim. VI, 15 *Quem ostendet beatus et solus potens rex regum et Dominus dominantium*. Nullus igitur potest ad beatitudinem pervenire nisi per divinum auxilium.

Videamus quod auxilium præbet Dominus ad hoc quod homo perveniat ad beatitudinem. Dico triplex auxilium. Primo Deus hominem corripit, secundo erudit, et tertio assumit. Quod Deus hominem corripiat est via in beatitudinem. Job V, 17 : *Beatus homo qui corripitur a Deo*.

(a) Ex recensione D, Uccelli.

Ista correctio pertinet ad vocationem. Homo non corripitur nisi propter peccatum. Vocatio fit a remotis, et homo per peccatum fit longe a Deo. Isai. LIX, 2 * *Peccata vestra diviserunt inter vos et Deum vestrum*. Illud beneficium vocationis ostendit Apostolus dicens Rom. VIII, 30 *quos prædestinavit, hos et vocavit*. Et beatus Martinus fuit vocatus a Domino et correptus, idest a peccato originali remotus, et a peccato actuali præservatus. Isaias : XLI, *Quis suscitavit ab Oriente justum, vocavit eum ut sequeretur se?* Qui suscitantur a peccato, a Deo suscitantur; sed quidam in Oriente, idest in pueritia convertuntur, sicut beatus Martinus, quando fuit decem annorum, invitis parentibus, fecit se catechumenum; cum esset duodecim annorum cogitavit quomodo ad heremum posset pervenire.

Videte illud auxilium, quod Deus corripit hominem, necessarium est homini. Scitis quantumcumque quis ab homine corripiatur, nisi adsit gratia Dei interius quæ vocet, nihil valet correctio ista. Unde in Ecclesiaste : VII, 14 *Considera opera Dei, quod nemo* * *possit corrigere quem ille despexerit*. Unde nihil valet quod aliquis corripiatur a prælatis vel ab aliis, nisi Deus operetur in illo per gratiam suam. Quod Deus hominem corripiat signum est dilectionis. Unde in Proverbiis III, 12 : *quem diligit Dominus corripit*.

Tripliciter corripit Deus hominem. Primo timorem incutiendo. Unde in Ecclesiastico I, 26 : *Qui sine timore est, non poterit justificari* Prov. I, 7 *et principium sapientiæ est timor Domini*. Debemus igitur studere ad timorem habendum. Hic est primus gradus ad beatitudinem.

Secundo corripit Deus hominem dimittendo ei peccata. Solus Deus est qui potest peccata dimittere Marc. II, 7. Ps. XXXI, 1 *Beati quorum remissæ sunt iniquitates etc.*

Tertio corripit Deus hominem ipsum attrahendo a peccatis. Numquid illud est beneficium divinum, quod sicut Deus homini peccata dimittit, ita ipsum a peccato præservet? Unde Augustinus Confess. lib. II, c. VII : « Gratiæ tuæ deputo et misericordiæ tuæ, quod peccata mea tamquam glaciem solvisti : gratiæ tuæ deputo et omnia mala quæ non feci. Quid enim non facere potui. »

Istam beatitudinem tangit Ps. I, 1 dicens : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum etc.* Beatus Martinus ista gratia non indiguit, scilicet remissionis peccatorum, quia non legitur peccata actualia commisisse. Sed in hoc corripuit ipsum, quia ipsum a peccato præservavit.

Secundo præstat Deus homini auxilium suum ipsum erudiendo. Ps. XCIII, 12 *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum*. Non est ista eruditio quæ solum illuminat intellectum, sed est movens affectum. Oratores habent artem qua movent affectum judicis, si hoc habet ars humana, multo fortius et divina. Unde in Joanne VI, 45 : *Omnis, qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad me*. Audit a Patre quando bonum inspiratur; non discit qui recusat inspirata. Non sic fecit Isaias qui dixit L, 5 : *Deus aperuit mihi aurem : ego autem non contradico; retrorsum non abii*. Audiam eum quasi magistrum. Ille discit qui cor suum divinæ inspirationi subjicit. Hoc pertinet ad justificationem.

Apostolus Rom. VIII, 30 : *quos vocavit, hos et justificavit*.

Tres sunt gradus in eruditione divina. Primo illuminat intellectum per fidem. Hæc est maxima eruditio. Majus est quod homo modicum habeat de fide, quam scire totum quod philosophi omnes de mundo sciverunt. Unde in Deuteronomio IV, 6 : *Hæc sapientia vestra et intellectus coram populis*. Et in Joanne XX, 29 : *Beati qui non viderunt et crediderunt*.

Secundo, eruditio ista erigit animum per spem. Quando animus credit per fidem, tunc per spem elevatur. Hic est secundus gradus beatitudinis. Ps. XXXIX, 5 : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas*.

Aliqui non in Deo, sed in vanitatibus confidunt. Quæ sunt vanitates? bona temporalia, divitiæ, honores et hujusmodi Ps. XXXVIII, 6 : *Verumtamen universa vanitas homo vivens*. Non debes igitur confidere in illis.

Quidam, quod pejus est, confidunt in insaniis, intendunt auguriis, divinationibus, et negromanticis superstitionibus.

Tertius gradus hujus eruditionis est quod immutat affectum per dilectionem, quia Tob. XIII. 17 *beati omnes qui diligunt te*. Beatus Martinus cujus pater et mater gentiles erant, anima tamen ejus nisi spiritualia sentiebat, et in tantum fuit eruditus, quod librum de Trinitate fecit.

Tertium auxilium divinum est quod Deus hominem assumpsit. Ps. LXIV, 5 *Beatus quem elegisti, et assumpsisti;* * *habitabit in atriis tuis.* Ista assumptio pertinet ad tertium beneficium Dei, scilicet ad magnificationem. Apostolus Rom. VIII, 30 : *quos justificavit, hos et* magnificavit.*

habitabit — *magnificavit*

Et quomodo magnificavit Dominus beatum Martinum? Certe triplici gradu. Primo per operum ejus sanctitatem. Si quis legat vitam beati Martini, scilicet quantæ virtutis, abstinentiæ et castitatis fuit, inveniet eum magnum. De ista magnitudine dicitur in Genesi XXVI, 13 quod *ibat Isaac proficiens atque succrescens* quousque magnus effectus est.* Magnus fuit Beatus Martinus in observantia mandatorum. Prov. XXVIII, 18 *Beati* qui audiunt legem tuam, et custodiunt illam in toto corde suo.*

donec — *qui vero custodit legem, beatus*

Secundo fuit beatus Martinus magnus propter miraculorum magnitudinem. Tres mortuos suscitavit. Panni ejus et litteræ missæ infirmos curabant. De ista magnificatione dicitur in Ecclesiastico XLV, 2. *Magnificavit eum in timore inimicorum*, idest inimicorum suorum, scilicet paganorum, *et in verbis ejus monstra placavit*, scilicet quia fuit semel arbor succisa, et ipse opposuit se arbori, et arbor ad aliam partem declinavit.

Item voluit hostium cuneos penetrare inermis, et tunc monstra placavit, quia hostes sui miserunt nuntios de pace. Propter ista miracula magnificandus est beatus Martinus, sicut beata Virgo quæ dixit : *quia fecit mihi magna*, scilicet miraculum miraculorum maximum : scilicet, quod in utero suo Deus factus est homo, et quod virgo peperit. Et Beato Martino fecit multa magna : propter hoc ab omnibus magnificandus est.

Tertius gradus est magnificationis beatitudinis Beati Martini, in diffusione ejus famæ, quæ est in terra. Quæ religio, quæ civitas ubi nomen et fama Beati Martini non sit celebris? Ps. CLXXXVII 2 : *Magnificasti, super omne nomen sanctum tuum;* licet *Glossa* hoc exponat de Christo, tamen de Beato Martino dici potest. Considerate miracula quæ fecit! Tot reges, tot imperatores studuerunt sibi facere nomina in terris. Aliqui fecerunt arcus triumphales, alii domus et castra, et tamen *periit memoria eorum cum sonitu.* Pauci sunt qui sciunt quis fuit Trajanus, quis Octavianus; sed Beatus Martinus, qui parvus fuit in terris, magnus effectus est. Tob. XXIX, 11 *Audiens auris* beatificavit me.* Omnes qui audiunt loqui de Beato Martino, beatificant ipsum. Patet modo primum, scilicet, beatificationis ejus principium, quod est divinum auxilium, et quomodo Deus hominem corripit, erudit, et assumit.

** beati... ba...*

Sequitur de processu Beati Martini ad beatitudinem cum dicit : *ascensiones in corde suo disposuit*, Quicumque vult ire ad aliquem altum statum, oportet quod paullatim ascendat. Hoc considerans Beatus Martinus, quod de infimo statu miseriæ debebat ascendere ad altum statum, beatitudinis paravit sibi ascensiones.

Possumus autem in Beato Martino considerare triplicem ascensionem. Prima est per regenerationis sacramentum, secunda est secundum statum, et tertia secundum meritum.

Primo, dico, Beatus Martinus paravit sibi ascensionem per regenerationis sacramentum; et quilibet, cui hoc beneficium confertur, scilicet, quod in Christo regeneretur, non parvo gradu ascendit. Apostolus : III, 27 *Omnes* qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Non parum est indui et conformari Christo. De isto ascensu dicitur in Canticis : IV, 2 *Dentes tui sicut greges tonsarum.* Pili sunt peccata : greges tonsi ascendentes de lavacro sunt qui per baptismum a peccato sunt mundati, et isti ascendunt : quod signatur per hoc quod Christus baptizatus ascendit de aquis. Matth. III, 16 Beatus Martinus multum cogitavit quomodo ad illud beneficium

** quicum...*

possit pervenire, et postea sollicite studuit se semetipsum a peccato custodire.

Secunda ascensio pertinet ad statum. Unde in Exodo : xxiv, 1 *Dixit Dominus ad Moysen : ascende tu et seniores septuaginta domus Israel in montem.* Dixit Dominus quod alii remanerent, et quod solus Moyses ascenderet : populus non ascendit, quia non pertingit ad altitudinem statum. Seniores aliquantulum ascendebant, sed solus Moyses in montem ascendit. Diversi sunt status, secundum hoc idem, si consideremus ascensionem Beati Martini secundum statum, tripliciter ascendit. Primo de statu militari in clericalem, secundo a statu clericali in regularem, et tertio a statu regulari in pontificalem. Primo dico Beatus Martinus secundum statum ascendit de statu militari ad clericalem, quia altior est militia clericalis quam sæcularis, quia milites sæculares habent bella contra hostes carnales, nos autem contra hostes spirituales bella Domini gerimus. Unde Apostolus : II Cor. x, 4 *arma militiæ nostræ non sunt carnalia*, sed spiritualia posita a Deo ad destructionem errorum, vitiorum, et peccatorum. De ista ascensione dicit Isaias : ii, 3 *Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.* Status clericalis est mons quidam. Debemus ad domum domini ascendere et ibi servire et ecclesiasticis dogmatibus erudiri. Unde dicit : *docebit nos vias suas*, et contrariam viam non debemus admittere. Apostolus Ephes. v, 3 : *Nec nominetur in vobis*, et in via Domini debemus etiam ambulare. Qui in montem Domini ascendit, in sortem Domini est electus. Ascendit igitur Beatus Martinus, quia eruditus fuit a Beato Hilario, et factus est ab eo clericus.

Secundo ascendit Beatus Martinus de statu clericali ad statum regularem, quia fuit monachus in Italia. *Qui in agone contendit ab omnibus se abstinet* ; quanto magis abstinet se homo ab illis quæ negotium suum impediunt? Tanto pugna sua est magis legitima. Sæculares habent temporalia, sed religiosi non habent ea, ne ipsos impediant. De isto ascensu dicitur in Genesi xxxv, 3 : *Ascendamus in Bethel et habitemus ibi.* Jungit : commorantes, nullo modo extra progredientes. Debent religiosi morari in religione, et non exire, nisi pro eis quæ pertinent ad salutem animarum.

Tertio ascendit Beatus Martinus de statu regulari ad statum pontificalem : rectus est iste ascensus. Ad quid ascendit? certe ad ministerium altaris et ad sacramenta ecclesiastica ministranda. De isto ascensu dicitur in Ecclesiastico L, 12 : *In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.* Numquid sic magnificavit Dominus Beatum Martinum? certe sic, quando globus igneus apparuit super ipsum cum offerret sacramentem altaris.

Item ascendit ad salutem populorum. Unde in Prov. xxviii, 12 : *In exultatione justorum, multa gloria : cum* impii regnaverint, ruinæ hominum.* Unus episcopus malus certo est ruinæ in multis. Dicitur in Abdia : 27 *Ascendentes salvatores in montem*, idest prælati debent ascendere per salutem animarum. Sed conqueritur Dominus de malis in Exechiele, dicens : xiii, 2 *Non ascendistis ex adverso, nec* apposuistis vos in murum pro domo Domini* idest, contra hæreticos, et malos quoscumque. Ascendit igitur Beatus Martinus tripliciter secundum statum.

* *regnantibus impiis*

* *neque opposuistis murum pro domo Israel*

Sed nihil valeret ascendere secundum statum, nisi homo ascendat secundum meritum ; ideo ascendit Beatus Martinus tertio secundum meritum. Unde dicit Symmacus papa : « vilissimus reputandus est, nisi præcellat scientia et sanctitate, qui est dignitate præstantior. Parum est esse clericum, si non præcellat virtute laicum. Similiter parum est esse monachum vel pontificem, nisi præcellat alios vitæ sanctitate. » Unde requiritur, ut qui ascendit secundum statum, quod ascendat etiam in merito. De isto ascensu dicitur in Canticis : iii, 6 *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? Quæ ascendit sicut virgula fumi*, non fumi horrendi, sed fumi odoriferi. Sed unde procedit iste fumus? certe ex aromatibus

myrrhæ, idest mortificationis carnis, et thuris, idest devotionis, et universi pulveris pigmentarii, idest omnium virtutum. In quolibet statu debet homo studere proficere. Consideremus quomodo studuit proficere Beatus Martinus in quolibet statu. In statu militari studuit proficere in misericordia et pietate. Et rationabiliter, quia milites sunt rapaces. Unde voluit se immunem ostendere ab illo crimine in statu militari, et ideo studuit in misericordia et pietate. Unde dicitur militibus Luc. III, 4 *neminem concutiatis* * *nulli calumniam faciatis*. Item in statu clericali studuit obedientiæ. Obedientissimus fuit : ad nutum Beati Hilarii omnia disposuit. Unde convenit illi quod dicitur in Ecclesiastico III, 1. *Filii sapientiæ, ecclesia justorum.*

*neque

Item in religione prævaluit in paupertate et austeritate.

Item in statu pontificali prævaluit humilitate, unde eamdem humilitatem servavit in statu pontificali quam ante servaverat, juxta illud Ecclesiastici III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eccl. XXXII, 1 *Rectorum te posuerunt noli extolli; sed esto in illis sicut unus ex illis.* Videte quomodo ascendit Beatus Martinus. Dico qnod ascendit prudenter, humiliter et ferventer.

Primo dico ascendit prudenter de statu militari in clericalem ; quia cum dispositione initur bellum, et ipse bene diposuit istum ascensum. Placuit ei tamen non in altum ascendere, quia cum vellet eum Beatus Hilarius promovere in diaconum, noluit, sed remansit acolytus.

Item de statu clericali ascendit in regularem, et istum ascensum bene disposuit in corde suo ; sed ascensum de statu regulari in pontificalem non disposuit in corde suo, quia, ipso renitente, promotus est in pontificem. Hoc dico pro tanto, quia status pontificalis, licet sit magnus, non tamen est ambiendus.

Si aliquis diceret : volo studere, ut possim postea bene ecclesiam regere, non bene diceret. Unde Augustinus *de Civit. Dei*, lib. XIX, c. XIX : « locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi administretur ut decet, indecenter tamen appetitur. » Sequitur : « quam sarcinam et si nullus imponat percipiendæ et inspiciendæ veritati, vacandum est. »

Item fecit Beatus Martinus ascensum istum humiliter. Unde dicit : *in valle lacrymarum.* Dicitur in Evangelio Luc. XIV, 11 : *qui se humiliat exaltabitur.*

Item fecit ascensum istum ferventer. Unde dicit : *lacrymarum.* Ex magnitudine desiderii studuit lacrymas proferre. Unde potuit dicere Ps. XLI, 2, 4 : *sicut* * *cervus desiderat ad fontes aquarum etc. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte etc.* Quia igitur Beatus bene disposuit ascensum suum in processu beatitudinis, ideo pervenit ad terminum beatitudinis, qui est gloria æterna, ad quam nos perducat qui cum Patre et Spiritu Sancto etc.

*que modu sidera v

XLI (*a*)

Sit eleemosyna tua in abscondito.
Matth. VI, 4.

Quanta sit eleemosynæ dignitas ostenditur nobis, quoniam angelicis manibus ante conspectum Dei, tamquam xenium speciale, quotidie defertur. Unde, sicut dicitur Tob. XII, 8, cum dixisset Angelus Tobiæ, quod bona erat oratio cum jejunio, et eleemosyna, statim subdit 12 : *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Et nota, quod orationem præmittit eleemosynæ, tamquam Domino familiariorem. Et nota, ut ei faciat viam, et aperiat sibi portam, quia, sicut dicitur Eccles. XXXV, 21, *Oratio humiliantis se penetrat nubes, et donec appropinquet non consolabitur.* Jejunium autem comitatur eleemosynam, quia non decet tantam dominam ire solam, quia, sicut dicit Gregorius, *Hom.* XI, *in Evang.* « deprædari desiderat, qui thesaurum publice in via portat. » Et propter hoc non debet ire solam, sed est jejunio comitanda. Et præcipue quia jejunium non comitatur eleemosynæ subtrahendo, imo sibi potius subtrahit, ut eleemosyna lar-

(*a*) Ex recensione D. Uccelli.

qua Deus posuit, secundum illud Isaiæ LVIII, 6 : *Nonne hoc jejunium quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes.* Et sequitur 7 : *Frange esurienti panem tuum.*

Hic autem docet Dominus eleemosynam spiritualem faciendam, propter quinque specialiter.

Est enim infantium conservatrix, infirmantium medicatrix, convalescentium sublevatrix, pugnantium auxiliatrix, et triumphantium retributiva. Infantes enim sunt innocentes. Conservat enim eos ne subjugentur a flexibilitate temporalis concupiscentiæ, vel cupiditatis, et ne comburantur ab incendio carnalis concupiscentiæ. Eccli. III, 33 : *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis*; quasi dicat : sicut nos videmus quod aqua extinguit ignem, ita virtus eleemosynæ extinguit carnalem concupiscentiam. Quid igitur mirum, si ardeant carnales igne concupiscentiæ, cum aquam in ignem non ponant, hoc est per eleemosynam carnalem concupiscentiam non extinguant? Propter hoc dicitur Luc. XII, 33 : *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam*, quasi dicat : sic poteritis extinguere tantum ignem, sicut ignis extinguitur per aquam.

Item infirmantes sunt peccatores, usque ad mortem per mortale peccatum appropinquantes. Istis enim est eleemosyna quædam spiritualis medicina, quoniam non solum salvat, sed a morte culpæ frequenter revocari procurat, secundum illud Tob. IV, 7 : *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Sequitur 11 : *Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras.* Et certe non est aliquid in mundo ita pretiosum, quod homo dare non deberet, ut evaderet mortem; et propter hoc, cum sententia mortis lata esset contra Nabuchodonosor, peccatis suis exigentibus, dictum fuit ei Daniel IV, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, ut forsan ignoscat* Deus delictis tuis.*

Item convalescentes sunt peccatores de infirmitate peccati ad austeritatem pœnitentiæ venientes. Et horum est eleemosyna sublevatrix. Non enim eos tamquam debiles decidere sinit, sed si propter imbecillitatem vacillare contigerit, ipsos tamquam adjutrix virtuosi confirmat, et subvenit. Eccles. III, 33, post illud verbum : *eleemosyna resistit peccatis*, immediate sequitur : *et Deus prospector (est) ejus, qui reddit gratiam; meminit (ejus) in posterum*, hoc est ne cadat in futurum peccatum, *et in tempore casus sui inveniet firmamentum*, hoc est non permittit ipsum cadere in peccati lutum, et tamen si ceciderit, eum mundabit. Luc. XI, 41 : *Date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis.*

Item pugnantes sunt viriliter resistentes. Istis enim eleemosyna auxiliatrix est, omnia superans diabolicæ tentationis machinamenta. Eccles. XXIX, 15 : *Conclude eleemosynam in sinu* pauperis, et ipsa exorabit pro te. Super scutum et lanceam adversus inimicum tuum pugnabit.* [* corde] Et bene dicit : ***Conclude eleemosynam***, ut scilicet hostis non videat, ne fortassis impediat, aut mercedem surripiat, secundum illud Matth. VI, 2 : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut ethnici* faciunt : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Sed* cum facis eleemosynam, nesciat sinistra* ***tua quid facit dextera tua, et pater*** *tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* [* hypocritæ] [* te autem faciente]

Item triumphantes sunt, omnes adversitates præsentis miseriæ superantes. Et istis est eleemosyna largissima præmiatrix. Quanto enim quisque plus dederit in terris, tanto plura recipiet in cœlis. Et propter hoc dicitur Eccles. XVI, 8 : *Eleemosyna resurget, et retribuet retributionem unicuique* secundum opera sua.** [* in capite ipsorum] Et propter hoc cum dictum fuisset, Tob. IV, 11 : *Eleemosyna a morte liberat*, statim dictum est : *et facit invenire vitam æternam, et non patietur animam ire in tenebras exteriores.* Et propter hæc omnia dicitur hic : *Sit eleemosyna tua in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

XLII

SERMO S. AQUINATIS DE CHARITATE (a)

(*Cod. Vat.* 812, *p.* 91, *Sermo XXXIII.*)

Recentiori Dominica Quinquagesimæ — *Major horum est charitas*; I *Cor.* XIII, 13. — Ad commendationem excellentissimæ charitatis nec sufficit sensus humanus nec angelicus intellectus; transcendit enim omnem sensum et omnem superat intellectum. Imo certe charitas adeo est necessaria quod sine ipsa nullum bonum est meritorium, quia nec bonum oris, nec bonum cordis, nec bonum operis, nec actus, nec motus alicujus virtutis sine charitate prodest ad vitam æternam acquirendam; et propter hoc dicit Apostolus in his verbis : *major horum est charitas*. Et vere major, quia sicut dictum est, sine charitate nihil prodest bonum oris. Unde verbum sine charitate prolatum comparatur I *Cor.* XIII, 1 sono cymbali tinnientis, quod se ipsum contundit, nec sibi proficit, etsi aliis proficiat. Sic nos si sine charitate loquimur nihil nobis proficimus, etsi aliis proficiamus. I *Cor.* XIII, 1 : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens;* inutiliter scilicet meipsum contundens, alios condelectans, et mihi non proficiens. Unde tales qui sine charitate verbum proferunt, similes sunt goliardis et hystrionibus, qui verba virtuosa et delectabilia proferunt, nec sibi proficiunt. Et ideo I *Cor.* XIV, 1 dicitur : *Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia.*

Item, major est charitas, quia sine charitate nihil prodest bonum cordis. Sine ipsa nihil prodest nec scire præsentia nec scire futura, sive sint manifesta sive occulta. Sine ipsa cuicumque nihil prodest fidei notitia, quoniam hæc omnia quidam mali habuerunt, licet magna sint et excellentia dona; et hoc est quod dicitur hic, I *Cor.* XIII, 2 : *Et si habuero omnem scientiam, et noverim omnia mysteria*, hoc est secreta et occulta, *et si habuero omnem prophetiam*, hoc est scientiam de futuris, *et si habuero omnem fidem*, hoc est certitudinem de omnibus credendis, *ita ut montes transferam* ad litteram, vel ita ut dæmonibus imperem, qui per montes significantur propter elationem, sequitur, *charitatem autem non habeam, nihil sum.* Super quam litteram, dicit *Glossa :* « Attende quanta sit charitas, quæ si desit, frustrabuntur cætera; si autem adsit habentur omnia, quia qui habere cœpit semper secum habebit. »

Item, major est charitas quia sine charitate nihil prodest bonum operis. Sine ipsa enim non prodest facultatis distributio quantum ad bonum fortunæ, nec propriæ carnis sive personæ afflictio quantum ad bonum naturæ. Et ideo subdit v. 3 : *Et si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam* * *habu*
nihil mihi prodest. Quoniam igitur sine charitate nullum bonum prodest sicut probatum est, recte dicit Apostolus : *major horum est charitas :* ubi dicit *Glossa :* « ex quo major est charitas, sectamini ex toto desiderio charitatem, quæ est dulce et salubre vinculum mentium, sine qua dives est pauper, et cum qua pauper est dives. » Et nota quod major dicitur charitas quadruplici ratione. Est enim major dignitate; est, idest quia major continentia; est, idest quia major virtute; est, idest quia major duratione. Et dico quod charitas est major cunctis virtutibus per dignitatem suam, quod tripliciter patet. Est enim emanatione nobilior, conservatione completior, comparatione perfectior. Est igitur virtus charitatis emanatione nobilior, hoc est origine. Cum enim virtus a Deo sit et in Deum tendat, cum charitatis virtus specialiter esse dicitur ex Deo, propter adhærentiam et similitudinem quam habet cum Domino; unde et ipse Deus charitas dicitur secundum illud, I *Joh.* IV, 8 : *Deus charitas est*, unde quilibet existens in charitate, ex Deo specialiter

(a) Ex recensione D. Uccelli.

dicitur esse, quanto magis Deo assimilatur tanquam filius patri suo. Et procul dubio est magna virtus per quam efficitur homo Dei filius, I Joh. iv, 7 :
4 *filioli*, *diligamus invicem, quia charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit (fratrem suum), ex Deo natus est*, hoc est Dei filius debet dici, et esse dignus est. E converso dicitur I Joh. iii, 10 : *In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli, quod qui non diligit fratrem suum ex Deo non est*, quasi dicat filius Dei dici dignus non est, sed potius diaboli, secundum illud Joh. viii, 44 : *vos ex patre diabolo*
5 *estis, et opera patris vestri vultis facere.*

Item, patet dignitas charitatis quia charitas est conservatione completior. Ipsa enim est complementum et conservatio bonorum omnium, secundum illud *Psalm.* cxviii, 96 : *omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis*. Vere nimis latum quoniam amicorum et inimicorum complexivum. Præceptum enim de charitate dicitur esse finis omnis conservationis, quoniam in ipso solo omnia conservantur præcepta. I *Tim.* i, 5 : *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Ecce quod charitas tres comites vult habere, puritatem, bonitatem, et veritatem. Et nota quod hic dicit *Glossa* : « si non vacat omnes sacras paginas perscrutari et omnia involucra sermonum revolvere, omnia secreta Scripturæ penetrare, tene charitatem ex qua pendent omnia, quia finis omnium est dilectio. »

Item, patet dignitas charitatis quoniam charitas est comparatione dignior et perfectior. Omnibus enim aliis virtutibus comparata prior et perfectior invenitur. Et hoc est quod dicitur hic. I *Cor.* xiii, 13 : *Nunc autem manent, fides, spes, charitas : major autem horum est charitas.* Et sic exponit Augustinus in libro *de doctrina Christiana* lib. i, n. 43 : « fidei succedet spes quia videbimus, spei succedet beatitudinis apprehensio ad quam perventuri sumus, charitas autem magis augebitur, nec aliquid ei succedet, quia major horum est charitas. »

Item, charitas est major continentia. Ipsa enim continet immensum, sive comprehendit, detinet infinitum, hospitatur æternum. Dico quod charitas est ambitu capacissima, quoniam ipsa comprehendit et complectitur immensum, ipsum scilicet Deum : *Ephes.* iii, 17, 18 *in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo* (divinæ misericordiæ, peccata condonando), *longitudo* (patientiæ, peccatores expectando), *sublimitas* (gloriæ, justos præmiando), *profunditas* (justitiæ, malos puniendo). Sic igitur patet qualiter hæc charitas accensa Deum in operibus suis comprehendit.

Iterum, major est charitas continentia, quia suo modo continet infinitum, ipsum scilicet Deum. I Joh. iv, 16 : *Deus charitas est : et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Item, quoniam homo hospitat æternum. Suos enim possessores intra se facit recipere Dominum. *Roman.* v, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis*, et I Joh. iv, 12 : *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas in nobis perfecta est.*

Item, major est charitas virtute, sicut dictum est. Charitas enim invisibilem fecit visibilem, impassibilem fecit passibilem. Ipsa quoque charitas superat insuperabilem. Primum fecit in Incarnatione. Secundum in passione. Tertium facit quotidie. Grandis ergo virtus charitatis, scilicet invisibilem fecit visibilem, quod quidem fecit quando sub panniculis nostræ mortalitatis Deus Pater Unigenitum suum, tanquam medicum animarum, in mundum misit : I Joh. iv, 9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium unigenitum suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

Iterum, magna virtus charitatis quæ scilicet impassibilem fecit passibilem, quando nostram assumpsit passibilem humanitatem : I Joh. iii, 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Item, magna virtus charitatis quæ superat insuperabilem, quando scilicet attrahit ad se per misericordiam quos relegavit per justitiam, secundum illud

Jer. xxxi, 3 : *longe Dominus apparuit mihi,* et sequitur *in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans, rursumque ædificabo te.* Si tantum potuit charitas erga creatorem, quanto magis extendit se virtus ejus ad simplicem creaturam? Certe charitas mortuos vivificat, depressos sublevat, ejectos confœderat vel reconciliat. Anima siquidem moritur in culpa, deprimitur in pœna, projicitur a gloria. Sed potentissima charitas habet virtutem vivificativam, sublevativam et reconciliativam. Charitas ergo sua potentissima virtute vivificat mortuos : *Rom.* v, 8. *Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Et sequitur *Rom.* v, 17 : *si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ :* in remissionem peccatorum, *et donationis* charismatum : *et justitiæ accipientes, regnabunt in vita per unum Jesum Christum.* Quasi dicat, in hoc apparuit charitas Redemptoris, quia voluit mori corporaliter, ut nos vivificaret spiritualiter, et de periculo præsentis miseriæ transferret in regnum felicitatis æternæ.

Item, virtus charitatis depressos sublevat. Unde vinculo, vel funiculo comparatur Oseæ xi, 4 : *In funiculis * attraham eos, in vinculis charitatis,* quod factum est, quando completum est illud Joh. xii, 32 : *cum exaltatus * et fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.*

Adam *aham*

ego si

Item, virtus charitatis ejectos et exules reconciliat : I Joh. iii, 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus * ut filii Dei nominemur et simus.* Et certe *filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* sicut dicit *Galat.* iv, 7 et *Rom.* viii, 17.

pater

Item, charitas major est duratione, quod patet sic. Res enim durabilis dicitur tripliciter, quando nec adversitate confringitur, nec vetustate consumitur, nec contrarietate dissolvitur. Dico quod charitas illa præcipue qua Deus diligitur major est duratione, quoniam adversitate non frangitur. *Cant.* viii, 6 : *Fortis est ut mors dilectio, dura ut infernus æmulatio,* et sequitur *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.*

Item, quia vetustate non consumitur. Prov. xviii, 32 : *Omni tempore diligit qui amicus est.* Et præcipue talis est charitas, qua Deus diligit nos. Jer. xxxi 3 : *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Et I *Cor.* xiii, 8 : *Charitas numquam excidit;* unde charitas omnia portare dicitur, *Ephes.* iv, 2 : *Supportamus * invicem in charitate.* Glossa : « charitas est actus rectitudinis, quæ semper et specialiter tendit in Deum. Talis actio nec fatigatur negotio, nec frigescit otio. »

*sup *tan*

Item, quia contrarietate non dissolvitur. Ipsa enim est de qua dicitur I *Cor.* xiii, 4, 7 : *Charitas patiens est, benigna est;* et sequitur : *omnia suffert, omnia sustinet.*

Item, major charitas quoniam utilitate fecundior. Utilis enim est contra malum, et præcipue contra malum culpæ et quantum ad bonum. Dico quod utilis est virtus charitatis contra malum culpæ præteritæ, præsentis et futuræ. Est charitas utilis contra malum culpæ præteritæ, præteritum peccatum operiendo, ne de cetero veniat in memoriam ante Dominum : *Prov.* x, 12. *Odium suscitat rixas; et universa delicta operit charitas;* I Petri iv, 8 : *ante omnia, mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes ; quia charitas operit multitudinem peccatorum.*

Item, utilis est quantum ad malum præsens, ipsum impediendo. Virtus enim charitatis in uno, frequenter impedit executionem voluntatis in altero ; quod patuit in Oloferne qui exarserat in concupiscentia Judith, nec complevit, quod tamen fecit charitas ; Judith, ix, 3 : *percuties eum * divinæ gladio charitatis meæ.* Unde charitas significatur per illud, secundum quod dicitur I Joh. iii, 9 : *omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet ; et non potest peccare.*

* *ex*

Item, utilis est virtus charitatis quantum ad malum futurum, defendendo sive protegendo : I *Thessal.* v, 8. *Nos, qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et charitatis et galeam spem salutis.*

Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis.

Item, charitas est utilis non solum contra malum culpæ, sed etiam contra malum pœnæ, et hoc ante mortem, in morte et post mortem.

Item, charitas est utilis in vita contra pœnam. Omnia enim levia facit amor quantumcumque gravia. Sicut dicitur *Prov.* xv, 17 : *melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio.*

Item, utilis est in morte, securitatem tribuendo. Mitigatur enim mirabiliter insupportabilis pœna mortis per securitatem conscientiæ : I Joh. iv, 18 : *Timor non est in charitate ; sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate.*

Item, utilis est charitas in judicio, pusillanimitatem auferendo et fiduciam conferendo. Cum enim dicetur reprobis illud Matth. xxv, 41 : *Ite* *, *maledicti* etc., quicumque discesserit in charitate, securus erit ab illa maledictione : I Joh. iv 17 : *In hoc est perfecta charitas Dei in nobis, quoniam fiduciam habemus in die judicii* *.

Item, utilis est charitas quantum ad bonum. Licet indicibilia sint quæ facit charitas, tamen sine ipsa nullum opus misericordiæ bonum est. Tria tamen ad præsens sufficiant per quæ rationalis anima totaliter ordinatur, secundum illud *Cant.* ii, 4 : *Ordinavit in me charitatem.* Confert enim charitas munditiam puritatis quantum ad id quod est intra nos. I Petr. i, 22 : *animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore.* Tales enim et non alios diligit Deus et eligit. *Ephes.* i, 4 : *Elegit enim nos Deus ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.*

Item, charitas facit in nobis et desiderat concordiam unitatis, quantum ad illud quod circa nos est. *Philip.* ii, 2 : *Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes* ; *Colos.* iii, 14 : *Ante* * *omnia charitatem habentes quod est vinculum perfectionis.* * super omnia autem hæc charitatem habete

Item, charitas in nobis facit constantiam probitatis, quantum ad illud quod supra nos est. *Rom.* viii, 35, 38 : *Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ?* et sequitur : *certus sum enim, quia neque mors, neque vita ... poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Patet igitur quod major est charitas quinque modis, dignitate, continentia, duratione, virtute et fructuositate. Rogemus Dominum etc.

XLIII

SERMO S. THOMÆ AQUINATIS

DE TRANSITU ET MINISTERIO CHRISTIANO FACIENDO (a)

[illegible]

Cod. Vat. 812, f. 34. Serm. III

In Epistolam Dominicæ Sexagesimæ. — *Hebræi sunt? et ego; ministri Christi sunt* * *? et ego.* — II *Cor.* xi, 22. — Volens Apostolus ad litteram confundere quorumdam superbiam, qui gloriabantur nunc de nobilitate generis, nunc de officii dignitate, et viam elationis et superbiæ tollere, dicit quod in omnibus in quibus alii gloriabantur posset similiter gloriari, sciens quod mundana gloria convertetur in ignominiam : I Oseæ iv, 7, *gloriam eorum in ignominiam commutabo*; I Machab. ii, 62 : *A verbis viri impii ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis.* Sed quoniam Scriptura unum frequenter dicit et aliud significat, sicut in nuce vel in castaneo videtur; quod prætendit exterius amaritudinem et asperitatem, intus autem abscondit dulcedinem et suavissimam refectionem ; ita sacra Scriptura sub cortice litteræ celat nucleum doctrinæ. Docet Apostolus in his verbis quædam dimittenda et quædam facienda, quin imo, quod plus est, totaliter transeunda. Quando dicit *Hebræi sunt? sum et ego*, loquitur Apostolus in persona viri perfecti, cujus est hæc omnia temporalia tamquam quosdam laqueos pertran- * plus

(a) Ex [illegible] D. Denifle.

sire. Unde sensus est : Alii bona temporalia transeunt, ego illa similiter transeo, quoniam Hebræi sunt? et ego. Hebræus enim interpretatur transiens. Ad litteram enim viri perfecti pertranseunt hæc bona temporalia, tamquam quoddam mare fluxibile, scilicet variabile : I Cor. x, 1 : *omnes patres vestri mare transierunt*. Hic autem transitus habetur scilicet navigio pœnitentiæ, quæ perducit hominem ad portum salutis æternæ : Sapient. xiv, 5, *transeuntes mare per ratem liberati sunt*, idest peccato. Quemadmodum est impossibile ad terram promissionis venire nisi transeundo mare, sic impossibile est homines ad terram viventium pervenire nisi contemnantur fluctus corporalis concupiscentiæ ; unde dictum est filiis Israel, Deut. xi, 31 : *Vos transibitis Jordanem ut possideatis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis*. Per vadum Jordanis intelligimus fluxum concupiscentiæ corporalis, quem ut transeamus, sicut alteri Jacob, baculum in manibus tenere debemus. Sicut peregrinus qui torrentem sive malum passum et lutosum baculo innitens pertransit. Baculum vero pœnitentiæ fulcimentum est : Gen. xxxii, 10, *In baculo meo transivi Jordanem istum*.

Generaliter autem loquendo nota quod quadruplex est transitus, de culpa in culpam, de culpa in pœnam, de culpa ad gratiam, de pœna ad gloriam. Primus deserendus, secundus abhorrendus, tertius purgandus, ultimus appetendus. Primus peccatorum, secundus damnatorum, tertius justorum, ultimus beatorum. Est ergo transitus peccatorum de malo, scilicet in malum : Hier. l, 6, *grex perditus factus est populus meus; de colle* in collem transierunt, et obliti sunt cubilis sui*. Dicitur de peccatore sicut de ove quia de culpa transit in culpam sicut ovis de colle in collem, quæ dum ovile suum obliviscitur, vel a latronibus capitur, vel a malis bestiis devoratur. Hunc transitum prohibuit Dominus discipulis suis, Luc. x, 7, dicens : *nolite transire de domo in domum*. De domo in domum transit qui de hospite Dei se facit hospitem diaboli ; sicut sunt omnes voluptuosi, similes urso qui tantum vadit de silva in silvam, de rupe in rupem quærendo dulcedinem mellis quod incidit in gladium vel in pedicam venatoris, de quibus dicitur Sap. ii, 5 : *umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri*, et sequitur : *venite ergo et fruamur bonis etc... non sit pratum per quod non transeat* luxuria nostra*. Et ecce diabolus istis transeuntibus suas administrat de facili voluptates istas, scilicet fornicarias mulieres. Facit enim diabolus peccatori sicut carnifex porco, ante quem panem vel cibum alium projicit, et sic ad macellum perducit. Occurrit enim talibus mulier « *fornicaria præparata ad capiendas animas*, » sicut dicitur Prov. vii, 10, cui exprobrat Dominus, Ezech. xvi, 15 : *habens fiduciam in pulcritudine tua, fornicata es in nomine tuo ; et exposuisti fornicationem tuam omni transeunti, ut ejus fieres*.

* de monte

* pr... q... p...

Item, est transitus de culpa in pœnam æternam : Job xxiii, 18, 19, *maledicta sit pars ejus in terra*. Sequitur : *ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius*. Hic autem transitus abhorrendus est, quia subitus est et irrevocabilis : subitus est et irrevocabilis : subitus est quoniam in momento fit : Job. xx, 8, *velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna ;* quapropter comparatur torrenti transeunti, cujus transitus est impetuosus et subitus ; unde et de mortuis dici potest illud Job vi, 15 : *fratres mei prius tenuerunt me sicut torrens qui raptim* currit in vallibus*. Quod autem irrevocabile sit, dicitur Job xvi, 23 : *Ecce breves anni transeunt, et semitam per quam non revertar, ambulo*.

* ... co...

Item, est transitus justorum de culpa ad gratiam, sive pœnitentiam, et hic transitus significatur I Mach. v, 24 : *Judas Machabæus et Jonathas frater ejus transierunt Jordanem, et abierunt viam trium dierum per desertum*. Transitus Jordanis est transire mundanam prosperitatem vel carnalem delectationem, ad instar fluvii decurrentis fluxibilem et instabilem, viam trium dierum. Triplex dicta pœnitentiæ, contritionis, confessionis et satisfactionis ; desertum vero, pœnitentiam asperam et acerbam. Desertum

unum est locus asper indigens alimentis, et significat asperitatem pœnitentiæ. Per tribulationes enim et asperitates oportet ad Dominum venire, vel beneplacitum ejus acquirere : Judith, viii, 23, *omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles*. Unde et talis transitus significatur per transitum maris et per transitum ignis, propter amaritudinem contritionis et asperitatem satisfactionis de præterito : Isaias li, 10, *posuisti profundum maris* viam, ut transirent liberati*. Talis enim transitus liberat hominem de manu diaboli sive de pœnis inferni : Soph. ii, 15, *omnis qui transit per eam liberabitur**. Significatur etiam per ignem urentem propter acerbitatem satisfactionis et purgationem ipsius peccatoris : Job xxiii, 10, *Deus scit viam meam, et probavit me quasi aurum, quod per ignem transit*. Et de istis duobus dicitur Ps. lxv, 12 : *transivimus per ignem et aquam*, ignem tribulationis et aquam compunctionis, *et duxisti nos in refrigerium*, sive in quiete serenæ mentis.

Item, est transitus de miseria ad gloriam : sed primo oportet hominem transire se ipsum : Isai. xxiii, 10, *transi terram tuam quasi flumen, filia maris*. Oportet etiam ipsum pertransire mundum : Isai. xlvii, 2, *denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina*, quasi dicat conterere peccata manifesta et occulta, transi delectamenta mundi delectabilia et instabilia, de quibus in finem dicent damnati, *Sap.* v, 8 : *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia velut umbra*; et his transactis securus et expeditus pervenire poteris ad Dominum : aliter enim dicere poteris illud Job. xix, 8, *semitam meam circumsepsit, et non possum transire, et in calle meo tenebras posuit*. Et hic est transitus ad quem invitat Dominus, *Eccl.* xxiv, 26 : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini*. Tunc enim requiescet intellectus noster in contemplatione summæ Trinitatis : *Exod.* iii, 3, *transibo et videbo visionem hanc magnam*, affectus nostri in refectione summæ bonitatis, et tunc implebitur illud Luc. xvii, 7 : *transi et recumbe*.

Sequitur : *ministri Christi sunt? et ego*. In quo docet Apostolus quid faciendum, quasi dicat : viri isti alii ministerio Christi nuncupati sunt, et ego similiter nuncupatus sum. Grandis namque est honor tanti regis esse minister, I *Tim.* i, 12 : *gratias ago* Deo meo qui fidelem me existimavit ponens in ministerio*. Deo ministrare nihil aliud est quam ei servire, secundum illud Rom. xiii, 6 : *ministri Dei sunt, in hoc ipsum servientes*. Ad serviendum autem Deo quadrupliciter invitamur. Ad hoc enim exemplum inducit, præceptum trahit, necessitas cogit, utilitas allicit. Dico quod ad ministrandum Deo exemplum invitat, et hoc exemplum civium supernorum ipsorum, scilicet angelorum. Si enim regi regum serviunt principatus et potestates jam cœlestis jucunditatis possessores, quanto nos magis miseri mortales et abjecti : Dan. vii, 10, *millia millium ministrabant ei*. Nec solum ad ministrandum invitant quia Domino serviunt, sed etiam quia ministerio nostro deputati sunt : Heb. i, 14, *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Et ut exemplo* breviter omnibus excludamus movere nos debet ille qui dicit Matth. xx, 26 : *Quicumque voluerit fieri inter vos major, sit vester minister... nam Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Item ad ministrandum præceptum ligat divinum et humanum. De primo, Marc. ix, 34 : *qui voluerit esse primus erit novissimus omnium et minister*, quod ut non abhorreamus, semetipsum ponens in exemplum dicit Luc. xxii, 26 : *qui est major vestrum, fiat sicut minor... ego autem in medio vestri sum sicut qui ministrat*. Propterea, secundum dicitur *Numer.* iv, 30, 31 : *omnes qui* ingrediunt ad opus ministerii portabunt onera, et hoc erit ministerium eorum*. Hujus onera vocat pœnitentiæ pondera. Hoc etiam dicitur II *Tim.* iv, 5 : *Vigila, in omnibus labora... ministe-*

* *ei qui me confortavit quia*

* *egrediuntur ad officium ministerii.. Hæc sunt onera eorum : portabunt*

Cod. : * exemplum. *

rium tuum imple. Quod ut libentius faciamus, se ipsum ponit in exemplum. Unde Apostolus, II Cor. vi, 4 : *in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, etc.*

Item, ad ministrandum cogit necessitas (ib. 9) : *aliter enim de familia Dei non essemus, nisi sibi servire velimus.* Et propter hoc dicitur Jo. xii, 26 : *Qui mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, ibi et minister.* Qualiter autem ministrandum sit, et quæ sit necessitas ministrandi, tangitur II Petri i, 5, ubi dicitur : *ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam etc.* Sequitur : *cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens, purgationis veterum suorum delictorum ;* quasi dicat, nisi sic creatori vestro ministraveritis, quasi cœcos vos ostenditis, nec peccatorum vestrorum purgationem accipitis. Indebite vero ministrantibus comminatur Dominus *Sap.* vi, 5 : *cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis* vosmetipsos, nec legem justitiæ custodistis ad proximos ; et sequitur : *horrende ergo et cito apparebit vobis ; quoniam judicium durissimum fiet his, qui præsunt.*

Item, ad serviendum sive ministrandum utilitas trahit. Talibus enim introitus regni cœlestis patebit. Unde cum dixisset Petrus, II Petri i, 5 et 11 : *ministrate in fide vestra virtutem,* addidit, *sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini Salvatoris etc. ;* honorabitur et exaltabitur quivis[1] semetipsum dejicit et humiliat in servitio suo, secundum illud Jo. xii, 26 : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui est in cœlis.* In tantum siquidem honorabit ministrum suum Christus quod semetipsum ostenderit quasi ministrum ejus, scilicet illud Luc. xii, 37 : *præcinget se et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit eis etc.*

[1] Cod. : « quamvis. »

XLIV

SERMO S. THOMÆ AQ. MEDIOLANI CORAM CLERO ET POPULO CIVITATIS (a).

Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, Matth. xi, 10. Sumptum est de Malachiæ ultimo. In his verbis describuntur tria circa Salvatoris gratiosum adventum, scilicet : dignatio mirifica Dei Patris, ignitas gratifica Præcursoris, et benignitas mirifica Salvatoris.

Primum, ibi : *Ecce ego mitto.*

Secundum, ibi : *Angelum meum.*

Tertium, ibi : *ante faciem tuam.*

Nota igitur quantum ad omnia, quod tam Salvator quam Præcursor fuerunt nobis missi a Patre angeli officio, non natura ; etenim fuerunt vere nostri angeli divinitus nobis missi :

Ad cœlestium mansionum paranda itinera. Genes. xxviii, 12. *Vidit Jacob scalam, et angelos Dei ascendentes et descendentes per eam.*

Ad divinorum voluntatum patefacienda secreta. Galat. III, 19 : *Lex fuit ordinata per angelos in manu mediatoris.*

Ad divinarum condescensionum implenda ministeria. Matth. iv, 11 : *Angeli accesserunt. et ministrabant ei.*

Ad spiritualium perfectionum præbenda exempla et documenta. Genes. xxxii, xxxiii, 12 : *Fuerunt, Jacob obviam angeli Dei, quos cum vidisset, ait : Castra Dei sunt hæc.*

(a) Ex recensione D. Uccelli.

DE SECRETO [a]

Quæstiones quæ sequuntur fuerunt propositæ in Capitulo generali Parisius celebrato anno Dom. 1269 coram Magistro Ordinis et Diffinitoribus, inter quos erant septem Lectores, et unus Magister. Item coram Magistris simul congregatis, scilicet Fratre Thoma de Aquino, F. Bono Homine, F. Petro de Tharentasia, F. Bartholomæo, F. Baldoino, et F. Gilberto, qui omnes responderunt una voce, ut infra sequitur.

Prima quæstio fuit, si frater unus accusat alterum, vel alium de peccato occulto quod probari non potest, vel [1] quod non scitur nisi ab accusato vel ab accusante; potest ne [2] accusato prælatus præcipere ut coram accusante dicat veritatem; et utrum accusatus teneatur se prodere propter præceptum. Quod si fecerit [3], et sciri poterit per duos, scilicet prælatum et accusantem, et ita publicabitur occultum.

Respondeo dicendum, quod prælatus non debet præcipere, et peccat graviter si præcipit, nec accusatus tenetur respondere, quia non tenetur se pandere et manifestare.

Secunda quæstio fuit : Utrum in prædicto casu; prælatus accusato debeat seorsum præcipere ut [4] sibi soli dicat veritatem.

Respondeo [5] dicendum quod non debet præcipere, nec alter tenetur respondere [6], quia occulta relinquuntur divino judicio, manifesta humano; quare in occultis non potest esse homo judex : et ita nec præcipere nec procedere [7] potest nisi [8] judex, nec alter tenetur obedire.

Tertia quæstio fuit. Si aliquis accusat aliquem de aliquo crimine quod ipse solus scit, vel quod probare non potest, utrum prælatus debeat inquirere, vel præcipere, ut in capitulo dicat veritatem coram omnibus; et utrum accusatus teneatur confiteri coram prælato propter præceptum.

Respondeo dicendum ut supra, et multo fortius, quod prælatus non debet præcipere, et si præcipiat, graviter peccat, nec alter tenetur se pandere; sed dicat : probet quod dicit accusans, aliter peto justitiam de indebita accusatione; vel aliquid [9] hujusmodi respondeat; vel

[1] Parm. omittit : « Quod. »
[2] Parm. omittit : « Accusato. »
[3] Parm. : « Fecerit, et sic peccatum publicabitur [illegible] »
[4] Parm. omittit : « Sibi soli. »
[5] Parm. : « Alias. »
[6] Parm. : « Tenetur prodere se pandere. »
[7] Parm. : « Procedere. »
[8] Parm. : « Ut judex. »
[9] Parm. : « Vel aliquid. »
(a) Hoc ex Cod. Regio Parisiensi 14,546, qui fuit olim Victorinum, post [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] « In codice præmittitur titulus : De secreto, quomodo revelandum, vel non revelandum a subdito. » — Et ad quartam Quæstionem : « In codice præmittitur titulus : Quomodo servandum secretum, cum penitens dat licentiam suo confessori ut [illegible] alterius indicet suo superiori, et de contingentibus ex [illegible]. » Talia omnino desiderantur in codice Sancti Victoris Parisiensi.

taceat : quia in occultis non est homo judex, ut dictum supra, quæst. 2.

Quarta quæstio fuit : Utrum commissa sub secreto teneatur subditus revelare ad præceptum prælati, et utrum prælasus debeat hujusmodi præcipere.

Respondendum, quod si ex receptione secreti periculum præeminet scandali et ruinæ, vel gravis præjudicii, vel damni communitatis, cui potest obviari per revelationem secreti, potest in hoc casu præcipere, et alter tenetur revelare : quia [1] majus malum præponderat minori bono. Unde si majus malum sequitur ex observatione percepti secreti, quam ex revelatione, non debet servari secretum, maxime ubi exigitur per præceptum : quia sicut [2] juramentum non est vinculum iniquitatis, ut ait Augustinus, sic secreti promissio, non debet esse vinculum iniquitatis aut velamen. Si autem ex observatione secreti nullum imminet periculum aut scandalum, vel aliquid prædictorum, nec debet [3] præcipere nec subditus tenetur, vel debet per præceptum revelare secretum [4] ubi nullum imminet periculum alicujus gravis, ut dictum est supra : quia si immineret, non fideliter, sed contra fidem teneretur secretum, in [5] magnum præjudicium aliorum. Hæc autem quæ dicta sunt de non præcipiendo, et non revelando secretum, intelligenda sunt, ut dicunt Magistri prædicti, ubi fama vel infamia non præcessit : quia ubi [6] talis fama præcessit, quod de crimine fieret inquisitio in foro judiciali, vel contentioso, potest prælatus præcipere et inquirere et exigere juramentum. (Idem S. Doctor 2-2 q. LXX c. et ad 2.)

Quæstio quinta talis fuit : Aliquis dicit in confessione mala periculosa alterius, dans licentiam confessori ut illa [7] prælato denuntiet, tacito nomine confitentis. Item ex alia parte traditur una littera sub secreto occulto ipsi confessori, in qua eadem continentur denuntianda quæ in confessione sunt dicta ; proceditur ad inquisitionem, tandem invenitur per confessionem delati sive accusati, veram fuisse denunciationem : post hoc prælatus volens scire unde habuit ortum denunciatio, præcipit illi confessori [8], unde ipse habuit litteram illam, quam extra confessionem [9] receperat. Alter respondet : licet extra confessionem [10] receperim [11], tamen sub secreto recepi [12], nec potest manifestari prælato, quin prodatur peccatum confessum [13], et prælato confessa sunt illa quæ denunciata erant, et hoc asserit confessor, quia certum est [14] sibi quod dicitur. Quæritur [15] ergo utrum debeat præcipere prælatus, et ille obedire, vel utrum prælatus debeat credere dicenti.

Respondeo [16] prælatus non debet præcipere, nec ille tenetur obedire, non solum ratione confessionis quam revelare se crederet, sed ratione secreti sub quo accepit ; et maxime in proposito, nulla est quæstio, ubi constat denunciationem veram fuisse, nec timetur periculum, nec aliquod grave imminere. In tali [17] enim casu non licet secretum extra confessionem inquirere, vel revelare.

Frater Thomas autem dicebat, quod si judicialiter agatur, scilicet si accusans dicit se probaturum, vel obligat se ad pœnam talionis, prælatus potest inquirere per præceptum, et ille tenetur obedire, et respondere sicut judici veritatem, quia ubi sæcularis judex potest exigere juramentum, prælatus religiosus potest dare præceptum.

Sed contra hoc objicitur, quod in occultis non est homo judex, sed solus Deus, et jura volunt quod si aliquis jurat ad præceptum judicis de dicenda veritate, non astringitur hujusmodi juramento dicere veritatem de occultis, scilicet de iis quæ probari non possunt, quia

[1] Parm. : « Communius. »
[2] Parm. : « Mandatum. »
[3] Parm. : « Nec debet Prælatus. »
[4] Parm. : « Ut subditus revelet, nec debet. »
[5] Parm. : « Vel magnum præjudicium aliis fieret. »
[6] Parm. : « Nisi talis fama præcesserit. »
[7] Parm. : « Ut ille. »
[8] Parm. : « Ut dicat. »
[9] Parm. : « Acceperit. »
[10] Parm. : « Receperit. »
[11] Parm. : « Recepi. »
[12] Parm. : « Confessio. »
[13] Parm. : « Et. »
[14] Parm. : « Quæstio. »
[15] Parm. : « Respondendum. »
[16] Parm. : « Nullam fuisse. »
[17] Parm. : « Facili enim. »

tale dicuntur in jure occulta, quæ probari non possunt. Igitur videtur quod iste non tenetur ea pandere propter prælati præceptum, nec ille propter juramentum a judice requisitum. Unde in hoc sententia ejus non concordat sententiæ aliorum Magistrorum (a).

Sexta quæstio fuit: Aliquod factum malum est accidens, sed nescitur quis fecerit, v. g. furtum factum est in domo, vel domus combusta est, vel aliquid hujusmodi, potest ne prælatus inquirere per præceptum, et ille qui fecerit, revelare?

Respondeo [1]: Dixit frater Thomas, quod potest prælatus præcipere in genere sic: Ego præcipio, ut qui hoc fecit, vel scit, dicat; et ille qui fecit, vel scit, tenetur dicere. In hoc non concordant alii Magistri cum fratre Thoma de Aquino (b).

Expliciunt quæstiones super revelationes secreti, Thomæ et aliorum Magistrorum.

1 Parm.: « Respondeo et dico. »

(a) Supponit S. Thomas quod judicialiter agatur, et secus in hoc casu. Prælatum, Religiosum posse [illegible] præceptum [illegible], quia secretum acceptum extra confessionem non est secretum confessionis [illegible] quando judicialiter agitur [illegible] in confessione [illegible] revelandi, unde [illegible]; sed ex altera parte extra confessionem [illegible] debet, in quo [illegible] continentur. De hac itaque [illegible] non de sigillo confessionis hic quæstio est, et de malis personalibus judicialiter agitur; unde sanior est S. Thomæ sententia.

(b) Quæstio est de malo non occulto, sed evidenti, cujus auctor ignoratur. Malorum evidentium homo judex est; unde Prælatus præcipere in genere potest. Alioqui, quando homicidium perpetratum est, et victima inventa est, justitia humana inquirere non posset, et testis homicidii occultum homicidam prodere non posset: quod sustinere absque dubio absurdum esset.

PIÆ PRECES

I

Oratio devota pro peccatorum remissione.

Ad te fontem misericordiæ, Deus, accedo peccator. Ergo digneris me lavare immundum. O sol justitiæ, illumina cæcum. O æterne medice, cura vulneratum. O Rex regum indue spoliatum. O mediator Dei et hominum, reconcilia reum. O pastor bone, reduc errantem. Da, Deus, misericordiam misero, indulgentiam criminoso, vitam mortuo, justificationem impio, unctionem gratiæ indurato. O clementissime [1], revoca fugientem, trahe renitentem, erige cadentem, tene stantem, conduc ambulantem. Ne obliviscaris te obliviscentem, ne deseras te deserentem, ne despicias peccantem. Ego enim peccando te Deum meum offendi, proximum læsi, mihi non peperci. Peccavi, Deus meus, fragilitate contra te Patrem omnipotentem, ignorantia contra te Filium sapientem, malitia contra te Spiritum sanctum, et his offendi te Trinitatem excellentem. Heu mihi misero ! quot et quanta commisi, qualia perpetravi ! Dereliqui te, Domine, de bonitate tua conqueror, amore malo accedente, timore malo humiliante, quibus potius te amittere, quam amatis carere, potius te offendere, quam timenda non incurrere volui. O Deus meus, quantum nocui verbo et opere, peccando latenter, patenter [2] et contumaciter ! Quare pro mea fragilitate supplico, ut non attendas meam iniquitatem, sed tuam immensam bonitatem ; et remittas clementer quæ feci, donans dolorem pro præteritis, et cautelam efficacem de futuris. Amen.

II

Oratio dicenda pro obtinendis virtutibus.

O Deus omnipotens, omnia sciens, principio et fine carens, qui es virtutum donator et conservator [3], digneris me stabilire solido fidei fundamento, et tueri inexpugnabili spei clypeo, atque decorare nuptiali charitatis vestimento ; da mihi per justitiam tibi subesse, per prudentiam insidias diaboli cavere, per temperantiam medium tenere, per fortitudinem adversa patienter tolerare ; da bonum quod non habeo ab habentibus humiliter quærere ; malum culpæ quod feci veraciter accusare, malum pœnæ quod sustineo æquanimiter ferre : bono proximi non invidere ; de bonis tuis semper gratias agere ; habitu, incessu, et motu disciplinam semper servare ; linguam a vaniloquio restringere, pedes a discursu cohibere : oculos a vago visu comprimere ; aures a rumoribus separare : vultum humiliter inclinare : mentem in cœlestia levare : transitoria contemnere : te tantummodo desiderare ; carnem domare : conscientiam expurgare ; sanctos honorare : te digne laudare : in bono proficere ; et bonos actus fine sancto terminare. Planta in me, Domine, virtutes, ut circa divina sim devotus, circa humana officia providus, circa usum proprii corporis nulli onerosus. Da mihi, Domine, ferventem contritionem, puram

[1] Al. : « Pater clementissime. »
[2] Al. perperam : « patienter. »
[3] Al. additur : « et remunerator. »

confessionem, perfectam satisfactionem. Ordinare me digneris interius per bonam vitam, ut faciam quod decet, et quod mihi proficiat ad meritum, et reliquis proficiat ad exemplum. Da mihi ut nunquam ea quæ fiant insipienter appetam; et quæ[1] fiunt accidiose fastidiam; ne contingat inchoanda ante tempus appetere, aut inchoata ante consummationem deserere. Amen.

III

Oratio pro contemplatione,
quam quasi intime contemplans dicebat.

Te Deum totius consolationis invoco, qui nihil in nobis præter tua dona cernis, ut mihi post hujus vitæ terminum donare digneris cognitionem primæ veritatis, fruitionem divinæ majestatis[2]. Ita etiam corpori meo, largissime remunerator, claritatis pulchritudinem, agilitatis promptitudinem, subtilitatis aptitudinem, impassibilitatis fortitudinem. Appones istis affluentiam divitiarum, influentiam deliciarum, confluentiam bonorum, ut gaudere possim supra me de tua consolatione, infra de loci amœnitate, intra de corporis et animæ glorificatione, juxta de Angelorum et hominum delectabili associatione. Consequatur apud te, Clementissime Pater, in eo rationalis[3] sapientiæ illustrationem, concupiscibilis desiderabilium adeptionem, irascibilis triumphi laudem, ubi est apud te evasio periculorum, distinctio mansionum, concordia voluntatum; ubi est amœnitas vernalis, luciditas æstivalis, ubertas autumnalis, et requies hiemalis. Da, Domine Deus, vitam sine morte, gaudium sine dolore, ubi est summa libertas, libera securitas, secura tranquillitas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitudo, veritatis visio, atque laudatio, Deus. Amen.

IV

Oratio solita recitari singulis die
ante imaginem Christi.

Concede mihi, misericors Deus, quæ tibi placita sunt ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte adimplere ad laudem et gloriam[4] nominis tui. Ordina statum meum, et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, et da exequi sicut oportet et expedit animæ meæ. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar, et in istis non deprimar: de nullo gaudeam vel doleam nisi quod ducat ad te vel abducat a te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et cara mihi sint omnia tua. Tædeat me gaudii quod est sine te, nec aliud cupiam quod est extra te. Delectet me, Domine, labor qui est pro te, et tædiosa sit mihi omnis quies quæ est sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, et hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, timentem te sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine præsumptione, proximum corripere sine elatione, ipsum ædificare verbo et exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil quod nulla abducat a te curiosa cogitatio. Da nobile quod nulla deorsum trahat indigna affectio. Da rectum quod nulla seorsum obliquet[5] sinistra intentio. Da firmum quod nulla frangat tribulatio. Da liberum quod nulla sibi vindicet violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam fidenter te expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem: tuis pœnis hic affligi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis in primis in patria perfrui per gloriam. Qui vivis et re-

[1] Al.: « vel ea quæ. »
[2] Al.: « dilectionem summæ bonitatis. »
[3] Addidit: « potentiæ rationalis etc. »

[4] Al. additur: « dulcissimi. »
[5] Al.: « abducat. »

gnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V

Oratio de gratiarum actione.

Laudo, glorifico, benedico te, Deus meus, propter immensa indigno mihi præstita beneficia. Laudo clementiam tuam me diu expectantem, dulcedinem tuam ulcisci simulantem, pietatem tuam vocantem, benignitatem suscipientem, misericordiam peccata remittentem, bonitatem supra merita impendentem, patientiam injuriæ non recordantem, humilitatem consolantem, patientiam protegentem, æternitatem conservantem, veritatem remunerantem. Quid dicam, Deus meus, de tua ineffabili largitate? Tu enim vocas fugientem, suscipis revertentem, adjuvas titubantem, lætificas desperantem, stimulas negligentem, armas pugnantem, coronas triumphantem, peccatorem post pœnitentiam non spernis et injuriæ non memineris, a multis liberas periculis, ad pœnitentiam cor emollis, terres suppliciis, allicis promissis, castigas flagellis, angelico ministerio custodis, ministras temporalia, reservas nobis æterna, hortaris dignitate creationis, invitas clementia redemptionis, promittis præmia remunerationis, pro quibus omnibus laudes referre non sufficio. Majestati tuæ gratias ago propter immensæ bonitatis tuæ abundantiam, ut semper in me gratiam multiplices, et multiplicatam conserves, et conservatam remuneres. Amen.

VI

Oratio dicenda ante communionem.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Accedo, inquam, infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ; pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis[1] tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici corporis et sanguinis non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo[2] contemplari. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

VII

Oratio dicenda post communionem.

Sit, Jesu dulcissime, sacratissimum Corpus tuum et Sanguis dulcedo et suavitas animæ, salus et sanctitas in tentatione, gaudium et pax in omni tribulatione, lumen et virtus in omni verbo et operatione, et finalis tutela in morte.

VIII

Oratio alia post communionem.

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus est pretioso corpore et sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et precor te, ut hæc sancta communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum

[1] Al.: « majestatis. »

[2] Al. deest: « perpetuo. »

bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio; contra insidias inimicorum omnium tam visibilium quam invisibilium, firma defensio; motuum meorum, tam carnalium quam spiritualium, perfecta quietatio; in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque mei finis felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo et Spiritu sancto sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

IX

Oratio quam frequenter dicebat antequam dictaret, scriberet aut prædicaret.

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ tres[1] Angelorum hierarchias designasti, et eas super cœlum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime disposuisti, tu, inquam, qui verus es fons luminis et sapientiæ diceris, atque supereminens principium: infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium charitatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem[2], loquendi gratiam copiosam; ingressum[3] instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Tu qui es verus Deus et homo. Qui vivis etc.

X

Oratio ad Beatissimam Virginem Mariam ab omni religioso dicenda.

O beatissima et dulcissima Virgo Maria, mater Dei, omni pietate plenissima, summi regis filia, Domina Angelorum, mater omnium credentium[1], in sinum pietatis tuæ commendo hodie et omnibus diebus vitæ meæ corpus meum et animam meam, omnesque actus meos, cogitationes, voluntates, desideria, locutiones, operationes, omnemque vitam, finemque meum: ut per tua suffragia disponantur in bonum, secundum voluntatem dilecti Filii tui domini nostri Jesu Christi: ut sis mihi, o Domina mea sanctissima, adjutrix et consolatrix contra insidias et laqueos hostis antiqui, et omnium inimicorum meorum. A dilecto Filio tuo Domino nostro Jesu Christo mihi impetrare digneris gratiam cum qua potenter resistere valeam tentationibus mundi, carnis et dæmonis, ac semper habere firmum propositum ulterius non peccandi; sed in tuo et dilecti Filii tui servitio perseverandi. Deprecor te etiam, Domina mea sanctissima, ut impetres mihi veram obedientiam et veram cordis humilitatem, ut veraciter me agnoscam miserum ac fragilem peccatorem et impotentem non solum ad faciendum quodcumque opus bonum, sed etiam ad resistendum continuis impugnationibus, sine gratia et adjutorio Creatoris mei, et sanctis precibus tuis. Impetra mihi etiam, o Domina mea dulcissima, perpetuam mentis et corporis castitatem: ut puro corde et casto corpore, dilecto Filio tuo et tibi in tuo ordine valeam deservire. Obtine mihi ab eo voluntariam paupertatem cum patientia et mentis tranquillitate, ut labores ejusdem ordinis valeam sustinere, et pro salute propria et proximorum valeam laborare. Impetra mihi etiam, o dulcissima Domina, charitatem veram, qua sacratissimum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum toto corde diligam: et te post ipsum super omnia: et proximum in Deum et propter Deum. Sicque de bono ejus gaudeam, de malo doleam, nullumque contemnam, neque temerarie judicem; neque in corde meo alicui me præponam. Fac etiam, o Regi-

[1] Cod. Mss. [illegible]
[2] [illegible]
[3] Cod. Mss. : [illegible]

[1] Cod. Mss. : « Regnorum [illegible] qui cum Patre, etc. »
[2] M[illegible] : « [illegible] »

na cœli, ut dulcissimi Filii tui timorem pariter et amorem semper in corde meo habeam; et [1] de tantis beneficiis mihi, non meis meritis, sed ipsius benignitate collatis, semper gratias agam : ac de peccatis meis puram et sinceram confessionem, et veram pœnitentiam faciam, ut suam consequi merear misericordiam et gratiam. Oro etiam, ut in fine vitæ meæ [2], cœli porta et peccatorum advocata, me indignum servum tuum a sancta fide catholica deviare non permittas; sed tua magna pietate et misericordia mihi succurras, et a malis spiritibus me defendas : ac benedicta Filii tui gloriosa passione, etiam in tua propria intercessione spe accepta, veniam de peccatis meis ab eo mihi impetres, atque me, in tua et ejus dilectione morientem, in viam salvationis et salutis dirigas. Amen.

I

Oratio post corporis et calicis elevationem.

Adoro te devote, latens Deitas
Quæ sub his figuris vere latitas;
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur :
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Nihil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas :
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor;
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini,
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio
Oro fiat illud, quod tam sitio :
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

II

Elogium S. Petri Martyris [3].

Præco lucerna pugil Christi populi fideique
Hic silet, hic tegitur jacet hic mactatus inique.
Vox ovibus dulcis, gratissima lux animorum,
Et verbi gladius, gladio cecidit Catharorum.
Christus mirificat, populus devotus adorat,
Martyrioque fides sanctum servata decorat.
Sed Christus nova signa loqui facit, et nova turbæ
Lex datur, atque fides vulgata refulget in urbe.

[1] Al. : « ut. »
[2] Al. additur : « tu, mater unica. »

[3] In antiquo lapide ante aram sancti martyris in templo sancti Eustorgii Mediolani.

OFFICIUM

De festo S. Augustini episcopi et confessoris ac doctoris ecclesiæ

Ad Vesperas [1]

Super Psal. Antiph. Lætare, mater nostra Jerusalem quia Rex tuus dispensatorem strenuum et civem fidelissimum de servitute Babylonis tibi redemit Augustinum. *Psal.* Laudate *cum ceteris*.
℟. Valebat etc. VI

Hymnus.

Magne Pater Augustine,
Preces nostras suscipe,
Et per eas conditori
Nos placare satage,
Atque rege gregem tuum,
Summum decus Præsulum.
Amatorem paupertatis,
Te collaudant pauperes,
Assertorem veritatis
Amant veri judices :
Frangis nobis favos mellis,
De Scripturis disserens.
Quæ obscura prius erant
Nobis plana faciens,
Tu de verbis Salvatoris
Dulcem panem conficis ;
Et propinas potum vitæ
De psalmorum nectare.
Tu de vita clericorum
Sanctam scribis Regulam ;
Quam qui amant, et sequuntur
Viam tenent regiam,
Atque tuo sancto ductu
Redeunt ad patriam [3].
Regi regum salus, vita,

[1] In bulla S. Pii V, cujus initium : Pastoralis (Const. CXV) [illegible] Romæ [illegible] Decemb. 1570 [illegible] « Cum Papa V [illegible] [illegible] Canonicorum [illegible] [illegible] Canonicorum, octavæ [illegible] « [illegible] Sancti Salvatoris « Lateranensis [illegible] S. Augustini [illegible] Patris « ad Vesperas et Laudes commemorationem ejusdem « S. Augustini [illegible] octava Augusti, [illegible] Ca- « nonicis [illegible] prout [illegible] Hymnis, « Responsoriis, [illegible] Canonicorum [illegible] Thoma Aquinate [illegible] « intra octavas quidem recurrente, in ipsa autem « die et octava de Scriptura assignata ab ipsis « Canonicis atque congruentius eidem festo aptata. « Mediæ tres partim de vita ejusdem Patris collecta « ex dictis ejusdem contemporanei ac socii, qui « cum per annos quadraginta cum eo familiarissime vixisset, vitam ejus veriori et integriori modo « descripsit ; partim de Sermonibus ejusdem Patris « de Communi vita Clericorum. Tres vero postre- « mæ lectiones de Homilia S. Joannis Chrysostomi « super Evangelium Matthæi : Vos estis sal terræ. « Datum Romæ apud S. Petrum 18 Decemb. 1570. »

[2] Ex antiquo breviario Membranaceo, XIV sæculi Ord. Prædicatorum existente in archivio ejusdem [illegible] Romæ collato cum breviario Canonicorum S. Augustini impresso [illegible] anno 1507, et ex breviario Regio membranaceo Parisiensi.

[3] Gratulentur eremitæ
Cœli contubernio,
Lætentur anachoritæ
Cum cleri collegio ;
Augustinus lumen vitæ
[illegible] ab Antonio.
Mone, Hymni medii ævi, p. 313.

Decus et imperium,
Trinitati laus et honor
Sit per omne sæculum
Qui concives nos adscribat
Supernorum civium. Amen.

v. Ora pro nobis, beate Augustine.

R. Ut digni efficiamur etc.

Ad Magnificat *Antiph.* Adest dies celebris quo solutus nexu carnis sanctus præsul Augustinus, assumptus est cum Angelis, ubi gaudet cum Prophetis, lætatur cum Apostolis, quorum plenus Spiritu quæ prædixerunt mystica fecit nobis pervia post quos secunda dispensandi verbi Dei primus refulsit gratia.

Oratio.

Adesto supplicationibus,nostris omnipotens Deus, et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente beato Augustino confessore tuo atque pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum etc.

Ad Matutinum.

Invitat. Magnus Dominus et laudabilis valde [1]. Qui de tenebris gentium lumen Ecclesiæ suæ vocavit Augustinum.

Psal. Venite.

Hymn. Magne Pater.

In primo Nocturno.

Antiph. Aperuit Augustinus codicem Apostolicum et conjectis oculis ad primum capitulum, legit : Induimini Dominum Jesum Christum ; et statim, quasi infusa luce securitatis, ab eo omnes dubietatis tenebræ diffugerunt. *Psal.* Beatus.

Antiph. Insinuavit ergo per litteras sancto viro Ambrosio præsens votum suum, ut moneret quid sibi de libris sanctis legendum esset, quo percipiendæ Christianæ gratiæ aptior fieret atque paratior. *Psal.* Quare.

Antiph. At ille jussit Isaiam Prophetam quod præ cæteris Evangelii vocationisque Gentium sit prænunciator apertior. *Psal.* Domine quid.

v. Amavit eum etc.

Lectio I.

Beatus Augustinus ex provincia Africana civitate Tagastensi de numero curialium honestissimis valde parentibus oriundus fuit : cujus carnalis pater Patricius, mater vero Monica nuncupata est. Ipse puer nutritus sub [2] diligentia et litteris imbutus, in scholam missus ad plenum eruditus est. Una autem [3] dierum nimio dolore stomachi vexatus est, anxie valde laborabat.

R. Invenit se Augustinus longe esse a Deo, in regione dissimilitudinis, tamquam audiret vocem Dei de excelso : Cibus sum grandium. Cresce et manducabis me.

v. Nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me *.

Lectio II.

Hortante [4] autem beata matre ut baptizaretur, sed, renuente gentili patre, baptismum dilatum est. Interim vero miserante Dei gratia,dolore quiescente, sanatus est [5]. Cujus mundatio ad hoc dilata est quasi necesse esset ut adhuc sordidaretur si viveret, quia majus peccatum esset si post [6] peccaret. Græcas sane litteras quibus docebatur oderat, latinas vero satis diligebat *. Tu autem.

R. Sensit igitur et expertus est non esse mirum quod palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis *. Et oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis.

v. Propter iniquitatem corripuisti hominem, et tabescere fecisti, sicut araneam, animam ejus *. Et.

[1] Et Sapientiæ ejus non est numerus, *add.* B. L.
[2] Cum omni. *B. L.*
[3] Igitur. *B. L.*
[4] Verba : « Cujus mundatio etc » usque ad : « diligebat, » desiderantur in *B. L.*
[5] Brev. Reg. ex prima et secunda lectione hujus officii unicam conficit.
[6] Brev. Reg. : « Post Baptismum. »

Lectio III [1].

Interea pervenit in librum quemdam Ciceronis qui exhortationem continet ad philosophiam. Ille vero liber immutavit affectum ejus [2] ad ipsum Dominum, preces et vota mutavit, ac desideria ejus fecit alia. Viluit ei repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiæ concupiscebat æstu cordis incredibili, et surgere cœperat ut ad Deum rediret. Erat autem fere annorum decem et novem, defuncto jam patre ante biennium *. Tu autem.

℟. Tum vero invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspexit, sed aciem figere non valuit *. Quia non secum ferebat nisi amantem memoriam *. Et quasi olfacta desiderantem quæ comedere nondum posset.

℣. Quid autem sacramenti haberet Verbum caro factum est, nec suspicari quidem poterat *. Quia. Gloria Patri *. Et.

In secundo Nocturno.

Antiph. Veruntamen primum hujus lectionem non intelligens, totumque talem arbitrans, distulit repetendum exercitatior in Dominico eloquio. *Psal.* Cum invocarem.

Antiph. Inde ubi tempus advenit quo nomen suum dare oportebat, relicto rure, Mediolanum remeans baptizatus est a beato Ambrosio; fugitque ab eo sollicitudo vitæ præteritæ. *Psal.* Verba mea.

Antiph. Nec satiabatur illis diebus dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii divini, super salutem generis humani. *Psal.* Domine, Dominus.

℣. Justum deduxit etc.

Lectio IV [3].

Hoc autem solo delectabatur in illa exhortatione quod non illam sectam sed sapientiam ut diligeret et inquireret, et teneret, fortiter excitabatur. Et hoc solum eum in tanta fragrantia refragrabat [4] quod nomen Salvatoris in ipso adhuc lacte matris cor ejus pie biberat [5] et alte retinebat. Et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis expolitum et veridicum, non eum totum rapiebat *. Tu autem [6].

℟. Itaque avidissime legere cœpit præ cæteris Apostolum Paulum *. Et perierunt illæ quæstiones, in quibus aliquando visus est ei adversari testimoniis Legis et Prophetarum textus sermonum ejus.

Lectio V.

Interea [7] usque ad eas perductus est nugas ut crederet ficum plorare, cum decerpitur [8] a matre ejus arbore, lacrymis lacteis. Proinde multum pro eo flebat ad [9] Dominum mater ejus [10]. Vidit enim se stantem in quadam regula lignea et advenientem ad se juvenem splendidum, hilarem atque arridentem sibi, cum illa esset mœrens ac mœrore confecta. Qui cum causas quæsisset tristitiæ ab ea, illa respondit ei dicens : perditionem filii mei Augustini plango [11] *. Tu autem.

℟. Misit ergo Dominus in mentem ejus, visumque est bonum in conspectu ejus, pergere ad Simplicianum, qui ei bonus apparebat servus Dei. * Et lucebat in eo gratia divina.

℣. Audierat enim quod a juventute sua devotissime Deo viveret : et vere sic erat. * Et.

[1] Hæc lectio deest in B. L.
[2] Brev. Rag. : « Ejus, et ad ipsum. »
[3] Hæc lectio deest in B. L.
[4] Brev. Rag. : « Refragrabat. »
[5] [illegible]
[6] [illegible]
[7] [illegible] B. L.
[8] [illegible]

[9] Ad Deum amplius quam matres flere solent corporum funera. Exaudivit itaque eam Dominus, nec despexit lacrymas ejus. Vidit per somnium se cum filio suo [illegible] et mentem eamdem secum habere [illegible] blasphemias ejus [illegible]. B. L.
[10] Brev. Rag. : « Mater ejus : amplius quam flerent matres corporum funera. Exaudivit autem eam Deus, nec despexit lacrymas ejus. »
[11] Deplorat. B.L.

Lectio VI.

Tunc ille jussit ut secura esset, admonuitque ut attenderet, et videret ubi ipsa esset ibi esse [1] et filium suum : quod ubi illa attendit, vidit eum juxta se in eadem regula [2] stantem [3]. Ubi [4] filio narravit visum et ille ad id trahere hoc conaretur, ut illam post se non desperaret futuram esse quo ipse erat, continuo illa sine aliqua hæsitatione dixit ad eum : non, inquit, mihi dictum est : ubi est filius tuus ibi eris et tu, sed, ubi es tu, ibi et ille.

R. Volebat enim conferenti æstus suos ut proferret quis esset aptior modus vivendi sic affecto, et ipse erat, ad ambulandum in via Dei.* In qua alius sic, alius sic ibat.

V. Displicebat ei quicquid agebat in sæculo, præ dulcedine Dei et decore domus ejus, quam dilexit.* In. Gloria Patri.* In.

In tertio Nocturno.

Antiph. Flebat autem uberrime in hymnis et canticis suave sonantis Ecclesiæ vocibus vehementer affectus. *Psal.* Domine quis.

Antiph. Voces igitur illæ influebant auribus ejus, et eliquabatur veritas in cor ejus, et fluebant lacrymæ, et bene illi erat cum iis. *Psal.* Domine, in virtute.

Antiph. Adjunctus inde Nebridio et Evodio remeabat ad Africam, quærens quis eos ad bene vivendum locus haberet utilius : sed cum esset apud Ostia Tiberina, pia mater ejus defuncta est. *Psal.* Domini est terra.

V. Justus ut palma etc.

Lectio VII.

Novem anni deinde sunt secuti quibus [5] illa spe alacrior, sed fletu et gemitu non segnior, non desinebat omnibus horis orationum suarum de filio plangere ad Deum. Et intrabant in conspectu Dei preces ejus, et ipsum tamen dimittebat adhuc volvi et involvi illa caligine [6]. Dedit autem interim Deus [7] altum responsum per quemdam magnum episcopum, quem cum mater rogasset ut dignaretur cum filio suo colloqui et refellere errorem ejus, noluit ille : respondit enim illum adhuc esse indocilem eo quod inflatus esset novitate illius hæresis.* Tu autem.

R. Vulneraverat caritas Christi cor ejus, et gestabat verba ejus in visceribus quasi sagittas acutas.* Et exempla servorum Dei, quos de mortuis vivos fecerat, tamquam carbones vastatores.

V. Ascendenti a convalle plorationis et cantanti canticum graduum dederat sagittas acutas.* Et.

Lectio VIII.

Dixit tamen episcopus [8] ad eam : sine illum adhuc, roga tantum pro eo Dominum [9]. Ipse legendo reperiet quis ille sit error, et quanta sit impietas. Cum autem illa nollet acquiescere, sed magis instaret ubertim flendo ut illum videret et cum illo dissereret, ille substomachans tædio dixit ei : vade, inquam [10], a me, ita vivas fieri non potest ut filius tantarum [11] lacrymarum pereat. Quod illa accepit ac si de cœlo sonuisset* [12]. Tu autem.

R. Accepta baptismi gratia, positus apud Ostia Tiberina cum matre sua, colloquebantur soli valde dulciter, et inhia-

[1] Videret esse. *B. L.*

[2] Hic in Brev. Reg. Lectio III explicit, ac incipit Lectio IV.

[3] Brev. Reg. : « At ubi. »

[4] Hæc dum Augustino retulisset : ille ait : falleris, mater, nec tibi : sic dictum est, ubi ille, ibi tu sed ubi tu, ibi ille. *B. L.*

[5] Brev. Reg. : « Quibus ille in illo limo tentus est : cum tamen illa vidua casta, pia, sobria, jam quidem spe. »

[6] Hic in Brev. Reg. explicit Lectio IV, et Lectio V incipit.

[7] Brev. Reg. : « Dominus. »

[8] Brev. Reg. non habet : « Episcopus. »

[9] Brev. Reg. : « Deum. »

[10] Brev. Reg. : « Inquit. »

[11] Brev. Reg. : « Istarum. »

[12] Hic in Brev. Reg. Lectio V explicit.

bant crescendo pariter in superna fluenta fontis vitæ. * Vilescebatque mundus iste inter verba cum delectationibus suis.

℣. Tunc ait illa filio : Nulla re jam delector in hac vita, cum te, contempta felicitate terrena, videam servum Christi. * Vilescebatque (a).

Lectio IX

Post [1] hæc [2] cogitaverat [3] ire Romam, ut potius ibi doceret quæ docebat Carthagini [4]. Verum hæc illa cogitatio Dei erat dispensatio. Qui cum inchoasset iter, secuta est eum mater usque ad mare [5], sed Augustinus fefellit eam violenter se tenentem, ut aut eum revocaret, aut cum ipso pergeret, et finxit se eam nolle deserere donec facto vento navigaret; et mentitus est matri [6]. Cum [7] autem jam illa paulum divertisset, ascendens ille nocte navem clanculo profectus est. Illa autem mansit tota nocte orando et flendo ut impediretur navigium, sed servaret eum Deus ab aquis (b).

℟. Verbum Dei, usque ad ipsam suam ægritudinem, impretermisse, alacriter et fortiter, sana mente sanoque consilio in [8] Ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, * Coram positis fratribus et orantibus, * Dormivit cum patribus suis.

℣. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Christi non habuit. * Coram. Gloria Patri. * Dormivit.

In Laudibus.

Antiph. Post mortem matris reversus est Augustinus ad agros proprios; ubi cum amicis, jejuniis et orationibus vacans, scribebat libros et docebat indoctos.

Antiph. Comperta autem ejus fama, beatus Valerius, Hipponensis episcopus, eum ad se accersiri fecit; et, licet invitum, presbyterum ordinavit.

Antiph. Factus ergo presbyter, monasterium clericorum mox instituit, et cœpit vivere secundum regulam sub sanctis Apostolis constitutam.

[1] Post hæc Augustinus cogitavit Romam pergere, ut potius ibi doceret quam Carthagini, maxime quia audiebat quietius studere ibi adolescentes, et quoniam Carthagini graves erat [illegible]. *B. L.*

[2] Hic in Brev. Reg. Lectio VIII incipit.

[3] Brev. Reg. : « Cogitabat pergere. »

[4] Brev. Reg. : « Maxime quod audierat quietius ibi studere adolescentes, et quod Carthagini satis esset inquietudo. »

[5] Quæ sequuntur desiderantur in Brev. Lat. Animadvertendum quod in Brev. Lat. lectiones de S. D. sunt contractæ et redactæ ad tres ut locus daretur tribus de hom. super Evang.

[6] Brev. Reg. : « Et nolente matre sine se redire domum, vix eam persuasit ut in loco qui proximus navi illo erat, in memoriam Beati Cypriani maneret ea nocte. »

[7] Hic in Brev. Reg. Lectio IX incipit.

[8] Brev. Reg. : « In Sancta. »

(a) Lectio Sexta.

In Brev. Reg. : « Docebat in temporibus artem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] fama. [illegible] [illegible] legebat, et intelligebat [illegible] [illegible] [illegible] quidquid [illegible] quidquid

de dimensionibus figurarum, et de musicis, et de numeris, sine magna difficultate nullo hominum tradente, intellexit.

Lectio Septima

Anno uno minus de tricesimo ætatis suæ convenerat Carthaginem quidam Manichæorum episcopus, Faustus nomine, magnus laqueus diaboli, nominatissimus apud eos, quod esset honestarum omnium doctrinarum, et apprime disciplinis liberalibus eruditus. Et quia Augustinus multa Philosophorum legerat, memoriæque mandaverat, conferebat cum dictis Manichæi, qui de pluribus rebus multa scripserat copiosissime delirans. Ergo ubi venit, expertus est hominem gratum et jucundum verbis. Libri quippe eorum pleni sunt fabulis, de cœlo, et sideribus, et sole, et luna. Quæ ubi discutienda Augustinus protulit, ille nec ausus est subire ipsam sarcinam. Sciebat enim ita non esse, nec eum puduit confiteri. Et ita superatus abscessit. »

(b) In Brev. Reg. : « Flavit continuo ventus, et implevit vela navis, et littus subtraxit ab oculis eorum. Reversa ergo mater ad littus ubi filium dimiserat, prospiciens rem gestam, insaniebat intolerabili dolore, et gemitu implebat aures Dei, et nesciebat quid illi Deus gaudiorum facturus esset de absentia ejus. Et ideo flebat et ejulabat. Et tamen post multum luctum conversa rursus ad deprecandum pro eo Dominum, abiit ad solita. Ille autem pervenit Romam. In autem.

Antiph. Beatus[1] autem Valerius, ordinator ejus, exultabat uberius, hominem sibi talem datum divinitus qui in doctrina sacra ædificare Ecclesiam esset idoneus.

Antiph. Eodem tempore Fortunatus presbyter, Manichæorum versutia plurimos seducebat; quem sanctus Augustinus, in conventu omnium disputans, publice superavit.

HYMNUS.

Cœli cives, applaudite,
Et vos, fratres, concinite,
Patris nostri solemnia
Solis reduxit orbita.
Quod lingua foris personat,
Intus affectus sentiat,
Nec imitari pigeat
Quod laudare mens approbat.
Hunc post mundi curricula
Cœli suscepit curia
Quem cum suis fidelibus
Jam coronavit Dominus.
Conemur totis viribus,
Jungamus preces precibus,
Ut Augustini meritis,
Cœli fruamur gaudiis.

[1] Brev. Reg. : « Sanctus autem Valerius. »

Præsta, Pater piissime, etc.
v. Justus germinabit etc.

Ad Benedictus *Antiph.* In diebus ejus obsessa est civitas Hipponensis ab exercitu Barbarorum : inter quæ mala fuerunt Augustino lacrymæ suæ panes die ac nocte; atque sub hoc eventu, ad extremam horam veniens, obdormivit in pace.

Ad Magnificat *Antiph.* Hodie gloriosus pater Augustinus, dissoluta hujus habitationis domo, domum non manufactam accepit in cœlis, quam sibi, cooperante Dei gratia, manu, lingua fabrefecit in terris, ubi jam quod sitivit internum gustat æternum, decoratus una stola securusque de reliqua.

Per octavam S. Augustini, quando de octava agitur, nisi in Dominica, Invitat. Regem Confessorum. *Sequentes vero antiphonæ dicuntur ad* Benedictus, *et ad* Magnificat, *vel ad Memoriam.*

Ad Benedictus *Antiph.* Hujus mater devotissima, quem carne prius pepererat mundo, caritatis visceribus postmodum multo semine lacrymarum genuit Christo.

Ad Magnificat *Antiph.* Lætare, mater nostra, *quære supra in primis Vesperis super Psal.*

OPUSCULUM ANECDOTUM

MONITUM

Codex Opusculorum S. Victorinus in Bibliotheca Regia Parisiensi asservatus maxima auctoritate pollet, et est ipso sancto Doctori cævus. Qua de causa numquam ex ipso correptum sit istud pretiosum Opusculum nescimus. Sed eadem manu ac cætera S. Thomæ Opuscula in hoc codice contenta, et illud anecdotum Opusculum scribitur. An terruerunt Editores aliquæ omissiones ex quibus procedit obscuritas, quæ circa principium Opusculi inveniuntur? Intra parenthesim quaedam verba addimus, ut doctrina elucesceret. Hoc notari oportuit, nec opus ipsum S. Thomae discipulis denegare.

OPUSCULUM ANECDOTUM

Hanc Epistolam misit frater Thomas de Aquino fratri Johanni magistro ordinis Prædicatorum, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo.

Isti sequentes articuli sunt iterum sibi remissi a quibusdam scolaribus post præmissam declarationem

Tertius Articulus est quod Angeli movent cœlestia corpora suo imperio, potestate, scilicet, a Domino tradita. — ~~Sequitur. Quo modo~~ quid dubium esse possit plene non video. Non enim existimo aliquem dubitare quin omne quod Angeli faciunt operentur potestate a Deo donata. Si vero hoc vertitur in dubium quod dicitur eos movere cœlestia corpora suo imperio, irrationabilis dubitatio videtur. Non enim possunt movere aliquod corpus per contactum virtutis (corporalis, quia) in Angelis (contactus) est eorum intellectus, cum et ipsi a Dyonisio Intellectus sive Mentes nominentur; unde eorum motiones a virtute intellectus procedunt. Propria autem conceptione intellectus — secundum quod habet efficaciam ad imperium transmutandi, — nominantur. Unde, si movent, nullo modo nisi secundum imperium movent.

Duodecimus Articulus est quod post opera sex dierum nullum corpus Deus movet immediate. — Hoc verum est quantum ad illas corporis motiones quæ per creaturam fieri possunt, (sed non quantum ad alias), sicut quod corpora mortua reviviscant, quod cæci illuminentur, et similia; et tales corporales operationes Deus immediate operatur quoad principales effectus, licet (non) quantum ad effectus (minus principales).

Tertius Decimus Articulus est quod Deus non potest nec vult movere aliquod corpus immediate. Iste Articulus implicite ponitur. Nam ex parte proceditur quod Deus sua virtute et potestate potest omne corpus movere immediate, quod non video quin repugnet ei quod dicitur quod non potest immediate corpus movere, nisi forte hoc quod dicitur « non potest immediate movere » referatur ad hoc quod subditur, « ita quod movetur divisibile et mensuratur tempore sit actio Dei quæ est ejus essentia simplicissima. » Hoc enim Deus non facere potest nec vult, quod ejus actio, quæ est ejus essentia, sit divisibilis et tempore mensurata, sed actio simplex quæ est sua essentia. Nam non solum Deus, sed etiam quilibet intellectus movet per imperium, ut supra dictum est; imperium autem intellectus nihil aliud est quam conceptio effectus, tamen ordinata ad implendam voluntatem. Velle autem et intelligere Dei non est aliud quam ejus essentia. Unde sicut actio qua creavit res, ita actio qua Deus potest immediate movere corpus nihil aliud est quam intelligere, et ejus velle.

Vigesimus primus Articulus est quod facta transsubstantiatione substantiæ panis in substantia (Corporis Christi) mirabiliter in sacramento altaris, substantia Corporis Christi naturaliter, sine miraculo, in hoc Sacramento est sub dimensio-

nibus hostiæ quæ remanserunt, eo quod substantia, ex hoc quod est substantia, non prohibetur esse in magna vel parva dimensione. — Credo primum esse falsum. Sicut enim non naturaliter, sed miraculose, substantia panis in substantiam Corporis Christi convertitur, ita etiam miraculose sub dimensionibus conservatur, et non naturaliter, ut Augustinus dicit, IV *super Genesim*. Deus eo modo conservat res quo eas operatur. Non enim est sicut ædificator qui operatur tantum ad domus factionem, et postea eam dimittit. Sed Deus quotidie circa rem operatur, conservans eam in esse, secundum illud Joannis, V : *Pater meus usque operatur*. Quod autem pro ratione inducitur, quod « substantia, ex hoc quod est substantia, non prohibetur esse in magna et parva dimensione, » non sic est intelligendum quod de ratione cujuslibet substantiæ sit quod possit esse in magna et parva dimensione ; sed contrarium non est de ratione substantiæ in quantum substantia, sicut non est de ratione animalis quod sit rationale, non tamen est de ratione animalis quod sit sine ratione. Si ergo esset de ratione substantiæ quod non prohiberetur esse in parva vel magna dimensione, sequeretur quod substantia corporis Christi secundum suam naturam haberet ut esset æqualis sub magna vel parva dimensione. Sed, quia hoc non est, non est de ratione substantiæ quod possit esse in magna, vel parva dimensione ; nec tamen est contra rationem substantiæ. Patet quod ponere substantiam corporis Christi in magna vel parva dimensione non implicat contradictionem, sicut aliquid implicat contradictionem, si aliquid attribuatur alicui quod repugnat ejus rationi. Ad hoc ergo induceretur illa ratio quod excludatur contradictio, non ad hoc quod ostendatur esse naturale.

Vigesimus secundus Articulus est quod dimensiones proprii Corporis Christi, et dimensiones panis quæ remanserunt, non sunt æquales. — Istud est maxime verum et dicere contrarium est hæreticum. Sequeretur enim quod sub una sola particula hostiæ non esset totum Corpus Christi.

Vigesimus tertius Articulus est quod Corpus Christi in hoc Sacramento non est in loco. — Istud non est verum. Verum est enim dicere Corpus Christi in loco altaris, vel in ecclesia. Sed hoc verum est quod Corpus Christi non est in Sacramento, ut in loco. Non enim comparatur ad Sacramentum ut locatum ad locum, quia non commensuratur secundum proprias dimensiones.

Trigesimus Articulus est quod Corpus Christi in hoc Sacramento ad motum hostiæ non movetur. — Verum est quod non movetur sicut corpora moventur per se, vel per accidens, cum aliam habeat comparationem ad dimensiones sacramentales, quam corpus ad dimensiones proprias secundum quas movetur per se, et ad vehiculum secundum quod movetur per accidens. Sed eo modo quo convenit Corpus Christi esse in loco ratione dimensionum sacramentalium, convenit sibi moveri in loco.

Trigesimus secundus Articulus est quod species Sacramentales sine subjecto remanentes possunt naturaliter agere, et immutari, et corrumpi sicut prius. — Quantum ad aliquid verum est, et quantum ad aliquid, non. Nihil enim potest agere vel pati, nisi præsupposito suo esse. Quod autem species illæ conserventur in esse absque subjecto, miraculosum est, et quantum ad hoc, actio consequens miraculosa est, et similiter passio. Sed, supposita conservatione in esse, actio procedit ulterius secundum habitudinem naturalem, et etiam quodam modo passio, secundum quod dimensio miraculose habet officium subjecti, et maxime cujus est pati. Explicit. (Ex Cod. 14, 546 in Regia Parisiensi).

Ed. Uccelli, Intorno all' autografo di S. To... sugli accidenti eucaristici, La Scienza ... 1877, 137–158.

EPISTOLA

S. THOMÆ AQUINATIS AD BERNARDUM, ABBATEM CASINENSEM (*)

(Re)verendo in Christo Patri domino Bernardo, Dei gratia (ve)nerabili Abbati Casinensi, Frater Thomas de Aquino suus devotus filius, se (semper) et ubique ad obedientiam promptum.

Optaveram, Pater venerande, quod convocatis (Fratribu)s, qui ex verbis illustris doctoris (Gr)egorii scandalum patiuntur, satisfacerem viva voce, sed hoc proli(xi)tas divini officii et jejunii (prol)ongatio impedivit, et forte fructuosum erit, ut quod scripturæ mandatur, non (sol)um præsentibus prodesse valeat, sed (fu)turis. Nec absque divina dispen(sati)one hoc gestum credo, ut me pro(fici)scentem in Galliam vestræ litteræ comprehen(der)ent Aquini, ubi Sanctissimi Patris (nostri) Be(n)edicti Beatus Maurus, ejus discipulus, (ab) eo transmissus in Galliam, recipere meruit (li)tteras et sacra exenia tanti Patris. Ut (autem) dubitantibus plenius satisfiat, inserenda sunt præsentibus verba Beati Gregorii, quæ ignorantibus dubitationem ingerunt et errorem : « Sciendum, inquit, quod (b)enignitas Dei peccatoribus spatium pœnitentiæ largitur ; sed quia accepta tempora non ad fructum pœnitentiæ, ad usum vero iniquitatis convertunt, quod a divina misericordia mereri poterant, amittunt ; quamvis omnipotens Deus illud tempus uniuscujusque præsciat, quo vita ejus terminatur, nec alio in tempore quisquam mori potuit, nisi ipso quo moritur. Nam si Ezechiæ anni additi (ad) vitam quindecim memorantur, tempus vitæ crevit (ab) illo tempore, quo mori ipse merebatur : nam divina dispositio ejus tempus tunc præscivit, quo hunc postmodum ex præsenti vita subtraxit. » In quibus (ver)bis satis lucide doctor lucifluus duplicem uniuscujusque hominis considerationem habendam determinat : unam quidem secundum se, aliam vero secundum quod ad divinam præscientiam comparatur. Secundum se quidem (hom)o consideratus, in his, scilicet, quæ circa eum accidunt, necessitati non subjacet ; sed possibile est aliqua circa ipsum contingere, quæ nullatenus sortiuntur effectum, quod expresse præmittit de peccatoribus, dicens : « quia accepta tempora non ad fructum pœnitentiæ, ad usum vero iniquitatis convertunt, quod a divina misericordia mereri poterant, amittunt. » Si ergo mereri poterant, non ex necessitate amittunt. Unde ea quæ contra hominem accidunt, non ex necessitate eve-

(*) Hanc Epistolam [illegible] Monte Casino [illegible] Bibliotheca Casinensi [illegible] D. Thomæ [illegible] Casinensi [illegible]

[illegible] S. Thomas de Aquino [illegible] S. Gregorii [illegible] D. Bernardo, venerabili Abbati Casinensi, [illegible] Epistolæ [illegible] Casinensibus, domino Bernardo, vel alii Abbati, melius formata tribueretur, cum hac directione qua incipit Epistola ad Casinenses qui textum S. Gregorii iterum explicare volebant ? « Quod est extra, non [illegible] »

Quidquid sit, Epistola quæ ad Bernardum Aygle[illegible], qui Montem Casinum ab anno [illegible] ad annum [illegible] rexit, directa, ultimum credi potest sancti doctoris fuisse scriptum. Nam ut ipse ait, tunc « proficiscebatur in Galliam », et antequam [illegible] eodem anno obiit.

Ceterum, in codice Casinensi, Epistola mutila et [illegible] legitur. Ipsi Casinenses intra parenthesim textum compleverunt.

niunt; eadem enim ratio est de morte, et de quibuscumque aliis quæ homo agit aut patitur; omnia enim divinæ (pro)videntiæ supponuntur. Si vero consideretur homo divinæ præscientiæ comparatus, ea quæ agit vel patitur, quamdam necessitatem incurrunt, non quidem absolutam, ut omnino, secundum se considerata, non possint, ut dictum est, aliter evenire, sed conditionalem, quia scilicet hæc conditionalis est necessaria : si Deus aliquid præscit, hoc erit. Non enim possunt ista duo simul stare, aliquid esse a Deo præscitum, et illud non esse; quia sic Dei præscientia falleretur. Est autem omnino impossibile, ut falsitatem veritas patiatur; et hoc significant verba sequentia beati Gregorii, quum subdit : « quamvis omnipotens Deus illud tempus uniuscujusque ad mortem præsciat, quo vita ejus terminatur, nec alio in tempore quisquam mori potuit, nisi ipso quo moritur, » scilicet, quo a Deo præscitus est mori. Non enim possunt ista duo simul esse, quod Deus præsciat aliquem mori quodam tempore, et ipse alio tempore moriatur; alioquin Dei scientia falleretur. Secundum se autem consideratus homo, potuit alio tempore mori. Quis enim dubitat eum potuisse prius transfigi gladio, igne comburi, aut præcipitio aut laqueo vitam finire? Hanc et distinctionem sapiunt ejus verba sequentia; subdit enim: « Nam si Ezechiæ anni ad vitam quindecim memorantur, tempus vitæ crevit ab illo tempore, quo mori ipse merebatur. »

Stultum autem est dicere, quod aliquis mereatur id quod impossibile est evenire. Ipse ergo, secundum se consideratus, poterat tempore illo mori; sed divinæ scientiæ comparatus, non poterant hæc simul esse : ut ipse uno tempore moreretur, et alio tempore Deus præsciret moriturum, et. . . . .

. . . .

doctoris exprimunt, quasi oculata fide dubitantium animis ingeramus, considerare oportet differentiam divinæ cognitionis et humanæ. Quia enim homo subjacet mutationi et tempori, in quo prius et posterius locum habent, successive cognoscit res, quasdam prius et quasdam posterius; et inde est quod præterita memoramur, videmus præsentia, et prognosticamur futura. Sed Deus, sicut liber est ab omni motu, secundum illud Malachiæ : *Ego Dominus et non mutor;* ita omnem temporis successionem excedit; nec in eo inveniuntur præteritum (et) futurum; sed præsentialiter omnia futura et præterita ei adsunt; sicut ipse Moysi famulo (su)o dicit : *Ego sum qui sum.* Eo ergo modo (ab) æterno præscivit hunc tali tempore moriturum, (ut) modo nostro loquimur; cum tamen ejus modo dicendum (esse)t, videt eum mori, quomodo ego (vi)deo Petrum sedere, dum sedet. Mani(fes)tum est autem, quod ex hoc, quod video aliquem (se-der)e, nulla ingeritur ei necessitas sessionis. (I)mpossibile est hæc duo simul esse vera, quod videam aliquem sedentem, et ipse non sedeat; et similiter non est possibile quod Deus præsciat (ali)quid esse futurum, et illud non sit; (nec tamen) propter hoc futura ex necessitate (ev)eniunt. Hæc sunt, Pater charissime, quæ vestræ (jussi)oni obediens, ad errantium reductionem scripsi; quæ si eis non sufficiunt (dic)ta, rescribere vobis obediens non (desi)nam. Valeat Paternitas vestra diu. Frater Raynaldus commendat se vobis.

AVE MARIA (1)

Alia expositio ex cod. S. Genovefæ Parisiensi

« *Ave Maria gratia plena etc.*[1] » — Beatus Hieronymus in quodam sermone[2] dicit : « cæteris per partes gratia præstatur, in Mariam[3] autem tota se infudit gratiæ plenitudo, » ad quam plenitudinem designandam Angelus in salutatione præsenti eam plenam gratia fatetur dicens : « *Ave gratia plena.* » Notandum autem quod beata Virgo licet fuit Dei gratia super plena[4] quadruplicem tamen specialiter habuit gratiam. Nam primo plena fuit gratia expiante in sua sanctificatione ; secundo gratia fecundante, in Filii Dei conceptione ; tertio gratia decorante, in sua conversatione ; quarto, gratia consummante in sua glorificatione ; ut sic esset plena gratia purgativa contra turpitudinem culpæ, gratia fæcundativa propter conceptum integritatis virgineæ, gratia decorativa propter pulchritudinem[5] vitæ, et ultimo[6] gratia completiva[7], propter eminentiam gloriæ tam in anima[8] quam in carne.

Fuit ergo primo[9] Domina nostra plena gratia expiante contra fœditatem originalis culpæ quam contraxit ex[10] corruptione naturæ nostræ. Solus enim Filius Virginis ab originali fuit culpa immunis, a qua quidem Beata Virgo sanctificata fuit in ventre matris per gratiam expiantem, et de hoc potest exponi illud Eccl. XXVI, 19 : *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata* ; et talis fuit beata Virgo quæ non solum gratiam cunctis communem, sed super hanc gratiam habuit gratiam sanctificantem, ut non solum in conversatione sancta fuerit[11], sed etiam in utero matris[12]. Bernardus : « Fuit procul dubio mater Domini prius sancta quam nata. Et puto, inquit[13], quod tanta gratia sanctificationis in eam descendit quæ non solum ejus[14] sanctificaret ortum, sed ab omni deinceps peccato servavit immunem, in quo Jeremiam, et Joannem Baptistam, et omnes sanctificatos in ventre præcellit, quia nulli unquam peccato obnoxia fuit. Aug. « Cum de peccatis agitur, nullam de matre Domini volo haberi[15] quæstionem, qua sola excepta, si omnes sancti simul et sanctæ in unum unirentur, et quæreretur ab eis utrum sine peccato essent, quid respondere possint, nisi quod dicit[16] Joan. : « *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* » Unde ipsa sola de omnibus potest dicere illud Job. : *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea.* In hoc autem

[1] D. Uccelli in suo codice legit : *Ave Maria, Dominus tecum*. At cod. noster habet : *Dominus tecum*.

[2] D. Uccelli addit : « [illegible]. »

[3] D. Uccelli : « In Maria. »

[4] D. Uccelli legit : « semper plena. »

[5] D. Uccelli : « Pulchritudinem, » et addit : « Cod. Urb. : « Pulchritudinem. »

[6] D. Uccelli : « Et ultimo. »

[7] D. Uccelli : « Consummativa. »

[8] D. Uccelli : « Anima. »

[9] D. Uccelli omittit : « Primo, » et addit : « Cod. Urb. : « Ergo primo. »

[10] D. Uccelli : « In. »

[11] D. Uccelli : « Fuit. »

[12] Hunc locum [illegible] D. Uccelli [illegible] : « Bernardus : » et sic legit : « [illegible] procul dubio [illegible] »

[13] Consequenter hic D. Uccelli non legit : « Inquit, » sed « Itaque » ex quo idiomate deprompserit ignoramus.

[14] D. Uccelli : « Eius. »

[15] D. Uccelli : « Habere. »

[16] Cod. Urb. : « Beatus. »

(1) In codice venerabili *Opusculorum* S. Thomæ de Aquino quem retinet Bibliotheca S. Genovefæ Parisiensis, aliam invenimus Expositionem Salutationis Angelicæ, sed altera manu evidenter descriptam.

Eamdem invenit clarissimus D. Uccelli in codice quodam Urbinati, textum Parisiensem edidit cum variis lectionibus codicis Urbin. Sed non bene legerat codicem Parisiensem, ut de facili videbitur, [illegible] errores ipsius sedulo adnotabimus.

dono eam non possumus imitari, quia sicut in peccato concipimur, ita et nascimur. Sed in hoc considerare debemus quod ille [1] qui tam cito mundavit virginis uterum, non fædum, sed mundum requirit habitaculum. Ps. *Domum tuam decet sanctitudo* [2], *Domine*. Dei domus est noster [3] animus qui debet esse per omnia mundus, et sanctus ne nobis dicatur illud Matth. : *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam* [4] *latronum*.

Secundo Domina nostra fuit plena gratia fæcundante, in Filii sui conceptione. Unde ab Angelo est [5] ei dictum in Luca : *Ne timeas, Maria; invenisti gratiam apud Deum ; ecce concipies et paries Filium etc.*; quod quidem magnæ admirationis est, et dignitatis quod simul et semel fuerit Dei mater et filia [6], mater et ancilla, Virgo et fæcunda. Unde propter hanc gratiam facta est Deo amicissima [7]. Unde dicitur de Esther II, 17 in figura : *Introducta est Esther ad cubiculum regis, et adamavit eam Rex super omnes mulieres, invenit que gratiam et misericordiam coram eo* ; *et posuit* [8] *diadema regni in capite ejus*. Apoc.: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna suo pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim*. Unde Bernardus ad eam dicit : « quam [9] familiaris es Christo, Domina [10], quam [11] illi proxima, quam [12] munda fieri meruisti. Quantam apud eum gratiam invenisti ut maneret in te, et tu cum [13] ipsa. Vestis eum, vestiris ab eo ipso. Vestis eum subtantia tuæ [14] carnis ; sed ille te vestit suæ gloria majestatis. » In hac tam sublimi gratia, etsi non sit Domina imitanda, est tamen omni honore benedicenda, et prædicanda, laudanda, et in nostrum auxilium invocanda. Ber. : « In omnibus respice maris stellam, voca et clama Mariam, quia ipsa est quæ dat misericordiam mari [15], et inter fluctus firmissimam semitam. Ipsa enim est anchora qua navis in mari [16] firmatur, et est navis qua homo a tentationum fluctibus liberatur. Ber. « Ille solus ab ejus abstineat laudibus qui eam [17] in tribulationibus vocans non fuit exauditus.

Tertio Domina nostra fuit plena gratia decorante in [18] omni sua conversatione ; unde in figura ipsius dicitur de Esther II, 15 : *Erat formosa valde et incredibili pulchritudine; omnium oculis gratiosa et amabilis videbatur*. Hæc est illa Rebecca puella decora nimis, virgo que pulcherrima, et incognita viro. Unde ei [19] dicitur in Cant. : *tota pulchra es, amica mea*. Tota dicit, quia in tantum in mente et in carne pulcherrima fuit, ut nulla unquam sibi fuerit [20] similis. Unde super hæc verba [21] *tota pulchra es*, ait Bernardus « facie quidem pulcherrima, carne integerrima, et spiritu sanctissima [22]. Si diligenter inspicias, nihil est speciositatis, nihil que candoris et gloriæ quod non ex ea resplendeat. » Ex hac igitur tanta plenitudine vitæ, virtutem habuit [23] calamitæ, quia sicut calamita attrahit ad se ferrum, sic Virgo Sancta deduxit ad se de supernis Dei Verbum. Unde B. Virgo Regia gemmis ornata virtutum geminantium mentis [24] et corporis, decore præfulgida, spe-

1 D. Uccelli omittit :« Ille. »
2 D. Uccelli omittit : « *Domine*. »
3 D. Uccelli : « Dei domus est nostra, animus qui debet. »
4 D Uccelli omittit : « *Latronum*, » et addit : « Cod. Urb. : « *Speluncam latronum*. »
5 Cod. Urb. : « Est enim. »
6 D. Uccelli : « Nutrix. »
7 D. Uccelli : « Unitissima, » et in notula : « Cod. Urb. : « Amicissima. »
8 D. Uccelli ex Cod. S. Genov. : « *Et posuit ei*, » sed cod. S. Genov. non habet : « *Ei*. »
9 Sic cod. S. Genov., licet D. Uccelli legat : « Quantum. » In cod. vero Urb. legit : « Quam. »
10 D. Uccelli omittit :« Domina. »
11 D. Uccelli, ut supra :« Quantum. »
12 D. Uccelli : « Quantum. »
13 Cod. Urb. :« In ipso. »
14 D. Uccelli omittit : « Tuæ, » et addit : « Cod. Urb. : « Tuæ carnis. »
15 D. Uccelli :« Misericordiam, vitam. »
16 D. Uccelli :« Mare. »
17 Sic cod. S. Genov. ; sed D. Uccelli legit : « cum in tribulationibus vocat, » et addit : « Cod. Urb. : « vocans. »
18 D. Uccelli omittit : « Omni, » et addit :« Cod. Urb. : « Omni. »
19 S. cod. S. Genov. ; sed D. Uccelli legit :« Unde hoc dicitur, » et in cod. Urb. : « Unde ei hoc. »
20 D. Uccelli :« Fuit. »
21 D. Uccelli : « Verbum. »
22 D. Uccelli addit : « Sit. »
23 D. Uccelli : « Habet, » et in notul. :« Cod. Urb. : « Habuit. »
24 D. Uccelli omittit :« Geminantium mentis. »

cie sua et pulchritudine sua in visibilibus egregia, seductum visum[1] in se provocavit aspectus, illa ad Regem animum ad se inclinaret, et salutem omnium ad se desuper[illegible] adduceret. In hac igitur sanctae conversationis gratia, etsi eam ex toto imitari non possumus, debemus tamen eam sequi quantum valemus, ut cum ea laboremus habere mentis et corporis sanctitatem, in adversis patientiae firmitatem, et in bonis perseverantiae longanimitatem. Nam et Bernardus dicit : « Si vis in adversis ejus impetrare suffragium vitae, ne deseras ipsius conversationis exemplum. » Quarto, Domina nostra habuit gratiam consummantem in sua corporis et animae glorificatione. Nihil enim est aliud[2] gloria quam gratia consummata. Unde de hac potest exponi illud Prov. ii, 16 : *Mulier gratiosa inveniet gloriam.* Licet sit hoc omnibus commune, Domina tamen nostra sicut omnes creaturas praecelsit[a] in gratia, sic et praecellit in gloria. Quare necesse est ut qui vult a Deo gratiam impetrare, quod ad hanc mediatricem accedat devotissimo corde, quia cum sit regina misericordiae, nil omnino habens in regno justitiae, nihil petenti poterit denegare. Nam, ut Bernardus ait « a peccatore rogata ostendit Filio pectus et ubera ; Filius autem Patri latus et vulnera ; quare nulla potest esse repulsa, ubi tot concurrunt caritatis insignia. » Unde Ap. ad Heb. : *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae ejus.* Nam et[b] ipsa in Eccli. xxiv, 25 dicit : *In me omnis gratia... Transite ergo ad me omnes...* Rogemus etc.

[1] B. Uccelli : « [illegible] » [illegible]
[2] Cod. Ucc. : « in patria. »

[a] D. Uccelli : « Praecellit. »
[b] Sic [illegible] — D. Uccelli : « Nam ipsa » [illegible] : « Cod. Ucc. : Et ipsa. »

TRIGESIMI SECUNDI VOLUMINIS FINIS

INDEX

EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

LIBER SECUNDUS

LIBER TERTIUS

LIBER QUARTUS

LIBER QUINTUS

DE MOTORIBUS CORPORUM CŒLESTIUM

APPENDIX

SERMONES

DOMINICA IN ROGATIONIBUS

Magistri Thomæ Haquin

DE SECRETO

OFFICIUM

OPUSCULUM ANECDOTUM

OPUSCULUM ANECDOTUM

EPISTOLA

AVE MARIA

Sanctus Amandus, ex Typis DESTENAY.